



PETRI VICTORII COMMENTARII

In tres libros Aristotelis de arte dicendi.

Positis ante singulas declarationes, valde studio & noua cura ipsius auctas, Graecis verbis auctoris, usque fideliter Latine expressis.

Cum vetere exquisitò indice, cui multa addita sunt, modo animaduersa.







FLORENTIAE.

Ex officina Iunctarum. An. CIↃ IↃ LXXIX.

Cum licentia & priuilegio.

FRANCISCO MEDICI, MAGNO DVCI ETRVRIAE,

PETRVS VICTORIVS Sal.





VLIT vetus illa fortunata aetas plures, qui ingenio doctrinaq; sua valde profuerunt ceteris mortalibus: operamque dederunt, omnibus alijs rebus posthabitis, vt iuuarent non solum sui temporis homines, verum etiam posteros erudirent: & qui multis post seculis nasci deberent. horum nomina, satis clara honestaq;, omnibus nota & peruulgata sunt. ciuitas autem vna fuit, quae huiuscemodi viros, siue genuit: siue, aliunde ad se profectos, ita instruxit atq; ornauit, vt hoc egregium opus moliri & efficere valerent. Nec tamen hi subito tales extitere: sineque ope aliena, & adminiculo quorundam, qui prius vixerint, ita excellens praestans q; bonum ad exitum perduxere: neq; enim repente absoluti perfectiq; viri fiunt, nec natura sola potest tantum boni procreare: multa enim concurrant necesse est. quod cum contingit, tunc exoritur hoc, quod plurimum admirationis gignit in pectoribus illorum, qui haec diligenter attendunt: & tamquam caelitus delapsum diuinumq; non sine causa esse existimatur. Vnus horum fuit, ac fortasse summus, Aristoteles, qui ea tempestate natus, qua in Graecia florebant optimae artes, relicta patria Stagiris, Athenas se contulit, domicilium sapientiae, virtutumque maximarum: atq; ibi Platoni se in disciplinam dedit, doctissimo atq; eloquentissimo viro, cum Socrates iam, dux & auctor sanctissimae doctrinae, & quasi fons variae philosophiae, vita functus esset, quem spatio x. & vij. annorum, vt memoriae proditum est, audiuit, atque omnem ipsius scientiam magnitudine ingenij sui, & assiduitate operae vorauit. Nec cessauit hic, natus hominibus docendis, viuus adhuc, quae didicerat, alijs impertiri: & quidquid etiam illis addiderat, cum familiaribus & cupidis cognoscendi res abstrusas & remotas ab intelligentia populari, communicare: atq; ita naturam eorum excolere & perpolire. nam praeterquam quod habuit certos quosdam, & eos quidem non paucos, magnae indolis adolescentes, magnaeque spei, quos sedulo recondita rerum scientia instruebat, non reiecit etiam alios, in quibus amor aliquis bonarum artium degustandarum apparuisset, a benignitate

sua, verum illis quoq; , sed alia hora diei & ratione viaq; faciliore, studuit prodesse, & ingenia ipsorum erudire. quod alij ante ipsum, doctissimi viri: & si vitae hominum excolendae incumbebant, non probarant, sed alienos omnes repudiabant: nec participes suae exquisitae rationis facere volebant. nam penitus rudes & agrestes, ipse quoque a se arcebat, & eosdem postea a lectione suorum scriptorum, obscuritate quadam illorum, depellebat. Quot autem, quantaq; litteris mandarit, & quam multiplici doctrina monumenta sui ingenij retulerit, notum omnibus atq; exploratum est: vt enim omittam rationem differendi, cuius ille, subtilis admodum artis, non magister tantum doctorq; fuit, verum etiam auctor atque inuentor: & ambarum quidem ipsius partium: eius inquam, quae in inueniendo occupata est, & illius, quae in iudicando, quis melius accuratiusq; de rebus bonis malisq; , ac de vita & moribus praecepit? quis pulchritudinem virtutis, eximiamq; speciem ipsius manifestius nobis ante oculos collocauit? a deformitateq; vitiorum turpibusq; maculis ipsorum magis nos alienauit: totamq; demum vitam hominum maiore studio ac diligentia purgauit? & quae via ad bene beateq; viuendum, sine errore vllo, duceret, demonstrauit: nec solum mores singulorum mortalium coluit atque exornauit, verum etiam rationem honeste regendae domus, tuendaeq; atq; augendae bonis artibus, rei familiaris tradidit, vt ijs fundamentis iactis, quo animus ferebat perueniret, recteque atque ordine maiores coetus hominum, communemque societatem informaret: & qui status ciuitatis optimus esset, ceterisq; omnibus anteponendus doceret, de quo tam multae variaeque opiniones disertorum hominum, et discrepantes admodum sententiae peritorum, magnumq; vsum rerum habentium extitere. nam quam factus paratusq; ad hoc praeclarum opus construendum accederet, & quo nullum grandius vtiliusque vitae nostrae confici ac fabricari potest, declarat, quod sedulo antea status plurimarum ciuitatum, & Graecarum & Barbararum perspexerat: & quid in ipsis probari reprehendique posset, aperuerat: quorum commentariorum magno cum damno nostro iacturam fecimus: tantamque diligentiam curamque doctissimi prudentissimique viri perijsse dolendum est. Acumen autem ingenij Aristotelei: admirabileque studium, positum in rebus naturae videndis, causisq; earum inuestigandis, quis ignorat? cum partem ipsius nullam omiserit, quam non enuclearit, erratis magnis reprehensis antiquorum illorum physicorum, qui in his rebus docendis lapsi fuerant, ac magnopere peccarant. Diuinas etiam res, & quae dignitate superant ordinem rerum naturalium, ipsum attigisse, & vim

potesta-

potestatemq; rerum caelestium ac Dei ipsius, moderatoris omnium, eundem explicasse, compertum est: quis enim de hoc dubitet? Aristotelemq; penetrasse, quo humanum ingenium adhibito summo studio aspirare vix potest: & claustra illa perrupisse, non fateatur? Non contentus autem principia rerum naturalium patefecisse: & de sede domicilioq; Dei ipsius disputasse, causasq; rerum superarum, obscuram valde difficilemq; materiam, non contemnendis argumentis, probabilibusq; rationibus explanasse, persecutus etiam est animantium omnium naturas: & earum, quae in terra viuunt, & volucrium etiam: nec non tertium ipsarum genus, quod in aquis aetatem degit, marisq; profundas partes incolit: quarum omnium figuras diligenter descripsit & ortus victumq; declarauit: partesq; cunctas corporis aliquo modo ante oculos posuit: & obscuras atq; interiores & extra etiam positas: nec eorum tantum animalium, quae sedes locosq; propinquos nostris regionibus incolunt, verum etiam valde remotarum & longinquas terras desertaq; loca habitantium. quod arduum opus, quamq; scientiam, libero omni homine dignam: principibus autem viris regibusq; in primis accommodatam, aggredi non potuisset, non solum conficere & absoluere, nisi a potentissimo viro, valdeq; studioso verae laudis & gloriae adiutus esset: pecuniaque ingenti atque opibus eiusdem instructus: nobilem enim & generosam familiam Macedoniae regum, propitiam fautricemq; habuit: apud Amyntam namq;, Philippi patrem, plurimum gratia & auctoritate valuit: cui, vt medicus, operam nauauit, & amici etiam familiarisq; apud eum locum tenuit, vt litteris proditum est a bono auctore. nam eundem a Philippo, prudenti rege, & qui valde Macedonum regnum auxit, dignitatemque eius gentis consilio & armis amplificauit, euocatum fuisse, ad filium Alexandrum instituendum, satis constat: cui, adolescenti magni animi, & singularis ingenij, cum scientiam reconditarum rerum, quas supra appellaui, tradidisset: initiaque & causas rerum naturalium eum docuisset, ornauit etiam animum ipsius polita & suaui lectione: nec minus apta idoneaque aetati eiusdem, Iliadis Homericae declaratione: vnde factum est, vt ille postea semper diuinum hunc poetam amaret, & magnis laudibus, occasionem aliquam eius rei nactus, in caelum ferret. Sed etiam putatur idem, optimus magister laudabilium omnium artium, amorem quo tenebatur idem rex intelligendi res vtiles corporibus sanandis, & ipsis quoque aegrotos familiares curandi, in pectus ipsius inseruisse, cum feratur Alexander, non solum libenter ea remedia morborum & vulnerum amicis & ijs omnibus, qui peterent, tribuisse, sed etiam

cognitum sit, & in epistolis eius lectum, ipsum increpuisse familiares, qui his temporibus & casibus ad eum non confugerant: nec remedia corporis malorum a se postularant. In quo (tempus enim est iam, vt post longam de non vulgaribus rebus & laudibus iustis eximij philosophi a me orationem habitam, tecum loquar Francisce Dux Magne, ad quem posteriores has meas cogitationes ac vigilias mitto) tu ipsum imitaris atq; exprimis: quis enim nescit quantum operae diligentiaeq; ponas in remedijs morborum conficiendis? ijsque omnibus, quae salutem aegrotis dare possunt, vndiq; colligendis, & magno pretio parandis: est autem hoc amplum, & profecto regium, vt prospicere tranquillitati dignitatique eorum, quibus praeest, ita etiam valetudini ipsorum atque incolumitati opitulari: facile autem hoc praestare potes, cum valde peritus sis rerum naturalium, & quid vtilitatis capitur ex partibus animalium: ijsque omnibus, quae terra gignit atq; alit, nosti: & ipsorum periculum saepe fecisti. nam alterius etiam laudis, clarissimi fortissimique regis, expers non es: nec quicquam illi cedis in Homero amando, & summis laudibus ad caelum efferendo: cuius, puer adhuc, vt ille egregias virtutes ab optimo magistro perceperat, ita etiam tu diuinas laudes, & admirabilem sapientiam a studioso valde ipsius, & qui praeclare cognitas eas habebat, didicisti: & ita deniq; animo imbibisti, vt multas ipsius partes memoriae mandaris: eiusq; sententias omnibus temporibus ac locis accommodaris. Correxerat Aristoteles Iliada atq; emendarat, quae postea ab illo ἐκ τοῦ νάρθηκος vocata est. librum vero eum, ab ipso acceptum, Alexander in amoribus habebat: sub capiteq; ac puluillo, vna cum pugione, semper dormiens tenebat. tu pluribus antiquissimis & fidelissimis Homeri exemplaribus bibliothecam tuam, amplissimam & ornatissimam, decorasti. Sed redibo ad alia doctissimi nostri, politissimiq; philosophi monimenta nominanda. primum autem tangam, quod affine est proximo huic sermoni: praecepit enim ille quoq; accuratè multa de studio poetarum: artemq; eam omnem, quae florebat ipsius aetate, euoluit, & genera ipsius cuncta, magnopereq; inter se discrepantia explanauit. Vtinam illa permansisset, iniquitatemq; superiorum temporum euasisset: ac non bona magnaq; pars ipsius, quod sine lacrimis recordari non possum, interijsset. Non minus autem deplorandum est, quod cum ille quoq; scripsisset tres libros de poetis, claris vt existimare licet: quiq; aliquam laudem & gloriam in eo studio consecuti forent: in qua disputatione necesse est, vt tetigerit non pauca, quae merito laudari in eo studio possunt: vt etiam, quae non sine causa illic reprehendi & improbari, illi quoq; absumpti sunt, &


nobis

nobis non sine magno nostro damno e manibus erepti. Sed quid est, quod ille, pertinens ad communem vtilitatem, in moreq; atq; institutis positum eius temporis, acumine ingenij sui & doctrina, non perpolierit, ac melius multo perfectiusq; sua cura reddiderit? cum enim tunc in magno honore esset eloquentia, non Athenis solum, in qua ciuitate in primis illa regnabat: & vbi altissimas radices egerat, sed etiam in vniuersa Graecia, quippe cum eius vrbes magna ex parte illa tempestate a multitudine regerentur, quod cum contingit, potestasq; fit ciuibus libere fuseq; dicendi, gignit id augetq; mirum in modum linguae volubilitatem, copiamq; verborum, ad summumque dignitatis gradum eloquentiam perducit: cum inquam multi clari tunc illustresq; oratores forent: videretq; Aristoteles magistros eius artis, & qui se posse illam docere profitebantur, multis modis peccare, putauit se oportere huic malo mederi, ac veram exquisitamque rationem eius tradendae monstrare: tribus igitur eruditissimis libris: & plenis optimorum documentorum, eam, partesq; ipsius omnes complexus est. Nostrae autem huius aetatis plures, doctissimi viri & qui omnem suam vitam consumpserant in principis huius peripateticorum obscurioribus libris diligenter legendis, atq; alijs etiam declarandis, non solum non contempserunt hoc opus, verumetiam mirifice laudarunt: & scientiam ipsius variam, admodumq; vtilem ingenijs hominum excolendis iudicarunt. Sed litteris quoq; proditum est Aristotelem etiam hac ipsa dicendi vi ac potestate, ingenuo omni homine digna, imbuisse opulentissimum discipulum suum: & sodales praeterea ipsius: facultatemque in vtramq; partem ipsi disputandi de omnibus rebus, & locos huius rationis subtiliter exercendae ostendisse. vnde etiam antiquitus extiterunt, qui voluerint ipsum peripateticum appellatum, quia vna cum Alexandro ambulabat, haec ipsa ei tradens, cum ille ex morbo conualuisset, & ad vires corporis firmandas huiuscemodi modicis peripatis, deambulationibusque vteretur, non quia soleret, in Lyceo ambulans, auditoribus suis praecepta sapientiae dare, & quaestiones difficiles obscurasq; enodare. Hos autem libros olim ego cum viderem a vetustate & inscitia praeteritorum miserorum temporum male acceptos: refertosq; fedissimis maculis, remedium tanto incommodo adhibendum putaui: conatusq; sum pro viribus ac fortasse etiam supra vires, ipsos purgare, & menda, quae varij generis splendorem eorum inquinarant, tollere: simulque, quantum studio & mediocri doctrina mea efficere valui, declarare: in quo plurimum mihi laborandum fuit, vt exempla, quibus auctor vsus fuerat in sententijs suis confirmandis, & testimonio optimorum scriptorum corroborandis

indaga-



COSMO MEDICI, DVCI FLORENTINORVM.



Petrus Victorius Sal.



VVM leuiores etiam meos labores ad honestos viros, & insignes ingenij ac fortunae bonis, miserim: eosque dignitate ipsorum commendari voluerim, hoc maiorum vigiliarum munus, tibi iampridem optime Princeps destinaui: & nunc proposito illustri tuo, probatoque omnibus nomine, in manus eruditorum trado, atque edo: cum enim praesentiore auxilio, acrioribusque defensoribus egeat, fuit etiam a me maiore praesidio, & valentioribus opibus muniendum. Huic autem rei persona tua in primis idonea visa est, quam plurimis de causis eruditi viri, & studiosi bonarum artium, verentur ac colunt: contraque cuius voluntatem ac iudicium nihil vnquam molirentur: inuadere namque in res, quae Principis viri nomine ornatae sint, tectaeque illo ab omni iniuria, impetuq; inimicorum esse debeant, est manifesto auctoritatem eorum, dignitatemque violare. Quare si quis erit, qui animi mei ingenuitate, qua in hoc opere vsus sum, non spectata, studioque opitulandi alijs, quacunque re possum, neglecto, paret se contra hunc laborem, aut aliquas eius partes temptare, ac vellicare conetur, eum spero, & amore tui reuocatum, metuque perterritum, sibi ab omni hoc negotio temperaturum: Cuius autem voluntatem, nutusque magis docti viri obseruare debent, quam eius, qui commodis ipsorum diligenter prospicit, atque eos vndique praestanti sua liberalitate sustentat: vt ingrati animi crimine carere nullo modo possint, qui huiuscemodi quicquam mente cogitarint. Praetereo quos, e multis locis accitos, doctissimos viros, Pisis, antiquo disciplinarum omnium domicilio, collocasti, qui illic & nostrae, & peregrinarum gentium iuuentuti erudiendae, atque optimis artibus imbuendae incumberent: & quos etiam externos homines, alienis in locis vitam degentes, aliquam occasionem eius rei nactus, ornasti, & grandi pecunia subleuasti. Quantum hoc beneficium est, quod iamdiu frumente versas? cuique summis opibus inseruis, & iam in eum locum deduxisti, vt cito fructus non paruos laturum sit? quantum inquam beneficium est, quod veteres scriptores, a maioribus tuis summo studio collectos, atque e Graeciae ruinis, incendijsque ereptos, formis excudere, & ad vsus eruditorum diuulgare vis: atq; huic rei efficiendae Germanum hominem, qui huius generis magna negotia tota Europa gerit, propositis amplissimis praemijs huc euocasti, atque apud nos typographam officinam struere, atque ornare mandasti.


Hoc

indagarem, cum concise illa, obscureque posita ab eo forent, & a tempore etiam deformata essent. quare legendi mihi fuerunt accurate cuncti paene antiqui poetae atq; oratores, vnde illa sumpta erant & huc translata: suisq; locis illustrandis apte applicata. Sed quid modo haec commemorare oportuit? quid enim tunc praestiterim, tanto temporis interuallo, ab eruditis viris & aequo animo praeditis, intelligi & cognosci potuit, quos nactus sum beneuolos & gratos accepti beneficij. Vnum extitit, quod tunc in meo illo labore desideratum fuit: nec siuit ipsum libere ingredi domos omnium, qui auersi a musis non essent. vnde aliquo modo coactus sum repetere hunc laborem, & quod tunc omiseram, adiungere, idest vertere in Latinum sermonem, loco suo & ordine, praecepta cuncta auctoris, & tamquam continuare ipsius orationem. nam quin primo illo tempore verba omnia Aristotelis expresserim, vimq; & notionem eorum, quae rariora & obscuriora essent aperuerim, sententiasq; declararim, dubium non est. ita autem me gessi eo tempore, quia semper cum Latinis Graeca coniungenda putaui, & aliquo modo stimulum bonis adolescentibus admouere volui, vt mature vnaq; cum Latino Graecum sermonem perdiscerent: neq; enim penitus sine consilio hoc feceram: victus tamen postea precibus multorum, qui Graecam linguam non gustarant: nec tantum temporis habebant, vt incumberent in eam curam, mentem mutaui, & in alijs, siue eiusdem huius auctoris, siue aliorum monimentis ingenij, quae studio meo illustraui, voluntati eorum parui: totumq; me ad opinionem ipsorum accommodaui. Alterum autem fuit, in quo sententiam nullam in partem variaui, quod cum primos illos meos labores ad patrem tuum, optimum & sapientissimum principem, miserim, & illustrissimo ipsius nomini, plenissimoq; dignitatis dicarim, idem mihi modo censui faciendum, in his, quos valde longa mea cura perpoliui, & meliores multis partibus feci: ex quo enim tempore primum diligenter hos libros legi, et cognoui quam integri perfectiq; forent, numquam postea ipsos e manibus dimisi. Accipies igitur hilari vultu hoc meum munus, vt alia fecisti: neq; enim maiora tibi dilargiri possum: nec dignitati tuae amplissimae quicquam aliud, quod aliqua parte ipsi respondeat, consecrare. qui autem in meritis beneficijsq; compensandis, siue in colenda superiore qualibet persona atq; natura, quod potuere, praestiterunt, numquam merito reprehensi a quopiam accusatiq; sunt. Vale.

Florentia XI. K. Sept. CIↃ IↃ LXXIX.



COSMO MEDICI, DVCI FLORENTINORVM.



Petrus Victorius Sal.



VVM leuiores etiam meos labores ad honestos viros, & insignes ingenij ac fortunae bonis, miserim: eosque dignitate ipsorum commendari voluerim, hoc maiorum vigiliarum munus, tibi iampridem optime Princeps destinaui: & nunc proposito illustri tuo, probatoque omnibus nomine, in manus eruditorum trado, atque edo: cum enim praesentiore auxilio, acrioribusque defensoribus egeat, fuit etiam a me maiore praesidio, & valentioribus opibus muniendum. Huic autem rei persona tua in primis idonea visa est, quam plurimis de causis eruditi viri, & studiosi bonarum artium, verentur ac colunt: contraque cuius voluntatem ac iudicium nihil vnquam molirentur: inuadere namque in res, quae Principis viri nomine ornatae sint, tectaeque illo ab omni iniuria, impetuq; inimicorum esse debeant, est manifesto auctoritatem eorum, dignitatemque violare. Quare si quis erit, qui animi mei ingenuitate, qua in hoc opere vsus sum, non spectata, studioque opitulandi alijs, quacunque re possum, neglecto, paret se contra hunc laborem, aut aliquas eius partes temptare, ac vellicare conetur, eum spero, & amore tui reuocatum, metuque perterritum, sibi ab omni hoc negotio temperaturum: Cuius autem voluntatem, nutusque magis docti viri obseruare debent, quam eius, qui commodis ipsorum diligenter prospicit, atque eos vndique praestanti sua liberalitate sustentat: vt ingrati animi crimine carere nullo modo possint, qui huiuscemodi quicquam mente cogitarint. Praetereo quos, e multis locis accitos, doctissimos viros, Pisis, antiquo disciplinarum omnium domicilio, collocasti, qui illic & nostrae, & peregrinarum gentium iuuentuti erudiendae, atque optimis artibus imbuendae incumberent: & quos etiam externos homines, alienis in locis vitam degentes, aliquam occasionem eius rei nactus, ornasti, & grandi pecunia subleuasti. Quantum hoc beneficium est, quod iamdiu mente versas? cuique summis opibus inseruis, & iam in eum locum deduxisti, vt cito fructus non paruos laturum sit? quantum inquam beneficium est, quod veteres scriptores, a maioribus tuis summo studio collectos, atque e Graeciae ruinis, incendijsque ereptos, formis excudere, & ad vsus eruditorum diuulgare vis: atq; huic rei efficiendae Germanum hominem, qui huius generis magna negotia tota Europa gerit, propositis amplissimis praemijs huc euocasti, atque apud nos typographam officinam struere, atque ornare mandasti.

Hoc

Hoc sane huiuscemodi est, vt capere omnino illo omnium eruditorum animos debeas, atque arctioribus vinculis astrictos tenere: nam si superiores tui, quique in ista clarissima familia floruerunt, summam inde laudem consecuti sunt, qui semper ipsos domi clausos habuerunt, quanto maiore gloria tu dignus eris, qui per omnes terras ipsos disseminaris, & consilio isto tuo casibus omnibus, quibus plurimis expositi sunt, cum singulis exemplaribus continentur, eripueris: vt eodem facto, & vtilitati studiosorum, & aeternitati eorum librorum, consulueris. Laudati merito ab omnibus semper fuere, qui copiosas bibliothecas construxerunt, ac magnum numerum optimorum librorum sub vnum tectum contulerunt: id autem priscis temporibus opulenti multi, fortunatique homines, ac summi reges studiose fecere, vt Polycrates Samius: Pisistratus Atheniensis: Nicocrates Cyprius: Eumenes atque Attalus: magnificentissimi Pergami reges atque elegantissimi: quique reliquos omnes, & Aristotelis bibliotheca empta, & Athenis, Rhodoque infinita librorum vi Alexandream comportata, in hoc studio superauit, Ptolemaeus Philadelphus: nec non Romani imperatores: ipsi enim quoque laudis huius, ac gloriae valde cupidi extitere, vt multitudo ingens bibliothecarum Romae quondam fuisse perhibeatur. Et tamen, qui huic rei studuerunt, hominibus tantum, qui illic viuerent, profuerunt, sed ne ijs quidem plenam, atque integram vtilitatem attulerunt: neque enim commode semper possunt eruditi: suisque studijs apte, custoditos in illis, libros tractare: qui autem formis imprimendos fideliter curant, in toto quasi orbe terrarum bibliothecam struunt, ac multo magis commoditatibus studiosorum seruiunt: paruo enim aere illos parare, diligenter emendatos: & vsibus ipsorum accommodatos queunt. Neque tamen tu ab hac quoque laude vacuus es, quamuis verioris, noua ratione parandae, viam inueneris: a Clemente namque VII. Pont. Max. magnifice incoeptam bibliothecam: inchoatam tamen, imperfectamque relictam, absoluis, ac magnis sumptibus aedificas: nec ornamentis tantum ipsius, pompaeque indulges, verum etiam illam sedulo supples, accurata librorum conquisitione, congerisq; illuc omnes, qui ad te, amatorem summum ipsorum, ab ijs, qui tibi gratificari cupiunt, deferuntur. Intelligens igitur ego cunctos eruditos viros tanto hoc beneficio obstrictos tibi esse debere, meae meorumq; librorum securitati consulens, ad te illos misi: sed multum etiam me, vt hoc facerem, impulit, quod, cum tibi plurimum debeam: nec maiore aliqua re gratum animum meum ostendere, valeam, volui munusculo hoc, me non immemorem esse beneficiorum indicare. Debeo autem cum priuatis de rebus, ornatus a te commodis honoribusque non paruis, tum publico etiam nomine, quod ciuitatem summa diligentia consilioque regis: vt enim semper dignitatis ipsius amator mirificus fui, non possum non maiore beneficio me affectum esse ab illo confiteri, qui ipsam tueatur, & incolumem, honestamque esse velit, quam qui me priuatim pecunia adiuuerit, aut aliquo huiuscemodi commodo affecerit: nam me haec non summa putare, tu optimus testis es: cum enim maiora praemia a te facile, propter excellentem tuam liberalitatem: & non contemnendum, quod de me fecisti, iudicium, obtinere possem, semper his, quae primo mihi a te proposita fuerunt, contentus fui: qua sane in sententia, dum tibi commodum erit, meque munere hoc fungi volueris, permanebo: totisque ingenij viribus iuuentuti seruiam: nec publice aut priuatim operam meam desiderari patiar. Ut igitur

haec

haec non magni aestimo, neque valde ipsis commoueri soleo, ita toto animo amplector, qui patriam hanc meam fouet, & saluam, auctamq; vult: quod tu, qui ad eius gubernaculum accessisti, non malis vllis artibus vsus, nec adhibita vi ciuibus, sed voluntate ipsorum arreptus, & consilio dei euocatus, studiose facis. Quis enim non fateatur Principem eum ciuitatem adiuuare, eiusq; dignitati, ac saluti prospicere, qui seueris legibus coercet libidinem iuuentutis, cunctaque obscena vitia inde euellere, atque extirpare conatur? Qui luxuriem refrenat, parce ac modice vestibus, ceteroque cultu corporis vti priuatos iubens. Idemque magistratibus, & qui in vrbe ius dicunt, & qui in agris, oppidisque summam potestatem habent, praecipiat, vt quemadmodum seueritate, aequabilitateq; iuris personam, quam gerunt, tuentur: ita etiam vestimentis, decoreque omni, ac comitibus, publicam dignitatem custodiant. Hoc certe nemo, non maleuolus, ab eadem animi propensione erga rempublicam, speciemque ciuitatis, non profectum pernegaret, quod patrium vestitum iam paene dimissum, ad militaremque & castrensem translatum, reuocas: quod etiam in magistratuum apparitoribus, ceterisq; ipsorum insignibus seruari voluisti. Nam illae maiores curae, vtilioresq; sunt, quod oppidanorum hominum, colonorumq; magnum numerum, delectu habito, armasti, eisque certos viros, peritos militarium ordinum, praeposuisti, seduloque ipsos statis diebus exerceri, militiae munere omni obeundo, imperasti, vt ab omni repentino tumultu ciuitas, agerque tutus sit, & magnas etiam aduersariorum copias contemnat. Nec tamen, si forte aliqua aliquando infinita vis hostium irrupisset, nec arceri a finibus regionis vlla ratione potuisset, aut plaga aliqua in bello (vt fit) accepta foret, non alia via saluti nostrae consuluisti, cum vrbem diuturno opere, magnisque sumptibus munieris, & infirmiores ipsius partes ita roboraris, vt ascensus illac esse hostibus nulla ratione possit, simulque ad eam defendendam omne genus armorum: infinitamque vim aenearum balliostarum compararis. Nec non eodem consilio distinendorum hostium: aditusque ipsis ad imperij sedem intercludendi, cuncta etiam opportuna loca, oppidaque ditionis tuae diligenter munis: aggeribusque ac propugnaculis firmas. Hae cogitationes, vt optimi Principis, patriaeque amantissimi manifesto sunt, ita istius aetatis, fortunaeque his temporibus minime esse consuerunt. Qui tamen te fortissimo patre natum, & in quo Italiae quondam salus nixa sit, cogitabit: quo vno in bello interfecto, ita animi nostrorum militum, ducumque ceciderint, vt statim saeuissimis hostibus aditum patefecerint, nec vllis fluminibus, aut aggeribus, locorumue angustijs arcere se posse illos putarint. Unde fertilissimorum agrorum vastatio, & opulentissimae vrbis direptio, consecutae sunt. Qui inquam te e Ioanne Medice natum esse recordabitur, cuius nomen solum loco pellebat aduersarios, ac perculsos suos recreabat: eundemque in bene instituta ciuitate, sanctissimaque domo caste, pieque educatum, & omnibus optimis artibus ornatum, hoc mirari desinet, recteque, atque ordine omnia fieri existimabit. Ut contra ab his, qui tam generosa stirpe: ad renouandasq; proprias huius terrae virtutes, laboribus periculisque suis nata, orti non sunt, sed ex otio, languoreque procreati, atque in ijsdem studijs alti, nihil praeclarum, aut honestum vmquam expectabit. Sed vt facta tua, proba rectaque, breui tangere volui, vt tecum memoria ipsorum gauderes, cotidieque magis ad noua nobis beneficia afferenda incenderere, ita culpas aliorum, inertiamque detegere nolo: is enim tu es, qui cumulate laudari, in

caelumque ferri sine collatione aliorum, istius ordinis hominum, qui longe aliter se gerunt, possis: quique, cum multis rebus ciuibus tuis vtilis sis, nulla tantum re, quantum exemplo, atq; honestate vitae prosis: quae vera, clemensque ratio est Principi homini ciuitatem excolendi, ac priuatorum mores emendandi. Ut autem nunc, praedicatione tuarum virtutum omissa (quarum admiratio longius me, quam oportebat, prouexit) ad rem redeam, libri hi (vt taceam, si quid ipsis studio, diligentiaque mea profui) grati tibi esse debebunt: & quia a summo doctore scripti sunt: quique ingenij acumine, atque excellentia eruditionis, reliquos omnes vicerit: & quia disciplinam eam tradunt, quae fructus eximios principibus viris, & ornatus singulares fert: qua enim re magis omnibus praestare debet, qui in amplissima fortuna constitutus est, ac reipublicae clauum tenet, quam eloquentia? vt milites, togatosque his mollissimis habenis flectere, &, quocunque vult, animos eorum perducere possit. Sed quia haec nota sua vi sunt, nec egent voce aut auctoritate mea, vt planius intelligantur, de illis silebo: tantumque te rogabo, vt, si plene, quod volui, praestare non potui, nec tanto oneri ferendo pares vires habui, imbecillitati ingenij mei ignoscas, & egregiam animi voluntatem amplectare.

Vale.

Florentiae Idib. Sept. An. CIϽ IϽ XLVII.



RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.



QVVM incredibili quodam, singularique adiuuandi bonas artes studio arreptus, non bene tenuibus ingenij mei viribus exploratis, nec exigua doctrina animaduersa, arduum ac perdifficile opus aggressus fuerim, multosq; ac magnos labores in eo perficiendo sustinuerim, videtur nunc tempus esse rationem consilij mei reddere, ac, quibus auxilijs in eo vsus sim, aperire. vt, si naturae meae acumen, ac subtiliorum rerum scientiam, in eliciendis abstrusioribus sensibus Aristotelis, eruditis viris non probaro, diligentiam saltem ac fidem, qua maxima in hoc negotio vsus sum, illis probem: vt enim me parum sapienter tantum onus suscepisse facile concederem, ita maiore cura ac studio tractari illud potuisse pernegarem: quod si sedulitatem ipsam, amoremque erga subtilissimorum horum librorum amatores demonstraro, nec omnino fine, propositoque meo lapsus esse, inanemque penitus laborem cepisse iudicabor, animo meo gaudebo, ac satis iustum praemium mearum vigiliarum me reportasse putabo: neq; enim vmquam speraui me posse omnia, quae perobscura hic sunt, loca illustrare, aut si quid in animo alicuius, acuti & eruditi viri, scrupuli oriretur, funditus euellere, atque extirpare: intelligo enim quem auctorem interpretandum susceperim, & cum quot, quantisq; eodem tempore difficultatibus, & tamquam monstris, mihi pugnandum fuerit, vt si partem eorum prosternere, ac profligare potuerim, non parum mihi fecisse videar in tantis rerum angustijs. Omitto nunc propriam scriptoris huius obscuritatem, ob concisum modum dicendi, quo semper in suis libris vsus est, & reconditam, abditamque huius artis explicationem: quae res maximum quodque ingenium defatigare, ac torquere possunt: lectionis varietas, multitudoque macularum, quae plurimas partes horum librorum turpiter foedarant: nec non testimonia antiquorum scriptorum, quorum plura apud auctores ipsos, cum vetustate perierint, non leguntur, quemuis merito perterreant: nulla me tamen res adeo perturbare potuit, vt incoeptum desererem, ac non ad exitum perducere conarer: omnia enim potius, quae potui, ad impedimenta haec tollenda, difficultatesq; superandas, praesidia comparaui: primumq; magnum numerum librorum, calamo scriptorum, vndique corrogaui, sine quorum ope non valde me posse veram, sinceramque lectionem indagare confidebam: nec tantum, qui hic aut publice, aut priuatim erant, collegi: sed e multis Italiae oppidis ad hunc vsum veteres codices opera amicorum euocaui: duos autem ex omnibus emendatiores nactus sum: quorum alter non satis antiquus: e non malo tamen exemplari, vt patet, exscriptus, Francisci Puccij, docti hominis, Pontani familiaris, quondam fuit: alter vero, qui & hunc, & reliquos omnes, & vetustate & fidelitate multum superat, Nicolai Rodulphi Cardinalis, integerrimi, atque eruditissimi viri est: in magna enim antiquissimorum librorum suppellectile, quos ille magnis sumptibus, summoque animi ardore comparauit, volumen etiam habet, quod plures huius artis scriptores continet, in quibus etiam hi tres libri sunt, ab optimo artium omnium magistro de dicendi ratione scripti. Huius igitur auctoritate, testimonioque saepe vtar: probitas autem illius, fidesque (ne nunc in ea constituenda tempus teram) in singulis locis spectandis intelligetur: declarabitque (vt spero) res ipsa, me non sine causa illi multum tribuisse. Gaudeo autem eum Romae illustri in loco haberi, ac domo, quae ingeniosorum, ac doctorum hominum plena est: non minore enim studio amplissimus ille vir, & Latinae, & Graecae linguae peritos, optimarumq; omnium artium studiosos alit, fouetq;, quam copiosissimam bibliothecam, qua & ipse, & alij pasci possint confecerit. Laetor igitur illic

potissimum testem eum teneri, vbi nec facile corrumpi possit, & ab omnibus, cum opus
esse iudicarint, & videri, & audiri: ne cui fortè in mentem veniat (vt sunt homi-
num ingenia) me fucum fecisse, & aliquid aliquando finxisse: quod quemadmodum
multo minoribus in rebus non auderem, in tam graui, magnaq; re, nec cogitaui vmquam,
nec feci. Sed alio etiam, quod eiusdem generis est, non contemnendo auxilio vsus sum:
veterem enim tralationem diligenter inspexi, &, quam scripturam suo in exemplari auctor
ipsius habuerit, inde cognoui: qui sane rudis quidam, & expers omnis politioris do-
ctrinæ manifesto fuit: negotium tamen hoc cum fide administrauit. Quare cum barba-
ram illam tralationem in manibus haberem, Graecum codicem tenere, ac voces eius ser-
monis audire mihi videbar: nam ne verbor. quidem ordinem vmquam variat, ac singula
verba exprimit, saepeque etiam Graecis ipsis vtitur: cum, aut vim eorum non perciperet,
aut, quomodo vno verbo reddi possent, non videret. Cum autem illa, cuicuimodi est,
multis iam ante seculis confecta fuerit, Aristotelis libri tunc integriores, emendatioresque
erant, qui postea (vt fit) librariorum negligentia cotidie magis deformati sunt: inueni au
tem illam plerumque concordem cum optimo libro, de quo supra locutus sum: & quem
antiquissimum postea vocabo, ne semper domini ipsius dignitate in tam tenui re abuti co
gar: qui propter egregia animi fortunaeque bona, honoris causa semper appellandus fo-
ret: cum enim antiquissimum librum nominabo, illum Rodulphi Cardinalis accipi vo-
lam. Tralationis autem huius quoque ipsius manu scriptos, ac satis vetustos libros secutus
sum, quos diligenter cum Graecis excusis contuli, ac, quid inter ipsos discreparet, ani-
maduerti: & omnem denique molestiam hanc patienter tuli, & inquinatissimorum ver-
borum fastidium exorbui, vt optimo ac politissimo scriptori consulerem, ac viderem, si
ex faece illa sinceri aliquid, purique depromi, atque erui coniectura posset. Omnia au-
tem haec docere, & studiosis multis de causis aperire, vtile existimaui: nam illud etiam
non mediocre auxilium nullo modo reticebo, quod multis in locis horum librorum exa-
minandis, & vbi de lectionis veritate, & vbi de sententiarum obscuritate ambigebatur, v-
sus sum iudicio optimi ac doctissimi viri Francisci Medicis: cum quo fideli, sanctaq; ami-
citia (dum vixit) coniunctus fui: ille .n. formam operis huius mei, impolitam adhuc & ru
dem diligenter vidit, ac quid sibi de tota re, plurimisque ipsius partibus videretur, amice,
libereque indicauit. Cum autem ingenio multum ac doctrina valeret, meque ex omni-
bus plurimum diligeret, honoremque meum ac dignitatem, non minus, ac suam, caram
haberet, mihi non parum prodesse potuit: quod quidem mirifica probitate animi ac bene-
uolentia, strenue fecit. Hoc vero, cum grati animi ostendendi causa, non inuitus praedi-
co, tum libentius hoc facio, quia cum potissimum ille ad laudem, gloriamque monimen-
tis ingenij sui, parandam, natus foret, imbecillitate valetudinis (qua diu grauiter conflicta
tus fuit) & mortis immaturitate impeditus, nihil eorum perficere, quae magnifice, graui-
terque scribere incoeperat, potuit: quemadmodum enim viuam amici hominis memo-
riam semper animo tenebo, nec egregias ipsius virtutes, ac subtilissimarum artium scientias
ore vmquam celebrare desinam, ita etiam quantum scriptorum meorum tenuitate fieri
poterit, eam ab obliuione hominum, atque a silentio vindicabo: nactusque tempus ad hoc
idoneum, aliquam e tanto naufragio tabulam colligere conabor: sunt enim quae inchoa
ta a se, mihi absoluenda: & vsibus studiosorum prodenda, cum morti vicinus esset, reliquit
De praeclara autem ipsius eruditione, quamuis viuo etiam illo a me diuulgari coepta sit, lo
cus magis opportunus erit (vt spero) agendi: si enim cum ipsum ex suis scriptis cognitum
iri putarem, amore tamen incensus, luculentum testimonium de illius probitate animi, &
optimarum artium scientia, non semel in meis libris feci: quanto nunc mihi magis, vt e te
nebris nomen eius eripiam, naturaeque temporis resistam (quod omnia conficere, atque
obscurare consueuit) laborandum est? nunc enim tantum, quod sine iniuria omittere
non potui, commemorare libuit. Hae igitur sunt & personae, & res, quae mihi in mune-
re hoc obeundo, praesidio fuerunt: nam reliqua, si qua hic non insulse, neque imperite
adnotaui, a sedulitate vigilijsque meis profecta sunt, & assidua librorum horum tractatio-
ne, Graecorumque omnium auctorum euolutione. Reddenda adhuc mihi ratio esse vide
tur, cur in Graecos Aristotelis de arte dicendi libros Latinis verbis scripserim, nec illos an-
tea exprimere, & in Latinum sermonem vertere conatus sim: consentaneum namque vi-

detur

detur, vt vna, eademque lingua scientia omnis, atque ars explicetur, qua perscripta est, praesertim cum Latinus sermo magis communis, & vsitatus sit: Plures autem causae mihi, & eae quidem (vt arbitror) non paruae, vt hoc facerem, persuaserunt: in primis autem rei difficultas: cum enim saepe Aristoteles vtatur testimonijs, & poetarum, & oratorum, laudibus aut vitijs orationis declarandis idoneis, si verborum sensum redderes, non poteras simul vim eorum exemplorum retinere. Quod si, relictis illis, alijs exemplis, quae loco illi, ac tempori conuenirent, vterere, non erat hoc Aristotelem interpretari, & incommoda fortasse inde aliqua nasci potuissent: praecipue autem hoc in oratione, quae numeris constaret, vsu veniebat, vt si Graecorum verborum sententia Latinis vocibus exprimenda foret, numerus orationis immutaretur, ac longe diuersae, atque antea erant, syllabae fierent: neque loco illi amplius congruerent, vimque exempli haberent. Singula praeterea verba, si verti debuissent, quae aut translata forent, aut actum in se haberent, aut huiuscemodi aliquem ornatum, ac saepe plures continerent, eandem in se molestiam habebant: vt facile intelligere poterunt, qui plures tertij libri partes diligenter attendent: verbis autem, quibus illa tradita sunt ab auctore, conseruatis, illisque accurate explanatis, omnia plana erunt: magnum autem negotium est huius acutissimi, politissimiq; scriptoris libros ita vertere, vt candori sermonis, & veritati sententiarum simul seruias: pluresque, qui in hoc munere versati sunt, dum alterum toto pectore amplexantur, altero penitus excidere. Addidit autem mihi animum, impulitque vehementer, vt hoc efficerem, communio vtriusque linguae, quae viget in animis plurimorum: nulli enim fere nunc sunt laudandarum artium studiosi, qui non Graecum sermonem attigerint, & e fonte hoc hauserint, vt non pauci etiam ipso copiose se ingurgitarint, nec pueri tantum, adolescentesq; huic rei toto animo incumbunt, verum etiam matura iam aetate homines, ac senes. Quod sane quicunque optimarum artium, philosophiaeque in primis studiosi sunt, sapienter faciunt: quae namque ab eloquentissimis eruditissimisque hominibus eo sermone litteris mandata sunt, vix subtiliter, perfecteque percipi videntur posse, si in aliam linguam transferantur, aut saltem plurimas passim obscuritates gignunt, quae bona ingenia postea diu multumque torqueant: vt praestet laborem, qui in eorum lingua perdiscenda sustinetur, ferre: atque ita vno labore multis, magnisque se molestijs liberare: compensatur enim id temporis, quod illic teritur, Graecae lectionis suauitate, ac scriptarum illa rerum percipiendarum facilitate. Nec magna (nisi fallor) exquisitaque eius sermonis scientia opus erit, vt sensus verborum Aristotelis, quibus in his libris vsus est, eliciatur: ipse enim quamuis ordine singulas comprehensiones non expresserim, nihil tamen, quod non Latinis verbis reddiderim, reliqui: nec minorem operam in verbis explanandis, locutionumque rationibus explicandis, quam in sententijs euoluendis, posui: nec tamen hoc, quod a me vsurpatum est, nouum penitus, inauditumque est: animaduerti namque alios etiam in Graecos poetas, & artium aliarum doctores, Graecis eorum verbis propositis, Latine quaedam adnotasse: nec ipsa vllo modo distorquere, in eundem antea sermonem transferendo, voluisse, & qui commentarios Graecae Latinaeque linguae fecerunt (quo labore suo plurimum ingenuarum artium amatoribus profuerunt) hoc spectasse videntur: eademq; ratio est eorum, qui Graecos nunc publice poëtas, oratoresque, iuuentuti consulentes, interpretantur: illos enim ipsos diuersa, ac scripti sunt, lingua declarant, vt hoc etiam sine reprehensione fieri hic a me potuisse videatur, ac fortasse sit etiam fructum non paruum, allaturum, & laudem aliquando aemulosq; inuenturum.

Valete.

spicanda sit, non a posteriore, aut tertio libro incipienda: nec enim series harum rerum, quae admirabilis est, id patitur: nisi fortasse aliquis quaerat, cum particula dialectices a summo hoc doctore dicatur, & alij etiam eruditi viri existimarint ipsam magnopere adiuuari cognitione rerum dialecticarum, subtilioreq; illo atque accuratiore studio, danda ne sit illi opera, percepta prius disserendi ratione, an ab leuiore hac arte incipiendum, posteaq; grauiori illi incumbendum. Sequitur igitur, vt accurate videamus, an veri legitimiq; huius auctoris libri sint, de quo etiam antiquitus summo studio quaeri initio reliquorum voluminum Aristotelis explanandorum solebat: haec enim res ignorata magna incommoda gignere, atq; importare poterat, cum morem plerunq; habeamus, certorum hominum, nobisque probatorum, iudicium atq; existimationem sequi: nec minus saepe auctoritati ipsorum, quam rationibus ac firmis de aliqua re argumentis, tribuamus: siue diffisi aliquid scire nos posse, si ad opinionem eruditi alicuius ac spectati in primis viri nostram accommodauerimus, quiescimus, nec vltra quicquam laboramus. Ea autem de causa olim perscrutari hoc diligenter consuerant, quia magni nominis scriptoribus non nulli falso tributi libri erant: cuius etiam rei rationem reddiderunt, narrantes: cum fortunati, opulentiq; homines ac reges, conficiendarum bibliothecarum studiosi forent, ac magna vi auri libros optimorum auctorum emerent, quosdam pecunia captos, veros auctores coelasse, ac falsos induxisse, vt maius inde pretium reportarent. Quod autem auaritia tunc improborum quorundam hominum malum inuexerat, calamitas superiorum temporum, bonarumq; artium inscitia postea procreauit: non pauci enim & Graeci, & Latini scriptores alieno nomine vocantur, & hac etiam in re, vt in alijs multis, labores antiquorum, doctorum virorum, imminuti sunt, cladémque non paruam acceperunt. Id autem, vt de tribus his de oratoris arte libris existimandum non est (sententiarum namque acumen, crebritasq;, & locutionis genus obscurum, ac breue, Aristotelis esse manifesto declarant: testimonium praeterea ipsius, aliorumque doctissimorum, & Graecorum, & Latinorum scriptorum idem confirmat: nec quispiam vnquam aliter existimasse traditur) ita vere de illo, qui ad Alexandrum regem missus est, dici potest: falso namque huic auctori inscriptus est. Eius vero non esse, praeter quam quod diuerso genere dicendi, ac varietate opinionum praeclare intelligitur, indicijs etiam non nullis, auctoritatibusq; manu tenetur: alienum enim esse non arbitror de hac re diligentius disputare, & insitum in animis plurimorum errorem sedulitate mea euellere. Primum autem Aristotelis eum non esse ostendam: deinde, qui verus eius libelli auctor sit, non malo (vt opinor) indicio, demonstrabo. In ij. igitur libro Priorum Analyticorum Aristoteles, cum de diuersis generibus signorum disputaret, inquit. τὸ γὰρ τεκμήριον, τὸ εἰδέναι ποιεῖν, φασὶν εἶναι: quibus verbis intelligitur existimasse non nullos, eam vim esse alterius signi: certioris, inquam, vt scientiam alicuius rei gigneret: nec non iudicium aliorum, sententiamq; ipsum afferre: in rhetorica autem ad Alexandrum, cum de eadem re ageretur, signorumque diuersa natura traderetur, scriptum est. ποιεῖ δὲ τῶν σημείων τὸ μὲν, οἴεσθαι: τὸ δὲ, εἰδέναι: κάλλιστον δὲ τὸ εἰδέναι ποιεῖν. Eam igitur opinionem, quam Aristoteles non valde probat, ipse recipit: siue inuentor ipsius, auctorque fuit: siue vt peruulgatam, & quae tunc maxime vigeret, secutus est: nullo modo autem, quam a se reijcit sedulo sententiam illic philosophus, vbi postea de artificio ipso, suo in loco agit, sibi asciceret, ac vindicaret. Sed etiam diuersitatem auctorum arguit, quod notam hanc certam, propriamque, qui ad Alexandrum scripsit, τεκμήριον non appellat, sed id nomen alio reseruat, nec vocabulis certas ab incertis notis distinguit: τεκμήριον namque, vt ipse aperte declarat, coniectura apud eum valet: ita namque appellat: τεκμήριαq; esse tradit quaecunque aliter gesta fuerint, atque illud, de quo tunc agitur, factum dicatur: aut cum ipsa met oratio sibi ipsi aliqua in re contraria fuerit, quod qui audiunt, illis rebus, contrarijs inter se moti, coniecturam faciant nihil veri in illis verbis, aut factis esse: Praeterea Laertius commentarios vllos de hac arte Aristotelem ad Alexandrum misisse, cum plures scriptos ab eo enumeret in vita eius, non tradit. Vt addam autem nunc cuius librum eum esse putem, Anaximenis Lampsaceni esse censeo, ductus in primis hoc argumento, quod Quintilianus in tertio libro, cum diuisionem artis dicendi traderet, quam Anaximenes hic, magni nominis rhetor, fecerat, hanc ipsam affert, quam auctor huius rhetorices probat. Verba ipsius haec sunt. Anaximenes Iudicialem, & concionalem, generales partes esse voluit: septem autem species. Hortandi, Dehortandi, Laudandi, Vituperandi, Accusandi, Defendendi, Exquirendi, quod etiam ἐξεταστικὸν dicit. Quarum duae primae, Deliberatiui: duae sequentes, Demonstratiui: tres vltimae, Iudicialis generis sunt partes. Suspicor autem in verbis his Quintiliani mendum esse, ac posterius membrum, quod ad laudem, & vituperationem pertinet, defecisse: initium vero rhetorices illius est. τρία γένη τῶν πολιτικῶν εἰσὶ λόγων: τὸ μὲν, δημηγορικόν: τὸ δὲ, ἐπιδεικτικόν: τὸ δὲ, δικανικόν, εἴδη δὲ τούτων, ἑπτά. προτρεπτικόν: ἀποτρεπτικόν: ἐγκωμιαστικόν: ψεκτικόν: κατηγορικόν: ἀπολογητικόν, καὶ ἐξεταστικόν. Mutilum autem locum esse apud Quintilianum: &, quod arbitratus sum, desiderari, confirmat, quod Demonstratiui generis partes infra exponit: eandemq; rationem persequitur, quam auctor eius rhetorices excogitauit. Anaximenem sane, magnum oratorem, cognitum fuisse Alexandro Macedoni, & salutem ab eo Lampsacenis ciuibus

suis,

suis, quibus rex ille valde iratus erat, callide extorsisse, tradit Pausanias in posteriore libro τῶν Ηλιακῶν: Aequalem vero fuisse Aristotelis, atque iisdem temporibus floruisse, mandauit litteris Diodorus Siculus in xv. libro bibliotheces: cum enim claros scientia bonarum artium viros, qui vna vixissent, exponeret: Isocratem & auditores ipsius: Aristotelem: Anaximenem Lampsacenum: Xenophontem: Aristippum, atq; Antisthenem: nec non Aeschinem Socraticum appellauit: qui tamen, si diligenter attenduntur, non omnino pares inter se aetate fuerunt: sed etiam libros quosdam suos ipsum ad Alexandrum misisse, indicio Harpocrationis cognoscitur, qui in lexico, quo vocabula ab x. Atticis oratoribus vsurpata, explicauit, inde non semel testimonium citat. scripserat autem res gestas Philippi patris: vnde etiam eosdem Philippicos vocasse videtur, vt idem declarat, qui & primum, & secundum, & quartum, & octauum Philippicorum appellat. Idem etiam memoriae proditum est a Laertio, cum vitam Anaximenis Milesij, veteris physici, exponeret: nam alteram etiam historiam composuerat Anaximenes hic, quam Ἑλληνικὰ inscripserat: eam autem cum ab ortu deorum, & primo genere hominum auspicatus esset, perduxerat vsque ad proelium, quod apud Mantineam factum est, in quo Epaminondas, fortissimus imperator, decessit. Cunctas autem res gestas, & Graecorum, & Barbarorum ille xij. libris complexus erat, vt idem Diodorus eodem in libro narrat: summo vero studio solitum eum in scribendo sectari omnes concinnitates, vt non minus belle, quam Ephorus, & Theopompus, eidem studio scribendae historiae dediti, & ab optimo harum festiuitatum magistro instituti, in orbem orationem redigeret, affirmat Plutarchus in commentario, in quo praecepta multa, ad remp. gubernandam apta, collegit: quod etiam genus dicendi, ornatum scilicet ac florens, in curiam forumque comportauit: nec enim domi tantum res gestas scripsit, praeceptaq; dicendi litteris mandauit, sed in aciem processit, iudiciaque, ac deliberationes attigit, omnique demum scribendi in genere, summus quidam, ac perfectus esse voluit: quamuis non plene, quod cupijt, praestare, atque efficere potuerit, vt memoriae prodidit Halicarnasseus Dionysius in Isaei oratoris vita, cum rationem redderet, cur multorum, qui clari eloquentia fuerant, nec paruam laudem in scribendo habuerant, vitas, formasque dicendi non explicaret: hunc enim quoque appellat. Verba autem ipsius ponam, cum formis adhuc excusa, diuulgataq; cum reliquis non sit haec non inutilis pars scriptorum Dionysij: eoq; libentius, vt memoria huius eruditi, politiq; scriptoris, cuius magnum no-
» men quondam fuit, nunc obscurata, renouetur, ac studio meo illustretur. Ἀναξιμένην δὲ τὸν Λαμ-
» ψακηνὸν ἐν ἁπάσαις ταῖς ἰδέαις τῶν λόγων τετράγωνόν τινα εἶναι βουλόμενον (καὶ γὰρ ἱστορίας γέγραφε, καὶ περὶ τῶν
» ποιητῶν συντάξεις καταλέλοιπεν, καὶ τέχνας ἐξενήνοχεν: ἅπτεται δὲ καὶ συμβουλευτικῶν, καὶ δικανικῶν) οὐ μέντοι
» τέλειον ἐν οὐδεμιᾷ τούτων τῶν ἰδεῶν, ἀλλ' ἀσθενῆ, καὶ ἀπίθανον ὄντα ἐν ἁπάσαις θεωρῶν. Vnde etiam magis hic liber, qui multam elegantiam habet sermonis conuenire illi intelligitur. Haec sunt argumenta, quae nobis persuaserunt, vt adulterinum eum librum putaremus: nisi aliquis suspicetur aliquid etiam ad idem comprobandum valere similitudinem nominum: facilis enim immutatio nominis est e vero, suoque, in falsum, & alienum nomen, cum & prima, & postrema amborum syllaba eadem sit, vt ea de causa e minus noto ad celebre, peruulgatumque nomen ab imperitis librariis transiri potuerit. Vt autem tres hos ab Aristotele scriptos firmissime asseuerare licet, ita cum pluribus voluminibus, quae ad artem dicendi pertinent, tradatur praecepisse, quaeri non sine causa potest, qui nam potissimum ex illis hi sint: nam memoriae quoque proditum est quaedam etiam ipsum ad Theodectem de hac arte scripsisse, Θεοδέκτεια nuncupata: quae tamen alij a Theodecte ipso excogitata, & litteris mandata putarent: vulgoque nunc tres hi libri illi ipsi credantur. Praeterea dicendi artes omnium superiorum ipsum collegisse, duobusque voluminibus exposuisse, traditum est. Alium quoque librum, & ipsum de arte dicendi scriptum, Gryllum vocauit: cuius meminit etiam Quintilianus: libros autem hos non esse illos, quos ad Theodectem misit, liquido affirmare possumus: in tertio namque libro docet non nulla, quae breui illic tangit, a se in Theodectijs enumerata esse: cuius etiam loci testimonio intelligitur ipsum verum auctorem eius operis esse, non confectum illud a Theodecte fuisse, vt index significare videbatur, ac multi falso opinabantur: ita enim loquens manifesto declarat libros, quos in manibus habebat, ab illis diuersos esse: si namque res aliter se haberet, dixisset ipsa a se supra explicata esse non alios libros, in quibus id factum foret, appellasset. Crederem igitur omnino hos esse, quos significauit Laertius, cum in notandis libris Aristotelis, postquam docuit ipsum fecisse etiam συναγωγὴν artium superiorum rhetorum, addidit. τέχνης ῥητορικῆς α, β: nisi numerus librorum repugnaret: ita enim quoque nunc inscribuntur: & plene absoluteque ipsis ars haec traditur: illis enim verbis indicauit scripsisse ipsum de arte dicendi duos libros: tres vero hi sunt: in totque ab eo congesta haec praecepta esse ex accurata ipsorum, aptaque diuisione intelligitur. Sed etiam veteres scriptores e tertio testimonium petunt. Restat igitur, cum Laertius nusquam ostendat Aristotelem tres de hac arte libros confecisse, vt aliquis suspicetur mendum illic in numero ipsorum esse: cum tamen plures ipse calamo exaratos, ac satis vetustos codices viderim, inueni ipsos hac in re cum excusis consentientes. Eosdem autem

hos

Hos intellexisse puto Antonium apud Ciceronem, cum in ij. de Oratore inquit, se huius etiam philosophi legisse libros, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte praecepit. Nisi potius accipiendus ita locus ille est, vt dixerit se non tres tantum hos legisse, verum omnes, quibus aliqua, quae ad artem dicendi facerent, continebantur: nam si tres solum hos significasset, satis imperite, vel ridicule potius locutus esset, dicens: quaedam de arte dicendi scripta his libris esse, qui libri plenam ipsius perfectamque scientiam tradunt. Restant duo capita, quorum alterum cum ab auctore ipso diligenter, aperteq; tractatum sit, operam nostram non magnopere requirit: intelligo autem totius operis in partes diuisionem, & tamquam animantis alicuius in sua membra dissectionem: alterum vero est, si hoc quoque quaerere hic oportuit, ad quam philosophiae ipsius partem referri debeat: neque enim scriptio haec e genere earum esse videtur, quas ille, in suo, proprioque philosophi munere manens, confecit: personam enim aliam induit, cum hoc scribere aggressus est: quod inscriptione etiam libri indicauit: vt rhetor enim aliquis praecepta dicendi dedit: &, quod plene illi, subtiliterq; praestare non potuerant, perfecte ad exitum perduxit: intimam enim artem tradidit: & quaecunq; in ipsa penitus abdita erant, aciemq; aliorum fallebant, euoluit, atque ante oculos studiosorum collocauit, cum magistri eius antea vix paruam ipsius partem attigissent: &, quae potius aliena a natura artis erant, ad deprauandosq; iudices pertinebant, explicassent. Tres igitur in libros totam rem partitus est: quorum in primo, cum tria genera dicendi fecisset, singulorum generum propositiones explanauit: demonstratis enim finibus ipsorum, quomodo, quae ad illos pertinerent, probari possent: quaque ratione eiusmodi esse confirmari, docuit: sed in extremo etiam ipso, quo modo fides fieri a rebus expertibus artificij posset, & quae oratoris industria non pararentur, accurate, demonstrauit. In altero vero commotiones animi explicauit, ac mores etiam hominum indicauit: qui variatis animi motibus, habitibus, aetatibus, condicionibusque vitae, valde immutantur: sed communes etiam locos, vnde erui argumenta possent, non minus ad hoc, quam ad illud genus apta demonstrauit: &, vt verorum, ita etiam simulatorum, adumbratorumque argumentorum. Tertij libri duas partes fecit, ac priore, quae ad ornatum orationis pertinerent, complexus est: posteriore autem de orationum partibus disputauit: cum vero artem hanc germen quoddam, & tamquam pullum ciuilis disciplinae ac differendi rationis esse velit, quod quasi e radicibus ipsarum prodeat, & ex ambabus procreata, conflataque sit, existimaret aliquis non sine causa ad partem eam philosophiae scriptionem hanc referri, quae πολιτικὴ vocata est: magna enim praesidia ex hac arte ad tuendum statum ciuitatis, eripiendamque e multis malis remp. capi possunt. Vnde etiam imperiti quidam, seu gloriae nimis cupidi, huius artis doctores, se politicos esse & scientiam administrandarum ciuitatum tenere profitebantur. Huius certe sententiae Cicero adolescens fuit: in primo namque libro de inuentione hoc manifesto tradit: eum autem quoque secutus est Quintilianus: nec ipse tantum huius iudicij fuit, verum etiam ita sensisse hunc nostrum auctorem firmiter credidit: ipsi sane hanc sententiam affingit, scribens. Sed idem & de arte rhetorica tres libros scripsit, & in eorum primo non artem solum eam fatetur, sed ei particulam ciuilitatis, sicut dialectices assignat. Cum tamen verbum id, quod expressit Quintilianus, vsurpauit Aristoteles, non ciuilis scientiae, sed rationis differendi partem rhetoricen esse affirmauit: dixit enim ἔστι γὰρ μόριον τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ὁμοίωμα: loco vero illo, quem significare videtur Quintilianus, παραφυάδα ipsam appellauit: nisi aliquis putet hoc ipsum nomen particulam eum reddidisse: nam inueniuntur etiam scripti libri, in quibus post illud legatur μέρος: quam scripturam vetus quoque tralatio sequitur: id autem declarationem translati prioris nominis fuisse quondam arbitror. Sed cum illam non minus exortam e radicibus dialectices, quam rhetorices philosophus tradat: manifestoq; infra dicat ipsam particulam esse, ac simulachrum differendi rationis, non peccaret fortasse, qui eam ad libros pertinere diceret, qui instrumenti naturam habent, quia & ipsa probare aliquid, ac firmis rationibus demonstrare velle videatur: quod sentit Simplicius, ac litteris mandauit in commentarijs in Categorias: cum enim Aristotelis operum partitionem faceret, & quae ὀργανικὰ sunt, explicaret, inquit: partim eorum esse de ratione ipsa, & via demonstrandi: partim autem tradere, quae libros illos acutissimos antecederent, vt vocata Analytica priora, & liber περὶ ἑρμηνείας, nec non Praedicamenta ipsa: partim vero de ijs, quae personam sibi induunt demonstrandi rationis: cuiusmodi sunt libri, quibus locos, ac sedes argumentor. indicauit: nec non sophisticae reprehensiones, artesq; eae dicendi. Qui igitur huic sententiae accedent, eruditissimi viri auctoritatem sequentur, nec a iudicio Aristotelis vllam in partem aberrabunt. Haec sunt, quae olim ante librorum. Aristotelis explicationem summa diligentia quaeri ab ipsius interpretibus solita erant. Prius, quam autem huius artis naturam, vimq; definiat, ac rationem ipsius tractandae, viamq; tradat, vnum, atque illud quidem definitum stratum non habere illam affirmat, sed imitari in hoc artem differendi, quae & ipsa certam nullam materiam possideret, atque in alienos fines iure quodam suo irrumperet: statimque vulgares ipsius magistros accusat, docens eos, cum se dicendi artem composuisse dicerent, exiguam ipsius partem attigisse, ac maiorem, melioremque reliquisse: vnaque

aperuit

aperuit causam, quae ipsis, vt iudiciale potissimum genus curarent, artisque praecepta magis ad illud dirigerent, persuasit. Quibus confectis vtilitatem eius constituit, docetque sine illa homines necessario saepe in magnas, iustasq; reprehensiones incisuros, & commoda multa priuata, ac publica amissuros. Dissoluit praetarea criminationem illam, qua plures saepe contra ipsam improbe vsi fuerant, affirmantes inde multa, & grauia mala rebus publicis nasci, cum facultas dicendi ad prauos, & seditiosos ciues deuenisset: ostenditque officium huius artis, partesq; non esse, vt fidem faciat, ac quod velit, semper suadeat, sed vt omnia, quae in ea causa, quam agit, ad fidem faciendam apta sunt, videat, ac nihil ipsam eorum praetereat, quod cum praestiterit, ac nihil eorum, quae adiuuare rem illam possunt, reliquerit, quamuis res aliorum culpa, aut vitio causae ipsius, quod mala sit, male cesserit, illa cumulate muneri suo satisfecit. Haec prima huius libri parte, quae prooemij naturam habet, continentur. Peractis autem his: nouo initio sumpto, veriores ac magis legitimas huius artis quaestiones adoritur, & certo, admirabilique ordine cuncta pertractat.



PETRI VICTORII DECLARATIONES IN ARISTOTELIS RHETORICES

LIBRUM PRIMUM.

Ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ.

ex altera parte respondens siue equiualens

Rhetorica versatur in iisdem rebus, in quibus dialectica.



RIMAM hanc huius libri partem, summos viros, qui ipsam interpretentur habere, constat, M. Ciceronem, & Alexandrum Aphrodisiensem: quorum alter, cum ingenuas etiam alias artes didicisset, huius maxime studij atque artificij peritissimus merito semper est habitus: alter vero ita accurate cunctos Aristotelis libros euoluit, ac tantum ingenio valuit, vt omnia obscuriora sensa eorum, & percipere ipse, & aliis declarare potuerit: dissidere tamen hi inter se in loci huius explicatione videntur. quare sententias amborum proferam, &, quid vtrumque secutum esse suspicer, ostendam. Ciceronis igitur ex oratore verba haec sunt. Atque etiam ante hunc Aristoteles, principio artis rhetoricae, dicit illam artem, quasi ex altera parte respondere dialecticae, vt hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi, latior sit: illa loquendi, contractior. Haec autem è libro primo Academicarum quaestionum ad Varronem. Huic quasi ex altera parte, oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuae, ad persuadendum accommodatae: eundem enim hunc locum manifesto intelligit, quamuis sententiam hanc Aristotelis esse, vt in oratore fecerat, non ostendat. Alexander vero in primum librum Topicorum, de dialectica loquens, inquit. Τοιαύτην δ' οὖσαν αὐτὴν, εἰκότως καὶ ἀντίστροφόν φησιν ὁ Ἀριστοτέλης εἶναι τῇ ῥητορικῇ, ἐπειδὴ κἀκείνη περὶ τὰ πιθανά: ταῦτα, τῷ ἔνδοξα εἶναι, καὶ αὐτά ἐστι τοιαῦτα: τὸ γὰρ ἀντίστροφον ἀντὶ τοῦ ἰσόστροφόν τε καὶ περὶ τὰ αὐτὰ στρεφομένην καὶ καταγινομένην, λέγει. Cum tradat hic scilicet Aristoteles dialecticam esse antistrophon rhetoricae: sit autem dialectica qualem illic descripsit Alexander, recte ipsum fecisse: rhetorica namq; circa res ad persuadendum accommodatas versatur, quae huiuscemodi sunt, ac naturam eam habent, quia conueniunt opinionibus hominum: quidquid enim sensibus iudicijsq; hominum conuenit, id etiam ad persuadendum appositum est. nam, quod ad vim nominis pertinet, ἀντίστροφον pro ἰσόστροφον positum ab eo esse vult. id autem nihil aliud est, nisi, quae versatur circa easdem res, & in illis tractandis tota occupatur. intelligit autem, quae ex opinionib. hominum sunt, & ἔνδοξα ob eam causam vocantur. Et sententiam igitur Aristotelis, & vim verbi, vnde omnis controuersia orta est, expressit Alexander. Sed ad Ciceronem reuertamur, qui, vt plane intelligitur, aliam primae partis huius nominis rationem esse credidit: est enim manifesto duplex, è duobusq; nominibus iunctum nomen. Non igitur, vt Alexander postea fecit, ἀντὶ Cicero hic, ἴσον significare putauit: quo intellectu saepe prisci Graeci capiebant, & quam vim in multis iunctis verbis habet, sed è regione & contra: hoc enim significare apud ipsum ex altera parte, perspicuũ est: aliis namq; etiam plurimis in locis, ita Cicero locutus est, & in orationibus, & in libris, quos de philosophia scripsit: exemplis enim in re plana, & quae passim obuia sit, supersedebo. Videtur igitur ita locum hunc Cicero accepisse, tamquam discriminis etiam aliquid inter has artes esse, significare hic voluerit Aristoteles: nam similes illas esse: affinesq; multum inter se, optime ipse intelligebat: id enim manifesto significauit, cum appellarit antea dialecticam, vicinam atq; finitimam rhetoricae. Sed etiam verbo idem indicasse videtur, quo hic vsus est, cũ inquit ipsam respondere: eo enim prorsus similitudo quaedam declaratur. nihil igitur protulit, si diligenter attendimus, quod verum non sit, & notioni eius nominis, & naturae rei, non quadret. Alexander enim quoq; cum similitudinem harum artium illic ostendisset, quib. rebus illae discrepant inter se, tradit. tria autẽ affert, vt facile ex verbis ipsius intelligere licet. Apsinus quoq;

quidam non ignobilis rhetor, eodem intellectu, quo cepit hic Cicero, ἀντίστροφον vſurpauit, dicens. perorationes habere ſe ἀντιστρόφως proaemijs: cum enim eadem ferè tractentur, & in principijs orationum & in perorationibus, modo tamen menſuraq; illa diſcrepare dicit. contrarijs autem in locis, & tamquam è regione illa collocata eſſe, manifeſtum eſt, cum principium orationis proaemium ſit; peroratio autem, finis & extremum. nihil tamen hic apud Ariſtotelem legitur, quod ad differentiam vllam harum artium indicandam pertineat, niſi in prima parte huius nominis id latet. verum ſi hoc docere nunc voluiſſet, veriſimile videtur, accuratius eum id, apertiusque traditurum fuiſſe. nec tam obſcurè, nomineq; demum, quod aliter quoque ſumi poſſet, id declaraturum fuiſſe. cuncta ſanè, quae infra ab eo traduntur, ſimilitudinem potius affinitatemque ingentem rhetoricae artis, cum diſſerendi ratione ſignificant: nunc enim ipſam μόριον dialectices: nunc ὁμοίωμα: nunc παραφυὲς vocat: vt cum, quaſi hunc ipſum locum interpretans, inquit. ἐστὶ γὰρ μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα, καθάπερ καὶ ἀρχόμενοι εἴπομεν: quod ſecutum Alexandrum, arbitror eum, quem antea oſtendi ſenſum ex his verbis elicuiſſe. quamuis, quod ad ſententiam potius eius loci, quam verbi vim explanandam pertineat, illic protulerit Ariſtoteles. Verbum ſanè ipſum multiplex eſt: & non ab alijs tantum, ſed ab ijſdem quoque ſcriptoribus aliter alijs in locis vſurpatum: quae res intellectum huius loci obſcuriorem reddidit. inde autem videntur & variae notiones eius nominis, & ea de cauſa diuerſae huius loci interpretationes, manaſſe, quod non vnum ſemper prima pars huius iuncti nominis ſignificat, ſed longè aliud, atque diuerſum: non ſeorſum tantum poſita, ſed cum eodem etiam verbo copulata. vt autem verius iudicium de omni hac re fiat, quid aduerbium ἀντὶ ſeiunctum valeat, & cum verbo στρέφω, vnde ἀντίστροφος formatum eſt, iunctum, videamus. ἀντὶ contra, & è regione ſaepe ſignificat: vnde ἀντίχθονες, & ἀντίποδες, qui aduerſa veſtigia noſtris habent, appellantur: è regioneque, atque è contraria parte terrae, poſiti ſint. ἀντὶ quoque valere pro, & quaſi alterius loco, manifeſtum eſt. quam vim, notionemque, cum alij verbo adhaeſit: cumq; eo conflata particula haec eſt, retinet. quod vero pro aliquo rectè capi poteſt, & illius loco poni, parem quoque vim habere, aſſimilique natura praeditum eſſe exiſtimatur. inde ortum videtur, vt aequalitatem interdum, & ſimilitudinem valeat: quod apud priſcos Graecos praecipue in vſu fuit. qui (vt plures ſcriptores tradúnt) ἀντίθεον, & ἀντίχειρα dicebant, cum aequalem deo hominem, & pollicem aequalibus viribus cum reliquis digitis praeditum, ſignificare vellent, quaſi ἰσόθεον, & ἰσόχειρα. ijdem quoque, idem ſecuti, ἀντιάνειραν mulierem vocabant, quae viribus corporis ac virtute, viro aequaretur. Cum igitur ἀντίστροφος primam ſui partem, quae è regione, atque è contraria parte valeat, habet, totum verbum ſignificat, quod inquit Cicero, ex altera parte reſpondens: quomodo Demetrius Phalereus in libro de elocutione videtur cepiſſe, vbi de pedibus orationis diſſerit: dicit enim alterum illum paeana, qui fini ambitus, clauſulaeque accommodatus eſt, priori, qui principijs conuenit, ἀντίστροφον eſſe: cum enim tribus correptis, & vna producta ſyllaba, ambo conſtent: productam tamen eorum alter, in principio ſyllabam habet: alter vero, in fine, vt reliqua eadem ſint: haec tantum contrarietas in ipſis conſpiciatur, vt vterlibet ipſorum alter prorſus retro actus ſit. nec non in ſecundo de ortu animantium (vt alia nunc, quae ex ipſo & aliis bonis auctoribus exempla ſumi poſſent, omittam) frigus, quod in cerebro viget, collocatum illic dicit, ἀντίστροφον calori, qui è corde manat: quaſi oppoſitum & obiectum, & quod illi reprimendo in contraria ſede conſtitutum ſit. Cum vero eadem ſanè in compoſitione eius nominis pars, quae tamen pro valeat ſumpta eſt; tum, vt cenſent eruditi ſcriptores: cunctique interpretes Ariſtotelis, Alexander, Hammonius, Philoponus, ſignificat ἀντίστροφον, quod circa idem verſatur, quaſi ἰσόστροφον; quod in eadem re materiaque tractanda occupatum eſt: ea ratione, qua antea oſtendi. Valet etiam (quod hinc ductum videri poteſt) ἀντίστροφον, ἀνάλογον: quodque proportione alicui reſpondet; ea namque, quae ſibi proportione reſpondent, res pari coniunctas affinitate complectuntur. Ariſtoteles certè ita in libris ſuis de repub. hoc verbum cepit: in quarto namque libro inquit, (de poſtremo genere dominationis paucorum loquens.) ἔστιν ἀντίστροφος αὕτη ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις, ὥσπερ ἡ τυραννὶς ἐν ταῖς μοναρχίαις. καὶ περὶ ἧς τελευταίας εἴπομεν δημοκρατίας ἐν ταῖς δημοκρατίαις. illud vero popularis ſtatus genus dixerat eſſe ἀνάλογον τῶν μοναρχιῶν τῇ τυραννίδι. Infraque idem repetens ait. καὶ τὸ τέταρτον εἶδος τῆς ὀλιγαρχίας τοῦτό ἐστιν, ἀντίστροφον τῷ τελευταίῳ εἴδει τῆς δημοκρατίας. quod manifeſto valet ἀνάλογον. in tertio quoque libro de ortu animantium: quae duram teſtam ſolidamque habent in mari, reſpondere dicens ſtirpibus, & ijs, quae oriuntur è terra, naturam ipſam habere ἀντίστροφον ait, quo verbo nihil aliud ſignificare voluit, niſi, vt ipſe met indicat, ἀνάλογον: eo namque verbo, idem infra repetens, vtitur. Haec copioſius explanare inutile mihi viſum non

eſt:

est, vt vis huius loci melius perciperetur: intelligereturque, quae res magnos auctores in eius declaratione, inter se aliquantulum dissentire fecisset, ac posset vnusquisque, quem vellet, sectari. ipse sanè huius iudicij sum, vt putem omnino Ciceronem similitudinem harum artium ostendere voluisse, cum & Zenonis morem illum retrulit, & Aristotelis testimonium è principio huius libri citauit. quamuis de contrarietate quoque harum artium illic locutus sit. quod, quin verum sit, negari non potest: quamuis hic ab Aristotele tactum non videatur: planum enim id erat, & ab omnibus firmiter credebatur, cum & alij earum doctores, & diuersi vsus forent. similitudinem potius illarum, quae à multis non perspiciebatur, aperire & explanare oportebat. in quod cuncti hi scriptores ostendendum incubuerunt. Cicero ipse cum perfectè eloquentis putaret esse, disserendi quoque rationem tenere, omnia facere debuit, vt non valde illas artes inter se discrepare demonstraret: eaque de causa, cum de eo aliquantulum disputasset, ad auctoritates eruditissimorum hominum confugit. Zeno quidem certè existimari debet coniunctionem illarum ostendere voluisse, cum id, quod Cicero exponit, fecit. quasi ita ostenderet ipsas alijs omnibus in rebus similes esse: idque tantum inter illas discrimen versari, quod ipse manu demonstraret: errareque eos, qui ipsas nulla re, aut exigua, coniunctas arbitrarentur, cum maior esset earum societas, quam discrepantia. Quintilianus quoque id fuisse consilium ipsius existimauit, cum in secundo libro ,, idem narrans, inquit. quas quidem Zeno adeo coniunxit, vt hanc, compressae in pugnum ,, manus: illam, explicitae diceret similem. nam de Aristotelis mente, iudicioque dubitari non potest. qui, vt antea declaraui, & vt manifesto intelligitur, omnibus modis, quibus potest, similitudinem illarum vicinitatemque ostendere conatur. nec id non intelligebat Cicero, aut aliam vllam ob causam huius loci mentionem fecit: suspicionem tamen eruditis meritò affert, ne aliter senserit, cum eius rei naturam potius, quam quod hic traderetur ab Aristotele spectans, addit, ex altera parte: siue hoc consilio fecerit: siue, vt non sine causa arbitrari quis posset, è frequenti notione eius particulae, ex qua verbum illud iunctum est, & qua totum quoque ita compositum, praeditum esse consueuit, abductus fuerit. cum potuisset commodè id, & rationi suae, eiq; quod tunc ostendere volebat, certè vtilius, reticere: apertius enim vicinitatem affinitatemq; illarum comprobasset, si relicta contrarietate, quae inter ipsas versatur, similitudinis tantum mentionem fecisset: quod liberius etiam, tutiusque facere poterat: cum is, cuius testimonio vtebatur, & ipse eam reticuisset: omninoque, nisi huius loci sententiam se afferre ostendens, id protulisset, reprehendi à nemine posset. periculum est ne lapsus aliquantulum sit, cum affinxerit Aristoteli, quod hic ab ipso traditum nullo modo videtur. Quamuis autem Graeca harum artium nomina Cicero libenter vsurpet, tamen quomodo illae Latinè dici possent, quandoque etiam cogitauit: nec tamen Latinum verbum par Graeco inuenit. Sed illarum vim potius pluribus expressit, prioremque dicendi, posteriorem autem, disserendi rationem appellauit. Cum res satis certa sit, exemplis hoc, quorum magna copia mihi, si vti velim, se offert, non confirmabo. Quae hucusque scripta sunt, adnotaui, cum primum incubui in declarationem horum librorum. libet nunc illis adiungere, non noui aliquid, sed quod valet ad veterem sententiam meam auctoritate doctorum confirmandam: non enim defuerunt, qui aliter senserint de principio hoc libri. saepe igitur tota re tanto temporis spatio in animum reuocata, opinionibusque aliorum excussis, magis aperire opinionem meam, ac (quod verum arbitror) libere enunciare, vtile esse existimaui: prorsus enim credo iudicium Alexandri, veri fidelisque interpretis nostri summi philosophi, in cunctis ipsius monimentis, sequendum esse, qui subtiliter exquisiteque totum hunc locum explicauit: quis enim nescit aetate M. Ciceronis scripta Aristotelis parum cognita fuisse, non Latinis tantum scriptoribus, verumetiam Graecis? cum ea non multo antea in lucem prodiissent: neque adhuc nacta essent accuratos declaratores, quales postea extitere post tot saecula non nulli, in quibus etiam primum locum, sententia ferè omnium, Aphrodisiensis tenuit, vt taceam M. Tullium, in vita valde occupata, hoc praestare nullo modo potuisse, qui non paucis huius auctoris in locis, & proprijs nostri operis, & philosophiae ipsius, deceptus est. liceat mihi, non paruo amatori ipsius, veritatis gratia, ita loqui. nam disertis quoque Graecis magistris dicendi, libros de arte hac diligenter euolutos perceptosque non fuisse, vt philosophis quoque philosophiae, testimonio eiusdem cognitum habemus, cuius haec verba sunt in epistola ad C. Trebatium, qua misit ad eum Topica, quae scripserat, rogatus vt hoc faceret. Rhetor autem, ille magnus (vt opinor) Aristotelea se ignorare respondit: quod quidem minime sum admiratus, eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, praeter admodum paucos, ignoretur. Sed nolo in hoc longior esse, ne falsò puter mutasse consilium in iudicio faciendo de eximio Romano

oratore: velleque nunc, quem semper ornaui, ac vetustate deformatum, pro viribus perpoliui, eiusdem laudem gloriamq; conterere. quae autem faciunt ad huius loci plenam explicationem, ab Alexandro cuncta egregiè tractata sunt, vt minime oporteat aliquid illis modo addere.

Ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσὶν, ἃ κοινὰ, τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν.

Ambae namque de huiuscemodi quibusdam rebus agunt, quas cognoscere aliquo modo commune est omnium.

His verbis docet similes ipsas inter se ac finitimas esse: cum enim neutra harum artium certam aliquam, ac definitam materiam habeat, sed versentur ambae circa res probabiles, & quae opinionibus hominum conueniunt, similitudo ipsarum affinitasque hinc manifesto intelligitur: commune enim hoc habent, quod non vnum aliquod, ac certum stratum possident, sed latè vagantur; in diuersarumq; artium fines irrumpunt. vnde aliquo modo multitudini quoq; materies illarum nota est: ceterae autem artes ac scientiae, cum suum quoddam ac definitum stratum habeant, in illo explicando totae occupatae sunt: neque extra ipsum pedem vmquam ponunt. Et disserendi namque & dicendi ars in huiuscemodi rebus versantur, quae à cunctis hominibus intelligi ac cognosci possunt. non tamen subtiliter, acuteque ab illis, sed crasso modo, ac tamquam per caliginem perspiciuntur: γνωρίζειν hic (nisi fallor) actionem non significat, sed πάθος potius, quomodo Attici scriptores saepe loquuntur.

Καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης.

Et nullius definitae scientiae.

Nemo omnino excluditur à cognitione, & crassa quadam intelligentia rerum dialecticarum, ac rhetoricarum, sed in communi omnium sensu positae illae sunt, nec definitam aliquam scientiam habent, à qua solum pertractentur: vt numeri exempli gratia sunt, qui ab arithmetica, & magnitudinum affectus, qui à geometria tantum traduntur: harum enim rerum ratio his solum, qui eas scientias didicerunt, cognita est.

Διὸ καὶ πάντες τρόπον τινὰ, μετέχουσιν ἀμφοῖν.

Quapropter & cuncti aliquo modo participes sunt ambarum.

Quod passim fieri videmus (inquit) aliunde non nascitur, cunctos scilicet homines aliquo modo participes eorum esse, quae ab ijs artibus exquisitius geruntur: nisi enim illae in rebus tractandis, quae à multitudine etiam aliquo modo intelligi ac cognosci possent, occupatae forent, imperiti homines & qui ipsis percipiendis operam non dedissent, eas non tangerent: nec partem aliquam illarum sibi asciscerent, vt in alijs subtilioribus artibus scientijsq; fieri manifestum est; prorsus enim illae remotae sunt ab vsu vulgi: & idiotae, expertes earum omnino sunt. Eandem autem sententiam propè ijsdem verbis protulit in libro περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων, vbi de munere eius agit, qui studio temptandi excutiendique alios tenetur: vt enim ipsum in omnes artes irrepere probet, sumit nullam esse artem, quae non peruulgatis communibusque quibusdam rebus vtatur, διὸ πάντες καὶ οἱ ἰδιῶται, τρόπον τινὰ χρῶνται τῇ διαλεκτικῇ: καὶ πειραστικῇ: πάντες γὰρ μέχρι τινὸς ἐγχειροῦσιν, & quae sequuntur. Eum autem locum Graecus eius libri interpres non negligenter exponit: quem tamen falsò nunc Alexandrum Aphrodisiensem putant: & in excusis libris ipse auctor eius laboris fuisse traditur: id verò facilè multis modis refelli potest. Ostendit autem, quicunque ille fuit, cum hunc maximè locum declararet, se in libros quoque hos de arte dicendi commentarios confecisse. Quintilianus (vt puto) quod hic Aristoteles inquit, τρόπον τινὰ, aliquo modo, reddidit. „ Saltatur, ac cantatur per omnes gentes aliquo modo. Cicero quoque in secundo de Oratore ita locutus est. „ Quis enim hæc vel non facilè, vel certè aliquo modo, posset ediscere: cum labore tamen ac molestia aliqua ibi significare voluit. τρόπον autem τινὰ hic (vt arbitror) hoc sensu dixit: quamuis enim imperiti homines eadem, quae periti faciant, non tamen eodem modo ea tractant: sed tamquam simulachrum rerum illarum habent, quas perfectè absoluteque tenent, qui ijs artibus inuigilarunt.

Dialectica et Rhet. qui dicant. scie coes

Πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν καὶ ὑπέχειν λόγον, καὶ ἀπολογεῖσθαι καὶ κατηγορεῖν, ἐγχειροῦσιν.

Cuncti

Cuncti enim vsque quo & exquirere & sustinere rationem, & defendere & accusare aggrediuntur.

VT probet cunctos homines vmbram saltem dialectices, ac rhetorices tenere, docet neminem esse, qui inquirere in alius dicta, ac quod ipse protulit, aliquo modo tueri, contra studium eius, qui conuellere conetur, non possit. quemadmodum etiam, qui defendere se ipsum, insimulatum alicuius criminis, & alium accusare non queat. prima autem duo ad dialecticum pertinent: ad oratorem vero ea, quae sequuntur. ἐξετάζειν hic appellat, quod in libro περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων, ἀνακρίνειν dixit; πάντες γὰρ μέχρι τινὸς ἐγχειροῦσιν ἀνακρίνειν τοὺς ἐπαγγελλομένους. cuncti (inquit) eatenus aggrediuntur, ad certumque aliquem locum quasi discutere eos, qui aliquid se scire profitentur, ac quid illi intelligant, interrogationibus elicere conantur. ἐξετάζειν enim inquirere in aliquam rem aut hominem, significat. in primo quoque libro Topicorum Aristoteles, ab hoc verbo formato, nomine vsus est, cum ἐξεταστικὴν artem illam esse tradidit, idest naturam habere, vt in omnes ab omnibus editas voces, sententiasque inquirat, &, si quid in illis vitij sit, perscrutetur. exquirere reddidit Quintilianus, in tertij libri loco illo, qui supra me adductus est. ὑπέχειν vero λόγον valet sustinere quaestionem: & quod dixeris, contra studium aduersarij verum esse tueri. ita multis locis locutus est Aristoteles: vt initio primi libri Topicorum, & in sophisticis elenchis. appellant hunc vulgo (nisi fallor) tenere conclusionem. Demosthenes tamen modum hunc loquendi in iudicium transtulit, ac pro Ctesiphonte inquit. ταῦτα ἀναμνήσω, καὶ τούτων ὑφέξω τὸν λόγον.
„ idest haec commemorabo, & horum rationem reddere non recuso. Haec igitur dialectici officia esse admonui: ἀπολογεῖσθαι autem καὶ κατηγορεῖν sunt oratoris: ambae vero hae artes & aduersarium premere possunt, & se ipsas tueri: vt enim accusat improbos, innocentiamque suam defendit orator, ita dialecticus reddi sibi rationem postulat eorum, quae quisque enuntiarit, atque ipse reddere paratus est: nec minus instructus esse ad alterius argumenta refellenda, quam ad sententias suas confirmandas debet. Munus igitur oratoris, cum alteri periculum creat: nefarieque se in aliqua re gessisse ostendit, respondet muneri dialectici, cum in alicuius sententiam aliquam inquirit, ac rationem eius poscit, seduloque contra eum argumentatur. Cum autem ipse affert causas, cur ita sentiat, & argumentis resistit, muneri alteri oratoris, cum se bonum virum: nec culpae illi, cuius insimulatur, affinem esse docet.

Τῶν μὲν οὖν πολλῶν, οἱ μὲν εἰκῆ ταῦτα δρῶσιν: οἱ δὲ διὰ συνήθειαν, ἀπὸ ἕξεως.

E numero multorum, hi quidem temere haec agunt; hi autem, propter consuetudinem, ex habitu.

CVM ostendisset omnes homines participes aliquo modo esse vtriusque artis, rationem nunc, modumque declarat, quomodo eas obtineant, qui artis praecepta non didicerunt: neque enim omnes eodem pacto illis vtuntur. è numero igitur (inquit) multitudinis, imperitorumque, partim fortuito inconsiderateque haec gerunt: partim autem habitu quodam animi, qui diuturno vsu, tractationeque harum rerum conficitur: qui enim diu in aliqua cura, opereque versati sunt, consuetudine facti, melius faciliusque illa administrant.

Ἐπεὶ δ' ἀμφοτέρως ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι εἴη ἂν αὐτὰ καὶ ὁδοποιεῖν.

Postquam autem ambobus modis contingit, perspicuum est licere ipsa via munire.

VRGET propositum suum: pergitque rem eo deducere, vt probet artes harum rerum confici posse: quoniam enim (inquit) vtroque modo, variisque his rationibus idem contingit tractare, planum iam nobis est, posse haec via rationeque tradi, & in artem redigi: quod, quomodo administrari debeat, statim declarat. Cum autem in excusis antea libris foret, ἀμφότερα, vt in scriptis etiam quibusdam, ἀμφοτέρως, quemadmodum in melioribus, antiquioribusque codicibus inueni, emendaui. Hanc quoque lectionem sequitur vetus tralatio. Ad hunc autem locum videtur Cicero respexisse, cum in secundo libro de oratore
„ inquit. Etenim cum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant: non nulli

" autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam, callidius id faciant, " non est dubium, quin, si quis animaduerterit quid sit, quare alij melius, quam alij dicant, " id possit notare. Non tamen, vt fidus interpres eum expressit, sed ex Aristotelea hac, quam ipsi commodum fuit, sententiam conformauit, ac rationi suae illic eam accommodauit: quae multum sane ipsius retineret: non eadem tamen omnino foret: nam, cum Platonis locum è Timaeo verteret Cicero, quod εἰκῆ illic erat, inconsideratè, ac temerè, dixit. Est autem hic Aristoteli εἰκῆ, nulla adhibita cura, sine vlla cogitatione. quod Cicero casu & fortui- " to dicere consueuit. In primo libro de oratore. Nam si subitam & fortuitam orationem, commentatio & cogitatio facile vincit. infra quoque Aristoteles, se idem aduerbio hoc significasse indicauit, cum illud varians: quod tamen idem valeat sumens, inquit. καὶ οἱ ἀπὸ ταυτομάτου. quod vero hic ταῦτα δρῶσιν, ait, expressit Cicero: ac, quid illud esset, aperuit: inquit enim. Causas in foro dicunt: non sine causa tamen indefinitè locutus est Aristoteles: de muneribus enim pariter dialectici, atque oratoris disserebat. Cicero ad oratorem tantum, de quo tunc sermo erat, transtulit. sed siue hunc locum sibi proposuerit Cicero: siue non proposuerit, vt omissa omni hac animaduersione, Aristotelis verba expendamus: sensus eorum hic est: quod cum quidam fortuito temereque, cum res tantum poscit, ac necessitas aliqua premit, ei incumbentes: quidam vero consuetudine adipiscantur, vt dialectici, aut oratoris opus commode efficiant, dubium non sit, quin illa possint explanari: atque arte comprehendi. Vnde fiat enim (inquit) vt & qui consuetudine, & qui casu haec aggrediuntur, efficiant, quod volunt, ac propositum sibi finem consequantur, diligenter animaduerti potest: causamque huius rei indagare licet: neque enim, qui quidpiam rectè facit, quamuis id habitu animi, consuetudineque faciat, ex arte id statim facere dici potest, nisi causam illius, rectè a se administrati operis, teneat. Argumento autem hoc nobis est, munia illa dialectici, ac rhetoris, quae supra appellauit, in artem redigi posse: neque enim tantum vsu consuetudineque videmus quosdam illa commodè obeuntes (ita enim id in accurata quadam solum eius rei obseruatione positū arbitraremur: nec vllum artificium eius rei extare, sed experientiam tantum vsumque) neque fortuito solum: quis enim id vmquam artis esse, aut ab ea proficisci putaret, quod non, nisi casu fieri tractarique videret? verum quoniam vtrumque contingit, facultatem, vt ipse inquit, habemus, huius rei notandae: causamque ipsius subtiliter spectandae: cur scilicet tam diuersis rationibus idem praestari possit: illa autem inuenta, artem confecerimus: in causae enim scientia atque explicatione omnis vis, & natura artis manet. Munire viam, atq; aditum patefacere ὁδοποιεῖν, & Aristoteli & alijs bonis auctoribus significat. Ipse in primo libro μετὰ τὰ φυσικῶν, cum traderet priscos physicos nullam aliam causam, nisi quae in materie sita esset, vidisse. nam postea re ipsa docente, & latiorem viam inuestigandae veritatis faciente, subtilius id studium tractari coepit. Προϊόντων δὲ οὕτως, αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὡδοποίησεν αὐτοῖς καὶ συνηνάγκασε ζητεῖν. quod siquis vocem ipsam exprimere vellet, non incommodè in viam redigere, & methodum, diceret. nam ὁδὸν etiam ordinem ipsum, & progressum, qui scientiam imitatur, appellauit, vt in secundo libro Topicorum. Ὁδῷ γὰρ μᾶλλον, καὶ ἐν ἐλάττοσιν ἡ σκέψις. Cum autem plerunque significet ὁδοποιεῖν, quod dixi, hic tamen potius valere videtur, via & ordine aliquam rem tradere.

Δι' ὃ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν, οἵ τε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ ἀπὸ ταυτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται.

Quo pacto enim adipiscuntur, & qui per consuetudinem, & qui casu, causam contingit videre.

CAVSAM enim inquit, videre possumus, cur & qui consuetudine docti accuratius: & qui inconsiderate faciunt: id tamen, quod volunt, efficiunt: ac propositum sibi finem adipiscuntur. facultatem habemus diligenter cogitandi, vnde fiat, vt tantopere diuersi inter se, nihilominus assequantur propositum: &, quod temptarint, ex sententia conficiant. Sunt libri manu scripti, in quibus legatur. τούτου τὴν αἰτίαν: quam lectionem sequitur vetus tralatio.

Τὸ δὲ τοιοῦτον ἤδη πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν τέχνης ἔργον εἶναι.

Huiuscemodi autem iam cuncti faterentur artis opus esse.

HOC autem ipsum inquit, huiuscemodique omne, nemo iam inficiabitur, quin munus artis sit:

Ex longo usu et obseruatione Artē ēe conflatā

Necesse ē sciatur causa quis, ut aliquid dicatur fieri ex arte

sit: ars enim est, quae causas rerum subtiliter quaerit: & cur aliqua efficiantur, rationem reddit. Argumentum vero hoc sumpsit Quintilianus, cum Rhetoricen artem esse probare volens, inquit. Qua in re alius se inartificialiter: alius artificialiter gerat, in ea esse artem. inartificialiter autem appellauit, quod hic Aristoteles ἀπὸ ταυτομάτου: & artificialiter, quod idem διὰ συνήθειαν vocauit, non valde venustis & elegantibus verbis: nec satis apposite rem ipsam exprimentibus: & Cicero etiam de oratore. Sed quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam obseruasse:

Νῦν μὲν οὖν οἱ τὰς τέχνας τῶν λόγων συντιθέντες, ὀλίγον πεποιήκασιν αὐτῆς μόριον.

Nunc igitur, qui artes dicendi composuerunt, pusillam ipsius partem confecerunt.

In rhetoras sui temporis inuehitur, qui rem stultam prorsus, & absurdam commiserant: cum enim dicendi rationem se explicaturos polliciti essent, atque artem scribere prae se tulissent, parum, aut nihil artis attigerant, sed tempus omne triuerant in rebus, ab arte alienis, vt ipse manifesto declarat, tradendis. Quod ad similitudinem, rationemque sermonis pertinet, vt Aristoteles hic συντιθέντες τέχνας, ita etiam Cicero in Bruto. Totumque se ad artes componendas transtulisse. Cum vero antea excusi αὐτοῦ hic haberent, αὐτῆς emendaui, vt in pluribus, ac fidelioribus scriptis libris inueni. quam lectionem confirmat etiam vetus tralatio, quae suo in exemplari habuit τέχνην singulari numero, non τέχνας. Praeterea respondet sententiae & verbis illis, quae de hac re leguntur apud Sex. Empiricũ. ea vero supra posita sunt, Vidi etiam in quib. πεπορίκασιν, non πεποιήκασιν scriptum sit: quam scripturam vetus tralatio videtur sequi. in margine quoq; antiquissimi libri varia haec lectio eadem manu adnotata est: οὐδὲν, ὡς εἰπεῖν, πεπορίκασιν αὐτῆς μόριον. nec tamen repudiandam receptam lectionem censeo: valet enim hic, vt puto, πεποιήκασι fabricarunt: moliti sunt, illi totam artem se composuisse videri volebant; cum tamen, si quis diligenter attenderet, exiguam ipsius partem construxissent: ποιῆσαι enim huiuscemodi quoque res pangere, ac moliri significat: vt in extremo libro, quo fallaces conclusiones refelli docuit, cum scriptionem, quae contineret omnem artem disserendi, intelligens, inquit, ταύτης δὲ τῆς πραγματείας, οὐ τὸ μὲν, ἦν: τὸ δ', οὐκ ἦν προεξειργασμένον: significat enim προεξειργασμένον, studio aliorum laboreque antea confectum. Qui vero alteram maluit, hoc (vt opinor) spectauit: vt tamquam de inuentoribus ipsius Aristoteles loquatur, qui paruam eius partem excogitare, & aliis praebere potuerant. Non defuerunt autem, qui (vt opinor) hunc ipsum locum attendentes, criminari voluerint nostrum doctorem, quod nimis concise, vel imperfecte potius descripserit artem dicendi, tradens illam esse artem λόγων. nam contra eam sententiam ab aduersariis afferebatur, medicinam quoq; esse artem λόγων ἰατρικῶν. vnde percipiebatur definitionem illam communem vitiosamque esse. Huic autem occurrebant alij, pro auctore hoc stantes, qui aiebant medicinam, orationem illam suam referre ad alium finem, idest corporis sanitatem. quod non facit rhetorice, quae dilucide est orationis ars: nec alium praeterea finem habet. hoc tradit Sex. Empiricus cap. πρὸς ῥητ. cuius haec verba sunt. Ἀριστοτέλης ἐν τῷ πρώτῳ ῥητορικῶν τεχνῶν ἁπλούστερον παραδίδωσι τὴν ῥητορικὴν τέχνην λόγων, & quae sequuntur. Vere etiam contra hos dici posset, non esse hanc veram definitionem: nam infra, vbi accurate vim huius artis euoluit, aliter exquisitiusq; multo ipsam definit.

Αἱ γὰρ πίστεις, ἔντεχνόν ἐστι μόνον: τὰ δ' ἄλλα, προσθῆκαι.

Probationes enim tantum sunt artis participes: cetera vero, appendices.

Ex omnibus enim inquit, quae ad persuadendum valent, probationes tantum artis participes sunt: reliqua, quae sumuntur, additamenta & appendiculae sunt: neque artificio hoc vllo modo continentur. ne dum autem aliae multae res, quae fructum saepe ferunt oratoribus, artis compotes sint: è probationibus etiam ipsis non nullae, quod infra Aristoteles docebit, carent arte: & ἄτεχνοι ab ipso vocantur. Quintilianus quoque de hoc queritur, quod aetatis suae oratores hanc partem, in qua totos illos occupari oporteret, aut omnino relinquant, aut negligenter admodum tractent. Pars altera probationum, quae est tota in arte: constatque rebus, ad faciendam fidem appositis, plerumque aut omnino negligitur, aut leuissimè attingitur ab ijs, qui argumenta, velut horrida & confragosa vitantes, amaenioribus locis desident. nec tamen vitio id fieri scriptorum artis

Probationes artis esse pro- prias

artis docet, qui potiorem partem in artibus tradendis omisissent, sed ignauia oratorum, ac detrectatione laboris: illi enim delicati facti, arduam hanc difficilemque rem fugitabant. Cum vero excusi antea vnitatis numero προσθήκη haberent, secutus fidem antiquissimi libri & aliorum etiam scriptorum codicum, diuerso numero, eodem casu, προσθῆκαι emendaui. Demosthenes quoque in posteriore olynthiaca, cum Philippi regis vires extenuare vellet, hoc ipso verbo vsus est, dicens. Macedonum opes regnumque, si aliis copiis viribusque aggregentur, & tamquam appendicula quaedam cogitentur, non leuem vim habere ad illas ornandas: si vero solae sint, posse facile contemni: nec aliquid roboris in se habere. ὅλως μὲν γὰρ ἡ Μακεδονικὴ δύναμις καὶ ἀρχὴ, ἐν μὲν προσθήκης μέρει, ἐστί τις οὐ μικρά, & quae sequuntur.

Οἱ δὲ περὶ μὲν ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσιν, ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως: περὶ δὲ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος, τὰ πλεῖστα πραγματεύονται.

Hi autem de enthymematibus nihil dicunt, quod sane est corpus probationis: de his vero, quae sunt extra rem, plurima praecipiunt.

DOCET verum esse, quod dixerat, qui artes dicendi composuerant, reliquisse partem eius, quae artificio continebatur, persecutosque esse, quae applicata illi, & annexa aliunde erant: de enthymematibus namque nihil praecepisse eos dicit, quod corpus roburque affirmat esse rerum probandarum, maioremque partem sui studij posuisse in rebus, quae extra causam essent, explicandis. qui autem hoc faciunt, cum tradituros se artem polliciti sint, merito reprehenduntur: eique culpae obnoxij sunt: cuius ipse eos insimulat: omittunt enim illud, quod scriptionis ipsorum proprium erat: librosque suos implent praeceptis extra rem tradendis. Enthymemata autem probationum corpus appellat, idest solum, & quasi fundamentum faciendae fidei: quamuis enim aliis rebus fides fieri possit, nulla tamen res tantam vim habet, & maioris ponderis est. Reliqua, quae excogitata ab oratoribus sunt ad hanc rem apta, multo minus valent, & sine illis enthymematicus officio suo fungi posset, ac facile probare, quod vult. qui autem rebus illis abundaret, nec argumentorum rationem haberet, saepe frustra laboraret. Cupiens igitur Aristoteles ostendere robur enthymematum, & imbecillitatem aliarum partium, eleganter, acuteque hoc verbo vsus est. Cicero nunc Graeca voce, nunc Latina, ei respondente, μεταφορικῶς librum, volumenque è pluribus rebus, aut orationibus confectum, appellauit. Ad Atticum. Hoc totum σῶμα, curabo vti habeas. ad Lucceium. A principio enim coniurationis vsque ad reditum nostrum, modicum quoddam corpus confici potest. Quamuis autem ab eadem re simile duxerint, diuersa tamen magnos hos auctores translata hac voce significare voluisse, planum est. πραγματεύονται, valet hic scribunt, pertractant: vt infra, οὐδὲν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἄλλο πραγματεύονται. nihil aliud in suis illis libris agunt: vnde πραγματεῖαι scriptiones, commentationesque, & ab hoc ipso, & ab aliis bonis auctoribus vocantur.

Διαβολὴ γὰρ, καὶ ἔλεος, καὶ ὀργὴ, καὶ τὰ τοιαῦτα πάθη τῆς ψυχῆς, οὐ περὶ τοῦ πράγματός ἐστιν.

Criminatio enim, & misericordia, & ira, & huiuscemodi affectus animi, non de re sunt.

QVI naturam perturbationum, quae πάθη Graeci appellant, cognitam non haberet, falli hic posset, & existimare διαβολὴν commotionem animi esse. quamuis igitur Aristoteles addat, καὶ τὰ τοιαῦτα πάθη τῆς ψυχῆς, criminationem non videtur intellexisse: neque vnam ex illis esse voluisse: sed posteriores duas tantum res, idest misericordiam & iracundiam, ceterasque, quae eandem naturam haberent, complexum esse: quemadmodum enim vtile est oratoribus conturbare animos iudicum, ita etiam criminari aduersarium, aut criminationem dissoluere. In tertio libro, vbi de proaemiis agit, quod non nihil hanc sententiam adiuuat, eundem ordinem seruat, & eodem loco haec appellat: ante enim de criminatione loquitur: post autem, quomodo possimus conciliare nobis iudicem & auditorem, & iratum eundem aduersario facere, docet. Hanc non malam rationem esse

esse putaui huius loci explicandi. qui autem complecti quoque πάθη criminationem, tueri vellet, illuc confugere (vt arbitror) deberet: vt diceret, Aristotelem πάθη cuncta appellare, quae contra aduersarium proferuntur, & potius in iudicum animis, vt ratio ipsius poscit, conformandis, quàm perdocendis, manent.

Ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστήν.

Sed ad iudicem tendunt.

VIDETVR hic Aristoteles, ad iudicem haec omnia referri, dicens, largè loqui: nec enim eo sensu capit, quo multis locis & πρὸς τὸν δικαστὴν, & πρὸς τὸν ἀκροατὴν cepit. sed ita vocat quaecunque extra causam, ac rem sunt: & ad iudicem aliquo modo commouendum pertinent: neque enim si hic πρὸς τὸν δικαστὴν, quae iudicis personam attingunt, valeret, in illis locum criminatio haberet: quae quomodo ab ijs, quæ sequuntur, seiungi possit, non video. Hoc enim, quod inquit ad iudicem ea referri, manifestò complectitur criminationem: criminatio namque in aduersarium iacitur, vt in iij. libro, loco, quem antea indicaui, docet. aut ab aduersario antea in eum, qui agit oblata, sedulo ab ipso depellitur. πάθη sunt, quae personam iudicum & eorum, qui audiunt, attingunt. Verum, quoniam, si diligenter attendimus, cum criminamur aduersarium, propositum habemus animum iudicis ab eo alienare: nullaque alia de causa id facimus, nisi vt iudicem ipsum in aduersarium incendamus, non sine causa & criminatio ipsa ad iudicem pertinere dicitur.

Qui recitat ad commouendum iudicem non est de arte

Ὥστ' εἰ περὶ πάσας ἦν τὰς κρίσεις, καθάπερ ἐν ἐνίαις τε νῦν ἐστι τῶν πόλεων, καὶ μάλιστα ταῖς εὐνομουμέναις, οὐδὲν ἂν εἶχον ὅτι λέγωσιν.

Quapropter, si in omnibus locis, in quibus iudicia fiunt, seruaretur, quod nunc in quibusdam ciuitatibus, & maxime bonis legibus instructis, nihil haberent, quod dicerent.

ERROREM magistrorum illorum ostendit, qui praecepta ea dicendi traderent, quæ multis in locis nihil valerent: ac si consentirent homines inter se id facere, quod honestum ac rectum esset, vtilitatem nullam prorsus haberent. imbuti (inquit) hac praua disciplina, si quod in non nullis ciuitatibus fit, praesertimque bene institutis, in omnibus foris locisque, vbi iudicia exercentur, seruaretur, ex arte, quam didicerunt, verbum facere non possent. quid autem id sit, aperit.

Reprehenditur dum insistit in commouendis affectib.

Ἅπαντες γὰρ οἱ μὲν, οἴονται δεῖν οὕτω τοὺς νόμους ἀγορεύειν: οἱ δὲ, καὶ χρῶνται.

Cuncti enim, hi quidem arbitrantur oportere sic leges iubere: hi vero hoc instituto vtuntur.

CVNCTI enim (inquit) mortales vitium hoc intelligunt: nec rectum esse putant digredi oratores à proposito, atque in rebus, quae extra causam sint versari; nec tamen omnes eodem pacto se homines, nationesque gerunt: partim enim vellent huic malo remedium legibus adhiberi: partim, quod honestum esse sentiunt, id gerunt: nec permittunt oratoribus vt liberè euagentur, & animos iudicum deprauent. si exemplum igitur horum reliqui, qui, quod probant, non imitantur, sequi voluerint, omnis ab his oratoribus susceptus labor in praeceptis illis ediscendis, inanis fuerit. Eodem autem, quo hic verbo vsus est, iterum hoc
„ ipso in libro, de legibus item loquens. περὶ ὧν μὲν οἱ νόμοι ἀγορεύουσι: nec non in v. de moribus
„ ad Nicomachum: οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ ἁπάντων. vt autem ἀγορεύειν leges, ita etiam λέγειν
„ quandoque dixit: vt in eodem libro. ὅτι περὶ ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν, οὐ χαλεπὸν συνιέναι. nam χρῶνται,
vtuntur, hic significare arbitror, & Cicero in primo libro de oratore, cum, quod hic verbum
„ hoc valet, exprimere vellet, vti, dixit. Qui quibus rebus vtilitas reipub. pararetur, augereturque teneret, ijsque vteretur, hunc reip. rectorem. Superiores illi, de quibus locutus est Aristoteles, quid rectum esset, tenebant: nec tamen culpam legum emendabant. hi vero vtebantur scientia illa, nec se, quod oporteret, frustra intelligere patiebantur.

Καὶ κωλύουσιν ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν, καθάπερ καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ.

Et vetant extra rem dicere, veluti in Ariopago.

A Atheniensibus cauendum legibus ne iudicem ... de quo sententiam laturi essent, et ... aduerterit. ...

NEC potestatem faciunt oratori, vt quicquam extra causam & id, de quo quaeritur, dicat: vt Athenis fit in curia, quae vocatur Ariopagus. Athenaeus δειπνο. libro xiij. docet, Athenienses plebiscito cauisse, ne, qui pro alio diceret, peroratione vteretur, nè vt iudices illum, de quo sententiam laturi essent, cernerent, aegrè ferentes Phrynem meretricem iudicio elapsam, arte & calliditate Hyperidis oratoris: qui eam, capitis ream, defendit. tota historia ab eo copiosè explicatur, quam breui in ij. libro Quintilianus tetigit. Lysias quoque in apologia contra Simonem, testatur in Ariopago vetitum fuisse, quae extra rem essent, dicere: qui iisdem „ etiam verbis, quibus hic Aristoteles, vtitur. ἔχοιμι δ᾽ ἂν καὶ ἄλλα πολλὰ εἰπεῖν περὶ τούτου, ἀλλ᾽ „ ἐπειδὴ παρ᾽ ὑμῖν οὐ νόμιμόν ἐστιν ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν. & quae sequuntur; ad areopagitas autem oratio illa habita est. Pollux praeterea in viij. libro idem affirmat: de ariopago enim lo„ quens inquit. προοιμιάζεσθαι δὲ οὐκ ἐξῆν; οὐδὲ οἰκτίζεσθαι. Quintilianus vero lib. ij. Et Athenis „ quoque, vbi actor mouere affectus vetabatur.

Ὀρθῶς τοῦτο νομίζοντες: οὐ γὰρ δεῖ τὸν δικαστὴν διαστρέφειν, εἰς ὀργὴν προάγοντας, ἢ φθόνον, ἢ ἔλεον.

Recte hoc statuentes: neque enim opus est iudicem distorquere, in iram compellentes, vel inuidiam, vel misericordiam.

LAVDAT eos, qui certis terminis claudere oratorem volebant: & aut oportere putabant hoc legibus caueri: aut eo, tamquam firmum iam ac ratum foret, vtebantur: vetabantq; digredi a materia dicentem, ac recte ipsos de hac re existimare affirmat: non enim oportere inquit iudicem distorquere, quod manifesto faciunt, qui motus hos turbidos in animis ipsorum excitant, & aut irasci faciunt, aut inuidere, aut misereri. ita autem de iudice loquitur, vt si de ligno aliquo loqueretur. & id verbum, quod corpori accōmodatum est, ad animum transfert: vis enim adhibetur animis iudicum ab oratore, & postquam commoti sunt, facilè possunt flecti & è recto proposito deduci. Theophrastus cum de materia caedenda vitioque aut virtute ipsius in v. lib. stirpium historiae praeciperet, hoc saepe verbo vsus est, vt „ cum de certis quibusdam lignis loquens, inquit. ταῦτα δὲ πρὸς τὰς διαστροφὰς ἀσφαλέστατα, „ idest maximè contra vitium distortionis tuta sunt; quo consueuit alia materies laborare. eo„ dem verbo vsus est Aristoteles in iij. lib. de rep. καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει. excandelcentia animi ac furor peruertit magistratum gerentes, animosque illorum deprauat.

Ὅμοιον γὰρ, κἂν εἴ τις, ᾧ μέλλει χρῆσθαι κανόνι, τοῦτον ποιήσει στρεβλόν.

Simile namque essent ac si quis, qua deberet vti regula, hanc efficeret contortam.

Comparatur iudex regulae rectissimae

CVLPAM eorum, qui ita se gerant, redarguit: similique, ab arte fabrorum sumpto, & ad rem ante oculos ponendam valde apto, quantopere illi peccent, declarat. Huiuscemodi enim (inquit) quidam faciunt, ac si quis, qua vti norma in dirigenda materia debet, hanc sponte obliquam reddet ac deprauabit. Lucretius quoque lib. iiij. ab eadem re simile duxit: eandemque sententiam copiosè, eleganterque exposuit: Denique, vt in fabrica, si praua est regula prima, & quae sequuntur.

Ἔτι δὲ φανερὸν, ὅτι τοῦ μὲν ἀμφισβητοῦντος οὐδέν ἐστιν ἔξω τοῦ δεῖξαι τὸ πρᾶγμα ὅτι ἐστιν, ἢ οὐκ ἔστιν: ἢ γέγονεν, ἢ οὐ γέγονεν.

Praeterea perspicuum est, nullas alias esse partes eius, qui controuersatur, quam ostendere rem esse, aut non esse: vel factam esse, aut non factam.

Officium oratoris esse docere iudicē non mouere

LAVDARAT Aristoteles eos, qui facultatem non praeberent oratoribus digrediendi: quod omne studium illorum in peruertendis iudicibus versaretur; oratoresque eos, qui id temptarent, peccare ac praue facere docuerat. Eundem nunc locum vrget: nouoque argumento ad id probandum vtitur, a persona oratorum sumpto: declarat enim eosdem illos egredi ex officio suo, ac tangere ea, quae muneris ipsorum non erant: nec enim illi verbum facere debent, nisi ad rem explicandam confirmandamque necessarium. Quomodo enim (inquit) si intra suos fines manere orator vult, praescribere ille vmquam iudicibus, quid de quaque re sentire illos oporteat, potest? cum partes illius tantum sint explanare, ac docere rem aut esse, aut non esse, de qua controuersia est: aut, si de praeteritis rebus agitur, factam aut non factam fuisse.

Εἰ δὲ μέγα ἢ μικρὸν, ἢ δίκαιον ἢ ἄδικον, ὅσα μὴ ὁ νομοθέτης διώρικεν, αὐτὸν δή που τὸν δικαστὴν δεῖ γινώσκειν, καὶ οὐ μανθάνειν παρὰ τῶν ἀμφισβητούντων.

Si autem magna, vel parua, vel iusta, vel iniusta, quaecunque, qui scripsit leges non definijt, ipsum profecto iudicem scire oportet, non discere a controuersantibus.

SIT ne autem magna res, de qua existimari debet, an parua: aequa, an iniqua, ipsum sua vi decet iudicem intelligere, non perdoceri ab ijs, qui controuersantur inter se, ac de illis rebus in iudicium veniunt: quod si haec etiam conatur probare, qui dicit, improbe atq; insolenter facit. quod vero addidit: quaecunque lator legis non definijt, nec quanta qualiaque essent, statuit, hoc vt (opinor) valet. Iudicem enim quoque ipsum, cum res patitur, ex arbitrio suo de his rebus statuere non oportet, ne dum orator sine culpa hoc facere possit: leges enim spectare debet, & ipsarum voluntatem sequi. verum quia non omnia scriptores legum complecti possunt, quae ab ipsis relicta sunt, ipse iudex expendere debet, non actoris disputationi de illarum natura stare: malè enim se res habet, cum iudex ex actoris sententia de rebus decernit; nec verè vnquam statuere de vi ipsarum potest. Animaduertendum autem tangere hic Aristotelem, de quib. existere controuersias putat. ἀμφισβητήσεις ipse vocat: Graeci magistri dicendi, στάσεις; acerrime enim contenditur in iudicio, facta ne res sit, an non facta: vt qualitas ipsius magnitudoq;, si factam conceditur, quaestionem gignit: tres enim, quamuis alij plures fecerint, credidit ipse status esse causarum. Ita vero se rem habere infra suis locis declarabitur.

Μάλιστα μὲν οὖν προσήκει τοὺς ὀρθῶς κειμένους νόμους, ὅσα ἐνδέχεται, πάντα διορίζειν αὐτοὺς, καὶ ὅτι ἐλάχιστα καταλείπειν ἐπὶ τοῖς κρίνουσι.

Maxime igitur conuenit recte scriptas leges, quaecunque res patitur, cuncta definire ipsas: & quam paucissima relinquere in arbitrio eorum, qui iudicant.

NON valde confidit iudicibus Aristoteles, & scit illos saepe, aut insidiis oratorum deprauari, aut propriis vtilitatibus moueri. Quare pauca in potestate eorum, vt iudicia recta fiant, relinqui vult: cunctaque, quae res concedit, a legibus definiri. Sed alias etiam causas adducit, cur in primis in legibus scribendis studium summum ponendum sit: ac cuncta, quae fieri possunt, ab ipsis definiri debeant.

Πρῶτον μὲν, ὅτι ἕνα λαβεῖν καὶ ὀλίγους, ῥᾷον ἢ πολλοὺς εὖ φρονοῦντας, καὶ δυναμένους νομοθετεῖν καὶ δικάζειν.

Primum quidem, quia vnum nancisci, & paucos, facilius est, quam multos, qui prudentes sint: valeantque leges scribere, & de causis existimare.

CUR plurimam diligentiam in legibus condendis adhiberi velit, ostendit: meliusque in hoc operam poni, quam in iudicibus legendis putet, ac tribus argumentis vtitur. primum a personis ipsis ducitur, & legum scriptorum, & iudicum: reique ipsius perficiendae facilitate: cum enim nec leges condere, nec iudicare res possint, nisi prudentes homines, legesque pauci multas scribant, ac saepe etiam vnus optimis legibus ciuitatem totam ornarit: iudices vero, nullas leges sequentes, sed arbitrio suo sententias ferentes, & ipsi legum latores fiant: de ipsa enim re, de qua ita statuunt legem scribunt, natura ipsius vique subtiliter perspecta. & alij praefiniunt, quid de illa sentire ac iudicare oporteat, procliuius est vnum paucosque huiuscemodi prudentia praeditos, quam multos inuenire. Munus proprium iudicis esse vult, lites ac controuersias audire, & ex oratione actorum diiudicare, facta res, aut non facta sit: affinis illi crimini reus, aut non affinis, sit: statimque animum ad leges conuertere, & ea paena, quam illae statuerunt, afficere. qui autem de eo iudicant, quod legibus definitum non sit, duplex munus sustinent, legis latorum, ac iudicum. nam ipsi coguntur statuere, qua paena flagitium illud dignum sit: quod latoris legis officium erat; & ea paena, qui id commisit, afficere. non facile autem est, qui praeclare ambo haec praestare possint, inuenire. Cum ad seueritatem iudices impelleret Lysias, deterreretque, ne a legibus discederent, admonuit eos officij ipsorum: dixitq; coactos esse, vt scriptis legibus starent, non nouas aliquas rogarent, quasi, qui id facerent, legis latores repente è iudicibus fierent. quod hic etiam tradit Aristoteles.

stoteles. verba ipsius ex oratione contra Alcibiadem haec sunt, εἴτῳ δοκεῖ μεγάλης ζημίας εἶναι καὶ λίαν ἰσχυρὸς ὁ νόμος, μεμνῆσθαι χρὴ ὅτι οὐ νομοθετήσοντες περὶ αὐτῶν ἥκετε, ἀλλὰ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους ψηφιούμενοι.

Ἔπειθ' αἱ μὲν νομοθεσίαι, ἐκ πολλοῦ χρόνου σκεψαμένων γίνονται: αἱ δὲ κρίσεις, ἐξ ὑπογύου.

Deinde legum scriptiones, cum multo antea tempore de rebus cogitarint, fiunt: existimationes autem ex illo ipso.

Alterum á Tempore

ALTERVM argumentum, cur magis scriptis legibus, quam sententiis eorum, qui res iudicant, standum sit: vt enim res omnis bene intelligatur, multum iuuat diu de illa cogitasse: quod enim subito cognosci non potest, longa accurataque animaduersione percipitur. hac igitur quoque parte praestant scriptiones legum, iudiciis certorum hominum: illae enim, cum multo ante tempore de vi illius rei quaesitum est, fiunt: existimationes hominum, subitae ac repentinae plerunque sunt: vixque pusillum temporis adipiscuntur, vt secum versare illi possint, quid statuendum de vnaquaque re sit. angustias vero temporis bonis consiliis, verisq; iudiciis inimicas esse, manifestum est. verba aperta sunt, ac modus loquendi satis frequens. vt autem ἐκ πολλοῦ χρόνου nunc inquit, ita etiam saepe boni auctores, tempore suppresso, id tamen ostendere volentes, ἐκ παλαιοῦ dicunt: nam ὑπόγυον, quod propinquum est: & aut modo praeteriit, aut iam aduentat, significat: Isocrates in Panegyrico: καὶ λέγοντας τοὺς μὲν, ὡς ἐξ ὑπογύου γέγονεν αὐτοῖς ἡ παρασκευή: & in Antidosi. ἤδη δὲ ὑπογύου μοι τῆς τοῦ βίου τελευτῆς οὔσης.

Ὥστε χαλεπὸν ἀποδιδόναι τὸ δίκαιον καὶ τὸ συμφέρον καλῶς, τοὺς κρίνοντας.

Quapropter arduum est proferre, quod iustum sit, & quod conferat bene, eos, qui existimant.

Tertium á Rebus ipsis

HIS igitur de causis molestum est, valdeque arduum, & in foro & in senatu aut contione, aequitatem tueri, ac reip. vtilitatem, illos, qui ipsi suo ex ingenio de singulis rebus existimant, non legum voluntatem spectant. manifesto autem hic Aristoteles de iudiciis, ac deliberationibus agit, quod ex finibus horum generum perspicitur: nam verbum κρίνειν commune amborum est: quod multis etiam Aristotelis ipsius exemplis intelligi licet. aduerbium καλῶς cum superiore sententia coniungi debet, non cum verbo, quod sequitur: possunt enim dici sententiae in senatu, ac saepe dicuntur subito, ac nulla animi prouisione: non tamen recte: & iudicari de vno quoque facto in foro a iudicibus repentè, non tamen hic quoque recte: aut magno omnino cum labore, raroque.

Τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ὅτι ἡ μὲν τοῦ νομοθέτου κρίσις, οὐ κατὰ μέρος: οὔτε περὶ τῶν παρόντων, ἀλλὰ περὶ μελλόντων τε καὶ καθόλου ἐστίν.

Maximum autem omnium est, quod existimatio legis latoris non est de singulis rebus: neque de his, quae praesentes iam sunt, sed de rebus futuris, & quae in vniuersum fiunt.

TERTIVM argumentum hoc est, quo idem probat, a rebus ipsis, vel potius ingeniis homi num, ductum. Qui leges enim scribunt, incorrupte de rebus iudicant, & sine amore, & odio, aliisque affectibus, de vna quaque re statuunt. qui in foro de crimine, facinoreue aliquo sententiam ferunt, a quo id commissum sit, sciunt. vix igitur possunt integrè iudicare: eorum enim, quos amamus, flagitia minuimus: contraque inimicorum leues etiam culpas, ma gnas facimus. Quod igitur in primis valet inquit: maximique momenti ad hoc confirman dum est, quia existimatio legis latoris, non est de rebus, quae in parte geruntur: praesentesq; iam sunt: verum de futuris, & quae in vniuersum fiunt. Cum autem receptam lectionem retinuerim, quid varietatis hoc in loco inuenerim, indicare nunc volo: verba namque illa οὔτε περὶ τῶν παρόντων, a cunctis scriptis libris absunt: nec vllum praeterea eorum vestigium est in vetere tralatione. videbunt igitur accurate studiosi viri, ex ingenio ne a recentiore aliquo illa restituta putent, an negligentia olim a librariis omissa: quamuis enim planior recepta lectio sit, antiquae tamen quoque, si quis eam tueri velit, locus esse potest. Quod enim

imprimis

in primis facit, vt integrius existiment de rebus legis latores, quam iudices, est, quod de his, aut illis rebus in parte non statuunt, sed in vniuersum. quamuis non nihil etiam ad id valeat, quod non de praesentibus, sed de futuris rebus existimant. Quare hoc, quod maiorem vim habet in remouendis rebus, quibus illi non deprauantur, ponere potuit: in ostendendis autem, quibus adiuuarentur, addidit, existimare illum de rebus futuris, non de iis, quae in vniuersum fiunt tantum. Ambabus autem his rebus iam appellatis, infra vtriq; parti respondit, cum officium senatoris: eiusq; qui ad multitudinem loqueretur, exponens: declaransq; eum vtraque re impediri, inquit, ipsum & de rebus, quae iam sunt, & personis quoque definitis verba facere atque existimare.

Ὁ δ' ἐκκλησιαστὴς καὶ δικαστὴς ἤδη περὶ παρόντων καὶ ἀφωρισμένων κρίνουσι.

Qui autem in contione, quique causas iudicant, iam de rebus praesentibus, & definitis existimant.

DVO tantum genera appellat, ac demonstratiuum relinquit quod supra quoque fecisse ipsum admonui: respondet autem omnis hic sermo illi: omisit enim illic quoq; demonstratiui finem. Qui in deliberatiuo quid vtile sit, existimat, ac de ea re sententiam dicit, non senator ab Aristotele, sed contionalis appellatur: consuerant enim ferè Graeci, certè Athenienses, in contionibus de rep. statuere. Cicero pro Flacco. » Graecorum autem totae respublicae sedentis contionis temeritate administrantur.

Qui in deliberatiuo quid u[…] sit existimat eaq; de re sententiam dicit non senat[…] ab A[…]le sed concionalis d[…]

συναιρέομαι

Πρὸς οὓς καὶ τὸ φιλεῖν ἤδη καὶ τὸ μισεῖν, καὶ τὸ ἴδιον συμφέρον συνήρτηται πολλάκις.

Erga quos & diligere iam, & odio prosequi, & propria vtilitas connexa est saepe.

HIS vitijs laborare iudicia perspicuum est: ac multis saepe damno fuit habere iudices parum amicos. Declarat hoc quoque Cicero pro Marcello elegantissime: & si de aliis iudicibus illic loquitur, qui existimatores verius appellarentur. conuenit autem id quoq;, ac multo fortasse magis, his, qui in foro sedent, ac de litibus sententias ferunt. Serui igitur (inquit) ijs » etiam iudicibus, qui multis post seculis de te iudicabunt, & quidem haud scio an incorru» ptius, quam nos: nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia iu» dicabunt. Arbitror autem intelligi hic debere ἐκκλησιαστὰς καὶ δικαστὰς, quos paulo ante appellauit, vt significare voluerit, qui in contione de rep. sententias dicunt, & in foro causas iudicant, non sincere res iudicare, sed personae illorum πάθη plerumque haerere: quae integrum incorruptumq; de rebus iudicium facere ipsos non sinant. πρὸς οὓς igitur, idest σὺν τῷ κρίσεων, vt ad locutionem, qua prius vsus fuerat, redeat. Non amor vero tantum ac cupiditas, ceteraeque animi perturbationes iudices deprauant: ab eoq; quod rectum est, abducunt: sed propriae etiam, quod addidit, vtilitates, ac commoda amicorum, cognatorumque: nam vtile etiam reip. consilium repudiant quandoq; ciues, si rei ipsorum priuatae aduersum est: neque possunt seuere in foro in alicuius scelus animaduertere, qui eidem culpae affines sunt. συνήρτηται, simul aptum connexumque est, & diligere, & quae sequuntur. Vt nec amor: nec odium: nec vtilitas rerum suarum, seiungi fere possit ab illis, qui de rebus, quae factae iam definitaeque sunt, statuunt. Raro enim contingit, vt quorum illae sunt, aut non diligas, aut non odio habeas: aut non putes etiam, quomodo de illis statuas, aliquo modo tua interesse. Antequam illae fierent, aut cum indefinitae adhuc erant, hi motus animorum deprauare iudicium non poterant. cum vero iam eo venerunt, vt factas videre possis, & ad quas personas pertineant, intelligas, subito animi nostri commouentur: atque in ipsis, aut amor, aut odium existit, aut suorum commodorum cogitatio.

Ὥστε μηκέτι δύνασθαι θεωρεῖν ἱκανῶς τὸ ἀληθές.

Vt non amplius liceat videre satis veritatem rerum.

VT nullo pacto amplius veritatem rerum intelligere, ac videre iudices satis queant: his enim rebus impediuntur, ac propriis vtilitatibus occaecantur: ἱκανῶς addidit, significare (vt opinor) volens, non penitus ipsis lucem eripi: facultatemque earum rerum aliquo modo intelligendarum. Sed non posse ipsos, ita affectos, plene perfecteque eas perspicere, & vt muneri, quod sustinent, iudicandarum rerum, conuenire videbatur: ἀληθὲς autem aequum iustumque significare planum est: hic autem (vt arbitror) intellexit non tam aequum, quamuis aequum etiam, quam vim vniuscuiusque rei, de qua iudicaturi sunt, ac certum iudicium de ea facere, quodque ab omni errore alienum sit, verum videre dixit. sic etiam in » tertio libro de republica locutus est, cum haud dissimilem huic sententiam efferret. ἀλλὰ » μὴν ἐπάγονται γε ἐφ' ἑαυτοὺς οἱ ἰατροὶ κάμνοντες, ἄλλους ἰατρούς: καὶ παιδοτρίβαι γυμναζόμενοι, παι» δοτρίβας: ὡς οὐ δυνάμενοι κρίνειν τὸ ἀληθὲς, διὰ τὸ κρίνειν περὶ τῶν οἰκείων, ἐν πάθει ὄντες. Θεωρεῖν

autem videre quandoq; reddidit Cicero: vt in secundo libro de Oratore, cum de Graecis sa- » pientiae studiosis loquens, inquit. Seseq; & videndi res obscurissimas, & bene viuendi, & » copiose dicendi, rationem hominibus daturos pollicerentur.

Ἀλλ' ἐπισκοτεῖν τῇ κρίσει τὸ ἴδιον ἡδὺ, ἢ λυπηρόν.

Sed offundere tenebras existimationi propriam voluptatem, aut dolorem.

VALET ἐπισκοτεῖν, tenebras afferre, & caliginem offundere alicui rei: quo verbo eleganter vsus est Demosthenes in secunda Olynthiaca: statimq; quid intelligere voluerit, aliis, trans- » latis tamen & ipsis, verbis explanauit. ἀλλ' οἶμαι νῦν ἐπισκοτεῖ τούτοις τὸ κατορθοῦν· αἱ γὰρ εὐπραξίαι » δειναὶ συγκρύψαι, καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη: & Isocrates in oratione de pace: τὸ γὰρ πρὸς χάριν » ῥηθὲν ἐπισκοτεῖ τῷ καθορᾶν ἡμᾶς τὸ βέλτιον. Tegit igitur, occulitq; naturam rerum voluptas, aut animi dolor, nec sinit nos ingenij nostri acumine vere de illis existimare. Cum autem sinceram hanc huius loci lectionem esse putem, quomodo tamen in scriptis plurimis libris inuenerim, indicabo: sunt enim plures, in quibus ἐπισκοπεῖν legatur: quam scripturam etiam reddit vetus tralatio: id autem eo libentius admonui, vt intelligatur maculam in hac parte multis antea seculis insedisse. Integritas vero receptae inde etiam cognosci potest, quod in eadem translatione mansit: offusis enim tenebris, quae antea praeclare cernebantur, amplius videri non possunt.

Quid et quantum iudici permittendum

Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων, ὥσπερ λέγομεν, δεῖ ὡς ἐλαχίστων ποιεῖν κύριον τὸν κριτήν· περὶ δὲ τοῦ γεγονέναι, ἢ μὴ γεγονέναι· ἢ ἔσεσθαι, ἢ μὴ ἔσεσθαι· ἢ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι, ἀνάγκη ἐπὶ τοῖς κριταῖς καταλείπειν· οὐ γὰρ δυνατὸν ταῦτα τὸν νομοθέτην προϊδεῖν.

De alijs igitur, quemadmodum dicimus, opus est quam paucissimis, dominum facere existimatorem: facta autem res sit, siue non facta; vel futura sit, siue non futura: vel sit, siue non sit, necesse est in potestate existimantium relinquere: neque enim fieri potest, vt haec, qui scribit leges, prouideat.

HAEC est repetitio quaedam: clausulaq; eorum, quae ab eo iam dicta erant, vt ipse aperte narrat: cum enim multis de causis suspectam habeat fidem iudicum: intelligatq; illos a vero abduci rebus quibusdam, quae legum latores nequeunt deprauare, quaecunq; fieri possunt, ipsis eripere vellet, potestatiq; legum latorum committere: verum, quia non nulla sunt, quae pertinent etiam ad magnitudinem rei exiguitatemq;: nec non aequitatem, aut iniquitatem facti intelligendam, de quibus legum latores statuere non possunt, haec, quoniam ita necesse est, iudicibus relinquit: admonet autem, vt supra quoq; fecerat, ne plura sint, quam necessitas cogat: nam de illis laborare non oportet: facta, non factaue res sit: futura an non futura: haec enim omnino potestati iudicum permittenda: neque enim res patitur, vt legis lator haec prouideat.

Εἰ δὲ ταῦθ' οὕτως ἔχει, φανερὸν ὅτι τὰ ἔξω τοῦ πράγματος τεχνολογοῦσιν, ὅσοι τἄλλα διορίζουσιν, οἷον τί δεῖ τὸ προοίμιον ἢ τὴν διήγησιν ἔχειν, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον μορίων.

Si autem haec ita se habent, apertum est, quae sunt extra rem in artibus suis praecipere omnes illos, qui alia explicant, veluti quid oportet proaemium vel narrationem habere, atque aliarum vnamquamque partem.

SI res (inquit) hoc pacto se habet: quaeq; a nobis disputata sunt, vitio carent, ac recte conclusa sunt, dubium esse nemini potest, quin, qui de aliis rebus in artibus suis agunt, ea, quae extra propositam materiam sint, pertractent. διορίζουσιν, explicant hic valet: vt saepe ipse loquitur: hinc enim deductum est, quo passim vtitur διωρισμένων τούτων. idest his rebus explicatis, praescriptisque: nam distinguere etiam significare hoc verbum, apertum est: ipsum enim » expressit (vt arbitror) Cicero cum in oratione in L. Pisonem inquit. Graecus primo distin- » guere, atque diuidere illa, quemadmodum dicerentur.

Οὐδὲν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἄλλο πραγματεύονται, πλὴν ὅπως τὸν κριτὴν ποιόν τινα ποιήσωσι· περὶ δὲ τῶν ἐντέχνων πίστεων, οὐδὲν δεικνύουσι.

Nihil

Nihil enim in ipſis aliud gerunt, niſi vt iudicem qualem efficiant. de probationibus autem artificioſis, nihil oſtendunt.

MAGISTRI enim inquit, iſti dicendi, cum rationem tradunt conficiendorum exordiorum: aut quae narratio ceteraeq; partes orationis requirant, docent, nihil aliud ſtudent, niſi, vt iudicem, aut quicunq; ille ſit, ad quem agi debet, vt res ipſorum fert, afficiant: nihil autem praecipiunt de argumentationibus, probationibusq;, quae artis participes ſunt: haec (vt opinor) ſententia eſt huius loci. Ποιόν τινα quod inquit, quodam modo affectum ſignificauit: paſſim autem ita loqui Ariſtotelem, cuncti, qui in ipſius libris aliquantulum verſati ſunt, nouerunt: homines enim ποιοί τινες ab eo appellantur, qui his, aut illis moribus praediti ſunt, aut ita conformatum ingenium habent: & vt homines, ita etiam facta, quae ab ipſis proueniunt, quaſi eaſdem qualitates redolentia, ita vocantur.

Τοῦτο δ᾽ ἐστιν, ὅθεν ἄν τις γένοιτο ἐνθυμηματικός.

Hoc autem eſt vnde aliquis fieret ſatis inſtructus argumentis.

ERROREM illorum, ſeu calliditatem potius refellit: qui, quod proprium eſſet artis huius relinquerent, & in aliis rebus, in quibus malitiae illorum locum haberent, praecepta contererent: debebant enim in probationibus artificioſis perdocendis ſtudium ponere. quibus cognitis oratores copia argumentorum abundarent: &, quod verum robur eſt ipſorum, enthymematici fierent.

Διὰ γὰρ τοῦτο, τῆς αὐτῆς οὔσης μεθόδου περὶ τὰ δημηγορικὰ καὶ δικανικά: καὶ καλλίονος καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα, περὶ μὲν ἐκείνης οὐδὲν λέγουσι: περὶ δὲ τοῦ δικάζεσθαι, πάντες πειρῶνται τεχνολογεῖν.

Ob hoc enim, cum eadem ſit ratio circa deliberationes & forenſes cauſas: ſitque pulchrior & magis ciuilis, quae pertinet ad deliberandum, quam, quae ad hominum contractus, de illa quidem nihil dicunt: de cauſis autem iudicandis, omnes experiuntur aliquid artibus ſuis complecti.

CONSILIVM aperit ſcriptorum artis, & vnde fieret, vt relicto deliberandi genere, explicandae rationi iudiciorum illi totos ſe traderent, oſtendit: cum enim rationem dicendi ſe explanaturos eſſe demonſtraſſent, illaq; non minus verſetur circa deliberationes, quam circa iudicia, cur in altera tantum parte laborarent? Declarat etiam aliunde ipſos nullam cauſam id faciendi habuiſſe, niſi aſtute agerent: relinquebant enim pulchriorem partem, reiq;p. regendae accommodatiorem, & ad humiliorem ſe conferebant. In qua etiam re exponenda animaduertendum ipſum extenuare voluiſſe partem rhetorices: quae genus iudiciale tradit, cum τὴν περὶ τὰ συναλλάγματα vocauit: quae in pactis hominum, atq; iis, quae priuatim contrahunt inter ſe, iudicandis, tenui negotio, tota occupata eſt. Cauſa autem huius rei eſt, quod ea, quae tenebant, non tam magnos fructus in deliberationibus, quam in iudiciis ipſis ferebant: nec genus hoc dicendi tam malitioſum inſidioſumque eſt: id enim infra ſignificauit Ariſtoteles, cum inquit, ὅτι ἧττόν ἐστι πρὸ ἔργου, &c. quae pars huic reſpondet, & multis in medio poſitis hanc ſententiam abſoluit. Partem autem artis, quae quomodo ſententiae dici in ſenatu, & contionibus debeant, docet, honeſtiorem ſpecioſioremque eſſe putat: maiorem enim dignitatem habet, de pace, belloque agere, ceterisq; publicis negotiis, quam in litibus aut iudiciis, priuatisque aliis rebus occupari. Nam ſententia etiam ſua publica commoda procurare, atq; ea ſuadere, quae vniuerſae ciuitati proſint, ſplendidius eſt, quam vnius, alteriusue ſalutem, ſuo ſtudio tueri: illa enim omnia pulchriora ſunt, quae in plures redundant. Quod πραγματείαν appellat, hoc verbo ſaepe vtitur, atq; ita vocat opus accurate confectum, ſiue potius, quod adhuc ſub incude eſt, & fit: tractationemq; ipſam operis, & diligentem alicuius ſtudij explicationem. Initio Topicorum. ἡ μὲν πρόθεσις τῆς πραγματείας (inquit) μέθοδον εὑρεῖν, & quae ſequuntur. Animaduertendum an Cicero, cum in primo de oratore inquit, Illud autem eſt huius inſtitutae ſcriptionis, ac temporis, πραγματείαν exprimere voluerit.

Ὅτι ἧττόν ἐστι πρὸ ἔργου τὰ ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν ἐν τοῖς δημηγορικοῖς.

Quia minus eſt operae pretium, quae ſunt extra rem dicere in deliberandi genere.

QVIA (inquit) non magno adiumento est in deliberandi genere, quae extra causam sunt dicere: in quo ipsi multum valent: nec praestat, relictis propriis rebus in illis manere, quae extra sumuntur: &, si aliquid prodest, parum prodest: multo minus quam in altero illo genere dicendi.

Καὶ ἧττόν ἐστι κακοῦργον ἡ δημηγορία δικολογίας, ἀλλὰ κοινότερον.

Et minus est loci malitiae in deliberando, quam in litibus iudicandis, sed est communius.

SED etiam id genus dicendi calliditatum versutiarumque minus capax, neq; eae malitiae in eo locum habent, quae in litibus iudiciisq; adhibentur. quare, hoc intelligentes, dicendi magistri se ab eo remouent, & illuc se conferunt, vbi dolis, fallaciisq; suis latus campus est: in quibusq; se exercuere, cum magno fructu omnia explicant. In contione autem, & in senatu verba facere magis commune ac populare esse, inquit, quam forensis dictio sit: apertior enim illic planiorq; est progrediendi modus: & qui imperitos quoq; non valde latere possit. Ratio iudiciorum nihil simplex aut sincerum habet: multisq;, ac prauis artibus instructa est: quibus peruertere fidem iudicum solet. quare facile possunt illic fallacias praui oratores adhibere. Κοινότερον appellari, quod a multitudine quoq;, atq; imperitis tractatur, testimonio etiam Ciceronis confirmatur, qui in epistola quadam ad Atticum, cum de scriptis suis loqueretur, &, ad quos ea mitteret, cogitaret (non pauci autem familiares ipsius scribi sibi aliquid ab eo cupiebant) Graeco hoc verbo vsus est. Ad Dolabellam, vt scribis, ita puto faciendum: κοινότερα quaedam, πολιτικώτερα, faciendum certe aliquid est: valde enim desiderat.

Ἐνταῦθα μὲν γὰρ ὁ κριτὴς περὶ τῶν οἰκείων κρίνει. ὥστ' οὐδὲν ἄλλο δεῖ, πλὴν ἀποδεῖξαι, ὅτι οὕτως ἔχει, ὥς φησιν ὁ συμβουλεύων.

Hic enim, qui existimat, de suis propriisque rebus existimat. quapropter nihil aliud oportet, praeterquam demonstrare rem ita se habere, vt inquit, qui consilium dat.

HOC in genere (inquit) idest in deliberationibus, qui audit, de suis ac propriis rebus existimat. quare cum ipsius res agatur, non se capi facile patitur dolis ac fallaciis oratoris. omnia igitur hic rhetoris artificia irrita forent, ac subito exploderentur. hoc ipse intelligens, illud non aggreditur, & in aptiore sibi genere commoratur. κριτὴν vocari ab Aristotele communi nomine, qui in cunctis generibus dicendi iudicat atq; existimat, aut de causa, aut de sententia, aut de ingenio oratoris, infra declarabitur.

Ἐν δὲ τοῖς δικανικοῖς οὐχ ἱκανὸν τοῦτο, ἀλλὰ πρὸ ἔργου ἐστὶν ἀναλαβεῖν τὸν ἀκροατήν: περὶ ἀλλοτρίων γὰρ ἡ κρίσις.

In iudicijs autem non satis est hoc, sed praestat aucupari auditorem: de alienis enim existimatio fit.

QVOD in consiliis sat est, ostendere rem ita se habere, vt suades; argumentisq; confirmare sententiam tuam vtilem reip. esse, in iudiciis satis nullo modo est. sed saepe propriis causae rebus relictis, praestat conciliare sibi iudicem; atq; excipere animum ipsius: quod insidiis illis facile efficitur; parui enim sua refert, quid de eo statuatur, quod in iudicio versatur; aliorum enim res, non ipsius agitur.

Ὥστε, πρὸς τὸ αὑτῶν σκοπούμενοι, καὶ πρὸς χάριν ἀκροώμενοι, διδόασι τοῖς ἀμφισβητοῦσιν, ἀλλ' οὐ κρίνουσι.

Quare, ad rem suam spectantes, & ad gratiam auscultantes, dilargiuntur controuersantibus, sed non existimant.

QVARE (inquit) commodum suum spectantes iudices, blandoq; sermone oratoris deliniti, largiuntur ei cuncta, quae vult, non vere de causa existimant; sua enim illi nihil interesse putant, quid de illo iudicio fiat: neq; enim fructum aliquem iudices, aut detrimentum inde accipere possunt; nec, si improbe, falsoque iudicarint, res ipsorum priuatae deteriores erunt. Iure igitur aequoq; neglecto, eo animum intendunt, vnde sperant se commodum aliquod ablaturos. commodum autem etiam voluptas est, & oblectatio animi, quam vt consequantur, praebent aures oratoribus, & ad voluptatem audiunt; atq; in sententia ferenda potius illis gratificantur, quam verè de rebus ipsis statuant. Hanc consuetudinem oratorum expressit Plato in Theaeteto, cum inquit, ἐπιστάμενοι τὸν δεσπότην λόγῳ τε θωπεῦσαι, καὶ ἔργῳ χαρίσασθαι.

Διὸ καὶ πολλαχοῦ, ὥσπερ καὶ πρότερον εἴπον, ὁ νόμος κωλύει λέγειν ἔξω τοῦ πράγματος.

Qua de causa & in multis locis, quemadmodum & prius dixi, vetat lex dicere extra rem.

Et haec causa est (inquit) cur ciuitates non paucae, vitium hoc intelligentes, eique remedium adhibere cupientes, legibus sanxerunt, nequis digrederetur, atque extra causam, ac propositam materiam aliquid diceret.

Ἐκεῖ δ᾽ αὐτοὶ οἱ κριταὶ τοῦτο τηροῦσιν ἱκανῶς.

Illic autem iudices ipsi hoc seruant ita, vt satis sit.

Illic, idest in genere deliberatiuo, nulla opus est lege: ipsi enim, qui de consilijs eorum, qui verba faciunt, existimaturi sunt, quia de re sua agitur, hoc seruant prouidentque. idest non sinunt sententiam dicentis digredi a materia: aut, si conetur illis insidiari, non facilè sibi imponi patiuntur.

Ἐπεὶ δὲ φανερόν ἐστιν, ὅτι ἡ μὲν ἔντεχνος μέθοδος περὶ τὰς πίστεις ἐστίν.

Quia autem perspicuum est rationem ac viam, quae sequitur artem, circa probationes versari.

Exponit breuiter non nulla, quae aut antea explicarat, aut per se plana & aperta sunt: ex quibus tamen id efficitur, quod postea adiungit. structura orationis prolixa est: cunctae enim sententiae pendent vsque ad verba illa, δῆλον δ᾽ ὅτι ὁ μάλιστα τοῦτο δυνάμενος θεωρεῖν. Animaduertere potuerunt, qui hunc auctorem legunt, ipsum crebro ita loqui: quod etiam a Graecis ipsius interpretibus adnotatum est: & ea, quae cum ἐπεὶ praecedit, postea adiunguntur, perspicua semper esse. quod ex ijs, quae antea tradidit, confirmata illa & patefacta sint. Pars est artis huius, quae in argumentis tota posita est: eam μέθοδον ἔντεχνον, idest viam participem artis vocat: argumentatio enim & huiuscemodi omnis ratio faciendae fidei, ab ea traditur. ipsam igitur nunc intelligit: &, vt illa egregie tractari possit, affirmat necessariam esse cognitionem syllogismorum, cum altera pars eius sit, quae non adiuuatur perceptione illa. est autem, quae expers artis est: & aut testibus, aut tabulis, aut quaestionibus, & alijs huiuscemodi rebus fidem facit: quam enim vtilitatem afferret scientia disserendi oratori, qui testibus niteretur, & omnem spem causae obtinendae in expertibus artis probationibus haberet? πίστεις vero, quas ipse hic appellat, Quintilianus probationes reddidit. Haec
» omnia generaliter πίστεις appellant. quod, & si propria interpretatione dicere fidem possu-
» mus, apertius tamen probationem interpretabimur. Cicero assensiones vocauit, cum Pla-
» tonis Timaeum Latinum faceret. verba ipsius. Tum opiniones assensionesq; firmae gignun
» tur. Platonis, δόξαι καὶ πίστεις γίνονται βέβαιοι. Alibi tamen assensionem συγκατάθεσιν dixit, vt
» ipsemet testatur in Lucullo. Nunc de assensione, atq; approbatione, quam Graeci συγκατάθε-
» σιν vocant, pauca dicamus. Neq; tamen id, de quo nunc sermo est, intellexit: duabus enim in eodem negotio disparibus rebus, idem nomen impositum est: πίστις enim a Graecis appellatur, & quo ad faciendam fidem vtuntur, qui aliquid alicui sedulo probare volunt: & assensio animi illius, qui argumentis persuasus iam est, & ita se rem habere credit.

Ἡ δὲ πίστις, ἀπόδειξίς τις: τότε γὰρ πιστεύομεν μάλιστα, ὅταν ἀποδεδεῖχθαι ὑπολάβωμεν.

Probatio autem est demonstratio quaedam: tunc enim credimus maxime, quando putauerimus demonstratum esse.

Probationem, demonstrationem quandam, argumentique conclusionem esse, ostendere cupiens, inquit: nos enim firmiter tunc credimus, cum existimauerimus aliquid conclusum esse, idest, cum in aliqua re demonstranda quispiam laborauit: & ita se eam habere putamus, vt argumentis illis comprobatum est. Melius tamen (nisi fallor) Aristotelis ratio in verbis, quibus vtitur, Graecoq; sermone procedit: neque enim Latinum verbum habemus, quod huic Graeco πίστις omnino respondeat: nam fidem, quod par esse videtur, nemo veterum scriptorum pro argumentatione cepit: ab eo autem vocabulo πιστεύειν, quod credere significat, deductum: quod si, vt fidem habere, πιστεύειν interpretari non male possumus, ita πίστις, quae est probatio, fides transferretur, res praeclare se haberet: & vis huius argumentationis melius perciperetur.

probationes esse Rhetorices proprias confirmat

Ἐστι δ᾽ ἀπόδειξις ῥητορικὴ ἐνθύμημα: καὶ ἔστι τοῦτο, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, κυριώτατον τῶν πίστεων.

Est autem demonstratio oratoria enthymema: estque hoc firmissimum omnium, vt simpliciter dicam, quae valent ad fidem faciendam.

CVM probationem, qua oratores vtuntur, enthymema esse ostendisset, vim, roburque ipsius extollit: atque omnibus aliis, quibus vtuntur oratores, probationibus excellere tradit: neq; enim vnam hanc tantum confirmandi, quod volunt, rationem illi habent: exemplum enim quoq; multum ad faciendam fidem valet: vt, quae arte carent, probationes nunc omittam. in posterioribus quoq; analyticis libris horum maxime duorum praesidio confirmare, quod volunt, oratores tradidit. κυριώτατον hic, quod plurimum valet, significare arbitror. maxime proprium quandoque Cicero interpretatur, vt maxime ratas quoq; opiniones Epicuri, quas κυρίας ille appellabat. Quod vero tantum hic tribuit enthymemati, consentit superiori sententiae: qua μεταφορικῶς dixit ipsum corpus probationum esse.

Τὸ δ᾽ ἐνθύμημα συλλογισμός τις.

Enthymema autem syllogismus quidam.

ENTHYMEMA esse affirmat syllogismum: ratione namq; & ipse concludit: non simpliciter tamen syllogismum, sed quendam, idest syllogismi speciem: oratorium scilicet syllogismum, & huic studio aptum, siue imperfectum, & qui non explicatus totus sit: vt ille, qui in vsu dialecticorum est, sed altera propositionum careat.

Περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος τῆς διαλεκτικῆς ἐστιν ἰδεῖν: ἢ αὐτῆς ὅλης: ἢ μέρους τινός.

De syllogismo autem similiter omni dialecticae munus est videre: vel ipsius totius, vel partis alicuius.

TOTAM dialecticam de omni syllogismo agere, nec vllum relinquere, quem non accurate pertractet, manifestum est: libri enim Topicorum de dialectico syllogismo: duo vero ἀναλυτικῶν ὑστέρων, de demonstratiuo. vnus περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων, vt inscriptio declarat, de sophistico agit: quem tamen potius quomodo refelli possit, quam quomodo conflari, docet. Quo pacto dialecticae partem aliquam de omni syllogismo disserere verum sit, diligenter cogitandum est: & quae sit pars illa, quae totum hoc munus sustineat, & sola seiuncta a reliquis partibus, hoc conficiat. Libros autem (nisi fallor) duos intelligit προτέρων ἀναλυτικῶν: ratio enim, quam excogitauit constituendarum propositionum, & quas formas, figuras'ue appellauit, conueniunt omnibus syllogismis: nec vllus est, qui ipsis non contineatur. discrimina multa postea illi a materia recipiunt. Aristoteles autem ipse in secundo eorum librorum hoc docuit ὅτι δὲ οὐ μόνον οἱ διαλεκτικοὶ καὶ ἀποδεικτικοὶ συλλογισμοὶ διὰ τῶν προειρημένων γίνονται σχημάτων, ἀλλὰ καὶ οἱ ῥητορικοὶ, καὶ ἁπλῶς ἡτισοῦν πίστις, καὶ ἡ καθ᾽ ὁποιανοῦν μέθοδον, νῦν ἂν εἴη λεκτέον. Animaduertendum autem ipsum hic totum (vt ita loquar) corpus rationis & viae, quae περὶ λόγους versatur, appellare dialecticam: contra atq; aliis in locis facere consueuit: plerumque enim, quae ex probabilibus concludit, dialecticam vocat.

Δῆλον δ᾽ ὅτι, ὁ μάλιστα τοῦτο δυνάμενος θεωρεῖν, ἐκ τίνων, καὶ πῶς γίνεται συλλογισμὸς, οὗτος καὶ ἐνθυμηματικὸς ἂν εἴη μάλιστα.

Apertum autem est hunc, qui maxime valet hoc contemplari, ex quibus & quomodo fit syllogismus, eundem enthymematicum fieri posse maxime.

HAEC est ἀπόδοσις illius ἐπεὶ, vt antea indicaui: vtque hoc traderet, illa prius explanauit: nec quemquam turbet particula δὲ addita: quod enim ad sententiam, vacat illa: & ornatus gratia assumpta est: multis autem locis ita loquitur. Sententia vero huius loci est. Qui naturam syllogismi didicerit, & facultatem habet perspiciendi, ex quibus ille propositionibus: & quo pacto collocatis, gignatur, hic non magno cum labore sibi magnam copiam enthymematum comparabit, vel potius omnes alios facile superabit, qui sine his praesidiis in oratorum castra venerint: & praecepta communia illius artis audierint. parua tantum in re hunc, tam egregie munitum, exerceri oportebit: nam si praeter illa, quae maiore in arte, longo & assiduo

assiduo studio percepit, didicerit, quod stratum habent enthymemata, & quae discrimina inter ipsa, & syllogismos sunt, enthymematicus fiet.

Προσλαβὼν περὶ ποῖά τέ ἐστι τὰ ἐνθυμήματα, καὶ τίνας ἔχει διαφορὰς πρὸς τοὺς λογικοὺς συλλογισμούς.

Si assumpserit circa qualia sunt enthymemata, & quibus in rebus differant a logicis syllogismis.

SI praeterea cognouerit circa quam potissimum materiam oratorij syllogismi versantur: &, quod inter hos & illos, quibus vtitur logica facultas, discrimen sit: logicam autem appellari, quae etiam a conflandis syllogismis, syllogistica Graeco vocabulo nominatur, rationem omnem differendi, notum est. Illa autem plures partes habet, quae a materia, & propositionibus, quas captant, variantur: vt ἀποδεικτικά: quae reliquis exquisitior est, pars illius est, & dialectica: nec non ea quoque, quae in temptandis excutiendisque illis manet, qui aliquam sibi alicuius rei notitiam asciscunt. Sed ratio etiam, viaq; conficiendarum fallacium rationum, quae sophistica vocatur. Hic autem videtur (quod ex ijs, quae adiungit, elicitur) meliorem, perfectioremq; illius partem intelligere, & quo reliquae referuntur: propositum enim philosopho est verum inuenire, quod demonstratiua sola praestat: reliquae enim probabili contentae sunt. non attingeret autem ipse illas, nisi vtiles sibi ad demonstratiuam forent, ac cognitionem veri adiuuarent.

Τό, τε γὰρ ἀληθὲς, καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ, τῆς αὐτῆς ἐστι δυνάμεως ἰδεῖν.

Verum enim, & quod est simile vero, eiusdem facultatis est videre.

QVI in logica facultate: accuratioreq; in primis eius parte, ἀποδεικτικῇ, versatus fuerit: cum ea in vero inquirendo occupata sit, verum in rebus perspicere, atque indagare poterit. Quare, cum ita instructus sit, ac facultatem veri inueniendi teneat, poterit quoque assimile vero inuenire: dicendi enim ars vltra nihil quaerit, ac si nanciscitur, quod veri similitudinem habeat, eo vtitur. vt autem haec ars, ita reliquae partes logicae facultatis studiose captant, quod probabile est, ac simulatum denique adumbratumque verum: cum demonstratiua sola vero inquirendo incumbat, atq; eum finem habeat. Δύναμιν autem hic, non artem, disciplinamue accipio, sed facultatem ingenij. Qui (inquit) tantum ingenio valet, & ita animum in optimis cogitationibus exercitatum habet, vt verum videre queat, hic etiam, quod vero assimile est, videbit, ac multo etiam minore cum negotio poterit: qui enim difficiliores res molestioresque conficit, hic etiam procliuiores conficiet. multis hoc exemplis cunctis in rebus verum esse confirmari posset, si res, tam aperta, confirmatione egeret. Quod opinionem meam (vt arbitror) adiuuat, supra etiam inquit: τοῦτο δυνάμενος θεωρεῖν: nihil enim aliud δυνάμενος valet, nisi qui habet δύναμιν. inde igitur nunc adiunxit τῆς αὐτῆς ἐστι δυνάμεως. Verbum hoc (nisi fallor) expressit Terentius: cum Ἑαυτὸν τιμωρούμενος induxit Syrum ita loquentem.
Qui vim tantam in me, & potestatem habeam tantae astutiae.

Ἅμα δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ἱκανῶς. καὶ τὰ πλείω τυγχάνουσι τῆς ἀληθείας.

Simul enim & homines ad verum natura facti sunt, quod satis sit, & plura adipiscuntur veritatis.

TVRBAVIT haec sententia quosdam, qui animaduertebant contra eam multos stare, & auctorem etiam ipsum de eadem re alijs in locis aliter videri sentire. Democritus certe veritatem in profundo penitus abditam dicebat. Empedocles quoque, Anaxagoras, & veteres cuncti physici omnia tenebrarum plena esse clamabant: nihilq; prorsus a nobis vere sciri. Bene tamen semper existimauit Aristoteles de hominum genere: ac, nisi malis opinionibus deprauatum sit, suoque ipsum vitio, quod optimum in se habet, corrumpat, praeclara efficere posse iudicauit. In primo quoque libro de moribus ad Eudemum, cum ostenderet, quomodo ratio illa tradenda foret: diceretque vti etiam ad eas res probandas oportere sensibus iudiciisque hominum, quod non parum valeat ad aliquid confirmandum consensus, si non omnium mortalium, bonae tamen eorum partis, addidit: habere singulos homines quippiam in se accommodatum ad veritatem indagandam, quamuis perfecte ipsam intueri, ac dilucide aliis explanare, nequeant. verba ipsius haec sunt. ἔχει γὰρ ἕκαστος οἰκεῖόν τι πρὸς τὴν ἀλήθειαν. In posteriore vero α metaphysices cognitionem veritatis, partim arduam: partim procliuem

ciuem esse dixit: cuius etiam rei argumentum esse voluit, quod nemo ipsam, ita, vt res postularet, consequi posset: neque vlli ab ea penitus repellerentur, ac nullos fere esse, qui non de natura rerum aliquid commode dicere possint. Quemadmodum autem sui ipsius perfectam cognitionem hominibus abstrusit natura, ita perceptionem rerum humanarum, & de quibus oratores fere agunt, facilem esse voluit: nam, si verba haec ipsa attente audiemus, videbimus ipsum caute locutum: & ita, vt si de omni etiam veritate verba fecisset, reprehendi nullo modo possit: inquit enim πεφύκασιν ἱκανῶς, a natura ad veritatem, quod satis esse possit, facti, inclinatique sunt: aduerbio namque ἱκανῶς, quamuis naturam hominum hic ornet, ingeniumque extollat, significatur non perfecta, neque exquisita notitia: vim enim habet minuendi. in metaphysicis sane de accurata, certaque contemplandarum rerum ratione loquitur, cum hic potius communem vulgaremque cognitionem intelligat. Sensus autem huius loci (nisi fallor) hic est. Hoc etiam non parum adiuuabit, praeter auxilium, quod capitur ex arte, quae propositam habet veri inuentionem, quod homines sua sponte, a natura bono hoc ornati, modice apti sunt, quod tamen huic rei satis sit, ad verum ipsum inuestigandum, & multo maiore in parte rerum veritatem consequuntur: vnde magis adhuc confidere possumus oratorem non exclusum iri cognitione copiaq; probabilium, & ad persuadendum accommodatorum. Hoc enim videtur prorsus significare voluisse, cum inquit ἅμα δὲ. quasi cum hoc coniunctum erit, & faciliorem hanc viam reddet, quod homines a natura facti sunt ad verum intelligendum. Eodem tempore, quod hanc rem non parum intelligitur adiuuare, homines non abhorrent a cognitione veritatis: vnde nullo modo desperandum est, quin, quod huic arti necessarium est, non possit orator consequi, intelligentiam probabilium, & ad fidem faciendam aptorum, quae veritatis speciem, similitudinemque habeant necesse est.

A[illegible] ad veritatem innata maxime adiuuat ab arte

Διὸ πρὸς τὰ ἔνδοξα στοχαστικῶς ἔχειν, τοῦ ὁμοίως ἔχοντος καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐστιν.

Quare ad res probabiles habere se ita, vt coniecturis ea consequi valeas, est eiusdem, qui similiter se habeat ad veritatem.

QVOD hic in primis quaeritur: quoque in hoc studio opus est, quis consequi possit res probabiles: ad easque adipiscendas ita paratus sit, vt numquam illis excludatur, docet. Ita (inquit) se habere ad res probabiles, vt facile ipsas indagare queat, est illius: ab eoque potissimum expectari debet, qui ad verum coniiciendum, captandumque aptus sit: ὁμοίως enim quod ait, στοχαστικῶς intelligere debemus. Hoc autem logica facultate acquiritur: ope namq; ipsius verum intelligitur. Habemus igitur, qui praeclare, quod quaerimus, praestare possit: Si in verisimilibus igitur probabilibusque captandis multum valere volumus, viam illam, rationemque veri cognoscendi teneamus necesse est: facultatem enim inde nanciscemur, quae mirifice nos etiam ad haec instruat. Artem autem dicendi, non πιθανὰ tantum, sed ἔνδοξα quoque captare, atque illis vti, planum est. Id auctor infra testatur, cum inquit ἔδει ἡ ῥητορικὴ τὸ καθ' ἕκαστον ἔνδοξον θεωρήσει, & Aphrodisiensis in primum Topicorum: cum enim Aristoteles dixisset, vti ad concludendum ἐνδόξοις, esse, aut proprium dialectices, aut ipsi valde accommodatum, non alienus fuit ab ea opinione optimus interpres, vt crederet, ob id ita locutum illum fuisse, quia sciret, rhetoricen etiam huiuscemodi quibusdam ad eos, quos vult persuadendos, vti: Quae autem ex opinionibus hominum iudiciisq; sunt (ea enim ἔνδοξα vocantur) eadem etiam ad persuadendum accommodata sunt. Quomodo enim, quod conuenit opinionibus hominum, & ab eorum sensibus non discrepat, non multum valere debet ad fidem illis faciendam?

Ὅτι μὲν οὖν τὰ ἔξω τοῦ πράγματος καὶ οἱ ἄλλοι τεχνολογοῦσι, καὶ διότι μᾶλλον ἀπονενεύκασι πρὸς τὸ δικολογεῖν, φανερόν,

Quae igitur extra rem sunt, & alios in artibus suis praecipere, & cur magis se inclinarint ad forenses causas, manifestum est.

COLLIGIT, quid longa hac disputatione conclusum sit. duo autem confecta sunt: declaratum est magistros dicendi totos occupatos esse in rebus extra rem tradendis: relinquebant enim, quod proprium praecipuumque artis erat, & in rebus extrinsecis explicandis versabantur. Nec non causa demonstrata est, cur relicta parte honestiore, in humiliore explicanda studium omne ponunt. μᾶλλον enim ἀπονενεύκασι, quod inquit, hoc valere manifestum est: respondet enim superiori loco, quem indicaui: non enim deserunt penitus deliberandi genus, sed magis ad rationem iudiciorum docendam feruntur, & toto animo inclinantur.

Χρήσιμος

Χρήσιμος δέ ἐστιν ἡ ῥητορική, διά τε τὸ φύσει εἶναι κρείττω τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια τῶν ἐναντίων, ὥστε ἐὰν μὴ κατὰ τὸ προσῆκον αἱ κρίσεις γίνωνται, ἀνάγκη δι' αὐτῶν ἡττᾶσθαι.

Utilis autem est rhetorica, quia natura meliores sunt res verae ac iustae, quam contrariae. quare, si non, vt conuenit, existimationes de rebus fiant, necesse est per ipsos eas vinci ac superari.

De vtilitate huius artis accurate nunc agit, in primo etiam Topicorum, quibus rebus facultas illa scriptioque vtilis sit, docuit: & optimus interpres Aphrodisiensis eo in loco recte & ordine fecisse Aristotelem demonstrauit: nec debuisse vllo modo relinquere, quin ante quam rationem inueniendorum argumentorum traderet, & in quibus sedibus ac locis illa manerent commostraret, vtilitatem ipsius ostenderet: qui enim (inquit) fructus, quos capere inde possunt, didicerunt, alacriores ad praecepta illa capessenda fiunt. Ad ignominiam igitur declinandam valet cognitio artis dicendi: in magnas enim saepe, ac iustas reprehensiones inciderent, qui facultatem eam non haberent: cum enim (inquit) sua vi verae, ac iustae res meliores valentioresque sint, quam contrariae, si quis huiuscemodi causam haberet, atque infans esset: idemque apud eos iudices causam diceret, qui, quales plurimi sunt, non veritatem spectarent: neque, vt aequum erat, iudicarent, sed ab eloquentia aduersarij abriperentur, necessario inferiores illae, ac victae è iudicio discederent. hoc autem turpe admodum est, & reprehensionem meritam habet; non posse veritatem ius suum tua culpa tueri: & quam vis bona causa ad te delata sit, non ita illam tractare, vt vis probitasque ipsius intelligatur: ἐὰν μὴ κατὰ τὸ προσῆκον αἱ κρίσεις γίγνωνται. Nisi rectè exerceantur iudicia: nisi vere expendantur causae, ac de rebus illic, vt oportet, statuatur, necesse est res veras, & aequas vinci a falsis, & iniquis, opera eorum iudiciorum; δι' αὐτῶν enim intelligo, κρίσεων: aliter enim ipsis non opus foret eloquentia, nec superarentur vmquam in contentionibus a contrariis, sed ne iudicibus quidem corruptis, tam grauem plagam acciperent, nisi a patronis proderentur, qui ob infantiam non possint ipsis opitulari, & eorum bonitatem iusq; tueri. Posset etiam existimari δι' αὐτῶν, cum inquit, ἐναντίων accipi voluisse; quo ipso verbo antea vsus fuerat, idest per contraria eorum, vt res falsas, & iniquas intellexerit.

Τοῦτο δ' ἐστὶν ἄξιον ἐπιτιμήσεως.

Hoc autem dignum est reprehensione.

Hoc culpam sustinet, ac turpitudinem magnam in se continet, tuo vitio veras & aequas res imbecilliores reddi, ac prosterni: &, quod a natura habeant, non posse ab hominibus impetrare: teq; huiuscemodi esse turpe est, vt cum tam bonam causam habeas, non ita illam tractes, vt probitas illius, praestantiaque intelligatur.

Ἔτι δὲ πρὸς ἐνίους, οὐδ' εἰ τὴν ἀκριβεστάτην ἔχοιμεν ἐπιστήμην, ῥᾴδιον ἀπ' ἐκείνης πεῖσαι λέγοντας.

Amplius ad quosdam, neq; si haberemus maxime exquisitam scientiam, facile esset vi illius persuadere dicendo.

Secunda, qua probat vtilitatem artis, ratio. Qui (inquit) grauem aliquam scientiam haberent: eiusque praesidio se ab omni negotio liberare posse putarent, ac facile, quod vellent, omnibus persuadere, non intelligunt personas iudicum: neque apud quos verba facturi sint, cogitant: quae enim exquisite, a scientia quapiam accepta, dicuntur, percipi ab imperitis hominibus non possunt: sed ingeniis exculitis indigent, & quae principia illius ipsius scientiae nouerint. nec vmquam fidem faceret, qui subtiliter, atq; è praeceptis alicuius scientiae apud rudes homines disputaret, sed oportet peruulgata ratione vti, & argumentis, quae ex communibus ducta, constructaq; sint. λέγοντας ἀπ' ἐκείνης, ducentes inde argumenta; instrumento aliquo exquisitae illius scientiae vtentes, indeque auxilium petentes; acuta namque illa ratio tota relinquenda est, nec fructum vllum fert, si apud tales dicas.

Διδασκαλίας γάρ ἐστιν, ὁ κατὰ τὴν ἐπιστήμην λόγος: τοῦτο δὲ ἀδύνατον, ἀλλ' ἀνάγκη διὰ τῶν κοινῶν ποιεῖσθαι τὰς πίστεις καὶ τοὺς λόγους.

Praeceptionis enim est ratio è scientia. hoc autem fieri non potest. sed necesse est per communes rationes probationes facere & disputationes.

Cum

Cvm imperitis non posse erudite, & subtili quadam ratione agi, ante dixerat: cuius rei causam nunc affert: quae enim a scientia aliqua proficiscitur disputatio, munus operamque doctoris requirit, non studio oratoris contenta est: & ita agit magister, qui discipulis praecepta alicuius artis tradit. Quare nec facultatis hoc oratoris est: nec commode etiam a doctore aliquo illic apud eos tractari posset: huc igitur confugere necesse est, & praecepta huius artis, vt ab illis intelligaris, perdiscere.

Ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς ἐλέγομεν περὶ τῆς πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐντεύξεως.

Quemadmodum & in topicis diximus de congressu cum imperitis.

Vt in topicis etiam (inquit) disputauimus, vbi docuimus, quomodo cum multitudine, atq; imperitis hominibus congredi oportet: & quam viam tenere deberet, qui agere cum iis vellet, ac quod studeret, ipsis persuadere. Quid ἔντευξις autem sit, Alexander docuit: cum enim Aristoteles, de vtilitate dialectices agens, πρὸς τὰς ἐντεύξεις etiam illam vtilem esse dixit, inquit, ἐντεύξεις, esse congressus, quos ipse συνουσίας vocat. Cicero sane congressus, colloquiaq; appellauit. In quaestionibus Academicis. " Qui vero clarorum virorum, aut tacitos congressus, " aut ludicros sermones, aut rerum colloquia leuiorum. Et in Philipp. xij. Nempe in Anto" nij congressum, colloquiumque veniendum est. Plutarchus in Alcibiade, vbi narrat eum, cum reip. iam tum adolescens se dedisset, nullo negotio reliquis superatis oratoribus, certamen sibi instituisse cum Phaeace quodam, & Nicia, tradit Phaeacem fuisse ἐντευκτικὸν ἰδίᾳ: quod in congressibus his, priuatisq; colloquiis multum valeret, ac loqueretur illic satis apte ad fidem faciendam: eundem tamen naturae vitio non potuisse valde ferre contionum contentiones. quare in facultate dicendi longe inferiorem fuisse acerrimo illi, & eloquentissimo iuueni.

Ἔτι δὲ τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν.

Adhuc autem opus est contrarias res posse persuadere.

Dicendi studium hunc quoq; fructum fert, quod cum deceat nos in vtramq; partem posse disputare, & contrarias res dicendo persuadere, a nulla alia arte id accipere possumus: solae enim ex omnibus rhetorice, ac dialectice hoc praestant, & circa contrarias res versantur. oportere autem nos eam facultatem nobis parare, vt vtrumq; commode facere possimus, docet: Huius vero rei mirificus ipse doctor fuit, & hanc disciplinam studiose tradebat suis auditoribus, vt de omnib. rebus in vtramq; sententiam possent copiose dicere: seruare vero id diligenter ipsum in omni hac scriptione, manifestum est: locos enim indicat, vnde promantur argumenta ad quamlibet rem, & confirmandam, & refellendam. Moris autem huius Aristotelei mentionem quoq; Cicero fecit, & in tertio libro de oratore ad Q. fratrem, & in Oratore. cum autem id non nullis prauum studium videretur, docere scilicet viam, qua res verae iustaeq; labefactentur, purgat nunc hanc rem: nam male aliquando etiam ipsum ob id audire solitum, declarat vox Alexandri regis, qui cum Cassandrum Antipatri filium hanc arripere viam videret defendendi absentis patris, & a contrario argumentum suum, quo illum culpae affinem iudicarat, refellere, cognito artificio subridens, inquit. haec astuta illa & fallax ratio Aristotelis est, in vtramque partem argumentandi. Tota res a Plutarcho in Alexandro ad extremum libri, diligenter exponitur.

Καθάπερ καὶ ἐν τοῖς συλλογισμοῖς.

Quemadmodum & in syllogismis.

Vt in dialecticis syllogismis fit: id enim in disputationibus tunc frequentabatur, & in vsu omnium erat: quod copiose ostendit Aphrodisiensis in primum librum topicorum, vbi diligenter expendit, quid valeat, quod illic inquit Aristoteles, topicam vtilem esse πρὸς γυμνασίαν: cum enim duob. modis id accipi posse tradat, posterior declaratio totam hanc rem continet: docetq; consuetudinem fuisse veterum in vtramq; partē argumentari. quam exercitationem significare illic potuerit Aristoteles: narrat enim eruditos viros in congressibus, ita olim agere solitos, quaestionem scilicet aliquam ponere: ac, quid ex vtraq; parte inuenire potuissent, dicere: confirmantes probabilibus argumentis, euertentesque, quod positum foret. quod sedulo faciebant, vt ingenia exercerent, excitarentq; vim excogitandi facile argumenta, ad verum postea, subitumq; eorum vsum.

Οὐχ ὅπως ἀμφότερα πράττωμεν· οὐ γὰρ δεῖ τὰ φαῦλα πείθειν, ἀλλ' ἵνα μήτε λανθάνῃ πῶς ἔχει, καὶ ὅπως ἄλλου χρωμένου τοῖς λόγοις αὐτοῖς μὴ δικαίως, λύειν ἔχωμεν.

Non

Non vt vtraque faciamus: neque enim oportet res malas persuadere, verum ne fallat nos, quomodo se habent: & vt alio vtente rationibus ipsis non iuste, soluere possimus.

NON eo consilio (inquit) vt vtrumque faciamus: neque enim malas causas suscipere debemus: & contra aequum ac iustum pugnare: nec, si possemus etiam, quod falsum improbumque est, persuadere, id facere velle debemus: verum, vt vim huius rei, modumque intelligamus: &, quomodo malae res prauaeq; probari possint, exploratum habeamus: huius enim quoq; rei cognitio facultasque praeclara est. Sed aliud etiam ad eorum cognitionem nos inuitare debet, vt si quis iniuste, improbeque prauis illis atque fallacibus rationibus vtatur, reprehendere illas ac confutare possimus. Immutatus est ordo verborum in antiquissimo exemplari: quem sequitur etiam vetus tralatio: ita enim habet. μὴ δικαίως τοῖς λόγοις αὐτοῖς. Animaduertendum autem, an exigua haec varietas, vim etiam sententiae aliquantulum variandae habeat, atq; intelligi debeat: Si non iuste, probeque aliquis eo vtatur: persuadeatq;, quae deteriora sunt, nos easdem illas rationes, argumentationesq; sequentes, dissoluere possimus, quod ab illis praue confirmatum sit. intelligo (inquam) vt verba haec τοῖς λόγοις αὐτοῖς, inferioribus haereant, & a superiore sententia interpunctione seiungi debeant.

Τῶν μὲν οὖν ἄλλων τεχνῶν οὐδεμία τἀναντία συλλογίζεται· ἡ δὲ διαλεκτικὴ καὶ ἡ ῥητορικὴ, μόναι τοῦτο ποιοῦσιν.

Ceterarum vero artium nulla res contrarias argumentis concludit: dialectica autem & rhetorica solae hoc faciunt.

PROPRIVM harum artium esse, vt argumentis rationibusq; res contrarias confirment: nec expectari hoc vllo modo posse ab alia vlla arte, tradit: nulla enim est, quae studium in hoc ponat, atque instrumenta habeat, quibus id moliri queat: sed in eo praecipue probando sunt occupatae, quod ipsarum finis est: & quo earum cuncta praecepta referuntur. statim autem hoc verum esse docet.

Ὁμοίως γάρ εἰσιν ἀμφότεραι τῶν ἐναντίων.

Simili enim modo sunt ambae contrariorum.

AMBAE namque non magis in hanc, quam in illam partem inclinatae sunt, sed muneris sui esse putant, vtrumq; commode posse praestare: nec enim labis aliquid aspergitur rationi dicendi, si contra aequum ac iustum quempiam armauerit: nec disserendi quoque rationi nota inuritur, si, quomodo veritas labefactari possit, aperuerit: sed etiam ratio dicendi eandem rem nunc honestam, nunc turpem esse defendit: nunc vtilem, nunc detrimentosam: nunc aequam, nunc iniquam, vt tempus ipsius postulat: valde autem apposite, inquit, simili modo ipsas versari circa res contrarias: qui enim scientias tenent, & si ipsi quoq; contrariorum cognitionem habent, finis tamen ipsorum, σκοπόςq; est (nisi ab officio suo discedere volunt) alterum contrariorum: quod definite melius est: medici enim finis est aegrotum sanare: aliptae, bonam corporis habitudinem inducere: aliorum vero, alius definite praestantius, ac melius contrariorum eorum, circa quae versatur: intelligentia namque illa contrariorum: qua praediti sunt, non quaeritur primo ab ipsis, sed consequitur notionem eorum, quae ipsos instruunt, ac tales reddunt: comitatur namque cognitioni eorum, quae efficientia sunt bonae valetudinis, intelligentia inducentium morbos. Dialecticus vero, atque orator eodem pacto affecti sunt erga ambo: propositumque habent diuersis temporibus probare, atque ostendere contraria.

Τὰ μέντοι ὑποκείμενα πράγματα οὐχ ὁμοίως ἔχει, ἀλλ' ἀεὶ τἀληθῆ καὶ τὰ βελτίω τῇ φύσει, εὐσυλλογιστότερα καὶ πιθανώτερα.

Res sane subiectae his non simili modo se habent, sed semper quae vera sunt, & meliora natura, facilius argumentis confirmantur, & magis apta sunt ad persuadendum.

veraq; et meliora fac
facilius defenduntur

IPSAE tamen inquit, res in quibus versantur, naturam eandem non habent: neque eas imitantur: melior enim semper pars facilius defenditur, & maiore copia argumentorum, ac firmiorum abundat. Paratus sane accedit dialecticus, & orator, ad verum rectumque defendendum: &, si opus fuerit, pro contrarijs etiam vterq; fortiter stabit: multo tamen magis laborabunt

borabunt, si patrocinium hic, praui: ille vero, falsi susceperit: vera enim melioraque facilius haec ad persuadendum aptis argumentis: illa vero syllogismis sua vi confirmari possunt. Animaduertenda verba Aristotelis, quam apposite locutus sit: nam ἀληθῆ, ad dialecticam pertinent: βελτίω, ad oratorem: idem etiam statim custodiuit: εὐσυλλογιστότερα namque ad vera illa, artemque dialectici: πιθανώτερα vero ad βελτίω, munusque oratoris, manifesto pertinent.

Ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν.

Ut simpliciter loquar.

quedā res falsae sunt magis probabiles multitudini quā uerae

Vt generatim (inquit) nunc, non exquisite loquamur. Intelligit autem cum culpa aliorum non est: contra enim quandoque se res habet: Homines namque deditos voluptatibus oratio, quae corporis voluptatem laudaret, facilius persuaderet, quam quae temperantiam commendaret: & res quoque quaedam falsae, magis probabiles multitudini, quam verae.

Πρὸς τούτοις, ἄτοπον, εἰ τῷ σώματι μὲν αἰσχρὸν, μὴ δύνασθαι βοηθεῖν ἑαυτῷ: λόγῳ δ᾽ οὐκ αἰσχρὸν. ὃ μᾶλλον ἴδιόν ἐστιν ἀνθρώπου τῆς τοῦ σώματος χρείας.

4a utilitas ... dicendi re deducit

Additur his, absurdum esse, si corpori turpe est nequire sibi ipsi auxilio esse: rationi autem non turpe: quae magis propria est hominis, quam vsus corporis.

Hoc quoque (inquit Aristoteles) ad hoc studium nos cohortari debet, ne rem stultam, absurdamq; penitus committamus: si enim homini turpe est, non posse sibi ipsi corpore opitulari, quomodo non eidem turpe est, non posse vti praesidio orationis? oratio enim magis propria hominis, quam vsus corporis est: soli enim ipsi oratio praebita a natura est: corporis vtilitates communes illi sunt cum ceteris animantibus. Qui igitur vim vi depellere non potest, quod est corporis, passim despicitur: ignauusq; merito habetur: qui inferior est facultate dicendi: nec resistere potest accuratae alterius orationi, quomodo non & ipse contemnetur?

Εἰ δ᾽, ὅτι μεγάλα βλάψειεν ἂν ὁ χρώμενος ἀδίκως τῇ τοιαύτῃ δυνάμει τῶν λόγων, τοῦτό γε κοινόν ἐστι κατὰ πάντων τῶν ἀγαθῶν, πλὴν ἀρετῆς.

Si autem diceretur, magnopere obesse posse illum, qui iniuste vteretur huiuscemodi facultate dicendi, hoc commune est contra omnia bona, praeter virtutem.

Sciebat Aristoteles multos dicendi studium damnare, quod eloquentes non nulli ac diserti homines & possent, & solerent magna detrimenta rebusp. afferre: quod ipse purgat, ac non rei vitium esse, sed hominum, qui peruerse hac praeclara arte vterentur, docet: ostenditque demum falsam & improbam hanc criminationem esse. Ciceronem quoq;, & Quintilianum de hoc diligenter disseruisse, & ab hac infamia, oratorum studium defendisse, notum est. Si quis (inquit Aristoteles) obiiceret, magna incommoda importaturum esse, qui iniuste vteretur hac facultate rationum parandarum, dicendique: quare periculosum esse hanc artem tradere: saepeque illam malo esse, huic facile occurri potest: quod enim aduersus eam promit, contra omnia alia bona, si quis vellet, iactari posset. Vt igitur illis nihilominus comparandis incumbimus, ita & haec studiose perdiscenda est. Qui autem alia principia suae disciplinae habebant: aliterque, ac Peripatetici facerent, bonum ac malum capiebant, Stoici homines, hoc argumento negabant, quae infra appellat Aristoteles, bona: quod male stulti ipsis vterentur. Argumentationem ipsorum ponit Plutarchus in commentario, quem, illis infensissimus, στωικῶν ἐναντιωμάτων, inscripsit. Quo enim (inquit) & probe, & improbe licet vti, hoc aiunt illi neque boni, neque mali naturam habere: diuitiis vero, & bona valetudine, & corporis viribus improbe vtuntur omnes stulti. quare nullum eorum bonum est: vt planum autem mediocriter eruditis est, bona illa aut corporis, aut externa Aristoteles vocabat, nec prauitatem hominum, qui ipsis peruerse, vterentur, posse naturam eorum commutare credebat. quare facultatem dicendi, quae eandem naturam habet, vult bonum existimari. De omni quoque hac re copiose eleganterque disputauit Isocrates initio eius libri, quem inscripsit Nicoclem, vbi vitio hominum, qui perperam iis bonis vtantur, & ipse id fieri dicens, iisdem paene verbis, quibus Aristoteles hic, vsus est. » ἀλλ᾽ αὐτοὺς ἐκείνους ψέγειν, ὅσοι » τοῖς ἀγαθοῖς κακῶς χρῶνται. Quod vero virtutem excipit, hoc valet: virtute enim nemo male vti potest: cunctaque, quae inde proueniunt, recta sunt, nec detrimentum vllum afferunt: quod Cicero etiam in partitionib. suis docuit: qui, de praeclaris his animi habitibus loquens, » inquit. A quibus, vt quaeq; res gesta est, ita sit honesta necesse est: summeq; laudabilis.

Que non bona a Stoicis habentur, bona externa ab Ate uocantur

Καὶ

Καὶ μάλιϛα κατὰ τῶν χρησιμωτάτων, οἷον ἰσχύος, ὑγιείας, πλούτου, ϛρατηγίας: τούτοις γὰρ ἂν τις ὠφελήσειε τὰ μέγιϛα, χρώμενος δικαίως καὶ βλάψειεν, ἀδίκως.

Et maxime contra illa, vnde maximos fructus capimus, veluti vires corporis, bonam valetudinem, diuitias, facultatem ducendi exercitum: his enim maxime prodesset aliquis, vtens iuste: & obesset, iniuste.

QVO illi laedere dicendi artem & abiicere studebant, communiter inquit, dici potest contra omnia, vno tantum excepto, bona: praecipue autem contra ea, quae maximas vtilitates praebent mortalibus, vt robur corporis: bona valetudo: diuitiae: ars ducendi exercitum: opemque harum aliquis, si bene ipsis vtatur, magna adiumenta: si male, ingentia mala alijs afferet. Quis autem haec è numero bonorum esse negabit?

Οτι μὲν οὖν οὐκ ἔϛιν, οὔτε ἑνός τινος γένους ἀφωρισμένου ἡ ῥητορική, ἀλλὰ καθάπερ ἡ διαλεκτική, καὶ ὅτι χρήσιμος, φανερόν.

Non esse igitur neque vnius cuiusdam generis definiti artem dicendi, quod commune ipsi est cum ratione disserendi, & eandem vtilem esse, perspicuum est.

QVID a se adhuc confectum sit, antequam aliud aggrediatur, breui repetit: estque omnis haec pars, tamquam enumeratio quaedam. Planum igitur iam factum est (inquit) non esse neq; vnius certi definitique strati, artem dicendi: quam etiam naturam habet disserendi ratio: hocq; ipsi cum ea commune est: & praebere praeterea ipsam ex se magnas vtilitates, apertum est. γένος autem hic appellat, vt saepe facere consueuit, materiam stratam alicui arti. vt in fabrili arte, ligna sunt: in medicina, corpora hominum: & in rebus omnibus mortalibus, quam vocat primam materiam.

Καὶ ὅτι οὐ τὸ πεῖσαι ἔργον αὐτῆς, ἀλλὰ τὸ ἰδεῖν τὰ ὑπάρχοντα πιθανὰ περὶ ἕκαϛον.

Ipsiusq; officium esse non persuadere, sed videre, quae insunt apta ad persuadendum in vnaquaque causa.

PRAETEREA exploratum esse debet, officium ipsius non esse persuadere: sed videre, quae ad persuadendum apta sunt in vnaquaq; materia: & nihil ipsorum relinquere. quod, si praestiterit, quamuis exitus tristis fuerit, merito reprehendi illa non poterit. Declarare igitur voluit artem hanc ϛοχαϛικὴν esse: diuersumq; officium a fine habere: fortasseque aliquos insimulare, qui oportere ipsam persuadere, propriumq; munus hoc eius esse tradiderant, non bene illius natura percepta. Artium autem, quae coniecturis nituntur: eamq; ob causam ϛοχαϛικαὶ a Graecis appellantur, partes sunt, omnia, quae in potestate ipsarum sunt, vt propositum consequantur, efficere: finis vero est illud ipsum adipisci, quod vt obtineant, omnia, quae referuntur ad eum, moliuntur: existimantur enim illae officio suo satisfecisse, si nullam rem omiserint earum, quae ad ipsas pertinent: praeceptaq; omnia artis impleuerint, quicunq; euentus rerum earum fuerint. quia egent etiam multis aliis, quae in arte posita non sunt, vt finem, quem optant, consequantur. nec non, quia, quae arte fiunt, & ipsa neque certa & definita sunt: nec semper earundem rerum sunt efficientia. de qua re subtiliter, eruditeq; disputauit Alexander Aphrodisiensis in secundo libro suarum quaestionum. Sed Cicero quoq; diligenter hoc tradit initio primi libri de inuentione, his verbis. » Officium autem eius facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuadendum: finis, persuadere dictione. » Animaduertendum vero accurate, an Quintilianus in hoc lapsus sit: putaueritq; nullum esse discrimen inter officium, ac finem, cum tantopere illa diuersa inter se sint. Suspicionem certe in animo eruditorum gignere potest, ne ita senserit, cum in secundo libro, de fine huius artis disserens, inquit. » Hi fere aut in persuadendo, aut in dicendo apposite ad persuadendum, » positum orandi munus sunt arbitrati. Et infra etiam addit. » Cicero pluribus locis scripsit officium oratoris esse dicere apposite ad persuadendum: in rhetoricis etiam, fidem facit per» suadere: neq; enim, si recte aliquis, suoq; ipsorum intellectu haec verba capiat, reprehendi Cicero potest, aut inconstans videri, qui distinxit ea, quae diuersa natura erant. Et sane, si finis esset huius artis, quem Quintilianus putauit, idem esset munus oratoris ac finis: probat enim è multis eum finem, qui tradit esse illam bene dicendi scientiam. Si igitur propositum illa habet bene dicere, qui bene dixit, officio suo satisfecit. quod tamen a natura artium ϛοχαϛικῶν alienum est. ipse tamen illam scientiam appellat, non artem. In scientiis autem artibusque exquisitioribus, qui nihil in illis tractandis peccauit, & quaecunq; illae praeceperint, diligenter seruauit, fine excidere numquam potest.

materiei

Munus orat: videre que sūt apta ad persuadendū

Καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις πάσαις: οὐδὲ γὰρ ἰατρικῆς τὸ ὑγιᾶ ποιῆσαι, ἀλλὰ μέχρις οὗ ἐνδέχεται, μέχρι τούτου προαγαγεῖν: ἔστι γὰρ καὶ τοὺς ἀδυνάτους μεταλαβεῖν ὑγιείας, ὅμως θεραπεῦσαι καλῶς.

Ueluti & in alijs omnibus artibus: neque enim artis medicorum sanasse aegrotum, sed vsq; quo vis morbi patitur aegrotum perducere: licet enim & eos, qui compotes non possunt esse bonae valetudinis, tamen curasse recte.

QVOD etiam vsu venit aliis omnibus in artibus, quae scilicet coniecturis vtuntur: ipse tamen id exemplo vnius declarat: medicinae, inquam: medici enim non esse officium (ait) quemlibet aegrotantem morbo liberare: valentemq; reddere, sed eousq; rem perducere, quo vis malignitasq; morbi patitur: cum possint etiam recte atque è praeceptis artis curari, qui bonae, integraeq; valetudinis compotes fieri nullo pacto queunt. Intelligi autem hinc quoq;, vt ex alijs multis locis potest, quam studiosus Attici sermonis Aristoteles fuerit ὑγιᾶ enim inquit, consuetudinem eius ciuitatis seruans: alij namq; Graeci accusandi casu ὑγιῆ aiunt. in viij. etiam libro Topicorũ idem secutus εὐφυᾶ inquit: cum communis ratio loquendi alia illa littera casum hunc eius nominis terminaret. Quod autem hic praecipit, idem paulo diuersis verbis in primo libro Topicorum tradidit: ἕξομεν δὲ τελείως τὴν μέθοδον, ὅταν ὁμοίως ἔχωμεν ὥσπερ ἐπὶ τῆς ῥητορικῆς, καὶ ἰατρικῆς, καὶ τῶν τοιούτων δυνάμεων: nam, quod ad medicum pertinet, Quintilianus quoq; idem exposuit. Et medicus sanitatem aegri petit: si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia aegri, aut alioue quo casu summa non contigit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinae fine non excidet. Peccauit tamen, quod medicum, qui cuncta ex arte: ipsiusq; praeceptis egerit, fine medicinae casurum non dixit, quamuis aegrotum non seruarit: fine enim omnino excidet: officio non excidet: finis enim est salutem afferre aegroto: morbumque depellere. non videtur igitur cognitum habuisse discrimen, quod est inter finem, & officium. Animaduertendum autem est artes, quas hic intelligit esse στοχαστικάς, & in coniectura positas: Huiusceniodi enim illae sunt, in quarum potestate positum non est finem suum consequi, sine auxilio rerum externarum.

fine Rhetorica obseruat
omnia quae sunt ad finē, pot
excidere, non officio

Artes στοχαστικαι et positae
in coniectura non possūt
consequi suū finē sine auxi-
lio rerū externarum

Πρὸς δὲ τούτοις, ὅτι τῆς αὐτῆς τό, τε πιθανὸν καὶ τὸ φαινόμενον ἰδεῖν πιθανόν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῆς διαλεκτικῆς, συλλογισμόν τε, καὶ φαινόμενον συλλογισμόν.

Praeterea eiusdem esse videre, quod est aptum ad persuadendum, & quod speciem tantum eius habet, veluti dialecticus syllogismum, & fallacem syllogismum.

DEBET hic quoque (vt puto) ἀπὸ κοινοῦ intelligi, φανερόν ἐστιν. & hoc etiam perspicuum est, eiusdem officium esse, perspicere id, quod vere πιθανὸν est, & id, quod vmbram imaginemque illius retinet. non nulla vero esse in studio dicendi apta ad fidem faciendam: alia vero, quae cum eam vim non habeant, huiuscemodi tamen & ipsa videantur, constat. hoc autem quoq; in dialectica inuenitur: cognitum enim illa habet & syllogismum, & qui syllogismi effigiem habet. Persuadibile Quintiliani verbum est: Cicero namq; πιθανὸν appellat, quod est ad persuadendum accommodatum: aut, quod valet ad faciendam fidem. In epistola etiam quadam ad Atticum Graeco verbo vsus est. Persuadibile autem Quintilianum vocasse, quod vim habet eam, vt persuadeat, existimandum est: quod enim verbum hoc Latinum valere videtur, pronum ad fidem habendam, & ita factum, vt facile persuadeatur, hic locum non habet: & eo sensu non cepisse Aristotelem πιθανὸν, planum est: nam inueniri quoque in hac arte sophisticam quandam, quae dolose agat, & arripiat, quae speciem tantum habeant πιθανῶν, constat: ad extremum enim secundi horum librorum Aristoteles sedes etiam indicauit fallacium enthymematum. Qui igitur illinc argumenta promet orator, sophistam imitabitur: nec enim, si vere spectentur, apta illa erunt ad persuadendum, quamuis imperitis rudibusque huiuscemodi videantur. Cicero de vtraq; arte idem tradidit: cognouitq; & dialecticam & rhetoricam habere, quae ipsas falso imitarentur: atq; illae ipsae videri cuperent: haec enim eius verba sunt in partitionibus. Vt illam disputandi prudentiam, concertatio: captatioq; verborum: & hanc oratoriam vim, inanis quaedam profluentia loquendi.

Ὁ γὰρ σοφιστικός, οὐκ ἐν τῇ δυνάμει: ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει.

Sophistes enim non manet in facultate, sed in voluntate.

INTELLIGEBAT futuros, qui huic sententiae aduersarentur, quod munus esse dialectices protulisset, & verum & falsum syllogismum contemplari. Ne sibi igitur illi molesti sint, quod dicturi erant praeripit, docetq; falso sentire omnes eos, qui crederent fallaces conclusiunculas:

quibus

quibus vterentur sophistae, incognitas esse dialectico: non minus enim illae dialectico, quam sophistae cognitae sunt. hoc tantum inquit inter ipsos discrimen est, quod hic potest ipsis vti & non vtitur: ille & potest & libenter vtitur: improbat enim vsum illarum dialecticus: sophistes vtilem sibi sentit ac summo studio eas captat. Vt hic autem sophisten non ex facultate, sed electione vitae spectari, ita in quarto libro de moribus ad Nicomachum gloriosum hominem ventosumq;: quẽ Graeci ἀλαζόνα vocant, ex ijsdem reb. intelligi tradit. Iisdem enim verbis, quibus hic vtens, inquit. οὐκ ἐν τῇ δυνάμει δ᾽ ἐστὶν ὁ ἀλαζὼν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ προαιρέσει. Varietatis vero hoc inueni in antiquissimo libro, quod non ὁ γὰρ σοφιστικὸς in eo legitur, sed ἡ γὰρ σοφιστική, Vetus quoq; tralatio lectionem hanc sequitur. Si vera autem illa est, videtur habitum ipsum, pro eo, qui compos ipsius est, cepisse.

Πλὴν ἐνταῦθα μὲν ἔσαι ὁ μὲν, κατὰ τὴν ἐπιστήμην: ὁ δὲ, κατὰ τὴν προαίρεσιν, ῥήτωρ.

Nisi quod hic erit vnus scientia, alter vero voluntate, orator.

NON parum similes inter se hac etiam parte sunt, dialectice, & rhetorice, modicum inter ipsas tantum discrimen versatur, quod in facultate dicendi, qui didicit fallacibus vti argumentationibus & scientia contentus, vsum illarum reformidat, nomine non discrepat, ab eo, qui studio iudicioq; illas sectatur: ambo enim oratores appellantur. ἐπιστήμης autem nomine hic manifesto abusus est Aristoteles, vt multis aliis locis fecit: neq; enim harum rerum vera scientia est, sed cepit ἐπιστήμην pro cognitione & intelligentia.

Ἐκεῖ δὲ, σοφιστὴς μὲν, κατὰ τὴν προαίρεσιν: διαλεκτικὸς δὲ, οὐ κατὰ τὴν προαίρεσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν δύναμιν.

Illic autem sophistes voluntate: dialecticus vero non voluntate, sed facultate.

IN differendi autem ratione nominibus etiam distincti sunt: qui enim studio fallendi tenetur, sophistes vocatur: dialecticus vero non ex voluntate iudicioque, sed ex facultate penditur: praeditum namq; illum potestate ipsa oportet esse: electio namque sola dialecticum non reddit. Sophisten vero esse voluit Aristoteles, qui quaestus studio captus, videri sapiens vellet: in libro enim περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων inquit. καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ᾽ οὐκ οὔσης. Cicero inanis gloriae cupiditatem addidit. In Lucullo. Sophistae appellantur hi, qui ostentationis, aut quaestus causa philosophantur. Qui finem igitur sophistae ignoraret, bene plerunque de illo existimaret: scientiam enim rerum optimarum prae se fert: nec tamen eas aut vere scit, aut scire etiam laborat, simulata ipsarum cognitione contentus. In eodem autem genere ille studium suum ponit, in quo non dialecticus solum, sed etiam philosophus versatur. vt in tertio libro τῶν μετὰ φυσικῶν ipse narrat: quo in loco discrepare ipsum a primo philosopho electione vitae, vt hic a dialectico, ostendit.

Περὶ δὲ αὐτῆς ἤδη τῆς μεθόδου πειρώμεθα λέγειν, πῶς τε καὶ ἐκ τίνων δυνησόμεθα τυγχάνειν τῶν προκειμένων.

Sed de ipsa iam ratione ac via nitamur dicere, quomodoque & ex quibus poterimus adipisci, quae proposita nobis sunt.

CVM & propositum huius scriptionis & vtilitatem ipsius artis ostendisset, absoluto omni proaemio, tempus iam est inquit, de ipsa re agere: ac viam rationemque ipsius tradere. docere inquam quomodo: quibusq; tamquam instrumentis vtentes, consequi possimus ea, quae nobis proposuerimus. idest persuadere iis, qui audiunt, ea, quae volumus in singulis generibus dicendi: siue innocentem quempiam esse probare studemus in defendendo: siue improbum & inutilem ciuem in accusando.

Πάλιν οὖν οἷον ἐξ ὑπαρχῆς, ὁρισάμενοι αὐτὴν τίς ἐστι, λέγωμεν τὰ λοιπά.

Rursus igitur tamquam e posteriore quodam principio, cum definierimus ipsam, quae sit, dicamus reliqua.

QVAMVIS multa iam, quae ad eam pertinerent tradidisset, naturam tamen ipsius adhuc non expresserat: nunc de ea, veriore initio facto, rursus dicere aggreditur. ἐξ ὑπαρχῆς autem aliis in locis saepe protulit, vt in libris de rep. Διὰ γὰρ τὸ μείζους γεγονέναι πολὺ τὰς πόλεις τῶν ἐξ ὑπαρχῆς. Quam initio condendarum vrbium. quam illae, quae priscis temporibus aedificatae sunt.

Ἔστω δὴ ῥητορικὴ, δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν.

Discrimen inter dialecticum et sophistam

Definitio Rhetoric[ae]

Sit igitur rhetorica facultas de vnaquaque re contemplandi, quod illic existit aptum ad persuadendum.

PONAMVS (inquit) artem dicendi huiuscemodi esse: definit enim naturam ipsius his verbis. Sit inquam rhetorice facultas videndi in singulis rebus, quod illic est aptum ad fidem faciendam: qui enim perspicere poterit in qualibet causa, quidquid illa habet ad persuadendum accommodatum, hic erit orator: neq; enim studio ipse suo efficere potest, vt res quae non multa habent, ad se confirmandas apta, ipsis abundent. sed satis est, vt, quae res patitur, excogitet. De vocabulo hoc δύναμις, disseruit Quintilianus: quomodo enim ipse reddiderit docet, nec non quomodo alij Latine id vocare soliti sint. Quod ego vim appello, plerique » potestatem, non nulli facultatem, vocant: quae res nequid afferat ambiguitatis, vim dico τὴν δύναμιν. Cur & dicendi & disserendi ratio δυνάμεις a Graecis appellarentur, vt ea, quae ab aliis Aristotelis Graecis interpretibus tradita sunt, relinquam, docuit Aphrodisiensis in primum librum τοπικῶν, opinionibus non nullorum leuiter reprehensis, qui de hac re aliter sentiebant: voluitque ita vocatas, quod eodem pacto circa res contrarias, e regioneque positas, versarentur: neque enim dialecticus, si in studio suo manere vult, hoc magis, quam contrarium illius argumentis adiuuat: quod etiam facultatis oratorum proprium est. Quod vero περὶ ἕκαστον inquit, ex his verbis elicuit Quintilianus, existimasse Aristotelem nullam rem ita abhorrere a » facultate oratoris: vt de ipsa commode dicere ille non possit. libro secundo. Omnia subie- » cisse oratori videtur Aristoteles, cum dixit, vim esse dicendi, quid in quaque re possit esse persuadibile. Animaduertendum tamen an in his Quintiliani verbis mendum sit: & pro dicendi, legi debeat, inueniendi, seu videndi: ipse enim supra hanc definitionem improbauit: quod inuentionem tantum complecteretur. Quomodo igitur nunc, quod illi iam eripuerat, tradat? definitionem namque totam expressit, & quam culpam illam sustinere arbitraretur, exposuit: libenter enim a iudicio Aristotelis in his rebus dissentit. vt qui, cum omnem aetatem in hoc studio consumpsisset, melius se haec, vsu doctum, intelligere, quam, qui acie tantum ingenij ea contemplatus esset, existimaret. nam, quod hic criminatus est, ridiculum prorsus est: quomodo enim sine elocutione fingere potuit oratorem Aristoteles? cum ipsius quoque nomen inde ductum sit. cum autem πιθανὸν addiderit, manifesto significauit, oratione in ea exercenda opus esse: inclusa enim est in eo vis, & vsus verborum. Aliis autem nunc relictis, id potissimum appellauit, quod princeps munus ipsius foret: in primisque praestare posse oratorem oporteret: nam, quod ille desiderat, non est proprium artis huius, sed tamquam appendix quaedam, vt ex verbis etiam Aristotelis intelligitur, qui in tertio horum librorum, superuacanea illa appellauit, & ad ornatum potius assumpta. Verba Quintiliani » haec sunt. Quidam recesserunt ab euentu, sicut Aristoteles, qui dicit. Rhetorice est vis in- » ueniendi omnia in oratione persuadibilia, qui finis & illud vitium, de quo supra diximus, » habet, & insuper, quod nihil, nisi inuentionem complectitur, quae sine elocutione non » est oratio.

Probat illa fine definitione

Τοῦτο γὰρ οὐδεμιᾶς ἑτέρας ἐστὶ τέχνης ἔργον.

Hoc enim nullius alius est artis opus.

HOC enim ait, nullius alius opus est, officiumque artis: videre scilicet id, quod ad faciendam fidem in qualibet re, & ad illam explicandam aptum est, quod ars dicendi potest. Id autem ipse inductione probat: ostenditque alias artes è finibus suis non egredi, & habere certam ac destinatam sibi materiam.

Τῶν γὰρ ἄλλων ἑκάστη περὶ τὸ αὑτῇ ὑποκείμενόν ἐστι διδασκαλικὴ, καὶ πειστική. οἷον ἰατρικὴ περὶ ὑγιεινὸν, καὶ νοσερόν.

Aliarum enim vnaquaeq; circa suum stratum operam ponit, vt doceat, & persuadeat, ceu medicorum ars circa salubre, & quod morbos gignit.

CVNCTAE enim (inquit) aliae artes intra fines suos manent: ac, quae strati sui propria sunt: ad idq; pertinent, docere conantur, & probare ita se illa habere: nec in aliis rebus aut explicandis, aut confirmandis occupantur. ὑποκείμενον hic appellauit, quod saepe etiam in his libris, γένος vocat, stratum scilicet ac materiam cuiuslibet artis: ὑγιεινὸν autem, & νοσερὸν intellexit hominum corpora, quae nunc valent: nunc aegrotant. siue aliarum etiam animantium, quae cum in morbum inciderint, ope medicorum curantur.

Καὶ γεωμετρία περὶ τὰ συμβεβηκότα πάθη τοῖς μεγέθεσι,

Et geometria circa affectus, qui accidunt magnitudinibus.

COMMVNI

COMMVNI vocabulo πάθη vocare consueuit, quaecunq; alicui rei adesse dicuntur, extra tamen ipsius essentiam definitionemq;. Vnde & πάθη καθ' αὑτά in posterioribus analyticis dicuntur, quae de qualibet re praeter illius naturam assumptis definitionibus demonstrantur. neq; aliud quicquam in syllogismis demonstratiuis scientiarum concluditur, nisi πάθη, quae propter se strato illi adsunt: vt numero par, aut impar. Hoc igitur intellectu hic πάθη cepit: nam cum συμβεβηκότα dicat, propter se intelligere debemus. Geometria igitur habet stratum definitum ac certum, πάθη, quae magnitudinibus haerent.

Καὶ ἀριθμητικὴ περὶ ἀριθμόν: ὁμοίως δὲ καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν. ἡ δὲ ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν. Materia Rhetoricae

Et arithmetica circa numerum: simili autem modo & reliquae artes & scientiae. rhetorica autem de eo, quod datum est, vt ita loquar, videtur posse contemplari, quod est aptum ad persuadendum.

ARITHMETICA autem in numeris, vt in strato suo, versatur: nec ab eorum accurata consideratione discedit: ac similiter inquit, reliquae artes ac scientiae, ne singularum nunc exemplum afferamus: contra autem ars dicendi videtur posse contemplari in qualibet, vt ita dicam, arte, quod illic est aptum ad persuadendum: idest ad constituendam euertendamue illam, aut ipsius partem. Quod vero inquit, ὡς εἰπεῖν, sic loquitur, quia intelligit materias esse quasdam valde remotas a studio oratoris, & in quibus artificium dicendi minus valet: nec tamen non, illic etiam, si illud tenet, videbit aliquid, quod possit, ad id, quod voluerit de illis probandum, arripere.

Διὸ καί φαμεν αὐτὴν οὐ περί τι γένος ἴδιον, ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν.

Quare & affirmamus ipsam minime circa genus aliquod proprium, definitum habere, quod in ipsa artificiosum est.

VNDE (inquit) nos hoc intelligentes, discedere (inquam) ipsam a natura reliquarum artium: posseque, quod ad omne, quod ei propositum fuerit, persuadendum valeat, inuenire, de ipsa dicere consueuimus: artificium, quod in se habet, non habere illam adplicatum certo alicui strato ac suo, sed per omnem materiam vagans, atque indefinitum: γένος enim hic, vt supra quoque, atque in aliis etiam exquisitioribus libris, appellat materiam, quae singulis artibus, quasi sternitur.

Τῶν δὲ πίστεων, αἱ μὲν, ἄτεχνοί εἰσιν: αἱ δὲ, ἔντεχνοι. Probationes aliae artificiales, aliae minime

Probationum autem, hae quidem sunt artis expertes: hae vero participes.

AVCTOR huius diuisionis hic noster fuit, quam reliqui postea scriptores artis probarunt. Prima aetate Cicero ab ea dissentire coepit: & audacter sibi errare videri dixit illos, qui suspicionum genus aliquod artificij non egere putarunt. ipse tamen postea, cum melius de his iam rebus iudicare posset, errorem suum agnouit, & sententiam Aristotelis secutus est. In secundo autem libro de oratore de his copiose disseruit. Quintilianus etiam libro quinto
" inquit. Ac prima quidem illa partitio, ab Aristotele tradita, consensum fere omnium me-
" ruit. alias esse probationes, quas extra dicendi rationem acciperet orator: alias, quas ex cau-
" sa traheret ipse, & quodammodo gigneret.

προϋπάρχω

Ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν. οἷον μάρτυρες, βάσανοι, καὶ ὅσα τοιαῦτα. Probationes artis expertes.

Voco autem artis expertia, quaecunque non studio nostro comparata sunt, sed prius erant, ceu sunt testes, quaestiones, & quaecunque huiuscemodi.

CVM probationes quasdam, expertes artis esse: alias autem, participes, ostendisset: quae huius, &, quae illius generis sint, docet: ac prioris esse inquit, quaecunque opera, studioque nostro non pariuntur: quae a nobis non excogitantur: ita enim, cum omnem hunc locum vertit in secundo de oratore Cicero, vim huius verbi expressit. πορίσασθαι adipisci alibi reddidit. προϋπῆρχεν autem interpretatus est: cum eodem in loco, sed in re positae, ratione tractantur, inquit. addit autem: vt sunt testes, quaestiones, & quaecunque huiuscemodi sunt. extrema autem verba, ex antiquissimo libro accepta, restitui, cum in excusis illa defecissent, sed vetus etiam tralatio illa exprimit. Non solas autem duas has esse planum est, cum ipse in extremo libro hoc, quinque earum genera tradat.

Probationes arti praesidio indagatae

Ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι᾽ ἡμῶν, κατασκευασθῆναι δυνατόν.

Artificiosa autem, quaecunque per rationem ac viam, & studio nostro fabricari possunt.

VOCO autem ἔντεχνα, quae ratione ac via indagamus, atq; artis praesidio conflamus: quae scilicet excogitari a nobis, & cum inhaereant in ipsa re, erui inde industria nostra possunt: neque enim traduntur in manus oratoribus, vt quae sine arte vocauit.

Ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν, χρήσασθαι: τὰ δὲ, εὑρεῖν.

Quare opus est his quidem, vti: haec autem, inuenire.

HAEC quoq; verba manifesto expressit Cicero, cum ibidem inquit, Ita in superiore genere, » de tractandis argumentis: in hoc autem, etiam de inueniendis cogitandum est: quod enim iam partum est, quomodo tractari debeat, cogitandum. vt, cum vsus venerit, apte ipso vti possis: quamuis enim artis expertes hae probationes sint, non temere tamen, atque inconsiderate sunt explicandae: quae enim artificio, vt inuenirentur gignerenturq;, non eguerunt (antea enim erant, & ad oratorem deferuntur) summo consilio, si quis fructum ex ipsis capere velit, tractandae sunt.

Earum probationum spes 3

Τῶν δὲ, διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων, πίστεων, τρία εἴδη ἐστίν.

Probationum autem, quae ratione comparantur, tres species sunt.

TRIA (inquit) genera sunt probationum illarum, quas acquirimus, paramusq; dicendo. Intelligit autem, quas supra ἐντέχνους vocarat: participes artis, aut artificiosas, Cicero appellauit. Halicarnasseus quoq; in vita Lysiae in tres partes has diuidi solere inquit: enumerans autem illas, rem, affectus animi, moresq; appellauit. quae a re duci ipse dixit, Aristoteles in oratione positas affirmauit. nominibus igitur discrepant: re tamen inter illos de hoc quoq;, vt de duobus aliis generibus conuenit.

In Actore
Auditore
Oratione

Αἱ μὲν γάρ εἰσιν, ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος: αἱ δὲ, ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως: αἱ δὲ, ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ.

Hae namque sunt in moribus eius, qui dicit: hae autem in eo, vt auditor aliquo modo affectus sit: hae autem in ipsa oratione.

CVM tria genera probationum esse dixisset, ostendit nunc id verum esse, enumeratq; illas: hae namque (inquit) sunt in vita & moribus dicentis, oratione scilicet ipsius expressae: hae vero in hoc positae sunt, si eum, qui audit, vt oratori ipsi opus est, affectum animo reddiderit. Tertium genus in oratione ipsa manet, quod cuiusmodi sit, statim explicat. Hunc autem locum paene expressit Cicero in secundo de oratore, cum inquit. Nam hoc necesse est, vt is, qui » nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defensio- » nis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. De postremis duabus rationibus persuadendi, dubitari non potest. Prima tamen, tradita ab ambobus, non omnino eadem est: neque enim in propensione iudicum voluntatis positam illam dicit hic noster, vt Cicero manifesto vult; verum in bona existimatione, quae de dicentis probitate, oratione illius percepta, cognitaq; voluntate, in ipsis orta sit: nec, quod inde eum diligere incipiant, animaduertit Aristoteles, sed quia proborum hominum sermoni maior fides habetur: cuncti enim bonos viros, dignos esse putant, quibus credatur. quod si vetus ipsorum amor: inclinatioque voluntatis in dicentem, spectaretur, non esset haec probatio oratione parta: de quibus hic solis philosophus disputat. Praeterea trium harum probationum, primam, in persona actoris; secundam, in eius, qui audit: tertiam, in oratione ipsa manere vult, cum Cicero personam actoris relinquat, ac ter numeret auditorem: cum, aut sponte gratificatur oratori: aut vi adhibita, commotoque ipsius animo abripitur, veritasq; ipsi extorquetur: aut auditis argumentis ac rationibus persuadetur.

Διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι.

Quia demonstrarit, vel demonstrasse visus sit.

CVM aut probes aliquid, aut probare videare: quod argumenta, quibus vtaris, aut vera firmaque sint, aut inania & falsa; antea enim docuit, posse oratorem & veris & fallacibus vti conclusionibus,

conclusionibus, & quamuis falsis argumentis vtatur, quae tamen speciem aliquam veri habeant, nomen oratoris non amittere, cum in dialectica res secus se habeat.

Διὰ μὲν οὖν τοῦ ἤθους, ὅταν οὕτω λεχθῇ ὁ λόγος, ὥστε ἀξιόπιστον ποιῆσαι τὸν λέγοντα.

Per mores igitur, quando sic dicta fuerit oratio, vt dignum, cui fides habeatur, reddiderit dicentem.

Ono Acteris ut noteat, mox excedebat

De oratione morata, eiusque vtilitate, multis locis disseruit Cicero, vt in libro, quo perfectum oratorem informauit: in secundo vero ad Q. fratrem his verbis. » Tantum autem efficitur » sensu quodam, ac ratione dicendi, vt quasi mores oratoris effingat oratio: genere enim quo- » dam sententiarum, & genere verborum, adhibita etiam actione leni, facilitateq; significandi, » efficitur, vt probi, vt bene morati, vt boni viri, esse videantur. In partitionibus autem moratam orationem esse dicit, quae significet oratoris ipsius amabiles mores. Aristoteles ita appellari vult, quae ipsum, aut probum virum, aut egregie animatum erga illos, apud quos dicit, esse indicat: aut, quod magis adhuc ad persuadendum valet, quae probum simul & ipsis beneuolum significat. Fieri autem tunc fidem, probarique ope huius orationis ab oratore, quod studet, cum ita illa habetur, atque adeo ornatum his dotibus eum ostendit, vt dignum ipsum, cui fides habeatur videri faciat: cum ita expressae in ea fuerint hae virtutes, vt mentiri illum posse ac falsum proferre, qui audient, nullo modo arbitrentur. Quod, cum oratione partum est, quin confectum negotium iam paene sit: ac persuadere debeat orator facile, quod vult, dubitari non potest. Longe igitur plus tribuit huic moratae orationi noster, quam Cicero: qui tantum dixit ope illius significari oratoris amabiles mores: magna enim vis est eorum verborum. ὥστε ἀξιόπιστον ποιῆσαι τὸν λέγοντα: nec mediocrem aliquam propensionem in animis auditorum erga eum, qui dicit, declarant, sed maximam: valent namque illa, vt iam patefactum est, cum oratio ita habita fuerit, vt in animis eorum, qui audiunt, bonam de illis ipsis, qui dixerunt, existimationem genuerit; atque ita bonam, vt cui firmiter credant, ipsum dignum putent: ἀξιόπιστος enim Graecis est, qui dignus habetur, cui credatur. Halicarnasseus quoque in vita Lysiae oratoris, cum de hac ipsa re dissereret, eodem pacto locutus est, & ἀξιόπιστον ἦθος vocauit. Cum autem tantam vim habeat ἦθος hoc ad obtinendas causas, est summo studio comparandum: praeceptaq; huius summi scriptoris, ad id pertinentia, accurate sunt attendenda: pluribus enim locis de hoc praecepit: nam, quae in secundo etiam horum librorum diuersarum aetatum, fortunarumque hominum tradidit, eodem referuntur: cumque finem habent, vt cognitis illis, orator possit orationem, sententiasque suas accommodare moribus eorum, atque ita ἦθος hoc effingere: ostendereque se ornatum esse indole naturaque, quae conueniat moribus illis, vt ita facilius persuadere possit, cum ea potissimum oratio ad fidem faciendam multum valeat, quae accommodata est moribus audientium, ac sensus eorum tangit. Sed etiam erudita atque elegans disputatio, euolutioq; commotionum animi, qua docuit, quomodo perturbari illi diuersis modis possint: quomodoque excitati iam motus, componi, sedarique queant, quamuis alium finem habeat (pertinet enim ad orationem παθητικήν) tamen quia commotis aliter animis hominum, vt affectis etiam his aut illis virtutibus ac vitiis, variari mores constat, aliquo modo & ipsa facit ad mores effingendos. Vt quae, in genere demonstratiuo explicando, primo in libro de virtutibus tradidit: indicant enim, qui sint animi eorum, qui hoc, aut illo pacto commoti sunt, aut his virtutibus ac vitiis ornati. vnde, cum reliqua, mores variantia, diligenter exponeret, his semel iam declaratis, supersedit. Idem etiam in tertio libro docet, quomodo narrationi mores affingi possint: quotque viae sint id faciendi: cum pars illa orationis videatur potissimum requirere, vt morata sit, atque exprimat indolem, dicentis. Hoc nunc significare inutile mihi visum non est, vbi praeceptionem huius rei auctor auspicatur. Quod vero supra affirmaui Dionysium accurate de hoc agere, cum & ipse ostendisset tribus modis fidem fieri dicendo: nec tantum oratione, quae argumentis doceat, ac vim habeat demonstrandi, verum etiam ἦθος, & πάθος, idem aliis rationibus efficere: cum plurimum valuisse Lysiam in moribus effingendis doceret: egregieque vsum secunda hac ratione fidei faciendae, in hanc sententiam inquit. Praeterea fidem ac probationem, quae moribus expressis fit, mihi videtur satis decenter Lysias tractare: saepe numero enim ex vita naturaque eorum, quibus orationes scribebat: saepe autem e prioribus factis iudiciisque & voluntatibus eorum, efficit mores dignos, quibus credatur, atque illis auctoritatem acquirit. Cum vero ansam huiuscemodi nullam a rebus arripere potest, ipse tamquam fabricatur, ac gignit, mores: constituitque ope rationis suae personas fide dignas, & probas, tribuens ipsis voluntates honestas ac rectas, & commotiones animi moderatas: simulq; orationem aequam, probamq; iisdem assignans: nec non inducens ipsos

versare

versare animo consilia, quae respondeant fortunae, in qua constituti sunt: angique improbis aliorum vocibus, ac factis. Sed etiam idem efficit (inquit) fingens ipsos expetere res iustas, ac reliqua demum assimilia his: vnde intelligi liquido potest, probam ac modestam naturam, & indolem ipsum moliri, atque informare. Animaduertendum autem in explicatione hac ἤθους, quam breui exposuit Dionysius, intellexerit ne illud etiam, quod reiicit Aristoteles: negat enim philosophus opinionem hanc de probitate dicentis, antea in animis auditorum adfixam esse oportere, sed tunc ipsum excitari, certa quadam ratione, sententiisq; ad id accommodatis. Videtur vero ille, cum tradit Lysiam aliquando, declarata vita naturaq; alicuius, vt saepe etiam superioribus ipsius factis consiliisq;, efficere mores dignos, quibus fides habeatur, significare mores illos, quos magis intelligit vtiles ad persuadendum, quam putet ab oratore conflari: debereq; arti huic assignari Aristoteles: neque enim artificio, callidaque ratione dicentis id conficitur, sed simplici expositione rerum acquiritur: quamuis enim oratio adhibeatur, atque eo tempore inserantur opiniones in animum auditorum, tamen eliciuntur ex vita, actionibusque ipsius, qui ornatur: non studio dicentis conformantur, & captiosa oratione asperguntur: nam posterior, qua docet Lysiam vsum, ratio, manifesto eadem est cum illa, quam probat, quem sequimur, doctor: ac studiose retinendam censet. Vt ἠθοποιεῖν, quo verbo ille in hoc tradendo vtitur, hoc ipsum sit, mores scilicet, ac certam quandam naturam oratione exprimere, atq; effingere, quae saepe vera non sit: nec certis vllis argumentis demonstrari possit: sed ingenio oratoris conformetur: nam, quae sequuntur apud eum, vim huius iuncti verbi aperire atque explanare videntur: addit enim καὶ κατασκευάζει τὰ πρόσωπα τῷ λόγῳ πιστὰ καὶ χρηστά: oratio enim ipsa hoc molitur ac conficit, nec tantum ad rem narrandam, quod proprium ipsius munus est, adhibetur. Κατασκευάζειν autem λόγῳ aliquid, Aristoteles quoque dicit, cum struere, ac fabricari quippiam auxilio orationis, significare vult: atque ita ea vti, vt videantur res, personaeq; tales, quales auditoribus videri, oratori commodum est. In secundo enim libro, traditis praeceptis ad iram commouendam in iudicum pectoribus, ita inquit. Δῆλον δὲ, ὡς δέοι ἂν αὐτὸν κατασκευάζειν τῷ λόγῳ τοιούτους. Nam, quae postea Dionysius adiungit, non discrepant ab iis, quae afferuntur ab ipso in tertio libro; dicunturq; efficere, ac reddere narrationem moratam: & sine dubio videri faciunt eum, qui ita sentiat ac loquatur, virum probum atque temperantem: quod ipsum ἦθος nunc appellatur. Rem tamen ita se omnino habere non affirmarim, cum velle videatur noster, quidquid bonae existimationis gignitur apud eos, qui audiunt de oratore, verbis ipsius: orationeq; ad hoc aptaq, ἦθος vocari. repudietq; tantum, cum opinio illa, iudiciumque factum de probitate ipsius, vetus est: neq; tunc paritur; non, quin id quoque prosit, sed quia oratori tribui non potest: nec enim artificio illius comparatur. Ipse autem nunc de eo loquitur ac praecipit: reprehendens eos, qui, quod artis expers erat, in arte tradenda colligebant.

Bonis viris et magis et citius credit.

Τοῖς γὰρ ἐπιεικέσι πιστεύομεν μᾶλλον καὶ θᾶττον. περὶ πάντων μὲν, ἁπλῶς: ἐν οἷς δὲ τὸ ἀκριβὲς μὴ ἔστιν, ἀλλὰ τὸ ἀμφιδοξεῖν, καὶ παντελῶς.

Probis enim viris credimus magis & citius. de omnibus quidem rebus, simpliciter: in quibus autem nihil exquisiti est, sed discrepantes extant de ipsis opiniones, & penitus.

PROBIS enim (inquit) viris magis, celeriusque credimus: quaeque ab illis accepimus maxime vera ducimus, & iisdem cito assentimur. Cum autem omni in re homines hoc facere consuerint, in illis praecipue, quae certo sciri non possunt: nec exquisitam naturam habent, sed diuersae diuersorum de illis opiniones extant, id institutum seruant: in huiuscemodi namq; rebus penitus ad iudicia, decretaque proborum virorum se referunt; cum enim nihil certi de illis habeant, se labi non posse putant, si bonorum virorum sententiis se adiunxerint, quos bene sentire iudicant, & sincere, quid sentiant, pronuntiare.

Δεῖ δὲ καὶ τοῦτο συμβαίνειν διὰ τὸν λόγον, ἀλλὰ μὴ διὰ τὸ προδεδοξάσθαι ποιόν τινα εἶναι τὸν λέγοντα. προδοξάζω p. 9

propter orationem, non anticipatam opinionem

Opus est autem hoc contingere ob orationem, non quia prius putarint qualem esse eum, qui dicit.

DICENDI magistri, vt facilius oratores fidem facerent, aiebant operam dandam esse, vt bene morati, ac boni viri viderentur; & hoc non ratione, sed consuetudine viuendi faciendum esse censebant; vt ante etiam quam in forum venirent, huiuscemodi quaedam de illis opinio in

mentibus

mentibus iudicum vigeret. Non inutile hoc esse putat Aristoteles, sed docet, quomodo ij etiam, quorum mores vitaq; incognita sit, famam bonorum aucupari queant: illud enim ab arte dicendi non proficiscitur: ipse autem praecepta artis tradit, & quae praesidio orationis confici possint, docet. sententiam hanc ex his verbis elici nunc ostendam. Δεῖ δὲ καὶ τοῦτο συμβαίνειν διὰ τὸν λόγον. Hanc bonam existimationem de vita, moribusque dicentis, excitari oportet oratione illius, ita conformata, vt mores eius effingat, ac probos sanctosq; videri faciat: hoc enim est officium artis. τοῦτο igitur vocat, vt dignum, cui credat, putet auditor eum, qui dicit, ἀλλὰ μὴ διὰ τὸ προδεδοξάσθαι. Non quod ante, quam illi dicere incoeperint, de probitate illius aliqua opinio inhaeserit in animis eorum, qui iudicant. Cum in Bruto Cicero dixisset, Scauri orationem habuisse multum grauitatis: significariq; illa solitam prudentiam » ac fidem: addideritq;. Habebat hoc a natura ipsa: quod a doctrina non facile posset: videtur paene fuisse sententiae illorum, qui ante partam, non subito acquisitam, censebant oportere hanc opinionem de dicente in animis auditorum esse: quamuis statim ostendat sibi compertum esse, quomodo id etiam dicendo comparari possit, magistros dicendi tradere: inquit » enim. Quamquam huius quoque ipsius rei, quemadmodum scis, praecepta sunt. Menander quoq; comicus, omnem persuadendi vim naturae, ac moribus tribuit: detraxit autem orationi, versiculo hoc suo. τρόπος ἔσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος. Contra quem tamen, falsum id esse omnino declarans, accurate disputauit Plutarchus, & in libro, quo instruxit adolescentes ad lectionem poetarum: & in alio, in quo praecepta, ad rempublicam regendam apta, collegit.

Οὐ γὰρ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων, τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ καὶ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος.

Non enim sentiendum nobis est cum quibusdam artis scriptoribus, qui ponunt in arte probitatem dicentis.

Probitas dicentis ad dicendum arte non requiri

ACCVSAT magistros quosdam artis, qui, cum eam exponerent, probitatem in oratore requirebant: & sine illa nihil magnum effici ab eo posse censebant: non enim (inquit) in arte colloco integritatem dicentis. quod non nulli artis huius scriptores faciunt, qui inter artis praecepta, & hoc etiam ponunt: vt, qui dicit, vir probus sit. Nec puto necessarium esse, vt orator sanctis moribus sit praeditus. quo si careat, fidem facere non possit. Satis enim esse, arbitror, si oratione sua, ad tempus sibi affingat eam personam, quam illi veram ac perpetuam ipsi haerere volunt. Cum autem hic verbum desiderari videatur ad sententiam perficiendam, bis idem sumo: repetoque variata persona ac numero, quo vtitur, praeceptum rhetorum, quod non probat, exponens. Τεχνολογεῖν vero rationem alicuius artis tradere significat.

Ὡς οὐδὲν συμβαλλομένην πρὸς τὸ πιθανόν.

Quasi nihil prodesse possit ad persuadendum oratio ipsa.

CVM stomacho hoc pronuntiatum videtur: contemptuque magistrorum illorum, qui probitatem veram, necessariam dicerent: nec crederent artem a se ipsa sibi praesidium petere posse: ὡς οὐδὲν συμβαλλομένου, scilicet τοῦ ἤθους: hoc enim intelligendum puto: de hoc namque ipsum loqui manifestum est, & paulo post hoc nomen adiungit. Scriptores artis (inquit) vt qui nescirent mores, oratione expressos, vim ad hanc rem habere, illuc confugerant: & probitatem in arte posuerant. qui quantopere decepti sint, narrari non potest. συμβάλλεσθαι opitulari & adiumento esse significat. Cum autem plures scriptos libros generandi casu, ὡς οὐδὲν συμβαλλομένου habere animaduerterim, sunt etiam, in quibus accusandi, ὡς οὐδὲν συμβαλλόμενον, legatur, vt philosophus multis aliis locis locutus est. in decimo libro de moribus ad Nicomachum, vbi contra sophistas disputat: qui bonis legibus ciuitatem ornare procliue esse aiebant: collectis enim vndique multis legibus posse optimas eligi. Stultitiam enim huius » opinionis refellens, inquit. ὥσπερ οὐδὲ τὴν ἐκλογὴν οὖσαν συνέσεως. & initio etiam primi libri de » rep. ὡς οὐδὲν διαφέρουσαν μεγάλην οἰκίαν, ἢ μικρὰν πόλιν. Nec desunt etiam, in quibus eodem casu, diuerso genere, συμβαλλομένην, legatur, vt in antiquissimo libro, quem sequitur etiam vetus tralatio: nec tamen sententiam muto, aut rationem eius scripturae dispicio. quam tamen si quis amat, posset fortasse ipsa ita defendi, vt scilicet artem ipsam, idest τέχνην, quam paulo antea nominarat, intelligat, hoc sensu, tamquam ars sibi ipsi praesidio esse non valeat; atque inuenire, quod hac ratione aptum sit ad fidem faciendam. intelligo auxilio ἤθους ipsi in arte tradenda de hoc nihil praecipiebant. sed oportere virum probum esse oratorem, ponebant.

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος.

Quinimo, liceat mihi ita loqui, firmissimam vim habet fidei faciendae morata oratio.

HINC inscitia horum doctorum intelligi potest, qui nihil momenti ad fidem faciendam habere crediderint, quod maximam omnium ferme vim habet. vt auctoritatem autem minuat eorum, qui de dicendi ratione scripserunt, totam rem auget: ne tamen nimium orationi huic moratae tribuisse videatur, addidit ferme. Ita errorem illorum arguit, qui necessariam rem omiserunt, & nihil de facultate huius orationis tradit, quod a vero alienum sit. ἦθος autem vocat naturam moresq; dicentis, oratione ipsius expressos: quae res, quot modis fiat, in tertio libro diligenter docet.

Διὰ δὲ τῶν ἀκροατῶν, ὅταν εἰς πάθος ὑπὸ τοῦ λόγου προαχθῶσιν.

Ex persona vero auditorum, quando in motum aliquem turbidum vi orationis perducti fuerint.

SECVNDVM genus fidei faciendae, quod a persona eorum, qui audiunt, proficiscitur, huiuscemodi est: cum (vt verbis Ciceronis vtar, quibus hanc sententiam in partitionibus expressit) motum aliquem animi miscet oratio: cur tantum hoc valeat ad persuadendum, statim exponit. Προάγειν autem εἰς πάθος, qui sedatum antea animum habebant, auditores perturbare valet: ac sensim eos motus, quos res nostra causaque requirit, in illis excitare. Vt autem hic προάγειν εἰς πάθος, ita in tertio horum librorum προάγειν εἰς γέλωτα inquit, cum ad risum, & effusam laetitiam deducere intelligeret.

Οὐ γὰρ ὁμοίως ἀποδίδομεν τὰς κρίσεις λυπούμενοι καὶ χαίροντες, ἢ φιλοῦντες καὶ μισοῦντες.

Non enim simili modo existimamus de rebus, cum tristes, & cum laeti sumus, vel cum diligimus, & odio habemus.

REDDIT rationem, cur multum valeat ad persuadendum haec commotio animorum: saepeq; a iudicibus, vt res nostras postulat, a nobis affectis, obtineamus ea, quae nulla alia ratione impetrassemus. variatis enim (inquit) motibus animorum nostrorum, variantur etiam iudicia: neq; eodem modo sentimus de aliqua re, cum maeremus & cum gaudemus. nec, cum quempiam diligimus, aut odio prosequimur, eodem pacto factum aliquod ipsius accipimus, sed longe aliter de eo existimamus.

Πρὸς ὃ καὶ μόνον πειρᾶσθαί φαμεν πραγματεύεσθαι τοὺς νῦν τεχνολογοῦντας.

Ad quam rem solum affirmamus nos curam suam omnem dirigere huius aetatis magistros artis.

QVOMODO animi commouerentur, magistri dicendi solum scribebant: ceteras rationes faciendae fidei omittebant: neque enim quomodo argumento aliquid concludi posset, ab illis tradebatur: quod tertium genus erat, & huius artis maxime proprium. ita autem loquitur, vt ne hoc quoq; praeclare ipsos praestitisse significet, sed tantum conatos expertosq;. Id autem, vt suspicari licet, vere dicere potuit: neque enim illi scripserant tam docte & exquisite de commotionibus animi, quam ipse scribere cogitabat: qui in hac parte accuratissimus fuit, & nihil praetermisit, quod non enucleate doceret: nec etiam efficere id poterant, qui sapientiae studiis dediti non fuerant: sine quibus de hominum naturis praecipi perfecte nihil, neq; intelligi potest.

Περὶ μὲν οὖν τούτων δηλωθήσεται καθ᾽ ἕκαστον, ὅταν περὶ τῶν παθῶν λέγωμεν.

De his igitur singillatim declarabitur a nobis, quando de motibus animorum disseremus.

OSTENDIT se omnem hunc locum copiose persecuturum, cum initio secundi libri motiones animorum explicabit: singillatimq;, quae hoc doceant, omnia traditurum. quomodo scilicet magnae varietates iudiciorum in hominibus fiant, variatis motibus animorum, & quae vis sit singularum perturbationum, vt illis postea, vt ratio ipsorum postulat, vtiliter vti oratores possint.

Διὰ

Διὰ δὲ τῶν λόγων πιστεύουσιν, ὅταν ἀληθὲς, ἢ φαινόμενον, δείξωμεν, ἐκ τῶν περὶ ἕκαστα πιθανῶν.

Vi autem orationis credunt, cum verum, aut simulatum verum, ostenderimus, sumptis ijs, quae ad persuadendum accommodata sunt in singulis rebus.

De tertio probationum genere agit, quod neq; ab eorum persona, qui dicunt, proficiscitur: neque ab ijs, qui audiunt, sed oratione ipsa efficitur: quae argumentis nititur, & hoc aut illud esse rationibus concludit. πιστεύουσιν, ij scilicet, qui audiunt: ὅταν ἀληθὲς, ἢ φαινόμενον, δείξωμεν. cum ipsi, qui verba facimus, verum, aut simulatum verum, & quod speciem saltem eius prae se ferat, concluserimus. ostendens etiam quarum rerum praesidio id fiat, inquit: ἐκ τῶν περὶ ἕκαστα πιθανῶν: singulae enim res quaedam habent ad ipsas confirmandas apta: siquis illa inuenire queat: hae, grauiora: illae vero, tenuiora. Cum igitur a rebus ipsis argumenta ducantur, id rhetores quidam spectantes, vt supra indicaui, tertium hoc genus fidei faciendae, in re positum dicebant.

Ἐπεὶ δ' αἱ πίστεις διὰ τούτων εἰσὶ, φανερὸν ὅτι ταῦτα τρία ἐστὶ λαβεῖν, τοῦ συλλογίσασθαι δυναμένου, καὶ τοῦ θεωρῆσαι περὶ τὰ ἤθη καὶ περὶ τὰς ἀρετάς. καὶ τρίτον, τοῦ περὶ τὰ πάθη.

Quia autem probationes per haec fiunt, perspicuum est, eius esse haec consequi, qui valeat ratione concludere, ac videre, quae ad mores & virtutes faciunt: &, quod tertium est, quae ad motus animorum.

Qui perfectus orator esse vult, tria haec teneat oportet: nosq;, qui huiuscemodi oratorem informamus, talem fingere debemus, qui facultatem habeat haec efficiendi. Quoniam (inquit) declaratum est has vias esse probandi, quod velis: nec aliam vllam fidei faciendae rationem inueniri, dubitare non possumus, quin ille, qui argumento concludere didicerit: eiusque rei facultatem habeat: nec non possit etiam videre, quae ad mores & virtutes pertinent: ac praeterea, quae ad motus animorum faciunt, tria haec percipere queat, eximieque illa conficere, atq; obire, idest fidem facere ac probare, & argumentis & morata oratione, & motibus animorum excitatis. Verba ita construi debere puto. ἐστι τοῦ συλλογίσασθαι δυναμένου καὶ τοῦ θεωρῆσαι. & quae sequuntur, λαβεῖν τρία ταῦτα: Qui enim cuncta haec praeclare tenet, idest qui ratione concludere: contemplari naturas hominum ac mores, resq; deniq; bonas, ac malas distinguere potest: nec non, quae vis sit singularum perturbationum didicit: quomodo illae excitentur: quibusq; adiumentis, cum vsus venerit, tria illa praestare poterit: qui contra harum rerum rudis erit, munus suum numquam implebit.

Τί τε ἕκαστόν ἐστι τῶν παθῶν, καὶ ποῖόν τι, καὶ ἐκ τίνων ἐγγίνεται, καὶ πῶς.

Qui singuli motus sint, & quales, & ex quibus conflantur, & quomodo.

Et videre potuerit naturam singularum perturbationum: & quae res illas constituunt, ab alijs, quae diuersae ab ipsis sunt, secernentes. & ex quibus factis, dictisue in animis nostris excitantur: quomodoq; nobis affectis: quae omnia accurate ab ipso eo loco explicantur.

Ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν, οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας: ἣν δίκαιον ἐστὶ προσαγορεύειν πολιτικήν.

Quare contingit artem dicendi esse tamquam adnatum quoddam rationis disserendi, & scriptionis eius, quae est de moribus, quam iustum est appellare ciuilem.

Cum oratorem ostenderit, qui praeclare munus suum sustinere queat, ita ab arte instructum esse oportere, vt oratione se probum, beneq; moratum virum esse indicare possit: & animos eorum ita afficere, apud quos aget, vt ei commodum est, & causa ipsius postulat: nec non argumenta etiam adhibere & cum ratione, quod vult concludere, nunc naturam artis propius respicit: & inquit ipsam adnatum quoddam dialectices, ac ciuilis facultatis videri: quod ex ambabus conflata sit & multam similitudinem illarum retineat. Vtitur autem ad rem explanandam verbo translato, & a re aperta simile ducit: vt enim, qui ad radices arborum pulli nascuntur, naturam illarum stirpium reddunt, in quibus procreati: minores tamen sunt,

neq;

Probationes ex oratione

Probabit optime
que ratione concludat
qui videat que pertinent ad
qui que ad motus

Neminem
Motus qui sint
quales
ex quibus

Rhetorica est adnata
dialectica, et ethica

neq; eosdem fructus, quos matres ferunt: ita etiam rhetorice, quae è ciuili facultate & disserendi ratione exorta est, multam cum illis similitudinem habet, & naturam earum redolet. minor tamen res est, neq; tam egregia bona gignit. pulli tamen, qui ad arborum stirpes nascuntur, vnam tantum matrem habent: rhetorice vero duas: neq; enim ex sola dialectica, aut politica generata est, sed a radicibus ambarum profecta. Alibi quoq; hoc simili vtitur: & apte sane, atq; accommodate: in primo enim libro de moribus ad Nicomachum inquit: παραφυάδι γὰρ τοῦτ' ἔοικε καὶ συμβεβηκότι τοῦ ὄντος. Cum autem in excusis hic antea legeretur ἐκ τῆς περὶ τὰ πάθη, secutus auctoritatem antiquissimi libri, emendaui, περὶ τὰ ἤθη. Vetus quoq; tralatio hanc scripturam exprimit. Infra etiam, hunc ipsum locum intelligens, eodem pacto locutus est. Valet autem id multū ad hanc lectionem confirmandam: ὅπερ γὰρ καὶ πρότερον εἰρηκότες τυγχάνομεν, ἀληθές ἐστιν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ σύγκειται μὲν ἐκ τῆς ἀναλυτικῆς, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς: libros enim de vita ac moribus: omnemq; illarum rerum explicationem, appellat, vt consueuit, περὶ τὰ ἤθη πραγματείαν. quod autem partem illam philosophiae optimo iure πολιτικὴν dici posse narrat, non discrepat a sententia, iudicioq; suo: ita enim semper viginti libros, in quibus & de vita & moribus, & de optimo statu reip. disputarat, vocauit: in primo certe libro de moribus ad Nicomachum inquit. τὰ δὲ καλὰ, καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖ. de quibus certe rebus: honestis (inquam) iustisq; ciuilis ratio quaerit: in libris autem, qui ἠθικὰ nunc, non πολιτικὰ inscribuntur, hoc fieri perspicuum est. In eodem etiam non multo ante haec verba. ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται, πολιτική τις οὖσα. quem locum Aphrodisiensis, fidelis interpres Aristotelis, in extremo prooemio commentariorum εἰς τὰ πρότερα ἀναλυτικὰ adduxit, eruditeque explicauit: cùm Graeci alij interpretes eorum librorum in eo declarando lapsi sint.

Simill. Politica è Rhetorica

Διὸ καὶ ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα, τὸ τῆς πολιτικῆς, ἡ ῥητορική. ὑποδύομαι

Ideoque subit speciem ciuilis facultatis ars dicendi.

EO vitio laborat ratio dicendi, quo ferme cunctae res laborare consuerunt: omnes enim dignitatem suam omni pacto augere volunt, & rerum superiorum personas sibi asciscunt. Rhetorice, quae inferiorem se ciuili facultate intelligit, politica videri vult: & omnia facit, vt dignitatem illius sibi adsumat: nullaq; demum in re se ab illa discrepare affirmat, sed, quaecunque ab ea fiunt, a se quoq; commode fieri posse tradit. Eodem modo loquendi, qui sane elegantissimus est, vtitur ipse in tertio libro metaphysicorum, in re paene eadem exponenda: quod enim rhetorice facit, vt eandem sibi personam induat, quam dialectice gerit, faciebant & sophistae, & dialectici: ipsi enim quoque se pares assimilesque esse philosopho, nimis gloriose dicebant, verba ipsius sunt. οἱ γὰρ διαλεκτικοί, καὶ σοφισταὶ τὸ αὐτὸ μὲν ὑποδύονται σχῆμα τῷ φιλοσόφῳ: improbe enim hoc ipsos facere docet: qamuis enim eandem rerum siluam habeant: circaque idem stratum versentur, multa tamen discrimina inter ipsas sunt: longeque minor dignitas vtriusque facultatis est, quam primae philosophiae: sophistes namq; simulata sapientia contentus est, cum primus philosophus veram quaerat. Dialecticus vero commune hoc tantum cum eo habet, quod de omnibus rebus disputare se posse putat, cum haec propria suaq; ipsius materies sit.

Καὶ οἱ ἀντιποιούμενοι ταύτης, τὰ μὲν, δι' ἀπαιδευσίαν: τὰ δὲ, δι' ἀλαζονείαν: τὰ δὲ καὶ ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς.

Et qui vendicant sibi hanc, partim propter inscitiam, partim ob inanem gloriam, partim ob alias humanas causas.

EODEM desiderio (inquit) tenentur, qui huic arti incumbunt: ipsi enim quoq; rationem tenere se reip. administrandae profitentur: ac posse de ciuitatibus regendis praecepta tradere, videri volunt. Carpit enim sui temporis rhetoras, qui propter coniunctionem, quam habet dicendi ars cum ciuili facultate: quae totam institutionem sibi propositam habet ciuitatis, cum haec in parte tantum versetur, & ipsam in vniuersum ciuilem facultatem, vt nulla re diuersam a rhetorica, sibi arrogabant: & aut ipsi fallebantur, aut alios fallere studebant: neque enim vna tantum de causa haec cupiditas in animis hominum gignitur: partim namque imperitia: partim ostentatione, ac vento: partim aliis rebus impelluntur, vt maiora sibi tribuant, quam vere sustinere possint. In omni autem contemplatione, & quae ratione vtatur ac via, rerum animaduersione, duos extare modos, quibus illae res teneri possint, ipsemet testatus est: quorum alterum, exquisitiorem scilicet, ἐπιστήμην, scientiamque illius rei oportere vocari: alterum vero, tamquam παιδείαν, eruditionemque quandam, non perfectam penitus, neq; absolutam, affirmauit. contrarium prioris illius (nisi fallor) Graecis est ἄγνοια: posterioris

rioris vero, quo verbo hic vtitur philosophus, ἀπαιδευσία, cum aliquis videlicet earum rerum rudis omnino est. Partes πεπαιδευμένου esse voluit, facultatem habere acute videndi, quid recte, aut contra dicitur ab eo, qui disserat de aliqua re: quamuis ipse, cum praecepta omnia eius artis cognita non habeat, id, de quo, tractato ab alio, subtiliter iudicat, praestare non possit: & existimare denique, maneat ne ille in principijs, rationibusq; proprijs eius scientiae, an vagetur, vtaturq; ad probandum quod vult, alienis, & inanibus rationibus. nec non etiam ita appellabitur, qui ipse non exit e strato suo, sed manet intra fines eius artis, quam profitetur. Ἀπαιδευσία contra, habitus animi illius, qui neutrum valet, nec potest recte iudicare de disputatione alicuius; & ipse etiam ob imperitiam migrat e suis finibus, vt hic partem horum oratorum ipsa laborare dicit, qui non intelligant, quid sui muneris sit, & profiteantur se politicos: quamuis crebrius hoc nomine vtatur de illis, qui non queunt de officio alicuius existimare: nec sciunt, quid postulandum ab ipsis sit, & quae ratio illius rei, quam docent, probari debeat: vt in primo libro de moribus ad Nicomachum: & in iij. τῶν μετὰ τὰ φυσικά, vbi inquit. Ἔστι γὰρ ἀπαιδευσία τὸ μὴ γινώσκειν τίνων δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν, καὶ τίνων οὐ δεῖ. In primo vero de moribus ad Eudemum hanc ipsam ἄγνοιαν vocasse videtur, cum de quibusdam loquens, qui, cum philosophi munus esse scirent, nihil inconsiderate dicere, ac temere effutire, sed rationem omnium rerum afferre, saepe non videbant se alienas a materia illa, atq; inanes rationes vsurpare: hoc enim addit ipsos facere. ὅτι μὲν δι' ἄγνοιαν· ὅτι δὲ δι' ἀλαζονείαν. Animaduertendum autem, superiora verba, quae expressi, turpi nota in excusis libris esse oblita: cum enim ita habeant. εἰσὶ γάρ τινες, οἳ διὰ τὸ δοκεῖν φιλόσοφοι εἶναι, τὸ μηδὲν, εἰ μηδὲν λέγειν: & quae sequuntur, legi omnino debet, μηδὲν εἰκῆ λέγειν. Quae macula alium etiam supra locum eodem in libro foedauit. εἰ μὴ γὰρ λέγουσι σχεδὸν περὶ ἁπάντων: emendare namq; oportet εἰκῆ. loquitur de idiotis hominibus, ac multitudine ipsa, quae nulla consideratione rerum habita, temere dicit, quod in buccam venit. Coniectura autem in posteriore hoc scripturae vitio corrigendo vsus sum, cum in priore illo iudicio meo astipuletur etiam scriptus codex. Ita vero crebro loqui hunc scriptorem certum est. In primo libro τῶν μετὰ τὰ φυσικά, significans eum, qui primus mentem voluerit causam esse & mundi huius, & totius seriei, inquit, οἷον νήφων ἐφάνη, παρ' εἰκῆ λέγοντας τοὺς πρότερον. In xiij. etiam epistolarum ad Atticum Cicero, superiore illo Graeco verbo vsus est. Quod erat hominibus ignota, non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in his rebus, ἀτριψία. de Academiae autem ratione loquitur, quam nobilissimis viris ignotam fuisse tradit, non quod optimarum disciplinarum rudes illi omnino forent, sed, quod tam subtiles res longo vsu, assiduaue cogitatione tritas non haberent. Magistri igitur dicendi quidam, & oratores imperitia hac, erroreq; ducti, maiora prae se ferebant, quam vere studium illud praestare poterat. Alij vero, qui in idem vitium incidebant, se fucum facere intelligebant, sed tamen ita leues ingenio erant: & tanto desiderio honoris, ac laudis flagrabant, vt scientes, volentesq; peccarent: haec enim ἀλαζονεία est, quam ventum (vt arbitror) Lucretius appellauit: cum enim cecinit, magis omnia laudis, Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas. Iactari causa, elegantissime ἀλαζόνα descripsit. Talem autem ingenio M. Lepidum ventosissimum in epistola ad Ciceronem D. Brutus appellat. Plautus gloriosum reddidit, vt ipsemet testatur in fabulae prologo, cui ab his moribus nomen impositum est. Adiunxit etiam Aristoteles, cur alienas personas assumerent, nec sua contenti essent, qui dicendi facultatem haberent, plures etiam causas adferri posse, quae tamen non omnes exponi deberent: nec facile etiã possent. quis enim occultas hominum voluntates, & varia hominum desideria vmquam explicaret?

Ἔστι γὰρ μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα, καθάπερ καὶ ἀρχόμενοι εἴπομεν. Rhet.a ē pars quedā logic[...]

Est enim particula quaedam rationis disserendi & simulachrum, quemadmodum initio diximus.

QVOD paulo antea, translato nomine, protulit, nunc proprio, tradit. non tamen nunc conflatam e duab. facultatib. eam dicit, sed particulam esse disserendi rationis, & eam effingere affirmat. Quintilianus hunc locum, siue superiorem illum intelligens: inquit, Sed idem & de arte rhetorica tris scripsit, & in eorum primo, non artem solum illam fatetur, sed ei particulam ciuilitatis, sicut dialectices assignat. Particula γὰρ eandem vim hic habet quã in loco illo, e quarto libro metaphysicorũ: quem supra adduxi: ad refellendum enim eorũ, qui ita se gerent, errorem vitiumq; posita est, declarandumq; eos improbe facere: ἡ γὰρ σοφιστικὴ φαινομένη μόνον σοφία ἐστὶν illic inquit. Quamuis. n. idem stratum habeat, quod prima philosophia: circaq; easdem res versetur sophistica: non tamen culpa vacat, cũ se superiorem illã videri vult, personamq; ipsius sibi adiungit: est enim specie tenus sapientia: similitudinemq; tantũ illius quandã tenet. Hic vero: ἐστὶ γὰρ μόριον valet: peccare artem dicendi, cum subit personam politices, & dignitatẽ illius sibi asciscit: nec enim politica est, sed particula tantũ quaedam dialectices: & quae sequuntur. ὁμοίωμα vero est simulacrum & effigies. In x. item libro de moribus ad Nicomachum eodem verbo aptissime vtitur:

Dijs enim (inquit) immortalibus omnis vita beata: hominibus, quatenus ipsis imago quaedam talis actus adest. ἐφ' ὅσον ὁμοιώματι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει.

Περὶ οὐδενὸς γὰρ ὡρισμένου οὐδετέρα αὐτῶν ἐστὶν ἐπιστήμη, πῶς ἔχει.

De nulla enim definita re neutra ipsarũ scientia est, quae tradat, quomodo se habeat.

HABENT hoc commune inter se, & differendi, & dicendi ars, quod neutra ipsarum definitae alicuius rei naturam quaerit: vt scientiae, & artes aliae facere solent: de quo ipse supra, exemplis & medicinae, & goemetriae, & arithmeticae allatis, disputauit: neque enim in potestate rerum explicanda occupatae sunt, sed tantum viam ac rationem tradunt, hanc, aut illam rem argumentis quibusdam, aut confirmandi, aut euertendi: quae vero vis earum rerum sit, non curant. Hoc valet (vt opinor) πῶς ἔχει. Hic quoq;, vt supra, ἐπιστήμην capit pro intelligentia. Cicero Latinum verbum, quod huic respondet, & ipse ita multis locis vsurpauit, vt cum in Oratore inquit.
» Sed etiam vicinam eius atq; finitimam, dialecticorum scientiam adsumere.

Ἀλλὰ δυνάμεις τινὲς τοῦ πορίσαι λόγους. περὶ μὲν οὖν τῆς δυνάμεως αὐτῶν, καὶ πῶς ἔχουσι πρὸς ἀλλήλας, εἴρηται σχεδὸν ἱκανῶς.

Sed facultates quaedam sunt comparandi rationes. de vi igitur & potestate ipsarum, & quomodo se habeant inter se, dictum ferme est satis.

VERVM (inquit) facultates quaedam ambae sunt comparandorum argumentorum, rationi suae accommodatorum. Rhetorice sane videndi in omni materie, quid illic est ad fidem faciendam aptum. quod supra ipse testatus est. Dialecticen etiam non fugit, quid in quaq; quaestione aptum sit, ad illam confirmandam argumentis, aut euertendam. His autem prolatis, addit se omnia ferme explicasse, quae ad naturam harum finitimarum artium explicandam valent: & quomodo illae inter se coniunctae sunt, declarandum.

Rhetorica argumẽtationes duas: Enthimema; Inductio

Τῶν δὲ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς, τὸ μὲν, ἐπαγωγή ἐστι: τὸ δὲ, συλλογισμός: τὸ δὲ, φαινόμενος συλλογισμός, καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως.

Eorum autem, quae fiunt demonstrando, seu vere, seu specie tenus id fiat, quemadmodum in illis, quae sunt artis differendi, vnum eorum est inductio: alterum autem syllogismus, quoddam etiam, simulatus syllogismus, & hic simili modo.

CVM vtriusq; artis vim: quomodoq; inter se illae affectae sint, docuisset: nunc transit ad probationes eas explicandas, quae aut verae, aut specie tenus aliquid demonstrant: neque enim, quod supra quoq; ijsdem verbis declarauit, veris tantum vtitur ars dicendi, sed simulatis etiam: & quae vera videantur, quamuis non sint. In hoc etiam assimilis est facultas dicendi dialecticae, quod paene iisdem, quibus illa, vtitur instrumentis ad faciendam fidem. In numero etiam ei cum ipsa conuenit: duo enim habet dialectice: non plura autem, nec pauciora rhetorice: validiora tamen acrioraq; dialecticae instrumenta sunt: imbecilliora vero, remissioraq; rhetorices. ἐνταῦθα autem intelligo, ἐν τοῖς ῥητορικοῖς, idest in oratorijs rebus, in studio ac facultate hac, quam tradimus: quemadmodum paulo ante dixerat ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς: vocauit enim illic διαλεκτικά, quae ad rationem differendi, facultatemq; eam pertinent. ῥητορικὰ autem neutro genere, id, quod
» ostendi, significans, saepe inquit. vt in viij. libro Topicorum. ὁμοίως δὲ καὶ ἐν ῥητορικοῖς ἐπὶ τῶν ἐνθυμημάτων: & non semel in Sophisticis elenchis. verum de hoc infra accuratius disputabo. Restitui autem hic, secutus fidem antiquissimi libri, quae in excusis non legebantur, verba illa: τὸ δὲ, φαινόμενος συλλογισμός: ea vero a vetere quoq; tralatione expressa sunt.

Ἔστι γὰρ τὸ μὲν παράδειγμα, ἐπαγωγή: τὸ δ' ἐνθύμημα, συλλογισμός.

Est enim exemplum, inductio: enthymema autem, syllogismus.

DECLARAT similitudinem harum artium: ijsdemq; paene instrumentis vti artem dicendi, quibus differendi rationem, quae certe ad illa referuntur, & eorum imago sunt: docet enim exemplum, quo vtuntur oratores, esse inductionem, proprium dialecticorum instrumentum: enthymema autem, & ipsum in vsu oratorum, effigiem esse syllogismi: quo, tamquam telo, vtuntur dialectici. Cum autem hic quoq; locus mutilus in cunctis excusis codicibus, & non paucis scriptis esset, restitui illum ope antiquiss. libri: in eo enim restiterunt, quae in reliquis defecere. sed illa etiam a vetere tralatione fideliter expressa sunt. alter etiam scriptus liber non malus, qui Francisci Puccij fuit, hac parte integer est: quod enim sententiam impleret, habet: ita namque in eo legitur. ἔστιν ἐν τῇ ῥητορικῇ, τὸ μὲν, ἐνθύμημα: τὸ δὲ, παράδειγμα. veriorem tamen superiorem lectionem puto.

Καλῶ

Καλῶ δ᾽ ἐνθύμημα μὲν, ῥητορικὸν συλλογισμόν: παράδειγμα δὲ, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν.

Voco autem enthymema, oratorium syllogismum: exemplum autem, inductionem oratoriam.

enthimema syllogismus Retoricus

VOCO autem (inquit) enthymema, syllogismum, non tamen absolute illum quidem, verum oratorium: & ita conformatum, vt huic studio aptum sit. & exemplum, inductionem, & ipsam oratoriam, & his rebus confirmandis accommodatam, non omnino, veramq; inductionem. Quintilianus libro v. inquit. » Enthymema ab alijs oratorius syllogismus: ab alijs, pars dicitur syllo» gismi: nec animaduertit hunc auctorem vtroq; modo ipsum appellare: hic enim aperte, oratorium syllogismum: in extremo secundo τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν, inchoatum, imperfectumque syllogismum eum vocauit: ἀτελῆ συλλογισμὸν partem syllogismi (vt arbitror) reddidit Quintilia» nus. eodem autem capite inquit. Nunc alij, rhetoricum syllogismum: alij imperfectum syllo» gismum vocauerunt.

Πάντες δὲ τὰς πίστεις ποιοῦνται διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα: καὶ παρὰ ταῦτα οὐδὲν πως.

Omnes autem probant demonstrando, siue exempla adferentes, siue enthymematibus vtentes, & praeter haec nihil est aliquo modo.

NON (inquit) vt aliquis fortasse suspicari posset, omnes, qui dicendo aliquid probant, demonstrando id, argumentandoque probare: id enim falsum foret: faciunt enim saepe fidem oratores bonam de se opinionem in animis eorum, qui audiunt, oratione excitantes, aut eorundem etiam animos commouentes: sed omnes, qui tertiam hanc rationem adhibent, & docendo confirmandoque aliquid concludunt, necessario aut exemplis, aut enthymematibus vti: exceptis enim his duobus, nihil aliud fere habent, quo vtantur. Quod enim addidit, πῶς, quasi vocem illam, quae penitus destitutos ipsos omni alia ope affirmabat, temperans, valet (vt puto) si aliud ipsis praeterea restat, leue illud esse: nec magnum aliquod momentum habere ad fidem hoc pacto faciendam, aut partem horum ipsorum esse, cum sententiae, quae appellantur non parui ponderis ad aliquid probandum, sint pars enthymematis.

Ὥστ᾽ ἐπεὶ καὶ ὅλως ἀνάγκη συλλογιζόμενον ἢ ἐπάγοντα, δεικνύναι ὁτιοῦν ἢ ὁντινοῦν (δῆλον δ᾽ ἡμῖν τοῦτο ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν) ἀναγκαῖον ἑκάτερον αὐτῶν, ἑκατέρῳ τούτων τὸ αὐτὸ εἶναι.

Quapropter, si omnino necesse est vtentem syllogismo vel inductione demonstrare vnamquamq; rem, siue vnumquemq; hominem (perspicuum autem est hoc nobis ex Analyticis) necesse est vtrumq; ipsorum idem esse, quod vtrumque horum.

QVARE (inquit) si omnino necesse est, qui probare aliquid argumentis velit, eum aut syllogismo, aut inductione vti, de quo dubitari non potest: perspicuum namque est ex ijs, quae in Analyticis libris explicata iam sunt, necesse est vtriusq; illorum naturam, vtriq; horum, parem, eandemq; esse: vt quod alterum scilicet apud dialecticos sit, alterum sit apud oratores: quod in reliquis etiam duobus valeat: si namque diuersum aliquid discrepansq; haec forent ab illis, cum manifesto, & enthymematibus, & exemplis multa probentur, non verum esset solas duas illas rationes demonstrandi inueniri. Quod vero inquit, ὁτιοῦν ἢ ὁντινοῦν, cum in genere neutro ὁτιοῦν dixit, intellexit negotium aliquod factumue: cum vero virili ὁντινοῦν, personam hominemue: vsu enim saepe venit differentibus ostendere factum aliquod, aut honestum, aut turpe: nec non hominem, aut probum, aut improbum esse. Siue igitur quidpiam (inquit) de facto aliquo: siue persona, concludatur, necesse est huc descendere.

Τίς δ᾽ ἐστὶ διαφορὰ παραδείγματος καὶ ἐνθυμήματος, φανερὸν ἐκ τῶν τοπικῶν: ἐκεῖ γὰρ περὶ συλλογισμοῦ, καὶ ἐπαγωγῆς εἴρηται πρότερον.

Quid autem discriminis sit inter exemplum & enthymema, manifestum est ex Topicis: illic enim de syllogismo & inductione dictum est prius.

Ex his (inquit) quae in Topicis iam tradidimus, perspicuum est, quod discrimen inter exemplum, & enthymema sit: qui enim, quod illic accurate expositum est, qua nam in re discrepet syllogismus ab inductione didicerit, facile cognoscet, quid differat exemplum ab enthymemate. cum haec simulachra quaedam eorum sint: atq; inde formentur: intelligentur enim iisdem rebus haec, quibus illa, inter se differre.

Quod in Topicis Inductio, hic exemplum vocari

Ὅτι τὸ μὲν ἐπὶ πολλῶν καὶ ὁμοίων δείκνυσθαι, ὅτι οὕτως ἔχει, ἐκεῖ μὲν, ἐπαγωγή ἐστιν: ἐνταῦθα δὲ, παράδειγμα.

In multis quidem & similibus ostendere ita se rem habere, illic quidem inductionem esse: hic autem exemplum.

Neque enim ex vna, aut altera re, in vniuersum aliquid verum esse, concludi potest: aut ex rebus etiam disparibus inter se. sed, vt recte aliquid, firmiterq; concludatur, oportet plurimas res sumere, & eas pares inter se, similesq;. hoc seruandum esse aperte praecipit Aristoteles. Alexander interpres accusat illos, ac falso sentire docet, qui dicerent inductionem a simili ad simile progredi: neq; enim (inquit) quod in vniuersum dicitur, simile est singularibus, quae ipsi subiacent, & in parte sunt. praecipue autem inductio frequentatur, cum aliquid in vniuersum verum esse ostenditur. Id autem, quod a simili ad simile progreditur, magis sapit naturam exempli. Haec docte, accurateq; disseruit Aphrodisiensis: neq; tamen ea repugnant his, quae nunc ab Aristotele traduntur: nec enim ipse, vt illi aiebant, a simili ad simile proficisci dixit inductionem, sed eum, qui inducere vellet, plura & inter se similia colligere debere affirmauit. Cicero in Topicis, cum inductionis naturam describeret, verbum hoc expressit: nec postea aliquid addidit, quo doceret similia illa inter se, aut notiora, quam illud, quod induceret, esse debere. quod diligenter seruauit Aristoteles: in viij. enim Topicorum inquit. » Ἐπακτέον μὲν ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον, ἐπὶ τὰ » καθόλου: καὶ τῶν γνωρίμων, ἐπὶ τὰ ἄγνωστα. Ciceronis ipsius verba sunt. Haec è pluribus, perue» niens, quo vult, appellatur inductio: quae Graece ἐπαγωγὴ nominatur.

Φανερὸν δ' ὅτι καὶ ἑκάτερον ἔχει ἀγαθὸν τὸ εἶδος τῆς ῥητορικῆς.

Perspicuum autem est, vtrumque bonum in se habere formam rhetorices.

Appellat (nisi fallor) εἶδος ῥητορικῆς artem ipsam, facultatemq; dicendi: quam exploratum esse dicit vtrumq; in se bonum habere: idest vti posse, & exemplis, & enthymematibus. Bona autem apellat, quia ope illorum orator fidem facit: nec paruum inde commodum capit. In secundo quoq; horum librorum eodem intellectu hoc verbum videtur cepisse, cum inquit. εἰσὶ » δ' οἱ λόγοι δημηγορικοὶ, καὶ ἔχουσιν ἀγαθὸν τοῦτο. habent in se hoc commodi fabellae: praeditaeque sunt hac dote. In antiquissimo libro varietatis hoc offendi, quod ῥητορείας ille, non ῥητορικῆς, habet. reliqui omnes cum excusis faciunt, quos sequendos in hoc censeo.

Καθάπερ γὰρ καὶ ἐν τοῖς μεθοδικοῖς εἴρηται, καὶ ἐν τούτοις ὁμοίως ἔχει.

Quemadmodum enim in methodicis dictum est, & in his similiter se res habet.

Libros videtur intelligere, a se ita inscriptos: in quibus tamen de ratione disserendi: aliquoue, quod ad artem illam pertineret, ageretur: μεθοδικὰ enim vocauit. Octo autem eo titulo edidisse Laertius in ipsius vita narrat: neq; enim alibi logicae facultatis libros ita generatim appellauit: nec, quae intelligit, in his, quae habemus scripta ipsius, explicauit: quamuis enim in extremo viij libro Topicorum id tangat, non tamen accurate tradit, sed vt de re nota loquitur. Eodem igitur pacto se res habet (inquit) in facultate dicendi, vt in disserendi ratione: vt enim illic, quibus ea vtatur, reperitur syllogismus & inductio, ita hic enthymema & exemplum, de quo in methodicis copiose disputatum: illic enim hoc verum esse, antea declaratum est. Cum autem in his quoq; eodem modo se rem habere dixerit, intelligere debemus, vt se habet in studio dialecticorum. Eorundem librorum meminit Simplicius in commentariis εἰς κατηγορίας, cum explicaret ea, quae ante ipsarum expositionem auctor praecepit: ac responderet illis, qui Aristotelem insimulabant, quod neq; negationes, neque priuantia nomina, neque verborum inclinationes, disputatione illa complexus foret: vbi etiam alios eiusdem commentarios, qui defecere, appellat, scribens. ἢ πρὸς τοῦτο αὐτὸς Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἀπεκρίνατο: καὶ γὰρ ἐν τοῖς μεθοδικοῖς, καὶ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι, καὶ ἐν ταῖς διαιρέσεσι, καὶ ἐν ἑτέρῳ ὑπομνήματι, & quae sequuntur.

Τὸ δὲ, τινῶν ὄντων, ἕτερόν τι διὰ ταῦτα συμβαίνειν, παρὰ ταῦτα, τῷ ταῦτα εἶναι, ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ: ἐκεῖ μὲν, συλλογισμός: ἐνταῦθα δὲ, ἐνθύμημα καλεῖται.

Hoc

Hoc autem, quibusdam existentibus, aliud quippiam per haec contingere, praeter haec, quod haec sint, vel in vniuersum, vel vt plerunque: illic quidem, syllogismus: hic autem, enthymema vocatur.

SYLLOGISMI vim, naturamq; in diuersis suis scriptionibus, non iisdem verbis semper, descripsit Aristoteles, vt, qui, quid illae res, de quibus ageret, requirerent, tunc maxime spectaret. In primo igitur Analyticorum priorum, & in primo itidem Topicorum: nec non in libro περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων hoc fecit, vt nunc quoq;, cum dicendi artem traderet, quamuis non proprium telum ipsius hoc sit, verum, vt simulachrum eius vmbramq; esse doceret enthymema. quo ipso in loco affirmat, cum, existentibus quibusdam, aliud quippiam, eorum ipsorum vi contingit, quod ab ipsis diuersum sit, nulla tamen alia de causa, nisi, quod illa sint, vsu veniat, siue in vniuersum id fiat, siue plerunque, in disserendi ratione, syllogismum esse: in dicendi vero, enthymema appellari. Vt igitur, quae discrepantia videntur, in his eiusdem rei definitionibus animaduertamus, simulq; intellectum eorum verborum, &, qua mente singula protulit, videamus, quod reliquis omnibus in locis τεθέντων inquit, hic ὄντων vocauit. valet autem illud positis, atq; concessis, vt Graeci interpretes testantur, qui id verbum accurate declarant. Generis autem nomen hic aperte non protulit, vt in Analyticis, & Topicis fecit, quibus in libris syllogismum λόγον esse tradidit, idest orationis speciem: multitudinis tamen numero ὄντων (inquit) vt illic τεθέντων, quia vna tantum re posita, constitutaq; nihil ratione hac efficitur: minimum enim duae propositiones requiruntur, vt quippiam necessario concludatur. quod si enthymema vna tantum contentum videtur, id fit, quia altera, quamuis ab eo, qui dicit, non proferatur, ab auditore tamen adiungitur: est namq; illa nota, &, quin id verum sit, dubitari non potest. Quod, nisi huiuscemodi foret, ille non assentiretur, sed afferri sibi causam eius, quod conclusum est, postularet. Quod vero tribus in reliquis definitionibus addidit τῶν κειμένων, quo significauit oportere, vt diuersum sit, illud, quod concluderetur, ab ijs, quae posita essent, hic reliquit, ac sine illo tamen intelligi idem existimauit. Diuersum autem esse debere inquit, quia si idem, quod sumptum esset, concluderetur, inutile negotium foret, nec quicquam lucri tanto studio fieret: quod prorsus alienum est a natura, & syllogismi, & enthymematis: quae instrumenta, & tamquam arma quaedam sunt, & sumuntur aut ad se tutandum, aut ad aduersarium infringendum: vt, quae vtilitatem nullam in se habeant, nec aliquid ostendant, quod ignoraretur antea, obscurumque foret huiuscemodi haberi non debeant. Eodem autem pacto non addidit hic, quod in illis retinuit ἐξ ἀνάγκης. Quibus verbis ostendere voluit, conclusionem, concessis illis, necessario consequi: nec postea resisti posse, quin ita se res habeat: antea enim pugnandum esse ab eo, qui capi nolit: fortasse quia enthymemata, quae a nota non certa, propriaq; ducuntur, ob vitium propositionum, formaeue syllogismorum, qua continentur, id non habent, nec important necessitatem aliquam, vt ea etiam, quae a verisimili proficiscuntur. διὰ ταῦτα vero hic inquit, indicans opera, viq; illarum, non aliunde concludi, quod efficeretur. His autem verbis in Analyticis interpretatus fuerat, quod horum loco illic posuerat, τῷ ταῦτα εἶναι: quo enim illic vsus est declarationis causa, vt, si quid obscuritatis in primis verbis fuerat, tolleretur, eo nunc vtitur in definitione ipsa: contraq; hic illo ipso ad declarandum vtitur, quod illic declaratum ijs verbis, atque explicatum fuit: sed ne declarationem quidem ipsam satis apertam, ac dilucidam esse putauit, sed, quid illa valeret, pluribus exposuit, docens ita accipi ipsam debere, vt significet nullo ipsam termino, idest nulla particula propositionum, extra sumpto, egere ad necessitatem inuehendam, omneq;, quod opus foret, illic inueniri. quod, quamuis hic non addat, ita accipere tamen alterum horum debemus, aut vtrunq;, vt hoc ipsum valeant. Quod concluditur nasci, atq; effici sine vllo alio, extrinsecus accito praesidio: si non in omnibus conclusionibus, saltem in illis, in quibus necessario illa sequitur: nam relinquere id potuit hoc in loco eadem de causa, qua supra indicaui, arbitrari me reliquisse illud ipsum ἐξ ἀνάγκης. Omisit autem postrema haec in Topicis, quae aperiendae, illustrandaeq; definitioni aliis in locis sumpta sunt, multoq; breuior fuit in euoluenda natura syllogismi: διὰ τῶν κειμένων enim dicens, satis intelligi posse putauit, quod a propositionibus, quae primo sumptae sunt, oriretur, inde nasci, atq; effici: nec vlla alia re foris aducta egere. Quod vero hic in extremo addit: non tetigit autem in aliis definitionibus. ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, significat, quod concluditur è propositionibus illis, aut in vniuersum, semperque, aut plerunque vsu venire: neque enim semper id eiusdem generis est: res enim non nullae, quae concluduntur, necessariae sunt: aliae vero fere contingunt, magnaque ex parte eo pacto se habent, vt in verisimilibus, ac signis euenire planum est.

Εἰσὶ γὰρ αἱ μὲν, παραδειγματώδεις ῥητορεῖαι: αἱ δὲ, ἐνθυμηματικαί. καὶ ῥήτορες ὁμοίως: οἱ μὲν, παραδειγματώδεις: οἱ δὲ, ἐνθυμηματικοί.

Eiusdem orones exemplis; quidam enthymematis constant.

Extant enim quaedam orandi rationes, quae constant exemplis: aliae autem, quae enthymematibus. & oratores similiter, hi quidem vtentes exemplis: hi vero enthymematibus.

OSTENDIT id verum esse, quod tradiderat, facileq; ab omnibus perspici posse: vtrumq; scilicet habere praesidium, quo in rebus suis confirmandis vtatur, artem dicendi: sunt enim (inquit) dictiones quaedam fusae de aliqua re, quae constant exemplis: sunt etiam, quae totae positae sunt in enthymematibus: quemadmodum etiam oratores nonnulli, qui delectentur exemplis: vt alij quoque, qui libenter vsurpent enthymemata. quod etiam in disputandi facultate verum esse planum est, atq; in illis libris declaratur: nec enim desunt illic, qui syllogismos in demonstrando frequentent, vt alij, qui inductionibus vtantur: nam Socratem ipsum inductione plurimum vsum fuisse in sermonibus suis constat. Sunt autem ῥητορεῖαι, sermones eloquentium, explicationes copiosae aliquarum rerum, ac dictiones ornatae: sic enim crebro Cicero loquitur: qui in Oratore etiam, vnde ῥήτωρ dictus, expoluit. Sed & Graece ab eloquendo, rhetor, & Latine, eloquens, dictus est.

Exempla eque probat ac enthymemata; sed

Πιθανοὶ μὲν οὖν οὐχ ἧττον οἱ λόγοι, οἱ διὰ τῶν παραδειγμάτων.

Accommodatae autem ad persuadendum sunt non minus orationes, quae exemplis confirmant, quod volunt.

CVM exemplis probare, quod vellent, orationes quasdam: alias vero enthymematibus vti in confirmando, ostendisset, quid praecipui vtrumq; genus habeat nunc declarat, affirmatq; dictiones, refertas exemplis: & quae probatione hac vtantur, non minus aptas esse ad persuadendum, quam enthymematum robore vtentes. In xviij. problematum segmento ipse diligenter disputat, cur magis exemplis, fabellisq; homines capiantur, quam argumentationibus, cum oratorem audiunt: ac plures acutasq; huius rei rationes reddit. eum autem locum cum mostrarim, non necessarium arbitror, quamuis hic valde accommodatus sit, huc totum transferre. in ea vero quaestione proponenda vtitur ea voce, qua hic etiam paulo ante vsus est, idest ῥητορείαις: inquit enim: Διὰ τί τοῖς παραδείγμασι χαίρουσιν οἱ ἄνθρωποι ἐν ταῖς ῥητορείαις, & quae sequuntur.

sed hoc magis perturbat.

Θορυβοῦνται δὲ μᾶλλον οἱ ἐνθυμηματικοί.

Perturbant autem magis, quae enthymematibus.

ORATIONES vero, dictionesq;, enthymematibus constantes: & quae totae refertae sunt hoc genere probationis, magis conturbant, quam, quae exemplorũ plenae sunt, vt inuiti etiam, qui audiunt, ad credendum rapiantur: tantopereq; mente confundantur, vt resistere nullo pacto queant: θορυβεῖσθαι enim, quamuis patiendi formam habeat, actum prae se fert: significatque commouere maiore quodam metu animos eorum, qui praesentes ei rei sunt, & permiscere: ac quasi in mente ipsorum tumultum, & trepidationem excitare: eodem hoc verbo in secundo libro, eodem intellectu, vsus est. Vim etiam, impetumq; enthymematis, non inerudite expressit Latinus poeta, cum de diserta muliere loquens, inquit. Non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit, Dicendi genus: aut curtum, sermone rotato, Torqueat enthymema.

Τὴν δ᾽ αἰτίαν αὐτῶν, καὶ πῶς ἑκατέρῳ χρηστέον, ἐροῦμεν ὕστερον.

Causam autem ipsorum, & quomodo vtroque vtendum sit, postea dicemus.

CAVSAM autem ipsorum, ortumq;, exempli scilicet, & enthymematis (vt puto) nam si eius tantum, quod nuper exposuit, intelligi voluisset, idest, cur magis factae sint ad persuadendum, quae constant exemplis orationes: quae vero enthymematibus, atque argumentis, quasi tumultum excitent in animis eorum, qui audiunt, τούτων (vt opinor) dixisset, vel vnitatis numero potius, τούτου. Praeterea in secundo libro, quem locum videtur significare, nihil protulit, quo doceat eam vim habere enthymemata: quamuis certum genus eorum hoc magis praestare tradat. Neque etiam aperte, quod declaret, apta in primis esse ad persuadendum exempla (videbatur autem dilucide id, copioseq; dicere debuisse.) sed omnia, quae ad eorum vim, vtilitatemq; explicandam pertinent illic copiosius explicauit. Cum exempli naturam, & quot genera ipsius sint, quibusq; dictionibus, ac locis singula accommodata, tradat: nec non, qua in re syllogismus hic oratorius discrepet a dialectico, vberius exponat, ac communiter de enthymematibus disserat, & quae via modusq; illorum indagandorum sit, ostendat. sed etiam, quod nunc se facturum postea pollicetur, quomodo prudens orator vtroque vti debeat, illic diligenter praecipit, & rationem, vnde non semper, neq; omnibus locis idem vsus eorum sit, accurate reddit.

Νῦν δὲ περὶ αὐτῶν τούτων μᾶλλον διορίσωμεν καθαρῶς.

Nunc autem de his ipsis magis plane dilucideq; praecipiamus.

NVNC vero, relictis illis, commodioriq; disputationi reseruatis, de his ipsis, quae explicare aggressi sumus, magis distincte, enucleateque disseramus. de oratoriis autem probationibus agebat. idest de enthymemate, & exemplo. Vim huius aduerbij exprimere (vt arbitror) voluit Quintilianus libro v. cum inquit. Et ad liquidum confessumq; perducunt: καθαρὸν enim purum est, & a quo maculae omnes, tenebraeq; absunt: huiuscemodi autem omne melius perspicitur. Demosthenes quoque in oratione de ementita legatione hoc aduerbio vsus est, cum manifesto liquidoq; significare vellet. ὡς καθαρῶς, οἷς μετὰ ταῦτα ἐποίουν, εἴσεσθε. vt liquido cognitis his, quae postea ab ipsis gesta sunt, intelligetis.

Ἐπεὶ γὰρ τὸ πιθανὸν, τινὶ πιθανόν ἐστι.

Quia autem, quod aptum est ad persuadendum, alicui persuadibile est.

DVM voluit magis dilucide, exquisiteq; de his rebus disserere, multa necessario, quae explanare rem possent, ante collegit, vt obscurior hic pluribus non sine causa videri possit. singulae sane sententiae, quas exponit, satis apertae sunt, & vt notae ab eo traduntur; è tanta tamen earũ congerie obscuritatis aliquid conflatum est. Arbitror autem omnem orationem vsq; ad illa verba pendere. οὐδὲ ἡ ῥητορικὴ τὸ καθ᾽ ἕκαστον θεωρήσει. Quod, si verum hoc est, quaerit primo materiam oratoriorum syllogismorum. cum autem res ad persuadendum aptae, illa sit: in hacque nonnulla, quae antea videnda sunt, inueniantur, illa diligenter examinat. dum autem suam propriamque ipsorum naturam indagat, quid discrimen huic sit cum disserendi artis materia, aperit: quam supra quoq; ostendere visus est: & sane genere eandem illam: specie vero differentem esse tradit. Quod persuadibile dicitur (ita enim nunc, vt Quintilianus facit, breuitatis gratia πιθανὸν appellabo: nam quomodo Cicero, elegantioresq; alij scriptores vocauerint, manifestum est) solum cogitari non debet, neq; ea est eius natura, vt manere possit, nisi sit persona eorum, quos ad credendum facile illa ducat oratio: est enim è genere eorum, quae ad aliquid referuntur: & a Graecis πρός τι appellantur: illa autem altero extincto, subito intereunt: nec enim seruus intelligi potest, nisi erus sit: erusq; id nomen amittit, mancipio amisso. Cum huiuscemodi igitur quoq; sit πιθανὸν, videndum est, quibus potissimum fidem gignat, & ijs, quod vult persuadeat, huiuscemodi oratio: nam, cum ad alios omnino referatur, aut ad singulos homines, aut ad genus quoddam eorum, referri potest: haec enim eo tendunt, vt doceat id, quod huic, aut illi tantum fidem facit, esse alienum ab arte dicendi.

Καὶ τὸ μὲν, εὐθὺς ὑπάρχει δι᾽ αὐτὸ πιθανὸν, καὶ πιστόν: τὸ δὲ, τῷ δείκνυσθαι δοκεῖν διὰ τοιούτων.

Et hoc quidem statim est sua vi persuadibile, & dignum, cui credatur: hoc autem, quia demonstrari videtur per huiuscemodi.

NON vnius, simplicisq; naturae esse πιθανὸν narrat (hoc enim secundum est eorum, quae ad id, quod tradere vult, explanandum, si cognita ante perspectaq; fuerint, accommodatum putat.) sed vnum naturam eam habere, vt sua vi persuadibile sit: alterum, arte fieri. Duo sunt igitur genera πιθανῶν: quorum primum ita primo factum est, vt & ortum est, ilico, sponte, sine vllius opera, aut ministerio ad persuadendum plurimum valet. Alterum vero vim illam acquirit, & cum tale non gignatur, persuadibile postea fit, aut factum existimatur, ope huiuscemodi πιθανῶν, & πιστῶν: idest quae è primo illo genere sint, vt sua vi ducere ad persuadendum valeant: id enim intellexit cum ait. διὰ τοιούτων. Nam δοκεῖν inquit, quia posset etiam eam vim acquisiuisse falso credi, quod ea, quae visa sunt ad persuadendum aptum illud reddidisse, id vere non effecerint. parui tamen hoc refert, si id factum existimatur: adumbratis enim etiam, simulatisq; rebus, & quae si verae non sint, verae tamen videantur, fides ab oratore fieri consueuit.

Οὐδεμία δὲ τέχνη σκοπεῖ τὸ καθέκαστον, οἷον ἡ ἰατρικὴ τί Σωκράτει τὸ ὑγιεινόν ἐστιν, ἢ Καλλίᾳ.

Nulla autem ars considerat, quod singillatim fit. ceu ars medicorum, quod Socrati salubre est, siue Calliae.

ALIVD admonet, quod item ad id explanandum, quod vult, necessarium erat, & ipsum etiam satis notum ac planum est: aliisq; in libris ab ipso diligenter declaratum: nullam scilicet artem

praecipere

praecipere ac mandare, quod in singulis rebus fieri debeat: praeceptaque ipsarum communia esse: omnesque eiusdem generis res ac personas complecti: relinquitur enim hoc iudicio, ac curae eorum, qui eas artes tractant, vt videant, quid tempori accommodatum sit: quidque illae ipsae res, quas gerit, postulent. Hoc vero probat, in medium afferens medendi artem: neq; enim considerat medicina, quid Socrati salubre sit, aut Calliae: & in illo quaerendo, quod huic, aut illi homini, sanitatem corporis afferre queat, occupata est: medicus postea ipse hoc accurate animaduertit in munere suo obeundo. quod autem in hac ostenditur, id etiam in aliis artibus verum esse reperietur.

Ἀλλὰ τί τῷ τοιῷδε, ἢ τοῖς τοιοῖσδε.

Sed quid tali, vel talibus.

VERVM quaerit, quid ita corpore affecto, aut etiam cunctis, qui eodem genere morbi laborant, salubre sit. exempli causa aut lateris dolore correpto, aut aqua inter cutem aegrotanti. quod si singulis hominib. sua quaedam, ac certa remedia quaereret, ad finem numquam rem perduceret, sed cum singulos homines curat, non ipsos illos, sed morbum, quo tenentur, cogitat. qui, si alium etiam oppressisset, eadem remedia adhiberent. Τοιόνδε autem, quod in vniuersum fit, vocari ab Aristotele solitum: quia vniuersum similitudinem plurium singularium rerum, qua ratione tales illae sunt, significat.

Τοῦτο γὰρ, ἔντεχνον: τὸ δὲ καθέκαστον, ἄπειρον, καὶ οὐκ ἐπιστητόν.

Hoc enim, arte tradi potest: quod vero singillatim fit, infinitum est, & percipi non potest.

REDDIT rationem, cur ars nulla consideret, quod referatur ad singulas personas, sed ad genera quaedam, & quae communi aliquo contineantur: hoc enim (inquit) artificij particeps est, vt in medicina videre, quid accommodatum sit omnibus, quos male habet idem morbus: quod autem singulos homines spectat, infinitum est: nec intelligi, scientiaque comprehendi vllo pacto potest.

Οὐδὲ ἡ ῥητορικὴ τὸ καθέκαστον ἔνδοξον θεωρήσει. οἷον Σωκράτει, ἢ Ἱππίᾳ, ἀλλὰ τὸ τοιοῖσδε, καθάπερ καὶ ἡ διαλεκτική.

Neque ars dicendi singulare probabile videbit. ceu Socrati, vel Hippiae, sed quod talibus, quemadmodum & ratio disserendi.

RESPONDET hoc manifesto illi, quod dixerat: nullam artem in singulis rebus perquirendis occupatam esse: non enim discedit a natura reliquarum hac in re dicendi ars: neque enim ipsa quoque indagabit, ac contemplabitur probabile huiusmodi, quod scilicet conueniat opinioni, iudicioque huius, aut illius: & quod singulis denique hominibus videatur, sed in vniuersum cunctis, qui huius generis sint, & ita animo affecti fuerint. quod etiam commune ipsi est cum disserendi arte, vt ipse statim accurate docet. Sed in hoc quoque imitatur illam, & tamquam magistram sequitur: quod ne omnibus quidem vtitur, quae etiam generi cuidam hominum videantur: abiicit enim quaedam, ac nullam vim habere ad id, quod vult, efficiendum, intelligit. Captat igitur, quae probabilia sunt, eodem modo, quo illa: repudians scilicet non nulla ex illis etiam, quae huiuscemodi esse omnibus videantur: hoc enim valere puto καθάπερ καὶ ἡ διαλεκτική.

Καὶ γὰρ ἐκείνη συλλογίζεται οὐκ ἐξ ὧν ἔτυχε.

Etenim illa minime sumit ad concludendum quaelibet.

NATVRAM in hoc etiam imitatur dicendi ars disserendi rationis: quam semper studiose effingit: quemadmodum enim illa non vtitur omnibus probabilibus: nec confirmare, quod vult conatur, arreptis vndique, nullo discrimine habito, cunctis, quae alicui videantur: repudiat enim quaedam ἔνδοξα: nec vim vllam ad aliquid probandum in illis positam esse intelligit, ita etiam rhetorice selectum adhibet: atque in illis tantum sibi studium ponendum censet, quae in deliberationem cadunt. Cum autem dixerit, non concludere dialecticam ἐξ ὧν ἔτυχεν, arbitror, ἔνδοξον eum intellexisse: vt enim supra ostendi, non cuncta ἔνδοξα ad confirmandum aliquod valent.

Φαίνεται γὰρ ἄττα καὶ τοῖς παραληροῦσιν.

Videntur

Videntur enim quaedam etiam desipientibus hominibus.

DECLARAT, non omnia, quae omnibus videntur, accommodata esse ad aliquod probandum: & satis euidenti acriq; argumento declarat: deliris enim quoque (inquit) hominibus quaedam videntur (arbitror enim hic φαίνεται, positum esse pro δοκεῖ, vt multis locis.) Quis auctoritatem vllam habere putet, & ad fidem faciendam adiuuare, sensus existimationesq; insanorum: nec insanorum tantum, sed aliorum etiam nullius consilij hominum? In primo libro de moribus ad Eudemum, cum omnes omnium opiniones, quae essent de vita beata, diceret non esse perpendendas, quod nonnullae penitus negligendae sint, eius rei eandem causam attulit, & eo-
» dem paene pacto locutus est: πολλὰ γὰρ φαίνεται καὶ τοῖς παιδαρίοις, καὶ τοῖς κάμνουσι, καὶ παραφρονοῦσι, περὶ
» ὧν ἂν οὐδεὶς, νοῦν ἔχων, διαπορήσειε. Habent enim (inquit) & pueri, & aegroti, & deliri suas quasdam de rebus opiniones, de quibus tamen sanus homo nullus cogitationem sibi suscipiendam putaret.

Ἀλλ' ἐκείνη μὲν, ἐκ τῶν λόγου δεομένων: ἡ δὲ ῥητορικὴ, ἐκ τῶν ἤδη βουλεύεσθαι εἰωθότων.

Verum illa quidem, ratione, quod vult, concludit, vtens ijs, quae rationem requirunt: ars autem dicendi, ijs, de quibus mos est deliberari.

IN illis videndis, considerandisque occupatae sunt & & dicendi ars, & differendi: quibus vti possint, haec ad persuadendum: illa ad confirmandum, reprehendendumue aliquid. Cum igitur differendi ars argumentetur, confirmetq; aliquid, aut reprehendat, vtens his, quae δεῖσθαι λόγου dicit, hanc materiam ipsius esse, atq; haec quaeri ab ipsa solere manifestum est. Appellat autem λόγου δεόμενα cuncta, quae videntur generi cuidam hominum toto: illis tantum exceptis: quae, quod inania prorsus, & absurda sint, quamuis videantur huiuscemodi omnibus, curari non debent: nec perpendi vllo modo: rationeue explicari ac corrigi: omniaque demum, quae ad disputationes pertinent, vt quae in consultationem cadunt, ad dicendi artem. Sunt autem illa nostra facta, vt in iij. libro de moribus ad Nicomachum, & hic infra ab Aristotele declaratur. Quibus autem de rebus dialectice differere deberet, docuit in primo Topicorum: nec pauca enim relinquere non solum sine culpa, sed etiam cum laude potest: quod aut nimis perspicua, aut nimis longinqua & remota illa sint: non enim (inquit) omnem quaestionem, neque omnem thesin explicare dialecticus debet, sed illas tantum, quae negotium alicui facesserent, qui ratione egeret, non plagis, aut sensu: eodem autem modo loquendi illic vsus est: inquit
» enim in sententia hac explicanda, ἀλλ' ἣν ἀπορήσειεν ἄν τις τῶν λόγου δεομένων: quamuis personas, vt in loco, quem supra citaui è primo libro ad Eudemum, egere ratione dicere videatur, hic autem res & quaestiones ipsas. Saepe autem sic locutus est, vt in secundo quoq; libro, τῶν μετὰ φυσικά: τοῦτο γὰρ οὐκ εὔλογον, ἀλλ' ἢ ἀδύνατον, ἢ πολλοῦ λόγου δεῖται. Theophrasto quoq; haec familiaris est locutio: in primo enim libro, quibus causas earum rerum, quae in stirpibus fierent, reddidit, in-
» quit. Τὸ μὲν ἓν πάθος ὅμοιον φαίνεται τοῖς ἐπικυισκομένοις ζῴοις, πλὴν τοῖς μὲν, φανερά: τοῖς δὲ, λόγου δεῖται:
» atq; in eodem etiam ad extremum: οὐ γὰρ ἔτι ταῦτα λόγου δεῖται πρὸς τὴν πίστιν, ἀλλὰ καὶ ἡ τῶν ἰατρῶν
» χρεία μαρτυρεῖ καὶ ἡ αἴσθησις: non enim haec (inquit) oratione explicari possunt: neq; opem ab ea expectant, vt firmiter credantur, & quae sequuntur. Sed aliis etiam in locis idem politissimus scriptor hunc modum loquendi vsurpauit.

Ἔστι δὲ τὸ ἔργον αὐτῆς περί τε τοιούτων, περὶ ὧν βουλευόμεθα, καὶ τέχνας μὴ ἔχομεν.

Est autem officium ipsius de huiuscemodi rebus, de quibus deliberamus, & artes non habemus.

QVOD munus oratoriae artis sit, quod ad materiam attinet, ac personas, apud quas agit, ostendit, nisi illa e suis terminis egredi velit: nam falso sibi saepe putat orator licere de cunctis rebus, ac subtilissimis etiam, & apud homines quoq; bonis artibus institutos dicere. angustis igitur cancellis illam claudi demonstrat: cum oratores fere, aut nullis, aut latis admodum, se coerceri putarent. Plenius autem hanc rem persequutus est in iij. libro de moribus ad Nicomachum. Illa autem cum satis aperta sint, & suos explanatores habeant, a me nunc relinquentur. Bene autem hic addidit, & earum rerum artes nobis traditas non habemus: quamuis enim in medicina, & in gubernatoris arte, vt alijs quoq; nonnullis, non valde certis, & exquisitis artibus, deliberetur: ad deliberationes tamen illas medicus & gubernator, non orator adhibetur: nec ea ipsa tractare potest, nisi quatenus omnia, quae rebus ad persuadendum accommodatis adiuuantur, a suo officio aliena non putat.

Καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις ἀκροαταῖς, οἱ οὐ δύνανται διὰ πολλῶν συνορᾶν: οὐδὲ λογίζεσθαι πόῤῥωθεν.

Et apud huiuscemodi auditores, qui non valent per multa interiecta aspicere: neque ratione concludere è longinquis.

VT materiam oratoris iam ostenderat, ita nunc personas, apud quas agit: tradit enim officium ipsius esse ad huiuscemodi auditores dicere, qui non adeo acuta sunt acie, vt possint cum multa interiecta sunt, peruidere: id enim διὰ πολλῶν significare arbitror: quemadmodum enim oculis, si lyncei non sumus, cum solidum corpus interpositum est, longius penetrare non possumus: ita etiam mente, intellectuq;, nisi valde perspicaces sumus ac bonis artibus exculti, non possumus, quod nimis remotum, & multis rebus, in medio positis, obstructum est, videre. In primo libro de rebus superis, cum de hominibus itidem hebetibus loqueretur, inquit. οἱ μὲν εἰς βλέποντες τὸ μικρόν: qui ea, quae prope sunt tantum cernunt: nec queunt procul posita spectare, translatis verbis ab oculorum aspectu, ad ingenij aciem: hic autem διὰ πολλῶν συνορᾶν, ait. Loci igitur spatium in illis impediebat, ne videre quaedam possent: in his non tam interuallum, quam ea, quae in medio manent, obstant: addit enim statim de interuallo. οὐδὲ λογίζεσθαι πόῤῥωθεν. Non tamen hi natura huiuscemodi esse accipiendi sunt: nec enim apud crassi tantum ingenij homines verba facere orator debet: sed quia excultum illud disciplinis non habeant: quae mentem acuunt, ideoq; ne longinquiora cernant, & quae multis in medio constitutis tecta sunt, impediuntur.

Βουλευόμεθα δὲ περὶ τῶν φαινομένων ἐνδέχεσθαι ἀμφοτέρως ἔχειν.

Deliberamus autem de ijs, quae videntur ambobus modis vsu venire posse.

CONSVLTAMVS autem de ijs, quae speciem eam prae se ferunt, vt aliter se habere possint: fallimur enim aliquando: & res, quae necessarium quendam exitum finemque habent, iudicamus esse ex eo genere, vt aliter quoq; euenire possint. Quamuis autem ἀμφοτέρως dixerit, & ambobus modis significare videatur, aliter tamen, ac diuersis modis intelligere debemus: deliberatur enim quoq; de rebus, quae plures duobus exitus habent: vt si quis quaereret, quomodo posset amplum patrimonium acquirere, mercaturis ne faciendis, an agro colendo, an in militiam proficiscendo.

Περὶ γὰρ τῶν ἀδυνάτων ἄλλως, ἢ γενέσθαι, ἢ ἔσεσθαι, ἢ ἔχειν, οὐδεὶς βουλεύεται, οὕτως ὑπολαμβάνων.

De illis enim, quae aliter facta esse non possunt, vel futura esse, nemo deliberat, sic illa se habere existimans.

CVM de rebus, quae non vno modo fieri posse videntur consultari dixisset, a contrario id probat, tria tempora complectens: nemo enim (inquit) quemquam in consilium vocat, vt eius sententiam perquirat de rebus, quae aliter aut factae esse, aut futuris temporibus fieri non possunt: aut etiam tunc ipsum, nisi eo modo, quo traduntur, se habere queunt, cum ipse necessario se rem ita habere existimet, atq; intelligat.

Οὐδὲν γὰρ πλέον ἢ οὕτως, ἐνδέχεται συμβουλεύειν.

Non enim aliter quam sic, contingit consilium dare.

CVR enim hic familiares homines, peritosque multarum rerum defatiget, in eo expendendo, quod aberrationem nullam habet: & in quo omnia omnium consilia in vnum incidant, necesse est? nec enim aliter, quam illo modo tantum, consilium dare quispiam posset.

Ἐνδέχεται δὲ συλλογίζεσθαι καὶ συνάγειν, τὰ μὲν, ἐκ συλλελογισμένων πρότερον: τὰ δὲ, ἐξ ἀσυλλογίστων μέν: δεομένων δὲ συλλογισμοῦ, διὰ τὸ μὴ εἶναι ἔνδοξα.

Contingit autem ratione concludere aliquid & cogere, partim ex rebus prius conclusis: partim autem ex ijs, quae sane conclusa non sunt: egent tamen syllogismo, quia non sunt probabilia.

DVPLEX quaedam materia vsurpari solita est, ab ijs, qui aliquid ratione concludunt: vtuntur enim ad id, quod probare volunt, confirmandum, aut rebus antea conclusis, aut, si conclusae adhuc non sint, quae tamen, nisi ratione concludantur, planae certaeq; esse non possunt.

neutrum

neutrum horum oratori accommodatum est: agit enim de materia oratorum, & quae fugere illi in dictionibus suis debeant, ostendit.

Ἀνάγκη δὲ τούτων, τὸ μὲν, μὴ εἶναι εὐεπακολούθητον διὰ τὸ μῆκος.

Necesse autem est, horum vnum non facile percipi posse propter longitudinem.

ALTERVTRVM horum parum idoneum esse docet: non tamen ob vnam, eandemque rem declinari ambo debere, sed diuersis vitijs laborare, ostendit: necesse enim est (inquit) alterum horum mente comprehendi facile non posse ob longitudinem: intelligit autem illud, quod ex propositionibus conflatum fuerit, syllogismo antea confirmatis: neque enim, quod ipse addit, rudes homines, imperitiq; : quales fere sunt, qui oratori dant operam, si ratione quippiam prius conclusum, ad aliquid probandum adhibeatur, illud possunt intelligentia consequi. causa huius rei est loci spatium, interuallumque, vnde illa sumuntur: quod cum magnum sit, illuc penetrare mentis acie nequeunt. In diuersis autem & excusis, & scriptis libris, varie hic locus legitur: sunt enim in quibus εὐεπακολούθητον: sunt etiam, in quibus εὐπαρακολούθητον legatur: quae tamen scripturae varietas sensum aut nihil, aut parum, variat: est autem ἐπακολουθεῖν intelligentia consequi dicentem.

Ὁ γὰρ κριτὴς ὑπόκειται εἶναι ἁπλοῦς.

Qui enim existimaturus est, ponitur esse rudis.

CAVSAM affert, cur aegre intelligentia percipi possit argumentum, conflatum ex materia, prius ratione conclusa: quamque opus fuerit argumento comprobare: existimator enim (inquit) & qui audit, ponitur esse rudis: in disciplinis minime versatus: non habens ingenium excultum ingenuis artibus. in primo quoque libro de partibus animantium ἁπλῶς dixit: imperite, insulseq; intelligens. λίαν οὖν ἁπλῶς εἴρηται.

Τὰ δὲ, μὴ πιθανὰ, διὰ τὸ μὴ ἐξ ὁμολογουμένων εἶναι: μήδ᾽ ἐνδόξων.

Quaedam autem, minime apta ad persuadendum, quia non constant è rebus concessis, neque probabilibus.

HAEC autem minime ad persuadendum apposita esse contingit, quia non proficiscuntur a rebus planis, quasq; cuncti ita se habere confitentur, aut a probabilibus. intelligit autem, quae, quamuis syllogismo prius conclusa non fuerint, ipso tamen egeant, vt scrupulus omnis pellatur, cum opinionibus hominum non conueniant: quamuis enim ex ratione conclusis non sint, non sunt tamen ex eo genere, vt perspicua sua vi sint: confirmatione enim non egerent. Quae igitur hanc naturam habent, & ipsa reiici debent: non sunt enim accommodata ad persuadendum. huiuscemodi autem quaerit orator: propositum enim est illi fidem facere. Διὰ τὸ μὴ ἐξ ὁμολογουμένων εἶναι. non sunt scilicet apta ad fidem faciendam, quia non proficiscuntur ab iis, quae ab omnibus concedantur: nam si huius generis essent, non indigerent ratiocinatione. se autem supra haec intelligere declarauit, ac de his verba facere. Μηδὲ ἐνδόξων: neque ex probabilibus: illa namq;, quibus homines assentiuntur, ac vera esse fatentur: quaeq; non abhorrent ab opinionibus iudiciisq; multitudinis, magnam vim ad persuadendum habent.

Ὥστε ἀναγκαῖον τό, τε ἐνθύμημα εἶναι καὶ τὸ παράδειγμα περὶ τῶν ἐνδεχομένων: ὡς τὰ πολλὰ, ἔχειν καὶ ἄλλως.

Quapropter necesse est enthymema & exemplum esse de rebus, quarum natura est, vt aliter plerunque se habere possint.

POSTQVAM, quae aliena sunt, remouit, aperit, quae vsurpanda sint ab oratore: & e qua materie conclusiones conficere debeat. Quod autem inquit, tamquam res plana, certaque iam sit, ὥστε ἀναγκαῖον, & quae sequuntur, elicitur id ex superioribus: declarato enim materiem esse oratorum res, de quibus consultatur: non consultari autem de iis, quae aliter aut factae, aut futurae esse, aut denique se tunc habere alio modo non possunt, restat, vt, quod ipse ait, instrumenta sua exerceat orator in huiuscemodi segete ac materia: idest in his, quae contingentia vocata sunt a recentioribus, idest minime necessaria. Cum igitur enthymemate, exemploque vtatur orator, siluam stratumque habere debet, non res sempiternas: neque etiam rerum mortalium caducarumque, illas, quae semper eodem tenore fiunt: sed neque eas quoq;, quae nihil in se firmitatis habent, aut quae denique fortuito, ac temere fiunt, sed quae variari consuerunt: possuntq; aliter se habere: in hominum tamen potestate sunt.

Inductio in Dialectica, hic dr exemplum: Syllogismus in Dialectica, hic dr enthymema

Τὸ μὲν παράδειγμα, ἐπαγωγήν· τὸ δ' ἐνθύμημα, συλλογισμόν.

Exemplum quidem referre inductionem: enthymema vero, syllogismum.

CVM materiem iam ostendisset oratoriarum probationum, nunc tradit, quibus illa respondeant in altera, finitima huic, arte: atque exemplum referre inductionem dialecticam, & enthymema syllogismum, inquit: & tamquam imaginem ambo haec illorum esse. Cum vero in excusis quibusdam hic ἔχειν accreuisset (neque enim in Aldino exemplari est) id deleui: quia a pluribus etiam, ac melioribus scriptis codicibus abesse vidi.

Καὶ ἐξ ὀλίγων τε, καὶ πολλάκις ἐλαττόνων, ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός.

Atque ex paucis, & saepe paucioribus, quam primus syllogismus.

CVR saepenumero ex paucioribus, quam primus syllogismus, constare tradat enthymema, diligenter quaerendum: hoc enim perpetuum ipsius videbatur: nec posse enthymema illud vere appellari, quod ambas propositiones haberet. Cur autem alteram earum reticere soleant oratores, plures causae adferuntur. Philoponus, qui de hac re copiose disseruit, plurimas excogitauit. Aristoteles, cur illi hoc faciant, in ij. horum librorum declarauit, ne scilicet loquaces existimentur: perspicua namque proferre, & omnibus cognita, loquacitas manifesto est. Primum autem syllogismum (vt opinor) appellat, integrum illum plenumq;, ex quo parte abscissa, enthymema: quod inchoatum decurtatumque est, factum est: qui enim enthymema conficit in animo antea, menteq; sua syllogismum conflauit: nec enim illam omittit, quia non videat: sed quia ante oculos omnium positam arbitratur.

Ἐὰν γὰρ ᾖ τι τούτων γνώριμον, οὐδὲ δεῖ λέγειν.

Si quid enim horum erit notum, ne oportet quidem dicere.

ITA hic quoq; loquitur, vt significare videatur, posse inueniri enthymema, cui nihil deficiat: tunc enim solum tradit relinqui aliquid oportere, cum id notum, exploratumque est. An, cum huiuscemodi quidpiam occurrit oratori, quod neutra ex parte planum sit, vtetur ille sane eo: sed id argumentum non erit enthymema, sed syllogismus. Quod perfecta quoque illa ratiocinatione sine culpa vti possit orator: cum enim ambae propositiones sumuntur, syllogismum semper esse his quoq; verbis, quae in ij. τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν sunt, vbi de enthymemate disputat, confirmatur. ἐὰν μὲν οὖν ἡ μία λεχθῇ πρότασις, σημεῖον γίνεται μόνον· ἐὰν δὲ καὶ ἡ ἑτέρα προσληφθῇ, συλλογισμός. Licere autem hoc oratori, concessu Aristotelis, id quoque comprobare videtur, quod inductionis vsum, quae & ipsa dialectica argumentatio est, illiusq; studij propria, ipsi tribuit, quamuis raro & in paucis.

προστίθημι

Αὐτὸς γὰρ τοῦτο προστίθησιν ὁ ἀκροατής.

Ipse namque hoc adiungit, qui audit.

EO, quod notum omnibus est, debere supersedere oratorem tradit: nec tamen claudicabit argumentatio, quamuis omnino ad concludendum, quod ab eo relinquitur, necessarium sit: non patietur enim illud desiderari is, qui audit: & studium oratoris adiuuabit. Hoc autem naturae impulsu homines faciunt, vt, quod requiri intelligunt, ad aliquid confirmandum, cum facere id possunt, ipsimet adiungant. Nec tamen hoc studium ipsis hic fraudi est, vt aliis in rebus, quod Aristoteles in libro σοφιστικῶν ἐλέγχων indicauit: aliquando enim cum disputant cum fallacibus, & versutis hominibus, seipsos temere in laqueum inducunt, adiungentes id, quod in captiosa interrogantis ratione deficiebat: suoq; ipsi hoc vitio postea putant se conuictos, cum vere, nisi id fecissent, conuicti ab aduersario non fuissent. Illic autem in ea re explananda, iisdem verbis vsus est: inquit enim, Τὸ γὰρ λοιπὸν αὐτὸς προστίθησιν ὁ ἀκούων. loquitur autem de praua illa ratione, quae vocatur παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως.

Οἷον, ὅτι Δωριεὺς στεφανίτην ἀγῶνα νενίκηκεν, ἱκανὸν εἰπεῖν, ὅτι ὀλύμπια γὰρ νενίκηκεν· τὸ δ' ὅτι στεφανίτης τὰ ὀλύμπια, οὐδὲ δεῖ προσθεῖναι.

Ceu Dorieum vicisse certamen, cuius praemium est corona, satis est dicere: olympia enim vicit: esse namq; olympia eius generis certamen, minime opus est adiungere.

EXEMPLO declarat, quod praeceperat, verum esse: si quis enim probare studeat Dorieum certamen vicisse, cuius certaminis victor corona donabatur, satis ipsi erit dicere: vicit namq; olympia: neque necesse habebit addere: olympia certamen esse, in quo victores corona donantur.

Exemplum igitur ſatis planum eſt, niſi macula obſtet, quae in non nullis excuſis libris hunc locum foedabat: legitur enim in illis. Τὸ δ' ὅτι στεφανίτης, ἐπεὶ τὰ ὀλύμπια. cum a manuſcriptis ἐπεὶ abſit, & omnem ſenſum, illic poſitum, perturbet. Quod autem inquit, ὅτι Δωριεὺς στεφανίτην ἀγῶνα νενίκηκεν, concluſio eſt enthymematis: quae vt conſletur, ſatis eſſe tradit dicere, ὀλύμπια γὰρ νενίκηκεν, quae minor ſyllogiſmi propoſitio eſt. illud vero ὅτι στεφανίτης τὰ ὀλύμπια, ideſt victoribus olympiorum imponi ſolitam coronam, maiorem propoſitionem eſſe patet: quam minime neceſſariam eſſe affirmat, vt valde notam. Δωριεὺς viri nomen eſt, qui vicit pancratiũ certamen, vt narrat Harpocration: Diagorae Rhodij, nobilis olympionicae, quem Pindarus carmine ſuo ornauit, filius fuit: & eundem honorem, quem pater cum duobus fratribus admirantibus, ſane Graecis, conſequutus eſt. Thucydides quoq; in primo hiſtoriarum huius mentionem fecit, his verbis, ἦν δὲ ὀλυμπιὰς, ᾗ Δωριεὺς Ῥόδιος τὸ δεύτερον ἐνίκα. quod vero στεφανίτην ἀγῶνα appellat, ita vocari ſolitos ludos omnes, quibus corona imponeretur victoribus manifeſtum eſt. Aeſchines contra Cteſiphontem οἴεσθέ ποτ' ὦ ἀθηναῖοι ἐθελῆσαί τινα ἐπασκεῖν εἰς τὰ ὀλύμπια, ἢ εἰς ἄλλόν τινα στεφανιτῶν ἀγώνων παγκράτιον, & quae ſequuntur.

Γινώσκουσι γὰρ πάντες.

Sciunt enim omnes.

REDDIT rationem, cur in eo probando minime neceſſarium ſit propoſitionem hanc explicare. Olympios è genere illorum ludorum eſſe, in quibus victorum capitibus corona imponeretur: intelligunt enim (inquit) id omnes: nec facile quiſpiam inueniri poſſet, qui tam celebrem morem ignoraret: quod autem notum omnibus, & apertum eſt, relinqui debet.

Ἐπεὶ δὲ ἐστὶν ὀλίγα μὲν τῶν ἀναγκαίων, ἐξ ὧν οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοί εἰσι.

Quia autẽ ſunt pauca quidem è neceſſarijs, ex quibus conficiuntur ſyllogiſmi oratorij.

Rhetor utit. necessa[riis] sed paucis

NON excludit omnino res neceſſarias ab officio oratoris, quamuis pauca ſint huius generis, quae ad eum deueniant, raroque admodum orator his vtatur: plerunq; enim, vt ipſe oſtendit, circa res, quae fere fiunt, verſari ille ſolet: quandoque tamen & ipſe ex neceſſarijs enthymema, ac ſyllogiſmum ſuum conficit.

Τὰ γὰρ πολλὰ, περὶ ὧν αἱ κρίσεις, καὶ αἱ σκέψεις, ἐνδέχεται καὶ ἄλλως ἔχειν.

Multa enim, de quibus fiunt exiſtimationes, & conſiderationes, contingit & aliter ſe habere.

Pleraq. contingit ali[ter] habere

MAGNAM partem eorum, quae tractantur ab oratore, eam naturam habere tradit, vt aliter quoque fieri poſſint: quod valde remotum eſt a rebus neceſſariis: cauſam enim nunc affert, cur pauca admodum neceſſaria eſſe dixerit, è quibus conflantur enthymemata. Poſſent autem his verbis aliqui decipi, qui crederent Ariſtotelem hic forenſes cauſas, appellaſſe κρίσεις: deliberationes autem in ſenatu, aut apud populum, σκέψεις: neq; enim hoc intellexiſſe eum puto: generatim namq; hic locutus eſt, neq; tantum de oratoribus hoc praecepit, ſed de omnibus hominibus, qui accuratius de aliqua re diſputant: multis enim locis animaduerti poteſt ipſum κρίνειν vſurpaſſe de ijs, qui de aliqua re deliberantes, conſilia, quae ipſis dantur, expendunt: vt etiam de illis, qui oratorem audiunt, rem aliquam laudantem, aut vituperantem. nam σκέψεις ſubtiles animaduerſiones, cogitationesq;, de aliqua re ſignificat, vt opinor. Initio autem librorum, qui πρότερα ἀναλυτικὰ inſcribuntur, hoc verbo vſus eſt. Item eodem libro, καὶ σχεδὸν οἱ λόγοι, καὶ αἱ σκέψεις γίνονται περὶ τῶν οὕτως ἐνδεχομένων: & infinitis demum locis, hoc intelligens.

Περὶ ὧν μὲν γὰρ πράττουσι, βουλεύονται καὶ σκοποῦσι: τὰ δὲ πραττόμενα, πάντα τοιούτου γένους ἐστὶ καὶ οὐδὲν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐξ ἀνάγκης τούτων.

De ijs namque, quae agunt, deliberant & quaerunt: quae autem aguntur ab hominibus, cuncta huius generis ſunt: & nullum, vt ita loquar, horum neceſſario fit.

q[uae] q[uae] deliberat. necessario fiunt

MOS (inquit) hominum eſt deliberare, ac videre de rebus illis, quas in vita gerunt: quae vero aguntur, cuncta ſunt huius generis, quod ſcilicet aliter quoq; euenire conſueuit: nec vno tenore ſemper fit: ideſt τοῦ ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν. In poſteriore quoq; ſegmento περὶ ἑρμηνείας idem confirmauit, cum rationem, quae ipſi aduerſabatur, adferendo incommoda, quae inde ſequerentur, confutauit: inquit enim. Ὥστε οὔτε βουλεύεσθαι δέοι ἄν, οὔτε πραγματεύεσθαι. ὡς ἐὰν μὲν τοδὶ ποιήσωμεν, ἔσται τοδί: ἐὰν δὲ μὴ τοδὶ, οὐκ ἔσται τοδί. addidit & (vt ita loquar) nihil horum neceſſitate fit: illa

namque, quae in humanis factis hanc naturam habent, tam rara sunt, vt extare non videantur: sineculpaque paene alicui ita loqui liceat.

Contingentia ex contingentib. necess.ª ex necess. [illegible] concludunt.

Τὰ δ', ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ συμβαίνοντα καὶ ἐνδεχόμενα, ἐκ τοιούτων ἀνάγκη ἑτέρων συλλογίζεσθαι: τὰ δ' ἀναγκαῖα, ἐξ ἀναγκαίων: δῆλον δ' ἡμῖν καὶ τοῦτο ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν.

Quae autem plerunque vsu veniunt ac contingunt, ex huiuscemodi alijs necesse est concludi: necessaria vero, ex necessarijs. perspicuum autem nobis est, & hoc ex Analyticis.

HAEC ipsa, quae fere fiunt, nec vnum tenorem semper habent, cum confirmatione egent, atque argumento concludi debent, ex eiusdem naturae propositionibus confirmantur: vt necessariae quoque res ope necessariarum rerum comprobantur: hoc enim commune est omnis materiei, vt ab eodem genere adiuuetur. de quo, vt ipse quoq; tradit, in libris Analyticis copiosius disseruit: hoc autem in 1. τῶν προτέρων facit, affirmans in quaestionibus, quae necessariae non sunt, sed plerunq; contingant, concludi oportere propositionibus sumptis eiusdem naturae, aut omnibus, aut aliquibus: cuius rei rationem communiter afferens, inquit. Singulorum syllogismorum similem conclusionem esse principiis, vnde ortae sunt, idest propositionibus: multo enim antea docuerat non posse vllo modo comitari aliquid, quod fieri non possit, ei, quod effici potest. Id sane, quod conclusum est aliquando necessitatem in se habere, quamuis propositiones sumptae necessariae non sint, certum est: ab ipsoq; alibi traditum, eadem ratione, qua verum e non veris propositionibus, id tamen vi illarum non efficitur.

Φανερὸν, ὅτι, ἐξ ὧν τὰ ἐνθυμήματα λέγεται, τὰ μὲν, ἀναγκαῖα ἔσται: τὰ δὲ πλεῖστα, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Manifestum est, e quibus enthymemata ducuntur, quaedam necessaria esse: plurima autem plerunque contingere.

VT hoc doceret, superiora illa rettulit: cuncta enim, quae ex illo loco, ἐπεὶ δ' ἐστὶν ὀλίγα, exposita sunt, vt hoc traderet, enumerauit: voluit enim planum facere, quod stratum esset enthymematum, & vnde illa ducerentur. è superiore igitur disputatione haec omnia eliciuntur, ac manifesto res ita se, vt ostendit, habet. Perspicuum autem (inquit) est, vnde ducuntur enthymemata, partim necessaria esse, quorum sane numerus paruus est: partim vero plerunque fieri: cuius generis maxima pars inuenitur.

Enthymemata deriguntur à verisimilibus et signis

Λέγεται γὰρ ἐνθυμήματα ἐξ εἰκότων, καὶ σημείων, ὥστε ἀνάγκη τούτων ἑκάτερον ἑκατέρῳ ταὐτὸ εἶναι.

Ducuntur enim enthymemata è verisimilibus & signis. quapropter necesse est vtrunque horum vtrique idem esse.

DVCVNTVR enim (inquit) enthymemata ex verisimilibus, & signis. quare necesse est vtrunq; horum, idem, quod vtrunq; illorum sit, esse: cum enim enthymemata è rebus ducantur, quarum aliae necessariae sunt: aliae, saepenumero fiunt: eademque emanent è verisimilibus, ac signis, fieri non potest, quin alterum horum, alteri illorum respondeat, & vnam eandemque naturam habeat: quod item in reliquo etiam iugo, pariq; contingat. Hic sensus horum verborum est: neque enim ἑκάτερον ἑκατέρῳ. quodcunque ex ijs cuicunque ex illis. Sed aliud ex ijs, distincte, alij ex illis respondet: atque idem cum illis omnino est, significat. quo sensu quoque supra enthymema idem cum syllogismo, & exemplum idem cum inductione esse declarans, ἀναγκαῖον inquit ἑκάτερον αὐτῶν ἑκατέρῳ τούτων τὸ αὐτὸ εἶναι. qua in re exponenda, non eodem tantum modo loquendi, sed eodem etiam argumentandi genere vsus est. Ita quoq; locutus
» est Porphyrius in Isagoge sua, vbi, de specie disserens, inquit. εἰδέναι χρὴ, ὅτι ἐπεὶ καὶ τὸ γένος τινός ἐστι
» γένος: καὶ τὸ εἶδος, τινός ἐστιν εἶδος ἑκάτερον ἑκατέρου, &c. vbi non nulli, quia vim huius sermonis non percipiebant, sine causa Porphyrium reprehenderunt: nec exprimere potuisse, quod volebat, falso existimarunt.

Verisimile quod plerunq. fit

Τὸ μὲν γὰρ εἰκός ἐστιν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενον.

Verisimile enim est, quod plerunque fit.

CVM verisimile, ac signum eam naturam habeant, vt alterum, necessario: alterum, plerunque fiat, aperit, vtrum ipsorum necessarium est, & vtrum saepe numero fieri consuerit: primoque verisimile tradit esse, quod plerunque fit. Plato quoq; in sermone, quem Phaedrum inscripsit, cum

cum de arte dicendi loqueretur, de verisimili, & quantopere id sectarentur oratores, disseruit: esseq; voluit, vt verbis eius vtar, τὸ πλήθει δοκοῦν. Cicero autem εἰκὸς verisimile appellauit in Partitionibus: inquit enim. Sed appellemus, docendi gratia, verisimile, quod plerunque ita fiat: vt adolescentiam procliuiorem esse ad libidinem. Quintilianus vero lib. v. credibile vocauit, quo etiam in loco tria eorum genera facit. Credibilium (inquit) genera sunt tria. vnum firmissimum, quod fere accidit: vt, liberos a parentibus amari. Alterum vero propensius, eum, qui recte valeat, in crastinum peruenturum. Tertium, tantum non repugnans, in domo furtum factum esse, ab eo, qui domi fuerit.

Οὐχ ἁπλῶς δέ, καθάπερ ὁρίζονταί τινες, ἀλλὰ τὸ περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν.

Non simpliciter autem, quemadmodum definiunt non nulli, sed quod versetur circa ea, quae contingit aliter se habere.

HVIC orationi, quae exprimit naturam verisimilis, addi debere censet quidpiam: eamq; imperfectam esse inchoatamq; putat. est autem id, stratum, quod habeant verisimilia, & aliud etiam, quod statim adiungit. Eodem pacto loquitur in ij. libro de moribus ad Nicomachũ, vbi leuiter reprehendit non nullos, qui virtutes esse dixerant vacuitates quasdam ab omni perturbatione, ac securitates requietesq; animi: nimis enim illos absolute id praecepisse docet. Quod si addidissent ea, quae formandis perficiendisq; illis requiruntur, nulla re peccassent: idest modum ac tempus, & reliqua, quae a prudentia in singulis factis, ac motibus praecipiuntur. οὐκ εὖ δ', ὅτι ἁπλῶς λέγουσιν. & quae sequuntur. Versatur igitur verisimile circa res, quae vnum, eundemque tenorem non habent, sed, quamuis plerunque ita fiant, aliter etiam euenire possunt. Cum autem quosdam reprehendat, qui ita verisimile definierant, videndum est, num & ipse eidem culpae, cuius alios insimulat, affinis sit: in ij. enim libro τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν inquit, verisimile esse, quod plerunq; ita fieri, aut non fieri, nouerunt: & aut ita esse, aut non esse: nec aliud addidit, quod magis naturam eius aperiret, vt nunc fieri debere affirmat. Cum vero illic exemplo vim ipsius exprimere vellet, inquit, vt odio persequi, qui inuident, & pueros, qui amantur diligere amatores suos: plerunq; enim odium cum inuidia coniunctum est: quiq; alicuius praeclarae fortunae inuident, ipsum eam amittere vellent: & qui se amari intelligunt, diligunt illos, qui ita erga se affecti animo sunt: cum tamen aliquando inueniantur, qui inuident, nec tamen, quibus inuident, odio habent: & pueri, qui, vehementer amati, non diligunt amatores: nec me latet verba illa, μισεῖν τοὺς φθονοῦντας, aliter interpretatum esse Philoponum: existimauit enim intelligi illis debere, qui inuidentur odio habere plerunque eos, qui ipsis inuident: quod nullo modo probo: praeterquam enim quod valde asper sermo ille fuisset, ac nimis denique violenta haec interpretatio, id quod ipse vult; verisimile esse non puto: despicerent enim illi potius (si id scirent) eos, qui ipsis inuident, vt minores, & vacuos, praeclaris bonis, quibus ipsi abundant, quam odio haberent: cur enim capiat ipsos odium illorum, qui liuore illo suo nihil ipsis detrimenti important, sed potius se ipsos conficiunt, ac macerant? Sed etiam, quomodo id sentire queant, non video, cum hic morbus animi in primis occulatur: nec intelligere possint, contra quos inuidia excitatur, in quorum animis ipsa lateat. Nec magis etiam erudite, subtiliterq; idem vim alterius exempli declarauit: vt quilibet, qui attendere voluerit, facile perspiciet: mihi enim nunc aliorum errata, praesertim aperta, refellere propositum non est.

Οὕτως ἔχον πρὸς ἐκεῖνο, πρὸς ὃ εἰκός, ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος.

Ita se habens ad illud, ad quod verisimile est, vt quod in vniuersum fit, ad singulare.

QVOD quidem verisimile, rationem eam habet ad illud, cum quo collatum, huiuscemodi est, quam habet, quod in vniuersum fit, ad id, quod in parte. Quod vero in vniuersum est, ad id, quod est in parte, ita se habet, vt & ipsum complectatur, & ad plura etiam alia pertineat, eandem igitur esse inquit naturam verisimilis: quod ita manifestum fiet. Verisimile cum sit, adolescentes esse procliues ad libidinem, hunc quoq; procliuem esse, verisimile est: est enim hic tamquam pars illius totius.

Τῶν δὲ σημείων, τὸ μὲν οὕτως ἔχει, ὡς τῶν καθ᾽ ἕκαστόν τι πρὸς τὸ καθόλου: τὸ δέ, ὡς τῶν καθόλου τι πρὸς τὸ κατὰ μέρος.

Signorum autem, hoc quidem ita se habet, vt aliquid singularium ad id, quod in vniuersum fit: alterum autem, vt aliquid eorum, quae in vniuersum fiunt ad singulare.

SIGNORVM non vnum genus esse dicit, sed duo: atq; illa quidem valde inter se diuersa: alterum enim necessario aliquid aut esse, aut fuisse, aut futurum esse declarat: alterum vero necessitatem

in se non habet, verum saepe fallit. Signorum igitur (inquit) alterum se habet ad id, cuius est signum, vt quippiam, quod singillatim fiat, ad id, quod in vniuersum fit: alterum vero contra: vt, quod in vniuersum fit, ad illud, quod in parte. Diuersi vero Latini scriptores varie Graecam » hanc vocem interpretabantur, vt ostendit Quintilianus libro v. Signum vocant σημεῖον, quam- » quam id quidam, indicium: quidam, vestigium nominauerunt: nec defuerunt etiam, qui notam appellarent. Vim huius nominis, & quid σημεῖον esset, docuit Aristoteles in extremo ij libro τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν. Quintilianus etiam hoc fecit, cuius definitio ab ea, quam attulit noster hic, non abhorret. per quod alia res intelligitur. Quid vero his verbis Aristoteles significare voluerit, infra declarat: eadem enim repetit, & exemplis quoque totam rem illustrat, vt nihil dubij alicui restare possit.

Τούτων δὲ, τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τεκμήριον.

Horum autem, quod necessarium est, tecmerium vocatur.

Signum necessarium dicit: τεκμήριον

PROPRIAM notam hoc appellauit Cicero in partitionibus. Propriae autem notae argumen- » tum, quod numquam aliter fit, certumque declarat: vt fumus ignem. Philoponus de signo accurate scripsit, eiusq; tria genera esse ostendit. in quo ei cum Quintiliano conuenit: qui exemplis tantum mutatis, de signo eodem pacto praecipit. Sententia Philoponi haec est, ad verbum expressa. Trifariam signum accipimus: aut enim est cum res est, cum eodem scilicet tempore res & signum manet, vt si fumus est, ignis est: aut post rem, signum. vt cinerem esse, signum quod antea fuerit ignis: aut res posterius consecuta est: prius autem signum fuit: vt mulie- » rem lac habere, quae duobus postea diebus paritura est. Quintilianus. Hoc genus per o- » mnia tempora perpendi solet. nam & coiisse eam cum viro, quae peperit: quod est praeteriti, » & fluctus esse, cum magna vis venti in mare incubuit: quod coniuncti: & eum mori, cuius cor » est vulneratum: quod futuri, necesse est. Verum accurata haec signi diuisio, non Quintiliani, non Philoponi est, sed Aristotelis: Philoponus enim potius ex verbis doctoris eam eruit, quam ingenio suo excogitarit. Necessarium vero hic vocat, quod aliquo praecedente semper consequitur, in rebus, quae minime necessariae sunt. necessarium namque aliud esse, quod absolute proprieque ita appelletur, notum est: vt solem exoriri. A voce, qua certum hoc signum appellatur, τεκμηριῶδες fingitur: quo vsus est Cicero in epistola quadam ad Atticum. τεκμηριώδεις quoq; δείξεις vocantur argumentationes, quae ope eorum, quae effecta sunt, causam ipsorum demonstrant.

Necessarium est, quod aliquo praecedente, semper consequitur

Τὸ δὲ μὴ ἀναγκαῖον, ἀνώνυμόν ἐστι κατὰ τὴν διαφοράν.

Quod autem necessarium non est, caret nomine, si attendatur discrimen, quod est inter ipsum, & superius signum.

ALTERVM signum, vel altera potius signi species (signum enim genus est, quod duas infra se species habet) id inquam, quod necessario non concludit, suo certo ac proprio vocabulo caret: & generis nomine appellatur. in quo discrepat a tecmerio: id enim appellat διαφοράν. qua voce aliis multis locis vsus est. vt in iij. etiam libro, cum criminaretur Theodorum Byzantium, qui easdem res, & nihil inter se discrepantes, inani quodam studio, diuersis nominibus appella- » bat. δεῖ δὲ εἶδος τι λέγοντας καὶ διαφορὰν, ὄνομα τίθεσθαι. Sed etiam in primo segmento περὶ ἑρμηνείας, » vbi agit de verbo. τὸ δὲ, οὐχ ὑγιαίνει. καὶ τὸ, οὐ κάμνει, οὐ ῥῆμα λέγω: προσσημαίνει μὲν γὰρ χρόνον καὶ ἀεὶ κα- » τά τινος ὑπάρχει: τῇ δὲ διαφορᾷ, ὄνομα οὐ κεῖται: ἀλλ' ἔστω ἀόριστον ῥῆμα. In quo distant haec a verbis nomine declaratum non est: quam culpam tamen corrigit, & ipse nomen indit: res enim diuersae diuersis nominibus distingui debent: discrimen autem est inter verbum indefinitum & definitum. Isocrates quoque non eandem vim esse omnium signorum cognouit, & eodem sensu vtrumq; eorum nominum, quibus diuersae notae significantur, quo Aristoteles, coepit: cum enim in panegyrico, contra reprehensores, vel acerrimos potius accusatores, tueretur ciues suos, qui aiebant Athenienses abusos imperio maris: eamq; rem malo fuisse vniuersae Graecorum nationi, hoc argumento vtentes. Quod nimis saeuissent in quosdam, qui, cum ditionis eorum fuissent, ab ipsis defecerant, ait hoc nullum signum esse, quod male tanta potestate vsi forent, si aliquos, qui arma contra ipsos tulerant graui paena affecissent: esse enim potius propriam, ac certam notam, quod bene fortunas sociorum administrassent, quod nulli, qui in imperio, ac tutela ipsorum fuissent, in huiuscemodi vllas calamitates incidissent: neque tale quippiam vmquam ab hostibus passi forent: in hac enim disputatione prius signum, quod inane ac fallax esse vult, σημεῖον appellat: posterius vero, quod fide dignum putat, τεκμήριον vocat.

Ἀναγκαῖα μὲν οὖν λέγω, ἐξ ὧν γίνεται συλλογισμός.

Necessaria

Necessaria igitur dico, ex quibus syllogismus fit.

NECESSARIA (inquit) appello, ex quibus syllogismus fit. Syllogismum autem fieri ex hac materia dicit, vt puto, quia in prima figura concluditur, ac vitio caret: nec solui vllo pacto potest, nisi falsum quis sumpsit. nam qui in media, extremaq; concluduntur, mendosi sunt ac vitium continent, vereq; syllogismi appellari non possunt. In extremo ij. libro προτέρων ἀναλυτικῶν, quo loco de enthymemate differit, aperit vitium, infirmitatemq; argumentorum, quae in posteriore tertiaq; figura concludantur: ac robur, integritatemq; eius, quod in prima exponitur, & tecmerion vocatur.

Διὸ καὶ τεκμήριον τὸ τοιοῦτον τῶν σημείων ἐστίν.

Quapropter & tecmerium huiuscemodi è numero signorum est.

A vi nominis argumentum elicit: eoq; significari dicit, ita se rem habere: idest solo hoc è numero signorum firmiter concludi: cum aliorum fallaces conclusiones sint, &, quae verius παραλογισμοὶ vocari debeant: valet enim τεκμήριον, quasi demonstratum, ad finemque & extremum perductum. Declaratur (inquam) illo nomine, id esse πεπερασμένον, quod nihil aliud est, nisi δεδειγμένον. Admonere tamen libet, a veteribus non paucis scriptoribus capi τεκμήριον saepe pro nota omni, & non pro certa tantum veraque, vt Xenophonte atque aliis: Euripides enim quoque Hippolyto, cum induxit Theseum his verbis filium obscure adhuc accusantem, χρῶν βροτοῖσι τῶν φίλων τεκμήριον σαφὲς τίθεσθαι καὶ διάγνωσιν φρενῶν, intellexit illo nomine simpliciter signum, quod declarat addidisse poëtam σαφὲς, quo epitheto supersedisset, si notam tantum talem ostendere τεκμήριον putasset. sed etiam M. Cicero, vt exemplo vtar ante oculos posito, vbi in epistola quadam ad Atticum inquit, hoc illi τεκμηριῶδες videbatur esse alienationis, manifesto eodem pacto vsurpauit id nomen: neque enim, quod alijs de causis factum esse potuit, idest non venisse domum ad se salutatum Cornelium Balbum, vt consuerat, notam propriam alienationis Cn. Pompeius existimasset. M. Cicero in Partitionibus suis, valde erudito libello, secutus est Aristotelem: inquit enim. Propriae autem notae argumentum, quod numquam aliter fit, certumque declarat, vt fumus, ignem: cuius tamen exemplum accepi doctos quosdam viros aliquando falso putasse satis accommodatum non esse, propriae notae indicandae, quia fumus quoque vocatur exhalatio terrae: non enim animaduerterunt illam μεταφορικῶς fumum appellari: nam aliae quoq; sunt notiones eius vocis, sed translatae, quippe cum Euripides non longe a superiore illo loco. dixerit etiam καπνοὺς γραμμάτων. Lrarum fumus

Ὅταν γὰρ μὴ ἐνδέχεσθαι οἴωνται λῦσαι τὸ λεχθὲν, τότε φέρειν οἴονται τεκμήριον, ὡς δεδειγμένον καὶ πεπερασμένον.

Quando enim non putauerint solui posse, quod dictum est, tunc se putant adferre tecmerium, vt demonstratum iam & ad extremum perductum.

TVNC (inquit) oratores τεκμήριον se adferre arbitrantur, cum eiusmodi signum afferunt, quod prolatum, dissolui, temptarique posse non putarint. A consuetudine igitur sermonis: iudicioque oratorum, probat, quod vult: numquam enim (inquit) vsurpant hoc nomen, nisi cum arbitrantur fieri nullo modo posse, vt aduersarij, argumentum, quo ipsi vtuntur, dissoluant: cum vero opinantur ita se rem habere, ac facultatem illis omnem eripi resistendi, tunc opinantur id signum tecmerium esse, atque ita ipsum appellant: significare volentes eo nomine probatam omnem rem ac constitutam esse. Opinantur autem dixit, quia possent aliquando falli, & putare notam aliquam certam propriamque, quae huiuscemodi non esset, quod cum contingit, appellarent etiam, eo errore ducti, τεκμήριον, quod tale nullo modo foret. nihil tamen hoc ad id, quod probare studet, refert: satis enim est, docuisse hoc nomine ipsos tantum vti solere, cum ita de illo sentiunt. Sic etiam locutus est in Analyticis, vbi de enthymemate differens: exemplumque ponens notae incertae inquit. δεδεῖχθαι οἴονται κύειν. Valere vero hic τὸ λεχθὲν puto, sententiam ratione conclusam: idest, quod confectum est, ac medium ad id comprobandum sumptum. Id autem nihil aliud est, nisi nota ista commostrata. φέρειν τεκμήριον ait: vt φέρειν συλλογισμὸν: φέρειν παράδειγμα & παραβολὰς, & in Topicis & in his de ratione dicendi libris, saepe dixit.

Τὸ γὰρ τέκμαρ καὶ πέρας ταυτόν ἐστι κατὰ τὴν ἀρχαίαν γλῶτταν.

Tecmar enim & extremum idem est in veterum Graecorum lingua.

PRISCA enim lingua vocabat πῖκμαρ, vnde nomen hoc formatum est, quod alio etiam verbo πέρας, quasi extremum ac terminum appellauit: duobusq; his, diuersis inter se nominibus, in eadem re significanda vtebatur. πῖκμαρ postea obsoletum esse coepit: poëtae tamen, qui ad poëma suum ornandum vetusta etiam nomina adhibent, antiquam vocem passim vsurpabant. Pindarus in extrema Ode Nemeorum. τὸ δ' ἐκ Διὸς ἀνθρώποις σαφὲς οὐχ ἕπεται τέκμαρ: intellexit autem extremum atq; vltimum.


Σημεῖον est singulare ad probandum aliquid in vniversum

Ἔστι δὲ τῶν σημείων, τὸ μὲν, ὡς τὸ καθ᾽ ἕκαστον πρὸς τὸ καθόλου, ὧδε. οἷον εἴ τις εἴποιεν, σημεῖον εἶναι, ὅτι οἱ σοφοὶ δίκαιοι: Σωκράτης γὰρ σοφὸς ἦν καὶ δίκαιος. τοῦτο μὲν οὖν σημεῖον ἐστί.

Eos modo Adu.

Est autem signorum hoc quidem, vt singulare ad id, quod in vniuersum fit, huiuscemodi, ceu si quis diceret signum esse, viros sapientes esse iustos: Socrates enim sapiens fuit & iustus. hoc igitur signum est.

EXEQVITVR id, quod antea proposuerat: paulo enim supra dixerat, non omnia signa eodem pacto se habere ad ea, quorum essent signa: sed longe aliter ac contraria demum ratione. Exemplum igitur prioris generis, cum scilicet eo modo se ad illa habent, vt singulae res ad vniuersum, quo continentur, hoc est: indicium esse ac signum, quod qui sapientes sunt, ijdem iusti sint, Socratem. Ipse namq;, & sapiens, & iustus fuit, qui pars est totius illius: quod cuncti sapientes viri iusti sint: id enim de omnibus sapientibus dicitur. propositum vero eius, qui ita argumentatur, est probare omnes, qui sapientia praediti sunt, iustos viros esse. vtitur autem ad id confirmandum persona Socratis, tamquam nota quadam eius rei, &, quae declaret id verum esse: in eo namq; vtrumq; spectatur. quare indicio est, rem eodem pacto se habere in ceteris quoq; sapientibus, vt vbicumq; sapientia cognita sit, illic etiam habitare putetur aequitas ac iustitia. In hac igitur argumentatione ab eo, quod est in parte, ad id, quod in vniuersum est, proficiscimur, ac, quod in vno verum est, in omnibus verum esse hoc monstrato, probare conamur. Integer syllogismus in tertia (vt loquuntur) figura, ita conformatur.



Λυτὸν δὲ, κἂν ἀληθὲς ᾖ τὸ εἰρημένον: ἀσυλλόγιστον γάρ.

Solui autem potest, quamuis verum fuerit, quod dictum est: non seruat enim veram concludendi rationem.

VITIVM huius argumentationis ostendit: quamuis enim id, quod prolatum est, verum sit, tamen ab aduersario nullo negotio labefactari potest: neque enim necessario concludit, aut firmi aliquid in se habet. Ipse autem accuratius in libris προτέρων ἀναλυτικῶν declarauit, quemadmodum ex ambabus singularibus propositionibus confici nihil possit. λυτὸν valet, quod habet in se hanc culpam, vt temptari facile ac dissolui possit. In Analyticis, idem significare volens, λύσιμον inquit.

Signum quod non necessario concludit

Τὸ δὲ, οἷον εἴ τις εἴποιεν, σημεῖον ὅτι νοσεῖ: πυρέττει γάρ, ἢ τέτοκεν, ὅτι γάλα ἔχει, ἀναγκαῖον.

Illud autem, ceu si quis diceret, signum esse aegrotare quempiam hominem: febri namque laborat, vel peperisse mulierem, cum lac fluat ex vberibus, necessarium est.

VALET hoc ad probandum, inueniri etiam signa, quae, cum verum sumpserunt, qui argumentantur, ac nota illa certa, quae dicitur, est, dissolui refellique nulla ratione possunt, cum superiore in exemplo contra fieret: neq; enim eiusdem generis cum superiore haec signa sunt, quemadmodum hac parte, ita etiam, quod non a singulis rebus ad communes, &, quae in vniuersum sunt, proficiscuntur, sed contra: cuiusmodi sunt ea, quae sequuntur: cum enim planum sit, cunctos, qui febri laborant, aegrotare, hunc, qui eo aestu premitur, eo signo aegrotum esse intelligitur. eadem ratio est alterius exempli. In prima autem figura integer absolutusq; syllogismus ita conformabitur. conclusionem autem primo ipse ponit: aegrotat quispiam: video enim illum febrim habere. Febris igitur mihi indicium est, quod aegrotet:



maiorem

maiorem autem quam appellant, propositionem, cum enthymema conficiat, relinquit: est enim plana, & omnibus nota, qui febrim habent, aegrotare. posterioris exempli, quod adducit, descriptio haec erit. Haec mulier peperit: vides enim lac. Lac igitur, quod ipsam habere conspicio, signum mihi est, quod peperit: vbi etiam superiorem propositionem omittit: cunctae enim, quae lac habent, pepererunt.



Ὅπερ τῶν σημείων, τεκμήριον μόνον ἐστὶν.

Quod quidem è signis solum tecmerium est.

QVOD quidem (inquit) è numero signorum omnium solum est tecmerium. Id autem, quod hic affirmat, in extremo etiam ij. libro, τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν, tradidit his verbis: τούτων δὲ τὸ μέσον, τεκμήριον λεκτέον: τὸ γὰρ τεκμήριον τὸ εἰδέναι ποιοῦν φασὶν εἶναι: τοιοῦτον δὲ μάλιστα τὸ μέσον: cum enim tria sint genera signorum, hoc vnum, quod medium est, cum in medio signum ipsum constitutum est: vt hic, febrim, aut lac habere, nam mediam sedem tenent, tecmerium est. Aiunt rerum harum periti, id τεκμήριον esse, quod scientiam alicuius rei in nobis gignit. hoc etiam (inquit) sententiam nostram adiuuat: hanc enim in primis naturam habet, quod medium est: id enim potest facile facere, vt aliquid firmiter sciamus. Vt sententiam autem aliorum afferre ipsum, τεκμήριον εἶναι τὸ εἰδέναι ποιοῦν, praeterquam quod φασὶ manifesto declarat, ostendit etiam, quod causa tantum rei explicata, scientiam effici ipse vult. τεκμήριον autem argumentum est a rebus effectis. decretis vero, vocibusq; aliorum, vti Aristotelem, cum iudicium suum confirmant, planum est.

Μόνον γὰρ, ἂν ἀληθὲς ᾖ, ἄλυτόν ἐστιν.


Solum enim, si verum fuerit, dissolui non potest. Tecmerium dissolui non potest

IN duobus alijs generibus signorum, verae quoque conclusiones temptari dissoluiq; poterant: si ita illae appellandae sunt, cum propositionum connexio legitima non est. solum quod in prima figura conclusum est: cum scilicet id, quod signum est, in medio collocatur, refelli redarguiq;, si verum est id, quod dicitur, non potest: vitium namque nullum est in propositionibus: recteque illae atq; ordine collocatae sunt. Insolubile, quo vocabulo Graecam vocem ἄλυτον exprimeret, finxit Quintilianus in v. libro: Nam vbi est signum insolubile, ibi ne lis quidem esse potest.

Τὸ δὲ, ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος ἔχον. οἷον εἴ τις εἴποιεν, ὅτι πυρέττει σημεῖον ἐστίν: πυκνὸν γὰρ ἀναπνεῖ.

Quod autem, vt quod vniuerse sit ad singulare. ceu si quis diceret, hunc hominem aegrotare: crebro enim respirat.

HOC secunda in figura conficitur, cum ex re, quae in vniuersum sit, ea quae est in parte, concluditur. Ita autem ratio conformatur. In qua, crebro respirat, signum est, & altiorem locum tenet. Quia video hunc respirare, hoc mihi signum est, quod febrim habeat. superiorem autem hic quoq; propositionem omittit, & quam maiorem vocant: nam alteram quoq; omitti recte posse docuit, cum inquit in posteriore libro τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν, de enthymematibus loquens. Τὸ μὲν, οὐ λέγουσι, διὰ τὸ εἰδέναι: τὸ δὲ, λαμβάνουσιν. alteram propositionem reticent: est enim illa nota. praeterea idem his verbis declarat. Ἐὰν μὲν οὖν ἡ μία λεχθῇ πρότασις, σημεῖον γίνεται μόνον: ἐὰν δὲ καὶ ἡ ἑτέρα προσληφθῇ, συλλογισμός: ambobus namque in locis indiscriminatim inquit: si altera pronuntiata fuerit.



Λυτὸν δὲ καὶ τοῦτο, κἂν ἀληθὲς ᾖ: ἐνδέχεται γὰρ καὶ μὴ πυρέττοντα, πνευστιᾶν.

Solui autem potest & hoc, quamuis verum fuerit: contingit enim & minime febri laborantem, anhelitu premi.

VITIVM huius conclusionis ostendit: quae, quamuis verum proferat, tamen dissolui potest: id

autem

autem est in maiore illa propositione: & si enim omnes, qui febrim habent, crebro respirant: non tamen omnes, qui crebro respirant, necessario febrim habent: fieri enim potest, vt aliquis alia de causa crebro respiret: vt faciunt, qui cursu contentiore vsi sunt. Cum eiusdem conclusionis vitium ostenderet in posteriore libro τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν, hoc eodem exemplo vsus est: addiditq;. Ἐπεὶ γὰρ ἕπεται ταῖς κυούσαις τὸ ὠχρὸν: ἀκολουθεῖ δὲ καὶ ταύτῃ, διὰ ἔχεσθαι οἴονται κύειν. Quia (inquit) omnes, quae vterum gerunt, pallent: & haec quoque pallet, existimant se demonstrasse (in quo falluntur) hanc etiam vterum gerere. In commentario περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων, de fallaci hac conclusione, multis exemplis adlatis, locutus est: eam autem effici docet è falsa opinione hominum, qui stulte credunt ἀντιστρέφειν τὴν ἀκολούθησιν: idest, si quidpiam aliquā ré necessario consequitur, retro agi conuertique semper consequutionem illam. quod nullo modo verum est: nec enim si, quod aliquid consequitur, cernimus, subito dicere possumus, id quoque, cui comitatur, factum esse: cum illi tantum rei non comitetur, sed aliunde etiam saepe proficiscatur. Eo etiam in loco docuit cuncta haec argumenta a signo, plerumque vitio hoc laborare: cum ducta sint a consequentibus: nam in extremo etiam addidit idem pene exemplum, quo hic vsus est. ὥσπερ οὐδ᾽ εἰ ὁ πυρέττων θερμὸς, ἀνάγκη καὶ τὸν θερμὸν πυρέττειν: non enim, si omnes, qui febrim habent, calido corpore sunt, qui calido corpore, necessario febrim habent: nec enim hoc retro agitur.



Τὶ μὲν οὖν εἰκός ἐστι, καὶ τὶ σημεῖον, καὶ τεκμήριον, καὶ τὶ διαφέρουσιν, εἴρηται μὲν καὶ νῦν: μᾶλλον δὲ φανερῶς καὶ περὶ τούτων καὶ διὰ τὴν αἰτίαν. τὰ μὲν, ἀσυλλόγιστά ἐστι: τὰ δὲ, συλλελογισμένα ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς διώρισται περὶ αὐτῶν.

Quid igitur verisimile est, & quid signum & tecmerium, & quid discrepant inter se, dictum est & nunc: magis autem aperte & de his, & propter quam causam, haec ipsorum nihil ratione concludunt: haec autem vere, in Analyticis accurate explicatum est.

ENVMERAT, quae adhuc explicauit: aitq; se docuisse, quid verisimile sit, quid signum: fallax scilicet illud & incertum. quid item firmum propriumque: nec non, quae differentia horum sit inter se: simulq; libros indicat, in quibus vberius liquidiusq; de his ipsis disseruit: ac praeterea qua de causa non nulla ex ijs nihil certi concludant: aliorum vero conclusio rata stabilisq; sit: in Analyticis namque de ijs omnibus disputatum a se esse diligenter tradit. Vt hic autem discrepare verisimile a signo docet, ita etiam eo in loco, vbi vtriusque naturam expressit, non vnum, idemq; illa esse affirmauit. nec tamen, quid discriminis inter ipsa sit, videre procliue omnino est: nec distinguere, ne alterum, pro altero capiatur. Quintilianus certe aliquando signa videtur appellare, quae εἰκότα verius dici debuerant, vt cum inquit. Eorum autem, quae signa sunt quidem, sed non necessaria, genus Hermagoras putat, non esse virginem Atalantam, quia cum iuuenibus per syluas vagetur: hoc enim potius verisimile est, quam signum: nec enim nota aliqua, quae illic appareat, intelligimus stupratam esse Atalantam, sed coniectura ducti, ita suspicamur: quia plerumque, quae in solis, remotisque locis virgines cum adolescentibus morantur, florem virginitatis amittunt: impetuq; amatorum violantur. Non affirmarim autem, ita ne senserit Hermagoras, an potius, quod εἰκὸς apud eum erat, Quintilianus reddiderit signum: parum apte, proprieque eo nomine vsus. cum idem etiam paulo supra dixerit. Alia sunt signa non necessaria, quae εἰκότα Graeci vocant. Cicero in partitionibus ea separauit, accurateq;, ac subtiliter de ipsis disputauit: expressa enim natura verisimilium: rebusq;, vnde illa ducantur, indicatis, ad signa explicanda transiens, inquit. Est autem genus argumentorum aliud, quod ex facti vestigiis sumitur, vt telum, cruor, clamor editus, & quae sequuntur. Idem tamen infra videtur verisimilia signa appellare, scribens. Atq; in his verisimilibus insunt non numquam etiam certae, & propriae notae. Significans (vt opinor) esse partem quandam, speciemue signorum, τεκμήρια vocata ab Aristotele, quae ipse proprias, certasq; notas appellat: quorumque signorum supra vim, naturamque seorsum explicauerat, initio eius disputationis, & cum coniecturae locos tradere coepit: cum enim tunc de infirmioribus incertioribusque signis dissereret, docet non omnia signa eius generis esse: verum inueniri etiam, quae plus reliquis valeant ad probandum. Intelligi igitur ex his locis potest ambos verisimilia vocare signa, quae certa non sunt, sed tantum rem ita plerumque vsu venire testantur. Cuius etiam sententiae Philoponus fuit, qui signum diuidi tradit in τεκμήριον, idest propriam notam, & εἰκὸς, idest

in notam similem veri: ita appellans, quae philosophus nomine carere dicit, quo distinguantur a certis signis: cum tamen differentiae non parum inter ipsa sit. Aristoteles verisimile esse ait propositionem probabilem: neq; enim, quod plerunq; ita fit, quae verisimilis natura est, necessitatem secum portat, ac firmiter omnino aliquid concludit. Cum idem autem signum definiret, tradidit requiri, vt illud propositio sit, quae vim habeat demonstrandi, quamuis non eodem pacto omnia probent: nec eiusdem semper naturae sit haec propositio: altera enim necessario concludit: altera vero probabilis est: accommodaturq; tantum ad iudicia, existimationesque multitudinis. Conuenit igitur signo cum verisimili, quod vtrumq; eorum propositio est, atq; idem genus habent: discrepant inter se, quod verisimile propositio est semper probabilis: signum vero, nunc necessaria, nunc vero probabilis propositio. Est igitur diligenter quaerendum, qua nam in re species illa signi, quae probabilis est, nec discrepat a verisimili, aut in genere, aut in differentia, quae vna allata est, diuersa ab eo esse possit. Vnde non defuerunt etiam, qui existimarint (vt paulo supra a me patefactum est) quae in secunda, tertiaq; figura syllogismorum concluderentur signa, nulla in re discrepare a verisimilibus, quia ipsa quoque non certo rem declarent: sed tantum, quod plerunq; contingit, significent. cum, quae in prima figura includantur, semper ita se habeant, ac necessitatem secum ferant, ideoq; a verisimilium natura aliena sint. Neq; tamen ipse vllo pacto puto, quamuis commune hoc amborum sit, naturam verisimilis, ac signorum etiam horum, quae proprio carent, ac generis nomine vocantur, penitus eandem esse, sed non parum diuersam: dicique oportere verisimilia opinor, cuncta illa, quae spectata, atq; animaduersa sunt fere contingere, raroque admodum aliter euenire: vt, quibus ipse exemplis vsus est, qui inuident, eosdem odio habere illos, quibus inuident: & pueros, qui amantur, diligere amatores suos: haec enim quamuis certa, necessariaq; non sint, plerunq; tamen ita contingunt. Signa vero, quae occultam nobis rem indicant, notaeq; sunt eius, quod nos latet: cum enim semper animaduersum a nobis sit, qui grauiter aegrotarit, pallere: semperque item intellectum amatores mulierum cultui corporis vacare: multaq; alia huiusce modi, cum, aut pallere quempiam cernimus, aut alium valde exculto corpore videmus, notas illas sequentes, sentimus & illum morbo laborasse, & animum huius libidinibus adulteriisq; inquinatum: quae nec oculis antea, nec mente intelligebamus, sed auxilio eorum signorum perspicimus: quamuis enim aliquando mentiantur, nec certo rem declarent, saepe tamen verum referunt, ac facti vestigia sunt: vt telum cruentum, factam esse caedem: inconstanter quempiam loqui, atq; ore pallere, affinem ipsum esse sceleri significat. ac demum, quae sensu percipiuntur, maxime oculorum, auriumq;. Sed etiam res non nullas, quae sensu percipi non possunt, notas esse rerum, quas ignoremus, planum nobis esse potest testimonio Aristotelis, qui & hoc in loco, & in Analyticis, animaduersum sapientem aliquẽ, qui idem iustus, aut probus sit, signum esse vult iustitiae, aut probitatis omnium sapientium: neq; enim sensibus corporis intelligi potuit Socratem, aut Pittacum, sapientes homines, tales esse, sed mentis oculis perlustrari. Quod cognitum ac spectatum in illis, indicio foret, alios quoq; eiusdem studij homines, iisdem moribus, ac naturis praeditos esse: nam longe discrepare verisimilia a signis, quae in tertia forma syllogismorum concluduntur, certum est: cum verisimile rationem eam habeat ad illud, ad quod verisimile dicitur, quam commune, & quod in vniuersum est, ad id, quod est in parte: illa vero contra ita se habeant ad illud, cuius signa, indiciaq; sunt, vt se habent singulae res ad vniuersum, quo continentur. Neq; tamen quamuis dixerim signa esse vestigia facti: vestigia autem rerum praeteritarum dici videantur, ita accipi volo, vt non sint etiam notae aliquae rerum praesentium, aut futurarum: perspicuum enim est, & ab Aristotele manifesto traditum, non praeteritas tantum res notas quasdam indicare, sed etiam, quae aut tunc fiant, aut postea fieri debeant, significare, vt signa quaedam traduntur a medicis aut bonae, aduersaeq; valetudinis, praesentis, aut aduenientis, ac propinquae. quamuis in vsu oratorum, qui in foro causas dicunt, magis sint, quae praeteritam rem indicant, ac factum aliquod consequuntur, vt ex Halicarnassei quoq; verbis elicitur, in Lysiae vita: cum enim traderet, venustum illum, subtilemque oratorem, hac etiam parte plurimum valuisse, egregieq; signorum diuersa genera distinguere potuisse, ac facere, vt quae incertae, ac fallaces forent, pro certis, propriisq; notis haberentur, inquit:
» τά τε σημεῖα δηλεῖν, τὰ παρεπόμενα τοῖς πράγμασι, καὶ εἰς τεκμηρίων δόξαν ἀγαγεῖν, δυνατώτατος. Quod autem non nulli, quid intersit inter verisimilia, ac signa ostendere volentes, dixerunt, verisimilia, nisi quis abutatur hoc nomine, spectari in personis: signa vero in rebus, arbitror falsum esse: vt enim copiose a Cicerone traditum est, verisimilia ducuntur, non ex personis tantum, verum etiam ex locis, temporibus, factis, & aliis nonnullis rebus, ac certarum etiam personarum naturae, moresq;, notae, atque indicia sunt indolis, morumque aliarum, eiusdem generis personarum: vt verius esse, certiusq; discrimen putem, quod a signis aliquis argumentum ducit, cum animaduersa, cognitaque re quapiam, eaque ipsa illi monstrata, cui fidem facere vult, affirmat, inde percipi posse rem ita se habere, quia id indicium ipsius illius rei est: quamuis enim pro

signis aliquando capiantur, quae oculis non apparent, quia tamen mentis acie illa intelliguntur, & tamquam in eadem persona, req; constituta liquido cognoscuntur, eiusdem generis esse videntur, & vt notae quaedam, quae aliquid declarent, tractantur. Verisimili autem vtitur, qui nulla re indicata, secum rationem subducit rei, ac docet credi oportere, quod dicit: quia plerunq; cum ita se res habeat, id vsu venire solet: nec vtitur nota illa, tamquam singulari propositione, qua probet, ac confirmet, quod vult: sed eo, quod animaduersum est plerunque euenire, vt propositione, quae omnia complectatur. Qui scripsit etiam de ratione dicendi ad Alexandrum, ita videtur verisimile cepisse, dicens, verisimile id esse, cuius, ab aliquo prolati, qui audiunt in animis retinent exemplaria quaedam, vt si quis praedicaret velle se patriam esse honestam, & propinquos, suosq; bene rem gerere, vt etiam inimicos incommodis conflictari: huiuscemodique alia: singuli enim (inquit) qui audiunt conscij sibi sunt earundem voluntatum, intelliguntq; & ipsi se iisdem illis desideriis teneri. Sed etiam discrepare in hoc illa inter se intelligi potest, quod, cum ambo quandoque mentiantur non eadem tamen vtriusque est causa fallaciae, verum diuersae res a vero ipsa dissentire faciunt: verisimile namque aliquando falsum concludit, quia in ipsius natura nihil certi, firmiq; est, nec vllam necessitatem in se habet: si namq; id, quod tradit, plerunque fit, munere suo functum est: fieri enim potest, vt id aliter eueniat, quamuis hoc infrequens sit. Signum vero fallit, quia sumit aliquid, quod communiter plures res consequitur: ipsoque vtitur, tamquam si proprium ipsius illius rei foret, atq; vni ei tantum comitaretur. exempli gratia anhelitum, frequentemq; respirationem, quae & eorum, qui febris aestu iactantur, & eorum, qui concitatiore cursu vsi sint, & aliorum etiam non nullorum, natura inter se differentium, comes est: indeque probare vult, qui anhelitu premitur, febri laborare: quod nullo modo necessarium est: neq; enim id proprium illius rei, sed commune ipsi cum multis: vnde manifesto argumentatio haec saepe est inanis. Hoc quoq; valere videtur ad eorum differentiam indicandam, quod enthymema a signo conflatur, aut in secunda aut in tertia forma syllogismorum: in ambabus autem propositiones verae sunt, perperam tamen, nec vera inter se ratione, plicatae. Quare peccatum est in forma: conclusio vero aliquando falsa, plerunq; tamen vera. Quod fit materiae ipsius vi: e deprauata namque copulatione propositionum contingit aliquando beneficio illius verum concludi. enthymema vero a verisimili in prima, & in secunda forma proprie conflatur. In prima, & cum aliquid affirmatur, & cum negatur. In secunda, cum euertit tantum negatq;. Forma igitur culpa caret: propositiones in parte sui quadam falsae sunt. Lapsus ergo, culpaq; omnis est in materia: superior namq; propositio postulat, quod plerunq; fit, vt perpetuum, & in vniuersum verum, sibi concedi. Conclusio igitur aliquando falsa: plerunq; tamen vera. Cum ergo peccatum in figura magis proprium sit signi: verisimilis autem in materia, & hac etiam re inter se differre ipsa videntur. Maiorem igitur ad probandum vim habent verisimilia, quam signa, ac certiora inde argumenta conflantur, quia illa plerunq; fiunt: signa autem, exceptis propriis certisque, non tam firma sunt, saepiusq; in fraudem inducunt, vt cum aiunt, tenebris quempiam in publico ambulare, significare eum furem, atq; notam eius rei esse volunt: id enim multis de causis aliquando cuiq; vsu venire potest, vt noctu per vrbem discurrat. An hoc quoque semper ratum non est? quia non vnius naturae omnia verisimilia sunt: inueniunturq;, quae firmiora sint, certiusque rem significent: vt contra, quae imbecilliora: quorumq; praesidio non tam liquido affirmari possit, eo pacto se rem habere. Quamuis, quae plerunque non fiunt, aut sunt, non videantur vere posse verisimilia appellari, si descriptioni eorum stamus, quam expressit optimus auctor. Vt autem, verisimilibus quibusdam ducti, quippiam fieri, aut esse affirmamus, ita contra, verisimilia sequentes, aliquas res, aut fieri, aut esse negamus: non minus enim illa refellendae alicui rei, quam confirmandae apta sunt. Praeter quam quod hoc Aristoteles manifesto tradit, exemplis etiam comprobari potest: neq; enim deformem, pauperemq; stuprum virgini intulisse verisimile est: aut robustum hominem ab imbecillo in contentione corporis superatum. Quod etiam in argumentatione a signis fieri planum est, quamuis hoc Aristoteles aperte non doceat: vt enim signis quibusdam res, aut factae, aut praesentes, aut consequentes declarantur, ita etiam contrariis signis eaedem illae, aut non factae esse, aut non fieri, aut non futurae esse ostenduntur. vt cum lepidissimus comicus ἐκκλησιαζούσαις, inducit mulierem viro probare velle castitatem suam, nec se operam adulterio dedisse, quamuis tenebris domo clam exisset, quod vnguentum non redoleret, ac iubet eum caput ipsius olfacere, quod signum a sensu narium sumptum esse apertum est, cum tamen crebriora signa apud auctores inueniantur ducta ab aliis sensibus: passim autem illi signis aliquid quoque non esse probant, vt cum hic ipse in tradenda natura animantium narrat, qui spongias captant, in profundū securo animo se mergere, viso anthia pisce: quo signo intelligunt beluas maris illic non esse, quae ipsos absumere queant: longe enim ille fugit a locis, in quibus tam infestae bestiae morentur. Id etiam auctor rhetorices ad Alexandrum dilucide praecepit: cum enim, quo modo concludi aliquid à signo possit, ostenderet,

deret,

deter, inquit. Quod factum iam est, non tantum rei factae signum esse, verum etiam non factae: quemadmodum, quod non factum est, non solum aliquid non esse, verum etiam esse quippiam declarare: nam de tribus temporibus conuenit illi cum Aristotele: tantum dissentiunt, quod cum ambo velint duo genera signorum esse, quorum alterum certum: alterum infirmum sit, certum diuerso ab incerto nomine ipse non appellat, sed signum etiam illud vocat. quod initio libri testatus sum, cum Aristotelis opus illud non esse probarem.

Παράδειγμα δὲ, ὅτι μὲν ἐστὶν ἐπαγωγὴ, καὶ περὶ ποῖα ἐπαγωγὴ, εἴρηται.

Exemplum autem esse quidem inductionem, & circa quales res inductionem traditum est.

QVEMADMODVM de verisimili, de incertis signis, de propriae notae argumentis accuratius egit in extrema parte ij. libri τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν, ita eodem in loco de exemplo subtilius, eruditiusq; disputauit. Ea autem facile possent huc transferri: quod tamen mihi faciendum non puto: neq; enim concisius hic de his rebus disseruit, vt laborem declinaret, sed quod aliter de eadem re praecipiendum aliis in locis scriptionibusq; putaret: hic enim nihil reliquit eorum, quae ad instruendum oratorem pertinent: munerique ipsis perfecte obeundo, necessaria sunt: illic vero, vbi exquisitius, rationibusq; rerum allatis omnia docebat, cum propositum haberet ostendere cunctas probationes ad duas illas referri, quae propriae sunt dialectici: reliquas vero vmbram eorum instrumentorum esse, totum hoc, causis etiam expositis, probauit, ac magis dilucide omnia persequutus est: vt confirmaret eo pacto se rem habere: quod hic praestare, ac tam accurate minuteq; explicare nullo modo oportebat. Primo autem repetit, quae ad illud pertinentia iam exposuit, narratq; a se iam declaratum, exemplum esse inductionem. quod fecit, cum inquit in oratorijs rebus exemplum esse, quod in dialecticis inductio sit. sed addit etiam materiam a se indicatam esse, in qua versentur, quae scilicet sunt res, quae non eundem semper finem habent, sed aliter etiam contingere, atq; vsu venire possunt.

Ἔστι δὲ, οὔτε ὡς μέρος, πρὸς ὅλον.

Est autem, neque vt pars ad totum.

EXEMPLVM, inductionem oratoriam esse, & Aristoteles, & alij doctissimi viri dixerunt, non tamen ita inductionem exemplum reddit, vt non aliquibus partibus ab ea discrepet: nam, quod hic tradit, exemplum non se habere, sicut pars ad totú, quod discrimen inter illud, & inductionem sit, indicauit: hanc enim vim habet inductio: & ratio omnis inducendi a partibus ad totum integrumque aliquid proficiscitur: quod etiam ipse testatur in primo libro Topicorum his verbis. ἐπαγωγὴ, ἡ ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου, ἔφοδος. Infra quoque hic a parte partibusue ad partem aliam confirmandam proficisci exemplum docet: quod certe a ratione inductionis alienum est.

Οὔτε, ὡς ὅλον πρὸς μέρος.

Neque, vt totum ad partem.

HVNC esse processum syllogismi, planum est. vnde nihil hac ratione confici potest, nisi commune aliquid, vniuersumq; sumptum sit.

Οὔτε, ὡς ὅλον πρὸς ὅλον.

Neque, vt totum ad totum.

ACCVRATE quaerendum est, cur hoc addiderit: nulla enim argumenti species est, quae ex toto vniuersoque vniuersum concludat: non syllogismus, non inductio, non enthymema. In syllogismis namque, in quibus conclusio in vniuersum fit, conclusio ipsa collata vniuerso illi, vnde colligitur, rationem habet singularis. In ij. libro τῶν ὑστέρων ἀναλυτικῶν, de exemplo agens, eademque haec, parum immutatis verbis, exponens, membrum hoc non posuit. Nisi fallor, vt integram diuisionem faceret, hoc quoque nunc complexus est.

Ἀλλ᾽ ὡς μέρος, πρὸς μέρος: ὅμοιον, πρὸς ὅμοιον.

Sed, vt pars ad partem, simile ad simile.

CVM, inductionis naturam aperire volens, primum ostendisset, quae aliena ab ea forent, sublatis iam illis, rationem ipsius nunc docet: atque ita se habere illam secum tradit. vt pars ad partem aliam, quae eodem toto contineantur, se habet: ac simile quidpiam ad rem ipsi similem.

A scriptis codicibus abest coniunctio καὶ, quae copulet duo haec mēbra: ipsam tamen exprimit vetus tralatio. Sine illa autem hic (vt arbitror) sensus erit. Pars inquam similis, ad similem partem. Exempli autem, inductionisq; similitudo, veterum etiam non nullos decepit, vt graues auctores tradunt: qui, quod exempli proprium erat, inductioni tribuerunt: nec enim defuerunt, qui affirmarent inductionem rationē esse, quae a simili ad simile proficisceretur. quod nunc manifesto noster exemplo assignat: nec tamen hoc cōmune amborum esse potest, quemadmodum Alexander Aphrodisiensis affirmat, qui hunc errorem illorum exagitauit, &, quantopere fallerentur, ostendit: nec enim inquit simile dici potest, quod in vniuersum est, & καθόλου appellatur, his, quae continet & infra se habet: inuenta autem est inductio, & haec in primis vis est huius rationis, vt, quod in vniuersum est, probetur. Idem autem eruditissimus vir conuenire id magis inductioni affirmauit: cuius sententiae Aristotelem ducem habet, qui manifesto hic proprium illud esse exempli tradit: neque tamen ille ad eius auctoritatem confugit, aut huius loci mentionem vllam facit, sed, quid sui iudicij sit, exponere videtur.

Ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος: γνωριμώτερον δὲ θάτερον ᾖ θατέρου, παράδειγμά ἐστιν.

Quando ambo quidem fuerint sub eodem genere: magis autem notum alterum fuerit altero, exemplum est.

QVAE praeterea requirantur ad exemplum conficiendum, tradit: docetq; opus esse, vt ambo illa, pluraue similia, eodem genere contineantur: si namq; in hoc ipsis non conueniret, sed diiuncta forent, ad fidem faciendam apta non essent: neq; enim similitudo sola hoc praestare potest. Quid vero hic γένος appellet, manifestum est: nam infra idem καθόλου vocat, & aperte, quid intelligat, docet. Neque tamen huiuscemodi etiam cuncta vim exempli habere: illique constituendo accommodata esse vult: addit enim. Eorum quoque, quae sub eodem genere continentur, alterum altero magis notum esse oportere: si enim pariter ignoraretur, quod exemplum est, cum eo, cuius exemplum confirmatioque, nihil valeret ad faciendam fidem: obscuriora enim clarioribus illustrantur, non rebus, quae aequaliter obscurae sint.

Οἷον, ὅτι ἐπεβούλευε τυραννίδι Διονύσιος, αἰτῶν τὴν φυλακήν: καὶ γὰρ Πεισίστρατος πρότερον ἐπιβουλεύων, ᾔτει φυλακὴν, καὶ λαβὼν, ἐτυράννησε. καὶ Θεαγένης ἐν Μεγάροις.

Ceu, adoriri tyrannidem Dionysium, petentem custodes sui capitis: Pisistratus enim prius dominari volens, petebat custodes, & adeptus, tyrannus euasit: & Theagenes Megaris.

VT Syracusis (inquit) cum deliberabatur, an Dionysio, qui ducebat exercitum, concedendi essent corporis custodes, petenti, qui rem impedire vellet, ostendereque ipsum hac ratione viam sibi ad dominatum munire, hac probatione ita vti posset. Nullo modo id faciendum esse: Pisistratus namque prius Athenis, imponens libertati ciuium, & ipse custodiam suae salutis postulauit, & Theagenes Megaris eodem pacto dominari coepit. Quintilianus in v. lib. hunc locum expressit. » Etiam in ijs, quae futura dicemus, vtilis similium admonitio erit. vt si quis dicens Dio» nysium iccirco petere custodes salutis suae, vt eorum adiutus armis tyrannidem occupet, hoc » referat exemplum: eadem ratione Pisistratum ad dominationem peruenisse. ipse vero lib. iij. de rep. quo loco consuetudinem veterum tradit, qui custodes corporis dabant ijs, quos αἰσυμνήτας ipsi: posteriores vero τυράννους appellauerunt, narrat Dionysiū a Syracusijs petiisse huiuscemodi custodes, eosq; impetrasse: quamuis, postquam totam rem discutere non potuit, de numero ipsorum ab Atheniensi ciue multa disputata esse dicat. cuius etiam consilium spreuerunt Athenienses: neq; minute cum Pisistrato de numero armatorum contendere voluerunt. quis ille fuerit reticet Aristoteles: Plutarchus in Solone, Soloni hoc tribuit, qui illi libere fortiterq; aduersatus sit, ac totam deniq; rem diligenter exponit: qua vero arte Theagenes dominatum arripuerit, docet ipse in v. lib. de rep. cum enim ostenderet multos libertati imposuisse, quibus se commiserat multitudo (fidem autem illi apud populum adepti erant, quod diuitibus se hostes simulabant) addit eadem ratione Theagenem apud Megarenses dominatum fuisse: cum enim in iumentorum greges incidisset, quos locupletiores ciues iuxta fluuium pascebant, pecora ipsa iugulauit. eo autem facto fidem cuncti ipsi, vt cui nullus gratiae reditus apud diuites foret, habere coeperunt. Plato quoque in viij. lib. Politiae, rationis huius prauae: saepeque ab improbissimis hominibus vsurpatae, mentionem fecit: qui, dicentes vitae suae insidias fieri: cu-

stodesque

stodesque a multitudine postulantes, dominatum illorum praesidio occuparunt: vnde tyrannicum postulatum appellat, ac πολυθρύλλητον vocat, quod valde vsitatum, & sermonibus diuulgatum foret.

Καὶ ἄλλοι, ὅσους ἴσασι, παράδειγμα πάντες γίνονται τοῦ Διονυσίου: ὃν οὐκ ἴσασί πω, εἰ διὰ τοῦτο αἰτεῖ.

Et alij, quoscunque nouerunt, exempla cuncti fiunt Dionysii, quem adhuc minime nouerunt, si ob hoc petit.

DOCET, quanto plures fuerint, qui praeteritis temporibus eodem pacto se gesserint, rem certiorem fore, maioremq; fidem consilio tuo habitum iri: alij.n.praeterea (inquit) quoscunq; nouerunt hac via regnum sibi parasse, in medium allati, exemplum fient omnes Dionysij, & occulti animi illius explanatio: quem adhuc exploratum non habent, si hunc finem propositum habens, custodes petit: nondum enim praua consilia Dionysij cognita erant: ostendebat enim ille non minus pro commodis multitudinis, quam pro sua salute se custodes postulare. quod in ipsius vita fortunae quoq; ipsorum positae forent. In concione autem acerrime Daphnaeū, qui optimatum partes in rep. fouebat, ac diuites demum omnes, criminabatur: a quibus postea sibi insidias fieri dicebat: quid igitur ipse animo versaret adhuc intelligi non poterat, malus tamen animus illius, facto Pisistrati Theagenisque probari poterat, quorum consilia iam patefacta erant. Alexander autem Aphrodisiensis in primum librum τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν, definitionem exempli hanc attulit, quae nulla in re discrepat a natura ipsius, quam descripsit Aristoteles, idest oratio, quae vim habet ostendendae partis auxilio partis notae, & fide dignae, alicuius ignoratae, & de qua controuersia sit.

Πάντα δὲ ταῦτα ὑπὸ τὸ αὐτὸ καθόλου, ὅτι ὁ ἐπιβουλεύων τυραννίδι, φυλακὴν αἰτεῖ.

Cuncta autem haec sub eodem genere sunt, eum, qui munit sibi viam ad tyrannidem, custodes petere.

que constituunt exempla, sunt sub eodem exemplo

VIM huius exempli explanat: docetque seruata in eo cuncta esse, quae supra ostenderat in hac probatione requiri: cum enim a parte partibusue ad partem aliam proficisci illam debere affirmarit: quae scilicet cunctae sub eodem genere vniuersoq; contineantur, omnia nunc (inquit) haec sub eodem communi sunt, intelligens Pisistratum, Theagenem, Dionysium. Aperit etiam, quid in hac re sit, quod γένος supra, hic autem καθόλου vocauit. Omnem scilicet, qui tyrannidem occupare aggrediatur, petere custodes corporis.

Ἐξ ὧν μὲν οὖν λέγονται αἱ δοκοῦσαι εἶναι πίστεις ἀποδεικτικαί, εἴρηται.

Ex quibus igitur ducuntur, quae videntur esse probationes demonstratiuae, traditum est.

ENVMERAT, vt mos ipsius est, quae nuper explicarit: traditq; se aperuisse, vnde ducuntur probationes, quae speciem habent demonstrandi. Probationes autem has videri, non esse demonstratiuas, recte dixit: neque enim necessario illis aliquid concluditur. speciem tantum quandam earum retinent, & magnam sane vim habent ad faciendam fidem: saepenumero tamen fallunt.

Τῶν δὲ ἐνθυμημάτων μεγάλη διαφορά.

Enthymematum autem magna est differentia.

Enthymematum differentia

CVM iam &, quae sint oratoria argumenta, & è quibus rebus conflentur, ostendisset, nunc vnde ducere illa oporteat, aggreditur docere. Seiungit autem ipsa primum a ceterarum artium argumentis: enthymemata namque ipsa, sicut syllogismos, quibus vtitur dialectica, non ad dicendi modo ac disserendi, sed ad alias quoque artes, scientiasq; pertinere dicit: ita tamen, vt ars dicendi sua quaedam, ac propria habeat enthymemata: vt disserendi ratio suos, ac proprios syllogismos: quae quidem eam ob causam cum ceterarum artium argumentis ita misceantur, vt a paucis dignosci queant. Quomodo autem id commode fieri possit, ipse declarat. Varietatis autem hoc inueni in antiquissimo libro: quod tertia collatione ille μεγίστη habet: eandemq; lectionem sequitur vetus tralatio.

Καὶ μάλιστα λεληθυῖα σχεδὸν πάντας ἐστίν: ἥπερ καὶ περὶ τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν.

Et quae maxime fallit ferme cunctos, quae sane est etiam circa dialecticam rationem syllogismorum.

ET quae inquit, in primis fefellit ferme omnes: atque eadem sane in dicendi arte enthymematum, quae in via, ac ratione disserendi syllogismorum differentia est. Huiuscemodi quodam modo loquendi vsus est in primo Topicorum, cum de thesi disputaret: ostendit enim, non omnes vno eodemq; intellectu thesin capere: neq; tamen tunc se sollicitum esse de nominibus tradit: ea tamen declarare voluisse, ne diuersae ipsius naturae laterent. haec illius verba sunt. ἀλλ' ἵνα μὴ λανθάνωσιν ἡμᾶς, τίνες αὐτῶν τυγχάνουσιν οὖσαι, διαφοραί. imperitos homines facile fallunt diuersae rerum naturae, eodem vocabulo appellatae. quare suo iure dicere potuit hanc paene clam omnibus fuisse. Discedit hic quoque a communi lectione aliquantulum antiquissimus idem liber: non enim πάντας habet, vt excusi, & reliqui scripti, sed παρὰ πᾶσιν.

Alia ad Rhet.am spectat.

Τὰ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐστι κατὰ τὴν ῥητορικήν.

Quaedam enim ipsorum sunt secundum artem dicendi.

CVM magnopere differre inter se enthymemata dixisset: nec vnum genus eorum esse, vt multi falso crederent: quibus rebus inter se illa discrepent, ostendit: partimque illorum esse secundum artem ipsam dicendi: partim vero secundum alias & artes & facultates: verum, antequam posterius hoc membrũ exponeret, cum supra tradidisset ita se rem habere, quod ad hanc rem pertinet, in dicendi, vt in disserendi ratione, docet in dialectica quoque esse syllogismos suos propriosq; illius rationis: vt alios etiam alienos, & qui diuersarum artium sint. Obscurus tamen locus est: neq; enim (vt inquit) τὰ μὲν γὰρ αὐτῶν, de enthymematibus loquens, ita nunc de syllogismis. οἱ μὲν συλλογισμῶν, vel συλλογισμῶν τινες. ita tamen hunc locũ intelligi debere arbitror.

Alia ad Dialecticas.

Ὥσπερ καὶ κατὰ τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν.

Quemadmodum & secundum rationem disserendi, syllogismorum.

MAGNA quoque similitudo est harum artium in hac re: quod enim dialecticae vsu venit in suis syllogismis, huic etiam, imagini ipsius, in enthymematibus contingit: vt enim in ratione disserendi, magnopere inter se distantes, inueniuntur syllogismi, ita in studio dicendi magna enthymematum discrimina reperiuntur. quod tamen in ambabus artibus pariter ignoretur: in vtraque enim infra peccari vulgo ostendit.

Τὰ δὲ κατ' ἄλλας τέχνας, καὶ δυνάμεις· τὰς μὲν, οὔσας· τὰς δὲ, οὔπω κατειλημμένας. καταλαμβάνω

Alia ad alias artes

Quaedam autem secundum alias artes, ac facultates: quarum hae quidem, sunt: hae vero nondum perceptae.

QVAEDAM vero (inquit) enthymemata sunt ex aliis artibus, ac facultatibus, quarum quidem artium facultatumque aliae iam inuentae sunt ac manent: aliae vero nondum deprehensae, ac conflatae. Certum autem, ac definitum numerum artes non habere, manifestum est: & hoc
» etiam aliis locis aperte ipse tradidit. in primo Topicorum. καὶ ὅσαι δόξαι κατὰ τὰς τέχνας εἰσὶ τὰς
» εὑρημένας; vt qui illic etiam ostendat nouas artes ab hominibus excogitari posse. tempus etiam ipsum hoc nobis declarauit: quis enim nescit nouas artes inferioribus temporibus repertas esse, quas prisci illi non habebant? quemadmodum etiam non nullae vetustate amissae sunt? οὔπω κατειλημμένας, nondum excogitatas perceptasq; artes vocauit: vnde etiam finis ille vulgatus artis, ὅτι σύστημα ἐκ καταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ: in eo enim quoq; ab eodem verbo conformatum nomen καταλήψεις; vt enim hic Aristoteles artes percipi inquit, ita auctor illius definitionis, coagmentationem quandam perceptionum illiusmodi, artem esse affirmauit. Quintilianus in ij. libro, vbi an sit ars rhetorice disputat, hanc quoq; definitionem expressit. Artem constare ex perceptionibus consentientibus, & coexercitatis ad finem vtilem
» vitae. Eandem fortasse intellexit Cicero in primo de Oratore, cum inquit. Artem vero nega-
» bat esse vllam, nisi quae cognitis penitusq; perspectis, & in vnum exitum spectantibus, & num-
» quam fallentibus rebus contineretur. Vnde suspicor in Graeca definitione desiderari ὁμολογουμένων. Illa autem nunc legitur apud Eustratium interpretem Aristotelis in primo de moribus ad Nicomachum. Animaduertendum autem, quamuis artes aliquae nondum deprehensae perceptaeque sint, formari tamen posse enthymemata ex ratione illarum, quod non omnino natura ipsarum ignoretur: possunt enim quaedam iam teneri, quae partem aliquam declarent; nec tamen tot, vt vim penitus, naturamque earum explanent.

Artis definitio

Διὸ καὶ λανθάνουσί τε τοὺς ἀκροατάς.

Quare & fallunt auditores.

QVARE

QVARE (inquit) enthymemata, quae harum, & illarum artium propria sunt, clam ijs, qui audiunt, sunt, & ipsos facile fallunt: cum ab oratore illa non expectent, nec cognitum habeant, licere ipsi, si modice hoc faciat, vti rebus, quae certarum artium ac disciplinarũ sint: quae namq; nota nobis & ignota sunt, facilius nos fugiunt. Ita accipi debere locum hunc arbitror: vt enthymemata latere dicat, quod supra proposuit, & nunc verum esse probat, rationem eius rei reddens, non oratores, vt suspicari aliquis posset. tamquam dixerit, latere illos, qui audiunt, studium oratorum: quamuis statim, relictis enthymematibus, ad eos, qui dicunt: illisq; vtuntur, transeat. Significans, quid cauere illos oporteat: si namque, capti studio hoc, penetrarint ad intimas partes earum artium: rationeq; ac via ipsas tractarint: nec communioribus quibusdam, & quae in promptu sunt, contenti fuerint, in culpam incidunt: ac sibi ipsis, fraudi sunt.

Καὶ μᾶλλον ἁπτόμενοι κατὰ τρόπον μεταβαίνουσιν ἐξ αὐτῶν.

Et magis attingentes vero modo migrant è semetipsis.

ITA locum emendaui, secutus auctoritatem antiquissimi libri, & rem ipsam: antea namque excusi ita habebant. κατὰ τρόπον δεόντως. aduerbium igitur δεόντως sustuli, quod nec a vetere etiam tralatione expressum est, & (vt opinor) declaratio fuit antecedentium verborum, è Graeciq; interpretis paraphrasi manauit: nam in optimo quoq; illo exemplari, quid κατὰ τρόπον valeat, scholio quodam declaratum est: supra namq;, non eadem, antiqua scilicet, sed recentiore, manu, adnotatum est, significare id ὀρθῶς καὶ κατὰ τέχνην. Loco igitur (nisi fallor) purgato, hic ipsius sensus erit. Illi ipsi oratores, qui ab alijs artibus enthymemata sumunt, si id magis, quam ferri possit, bene atq; exquisite fecerint, transeunt demigrantq; ex se ipsis: idest exeunt e finibus suis, ac relinquunt artificium, quod profitentur: vt exuant personam suam, & amittant merito nomen oratoris: κατὰ τρόπον enim cum (inquit) idest recte, respexit rationem illarum artium, ac quid ipsae requirant: vt oporteret scilicet ea tractari a peritis ipsarum, & qui in illis ipsis manerent: non vtilitatem, officiumq; oratorum, qui dum in eas se nimis immittunt, studium suum corrumpunt, nedum bene ordineque se gerant: illi enim melius facerent, si temperantius ipsis vterentur: nec ad intimas earum rationes descenderent: ita vero accipi debere haec verba, videtur etiam declarare aduerbium μᾶλλον: inquit enim μᾶλλον κατὰ τρόπον, idest magis, quam oporteat ipsos facere, accurate. Cum autem statim Aristoteles, intelligens se hic breuem obscurumq; fuisse, vberius haec, apertiusq; exponat, ostendere ipsum, si orator hoc fecerit, in culpam hanc casurum esse, quam dixi, manifestum est. vnde etiam magis aperte cognosci potest, hanc esse sententiam huius loci. quod verba etiam ipsa plane significare videntur.

Μᾶλλον δὲ σαφὲς ἔσται τὸ λεγόμενον, διὰ πλειόνων ῥηθέν.

Magis autem apertum erit, quod dicitur, pluribus verbis expositum.

OBSCVRAM esse superiorem sententiam perspicit, & omnẽ obscuritatem inde proficisci, quod nimis breuitati studuerit. quare ipse, cognito illius vitio, id corrigere aggreditur. Si quod paucis (inquit) verbis exposui, pluribus enuntiaro, magis apertus erit animi mei sensus. Eandem sententiam Cicero, cum & ipse in huiuscemodi culpam sibi videretur incidisse, elegantissime protulit, & quasi hunc locum interpretatus est. Hoc video, dum breuiter voluerim dicere, dictum a me esse paulo obscurius.

Λέγω γὰρ διαλεκτικούς τε, καὶ ῥητορικοὺς συλλογισμοὺς εἶναι, περὶ ὧν τοὺς τόπους λέγομεν.

Dico enim dialecticos & oratorios syllogismos esse, de quibus locos tradimus.

APERTIVS, vt testatus est, explicare aggreditur, qui sint syllogismi dialectici, & oratorij, & aliarum artium proprij: affirmatq; dialecticos, atq; oratorios esse de rebus illis, de quibus locos exponet: idest communes, vt statim ipse docet: & qui, non vnius alicuius strati sint, sed ad diũersas res traduci possint: neq; magis huic, quam illi addicti sint: qui enim naturam hanc habent, conueniunt his facultatibus.

Οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ κοινῇ περὶ δικαίων, καὶ φυσικῶν, καὶ περὶ πολιτικῶν, καὶ περὶ πολλῶν διαφερόντων τῷ εἴδει.

Hi autem sunt, qui communiter de rebus iustis & naturalibus, & ciuilibus, & de multis differentibus specie.

SCRIPTI quidam libri ὅσοι κοινῇ, habent: alij vero οἱ κοινοὶ. Hi (inquit) scilicet loci: ita enim ab eo vocantur, qui argumenta continent, non huius, aut illius tantũ generis, ac strati, sed, vnde plures

artes ac facultates, argumenta sua promunt. Hi igitur sunt, qui communiter complectuntur argumenta diuersarum artium: generatimq; adminicula dant ad argumenta colligenda de rebus, quae ad mores pertinent, & ad naturam, & alia etiam multa, genere inter se discrepantia.

Οἷον ὁ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον τόπος: οὐδὲν γὰρ μᾶλλον ἔσται ἐκ τούτου συλλογίσασθαι ἢ ἐνθύμημα εἰπεῖν, περὶ δικαίων, ἢ φυσικῶν, ἢ περὶ ὁτουοῦν.

Ceu locus ex maiore & minore: nihilo enim magis licebit ex hoc concludere syllogismo, vel enthymema adferre de rebus iustis, vel naturalibus, vel quolibet alio.

CVIVS generis est (inquit) locus, qui vocatur ex maiore, & ex minore: neque enim tantum inde argumenta de vna aliqua certa, definitaque materia promuntur, sed contra suppeditat ille argumenta ad diuersas, longeque inter se distantes res, probandas: neq; magis huic, quam illi materiei tractandae auxilio est: nec dialecticus poterit: oratorue, inde praesidia sumens, hic syllogismo concludere: ille enthymemate probare aliquid magis de rebus aequis aut iniquis, quam de rebus naturalibus, aut de qualibet alia re.

Καίτοι ταῦτα εἴδει διαφέρει.

Et si haec differunt specie inter se.

ATQVI dubitari (inquit) non potest, quin multum intersit inter has res: sintque illae forma discrepantes. Addidit autem hoc, quia quibusdam mirum videri potuisset, quomodo vna eademque regula rebus dissimilibus accommodari potuisset: planum tamen est, locos, quos appellant, clausa in se habere argumenta diuersarum artium, ac disciplinarum.

Ἴδια δὲ, ὅσα ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον εἶδος καὶ γένος, προτάσεών ἐστιν.

Propria autem, quaecunque è propositionibus constant, quae sunt vniuscuiusque formae, & generis.

COGITANDVM, quid intelligat, ac vocet ἴδια: nam supra ea parte, a qua haec apta esse videtur, virili genere dixit. εἰσὶ δ' αὗται οἱ κοινοί, an enthymemata intelligit? Propriaq; esse dicit enthymemata huius, & illius artis, quae constant è propositionibus, quae illius ipsius artis ac scientiae sunt: ipse enim aperte docet esse propositiones de pluribus, ac diuersis inter se rebus diuersas ac dissimiles: quam totam rem plenius in primo libro Topicorum persecutus est: quo in loco tres maxime formas esse propositionum docet. nam alias esse, morales: naturales, alias: tertias vero, logicas, tradit: atq; exemplis, quae nomine hoc, aut illo appellari debeant, docet. Si diligenter tamen attendimus, non argumenta hic, sed locos, elementaque, vnde illa depromerentur, tradit: qui duum generum sunt: aut communes omnium artium, aut proprij singularum. Cum autem proprios locos εἴδη appellet, eo respicere potuit, atq; ea de causa neutrum genus vsurpare: illud tamen perturbat, quod inquit, effici haec è propositionibus. Loci autem, siue communes, siue proprij sint, è propositionibus constare, non satis commode dici videntur posse, sed potius continere in se propositiones, quas inde elicit, cum opus est, qui sedes illas ipsas earum cognitas habet. Suspicari fortasse posset aliquis ἰδίᾳ legi debere, vt aduerbium sit, quo saepe vtitur: maxime cum κοινῇ supra dixerit.

Οἷον περὶ φυσικῶν εἰσι προτάσεις, ἐξ ὧν οὔτε ἐνθύμημα, οὔτε συλλογισμός ἐστι περὶ τῶν ἠθικῶν: καὶ περὶ τούτων ἄλλαι, ἐξ ὧν οὐκ ἔσται περὶ τῶν φυσικῶν: ὁμοίως δὲ τοῦτο ἔχει ἐπὶ πάντων.

Ceu de rebus naturalibus extant propositiones, ex quibus nec enthymema, neque syllogismus est de rebus moralibus: atque de his aliae, ex quibus non licebit de rebus naturalibus: similiter autem se habet in omnibus.

EXEMPLO docet in singulis stratis scientiarum facultatumque, esse suas quasdam, proprias que ipsarum propositiones, quae ad alias artes transferri non possunt: ceu de naturalibus reb. sunt propositiones, ex quibus propositionibus conficere non licet oratori enthymema: neque dialectico syllogismũ de rebus ad vitam & mores pertinentibus: contraq; aliae de his reb. sunt: moralibus inquam, vnde nullo modo licebit de naturalibus reb. vtro vis modo quicquã concludere: &, vt in his ostendimus se rem habere, ita etiam in cunctis alijs habebit. Quas autem προτάσεις Graeci vocarunt, propositiones propositaue Latini: ab eadem vero re, aut parũ dissimili,

vtraque

vtraque gens eidem rei nomen imposuit: docet enim Hammonius in librum περὶ ἑρμηνείας, προτάσεις vocatas, quod quasi intendantur, porriganturq; ab ijs, qui ratione aliquid concludere volunt ijs, quibus cum disputant. inde autem Latinum quoque nomen deriuatum esse constat: quamuis προτείνεσθαι Latino verbo omnino expressum non sit.

Κἀκεῖνα μὲν οὐ ποιήσει περὶ οὐδὲν γένος ἔμφρονα: περὶ οὐδὲν γὰρ ὑποκείμενόν ἐστι.

Et illa quidem non reddent circa vnum quodq; genus eruditum: circa nullam enim certam materiam sunt.

PROPOSITIONES illae generales, idest loci ac sedes argumentorum: quamuis multas multasq; didiceris, numquam te facient huius, aut illius artis peritum: id enim hic appellauit ἔμφρονα. in hoc ipso libro post, artem etiam firmiorem grauioremq;, ἐμφρονεστέραν vocauit. In viij. quoq; libro Topicorum φρόνησιν appellauit intelligentiam, perceptionemq; rerum, quae a scientia traduntur, πρός τε τὴν γνῶσιν, καὶ τὴν κατὰ φιλοσοφίαν φρόνησιν: & quae sequuntur. Definitio etiam huius artis circumfertur, quae idem verbum eodem sensu capit: dicit enim φρόνησιν illam esse περὶ λόγους. Causam autem attulit eius rei dicens: neq; enim huic aut illi strato se addixerunt, & in eo explicando totae occupatae sunt; sed vagantur, & pluribus ac diuersis generibus inseruiunt.

λανθάνω. M.

Ταῦτα δὲ, ὅσῳ τις ἂν βελτίω ἐκλέγηται, τὰς προτάσεις, λήσει ποιήσας ἄλλην ἐπιστήμην τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ῥητορικῆς.

Haec autem quanto aliquis meliora selegerit, propositiones, non animaduertet se fecisse aliam scientiam a dialectica, & rhetorica.

POSTERIORES has propositiones, quae huius, aut illius artis propriae sunt, hanc naturam habere dicit, vt si quis adhibita diligentia meliores selegerit, id quod non vult, efficiat: studio namq; illo suo videri volebat eruditior orator, aut dialecticus: efficietur auté aut geometra, aut musicus: prout huius, aut illius disciplinae proprias propositiones collegerit: nec facultatis suae nomen vllo pacto amplius retinebit: meliores autem intelligit, quae è principiis, perceptisue alicuius artis sint: meliores enim illae profecto, valentioresq; sunt, si naturam illarum spectes: quamuis oratori minus aptae accommdataeq; sint. Quid vero illo ταῦτα intellexerit, expressit ipse addens, τὰς προτάσεις: videtur enim hoc, quasi declaratio esse superioris verbi: quod enim ab eo antea prolatum obscure fuerat, ita ille aperuit: ob idq; nondum absoluta sententia, illud iniecit. quomodo etiam accipi debere arbitror locum in iij. libro. καὶ ἔτι τοῦτο πλεῖστον δύναται: αἱ μεταφοραί. Additum enim ea de causa illic puto αἱ μεταφοραί, vt aperte ostenderet, quid antea significare voluerit: vt valeat, intelligo inquam metaphoras. Eandem rationem (nisi fallor) habent illa apud Demosthenem in oratione pro Ctesiphonte. ἔθηκα νόμον, καθ' ὃν τοὺς μὲν τὰ δίκαια ποιεῖν ἠνάγκασα, τοὺς πλουσίους. &, Καὶ τὰ παρ' αὐτοῖς δὲ καὶ παρὰ πᾶσιν ἐν πλείστῃ φυλακῇ, παῖδας καὶ γυναῖκας ἐφ' ἡμῖν ποιήσαντες, σωφροσύνης πίστιν περὶ ἡμῶν ἔχοντες ἔδειξαν: neque enim addidit δηλονότι, aut quicquam, quod manifesto indicaret, ea verba declarationem esse: nam secundo in exemplo genus etiam variauit: vt hic facit Aristoteles: & a neutro, ad virile muliebreq; transiit. λήσει ποιήσας valet, paulatim in eam culpam incidet, vt artem suam extinguat: abreptus enim hoc studio capessendarum exquisitiorum propositionum, nimis longe ab artis suae vestigiis aberrabit: & antequam, quid fiat intelligat, aliam artem ab ea, quam profitebatur, effecerit. λήσει namque ποιήσας, dictum est, vt illud Epicuri, λάθε βιώσας. da operam (aiebat ille) vt nemo intelligat te vixisse: eam autem vocem expressit Horatius in epistola ad Lollium.

An secretum iter, & fallentis semita vitae:
Planius autem ad Saeuam.
Nec vixit male, qui natus moriensq; fefellit.

λήσει ποιήσας: iam hoc fecerit, & adhuc ipsum fallet. Nimia igitur diligentia vitio est, & in fraudem inducit: & id, quod videtur ornare, deprauat ac corrumpit: tantopere enim commutat oratorem, aut dialecticum, vt non facile cognoscantur: neque etiam sint amplius dialectici, aut oratores.

ἐντυγχάνω

Ἂν γὰρ ἐντύχῃ ἀρχαῖς, οὐκ ἔτι διαλεκτική: οὐδὲ ῥητορική, ἀλλ' ἐκείνη ἔσται, ἧς ἔχει τὰς ἀρχάς.

Si namque occurrerit principijs, non amplius, neque dialectica, neque rhetorica, sed illa erit, cuius principia nacta fuerit.

Si, dum propositiones proprias alicuius artis accurate indagat, ad penetralia illius artis orator aut dialecticus peruenerit: ac fontibus, vnde ipsa illa res oritur, occurrerit, penitus facultatis suae nomen amittet: quae enim antea dicendi, aut disserendi ars erat, repente, aut musice, aut geometria fiet: in eam demum conuertetur, in cuius principia deuenerit: potest enim è communibus quibusdam orator de musicis etiam rebus geometricisq; disputare. Quod si, dum sedulo id agit: exquisiteq; rationes captat, inciderit in principia earum scientiarum, sibi ipsi fraudi est, ac studium suum corrumpit: vt contra musicus, ac geometra, si vterq; de suis rebus differens, non ex suis propriisq; principiis proficisceretur, sed communibus, alienisq; vteretur, explodi merito posset, & argumentatio illa inanis foret: nec vim vllam ad id, quod volunt, probandum, haberet; quamuis non parum posse imperitis videretur.

maior pars enthymematum conficitur ex propositionibus proprijs alicuius artis

Ἔστι δὲ τὰ πλεῖστα τῶν ἐνθυμημάτων ἐκ τούτων τῶν εἰδῶν λεγόμενα, τῶν κατὰ μέρος καὶ ἰδίων: ἐκ δὲ τῶν κοινῶν, ἐλάττω.

Plurima autem enthymemata sunt, quae ducuntur ab his formis singularibus & proprijs: è communibus autem pauciora.

Maiorem enthymematum partem confici è propositionibus illis, quae propriae peculiaresq; alicuius artis sunt, inquit: in singulis namque artibus infinita vis est propositionum: è communibus autem locis, & qui nulli certo strato addicti sunt, pauciora.

Καθάπερ οὖν καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς, καὶ ἐνταῦθα, διαιρετέον τῶν ἐνθυμημάτων τά τε εἴδη καὶ τοὺς τόπους, ἐξ ὧν ληπτέον. λαμβάνω

Quemadmodum igitur & in Topicis, ita etiam hic diuidere oportet enthymematum & formas, & locos, vnde sumenda sunt.

Cum tanta formarum, locorumq; differentia sit, quantam ipse supra demonstrauit: vt scilicet illae fraudi dialectico, & oratori, non recte vsurpatae ab ipsis, esse possint, loci nullum tale periculum secum portent: aliaq; etiam discrimina sint, affirmat oportere distinguere enthymematum species appellatas, ab his, qui loci vocantur, ex quibus illa ipsa promuntur: vt in Topicis factum est, ita etiam in his, qui oratorem instruunt, libris.

Λέγω δὲ εἴδη μὲν, τὰς καθ' ἕκαστον γένος ἰδίας προτάσεις: τόπους δὲ, τοὺς κοινοὺς ὁμοίως πάντων.

Voco autem formas, vniuscuiusque generis propositiones: locos vero similiter omnium communes.

Diligenter vim horum verborum exponit: & quid ipse hoc aut illo intelligit, nequis error nascatur, docet: voco enim (inquit) species propositiones suas, propriasq; singulorum generum ac stratorum: locos vero, qui communes sunt omnium: neque magis huic, quam illi materiei addictos: appellat autem nunc, vt supra fecit, γένος, materiem stratam alicui scientiae & arti. quod paulo ante ὑποκείμενον vocauit. Animaduertendum, an proprias has propositiones,
» εἴδη q; intellexerit, cum in primo libro de oratore Cicero inquit. Certosq; esse locos, quibus in
» iudiciis vteremur, in quibus aequitas quaeritur: alios in deliberationibus, qui omnes ad vtilita-
» tem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus; alios item in laudationibus, in quibus ad
» personarum dignitatem omnia referrentur,

Πρότερον οὖν εἴπωμεν περὶ τῶν εἰδῶν: πρῶτον δὲ λάβωμεν τὰ γένη τῆς ῥητορικῆς, ὅπως διελόμενοι πόσα ἐστὶ, περὶ τούτων χωρὶς λαμβάνωμεν τὰ στοιχεῖα, καὶ τὰς προτάσεις. διαιρέω A B

Prius igitur dicamus de formis. primum autem consequamur genera rhetorices, vt, cum diuiserimus, quot sunt, de his seorsum consequamur elementa, & propositiones.

Rectius esse censet, antequam communes locos argumentorum tradat, de propriis alicuius generis propositionibus, quas εἴδη se appellare docuit, disserere: se tamen hoc commodius facturum esse credit, si genera prius dicendi artis explicauerit: singulis enim ipsius generibus proprias propositiones adiunget: atq; ita huius rei tractatio planior, faciliorq; erit. Id igitur statim aggreditur. quod autem hic facere commodum esse ducit, seruauit etiam in Topicis. στοιχεῖα vero, idest elementa, vocat locos, sedesq; argumentorum, vt ipse manifesto in ij. libro his verbis testatur, στοιχεῖον δὲ λέγω, καὶ τόπον ἐνθυμήματος τὸ αὐτό. Theophrastus quoque, cum, quid esset locus, definiret,

definiret, hoc verbo vsus est, τόπος ἐστιν ἀρχή τις, ἢ στοιχεῖον, ἀφ' οὗ λαμβάνομεν τὰς περὶ ἕκαστον ἀρχάς. In commentariis autem Alexandri in primum Topicorum hoc legitur. Addens vero nunc προτάσεις, cuiusmodi elementa intelligeret, significauit: intelligit enim, quae propria singulorum, dicendi generum sunt, non locos illos, in quibus argumenta communia omnium artium, ac disciplinarum manent.

Ἔστι δὲ τῆς ῥητορικῆς εἴδη τρία τὸν ἀριθμόν: τοσοῦτοι γὰρ καὶ οἱ ἀκροαταὶ τῶν λόγων ὑπάρχουσιν ὄντες.

Sunt autem artis dicendi tria genera numero: tot enim & auditores orationum sunt.

APPELLAT εἴδη hic, quod paulo supra γένη vocauerat: orditurque explicare, quae ad propositiones proprias, communesq; distinguendas pertinent, diuidens artem dicendi in tres partes, è triplici eorum, qui orationes has audiunt, natura ac fine.

Σύγκειται μὲν γὰρ ἐκ τριῶν ὁ λόγος, ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ περὶ οὗ λέγει, καὶ πρὸς ὅν.

Constat enim è tribus rebus oratio, ex eo, qui dicit, & de quo dicit, & ad quem.

NECVI mirum videretur, quod dixerat, tres partes esse rhetorices, quia tria forent genera auditorum: non videnti, quid huc persona auditorum pertineat, haec addidit: docetq; illam necessario considerari debere, cum vnum è tribus sit, quae constituunt orationem. Constat enim (inquit) oratio ex eo, qui dicit: ita autem appellat oratorem: & de quo dicit, quibus verbis rem significat, & ad quem habetur, intelligens auditorem.

Καὶ τὸ τέλος πρὸς τοῦτόν ἐστι: λέγω δὲ τὸν ἀκροατήν.

Et finis ad hunc est: intelligo autem auditorem.

AC quod propositum in animo habet is, qui dicit, & ad quem refertur studium ipsius, auditor est: finis autem oratoris est persuadere. Cum igitur auditor finis sit (cur enim aliquis verba faciat, nisi eum, qui audit, habeat: eumq; delectare, aut persuadere velit) recte diuiditur dicendi ars, in tot partes, quot sunt auscultatores: finis enim in omnibus rebus spectandus est.

Ἀνάγκη δὲ τὸν ἀκροατήν, ἢ θεωρὸν εἶναι, ἢ κριτήν: κριτὴν δέ, ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων.

Necesse autem est auditorem, vel auscultatorem esse, vel existimatorem. existimatorem autem esse, vel rerum praeteritarum, vel futurarum.

AVDITORVM genera distinguens, docet tres illos esse, a duobus ipsorum muneribus: quorum alterum in duo tempora diuidatur, cum alterum vnum tantum tempus: praesens inquam, spectet. tria igitur tempora proposita ipsis, tria efficiunt genera auditorum. Expressit autem (vt arbitror) hunc locum Cicero in Partitionibus, cum inquit. Auditorum eam genere distingui: nam aut auscultator est modo, qui audit: aut disceptator, idest rei sententiaeq; moderator, ita vt delectetur, aut statuat aliquid: statuit autem aut de praeteritis, vt iudex: aut de futuris, vt senatus: sic tria sunt genera. iudicij, deliberationis, exornationis. Θεωροὺς vero veteres Graeci appellabant, quos publice ad rem diuinam faciendam aliquo mitterent: & θεωρίδα nauigium, quo vehebantur: In quo verbo manebat flagitiosa illa Stratoclis assentatio, qui censuerat, vt qui ad Antigonum, Demetriumque Macedonas publice ab Atheniensibus mittebantur: non legati, sed θεωροὶ vocarentur, tamquam ad deos, non ad reges, fortunatosq; homines, mitterentur: addit autem Plutarchus, qui hoc commemorat: καθάπερ οἱ Πυθοῖ, καὶ Ὀλυμπίαζε τὰς πατρίους θυσίας ὑπὲρ τῶν πόλεων ἀπάγοντες ἐν ταῖς ἑλληνικαῖς ἑορταῖς. Vocabantur etiam θεωροί, qui ludos spectaculaq; visebant: ac nundinas demum eas frequentabant, quae πανηγύρεις dicebantur: cum enim illic plurimi conuenirent, orationes saepe in laudem, vituperationemq; alicuius recitabantur. θεωροὺς igitur auditores harum orationum vocat Aristoteles: quamuis, vt nomen declarat, illuc potius spectatum, quam auditum venerant. Halicarnasseus in vita Lysiae, a nomine, quo conuentus illi vocarentur, in quibus plerunque hae orationes haberentur, πανηγυρίζοντα earum auscultatorem appellauit: vbi enim seruasse illum diligenter id, quod decet, ostenderet, inquit: οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον δικαστῇ, καὶ ἐκκλησιαστῇ, καὶ πανηγυρίζοντι ὄχλῳ. Cicero ab officio, quo tunc fungebatur, illum auscultatorem appellat: nam verba etiam, quae addit, ita vt delectetur, ad auscultatorem hunc, & θεωρὸν pertinent. Θεωροὺς autem hos intellexit Cicero, cum in proaemio v. libri Tusculanarum quaestionum inquit, Esse autem quoddam genus eorum: idq; vel maxime ingenuum,

qui

Caput III. Tria esse gña causarū, totidē Auditor. Tria item tempora et fines tres

Auditor. 3. gña Auscultator in Demonst. Disceptator in Deliberat. Existimator in Iudicial.

θεωροὶ ... qui publice ad rē diuinā aliquo faciendā mitterēt Stratoclis flagitiosa assentatio

» qui nec plausum, nec lucrum quaererent, sed visendi gratia venirent: studioseq; perspicerent, quid ageretur: & quae sequuntur: nam verbum etiam, vnde appellati forent, expressit. Perspicuum autem est hic existimatorem appellari κριτὴν, non iudicem: existimator enim est, qui in iudiciis, foroque, & qui in senatu, aut contione de oratoris causa, sententiaq; iudicat. cum iudex proprio nomine sit, qui litigatorem audit. in foro autem de praeteritis rebus agitur: in senatu de futuris sententiae dicuntur: vtrumque autem intelligi ab Aristotele verba ipsius declarant.

Ἔστι δ᾽ ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων, οἷον ἐκκλησιαστής.

Est autem, qui existimat de rebus futuris, ceu contionalis.

ITA se rem habere confirmat, vt tradiderat: aperitq;, qui huius, aut illius temporis res existimet: primoq; de rebus futuris statuentem, existimatoremque dicit esse, qui audiat verba facientem in deliberatione: ἐκκλησιαστὴς enim est, qui in contione stat: Cicero aut de futuris, inquit, vt senatus: nam de summa rep. Romani in senatu agebant. Graeci ferè homines in contione deliberabant.

Ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων: οἷον, ὁ δικαστής.

Qui autem de iam factis, ceu iudex.

QVI vero sententia sua de rebus factis iam, praeteritisq; statuit, iudex est, inquit: in foro enim plerunque praeteritae res existimari consuerunt, factae sint, an non factae: aequae, an iniquae fuerint. οἷον autem & hic, & paulo supra, vbi inquit, οἷον ἐκκλησιαστὴς, addit, quia non hi soli de illis existimant: praecipue tamen ipsi. vnde inquit, exempli gratia, iudex.

Ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως, ὁ θεωρός.

Qui autem de facultate oratoris, auscultator.

DE facultate vero oratoris, ac de vi dicendi ipsius, qui iudicat, ille θεωρὸς est, si eam rem, quam laudandam suscepit ornare ille potuit: nam in ostentatione omne munus ipsius positum est.

Ὥστ᾽ ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων, τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν. δικανικὸν. ἐπιδεικτικὸν.

Quare necesse est tria sint genera orationum oratoriarum, deliberatiuum. iudiciale. demonstratiuum,

QVARE (inquit) cum planum factum sit, tria genera esse auditorum, necesse est, quod diximus, verum sit, tria etiā genera esse dicendi: distinguuntur.n.illa distinctis, variatisq; auditoribus: appellat autem nunc ipsa: vocatq;, quod auditorem ἐκκλησιαστὴν nactum est, a deliberando, συμβουλευτικὸν: quod vero iudicem, δικανικὸν: ἐπιδεικτικὸν vero, quod ad pompam habetur, & demonstratiuum a Latinis vocatur: eius auditor est θεωρὸς.

Συμβουλῆς δὲ, τὸ μὲν, προτροπή: τὸ δὲ, ἀποτροπή.

Deliberationis autem vnum genus est, suasio: alterum vero dissuasio.

DELIBERATIONIS vero duae partes sunt, quarum altera, suasio: altera, dissuasio, appellatur: his enim Latinis verbis Cicero in hac re exprimenda vsus est. Distinguit autem nunc genera dicendi a diuersis officiis eorum, qui ea tractant.

Ἀεὶ γὰρ καὶ οἱ ἰδίᾳ συμβουλεύοντες, καὶ οἱ κοινῇ δημηγοροῦντες, τούτων θάτερον ποιοῦσι.

Semper enim & qui priuatim suadent, & qui publice verba faciunt, horum alterum faciunt.

PROBAT, duas tantum partes inueniri deliberandi generis: qui priuatim enim (inquit) alicuī consilium dant, & qui publice, de quo deliberatur, sententiam dicunt, necessario aut suadent, aut dissuadent.

Δίκης δὲ, τὸ μὲν, κατηγορία: τὸ δὲ, ἀπολογία: τούτων γὰρ ὁποτερονοῦν ποιεῖν ἀνάγκη τοὺς ἀμφισβητοῦντας.

Iudicij autem vna pars est, accusatio: altera vero, defensio: horum enim alterutrum necesse est facere, qui controuersantur.

IVDICIORVM

IVDICIORVM autem partes sunt accusatio & defensio, quod statim verum esse confirmat, dicens: qui namque in foro cum aliquo disceptant, necesse est alterum horum faciant: aut enim reum ipsum agunt: aut salutem, existimationemque ipsius, in periculum vocatam, tuentur: tertium nihil est.

Ἐπιδεικτικοῦ δὲ, τὸ μὲν, ἔπαινος· τὸ δὲ, ψόγος.

Demonstratiui autem vna par est, laudatio: altera, vituperatio.

DEMONSTRATIVI autem generis partes sunt laus & vituperatio. Causam, cur plures non sint, vt in superioribus generibus fecerat, ipse non aperit: eadem tamen huc quoque transferri potest: qui enim in aliquem dicunt, aut laudant hominem, aut vituperant.

Χρόνοι δὲ ἑκάστου τούτων εἰσὶ, τῷ μὲν συμβουλεύοντι, ὁ μέλλων· περὶ γὰρ τῶν ἐσομένων συμβουλεύει, ἢ προτρέπων, ἢ ἀποτρέπων.

Tempora autem singulorum horum sunt haec, deliberanti, futurum: de rebus enim futuris deliberat, qui suadet, & qui dissuadet.

A TEMPORVM discrepantia nunc differre inter se ipsa ostendit: habent enim singula genera suum quoddam, ac proprium tempus. Tempora igitur quoq; (inquit) trium horum generum diuersa sunt: & numero ipsis adaequantur. quod autem ad deliberationem pertinet, idem sensit Cicero, quamuis quandoq; instantis, aut facti tradat in deliberatione disceptationem esse: » raro tamen (inquit) hoc fit, verba ipsius. In deliberationibus plerunque ex futuri, raro etiam » ex instantis, aut facti. In Partitionibus tamen a iudicio philosophi nulla re discrepat: inquit » enim: Reliquum genus causarum, aut in prouisione posteri temporis, aut in praeteriti disce» ptatione versatur: quorum alterum, deliberationis est: alterum, iudicij: & sanè cum de instanti, aut facto in deliberationibus quaeritur, id fit quatenus futurum adiuuant: nullo enim pacto, nisi de futuris rebus, consultari potest. Demosthenes pro Ctesiphonte omnino res factas a deliberatione excludit: concedit tamen de instantibus rebus deliberari recte posse. ἀλλὰ μὴν τὸ μὲν παρεληλυθὸς ἀεὶ παρὰ πᾶσιν ἀφεῖται, καὶ οὐδεὶς περὶ τούτου προτίθησιν οὐδαμοῦ βουλήν· τὸ δὲ μέλλον, ἢ τὸ παρὸν, τὴν τοῦ συμβούλου τάξιν ἀπαιτεῖ.

Τῷ δὲ δικαζομένῳ, ὁ γενόμενος· περὶ γὰρ τῶν πεπραγμένων ἀεὶ, ὁ μὲν, κατηγορεῖ· ὁ δὲ, ἀπολογεῖται.

Disceptanti in foro, praeteritum: de rebus enim iam factis semper vnus quidem accusat: alter autem defendit.

EI vero (inquit) qui causam dicit in foro, praeteritum tempus propositum est: cuius rei rationem reddens, inquit: de rebus enim factis semper alter eorum accusat: alter defendit.

Τῷ δ᾽ ἐπιδεικτικῷ, κυριώτατος μὲν ὁ παρών· κατὰ γὰρ τὰ ὑπάρχοντα ἐπαινοῦσιν, ἢ ψέγουσι πάντες.

Illi, qui versatur in demonstrando, maxime quidem proprium est praesens tempus: ex ijs enim, quae tunc sunt, laudant, aut vituperant cuncti.

DEMONSTRATIVI generis maxime proprium est praesens: qui enim aliquem laudant, aut vituperant, vitam illius qualis tunc est, spectant: quamuis enim praeteritis temporibus vir probus studiosusq; fuerit, si postea facinoribus se inquinauit, & intemperans factus est, laudari vere non potest: defendi magis potest, ac saepe etiam veniam nouorum flagitiorum impetrabit a iudicibus, qui noua ipsius delicta cum veteribus meritis compensabunt.

Προσχρῶνται δὲ πολλάκις, καὶ τὰ γενόμενα ἀναμιμνήσκοντες, καὶ τὰ μέλλοντα προεικάζοντες.

Vtuntur autem praeterea reliquis duobus, ea, quae facta sunt prius in memoriam redigentes, & futura quasi diuinantes.

CVM maxime proprium huius generis tempus indicasset, fatetur eos, qui quempiam laudant, aut vituperant, vti praeterea duobus alijs temporibus, cum scilicet praeterita illius facta, quae id, quod agunt, adiuuant, ipsi commemorant, aut huiuscemodi illum fore coniecturis quibusdam ostendere conantur: & tamquam ariolantur.

Τίμ

Τέλος δὲ ἑκάστοις τούτων ἕτερόν ἐστι: καὶ τρισὶν οὖσι, τρία.

Finis autem singulis his diuersus est: & cum tres illi sint, tres.

VT diuersas partes officiaq; habere: nec non diuersa tempora spectare, genera dicendi monstrauit, ita etiam diuersos fines sibi proponere, ostendit: singula enim suum quendam, ac certum habent: quamuis quandoq;, vt infra ipse accurate docet, admisceant aliorum generum fines. Cum autem genera tria sint, fines quoq; ipsi tres erunt, qui vero illi sint, & cur non plures singulorum, copiose tradit.

fines
Deliberantis
Vtilitas, vel detrimentum

Τῷ μὲν συμβουλεύοντι, τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν: ὁ μὲν γὰρ προτρέπων, ὡς βέλτιον συμβουλεύει: ὁ δὲ ἀποτρέπων, ὡς χεῖρον ἀποτρέπει: τὰ δ᾽ ἄλλα πρὸς τοῦτο συμπαραλαμβάνει: ἢ δίκαιον ἢ ἄδικον: ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρόν.

Illi, qui deliberat, vtilitas, aut detrimentum: qui enim suadet, vt melius suadet. qui autem dissuadet, vt deterius dissuadet: cetera autem ad hoc assumit, vel iustum, vel iniustum: vel honestum, vel turpe.

CICERO adolescens a iudicio Aristotelis, hac quoq; in re discrepauit: aetas tamen postea ipsum rerumq; vsus, docuit summum hunc doctorem vere de hac re statuisse: sententiam enim illam suam veterem repudiauit. In ij. de inuentione. In deliberatiuo autem Aristoteli placet, vtilitatem: nobis & honestatem, & vtilitatem. In Partitionibus vero, quem librum senex iam scripsit. Est igitur in deliberando finis vtilitas. Secundo tamen libro de oratore conatur sententiam illam, quam primis vitae suae temporibus adamarat, defendere, & contra hunc nostrum: quamuis nomine eum non appellet, per Antonij personam ita disputat. Ergo in suadendo nihil est optabilius, quam dignitas: nam qui vtilitatem putat, non quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur, videt: nemo est enim, praesertim in tam clara ciuitate, quin putet expetendam maxime dignitatem, sed vincit vtilitas plerunque: cum subest ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri. Archidamus etiam Lacon, fortis vir apud Isocratem, qui orationem ei scripsit, stomachatur esse aliquos, qui vtilitaté quaerendam censeant, a iudicioq; ipsorum docet se magnopere dissentire: nec aliquid vmquam ei, quod aequum & honestum est, praeponendum putat. Hic igitur Aristoteles omnino deliberanti propositum esse vult, quod conducit, aut obest: semper enim, qui facere aliquid suadet, ad illud, vt ad melius, impellere: qui vero dissuadet, vt a deteriore auertere: alia autem, quaecunq; tangunt, ad hoc referre testatur: siue aequum, aut iniquum sit: siue honestum, aut turpe.

quicquid aliqui reclamet

Τοῖς δὲ δικαζομένοις, τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον: τὰ δ᾽ ἄλλα καὶ οὗτοι συμπαραλαμβάνουσι πρὸς ταῦτα.

Illis autem, qui in iudicijs versantur, iustum & iniustum: cetera vero hi quoque ad haec assumunt.

Iudicij
Iustum, Iniustum.

CONVENIT in hoc Ciceroni cum summo hoc doctore: ipsius enim verba sunt: In iudicijs quid aequum sit quaeritur. Aristoteles autem ijs, qui in hoc genere versantur, quod iustum & iniustum est, primo propositum esse vult: cuncta autem alia & ipsos, vt deliberantes, vt haec adiuuantia adsumere: quem enim accusant ostendere conantur, rem iniquam fecisse: quem defendunt, nihil contra leges commisisse. Si eosdem simul probare possunt: aut vtilem rem fecisse, inutilemue: aut honestam, ac turpem: id, vt primum ipsorum consilium adiuuans, non repudiant.

Τοῖς δὲ ἐπαινοῦσι καὶ ψέγουσι, τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν: τὰ δ᾽ ἄλλα καὶ οὗτοι πρὸς ταῦτα ἐπαναφέρουσι.

Laudantibus autem & vituperantibus, honestum & turpe: cetera vero hi quoque ad haec referunt.

Exornantis
Honestum, Turpe

LAVDANTIBVS, ac vituperantibus, (quae munia demonstratiui generis sunt) quod honestum est, ac turpe, propositum est. Quod si aliquando & ipsi, quem laudant, ostendunt rem vtilem fecisse, aut aequam, eo referunt, & ad dignitatem omnia confirmandam adsumunt. vt cum vituperant quempiam, in primis student probare ipsum rem turpem, ac plenam dedecoris fecisse. Cum tamen vna monstrare possunt, eam quoq; & detrimentosam & iniquam esse, id quo que, vt superiorem culpam augens, non omittunt.

Σημεῖον δὲ, ὅτι τὸ εἰρημένον ἑκάστοις τέλος: περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἐνίοτε οὐκ ἂν ἀμφισβητήσαιεν: οἷον ὁ δικαζόμενος ὡς οὐ γέγονεν, ἢ ὡς οὐκ ἔβλαψεν: ὅτι δ' ἀδικεῖ, οὐδέποτ' ἂν ὁμολογήσαι: οὐδὲν γὰρ ἂν ἔδει δίκης.

Signum autem est, dictum a nobis, finem esse singulis generibus: de alijs namque finibus aliquando non controuersarentur. ceu, qui vocatus est in iudicium, quod res facta non sit, vel quod non intulerit damnum: iniuste autem se facere, numquam confiteretur: nihil enim opus fuisset iudicio.

ARGVMENTO (inquit) esse potest, quod assignatus ipsis, verus omnium finis sit: de aliis enim aliquando, si premerentur ab aduersarijs, non valde contenderent, & aliquando non controuersarentur: sed & annuerent, & manus darent. exempli gratia inquit. reus rem, cuius insimulatur, factam non negaret, & quin laeserit, in disceptationem non veniret. numquam autem induci posset, vt iniuste se fecisse fateretur: neq; enim iudicio opus fuisset. hoc autem, quia nihil controuersiae restaret.

προΐεμαι

Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ συμβουλεύοντες τὰ μὲν ἄλλα, πολλάκις προΐενται: ὡς δὲ ἀσύμφορα συμβουλεύουσιν, ἢ ἀπ' ὠφελίμων ἀποτρέπουσιν, οὐκ ἂν ὁμολογήσαιεν.

Similiter autem, & qui suadent, cetera saepe abyciunt: se vero inutilia suadere, vel ab vtilibus dehortari, numquam faterentur.

EODEM pacto (inquit) & qui consilium dant, alia saepenumero effundunt: nec retinere ac tueri toto pectore conantur: neq; tamen ijdem induci vmquam possent, vt faterentur se inutiles res faciendas suadere, aut ab vtilibus reuocare. quo signo intelligi potest finem huius generis esse vtilitatem. Animaduertenda autem diligenter vis verbi προΐενται: significat enim ipsos, cum aliquantulum ea defenderint, postea eripi sibi pati, & sine magno labore abiicere, & concedere aduersarijs.

Ὡς δ' οὐκ ἄδικον τοὺς ἀσυγείτονας καταδουλοῦσθαι: καὶ τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας, πολλάκις οὐδὲ φροντίζουσιν.

Esse autem iniustum vicinos populos subigere, atque eos, qui nullam iniuriam attulerint, saepe ne curant quidem concedere.

TANTA vis est vtilitatis in rep. administranda, vt illi, qui consilium dant, omnia recta esse & aequa dicant, quae reip. prosunt: ac saepe etiam, si ex illis quaeras, non verentur dicere, iniustum esse vicinos populos in seruitutem redigere, & qui nulla iniuria lacessiuerunt: videtur sane iniquum esse, & est, id suadere: vincit tamen vtilitas, & eos, qui id faciunt, non pudet hoc fateri. Vicinitas postulare potius videbatur, vt defenderetur: illi non se putant peccare si dicant eam opprimendam. Virgilius etiam πάθος a propinquitate loci excitauit, & hanc ipsam vocem expressit, cum inquit. In administratione rei publicae semper vincit utilitas.

Vicinae, ruptis inter se legibus, vrbes Arma ferunt.

Illustre autem exemplum est superioris sententiae, id, quod probauit ac defendit Agesilaus, rex Spartiatarum: cum enim Phaebidas Lacon, fraude occupasset arcem Thebanorum, Cadmeam vocatam, tranquillis temporibus: foedereque inter se iunctis his populis, ac fremeret illo facto vniuersa Graecia: nec non Lacedaemonij ipsi iniquo animo id ferrent: in primisq; illi, qui in rep. ab Agesilao dissentirent, quaererent a Phaebida, cuius consilio id facere ausus esset, suspicantes auctorem ei fuisse iniqui illius facinoris regem, non veritus est Agesilaus, opitulans Phaebidae, dicere, opus esse perspicere, an vtile factũ illud foret: quae namq; ciuitati prosunt, oportere subito, nulloque iubente, administrare. Nec minus clarum est: idemque confirmat consilium, quod dabat ciuibus suis Themistocles de clam incendenda classe Lacedaemoniorum: quod tamen repudiauit pius ille populus, secutus auctoritatem Aristidis, iustissimi viri, qui publice dixit, Themistoclis consilium vtile magnopere esse, sed minime honestum. Agesilai dictum

Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ἐπαινοῦντες, καὶ οἱ ψέγοντες, οὐ σκοποῦσιν, εἰ συμφέροντα ἔπραξεν ἢ βλαβερὰ, ἀλλὰ καὶ ἐν ἐπαίνῳ πολλάκις τιθέασιν, ὅτι ὀλιγωρήσας τοῦ αὐτῷ λυσιτελοῦντος, ἔπραξέ τι καλόν.

Similiter autem & qui laudant, & qui vituperant, non attendunt, si gessit res vtiles

les

tes aut detrimentosas, immo laudi saepe tribuunt, quempiam, spreta sua vtilitate, gessisse aliquid plenum dignitatis.

EODEM modo (inquit) qui in demonstrandi genere versantur: laudantq; aut vituperant, non attendunt, si res vtiles, aut detrimentosas sibi gessit, sed contra saepe laudi ipsi dant, quod propriam vtilitatem negligens, facinus hónestum aliquod fecit. Quamuis autem hoc exemplo statim probet Aristoteles: nihilq; magis verum dici possit, testimonio tamen summi dicendi magistri idem declarare, non malum erit: simulq; locum, mirifice cum hoc congruentem, indicare: Isocrates namque in Panegyrico, cum ostendisset Athenas fuisse semper perfugium, & tamquam portum miserorũ: multosq; è maximis calamitatib. ope eius ciuitatis, subleuatos, irridet non nullos, qui vitio ipsi hoc dabant: quod malo consilio vsa, neglecta amicitia fortunatorum, se adplicuisset ad societatem tenuiorum: docetq; quod illi aiebant, accusare eam volentes, ad ipsam ornandam valde accommodatum esse: nec enim illa nesciebat, quod ageret, sed piis his officiis delectabatur: malebatq; infirmioribus, contra id, quod prodesset, auxilium ferre, quam cum validioribus ob proprias vtilitates, ad inferendas iniurias se coniungere. ἐν ἐπαίνῳ τιθέασι, quod inquit, hunc modum loquendi imitatus est Cicero in Topicis. Consilio iuuare ciues magna in laude ponendum est. In Bruto. Ipsum Latine loqui, est in magna laude ponendum. Halicarnasseus ἐν αἰσχύνῃ τίθεσθαι, pro verecundari & erubescere vsurpauit in vita Lysiae: » ἐῶ γὰρ, » ὅτι καὶ τὰ παρ' ἑτέροις εἰρημένα λαμβάνοντες, ὀλίγου δεῖν πάντες, οὐκ ἐν αἰσχύνῃ τίθενται τὸ ἔργον. Nolo (inquit) illis nunc exprobrare, quod cum paene cuncti dictas ab aliis sententias sumant, & scripta aliorum expilent, pudore nullo afficiuntur: nec putant se rem turpem facere.

Οἷον Ἀχιλλέα ἐπαινοῦσιν, ὅτι ἐβοήθησε τῷ ἑταίρῳ Πατρόκλῳ, εἰδώς, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀποθανεῖν, ἐξὸν ζῆν. τούτῳ δὲ ὁ μὲν τοιοῦτος θάνατος, κάλλιον: τὸ δὲ ζῆν, συμφέρον.

Veluti Achillem laudant, quod auxilium tulit sodali suo Patroclo, cum sciret oportere se, si id fecisset, mori: liceret autem viuere: huic autem talis mors honestius quoddam esset: viuere autem vtile.

ILLVSTRI exemplo ad rem confirmandam vtitur. Ceu (inquit) Achillem in caelum ferunt, qui laudes ipsius persequuntur, quod opitulatus est Patroclo sodali suo, quamuis exploratum haberet necessario se non multo post moriturum, si id fecisset: cum liceret ipsi, inulta morte eius relicta, incolumem domum reuerti. Huic autem, addidit, vim exempli explanans, mors pro amico obita, in primis honesta fuit: vita vero, quam prae dignitate spreuit, vtilis fuisset. Idem cum de laudationum genere in ij. lib. de Oratore breuiter dissereret, Cicero elegantissime expo» suit. Gratissima autem laus eorum factorum habetur, quae suscepta videntur a viris fortibus si» ne emolumento, ac praemio: quae vero etiam cum labore, & periculo ipsorum, haec habent » vberrimam copiam ad laudandum. Animaduertendum vero βοηθεῖ etiam de mortuo recte dici: videbatur enim magis conuenire hoc verbum, cum quispiam viuenti & in periculo constituto, opitulatur: opeq;, quam ei fert, malum ab eo arcet. Plato quoque in symposio eodem pacto hoc verbum vsurpauit, cum & ipse de hac ipsa re loqueretur: & magnifice virtutem Achillis commendaret, qui elegerit, vt amatori suo auxiliaretur: eiusq; mortem vlcisceretur: non, vt ille viueret, mori: sed, cum in vita illum retinere iam non posset, morti illius suam adiungere. Luculentissimis autem verbis, artificiosissimeq; totam hanc sententiam expressit eruditissimus & politissimus scriptor. » ἐτόλμησεν ἑλέσθαι, βοηθήσας τῷ ἐραστῇ Πατρόκλῳ: οὐ μόνον ὑπεραποθανεῖν, ἀλλὰ » καὶ ἐπαποθανεῖν τετελευτηκότι.

Tecmeria: Verisimilia: Signa sũt prõones oratoriq.

Φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι ἀνάγκη περὶ τούτων ἔχειν πρῶτον τὰς προτάσεις: τὰ γὰρ τεκμήρια, καὶ τὰ εἰκότα, καὶ τὰ σημεῖα, προτάσεις εἰσὶ ῥητορικαί.

Planum autem factum est ex dictis, necesse esse de his tenere primum propositiones: tecmeria enim, & verisimilia, & signa propositiones sunt oratoriae.

PLANVM autem est (inquit) ex ijs, quae explicata sunt, oportere primum habere propositiones paratas de ijs ipsis generibus, ac de finibus ipsorũ, vt probare queas rem vtilem esse, aut aequã, aut honestam, siue contra: commode enim haec tractari non possunt nisi sibi prius quispiam copiam propositionum comparauerit: vnde autem illae gignantur in hoc studio, sunt haec: orator enim tamquam syluam habet, proprias rerum notas, verisimilia, ac signa. Cum autem supra se diligenter agere velle dixisset de propriis singulorum generum propositionibus, si antea diuisionem generum ipsorum fecisset, hac praeceptione absoluta, illud ipsum aggreditur.

Ὅλως μὲν γὰρ συλλογισμὸς ἐκ προτάσεών ἐστι· τὸ δ' ἐνθύμημα, συλλογισμός ἐστι, συνεστηκὼς ἐκ τῶν εἰρημένων προτάσεων.

Demum enim syllogismus ex propositionibus constat: enthymema autem syllogismus est, conflatus ex propositionibus dictis.

RATIONEM reddit, cur hae propositiones, propriae scilicet singulorum generum, quae constant ex propriis notis, ex verisimilibus, & signis, necessariae oratori sint, nisi illis antea sedulo comparatis, ipse munere suo fungi non possit: syllogismus enim (inquit) sine propositionibus constare non potest: enthymema autem & ipse syllogismus est, sed oratorius, & ex ea materia conflatus.

Ἐπεὶ δὲ οὔτε πραχθῆναι οἷόν τε, οὔτε πραχθήσεσθαι τὰ ἀδύνατα, ἀλλὰ τὰ δυνατά· οὐδὲ τὰ μὴ γενόμενα, ἢ μὴ ἐσόμενα, οὐχ οἷόν τε τὰ μὲν, πεπρᾶχθαι· τὰ δὲ, πραχθήσεσθαι, ἀναγκαῖον καὶ τῷ συμβουλεύοντι, καὶ τῷ δικαζομένῳ, καὶ τῷ ἐπιδεικτικῷ, ἔχειν προτάσεις περὶ δυνατοῦ, καὶ ἀδυνάτου· καὶ εἰ γέγονεν, ἢ μή· καὶ εἰ ἔσται, ἢ μή.

Quia autem neque gesta esse possunt: neque res patitur, vt futuro tempore fiant, quae fieri non possunt, sed quae fieri possunt: neque, quae facta non sunt, aut futura non sunt, contingere potest, vt haec facta sint: haec autem futuro tempore fiant, necesse habet & ille, qui deliberat, & qui versatur in iudicio, & qui demonstrat, propositiones habere de eo, quod fieri potest: & de illo, quod fieri non potest: & si factum est, vel non factum: & si erit, vel non erit.

NON nulla adhuc restabant, de quibus docet, antea diligenter captandas propositiones esse, non minus quam de finibus trium generum: illa vero propria huius, aut illius generis non sunt, sed communia omnium, vt de eo, quod fieri possit: & de contrario illius, quod effici nullo pacto potest: nec non quibus intelligatur aliquid iam extitisse, aut postea factum iri. Haec igitur nunc significat: probatq; necessariam esse supellectilem harum propositionum: quae sunt de eo, quod fieri possit, aut non possit. nec non etiam comparandas tradit, quibus probes si actum est aliquid, an non. vt etiam, quae valent ad confirmandum quippiam factum iri, aut non factum iri. Vtilitatem autem primum huius rei demonstrat: indeque confirmat, omitti non debere huiuscemodi propositionum comparationem. In ij. vero horum librorum, quamuis hae species a nullo trium generum penitus excludantur, indicat tamen, cui magis conueniant, & locos etiam illarum indagandarum diligenter ostendit. Quoniam (inquit modo) vsu venire non potest, vt facta sint: neq; etiam factum iri possunt ea, quae fieri non possunt, sed quae fieri tantum possunt: neq; etiam ea, quae facta non sunt, aut quae numquam futura sunt, vsu venire potest, vt altera facta sint: altera autem factum iri debeant, necesse est & ei, qui consilium in deliberatione aliqua dat, & ei, qui in foro causas dicit, & ad pompam etiam dicenti, propositiones tenere de rebus illis, quas supra ostendi. Animaduertendum autem illius ἐπεὶ, quod initio huius partis positum est, ἀνταπόδοσιν, redditionemque esse, ἀναγκαῖον, & quae sequuntur.

Ἔτι, δὲ ἐπεὶ ἅπαντες, καὶ ἐπαινοῦντες καὶ ψέγοντες, καὶ προτρέποντες καὶ ἀποτρέποντες, καὶ κατηγοροῦντες καὶ ἀπολογούμενοι, οὐ μόνον τὰ εἰρημένα δεικνύναι πειρῶνται, ἀλλὰ καὶ ὅτι μέγα, ἢ μικρὸν.

Adhuc autem, quia cuncti, & qui laudant, & qui vituperant; & qui suadent, aut dissuadent: & qui accusant, & qui defendunt, non solum, quae dicta sunt, conantur ostendere, sed magnum illud esse, vel paruum.

OSTENDIT etiam officium esse bonorum oratorum facultatem sibi comparare, qua possint augere, & minuere, quod volunt. vnde propositiones tenere oportet de magnitudine rerum, & exiguitate, & de maiore, ac minore bono: hoc enim quoq; tribus generibus commune est. quae genera significat a munerib. ipsorum: cũ enim (inquit) qui laudant ac vituperant, manifesto intellexit demonstratiuum genus: cum vero, qui impellunt aliquo aut reuocant, deliberatiuum: quemadmodum etiam, cũ qui accusant & defendunt, iudiciale. Τὰ εἰρημένα autem, idest, quae

nunc a me indicata sunt, fines scilicet eorum generum. Intelligo autem, qui in demonstratiuo genere versantur, ostendere, quos laudant, honeste facere: & quos vituperant, turpiter: & qui in deliberatiuo, ad aliquid, quod conducere possit, excitant: aut ab eo, quod vim habeat nocendi, reuocant, docere id futurum vtile, aut detrimentosum: eadem autem ratio est tertij generis. Non tantum igitur (inquit) in hoc occupati sunt, sed student, aut augere, aut minuere illa, vt ipsis commodum est; & vt partes, quas agunt, postulant.

Ἢ τὸ ἀγαθὸν, ἢ τὸ κακόν: ἢ τὸ καλὸν, ἢ τὸ αἰσχρόν: ἢ τὸ δίκαιον, ἢ τὸ ἄδικον.

Vel bonum, vel malum: vel honestum, vel turpe: vel iustum, vel iniustum.

FINES trium generum ponit: prima autem, contraria inter se verba, finis sunt deliberationis: bonum autem & malum, vtile atq; inutile appellat. Non solum igitur, qui suadent aliquid, illud vtile esse ostendunt, sed magnopere vtile: qui vero aliquid dissuadent, non tantum illud detrimentosum, sed mirifice detrimentosum esse declarant: vt, qui aliquem laudant, non solum honestum facinus fecisse, & qui vituperant, turpe: sed etiam magnitudinem illa habere demonstrant. Idem faciunt, qui in tertio genere versantur: ipsi enim quoque rem illam aequam, aut iniquam amplitudine quadam praeditam esse, probare student.

Ἢ καθ' αὑτὰ λέγοντες, ἢ πρὸς ἄλληλα ἀντιπαραβάλλοντες.

Siue per se ipsa dicentes, vel inter se conferentes.

AVT sua vi magna, paruaue illa vocantes: aut committentes ipsa, & alterum eorum cum altero conferentes: magnum enim & paruum, aliquid appellare possumus, naturam tantum illius spectantes: possumus etiam cum alio conferentes: vt cum dicimus: hoc sane magnum: hoc vero paruum est. Hoc ipse quoq; docet in v. de ortu animantium. αἴτιον δ' ὅτι τὸ μέγα, καὶ τὸ μικρὸν, καὶ τὸ πολὺ, καὶ τὸ ὀλίγον, τὰ μὲν, ἁπλῶς λέγεται: τὰ δὲ, πρὸς ἄλληλα. Quod si veritatem, non consuetudinem hominum spectamus, magnum paruumq; semper comparate dicitur: vt ipse in κατηγορίαις ostendit: consuetudo tamen sermonis vocat magnum, quod ad eam magnitudinem, quae repperitur in ijs, quae sunt eiusdem generis, peruenit: vt montem magnum, communem montium magnitudinem nobis proponentes, dicimus: comparate vero, cum certo cuidam definitoque aliquid comparatur, vt mons, qui communi montium magnitudine spectata, non diceretur magnus, cum minore multo collatus, magnus & ipse vocatur.

Δῆλον ὅτι δέοι ἂν καὶ περὶ μεγέθους, καὶ μικρότητος: καὶ τοῦ μείζονος, καὶ τοῦ ἐλάττονος, προτάσεις ἔχειν.

pp̄ones de magnitudine vel paruitate habendae in promptu

Perspicuum oportere & de magnitudine, & de paruitate; & de maiore, & minore propositiones habere.

HAEC est redditio illius, quod multo antea posuit, ἐπεὶ ἅπαντες, & quae sequuntur: cum enim ita se res habeat, passimq; oratores, vt causa ipsorum postulat, res amplificent, aut conterant, perspicuum est, debere se ita illos instruere, vt hoc praestare eximie possint. Cum haec res tanto in vsu sit: tantosq; fructus ferat, opera danda est, vt nobis magnam copiam illarum propositionum comparemus, quibus confirmare possimus, quod ostendere volumus, magnitudinem habere: aut, si res poscat, exiguitatem: vbi scilicet alicuius natura simpliciter spectatur, de magnitudine & exiguitate: cum ex comparatione, quo ostendere possimus altero maius, aut minus esse, quod quaeritur.

Καὶ καθόλου καὶ περὶ ἑκάστου.

Et vniuerse, & singillatim.

OPVS (inquam) foret propositiones tenere, quae magni, maiorisq; naturam explicent in vniuersum: nec non singillatim, quae huius, illiusue rei, magnitudinem praestantiamque tradant; aliter enim, instructus paratusq; orator nullo modo esse potest.

Οἷον τί μεῖζον ἀγαθὸν, ἢ ἔλαττον: ἢ ἀδίκημα, ἢ δικαίωμα. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων.

Ceu quid maius bonum, aut minus: vel iniustum facinus, aut iustum. simili autem modo & de alijs.

EXEMPLA nunc in singulis generibus ponit. ceu (inquit) quod maius bonum vtileq; sit, aut minus, quod est deliberatiui: quod flagitium contraque leges commissum, aut ex legibus, iusteq; administratum: maius scilicet aut minus sit: quod ad iudiciale pertinet. Eodemque pacto (inquit) in ceteris, intelligens honestum & turpe, in genere exornationis.

Περὶ ὧν μὲν οὖν ἐξ ἀνάγκης δεῖ λαβεῖν τὰς προτάσεις, εἴρηται: μετὰ δὲ ταῦτα διαιρετέον ἰδίᾳ περὶ ἑκάστου τούτων. οἷον περὶ ὧν συμβουλή: καὶ περὶ ὧν οἱ ἐπιδεικτικοὶ λόγοι: τρίτον δὲ, περὶ ὧν αἱ δίκαι.

De quibus igitur necessario habere oportet propositiones, traditum est. post haec autem diuidendum nobis est seorsum de vnoquoque horum. ceu de quibus habetur deliberatio: & de quibus orationes demonstratiuae. tertium autem, de quibus iudicia fiunt.

Repetit, quid proxima superiore parte egerit: statimque proponit, quid aggredi, & tradere nunc cogitet: illa autem sunt, quae supra indicarat, seriem huius scriptionis requirere: propositiones scilicet propriae huius, aut illius generis: ostendi enim (inquit) quae sunt res, quas bene cognitas, & pertractatas habere oportet, & ad quas magnam supellectilem propositionum habere necesse est: illae autem trium generum communes sunt. His vero explicatis, seorsum nunc de propositionibus singulorum horum generum disputabo. ceu, quaenam sint, de quibus consultatio tantum conficitur: & vnde promuntur propositiones, si aliquid suadere, aut dissuadere velis: nec non de quibus orationes in demonstrandi genere habentur: tertium vero est, de quibus iudicia in forensi genere fiunt.

Πρῶτον μὲν οὖν ληπτέον, περὶ ποῖα ἀγαθὰ, ἢ κακὰ, ὁ συμβουλεύων συμβουλεύει: ἐπειδὴ οὐ περὶ ἅπαντα, ἀλλ' ὅσα ἐνδέχεται καὶ γενέσθαι, καὶ μή. 1

Primum igitur sumendum est, circa quae bona, siue mala, qui deliberat, sententiam dicit: non enim circa omnia, sed circa ea, quarum natura fert, vt facta aliquando sint, aut non facta.

Deliberandi genus primum pertractat, &, quae res in deliberationem cadant, ostendit. De hoc vero pluribus ipse locis disseruit. vt in iij. libro de moribus ad Nicomachum. In primis autem sciendum non versari circa omnem materiem, qui consultat, sed circa res tantum, quae eam naturam habent, vt & fieri, & non fieri possint: neq; alteri tantum horum addicta sint: idq; perpetuo seruent. Cum igitur (inquit) finis huius generis sit bonum ac malum, in primis videndum est, in quibus bonis malisq; quaerendis occupetur, qui cosilium dat: non pauca enim aliena a munere ipsius sunt.

Ὅσα δὲ ἐξ ἀνάγκης ἢ ἔστιν, ἢ ἔσται: ἢ ἀδύνατον εἶναι, ἢ γενέσθαι, περὶ δὲ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή. 2

Quaecunque autem necessario, vel sunt, vel erunt, vel fieri non potest, vt sint, aut facta sint, de his vtique non est deliberatio.

Quaecunque vero necessario, aut iam sunt, aut erunt: aut contra fieri non potest, vt aut nunc sint, aut aliquando fiant, de ijs sane deliberatio non est. Prioris generis sunt res sempiternae: de aeternis enim rebus nemo consilium cogit: vt de ortu solis, & aliis etiam rebus, quae in mundo necessario, & certa quadam lege, fiunt. neque etiam de mathematicis, vt de dimetiente, & latere: quod communem mensuram inter se non habent. Posterioris vero, hominem natum non mori. Nemo igitur tam stultus esset, vt deliberaret, quomodo possit immortalitatem adipisci: hac enim condicione nati sumus, vt mortem declinare nequeamus. Cicero etiam in ij. de Oratore, inquit. Inciditur enim omnis iam deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur. Particulam δὲ, inuentam a me in scriptis omnibus libris restitui: quamuis ornatum potius verborum, quam sententiam adiuuet: quomodo etiam supra positam indicaui in antapodosi illa: δῆλον δ' ὅτι ὁ μάλιστα τοῦτο δυνάμενος θεωρεῖν: vbi enim quoque superuacanea videtur. γενέσθαι vero hic fore, futurаue esse significat: deliberatur enim de rebus futuris. Isocrates quoq; in libro ad Philippum. ὅτι γὰρ Ἀργείους φίλους ἄν ποτε γενέσθαι Λακεδαιμονίοις. neque futurum vmquam tempus, quo coierint amicitiam Argiui cum Lacedaemoniis, tam infenso animo, atq; inimico inter se sunt.

Οὐδὲ δὴ περὶ τῶν ἐνδεχομένων ἁπάντων: ἔστι γὰρ καὶ φύσει ἔνια, καὶ ἀπὸ τύχης γινόμενα ἀγαθὰ τῶν ἐνδεχομένων καὶ γίγνεσθαι, καὶ μή, περὶ ὧν οὐδὲν πρὸ ἔργου τὸ συμβουλεύειν.

Neque iam de omnibus, quae contingit esse: sunt enim quaedam, quae natura etiam fiunt bona: & quae fortuito, quae contingit fieri & non fieri, de quibus nullum fructum fert deliberare.

QVAMVIS, quae fieri, aut non fieri possunt, vere materiam esse suasionum dixerimus, non tamen cuncta, quae hanc naturam habent, in deliberationem cadunt: nam quaedam etiam huius generis ab ea aliena sunt: non nulla enim commoda, quae a natura existunt, vt quaedam etiam, quae casu fortuitoque fiunt, quae sane esse & non esse possunt, si consilio & accurata de illis rebus deliberatione impetrare quaereremus, stulti merito haberemur, nec quicquam proficeremus: bona, quae naturae beneficio habemus, sunt, pulchritudo, vires, & huiuscemodi alia, quae temere ad nos deueniunt, vt si thesaurum inueniamus.

Ἀλλὰ δῆλον, ὅτι περὶ ὅσων ἐστὶ τὸ βουλεύεσθαι: τοιαῦτα δ' ἐστιν, ὅσα πέφυκεν ἀνάγεσθαι εἰς ἡμᾶς, καὶ ὧν ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεως ἐφ' ἡμῖν ἐστιν.

Sed constat materiam esse deliberationum, de quibus homines deliberant: huiuscemodi autem sunt, quaecunque naturam eam habent, vt referantur ad nos, & quorum principium generationis positum est in nobis.

IN illis quaerendis laborare debemus, quae deliberationis sunt: quae autem naturam hanc habeant, iudicare debemus, non quid stulti, & insani faciant, spectantes: furentes enim stolidique homines de iis etiam, quae in ipsorum potestate non sunt, in quibusq; operam perdunt, deliberare solent, sed, quid sani viri prudentesque: hoc enim ipse in iij. libro de moribus ad Nicomachum spectandum esse admonuit. quae autem βουλευτὰ sint diligenter nunc docet. Huiuscemodi autem (inquit) cuncta sunt, quae ad nos referuntur: & quorum procreationis initium in manu nostra, arbitrioq; positum est. Sed aliis quoque in locis haec copiosius tradidit. Cum vero hic excusi quidam libri perperam συμβουλεύεσθαι haberent, βουλεύεσθαι emendaui, vt in melioribus scriptis, & excusis non nullis legi animaduerti: βουλεύεσθαι enim illi dicuntur, qui consilium cogunt, sententiamq; aliorum expectant. συμβουλεύεσθαι, qui in deliberationem vocati, quid sentiant de ea re, dicunt.

Μέχρι γὰρ τούτου σκοποῦμεν, ἕως ἂν εὕρωμεν, εἰ ἡμῖν δυνατά, ἢ ἀδύνατα πρᾶξαι.

Usque enim eo quaerimus, donec inuenerimus, si fieri a nobis possunt, vel non fieri.

SED nec cunctas res, quae potestatis hominum sunt, libere suadere possumus, vt ij aggrediantur, quibus consilium damus: videndum enim accurate prius, num ab ipsis effici, aut non effici illae possint: quo perspecto & cognito, recte tunc aut ad ea impellemus, aut inde reuocabimus.

Καθέκαστον μὲν οὖν ἀκριβῶς διαριθμήσασθαι, καὶ διαλαβεῖν εἰς εἴδη, περὶ ὧν εἰώθασι χρηματίζειν. ἔτι δ' ὅσον ἐνδέχεται περὶ αὐτῶν διορίσαι κατὰ τὴν ἀλήθειαν, οὐ δεῖ κατὰ τὸν παρόντα καιρὸν ζητεῖν.

Singillatim igitur exquisite enumerare, & distinguere in formas, de quibus consuerunt agere: praeterea quantum contingit de ipsis definire, proposita sibi veritate, non decet praesenti tempore quaerere.

DOCET, non esse officium eius, qui artem dicendi tradat, laborare, vt exquisite singula enumeret, atque in species propositionesq; proprias reducat, de quibus aliquando consuerunt agere in senatu, aut in contione: quemadmodum etiam non oportere haec ipsa, quae tradita sunt, quaerere hoc tempore subtili illa norma, qua quaeri possent: quaque illa explicaret, qui veritatem harum rerum, non vsum, indagaret: vt duobus modis peccari posse ab eo, qui veram viam horum tractandorum non teneat, indicare videatur: & quod singula etiam, quae sine damno relinqui possunt, nimis curiose perquirat: & quod ea ipsa, quae tradat, accuratius, quam huic studio opus sit, explicet.

Διὰ τὸ μήτε τῆς ῥητορικῆς εἶναι τέχνης, ἀλλ' ἐμφρονεστέρας, καὶ μᾶλλον ἀληθινῆς.

Et quia non est hoc dicendi artis munus, sed eruditioris, &, quae vtatur verioribus principijs.

CAVSAM

CAVSAM huius rei affert, dicens: quia non est dicendi artis, sed pertinet ad aliam disciplinam curiosè cuncta haec pertractare: quae cum peritior, ac magis verax sit, suo iure potest veritatem harum rerum indagare. ἐμφρονεστέραν autem eam appellauit (vt arbitror) quae melius constituta esset: quae accuratius singula, maioreq; animaduersione explicaret: quaeq; demum ἐπιστημονικωτέρα foret, & rei naturam propius attingeret: nam supra quoq; cum peritum, artificemq; dicere voluit, ἔμφρονα dixit: magis autem ἀληθινήν, quae verius & exquisitius vim rerum contempletur, & explicet: veritas.n. contemplationis est. illam vero, quae de vita, & morib. agit, intelligit.

Πολὺ δὲ πλείω δέδοσθαι καὶ νῦν αὐτῇ τῶν οἰκείων θεωρημάτων.

Multoque plura tributa ei nunc sint, quam requirunt suae & propriae ipsius considerationes.

SI dicendi ars (inquit) mecum quereretur, quod ipsam suis bonis spoliauerim, iniuste atq; improbe faceret: ne dum.n. hoc commiserim, non nulla potius, quae iure ei detrahere poteram, sciens reliqui: neque tamen, vt hanc falsam reprehensionem vitarem, in contrarium vitium labi volui. Illud autem νῦν, tempus non significat, sed hanc vim habet: quamuis magis, quam dignitas ipsius postulet, ornare rhetoricen noluerim, & hoc mecum ipse faciendum non esse statuerim, tamen ita etiam affectus, plura ipsi tribui, quam vere concedi poterant.

Ὅπερ γὰρ καὶ πρότερον εἰρηκότες τυγχάνομεν, ἀληθές ἐστιν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ σύγκειται μὲν ἔκ τε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης: καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς. Rhet.a conflata e ex Analytica scia, et ciuili.

Quod enim prius etiam diximuss, verum est, concretam esse artem dicendi ex analytica scientia, & ciuili facultate, de moribus praecipiente.

CONFIRMAT verum esse, quod dixerat, se, ne dum eripuerit huic arti suam dignitatem, potius alieno decore illam ornasse: in eaq; tractanda venisse etiam ad ea contemplanda, quae propria huius scriptionis non erant: vt autem se ita rem habere liquido demonstret, vim ipsius, naturamque explicat, ac quam tenuis sit, docet. Quod vero, quod nunc repetit, supra quoque a se prolatum commemorat, locum illum indicat, vbi dixerat eam esse particulam, ac simulacrum dialectices. Cum autem conflata sit ex analytica scientia, & parte ciuilis facultatis, quae circa mores versatur, ita ex illis constat: vt partim dialecticae sit, partim sophisticae similis, quae & ex communib. argumentantur, & circa res communes versantur. Non debet igitur magis ornari, quā dignitas ipsius ferre possit: & oratores, qui de subtilioribus, ac grauiorib. reb. se posse exquisite disserere profitentur, improbe faciunt: ac maiora sibi tribuunt, quā sustinere possint.

Ὁμοία δ' ἐστὶ τὰ μὲν, τῇ διαλεκτικῇ: τὰ δὲ, τοῖς σοφιστικοῖς λόγοις.

Similis autem est, partim rationi disserendi: partim autem fallaciae plenis disputationibus.

DIALECTICAE similem esse artem dicendi tradit propter tecmeria, vt puto: idest propriae notae argumenta. Sophisticis disputationibus, propter signa: partim enim dialecticis: partim sophisticis argumentis vtitur.

Ὅσῳ δ' ἄν τις, ἢ τὴν διαλεκτικὴν, ἢ ταύτην, μὴ καθάπερ ἂν δυνάμεις, ἀλλ' ἐπιστήμας, πειρᾶται κατασκευάζειν, λήσεται τὴν φύσιν αὐτῶν ἀφανίσας. ἀφανίζω Cuius limites circumatis ...

Quanto autem magis aliquis vel dialecticam, vel hanc, non tamquam facultates, sed scientias, nititur constituere, fallet ipsum, se naturam ipsarum extinxisse.

RHETORICE, ac dialectice facultates sunt. Qui igitur, non vt facultates, sed vt scientias illas tractat, peccat: & dum ipsas ornare vult, corrumpit ac perdit: paulatimque eo descendet, vt imprudens naturam ipsarum dissoluat, atq; ita eas deleat, vt vestigium illarum non relinquat. Eandem ferme sententiam, iisdem paene verbis antea protulit, λήσει ποιήσας ἄλλην ἐπιστήμην, τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ῥητορικῆς.

Τῷ μεταβαίνειν ἐπισκευάζων εἰς ἐπιστήμας ὑποκειμένων τινῶν πραγμάτων, ἀλλὰ μὴ μόνον λόγων.

Quia migrat, dum eas ornat, in scientias subiectarum quarundam rerum, & non solum orationis.

VNDE tantum incommodum, & interitus denique harum facultatum proficiscatur, docet: neq; enim ipsis malo, ac morti denique, sunt, qui eas è medio tollere velint, illas perosi: sed amici homines, & dignitatis ipsarum mirum in modum studiosi: dum magis, quam illae ferre possint, eas exornant, & augent: è strato enim suo in alienum deuehunt. cum autem multitudinis hic numero locutus sim, Aristoteles tamquam de vno homine, qui hoc committat loquens, inquit ἐπισκευάζων. qua voce, concinnans illam, & quasi fucans, significare (vt arbitror) voluit. in principio namq; libri περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων, eodem verbo vsus est. οἱ δὲ, φαίνονται, φυλετικῶς φυσήσαντες, καὶ ἐπισκευάσαντες ἑαυτοὺς. siue muniens & extruens: id enim quoque hoc verbum valet. Isocrates in Panegyrico, vbi narrat Ionas execratos esse illos, qui templa Graeciae, inflammata a Persis, aedificassent: οὐκ ἀπορεῖντες ὅπως ἐπισκευάζωσιν. Demosthenes in iij. Olinthiaca, καὶ τὰς ὁδοὺς, ἃς ἐπισκευάζομεν. Antea inquit naturam ipsarum peruerterit, quam quid faciat, intelligat: dum migrat, transitque, nimio illas ornandi studio captus, in scientias, quae certas res, non facultatem parandorum argumentorum, stratum habent. in non nullis scriptis exemplaribus legitur ἐπικατασκευάζων.

Ὅμως δὲ, ὅσα πρὸ ἔργου μέν ἐστι διελεῖν: ἔτι δ' ὑπολείπει σκέψιν τῇ πολιτικῇ ἐπιστήμῃ, εἴπωμεν καὶ νῦν.

Tamen, quaecunque operae pretium fuit diuidere; adhuc autem relinquunt suam animaduersionem ciuili scientiae, dicamus etiam nunc.

NOS modum quendam in hac re adhibebimus, inquit: ea namque, quae vtilitatem aliquam rationi dicendi afferunt, pertractabimus: quamuis politices propria sint: neque tamen omnem ipsius suppellectilem suppilabimus, sed ea illi relinquemus, quae necessaria ipsi sunt: retinere namque eam oportet, in quo se iactare queat. quod vero addit καὶ νῦν, eam vim habet, vt opinor. Quamuis propria sint illius disciplinae, & cum rationem regendarum ciuitatum sibi aliquis tradendam suscepit, in primis explicari debeant, tamen cum his rebus quoque vtilia sint, nunc etiam cum aliud agamus, ea breuiter exponamus; ita tamen, vt plenam, exquisitamq; eorum explicationem scientiae illi relinquamus.

Quinque ferme sunt de quib. deliberat. Coll.

Σχεδὸν γὰρ, περὶ ὧν βουλεύονται πάντες, καὶ περὶ ἃ ἀγορεύουσιν, οἱ συμβουλεύοντες, τὰ μέγιστα τυγχάνει πέντε τὸν ἀριθμὸν ὄντα.

Ferme namque, de quibus omnes consultant, & circa quae verba faciunt, qui deliberant, maxima sunt quinque numero.

ILLIS igitur relictis (inquit) de quibus fere cuncti consultant, & quae tamquam materies est deliberationum, quinq; numero sunt, si quis res tantum maioris ponderis, non leues minutasq; consideret. Περὶ ἃ ἀγορεύουσιν, de quibus verba faciunt, qui ad deliberationes adhibentur: ἀγορεύειν est sententias dicere in contione, aut senatu. Homerus inde Nestorem ἀγορητὴν, idest oratorem appellauit.

Ταῦτα δ' ἐστὶ περί τε πόρων: καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης: ἔτι δὲ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας: καὶ τῶν εἰσαγομένων, καὶ ἐξαγομένων, καὶ νομοθεσίας.

Haec autem sunt de vijs quaerendae pecuniae: & de bello & pace: adhuc autem de tuendis finibus, de rebus, quae importantur, aut exportantur: & de legibus ferendis,

QVINQVE illa quae sint, tradit: vt (inquit) de viis parandae, in publicumque redigendae, pecuniae: de bello & pace: de custodia agrorum, regionisq;: de rebus, quae importantur, & exportantur: de legibus condendis. Hunc autem locum tetigit Cicero in primo de Oratore, qui & ipse harum rerū cognitionē necessariam esse putat oratori: quamuis non easdem penitus res appellet. Perdiscendum ius ciuile, cognoscendae leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina reip. iura sociorum, foedera, pactiones, causa imperij cognoscenda.

De ratione conficiende pecunie

Ὥστε περὶ μὲν πόρων τὸν μέλλοντα συμβουλεύσειν, δέοι ἂν τὰς προσόδους τῆς πόλεως εἰδέναι, τίνες καὶ πόσαι: ὅπως εἴτε τὶς παραλείπεται, προστεθῇ: καὶ εἴτις ἐλάττων, αὐξηθῇ.

Quare eum, qui debet deliberare de pecunia quaerenda, opus esset vectigalia publica cognita habere. quae scilicet ipsa sint, & quot, vt si aliquod omissum est, adiungatur: & si quod minus sit, augeatur.

QVI de ratione conficiendae pecuniae publice sententiam dicturus est, sciat oportet redditus ciuitatis; quot qualesue sint: vt si quis negligentia relictus, ac praetermissus est, veterib. addatur: & si quis minor est, quam confici studio adhibito possit, augeatur: maioremq; fructum ferat. Πόρον appellari viam modumque pecuniae parandae, notum est. Demosthenes quoque inquit.
» λέγουσι δὲ καὶ ἄλλους τινὰς ἄλλοι πόρους. Huius autem verbi vim expressit, (nisi fallor) Cicero in epistola ad Q. Fratrem, cum de prouincialibus Romanis hominibus, loquens, ait. Et omnes vias pe-
» cuniae norunt: diuerso tamen consilio illi pecuniam quaerebant.

Ἔτι δὲ τὰς δαπάνας τῆς πόλεως ἁπάσας, ὅπως εἴ τις περίεργος, ἀφαιρεθῇ: καὶ εἴ τις μείζων, ἐλάττων γένηται.

Praeterea sumptus omnes ciuitatis cognitos habere, vt si quis superuacaneus est, tollatur, & si quis maior, minuatur.

PRAETEREA oportere (inquit) publicos sumptus cognitos habere, non vt ea scientia contentus viuas, sed vt si quis eorum superuacaneus est: nec boni aliquid commodique ciuitati affert, tollatur. vt si quis eorum etiam maior, quam opus sit: cum scilicet eandem operam, vtilitatemq; minore cum impensa ciuitas consequi potest, minuatur.

Οὐ γὰρ μόνον πρὸς τὰ ὑπάρχοντα προστιθέντες, πλουσιώτεροι γίνονται, ἀλλὰ καὶ ἀφαιροῦντες τῶν δαπανημάτων.

Non solum enim ad ea, quae iam ipsis sunt, addentes, ditiores homines fiunt, verum etiam dementes sumptus.

DVPLICEM esse rationem vult aerarium implendi: & vectigalia enim augendo, & sumptus minuendo, idem effici docet. documentum autem hoc capi posse a ratione, quam priuati tenent, patrimonij augendi: vtilitatemque huius rei inde aperte intelligi demonstrat: priuati enim (inquit) non solum addentes semper aliquid rei iam partae, diuitiores fiunt, verum etiam de sumptibus detrahentes. Cicero in disputatione de diuitiis, quae est inter admirabiles illas
» quaestiones ex sententia stoicorum, posteriore se dixit vsum. Ex meo tenui vectigali, detractis
» sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Athenienses contra adeo dediti erant voluptati, quam caperent è fabulis, & comicis & tragicis, cum agerentur in theatro, vt cum duro bello premerentur, publicaq; pecunia non esset, nollent tamen transferri in vsum belli pecuniam, locis emendis in theatro assignatam: idque graui paena morteque denique proposita vetassent.

Ταῦτα δ᾽ οὐ μόνον ἐκ τῆς περὶ τὰ ἴδια ἐμπειρίας, ἐνδέχεται συνορᾶν, ἀλλ᾽ ἀναγκαῖον καὶ τῶν παρὰ τοῖς ἄλλοις εὑρημένων, ἱστορικὸν εἶναι πρὸς τὴν περὶ τούτων συμβουλήν.

Haec autem non solum ex vsu rerum priuatarum licet videre. sed necesse est cognita habere, quae apud alios inuenta sunt ad deliberationes de his rebus.

QVOMODO facultatem de his rebus accurate disputandi, atq; has vias ciuibus suis indicandi, comparare possint oratores, docet: neq; enim vna tantum via est, quam paulo supra monstrauit (quamuis ea certa sit) rationem patrimonij tuendi, ad publicas fortunas adhibere: iisdem enim artibus publica, quibus priuata res augetur ac regitur: sed videre etiam oportet, quomodo aliae gentes ac populi publicos sumptus sustineant, & quas rationes inuenerint ad hanc rem idoneas. Animaduertendum autem ἱστορικὸν hic non valere, rerum gestarum explicatorem, sed eum, qui aliqua didicerit: eximiamque eorum cognitionem habeat. quo sensu videtur Cice-
» ro cepisse pro Murena, cum inquit. Homines litterati & historici.

Περὶ δὲ πολέμου καὶ εἰρήνης: τὴν δύναμιν εἰδέναι τῆς πόλεως, ὁπόση τε ὑπάρχει ἤδη καὶ πόσην ἐνδέχεται ὑπάρξαι. καὶ ποία τις, ἥτε ὑπάρχουσά ἐστι, καὶ εἴ τις ἐνδέχεται προσγενέσθαι.

De bello & pace: copias ciuitatis nosse, & quantae iam sunt, & quantas contingit esse: & qualis sit, quae iam adest: & si qua potest illi admoueri.

QVI de bello ac pace sententiam dicturus est, haec cognita habeat oportet. δύναμιν copiam militarem appellat, quamuis numero multitudinis boni auctores frequentius copias dixerint. Cum de officio senatoris Cicero in iij. lib. de Legibus, dissereret, haec quoque cognita illi esse vult.

qua rone homines divites fiere possit.

Athenienses ... pro ...

Deliberatio de bello et p

» vult. Quid habeat militum, quid valeat aerario, quos socios resp. habeat, quos amicos, quos stipendiarios. Πόση numerum illarum valet: copiarum enim numerum intelligi vult, & quae paratae iam sint, &, quae adiungi ipsis studio ac diligentia possint. Ποία vero quales ipsae sint: virtute scilicet an inertia: veteranorum an tironum, quo genere armaturae: & quibus aliis huiuscemodi rebus ornatae, aut destitutae, quae aut meliorem aut infirmiorem exercitum reddant. nec tantum haec comperta haberi in ijs, quae iam sunt, censet oportere, verum etiam in illis, quae denuo parari & adiungi veteribus possint.

Ἔτι δὲ πολέμους πῶς καὶ τίνας πεπολέμηκεν: οὐ μόνον δὲ τῆς οἰκείας πόλεως, ἀλλὰ καὶ τῶν ὁμόρων, ταῦτα ἀναγκαῖον εἰδέναι.

Adhuc autem bella quomodo, & quae gesßit: non solum autem suae propriaeque ciuitatis, verum etiam finitimarum, haec necesse est scire.

PRAETEREA videre oportet, quae bella antea gesserit, & quem exitum illa habuerint. nec tantum (inquit) suae reipublicae, verum etiam finitimarum ciuitatum res gestas expendere: qui enim superioribus bellis strenue se gesserunt, existimari possunt, in nouis eandem virtutē praestituros: quibusq; secundi euentus praeteritorum demonstrati fuerint, facilius ad noua bella capessenda incendentur: contraque.

Ἢ καὶ πρὸς οὓς ἐπίδοξον πολεμεῖν.

Sed etiam aduersus quos opinio est bellum gestum iri.

NON tantum, cum quibus iam bellum geratur, spectandum est, sed vires etiam occultorum hostium examinandae: & eorum denique omnium, cum quibus quandoque bellum fore existimatur. Ἐπίδοξος, & res, & homo appellatur: de quo aliqua opinio excitata sit, & aliqua existimatio in animis omnium orta. Isocrates in Archidamo. αἰσχυνοίμην γὰρ ἄν, εἰ γεγονὼς ἀφ' Ἡρακλέους: τοῦ δὲ πατρὸς βασιλεύοντος: αὐτὸς δὲ ἐπίδοξος ὢν τυχεῖν τῆς τιμῆς ταύτης. & quae sequuntur. Auctor rhetorices ad Alexandrum hoc vocabulo vsus est, cum ea, quae ab aduersarijs in iudicio dictum iri credebantur, intelligeret.

Ὅπως πρὸς μὲν τοὺς κρείττους, εἰρηνεύωνται: πρὸς δὲ τοὺς ἥττους, ἐφ' αὐτοῖς ᾖ τὸ πολεμεῖν, καὶ τὰς δυνάμεις, πότερον ὅμοιαι ἢ ἀνόμοιαι: ἔστι γὰρ καὶ ταύτῃ πλεονεκτεῖν ἢ ἐλαττοῦσθαι.

Ut cum firmioribus pax custodiatur: cum inferioribus in arbitrio semper ipsorum sit bellum gerere: & copias, vtrum similes vel disßimiles: licet enim hac quoque parte plus roboris aut minus habere.

HOC consilio scilicet id accurate quaerendum, vt cum iis, qui viribus nobis praestant, pacem habeamus: aduersus autem inferiores, in manu nostra sit bellum gerere: copias quoque spectandas iubet similes ne, an dissimiles sint. Cuius rei statim vtilitatem ostendit: affirmat enim ea quoque de causa posse aliquos, aut superiores, aut inferiores esse in bello.

Ἀναγκαῖον δὲ καὶ πρὸς ταῦτα, μὴ μόνον τοὺς οἰκείους πολέμους τεθεωρηκέναι, ἀλλὰ καὶ τοὺς τῶν ἄλλων πῶς ἀποβαίνουσιν: ἀπὸ γὰρ τῶν ὁμοίων τὰ ὅμοια γίγνεσθαι πέφυκεν.

Necesse autem est & ad haec, non solum sua propriaque bella spectasse, sed etiam aliorum, quem euentum illa consecuta sint; e similib. enim similia proficisci consuerunt.

VT haec melius cognosci tractariq; possint, spectanda hic quoq; sunt, non propria tantū suaeq; reipublicae bella, sed aliorum etiam populorum, quem exitum illa nacta sint: secundum ne, an aduersum: plerunq; enim inquit e similibus rebus, similia existere, atq; euenire consuerunt. Πρὸς ταῦτα autem dixit, idest cum similitudo, aut dissimilitudo copiarum quaeritur, vt inde existimari possit, superior ne esse debeas in re gerenda, aut inferior. Particulam vero καὶ addidit: supra enim quoq; cum iuberet esse accurate videnda praeterita bella, & quem exitum illa habuissent, eandem rationem capessendam praeceperat: docueratque hoc non tantum in bellis, propriis illius reipub. esse faciendum, sed finitimarum etiam ciuitatum.

De custodiendis finib. deliberatio

Ἔτι δὲ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, μὴ λανθάνειν πῶς φυλάττεται, ἀλλὰ καὶ τὸ πλῆθος εἰδέναι τῆς φυλακῆς, καὶ τὸ εἶδος, καὶ τοὺς τόπους τῶν φυλακτηρίων: τοῦτο δ' ἀδύνατον, μὴ ἔμπειρον ὄντα τῆς χώρας.

Amplius

Amplius autem de tuendis finibus, non fallere ipsum, quomodo custoditur regio, sed etiam numerum scire custodum & genus, & loca, arcendis hostibus accommodatá. hoc autem fieri non potest, nisi aliquis cognitum habeat situm regionis.

QVI se posse vult in senatu commode disputare de ratione tuendorum finium: a regioneq; hostes arcendi vias monstrare (quod etiam ad deliberationes de bello pertinet) debet paratus illuc accedere: cognitumq; habere, quomodo regio custoditur: quot quaeue copiae huic rei necessariae sint: equestres ne, an pedestres, & qua denique armatura: praeterea locos huic rei opportunos. quod scire non potest, nisi peritus regionis.

Ἵν᾽ εἴτ᾽ ἐλάττων ἡ φυλακὴ, προστεθῇ· καὶ εἴ τις περίεργος, ἀφαιρεθῇ, καὶ τοὺς ἐπιτηδείους τόπους τηρῶσι μᾶλλον.

Ut si minus praesidium fuerit, augeatur: & si quod superuacaneum fuerit, dematur, & opportunos locos potius seruent.

APERIT, cur haec cognitio necessaria sit. vt (inquit) si minor, quam locis illis tuendis requiratur, custodia sit, numerus militum augeatur: si maior redundansq;, minuatur. ne inutili sumptu resp. grauetur: & vt relictis parum opportunis locis, magis idoneos tueantur.

Ἔτι δὲ περὶ τροφῆς, πόση δαπάνη ἱκανὴ τῇ πόλει καὶ ποία ἡ αὐτοῦ τε γιγνομένη καὶ εἰσαγώγιμος,

Amplius autem de cibarijs, quot alimenta necessaria sunt ciuitati, & quot, vel ibi nascuntur, vel importanda sunt.

CVM de cibariis etiam, quibusq; alatur multitudo, agatur, hoc quoq; antea multum cogitasse oportet: diligenterque alimenti quantitas videnda est, quod ciuitati satis esse possit: verum etiam animaduertendum, cuius generis est, quod ager ipsorum fert: & quale, quod aliunde eo comportandum: quod apud eos non nascatur. exempli gratia, si frumenti copiam habet, vini, oleiue penuria illic est: neq; enim aridum tantum, sed humidum quoque cibum intelligit. nam δαπάνη, quamuis sumptus significare soleat, hic, quod conficitur, e quoque homines vitam producunt, valet: quod denique in aliqua re nutrienda absumitur, idest alimentum. in iiij. autem libro de ortu animantium: vbi de natura lactis agit, ita quoque habet vetustus liber. Οἱ
» δ᾽ ἔτι εἰς πλάσιν τοῦ ἐμβρύου γίγνεται ἡ δαπάνη: cum in excusis τροφὴ legatur.

Καὶ τίνων τ᾽ ἐξαγωγῆς δέονται, καὶ τίνων εἰσαγωγῆς.

Et quarum rerum egent exportatione, & quarum comportatione.

ET quae res sunt, quarum exportatione; quae vero, quarum comportatione egent: non enim solum, quae desunt, aliunde comportanda, sed etiã, quae redundant, exportanda: ne ciuitas sumptibus exhauriatur, & vt habeat vnde illa, quibus caret, parare queat. Athenienses, cum macros sterilesq; agros haberent, frumento plerunque egebant, ac, quod Demosthenes quoque affirmat, importato vtebantur: alia autem fortasse re abundabant: non paucas enim ager ipsorum vt optimas, ita etiam vt arbitror, copiosas gignebat. Aut si nullis agrorum fructibus regio abundaret, frumentarij mercatores operibus artium multarum, quae in ea vrbe colebantur, discedentes naues onerabant: hoc enim voluerat Solon, tamquam accommodatum ad frumentarios eo alliciendos.

Ἵνα πρὸς τούτους καὶ συνθῆκαι, καὶ συμβολαὶ γίγνωνται.

Ut cum eis, vnde sumuntur, pacta fiant, notisque quibusdam caueatur de iniurijs.

CVM his, qui rebus, quibus ipsi carent, abundant: aut contra, qui rebus egent, quae apud ipsos redundant: vtrique enim vtiles valde sunt, & in amicitia diligenter retinendi. Pactiones igitur certae, contractusq; cum ijs faciendi sunt. cum συμβολὴ plura apud Graecos significet, contractum hic valere videtur: nam, quod Terentius neutro genere symbolum vocauit, inquiens, symbolum dedit, caenauit, Graeci comici poetae, muliebri etiam συμβολὴν appellabant. Apud Athenaeum libro vj. δειπνοσοφ. Eubuli hi versus leguntur è fabula Oedipode.

» Ὅστις δ᾽ ἐπὶ δεῖπνον, ἢ φίλον τιν᾽, ἢ ξένον
» Καλέσας, ἔπειτα συμβολὰς ἐπράξατο

Itemque hi Diodori ex Epiclero.

Αρισίσας

» Ἀριστίσας ἑαυτὸν, ἐντραγὼν, ἐμπιὼν,
» Ἀπέρχετ' εἰκαδ', οὐ καταβαλὼν συμβολὰς.

In iij. autem libro de rep. Aristoteles, vbi de eadem re, de qua nunc, agit, neutro genere hoc verbum vsurpauit. Εἰσὶ γοῦν αὐτοῖς συνθῆκαι περὶ τῶν εἰσαγωγίμων: σύμβολα περὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν, καὶ γραφαὶ περὶ συμμαχίας.

Πρὸς δύο γὰρ διαφυλάττειν ἀναγκαῖον ἀνεγκλήτους τοὺς πολίτας, πρός τε τοὺς κρείττους, καὶ πρὸς τοὺς εἰς ταῦτα χρησίμους.

Apud duo enim hominum genera videre oportet ne offendant ciues, apud potentiores, & apud eos, qui his rebus subministrandis vtiles sunt.

Cavsam affert huius rei, dicens: duo enim sunt genera hominum, apud quos, ne offendant ciues, maxime cauendum est: diligentiaq; adhibenda, ne illi de ipsis iure optimo queri possint: potentiores, quiq; his rebus suppeditandis vtiles sunt: amborum enim ira reip. valde noceret: hi namque res victui necessarias negando: illi bellum inferendo, facile acceptam iniuriam vlciscerentur.

Εἰς δὲ ἀσφάλειαν, ἅπαντα μὲν ταῦτα ἀναγκαῖον δύνασθαι θεωρεῖν.

Ad ciuitatem autem tutam a periculis praestandam, haec omnia necesse est posse animo videre.

Qvi consilia, ad tutandam ciuitatem apta, posse vult dare, cuncta haec (inquit) contemplari animo queat, necesse est. Qui quomodo ab omni periculo resp. defendi possit sua sententia demonstraturus est, haec omnia subtiliter videndi, facultatem habeat, oportet: qui enim ea accurate perspicere nequit: neque vim earum, & naturam intelligit, minime ad hanc rem idoneus erit. intelligit autem cuncta, quae supra exposuit: neque enim sine pecuniis ius suum tueri ciuitas potest: quae nerui sunt belli: neque sine reliquis etiam tribus. sed non paruam partem huius rei positam in quinto docet: quod nunc explicare aggreditur.

Οὐκ ἐλάχιστον δὲ περὶ νομοθεσίας ἐπαΐειν: ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως.

Non minimum autem est legum ferendarum peritum esse: manet enim in legibus salus ciuitatis.

Non minimum (inquit) ad hoc etiam valet, ciuile ius intelligere: & posse nouas leges condere: gnarumque denique esse huius totius disciplinae. quod, vt ipse facilius confirmet, legum vim laudat, ac paucis verbis in caelum extollit, salutem totius ciuitatis in illis positam dicens. Id etiam copiose fecit Demosthenes in oratione, quam habuit contra Aristogitonem. Ἐπαΐειν satis notum verbum est, & ab Aristotele, & Platone crebro vsurpatum.

Ὥστ' ἀναγκαῖον εἰδέναι πόσα τέ ἐστι πολιτειῶν εἴδη καὶ ποῖα συμφέρει ἑκάστῃ καὶ ὑπὸ τίνων φθείρεσθαι πέφυκε, καὶ οἰκείων τῆς πολιτείας καὶ ἐναντίων.

Quapropter necesse est, quot sint rerumpublicarum genera nosse: & qualia instituta conducunt singulis, & a quibus rebus perdi solent, & propriis ipsarum, & alienis.

Qvare (inquit) praetermittere non potest, qui sententiā dicturus est de conseruando statu ciuitatis, quin intelligat, quot sunt genera rerumpublicarum: nec non, quae huic, aut illi conducunt: multa enim alicui generi prosunt, quae alij nocent: praeterea, quae nam sint res, quae interitum reip. afferant: siue illae suae propriae status eius ciuitatis sint: siue alienae, & ab ipso contrariae. Haec vero cuncta accuratius suis locis ab ipso disputata sunt. tradit autem Cicero in v. libro de finibus, hunc locum Theophrastum diligentissime persecutum fuisse. Hoc
» amplius Theophrastus, quae essent in rep. inclinationes rerum, & momenta temporum: qui-
» bus esset moderandum.

Λέγω δὲ τὸ ὑπὸ οἰκείων φθείρεσθαι, ὅτι ἔξω τῆς βελτίστης πολιτείας, αἱ ἄλλαι πᾶσαι καὶ ἀνιέμεναι, καὶ ἐπιτεινόμεναι, φθείρονται.

Dico autem a suis propriisque interimi: praeter enim optimam rempublicam, ceterae omnes, & cum remittuntur, & cum intenduntur, intereunt.

Qvia

QVIA res incredibilis videbatur, quidpiam a propriis, aptisq; ipsi rebus posse corrumpi ac perdi, rem totam aperit: & quomodo id fiat, ostendit, dicens. Intelligo autem a suis propriisq; interimi: quia, excepto tantum optimo gubernandae ciuitatis statu, cuncta alia genera reip. & cum relaxantur, & cum intenduntur, pereunt: optimam autem politiam regnum appellat.

Οἷον δημοκρατία, οὐ μόνον ἀνιεμένη ἀσθενεστέρα γίνεται. ὥστε τέλος ἥξει εἰς ὀλιγαρχίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπιτεινομένη σφόδρα.

Veluti status multitudinis, non solum remissus infirmior fit. quare postremum veniet ad dominatum paucorum: sed etiam, cum intensus fit valde.

CEV inquit, populi status non solum relaxatus imbecillior fit: ita namque adeo infirmus efficitur, vt aliquando peruenturus sit in dominatum paucorum: verum etiam cum vehementer intenditur. Remitti autem tunc dicit statum multitudinis, cum quaedam instituantur, aliena ab illa forma reip. & quae potius conueniant dominationi paucorum: contra autem intendi, cum maior auctoritas populo datur, & nouae quaedam rationes inducuntur, accommodatae multitudini. Non solum igitur ab alienis contrariisq; rebus periculum instat democratiae, sed a suis etiam, propriisq;, si modum in illis non seruat: qui enim ita augere volunt, malo ipsi sunt: ac deniq; interitum procurant: quod ad intendendum statum aliquem valet: cui rei adhibentur res propriae, suaeque illius reip. in fraudem id quoq; saepe multos inducit, acerrimos etiam ipsorum amatores: neq; enim vident, quomodo, exempli gratia, res populares possint populi statum deprauare, ac corrumpere: atque existimant, quanto plura illius generis excogitarint, tanto magis se statum illum firmiorem robustioremq; reddituros: sunt enim quaedam instituta, popularia etiam, quae populum interimunt, si modus in illis non adhibeatur: vt ipse simili, ad hanc rem declarandam valde accommodato, confirmat: & quo etiam vsus est in v. libro de republica, vbi de hac ipsa re accuratius, vberiusq; disputat.

Ὥσπερ καὶ ἡ γρυπότης, καὶ ἡ σιμότης, οὐ μόνον ἀνιέμενα ἔρχεται εἰς τὸ μέσον, ἀλλὰ καὶ σφόδρα γρυπὰ γινόμενα, ἢ σιμὰ, οὕτω διατίθεται τὴν ῥῖνα, ὥστε μηδὲ μυκτῆρα δοκεῖν εἶναι.

Quemadmodum contingit in nasi vitijs: grypus enim & simus, non solum cum remittuntur, perueniunt ad medium, sed etiam valde remißi, vel simi facti, ita deprauant nasum, vt ne nares quidem esse videantur.

VITIA haec sunt, prauitatesq; nasi: nasus enim rectus laudatur, & labe caret: simus vero, & grypus, deprauatus esse intelligitur. vtrumq; igitur vitiorum illorum duobus modis dissoluitur, si ad medium veniat, & si in forma illa sua deprauata crescat: simitas enim frangitur, cum tamquam conuallis illa nasi minuitur, & media sui parte nasus ita surgit, vt rectitudo quaedam illic existat: quae est vera forma nasi: frangitur etiam, cum magis adhuc cauatur: ac si denique pergit, omnem penitus formam nasus amittit. Eadem ratio est γρυπότης: cum enim dorsum illud, ac media nasi pars, quae nimis se euexit, conteritur, efficitur nasi rectitudo: quae tamen labis illius, vitiiq; pernities est: quod si dorsum magis adhuc exacuitur, sic quoq; γρυπότης illa corrumpitur: atq; ita corrumpitur, vt secum omnem nasi formam extinguat: vt autem cum relaxatur forma nasi, & simi, & grypi, manifesto intelligitur illa euerti, ita contra, si studio alicuius vtraque augeatur, potest ita augeri, vt simitas, ac γρυπότης amplius non sit: nasi enim forma corrupta, necessario & illae corrumpuntur. Eadem ratio est status multitudinis, paucorumq;: quae & ipsae labes quaedam sunt πολιτειῶν: vt superiores illae, nasi. Cum Latinum verbum non inuenerim, quo affectum hunc narium exprimerem, Graeca voce vti malui, quam aut aquilinum nasum vocare (id enim verbum nouum puto: quamuis vitium hoc apposite ostendat) aut aduncum appellare: aduncus enim nasus est, qui in imo decliuis est, non qui media sui parte eminentior: vnde a forma rostri aquilarum nunc ita vulgo appellatur.

Χρήσιμον δὲ πρὸς τὰς νομοθεσίας τὸ, μὴ μόνον ἐπαΐειν τίς πολιτεία συμφέρει, ἐκ τῶν παρεληλυθότων θεωροῦντι, ἀλλὰ καὶ τὰς παρὰ τοῖς ἄλλοις εἰδέναι, αἱ ποῖαι τοῖς ποίοις ἁρμόττουσιν.

Prodest autem ad leges ferendas non solum nosse, quae respublica conducit, spectanti e praeteritis rebus, sed etiam, quae apud alios fiant cognosse, quales respublicae, qualibus hominibus congruunt.

VALET

VALET (inquit) ad leges ferendas: bonumq; ciuitatis statum condendum, non solum attendere, quae forma reipublicae prodest, ex antiquis rebus eius ciuitatis: verum etiam multum iuuat, videre quomodo aliae nationes regantur: ac status multarum ciuitatum nouisse: animaduertereq; inde, quae species reip. quibus hominibus: quomodoque educatis conueniant: ita enim intelligi poterit, cum etiam naturam eorum, quibus consilium das, cognitam habeas, & perspexeris, quomodo tales homines alibi gubernentur, quae leges ipsis accommodatae sint. Ait μὴ μόνον ἐκ τῶν παρεληλυθότων: idest non propositis sibi tantum praeteritis rebus, & ex illis iudicando; hoc enim quoq; non parum adiuuat, veterem memoriam euoluere, & animaduertere, quomodo ciuitas regebatur tunc, cum secunda fortuna vsa est, ac beata ciuium vita fuit: nam si status ille reip. reuocatus erit, eadem bona commodaq; inde expectari poterunt. Qui igitur leges vtiles ferre volunt, hoc spectare praecipue debent: non tamen in hoc solo toto animo occupatos esse, sed etiam videre oportet, quod adiunxit, quomodo aliae gentes populique legibus instituti sint.

Ὥστε δῆλον, ὅτι πρὸς μὲν τὴν νομοθεσίαν αἱ τῆς γῆς περίοδοι χρήσιμοι: ἐντεῦθεν γὰρ λαβεῖν ἔστι τοὺς τῶν ἐθνῶν νόμους.

Quapropter perspicuum est ad leges ferendas vtiles esse libros de situ orbis terrarum, moribusque: hinc enim sumere licet leges gentium.

CVM cognoscere leges, moresq; aliarum ciuitatum vtile sit, perspicuum (inquit) est, libros eos legisse, quibus terrarum situs ac mores: institutaq; plurimarum gentium continentur, mirifice valere ad bonas leges condendas. Erant autem γῆς περίοδοι, quas vocat, commentarij, in quibus, & positurae vrbium, locorumq; descriptae forent: & incolarum etiam leges, moresq; explicati. Eos autem conficere solent accurati, & diligentes homines, qui longinquas terras peragrant: aut hoc studio delectati, aduenas, quae videre ipsi non potuerint, percunctati sint, vt do-
» cet Aristoteles in primo libro de rebus superis. Δῆλον δὲ τοῦτο τοῖς θεωμένοις τὰς τῆς γῆς περιόδους:
» ταύτας γὰρ ἐκ τοῦ πυνθάνεσθαι παρ' ἑκάστων, οὕτως ἀνέγραψαν: ὅσων μὴ συμβέβηκεν αὐτόπτας γενέσθαι τοὺς λέ-
γοντας. Eudoxus, rerum caelestium valde peritus, plures libros ita inscripsit, vt ex Athenaeo
» colligitur: qui in vij. δειπνοσοφιστῶν, inquit. Εὔδοξος δ' ἐν ἕκτῳ τῆς περιόδου. testimonium ex ijs
» quoque libris citatur ab interprete Apollonij Rhodij: ὡς ἱστορεῖ Εὔδοξος ἐν δ' γῆς περιόδου. vnde etiam Pytheam quendam hoc titulo libros scripsisse intelligitur. Eadem autem scripta περιηγή-
» σεις, & περίπλους vocabant: Athenaeus eodem libro. καὶ ὥσπερ οἱ τὰς περιηγήσεις, καὶ τοὺς περίπλους
» ποιησάμενοι μετ' ἀκριβείας, ἐθέλει πάντα ἐκτίθεσθαι. quibus scilicet regionum terrestrium ac maritimarum: legumq; singulorum populorum scientia contineretur.

Πρὸς δὲ τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς, αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίαι.

Ad deliberationes autem publicas valet scientia rerum gestarum, litteris prodita.

VT accuratas morum, institutorumque aliarum gentium animaduersiones multum valere dixit, ad leges condendas, ita veteris memoriae notitiam mirifice vtilem esse tradit ei, qui sententiam in senatu, aut contione dicturus est: illa vero ex historia habebitur: adiuuant autem, qui persuadere aliquid cupit in consilio, historiae: quia inde exempla promit: quae ad fidem faciendam mirum quantum valent. Cum antea nominandi casu, αἱ ἱστορίαι, scriptum foret, secutus fidem antiquissimi libri, accusandi restitui. Intelligi autem debet χρήσιμον εἶναι, vt supra locutus est, antequam id, quod interiectum est, tamquam corollarium quoddam, vt magis rem indicaret, interponeret.

Ἅπαντα δὲ ταῦτα πολιτικῆς, ἀλλ' οὐ ῥητορικῆς, ἔργον ἐστίν.

Cuncta vero haec videre facultatis ciuilis, non artis dicendi, officium est.

HAEC autem (inquit) videre, non dicendi artis, sed ciuilis rationis, officium est, & illius disciplinae propriae quaestiones haec sunt: ab oratore tamen non abhorrent, quia studium id colit, quod simulachrum quoddam est grauioris illius scientiae: hoc autem adiunxit, vt iudicium, quod supra de facultate hac dicendi fecerat, confirmaret.

Περὶ ὧν μὲν οὖν ἔχειν δεῖ τὸν μέλλοντα συμβουλεύειν, τὰ μέγιστα τοσαῦτά ἐστιν.

De quibus igitur propositiones habere oportet, qui deliberaturus est, maxima sunt haec.

FATETVR

FATETVR se non omnia tradidisse, de quibus homines consultare solent: id enim infinitum fuisset, sed quae magni ponderis in illis sunt, tantum tetigisse: stratum enim nunc intelligit materiamq;, dicens περὶ τῶν. Res igitur (inquit) de quibus habere oportet propositiones, quae ipsarum naturam aperiant, in hoc genere haec fere sunt.

Ἐξ ὧν δὲ δεῖ καὶ περὶ τούτων, καὶ περὶ τῶν ἄλλων προτρέπειν, ἢ ἀποτρέπειν, λέγωμεν πάλιν.

Ex quibus autẽ oportet & de his & de alijs suadere, & dissuadere, tradamus modo.

NVNC (inquit) exponamus, vnde ducere argumenta possimus adhaec ipsa, quae maioris momenti sunt, & alia etiam, quaecunq; in deliberationibus occurrunt, probanda: tradit enim locos proprios huius materiei, ad quos referre se oporteat, qui aut ad aliquid impellunt, aut inde reuocant: communes namq; omnium in posteriore libro monstrabit: ἐξ ὧν enim vocat locos, ex quibus eliciuntur argumenta. ἴδια autem appellare haec ipsum planum est, idest proprias alicuius generis propositiones.

Σχεδὸν δὲ καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καὶ κοινῇ πᾶσι σκοπός τίς ἐστιν, οὗ στοχαζόμενοι, καὶ αἱροῦνται, καὶ φεύγουσι: καὶ τοῦτ᾽ ἐστὶν, ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, ἥ τ᾽ εὐδαιμονία, καὶ τὰ μόρια αὐτῆς.

Ferme autem & priuatim singulis, & publice cunctis propositum quiddam est, quod spectantes & deligunt, & fugiunt: & hoc est, vt summatim dicam, vita beata, & partes ipsius.

VT melius, vnde ducere argumenta possimus, intelligamus: & quae ratio nobis tenenda sit, cum alicui aliquid suadere volumus, quem finem scopumq; singuli homines, totaeq; ciuitates sibi proponant in rebus suis, spectandum est: ferme namque singuli priuatim, publiceq; conuentus hominum, tamquam signum habent, quo omnia referunt, & ad quod oculos dirigentes, cuncta sequuntur, aut fugiunt: expetunt enim, quae eo ferre possint: vitant contraria. hoc autem (inquit) est, vt breui nunc agamus, & beatitudo, & partes ipsius: quae namq;, vt partes, vitam beatam constituunt, a quibusdam toto animo expetuntur.

Ὥστε παραδείγματος χάριν, λάβωμεν τί ἐστιν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἡ εὐδαιμονία, καὶ ἐκ τίνων τὰ μόρια ταύτης: περὶ γὰρ ταύτης, καὶ τῶν εἰς ταύτην συντεινόντων: καὶ τῶν ἐναντίων ταύτῃ, αἵ τε προτροπαὶ καὶ αἱ ἀποτροπαὶ πᾶσαι εἰσί.

Quapropter exempli causa, sumamus quid est, vt simpliciter loquar, vita beata, & ex quibus partes ipsius: de hac enim, & ijs, quae ad hanc referuntur, & contrarijs huic, suasiones & dissuasiones cunctae sunt.

QVARE (inquit) exempli gratia sumamus, quid sit beatitudo: vimq; ipsius exprimamus: non illam quidem subtiliter nunc & exquisite, sed crasso modo: qui huic tamen scriptioni, studioq; satis sit: & quae partes eam constituunt, aperiamus: qui enim consilium alicui daturi sunt, hanc bene cognitam habeant necesse esse, vt ostendere possint se id suadere, quod illuc tendat, aut reuocare ab eo, quod ipsi contrarium est: nam illi quoq;, qui de aliqua re deliberant, vt eam consequantur, quos putant prudentes, in consilium adhibent.

Τὰ μὲν γὰρ παρασκευάζοντα ταύτην, ἢ τῶν μορίων τι, ἢ μεῖζον ἀντ᾽ ἐλάττονος ποιοῦντα, δεῖ πράττειν: τὰ δὲ φθείροντα, ἢ ἐμποδίζοντα, ἢ τὰ ἐναντία ποιοῦντα, μὴ πράττειν.

Quae namque pariunt hanc, vel quampiam partium ipsius, vel maiorem è minore efficiunt, opus est gerere: quae autem interimunt, vel impediunt, vel contraria pariunt, minime agere.

QVAE possunt efficere hanc, aut ipsius partes, gerere (in vita) oportet: & ea etiam, quae augere ipsas queant. Quare, qui ad ea capessenda hortabitur, vtile consilium dabit: quae vero aut perdunt, aut impediunt, quemadmodum etiam, quae contraria sunt, nullo modo gerenda: intelligit autẽ, quae miseriam gignunt: aut etiam quampiam earum rerũ, quae miseram vitã constituunt.

Ἔστω δὴ εὐδαιμονία εὐπραξία μετὰ ἀρετῆς.

Sit iam vita beata quoddam bene rem gerere, cum virtute copulatum.

QVIA non ad veritatem in his libris, sed ad opiniones hominum disserit, non eam, quam veram putat, nec vnam tantum definitionem vitae beatae, sed & plures, & ab alijs excogitatas, vel mul-

Caput V. De felicitate et fine deliberantium

Multe Def.es felicitatis

titudini potius probatas, adfert. prima haec honestorum hominum erat: & sane ferri potest; multum enim virtuti tribuit. quorum igitur res prosperae sunt, ac virtutem sequuntur, ij beati putantur. In primo & in decimo libro de vita & moribus ad Nicomachum accuratius ipse vim beatitudinis expressit. Plutarchus etiam in commentario, quo adolescentes ad lectionem poëtarum praeparat, quomodo studiosi sapientiae caperent εὐδαιμονίαν, ostendit: tradit enim
» eos ita ipsam vocare solitos. πανταλῆ τῶν ἀγαθῶν ἕξιν, ἢ κτῆσιν: nec non. Τελειότητα βίου, κατὰ φύσιν εὐροοῦντος. Hunc autem locum a felicitate primum affert: eo namq; omnia referunt, quae in vita homines expetunt. Quia vero generatim rursus vtilia, & bona ab ipsis expetuntur, vt de bono & vtili in vniuersum affert propositiones ac locos.

Ἡ αὐτάρκεια ζωῆς.

Vel habere, quae satis ad vitam sunt.

AVT possidere, quod satis sit ad vitam degendam: haec autem definitio & reprehendi magnopere, & laudari aliquo modo potest: statuere enim prius oportet, quibus nam rebus vita egeat: sapientes namque paucis illam contentam existimant, qui naturae desideria nullo negotio expleri posse affirmant, vt Epicurus: ille namq;, eodem verbo vtens, aiebat se praeclarum bonum existimare αὐτάρκειαν; contra alij multis, & quae aegre parantur, falso arbitrantur eam indigere: quare ita capere αὐτάρκειαν, vt aliquis teneret cuncta, quae huiuscemodi vitae, plenae inanium cupiditatum, sufficerent, finis esset deterrimus: hancq; vitam beatam appellarent tantum imperiti, & ignobiles homines; cum res ad vitae cultum hunc necessarias magis, quam oportet, admirarentur: ac crederent eum, qui ea possideret, beatum prorsus esse: nulla enim omnino re carere putabant oportere, qui beatus sit. ζωὴν vero vocat rem familiarem: cunctaq; alia, quae ad bene iucundeq; viuendum accommodata sunt. Huius quoq; finis meminit Alexander Aphrodisiensis in longa disputatione, quam habuit contra magnificam illam sententiam Stoicorum, potius quam veram, qui aiebant virtutem se ipsa contentam esse ad efficiendam vitam beatam: vbi etiam plures refert ipsius descriptiones: docetq; illas in animis hominum natura innatas esse, dicens. Si communes de beatitudine notiones expletionem ipsam vitae statuunt esse: nulla enim re egere hominem beatum volunt: & beatitudinem vltimam rerum, quae appetuntur esse arbitrantur. sed etiam viuere secundum naturam, & vitam secundum naturam beatitudinem esse dicunt: & praeter haec bene viuere, & bene aetatem degere, & bonam vitam beatitudinem aiunt esse, & quae sequuntur.

Ἡ ὁ βίος ὁ μετὰ ἀσφαλείας, ἥδιστος.

Vel vita in tuto posita, iucundissima.

AVT vita iucundissima, quae in lubrico non versetur, sed in firma stabiliq; sede locata sit. haec autem opinio multos sectatores habet: pluresq; haberet, si comparari posset: non magnum autem negotium est in vita sequi, quae iucunda sunt, ac voluptatibus vndiq; expleri: habere tamen exploratum illas perpetuas fore, nec casu vllo amissum iri, arduum est. Definitio summi
» boni, quam Metrodorus attulit, non valde ab hac discrepat. Cum corpus bene constitutum
» est, & sit exploratũ ita futurum. Verba Graeca Metrodori apud Plutarchum leguntur in commentario, quo probat vitam, tantopere laudatam ab Epicuro, ne iucundam quidem esse.

Ἡ εὐθηνία κτημάτων, καὶ σωμάτων.

Vel cum viget possessio bonorum, & corporum.

ARBITROR hic εὐθηνεῖν valere, cum vigent bestiae pecudesq; ac cetera, in quibus res familiaris fundata est: & reliqua deniq; omnis familia: cum ab omni noxa, ac morbo procul sunt: cum eximiã corporis firmitatem habent. Aristoteles problematũ segmento I. hoc verbo vtitur, cum gliscere, ac vigere, significare vellet. ἢ ὅτι ἕκαστον εὐθηνεῖ ἐν τῇ οἰκείᾳ χώρᾳ τῆς φύσεως. sed etiam in li-
» bris de natura animantium. διὰ τοῦτο καὶ ζητεῖ τόπον ἕκαστον οἰκεῖον: οἰκεῖον δὲ, ἐν ᾧ περ εὐθηνεῖ. cum videmus aliqua in regione animantem quampiam vigere, eam illi accommodatam esse inde intel-
» ligimus: nec non Demosthenes pro Ctesiphonte: ἃ γὰρ εὐθηνούντων τῶν πραγμάτων ᾑρεῖσθε διομνύμε-
» νοι, ταῦτ' ἐν οἷς ἔπταισεν ἡ πόλις, ὡμολογήσατε, cum res vestrae secundae ac bonae erant. Idem autem valere videtur, quo crebro etiam ipse vtitur εὐθηνεῖσθαι: vt in primo de morib. ad Nicomachum in-
» quit. καὶ ἐνδέχεται τὸν μάλιστα εὐθηνοῦντα, μεγάλαις συμφοραῖς περιπεσεῖν. Et qui omnib. bonis abundant: ventosq; valde secundos habent, in magnas quandoq; incidunt calamitates. Κτήματα omnẽ rẽ, quae possidetur, significare planum est: & participem animi, & expertem: aliquando ita greges pecorum, armentaq; appellauit. In primo de republica, vbi de ratione comparandar. diuitiarum
» loquitur, quam χρηματιστικὴν vocat. ἔστι δὲ χρηματιστικῆς μέρη χρήσιμα, τὸ περὶ τὰ κτήματα ἔμπειρον εἶναι.
» ποῖα λυσιτελέστατα, καὶ ποῦ, καὶ πῶς. οἷον ἵππων κτῆσις ποία τις, ἢ βοῶν, ἢ προβάτων: ὁμοίως δὲ καὶ τῶν λοιπῶν ζώων,

& quae

& quae ſequuntur. Quo tamen etiam in loco verbo vtitur, de quo ſupra diſputaui: adiungit enim ἀλλὰ γὰρ ἐν ἄλλαις εὐθηνεῖ χώραις: magni autem pecuarij priſci homines erant, & non paruam partem patrimonij in pecore collocatam habebant. Qui igitur in hoc ſtudio fortunati erant, & quaeſtus ingentes faciebant, multis beati exiſtimabantur. Videtur tamen hic ceteras quoq; partes patrimonij intellexiſſe: ipſe enim quoq;, quamuis animo vacent, recte εὐθηνεῖσθαι dici poſſunt, cum earum curſus ſecundus eſt: quod vero addidit σωμάτων, ad homines pertinet: ita enim ſaepe boni ſcriptores omnis generis, aetatisq; homines vocare conſuerunt: vt quandoq; etiam milites: quo ſenſu cepiſſe hoc verbum in ij. horum librorum ipſum puto, cum inquit. καὶ ἰσχὺς
» σωμάτων. In noto epigrammate, cuius initium eſt σώματα πολλὰ τρέφειν, valet hoc nomen omnem familiam, & liberos, & ſeruos: vt mancipia namque, ita etiam liberos multos homines alere, exhaurit domum, ac certam paupertatem inducit. Strabo in primo eorum librorum, quibus orbem terrarum deſcripſit, videtur σώματα appellaſſe viros, mulieres, pueros, ſenes, & omnem deniq; ſexum atq; aetatem, quod nos a meliori parte, cum ex animo & corpore iuncti ſimus, vulgo nunc animas vocare conſueuimus, cum Aelium Catum Romanarum copiarum ſua tempeſtate ducem, narrat è regionibus vltra Danubium quinquaginta hominum milia in Getarum
» terram tranſportaſſe. verba ipſius haec ſunt. ἔτι γὰρ, ἐφ' ἡμῶν γοῦν, Αἴλιος Κάτος μετῴκισεν ἐκ τῆς πέ-
» ραν τοῦ Ἴστρου πέντε μυριάδας σωμάτων παρὰ Γέτας. Demades quoq;, niſi falſo illi oratio aſcribitur περὶ
» δωδεκαετίας, eodem ſenſu cepit, cum inquit, δισχιλίους γὰρ αἰχμαλώτους ἄνευ λύτρων, καὶ χίλια πολιτῶν
» σώματα χωρὶς κήρυκος, καὶ τὸν Ὠρωπὸν ἄνευ πρεσβείας λαβὼν ὑμῖν, ταῦτ' ἔγραψα. Conficit igitur hoc quoque vitam beatam, ex opinione eorum, qui eam in diuitijs poſitam putabant, & bono firmoq; ſtatu rerum, quas aliquis poſſideret.

Μετὰ δυνάμεως φυλακτικῆς τε, καὶ πρακτικῆς τούτων.

Iuncta cum vi & poteſtate tuendi ea, & gerendi.

HAEC verba declarant in hac definitione quaeſtum, & amplificationem patrimonij contineri: neceſſariam enim eſſe tradit vim ac facultatem quandam, quae haec tueatur ac comparet: quod ſi ſupra bonis explicatis ipſa adiungatur, hic ſtatus prorſus beatum hominem efficere credebatur.

Σχεδὸν γὰρ τι τούτων ἕν, ἢ πλείω, τὴν εὐδαιμονίαν ὁμολογοῦσιν εἶναι ἅπαντες.

Ferme enim aliquid horum, vnum, vel plura vitam beatam fatentur eſſe omnes.

HAEC ferme (inquit) ſunt, quae vitam beatam praeſtare vulgo putantur: ita enim locutus eſt, quia credi quoq; fortaſſe poſſet ab aliis, aliud quippiam id efficere. Oſtendit autem quoſdam etiam copulare quaedam horum ſolitos: nec ſeparata illa ponere. vt quod ſolum praeſtare non cenſerent, cum alio alijsue coniunctum, efficere non dubitarent. Quod veteres quoq; non nulli ſapientiae ſtudioſi in finibus, & ipſi bonorum quaerendis, faciebant: qui aut voluptatem ſiue indolentiam cum honeſtate coniungerent: aut ad honeſtatem prima naturae commoda applicarent.

Εἰ δή ἐστιν ἡ εὐδαιμονία τοιοῦτον, ἀνάγκη αὐτῆς εἶναι μέρη εὐγένειαν, πολυφιλίαν, χρηστοφιλίαν, πλοῦτον, εὐτεκνίαν, πολυτεκνίαν, εὐγηρίαν. Partes felicitatis

Si iam vita beata huiuſcemodi quiddam eſt, neceſſe eſt ipſius eſſe partes nobilitatem, multitudinem amicorum, nactum eſſe amicos probos, diuitias, probitatem filiorum, multitudinem filiorum, facilem ſenectutem.

SI beatitudo (inquit) huiuſcemodi quiddam eſt: vimq; ac naturam ipſius hanc eſſe firmum tenemus, neceſſe eſt partes ipſius hae ſint. enumerat autem bona, quae & in hominibus ipſis, & extra etiam poſita ſint: in ipſis enim vocat corporis & animi bona: ex animo enim & corpore conſtamus. primo autem enumerat nobilitatem, multitudinem amicorum, amicitiam proborum virorum, diuitias, probis filijs ornatum eſſe, vt etiam copia ipſorum abundare, & facilem ſenectutem: fortunae autem haec bona accepta referuntur.

Ἔτι τὰς τοῦ σώματος ἀρετάς. οἷον ὑγίειαν, κάλλος, ἰσχὺν, μέγεθος, δύναμιν ἀγωνιστικήν.

Adhuc autem virtutes corporis, ceu bonam valetudinem, pulchritudinem, vires, magnitudinem, firmitatem, aptam certaminibus.

PRAETEREA neceſſe eſt, corporis virtutes, partes eſſe vitae beatae: non parum enim ipſam adiuuant haec quoq; bona. appellat autem, bonam valetudinem, pulchritudinem, vires, magnitudinem corporis, robur, quale in gymnicis certaminibus requiritur.

Δόξαν, τιμὴν, εὐτυχίαν, ἀρετὴν, ἢ καὶ τὰ μέρη αὐτῆς: φρόνησιν, ἀνδρείαν, δικαιοσύνην, σωφροσύνην.

Gloriam, honorem, felicitatem, virtutem, vel etiam partes ipsius, prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam.

GLORIAM quoq; necesse est partem eius esse, honorẽ, eximiam praestantemq; fortunam. virtutem aut partes ipsius. extremum autem hunc locum expressit Cicero in libro de Inuentione: cum enim definisset virtutem inquit. Habet igitur partis quattuor, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam.

Οὕτω γὰρ ἂν αὐταρκέστατος εἴη, εἰ ὑπάρχοι αὐτῷ τά τ' ἐν αὐτῷ καὶ τὰ ἐκτὸς ἀγαθά: οὐ γάρ ἐστιν ἄλλα παρὰ ταῦτα.

Sic enim maxime contentus suis bonis esse poterit, si aderunt ipsi, quae in ipso posita sunt bona, & quae extra: non enim sunt alia, praeter haec.

CVM αὐτάρκειαν ζωῆς supra beatam vitam praestare ex opinione multorum dixerit, qui bona, quae enumerauit teneat, cum αὐταρκέστατος sit, ac nullius rei ad bene viuendum indigeat, illis ipsis beatus omnino videbitur: quid enim aliud ab homine optari, aut quid addi potest bonis, quae multa, maximaq; appellauit?

Ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ μὲν, τὰ περὶ ψυχὴν, καὶ τὰ ἐν σώματι: ἔξω δὲ εὐγένεια, καὶ φίλοι, καὶ χρήματα, καὶ τιμή.

Sunt autem in ipso animi & corporis bona: extra vero nobilitas & amici, & pecunia, & honos.

CVM, rebus, quae in homine ipso manent, & quae extra positae sunt, ornatum, maxime αὐτάρκη esse: contentumq; statu illo suo esse posse dixisset, quae hic, aut illic constitutae sunt, enumerat: affirmatq; in ipso esse, quae in animo: quaeq; in corpore sita sunt: extra autem, nobilitatem, amicos, pecuniam, & honorem. Idem Cicero in Partitionibus affirmauit, cuius haec sunt verba. Sed quoniam in tribus generibus bona malaue versantur, externis, corporis, & animi: & quae sequuntur.

Ἔτι δὲ προσήκειν οἰόμεθα δυνάμεις ὑπάρχειν καὶ τύχην: οὕτω γὰρ ἂν ἀσφαλέστατος ὁ βίος εἴη.

Adhuc autem arbitramur conuenire opes adesse, & fortunam: sic enim vita maxime tuta esse poterit.

PRAETEREA opes, ciuilemq; potentiam, nec non fortunam, magnopere requiri affirmat: quod sine opibus dignitatem, salutemq; suam non facile tueatur clarus ciuis: quemadmodum aduersante fortuna nullo negotio de gradu deijcitur, & eximia illa bona amittit. qui autem & opes habent, & a fortuna non destituuntur, satis tuto bonis suis fruuntur, ac perpetuam sibi illam felicitatem queunt polliceri. Non parum igitur hic fortunae tribuit, si sine illa, manere vitam beatam non putat: & sane, si quae supra tradidit, eam constituunt, aliter facere non potuit: in manu enim fortunae magna ex parte illa posita sunt. Quod si Theophrastus in libro de vita beata hoc idem fecit, ac multum admodum fortunae dedit, vt a Cicerone in v. libro de finibus, & in v. quaestione Tusculana declaratur, cur non idem faciat Aristoteles in his libris: quos ad opiniones eorum, qui oratorem audiunt, accommodat?

Λάβωμεν τοίνυν ὁμοίως καὶ τούτων ἕκαστον τί ἐστιν.

Sumamus igitur eodem pacto singula haec, quid sunt.

SVMAMVS igitur (inquit) quamlibet harum rerum, quae felicitatis partes sunt: quidnam ea sit, eodem pacto, quo felicitatis ipsius vim, naturamque sumpsimus. idest non exquisita via, sed pingui Minerua: nam quod λάβωμεν inquit, eodem quoq; supra vsus est: significare autem voluit non accurata, subtiliq; ratione in ea se vsurum.

Εὐγένεια μὲν οὖν ἐστιν, ἔθνει μὲν καὶ πόλει, τὸ αὐτόχθονας, ἢ ἀρχαίους εἶναι.

Nobilitas quid sit

Nobilitas igitur est, genti quidem & ciuitati, esse illos in ea terra natos, vel vetustam originem habere.

QVAE

QVAE supra nominibus tantum exposuerat, nunc, eorum naturam euoluens, repetit. Primam autem, vt illic quoq; fecerat, nobilitatem aggreditur: quam publice, priuatimq; cogitari posse tradit: communiter enim κοινῇ q; intellexit, cum inquit: nationi, ac ciuitati. quod etiam ex aduerbio, quod sequitur, ἰδίᾳ intelligitur: huic enim ipsi manifesto respondet. Illam igitur, in aliqua natione, ciuitateq; spectatam, esse inquit, si ipsi, aut illic nati sint, aut multis seculis ibi vixerint: qui enim sedes numquam mutarant, sed in illis locis, quos incolebant, orti erant, αὐτόχθονες a Graecis dicebantur: quam laudem consensu omnium scriptorum Athenienses obtinuerant. Hoc vnum autem verbum pluribus Cicero in oratione pro L. Flacco expressit, quum Atheniensium testimonium extolleret. Quae vetustate ea est, vt ipsa ex se se suos ciues genuisse dicatur. Populi igitur, nationesq;, quibus hoc datum erat, nobiles merito dicebantur. Aut qui vetustam (inquit) admodum originem habent: paucis enim id concessum fuit, vt retinere sedes, in quibus procreati sunt, potuerint: & non aliquando inde, impetu externae alicuius gentis, depulsi sint: vt auté testatur Demosthenes in oratione de ementita legatione, Atheniensibus solis & Arcadibus id datum erat: ita enim cum ciuibus suis de Arcadibus loquitur. μόνοι γὰρ ἁπάντων ὑμεῖς αὐτόχθονές ἐστε, κἀκεῖνοι.

Καὶ ἡγεμόνας τοὺς πρώτους ἐπιφανεῖς, καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς γεγονέναι ἐξ αὐτῶν ἐπὶ τοῖς ζηλουμένοις.

Et auctores ipsorum claros duces fuisse, nec non multos claros ex ipsis extitisse in rebus, quas homines admirantur.

ET qui vrbem eam condiderunt, atq; eius deniq; gentis ciuitatisq; duces extiterunt, illustres, & claros fuisse: aut multos postea, siue auctores ipsi clari, siue obscuri fuerunt, in ea insignes, clarosque viros propter honesta studia, ac facta, natos esse. Quod vero (inquit) ἐπὶ τοῖς ζηλουμένοις, quomodo exprimi eleganter possit, ostendit Cicero in iij. Tusculana. Nec siletur illud potentissimi regis anapaestum, qui laudat senem, & fortunatum esse dicit, quod inglorius sit: & quae sequuntur. Apud Euripidem autem Iphigenia Aulide sic loquitur Agamemnon. ζηλῶ σε γέρον, ζηλῶ δ' ἀνδρῶν, ὃς ἀκίνδυνον βίον ἐξεπέρασ', ἀγνὼς, ἀκλεής, cum idem significare vellet Aristoteles paulo post, inquit. ἢ ἄλλῳ τῷ τῶν τιμωμένων. In aliqua arte, quam admirantur, omnique honore dignam homines putant: in aliquo praeclaro studio, cuius omnes cupidi sunt: quodq; arbitrantur beatos efficere cunctos, qui id habeant: nam ζηλῶ σε γέρον, hanc vim habet, vt Agamemnon condicionem senis illius sua meliorem dicat: ac, si fieri possit, ostendat, se libenter cum eo viuendi sortem commutaturum: illum enim, beatum: se vero, miserum iudicabat.

Ἰδίᾳ δὲ εὐγένεια, ἢ ἀπ' ἀνδρῶν, ἢ ἀπὸ γυναικῶν, καὶ γνησιότης ἀπ' ἀμφοῖν.

Priuatim autem nobilitas, vel a viris, vel a mulieribus fuisse, si legitima copula ambo iuncti fuerint.

ILLIS, quae ciuitatem nobilem reddant, expositis (fuit autem id, κοινῇ, publiceq; nobilitatem conficientia tradere: quod etiam ex aduerbio hoc perspicitur) quae priuatim nobilitatem constituant, docet: nobilis autem familia est, in qua extiterunt, aut viri, aut mulieres illustres: acquiritur enim stirpi alicui claritas a mulieribus quoq; solis: a viris vero multo magis. γνησιότης vero simul ab vtrisq; parentibus: ambo enim concurrant oportet, ac legitimis nuptiis coniuncti sint, vt, qui inde gignuntur, bene nati, legitimiq; & ipsi habeantur.

Καὶ ὥσπερ ἐπὶ πόλεως τούς τε πρώτους γνωρίμους, ἢ ἐπ' ἀρετῇ, ἢ πλούτῳ, ἢ ἄλλῳ τῳ τῶν τιμωμένων: καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς ἐκ τοῦ γένους, καὶ ἄνδρας, καὶ γυναῖκας, καὶ νέους, καὶ πρεσβυτέρους.

Ac veluti in ciuitate, primos illos notos fuisse, siue ob virtutem, siue ob diuitias, siue ob aliam quampiam rem ex illis, quas mortales honorant: & multos claros ex ea familia extitisse, & viros, & mulieres, & adolescentes, & senes.

QVOD multum valet ad ciuitatem illustrandam, priuatae quoq; familiae laudem, ac dignitatem affert: nec parua pars haec est nobilitatis: auctores scilicet illius stirpis claros fuisse, si non tam eximijs factis, vt ductores illi populorum, at rebus non nullis honestis, vt virtute, diuitijs, aliaue quapiam re, quae in pretio apud homines sit: nec non in ea familia multos, & omnis generis & aetatis, illustres extitisse. Quod autem patrimonij amplitudinem nobilitatis partem esse vult, consentit his, quae alibi tradidit: in quarto enim quoque libro de republica, è veteribus

diuitijs virtuteq; nobilitatem constare affirmat: neque enim nuper partas ipsas, eam vim habere putat, vt tantam alicui familiae dignitatem afferre queant: atq; illam claram subito reddere. In quinto etiam nobiles videri inquit, qui maiores suos virtute praeditos, ac rem familiarem magnam habuerint.

Εὐτεκνία δὲ καὶ πολυτεκνία οὐκ ἄδηλα.

Filiorum autem probitas & multitudo obscura non sunt.

QVID εὐτεκνία & πολυτεκνία sit, notum omnibus inquit: nec in vi horum nominum explicanda laborare vllo modo oportet: praeterquam, quod singulis Latinis verbis exprimi non possunt, nobis quoq; si interpretari illa volumus, molestiam nullam exhibent: cui enim probi filij sunt, εὐτεκνία: cui multi, πολυτεκνία, adest.

Ἔστι δὲ τῷ κοινῷ μὲν εὐτεκνία, νεότης ἂν ᾖ πολλὴ, καὶ ἀγαθή.

Est autem communi alicui bona soboles, iuuentus si fuerit multa & bona.

HANC quoque beatae vitae partem diuidit publice, priuatimque. Κοινῷ autem, genti ac populo valet: vocabant enim κοινὸν θεσσαλῶν: κοινὸν ἀχαιῶν: & ita quoq; aliarum nationum, vt Cicero quoque commune Siciliae appellauit. Animaduertendum autem εὐτεκνίας nomine, contineri quoque multitudinem liberorum: neq; enim πολυτεκνίαν, vt infra, vbi de iisdem rebus in priuatis personis agit, adiungit. Hanc autem ciuitati esse, inquit, si multa bonaque iuuentus illi fuerit: quasi intelligi non possit in ciuitate εὐτεκνία, quae ornata non sit multitudine adolescentium: quamuis quos habet, probos beneque institutos habeat. Hoc eleganter significat Lucretius, cum cecinit. Hinc laetas vrbes pueris florere videmus.

Ἀγαθὴ δὲ κατ' ἀρετὴν σώματος. οἷον μέγεθος, κάλλος, ἰσχὺν, δύναμιν ἀγωνιστικήν.

Bona autem virtute corporis, qualis est magnitudo, pulchritudo, vires, robur aptum certaminibus.

ENVMERAT easdem corporis dotes, vna tantum relicta, quas supra appellauerat. Iuuentus è corporis bonis non parum etiam laudatur: in quibus pulchritudo ita magnam vim habet, vt prisci illi formosos reges sibi adoptare soliti sint: quod & Graeci, & Latini elegantes poëtae declarant. Sed hac etiam de causa formam merito honorari, quod virtutem significat, magni auctores tradunt.

Ψυχῆς δὲ, σωφροσύνη καὶ ἀνδρεία, νέου ἀρεταί.

Animi autem, temperantia, & fortitudo sunt adolescentis virtutes.

IN adolescentibus, quod ad animi bona pertinet, requiri dicit temperantiam & fortitudinem: hae namque virtutes & ipsis laudem afferunt, & prosunt etiam ciuitati. temperantia quanto rarior in ea aetate, tanto magis probatur: praestantia vero animi, cum eorum propria sit, multis malis liberat rempublicam, & saluti saepe vniuersis ciuibus est.

Ἰδίᾳ δὲ εὐτεκνία καὶ πολυτεκνία, τὸ τὰ ἴδια τέκνα πολλὰ, καὶ τοιαῦτα εἶναι, καὶ θήλεα, καὶ ἄρρενα.

Priuatim autem proba soboles, et multitudo filiorum, & suos propriosque filios multos esse, & tales, & feminas, & mares.

NON tantopere in priuatis hominibus multitudo liberorum requiritur: quiq; paucos bene moratos haberet, ille priore harum dotum ornatus foret. quare addidit hic πολυτεκνίαν: eos autem cumulatos esse ambabus dicit, cui & multi liberi, & huiuscemodi sint: quales scilicet supra descripsit, cum de ijsdem publice disseruit. Addidit autem, vt mares, ita etiam feminas.

Θηλειῶν δὲ ἀρετὴ, σώματος μὲν, κάλλος καὶ μέγεθος: ψυχῆς δὲ, σωφροσύνη καὶ φιλεργία, ἄνευ ἀνελευθερίας: ὁμοίως δὲ καὶ ἰδίᾳ, καὶ κοινῇ, καὶ κατ' ἄνδρας, καὶ κατὰ γυναῖκας δεῖ ζητεῖν ἕκαστον ὑπάρχειν τῶν τοιούτων.

Feminarum autem virtus, corporis quidem, pulchritudo & magnitudo: animi vero, temperantia, & studium suorum operum, vacuum tamen a sordibus. similiter autem & priuatim & publice, & in viris & in mulieribus operam dare oportet, vt sint singulae res hae.

Nvnc

NVNC proprias feminarum virtutes narrat, quas etiam communiter, priuatimque spectari dicit. In corporis autem, & animi bona ipsas diuidit. corporis virtutem esse inquit in muliebri genere, pulchritudinem, & magnitudinem: animi vero, quam in adolescentibus etiam commendarat, temperantiam, ac sedulitatem, studiumque suorum operum: sic enim nunc voco φιλεργίαν. ita tamen ne in sordes, & illiberalitatem incidant, quod nimis abiectis ministerijs deditae sint: aut maius studium, quam oporteat, in minutis operibus ponant.

Ὅσοις γὰρ τὰ κατὰ γυναῖκας φαῦλα, ὥσπερ Λακεδαιμονίοις, σχεδὸν κατὰ τὸ ἥμισυ οὐκ εὐδαιμονοῦσι.

Quibuscunque enim instituta feminarum culpae affinia sunt, veluti Lacedaemonijs, ferme dimidia ex parte carent vita beata.

IMPVDICAS mulieres posse virorum etiam vitam beatam corrumpere tradit: libereque accusat Spartiatas, qui hanc totam rem parui faciebant, ipsosq; se dicit stultitia sua dimidio vitae beatae orbare, qui hac parte maxime laborarent. idem etiam facit in ij. libro de rep. Copiose autem illic disserit, subductis rationibus, quot, quantaque detrimenta afferat ciuitatibus licentia mulierum, & quam vtile sit eas seueris legibus coërcere, affirmans ciuitatem illam, quae cum ipsis remisse, indulgenterq; agat, ex dimidia parte legibus vacare: vt virum, qui intemperantem coniugem nactus sit, dimidiatam tantum beatitudinem degustare posse: quae tamen fortis, grauisq; auctor reprehendit, lasciuus poeta, & qui has delicias, amoresq; toto pectore sequebatur, laudat atque admiratur: cum cecinit.

"Multa tuae Sparte miramur iura palestrae,
"Sed mage virginei tot bona gymnasij:

& quae sequuntur, intemperantiae, dedecorisque plena.

Πλούτου δὲ μέρη, νομίσματα, πλῆθος γῆς, χωρίων κτήσεις.

Diuitiarum autem partes sunt pecuniae, copia telluris, praediorum possessiones.

QVAE patrimonium constituunt, appellat: eadem autem in ij. de republica nominat: quo loco Lycurgum accusat, qui cum patrimonium par omnibus esse vellet, agrorum tantum possessiones aequarat: reliquas patrimonij partes impares, inaequalesq; reliquerat. Cum multis modis dissentire hic antiquissimum librum a ceteris & excusis, & scriptis viderim, nihil tamen immutaui. Ipsa igitur nunc indicabo: generandi namque casu ille habet νομίσματος, qui casus a sequenti voce regitur: κτῆσις vero numero vnitatis & hic, & paulo etiam infra: nam quod hic quoque nulla varietate leguntur in eo verba, quae semel tantum; infra scilicet, excusi habent, puto negligentia librarij commissum esse: intelligo autem πλήθει καὶ μεγέθει, καὶ κάλλει διαφερόντων. In omnibus sane his varietatibus praebet se illi comitem vetus tralatio.

Ἔτι δὲ ἐπίπλων κτήσεις.

Praeterea supellectilium possessiones.

QVAE in re familiari ἔπιπλα sint, notum est: ita enim ornatum domus atque vtensilia, quod quasi enatent, appellarunt: in intestinis autem corporis nostri partibus ἐπίπλουν pinguis, ac tenuis membrana est, quae omentum a Latinis dicitur. id etiam confirmat Athenaeus lib. iij. δειπν. cum de cibario eo (vt opinor) loqueretur, quod nobis quoque in vsu est. & a iecore e quo conficitur, nunc appellatur. Verba ipsius haec sunt. ἑξῆς εἰσεκομίσθη τὰ χηνισὰ ἥπατα, περιειλημμένα τῷ καλουμένῳ ἐπίπλῳ, ὃν Φιλέταιρος ἐν Τηρεῖ, ἐπίπλοον εἴρηκεν. Tegebant igitur epiplo hoc, vt nos quoq; facimus, iecur veteres, quamuis diuersam coquendi rationem haberent, vt ex hoc loco intelligitur.

Καὶ βοσκημάτων καὶ ἀνδραπόδων, πλήθει καὶ μεγέθει, καὶ κάλλει διαφερόντων.

Et pecorum, & mancipiorum, numero & magnitudine, & pulchritudine praestantium.

DIVITIARVM quoq; partes esse tradit & pecudum & mancipiorum possessionem: praesertim si & illa quoq; his dotibus cumulata sint, vt ijsdem rebus ab alijs possessis, multitudine & magnitudine & pulchritudine, excellant.

Ταῦτα δὲ πάντα καὶ ἀσφαλῆ καὶ ἐλευθέρια καὶ χρήσιμα.

Cuncta autē haec soluta a periculo omni & liberalia, & quae seruiant multis vsibus.

BONA

BONA (inquit) haec atque praedia, tria habent, quibus placere possint, caraque haberi: aut enim certa sunt & omni periculo vacua, aut oblectare valde possunt, aut vtilitatem fructumque praebere.

Ἔστι δὲ χρήσιμα μὲν μᾶλλον, τὰ κάρπιμα: ἐλευθέρια δὲ, τὰ πρὸς ἀπόλαυσιν.

Valent autem ad multas res magis, quae fructuosa sunt: liberalia vero, quae ad voluptates inde decerpendas.

QVAE dotem hanc aut illam habeant, exponit: contrariumque in illis explicandis ordinem sequitur: extrema namque prius aggreditur. quae κάρπιμα ipse vocat, fructuosa videtur appellasse Cicero in oratione pro Sex. Roscio. Praedia pulchra & fructuosa. χρήσιμα igitur potius vocari debent, quae fructus magnos ferunt, quam quae alia vlla re commendantur, quamuis ex illis quoq; fructus aliquis capiatur. ἐλευθέρια autem, quasi libero ingenuoq; homine digna, quae animi voluptatisq; causa possidentur.

Κάρπιμα δὲ λέγω, ἀφ' ὧν αἱ πρόσοδοι: ἀπολαυστικὰ δὲ, ἀφ' ὧν μηδὲν παρὰ τὴν χρῆσιν γίγνεται, ὅ,τι καὶ ἄξιον.

Fructuosa autem dico, vnde vectigalia: voluptuaria vero, vnde praeter vsum nihil capitur, quod quidem pretij alicuius sit.

DECLARAT vim verborum, quibus in superioribus explicandis vsus fuerat: κάρπιμα q; se vocare docet praedia, vnde prouentus, vectigaliaq; capiuntur: ἀπολαυστικὰ autem (ita enim nunc appellat, quae paulo ante τὰ πρὸς ἀπόλαυσιν) idest quae oblectationis causa comparantur, esse inquit, è quibus nihil praeter vsum capitur, quod pretio aliquo dignum sit, fructusq; vere appellari debeat. Sic etiam locutus est in ij. libro πολιτικῶν, cum de republica Carthaginiensium disputaret, & ab intestinis malis vacuam eam fuisse diceret. καὶ μήτε στάσιν, ὅ,τι καὶ ἄξιον εἰπεῖν, γεγενῆσθαι. nec seditionem vllam illic factam, quae digna relatu sit.

Ὅρος δὲ, ἀσφαλείας μὲν, τὸ ἐνταῦθα καὶ οὕτω κεκτῆσθαι, ὥστ' ἐφ' αὐτῷ εἶναι τὴν χρῆσιν αὐτῶν.

Finis autem eius, quod diximus, tuto quidem ipsa possideri, in his posita locis esse, & ita ipsa possideri, vt in semetipso sit vsus eorum.

CVIVSMODI sint, quae supra ἀσφαλῆ vocarat, aperit: finemque & quasi normam esse inquit, vt firma, ab omnique periculo vacua praedia dici possint, ijs in locis: atq; ita ea possidere, vt vsus ipsorum in domini manu sit: duo namque sunt, quae ἀσφαλῆ praestant: locus & dominij ratio: tunc enim in tuto sunt, cum & eo accedere, atque illinc fructus asportare in tua potestate positum est. plura autem sunt, quae vsum praedij turbare possunt, & praedones, & alij, qui iuris aliquid in illis habeant.

Τοῦ τε οἰκεῖον εἶναι ἢ μὴ, ὅταν ἐφ' αὐτῷ ᾖ ἀπαλλοτριῶσαι. λέγω δὲ ἀπαλλοτρίωσιν, δόσιν καὶ πρᾶσιν.

Quod suum sit propriumque, quando in se ipso positum fuerit alienare ipsa. dico autem alienationem, largitionem, ac venditionem.

INTERPRETATVR hic quoq; sensum verborum, quae, in explananda vi ἀσφαλοῦς, vsurparat: quamuis enim hoc ipso nomine illic vsus non fuerit, ea tamen, quae idem valerent, vsurpauit: quod enim dixerat ἐφ' αὐτῷ εἶναι τὴν χρῆσιν, significat οἰκεῖον. E superiore autem loco ὅρος huc etiam transferri debet: non minus enim huius partis, quã illius propria haec vox est. intelligitur autem (inquit) suũ propriumq; alicuius esse, cum in ipsius manu positum est id alienare: ἀπαλλοτριῶσαι enim verbum è verbo, alienare significat. Cicero quoque sic locutus est, in libro vj. in Verrem. Nam turpitudinem summam esse arbitrantur, referri in litteras publicas, pretio adductam ciuitatem, & pretio paruo, ea quae accepisset a maioribus, vendidisse atq; alienasse: ἀπαλλοτριῶσαι tamen hic, quod tuum erat, voluntate tua alterius factum esse, significat: quod non venditione solum, vt ipse declarat, sed largitione quoq; fit.

Ὅλως δὲ τὸ πλουτεῖν ἐστὶν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι: καὶ γὰρ ἡ ἐνέργειά ἐστι τῶν τοιούτων καὶ ἡ χρῆσις, πλοῦτος.

Omnino

Omnino autem diuitem esse in vsu potius, quam in possessione manet: actus enim huiuscemodi rerum est, & vsus ipse diuitiae sunt.

AD summam inquit, diuitem quempiam esse in vsu magis, quam in possessu horum bonorum constitutum est: huiuscemodi enim rerum actus spectatur: & vsus sane ipse, diuitiae sunt. Scripti tamen non nulli κτῆσις habent: cui fortasse lectioni ita locus esse potest. vt hic sensus huius loci sit: quamuis vere tradiderimus diuitem quempiam esse, potius cognosci, si amplitudine fortunarum suarum ille vtatur, quam si immensam vim auri possideat, tamen negare non possumus, quin diuitiae etiam sint, lautum habere patrimonium, ac possessio ipsa, absq; vllo vsu. Nec tamen non receptam lectionem magis probo, quam multis antea seculis in quibusdam libris, haesisse indicio veteris tralationis cognoscimus: in qua, vsus, legitur: sed in antiquissimo quoq; omnium libro χρῆσις scriptum offendi. Erit igitur χρῆσις, quasi superioris illius vocis ἐνέργεια, declaratio: vt dixerit: diuitiae, si vere loqui volumus, in vsu intelliguntur: actus enim huiuscemodi rerum spectatur: qui nihil aliud est, nisi vsus: qui enim vtitur pecunia, ceterisq; bonis, is eo munere fungitur, cui illa inuenta sunt: vnde infra inquit, diuitias esse ἀρετὴν κτήσεως: qui namq; illis vti didicit, is prorsus, vereq; diues vocatur. Acuti ingenij vir, sed iniustus, ac ciuibus suis inutilis, Dionysius Syracusanus, hanc esse pecuniae virtutem, & ipse intelligebat: quare id quandoque fecisse memoratur, quod si improbum primo existimatum est, postea bene cognitum, reprehendi omnino non potest: cum enim ille ciuem suum grande pondus auri defossum habere audisset, iussit ad se illud comportare: pusillum tamen eius retinuit dominus, & in alias terras profectus, agellum emit. quo audito Dionysius ad se hominem accersiuit, ac totum aurum illi rependit: iussitq; auferre: cum diuitijs vti coepisset, nec vt antea, quod vsibus hominum inuentum erat, ab vsu remoueret: extrema haec pars breuius, ac melius Graecis his verbis exponitur: quibus sententiam eam expressit Plutarchus, in apophthegmasin hoc Dionysij factum commemorans. κεχρημένον τῷ πλούτῳ, καὶ μηκέτι ποιοῦντα τὸ χρήσιμον, ἄχρηστον.

Εὐδοξία δ' ἐστὶ, τὸ ὑπὸ πάντων σπουδαῖον ὑπολαμβάνεσθαι, ἢ τοιοῦτόν τι ἔχειν, οὗ πάντες ἐφίενται, ἢ οἱ πολλοὶ, ἢ οἱ ἀγαθοὶ, ἢ οἱ φρόνιμοι.

Bona existimatio est a cunctis hominibus virtute praeditum existimari, vel huiuscemodi quiddam tenere, quod omnes appetunt, vel multi, vel probi viri, vel prudentes.

DE bonis nunc alijs extra hominem positis, & ipsis vitam beatam constituentibus, agit: illa vero sunt, bona hominum de te opinio, & honor. εὐδοξίαν autem prius definit. nec tamen hanc supra hoc nomine appellarat, sed δόξαν, quasi gloriam. bona (inquit) existimatio est studiosum virtutis virum ab omnibus haberi: aut huiuscemodi quippiam bonum in se habere, possidereue, cuius omnes homines appetentes sunt, aut multi, aut boni viri, aut prudentes.

Τιμὴ δὲ, ἐστι μὲν σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης.

Honos autem est indicium opinionis de aliquo, quod pronus ad homines iuuandos sit.

HONORIS naturam exprimit: in cuius definitione, quid δόξα valeat (est enim anceps verbum) quaerendum, gloriamne, an opinionem: & vtrum hic sensus huius partis sit. honor est signum gloriae, comparatae ex multis magnisq; beneficijs in alios collatis: an hic est indicium opinionis, quam habent de benefica eius, quem honorant, natura, qui eum ei tribuunt. In antiquissimo vero libro, non δόξης, sed εὐδοξίας legitur: cuius scripturae vestigium alibi non repperi.

Τιμῶνται δὲ, δικαίως μὲν καὶ μάλιστα, οἱ εὐεργετηκότες, οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος εὐεργετεῖν.

Honorantur autem, iure bono quidem & maxime, qui iam beneficia contulerunt: mos est tamen honorare illum etiam, qui vim habet, ac potestatem beneficia conferendi.

QVIBVS honor tribuatur, & ob quae beneficia, declarat. Hi (inquit) optimo iure, ac supra alios honorantur, qui iam beneficijs affecerunt, sed hominum consuetudo solet etiam eos honorare, qui facultatem habent in alios commoda conferendi: neq; tamen hi aut tam merito, aut tantopere honorantur: verus enim honor est compensatio egregiorum commodorum: alter vero hic, tamquam expectatio quaedam & inuitamentum eorum. quare iustior ille est, & quia ex animo, intimisq; sensibus proficiscitur, maior: non pauci enim opibus praediti, facultateq; admirabili alios adiuuandi, cum huiuscemodi nihil gerant, sine causa coluntur. Hoc quoque

vidit

vidit Cicero: in epistola quadam ad Plancum, cum hominem consolaretur: excitaretq; ad rem-
» publicam in bello fortiter adiuuandam, his verbis expressit. Is enim deniq; honos mihi vide-
» ri solet, qui, non propter spem futuri beneficij, sed propter magna merita claris viris defertur,
» & datur.

Εὐεργεσία δὲ, ἢ εἰς σωτηρίαν: καὶ ὅσα αἴτια τοῦ εἶν, ἢ εἰς πλοῦτον, ἢ εἰς τι τῶν ἄλλων ἀγαθῶν: ὧν μὴ ῥᾳδία ἡ κτῆσις.

Beneficium autem est, siue in salutem dandam, & quaecunq; alia causa sunt tuendi statum alicuius, siue in diuitias, siue in aliud quippiam eorum bonorum, quorum comparatio non sit facilis.

EA autem beneficia honore dignantur, quae aut ad salutem faciunt: vitamq; hominum conseruant ac tuentur: quaeq; demum causa nobis sint, quod spiritum ducamus: aut ea etiam, quae ad domesticas egestates subleuandas pertinent, suppeditando nobis: aut aliquo eorum bonorum tribuendo, quae aegre comparantur.

Ἢ ὅλως, ἢ ἐνταῦθα, ἢ ποτέ: πολλοὶ γὰρ διὰ μικρὰ δοκοῦντα, τιμῆς τυγχάνουσιν, ἀλλ' οἱ τρόποι καὶ οἱ καιροὶ αἴτιοι.

Vel omnino, vel hic, vel aliquando: multi enim propter non nulla, quae parua putantur, honorem consecuntur, sed modi, temporaque causa sunt.

QVAE non sine multo labore parantur, in alios collata, pro beneficio sumuntur: siue illa huiuscemodi sua vi sunt: siue locus tempusq; facit, vt cara habeantur: quod aegre acquiri, aut temporibus illis, aut locis possint. & haec causa est (inquit) cur multi ob ea, quae pusilla existimantur, amplissimos honores consecuti sunt: quae enim nunc vilia habentur, tunc magni aestimabantur: & modi deniq; rationesq;, quibus illa tractata sunt, occasionesq; praeclarae ipsos adiuuerunt. Non sine causa autem suspicaretur aliquis hic pro τρόποι, legi debere τόποι: nam & similes valde voces sunt, & nunc rationem reddit eorum, quae supra dixit. significauit autem locum ac tempus dicendo ἢ ἐνταῦθα, ἢ ποτέ. infra quoq;, vbi tradit locos maioris alicuius rei ostendendae, coniungit locum ac tempus: ait enim καὶ οἱ τόποι, καὶ οἱ χρόνοι, καὶ αἱ δυνάμεις. nihil tamen varietatis inueni in libris calamo scriptis: vetus quoq; tralatio exprimit peruulgatam lectionẽ.

Μέρη δὲ τιμῆς, θυσίαι, μνῆμαι ἐν μέτροις, καὶ ἄνευ μέτρων, γέρα, τεμένη, προεδρίαι, τάφοι, εἰκόνες, τροφαὶ δημόσιαι.

Partes autem honoris sunt, diuini honores, mortali instituti, monimenta vel versibus, vel sine versibus, munera, partes agrorũ consecratae, sedes honestiores, sepulchra, imagines, cibaria publica.

VT diuitiarum partes supra, membraq; ostenderat, ita nunc, quae honoris sint, exponit: multae namque, variaeq; rationes honorandi claros, ac fortes viros inuentae sunt: quod autem θυσίας primas ponit, diuinos etiam honores ijs, a quibus praeclara beneficia acceperant, veteres concedere solebant: atq; ijs victimas mactabant. Verba Plutarchi sunt in T. Flaminio expo-
» nentis quot, quantiq; honores illi a Graecia habiti sint. καὶ θύουσιν τις αὐτῷ σπονδῶν γενομένων, ἄδουσι
» παιᾶνα. & quae sequuntur. Thucydides quoq; in v. libro historiarum, narrans Amphipolitas maximis honoribus mortuum Brasidam Lacedaemonium affecisse, tradit eos etiam ipsi instituisse ἡρωϊκὰς θυσίας: idest vt illi, tanquam heroi, hostiae imolarentur. quod tetigit etiam in v. libro de moribus ad Nicomachum philosophus. carminibus etiam morem fuisse celebrari claros viros, notum est: nec non laudationibus soluta oratione confectis. vt Euagoras est Isocratis: vt Agesilaus Xenophontis. Paene cuncta haec collegit Cicero, aut meliorem illorum partem, in oratione pro Milone, vbi de honoribus, qui haberentur in Graecia tyrannicidis, disputauit: γέρα, honores certos appellari notum est, quibus item, vt fanis, viui, mortuiq; antiquitus afficiebantur. ipse eodem hoc verbo vsus est in v. libro de moribus, vbi docet rectorem ciuitatis, cum ob iustitiam nihil in priuatam domum seuocet, debere praemio, atq; honore ali-
» quo a ciuibus decorari: μισθὸς τις ἄρα δοτέος. τοῦτο δὲ τιμὴ, καὶ γέρας. Τεμένη agros prisci illi vocabant, regibus suis dicatos, & fortissimis viris: a quibus amplissima beneficia accepissent. Aristopha-
» ne [illegible], ita videtur sacellum vocasse, cũ inquit ἰέναι πρὸς τὸ τέμενος ἡμῖν τοῦ θεοῦ. quae sequuntur vias, rationesq; optimos, ac clarissimos homines decorandi, notae vsitataeque sunt, vt superiore honestioreq; loco cuipiam in sedendo cedere (quod προεδρία dicitur) sepulchra, imagines, ci-

baria è publico. Athenienses autem maxime consuesse cotidianum victum praebere in Prytaneo ijs, qui rempublicam eorum fortiter armis defendissent, planum est. quos ipsos παράσιτοι appellabant: neq; enim hoc tantum nomine impuros quosdam homines vocabant, qui ventri dediti, alienas mensas colunt, sed hos etiam, quos ob praeclara in ipsos merita publice alebant.

Τὰ βαρβαρικά, οἷον προσκυνήσεις, καὶ ἐκστάσεις.

E consuetudine barbararum gentium, ceu venerari viuos, tamquam deos, & declinare aspectum aliquorum.

HVMANIORIBVS rationibus traditis, quibus benefactores suos, ceterosq; claros viros prisci honorabant, ritus barbararum gentium exponit: hae namque diuersa ab ingenio Graecorum instituta, in hac re sequebantur, ac proprios deorum honores potentissimis hominibus concedebant. quod vero inquit προσκυνήσεις, quasi venerationes, habitumq; adorantis, hoc cultu vti solitos fuisse Persas erga reges suos, notum est. Eum autem, illis deuictis, Alexander Macedo sibi adoptauit: quae res non parum animos fortissimor militum illi alienauit: & Callistheni, comiti ipsius, docto homini, ac magni spiritus viro, qui hanc ignominiam declinare perstitit, causa interitus fuit. Assurgere autem maioribus natu, atq; ijs, qui insigni aliqua virtute praediti sunt, & Graecum, & humanum esse, testimonio etiam ipsius probari potest: In nono enim » libro de moribus inquit. καὶ παντὶ δὲ τῷ πρεσβυτέρῳ τιμὴν τὴν καθ' ἡλικίαν, ὑπαναστάσει, καὶ κατακλίσει, » καὶ τοῖς τοιούτοις. Xenophon quoq; in Hierone ita induxit Simonidem loquentem, cum tyrannos » beatos praedicaret ob eximios honores, quos ipsis tribuunt priuati. ὑπανίστανται δὲ ἀπὸ τῶν θάκων. nam rerum R. auctores tradunt, Syllam Gn. Magnum ita quoq; honorare solitum. Apud No» nium haec Sallustij verba leguntur è v. libro historiarum. Qua de causa Syllam in victoria di» ctatorem sibi equo descendere, surgere de sella, caput aperire solitum: ὑπανίστασθαι enim surgere de sella dixit. ἐκστασιν vero barbarum, & inhumanum esse Aristoteles affirmat. Intelligit igitur morem Persarum, quem nunc etiam fera & immanis natio Turcarum in rege colendo seruat: Persae enim & venerari reges suos consuerant, & quasi conspectum illorum, vt numinis alicuius ferre non possent, se longe ab illis proripiebant. Quod indicauit Plutarchus in Artoxerxe, vbi narrat Cyrum ipsius fratrem, superioribus iam suis, cum ab equo in medios hostes foret asportatus, victoria elatum, plenumq; animi, ac spiritus viam sibi per illos fecisse, clamantem suo sermone, ἐξίστασθε πενιχροί: idest vilis & abiecta gens facessite. quod cum ille saepius vociferaretur, eos, vt regi iam paruisse ostendens, addidit. οἱ μὲν ἐξίσταντο προσκυνοῦντες. Ab eo i gitur verbo hoc nomen ductum est, & consuetudinem illam barbaram refert.

Δῶρα, τὰ παρ' ἑκάστοις τίμια.

Dona, quae apud singulos magni aestimantur.

MVNERA etiam, quae apud singulas gentes in pretio sunt, honorem afferunt: redit enim nunc ad ritus Graecorum. saepe autem res tenues, minutaeq; magni aestimantur: quia virtutis indicium apud aliquos sunt. vt oleaster in veteris Graeciae certaminibus: & coronae, quae Romanis militibus fortitudinis ergo dabantur: de quo etiam Flaccus in posteriore epistola ad Iulium » Florum. Clarus ob id factum, donis ornatur honestis.

Καὶ γὰρ τὸ δῶρόν ἐστι κτήματος δόσις, καὶ τιμῆς σημεῖον.

Donum enim carum est, & quia largitio est, quae rem auget: & quia honoris indicium est.

IN muneribus plerunque vtrumque bonum est: vtilitas scilicet, ac dignitas: rem enim illa augent, & personam etiam honestant. munus ab eo, qui muneratur, proficiscens, secum fert aliquid commodi: & signum honoris est: declaratque eum, qui benigne facit, honore dignum iudicare, cui donum dat. hoc valere arbitror, quod inquit, est rei familiaris auctio, & honoris nota.

Διὸ καὶ οἱ φιλοχρήματοι, καὶ οἱ φιλότιμοι ἐφίενται αὐτῶν: ἀμφοτέροις γὰρ ἔχει, ὧν δέονται: καὶ γὰρ κτῆμά ἐστιν, οὗ ἐφίενται οἱ φιλοχρήματοι: καὶ τιμὴν ἔχει, οὗ οἱ φιλότιμοι.

Quapropter & cupidi pecuniae, & cupidi honoris appetunt ipsa: habet enim in se donum, quo ambo egent: fit enim pars rei familiaris, quod appetunt auari: & honorem in se continet, quod concupiscunt ambitiosi.

HINC

Hinc (inquit) fit, quod ijs, qui causam ignorarent, admirationis aliquid gigneret : vt duo, maxime inter se diuersa hominum genera, munerum auida sint : & pecuniae, & laudis appetentes: ambo enim illic inueniunt, quod petunt : est enim in illis vtilitas, quam auari expetunt : & honor, cuius ambitiosi homines studiosi sunt. quod nisi reperiretur illic fructus aliquis, despicerent donum auari homines : qui pecuniam tantum , & quae emolumentum afferunt , admirantur : cum autem eos quoq; laetari muneribus videamus , perspicuum est hoc etiam boni in illis esse .

Σώματος δὲ ἀρετὴ, ὑγίεια : αὕτη δὲ οὕτως, ὥστε ἀνόσους εἶναι, χρωμένους τοῖς σώμασι.

Corporis autem virtus bona valetudo : haec autem ita, vt sine morbo sint, non penitus parcentes corporibus .

Corporis virtus (inquit) valetudo est: quae tamen ita accipienda est, vt valentes eos dicamus, qui corporis muneribus funguntur : neq; enim vacuum esse a morbo satis est, vt aliquis valere dicatur, nisi corpus tractare possit.

Πολλοὶ γὰρ ὑγιαίνουσιν, ὥσπερ Ἡρόδικος λέγεται: οὓς οὐδεὶς ἂν εὐδαιμονίσειε τῆς ὑγιείας, διὰ τὸ πάντων ἀπέχεσθαι τῶν ἀνθρωπίνων, ἢ τῶν πλείστων.

Multi namque valent, quemadmodum Herodicus fertur , quos nemo vmquam beatos putaret ob talem valetudinem, quia ab omnibus sibi temperant humanis officijs, aut saltem plurimis .

Mvlti enim (inquit) sano corpore sunt, quos tamen nemo ob sanitatem illam beatos vmquam iudicaret, quod ab omnibus humanis voluptatibus, actionibusq; aut maiore illarum parte se, vt infirmam illam valetudinem tueantur, abstinent : quo in numero fertur esse Herodicus. nos autem, quasi loquitur, valetudinis genus illud hic quaerimus, quod beatam vitam, vt pars eius, reddit. Quam infirmo autem corpore fuerit Herodicus Selymbrianus, & quo cultu tam imbecillam valetudinem tueri solitus sit , exponit Plato in iij. lib. de rep. Sed etiam in Phaedro de cotidianis, magnisq; ipsius deambulationibus meminit. Idem facit Plutarchus in commentario de sera deorum in improbos non nullos animaduersione : qui tamen & sententiam, & verba a Platone accepit.

Κάλλος δὲ ἕτερον καθ' ἑκάστην ἡλικίαν ἐστί.

Pulchritudo longe alia est in singulis aetatibus .

Pvlchritvdo, quamuis certam quandam naturam habeat, & a sapientibus viris verbis exprimatur, tamen non eadem est in omni aetate, sed diuersa : alia enim requiruntur, vt adolescens formosus dicatur ; alia, vt senex, aut in media aetate vigentiq; constitutus . quae omnia accurate describit.

Νέου μὲν οὖν κάλλος, τὸ πρὸς τοὺς πόνους χρήσιμον ἔχειν τὸ σῶμα : τούς τε πρὸς δρόμον καὶ πρὸς βίαν : ἡδὺν ὄντα ἰδεῖν πρὸς ἀπόλαυσιν.

Adolescentis igitur pulchritudo est , ad labores accommodatum corpus habere , & qui in cursu, & qui in vi adferenda sustinentur, si sit idem iucundus visu, pariatque spectantibus voluptatem .

Qvae adolescentis pulchritudo sit, docet : ac quae ad eam explendam requirantur. Oportet igitur habere corpus ad labores sustinendos factum . labores autem , qui in cursu, aut in vi adhibenda , excipiuntur : si enim ipse defatigatione membrorum non deficit, & alium prosternere, & quasi de statu deijcere potest, nihil quod ad hanc partem pertineat, amplius in eo desideratur : suauitatem tamen in se quandam habeat necesse est : quae spectantes capiat , ac voluptate perfundat . Vereri non sine causa posset aliquis, ne quid obsceni extremis his verbis significarit : intellexeritq; qui aspectu iucundus sit, ac forma ita oblectet, vt libidini sit idoneus: his enim amoribus , ac delicijs valde dediti erant Graeci, honesti etiam ac docti viri : vt Cicero quoq; in iiij. quaestione Tusculana ostendit, leuiter Socraticos perstringens . In v. etiam inquit, de
» Dionysio Syracusanorum tyranno, loquens . Habebat etiam, more Graeciae, quosdam adole-
» scentes amore coniunctos . Non otiosum autem hic est totum hoc, πρὸς ἀπόλαυσιν : in media enim quoq; aetate constituti, ac formosi, vt ipse infra declarat, iucundi sunt : inest tamen in illorum

lorum vultu ferocia quaedam, quae terribilis eſt, ac ſpectantibus paene metum incutit, nedum turpia deſideria excitet. πρὸς ἀπόλαυσιν vero corporis voluptates ſignificare, his etiam teſtimonijs confirmatur. Plutarchus in ſermone, quem habitum facit ab eruditis viris contra Epicureum, de ſera in facinoroſos quoſdam deorum animaduerſione, cum de perdito homine, turpibusq; voluptatibus, atque auaritia inquinato, loqueretur, inquit. οὐδενὸς οὖν ἀπεχόμενος αἰσχροῦ, φέροντος εἰς ἀπόλαυσιν ἢ κέρδος. Epicuri haec etiam verba leguntur apud Laertium, accuſantis imperitos, qui crederent corporis voluptates poſſe conficere vitam beatam. οὐ γὰρ πότοι καὶ κῶμοι συνείροντες, οὐδ' ἀπολαύσεις παίδων καὶ γυναικῶν, οὐδ' ἰχθύων καὶ τῶν ἄλλων, & quae ſequuntur. De fructu tamen quoq;, ac voluptate, quae percipitur è rebus honeſtis hoc verbum vſurpatur. vt ipſe in viij. lib. de rep. vbi de arte muſica: eiuſq; oblectatione diſſerit. τί δεῖ μανθάνειν αὐτοὺς, ἀλλ' οὐχ ἑτέρων χρωμένων ἀπολαύειν. Nec non Iſocrates in libro ad Philippum, cum vetera beneficia Athenienſium erga poſteros Herculis exponeret. διὰ γὰρ ἡμᾶς καὶ ζῶσι, καὶ τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν ἀπολαύουσι. Plutarchus in eodem commentario, vnde paulo ante exemplum ſumpſi, ita locutus eſt. de commodis, quae mortales a dijs capiunt, agens. οὐ γάρ ἐστιν ὅτι μεῖζον ἄνθρωπος ἀπολαύειν θεοῦ πέφυκεν. & quae ſequuntur: vt intelligi omnino hic debeat, ſuauitas, quae percipitur oculis ex aſpectu formae ipſorum elegantioris. Valet etiam ad hoc declarandum, quod παῖδας, quos ita amarent: ſiue παιδικὰ vocare, non νέους ſolebant.

Διὸ οἱ πένταθλοι, κάλλιστοι: ὅτι πρὸς βίαν καὶ πρὸς τάχος ἅμα πεφύκασιν.

Vnde & pentathli pulcherrimi ſunt, quia & ad vim & ad celeritatem ſimul facti ſunt.

CONFIRMAT hoc, quod ſupra dixerat, adoleſcentem formoſum eſſe, qui corpus accomodatum habeat ad labores, qui in curſu exercendo & viribus alienis ſuperandis, ſuſtinentur: videmus enim (inquit) pentathlos (ita autem vocabantur, qui è quinq; certaminibus victoriam praemiumq; reportaſſent) formoſiſſimos eſſe. Requirebantur autem, vt victor ex omnibus illis aliquis diſcedere poſſet, & velocitas, & robur. De Pentathlo, & Plautus, & Sex. Pompeius meminerunt, & plures etiam Graeci ſcriptores. tradunt quoq; Democritum Abderitam μεταφορικῶς ita appellatum, quod numerum eundem praeclariſſimarum diſciplinarum confeciſſet.

Ἀκμάζοντος δὲ, πρὸς μὲν πόνους τοὺς πολεμικούς: ἡδὺν δὲ εἶναι δοκεῖν, μετὰ φοβερότητος.

Eius autem, qui in ſtatu ſit, ad labores militares, qui & ipſe iucundus ſit aſpectu: non tamen ſine quodam terrore.

QVAE requirantur, vt is, qui in conſtanti aetate ſit, formoſus eſſe intelligatur, docet. neceſſe vero eſt corpus, & ipſe ad labores ſuſtinendos idoneum habeat, ſed militares: in aciem enim ille prodire debet, ſtadiumq; ac palaeſtram minoribus relinquere. idem autem aſpectu etiam iucundus ſit oportet: coniunctum tamen habeat cum ſuauitate illa, terroris non nihil.

Γέροντος δὲ, πρὸς μὲν πόνους τοὺς ἀναγκαίους ἱκανὸν: ἄλυπον δὲ, διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν, ὧν τὸ γῆρας λωβᾶται.

Senis autem, quod ferre poſſit ſolum labores neceſſarios; idem vero vacuum a dolore, quia nihil eorum habeat, quibus deprauatur ſenectus.

INTELLIGI debet, κάλλος ἐστὶν, ἔχειν σῶμα, & quae ſequuntur: ἀπὸ κοινοῦ enim illa repetenda ſunt. Corpus autem habere ſenem oportere, non χρήσιμον, dixit, ſed ἱκανόν: neque enim ſeni ſuſcipiendi labores ſunt, ſed ſiqui forte inciderint, & qui euitari nullo pacto poſſunt, tolerandi. quod autem dolore id vacare dixit, id erit, cum incommodis illis, morbisq; liberum erit, quae eam aetatem male habere conſuerunt. nam in primo quoq; de republica inquit, artes illas maxime ſordidas eſſe, in quarum miniſterio corpus plurimum laeditur. ἐν αἷς τὰ σώματα λωβῶνται μάλιστα. ſapientiſſimi vero viri vox docet, quã neceſſaria ſit ſenectuti vacuitas doloris: ait enim Socrates, vt hiems tecto, ita ſenectus eget indolentia. An Graeca vox ἄλυπον, hic reſpondet ſuperiori illi ἡδύν, qua bis ſupra vſus eſt: & ad eos, qui ſpectant, non ad ſenem ipſum, pertinet: omnis enim hic ſermo de pulchritudine eſt: non poteſt autem ſenum facies corpusq; oblectare, ac ſuauitate aliqua nos afficere, vt formoſorum adoleſcentulorum, iuuenumque: iuuenes autem appello conſtantem aetatem, quae hic etiam media eſt: non tamen paenam aliquam, doloremq; ijs, qui vident, importare debet. id autem tunc erit, cum omnibus morbis carebit, quae ſenectutem deprauare, vitiareq; ſolent.

Ἰσχὺς δέ ἐστι μὲν δύναμις τοῦ κινεῖν ἕτερον, ὡς βούλεται.

Vires quidem sunt potestas mouendi alium, vt vult.

VIRES (inquit) roburq; facultas est mouendi alium, vt velis: qui enim tantum valet corpore, vt alij vim adhibere possit, & quo ipsi commodum est impellere, is robustus intelligitur.

Ἀνάγκη δὲ κινεῖν ἕτερον, ἢ ἕλκοντα, ἢ ὠθοῦντα, ἢ αἴροντα, ἢ πιέζοντα, ἢ συνθλίβοντα. ὥστε ὁ ἰσχυρὸς, ἢ πᾶσιν, ἢ τούτων τισίν, ἐστὶ ἰσχυρός.

Necesse autem est mouere alium, vel trahentem ad se, vel detrudentem, vel tollentem, vel prementem, vel collidentem. quapropter robustus, vel omnibus his, vel horum aliquibus robustus est.

IN vij. naturalis auscultationis copiosius de motionum violentarum generibus disseruit. quid primis duobus verbis significetur, quomodoq; motus illi exerceantur, planum est. ἕλκειν enim trahere ad se significat: ὠθεῖν contra manu depellere ac trudere. premi etiam quarto significari dubium non est: expressit autem (vt puto) vim eius verbi Cicero pro L. Flacco cum inquit. Sin istum semper illi ipsi domi proterendum esse, & conculcandum putarunt: quamuis μεταφορικῶς loquatur. quid vero συνθλίβειν sit, declarat habitus Herculis, Anteum, vt Latinus poëta cecinit, procul a tellure tenentis: mediam enim corporis ipsius partem brachiis stringit, cumq; suo pectore collidit. & si aliud etiam motus genus, habitu versiculoque illo declaratur: procul enim a tellure tenere, est αἴρειν. quod tertium hic posuit Aristoteles. Illis autem appellatis, inquit. Quare necesse est, cum haec sola huius motus genera sint, robustum valentemq; aut his omnibus, aut quibusdam horum, valere.

Μεγέθους δὲ ἀρετὴ τὸ ὑπερέχειν κατὰ τὸ μῆκος καὶ βάθος καὶ πλάτος τῶν πολλῶν, τοσούτῳ μείζονι, ὥστε μὴ βραδυτέρας ποιεῖν τὰς κινήσεις διὰ τὴν ὑπερβολήν.

Magnitudinis autem virtus est antecellere multis longitudine & altitudine & latitudine, tanto maiore, vt non tardiores efficiat motus propter exuperantiam.

MAIOR quispiam aliquo passim vocatur, si procerior tantum est. vt tamen vere ita appelletur, non longitudine tantum, sed & latitudine & altitudine antecellat oportet: nec tamen magnitudo illa probatur, quae modum excedit, & sibi ipsi postea detrimento est: ita enim superare alios tribus hic dimensionibus debet, vt munera corporis non impediat: nimiae autem illae motus corporis tardiores reddunt. Hoc etiam declarauit Hippomachus, nobilis alipta: cum enim videret quosdam hoc errore teneri: qui crederent maximum quemque ad has corporis exercitationes aptissimum esse: magnaeq; staturae hominem, ac longa brachia habentem, celebrarent, vt pugilem a natura factum, eleganter hac voce stultitiam eorum coarguit. Siquidem inquit coronam, ex alto quodam loco aptam, auferre oporteret, recte sentiretis: nec enim parum iste idoneus foret.

Ἀγωνιστικὴ δὲ τοῦ σώματος ἀρετὴ σύγκειται ἐκ μεγέθους, καὶ ἰσχύος καὶ τάχους.

Virtus corporis propria certaminum iuncta est e magnitudine, & viribus & celeritate.

VT aliquis gymnicis certaminibus valde aptus sit, tria habeat oportet: corporis enim virtus, quae multum in stadio valet, ex his constat. sunt autem illa magnitudo, robur, ac celeritas: quorum duo supra nomine appellauit, tertium autem in altero illorũ continetur, vt ipse ostendit.

Καὶ γὰρ ὁ ταχὺς, ἰσχυρός ἐστιν.

Velox enim, robustus est.

REDDIT (vt opinor) his verbis rationẽ, cur supra, in quo posita celeritas sit, non docuerit: ostenditq; se id consulto fecisse. quod in robore illa, ac praeclaris corporis viribus, contineatur.

Cursor Ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πως καὶ κινεῖν ταχὺ καὶ πόῤῥω, δρομικός: ὁ δὲ θλίβειν καὶ κατέχειν, παλαιστικός. ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πυκτικός. ὠσεῖ

Palestricus *Qui enim potestatem habet iaciendi crura aliquo modo, & mouendi celeriter, & longe, cursor est; qui autem premit & tenet, ad luctam est idoneus: qui vero trudere ictu, is natura pugil erit.*

Pugil

DOCET

Docet, qui quinq; illa genera motus commode exercere queat, in stadio ac palaestra posse cum laude versari: nec ab vllo certamine excludi, vt ipse accurate exponit: qui enim (inquit) potest crura iaculari quodam modo: celeriterq; mouere, cursor a natura factus est: qui premere, fortiterq; tenere, ad luctam est idoneus: qui ictu longe a se pellere, pugil non malus est. Cum vero hic mendose antea πληκτικὸς legeretur, secutus fidem antiquissimi libri, cui adstipulatur etiam vetus tralatio, πυκτικὸς emendaui. Eodem verbo vsus est Plutarchus in commentario περὶ φιλοπλουτίας, cum Hippomachi argutam vocem, quam paulo supra Latinis verbis exposui, referret: inquit enim ὡς πυκτικόν.

Pancratiastes

Ὁ δ' ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικός.

Qui autem ambobus his, pancratiastes.

Proxime superiores duas res intelligit, idest premere, & ictu propellere. qui (inquit) ad pugillationem luctationemque valebit, is ad pancratium exercendum accommodatus erit. nam in pancratio tractando vim pugilis ac palaestritae requiri, confirmat etiam Quintilianus in ij. lib.
» cum inquit. Sicut ille exercendi corpora peritus, non si docendum pancratiastem susceperit
» pugno ferire, vel calce tantum: aut nexus modo, atq; in ijs certos aliquos docebit, sed omnia,
» quae sunt eius certaminis: pugno enim ferire, vel calce cum dixit, expressit (vt puto) studium pugilis. cum vero nexus appellauit, palaestritae artem indicauit, & verba (nisi fallor) Graeca
» θλίβειν καὶ κατέχειν. Aperte autem Plutarchus in ij. lib. συμποσιακῶν, capite quarto. ὅτι γὰρ μέμικται
» τὸ παγκράτιον ἔκτε πυγμῆς, καὶ πάλης, δῆλον.

pentathli

Ὁ δὲ πᾶσι τούτοις, πένταθλος.

Qui autem cunctis his, pentathlus.

Qui vero (inquit) valet omnibus, pentathlus vocatur. antiqui Latini quinquertium appellabant, vt veteres grammatici testantur. nomen etiam a Graecis illi impositum est, a numero certaminum, quae exercerent: quae autem illa forent & hic explanatur, & ex veteribus multis & Graecis & Latinis scriptoribus, colligitur.

Εὐγηρία δὲ ὅτι βραδυτὴς γήρως μετ' ἀλυπίας: οὔτε γὰρ εἰ ταχὺ γηράσκει, εὔγηρως: οὔτ' εἰ μόγις μὲν: λυπηρῶς δέ.

Bona autem senectus est, cum sero senectus venit, ac sine aegritudine: neque enim, si celeriter aliquis senex fit, bonam senectutem nanciscitur: neque si tarde quidem, cum molestijs tamen.

Vno Latino verbo εὐγηρία appellari non potest. intelligi autem Graeca voce arbitror bonam, commodamque senectutem. duo autem requiruntur, quae aegre impetrari solent, vt illa constet: sero enim accedat oportet senectus, nec secum ferat morbos doloresque: quos plerunq; apportare consueuit. id autem a contrarijs probat: neque enim (inquit) si cito quisquam senescit, εὔγηρως est: neque si lente seroque: senex tamen dum fit, factusque, vexatur multis magnisq; corporis doloribus. vsus autem auctor est verbo, quod potius valet animi dolorem, idest aegritudinem: intelligere tamen voluisse illum arbitror morbos, qui corpori molesti sunt; & si aegritudines quoque valde odiosae senectuti sunt.

Ἔστι δὲ καὶ ἐκ τῶν τοῦ σώματος ἀρετῶν καὶ τύχης: μὴ ἄνοσος γὰρ ὤν: μηδὲ ἰσχυρὸς, οὐκ ἔσται ἀπαθὴς, οὐδ' ἄλυπος καὶ πολυχρόνιος: οὔτ' ἂν εὐτυχὴς διαμείνειεν ἄν.

Constat autem & e virtutibus corporis, & fortuna: nisi enim vacuus a morbo sit, atque validus, non erit sine metu offensionis: neque expers aegritudinis ac longaeuus: neque vtique fortunatus permaneret.

Vnde constet, nunc ostendit: corporis enim virtus concurrat oportet, & fortuna. quomodo autem sine his tolerabilis senectus non sit, declarat: nisi enim (inquit) morbo vacet: ac vires etiam, quantae in ea aetate optari possunt, adsint, non erit expers molestiarum, neque dolorum: nec vitam producere poterit, nec vllo modo secundam fortunam retinere.

Ἔστι δέ τις καὶ χωρὶς ἰσχύος καὶ ὑγιείας ἄλλη δύναμις μακροβιότητος: πολλοὶ γὰρ ἄνευ τῶν τοῦ σώματος ἀρετῶν μακρόβιοί εἰσιν. ἀλλ' οὐδὲν ἡ ἀκριβολογία χρήσιμος, ἡ περὶ τούτων, εἰς τὰ νῦν.

Est autem quaedam & sine viribus, & sine bona valetudine, alia facultas longae vitae: multi namque sine corporis virtutibus diu viuunt. sed exquisita ratio de his rebus minime nunc vtilis.

NON me fugit (inquit) rationem aliam esse, qua quispiam longam vitam tueatur, quamuis bonis ijs careat, quae tolerabilem senectutem efficiunt: ac bona valetudine, viribusq; orbatus sit, sed tempus hoc non poscit, vt de ijs rebus exquisite disseramus: neq; enim nunc vias omnes indagare oportet, quibus diuturna vita comparetur: potest sane in his quoq; libris subtiliter accurateq; disputari, sed de alijs rebus: de his vero, nullo modo: quae remotae nimis sunt a studio oratoris. intelligit autem, vt puto, viam, quam Herodicus tenuerat; qui cum perdita valetudine foret, deambulationibus, cotidianisque curationibus ad summam senectutem peruenit. μακροβιότητα autem hanc, non εὐγηρίαν appellat: quia bonis destituta est, quae illam praestant: quamuis longum spatium aetatis ambae commune habeant.

Πολυφιλία δὲ καὶ χρηστοφιλία, οὐκ ἄδηλα, τοῦ φίλου ὡρισμένου.

Multitudo & bonitas amicorum obscura non erunt, amico definito.

TAMQVAM partes & has, beatam vitam efficere supra affirmauit. illae autem, si cognitum fuerit, quid amicus sit, neminem latere possunt. quare non necesse habet ipsas explicare. potius studet amici vim naturamq; exprimere. quo facto inquit, qui plurimos huiuscemodi habebit, is amicorum copia florebit. qui probitate praeterea ornatos, hic & multorum amicitia, & proborum hominum gloriari poterit.

Οὐκ ἔστιν ὁ τοιοῦτος φίλος, ὅστις ἃ οἴεται ἀγαθὰ εἶναι ἐκείνῳ, πρακτικός ἐστιν αὐτῶν, δι᾽ ἐκεῖνον· ᾧ δὴ πολλοὶ τοιοῦτοι, πολύφιλος. ᾧ δὲ καὶ ἐπιεικεῖς ἄνδρες, χρηστόφιλος.

Huiuscemodi enim aliquis est amicus, qui quae arbitratur esse bona amico, studiose facit propter illum. cui autem multi huiuscemodi erunt, is florebit amicis. cui vero probi moderatique viri, is bonis amicis instructus erit.

AMICVM scilicet esse, qui ita erga amicum animo affectus est, vt quaecunq; arbitratur illi bono esse, cuncta studiose gerat, illius ipsius tantum causa. reliqua autem supra expressa sunt. quod enim inquit, propter illum, notum est, hoc primum in amicitia requiri, ne quis commodum suum spectet, dum amicum adiuuat. Haec autem omnia copiosius ab ipso in octauo & nono libro de moribus ad Nicomachum explicata sunt.

Εὐτυχία δέ ἐστιν, ὧν ἡ τύχη ἀγαθῶν αἰτία, ταῦτα γίγνεσθαι καὶ ὑπάρχειν, ἢ πάντα, ἢ τὰ πλεῖστα, ἢ τὰ μέγιστα.

Felicitas autem est, quorum bonorum causa est fortuna, haec ipsi parari & adesse, siue cuncta, siue plurima, siue maxima.

BONA (inquit) fortuna est, cum quae a fortuna proficiscuntur bona, aut gignuntur, aut iam adsunt: & cumulate quidem adsunt: εὖ enim copiam, vt veteres scriptores, eruditi viri, tradunt, significat. quod etiam hic indicat Aristoteles, qui affirmat omnia illius generis, aut plurima, aut maxima requiri, vt fortunatus aliquis appellari possit. Latinum autem nomen, quo veteres illi appellabant εὐτυχίαν, non dubito, quin fuerit felicitas. quare ipso exprimere volui Graecum verbum: nec tamen me fallit vicinae illis aetatis non nullos, vt huius quoque nostrae, hac voce vsos in significanda, vocata a Graecis εὐδαιμονίᾳ, idest beatitudine. Virgilius certe, cum exclamauit Felix, qui potuit rerum cognoscere causas, hoc nomine intellexit εὐδαίμονα. tanta breui spatio temporis extitit, antiqui purique sermonis mutatio. quod tamen mirum non est, amissa republica, & extincto paene omni senatu.

Αἰτία δ᾽ ἐστὶν ἡ τύχη, ἐνίων μὲν καὶ ὧν αἱ τέχναι: πολλῶν δὲ καὶ ἀτέχνων.

Causa autem est fortuna quorundam quidem, quorum & artes: multorum autem, quae ab arte nulla efficiuntur.

QVAE tribuere soleat fortuna, declarans, inquit. fortuna non nullorum causa est, quae ab artibus efficiuntur. verum eadem (inquit) quaedam etiam procreat, quae a nulla arte fabricari possunt. nam, quod ad primam partem pertinet, ob affinitatem, quam inter se fortuna & ars habent, mutuo amore illae copulatae esse ab ingenioso poëta dictae sunt: cuius versiculum adducit philosophus in vj. lib. de moribus ad Nicomachum. Agatho vero ille fuit tragicus, valde ipsi familiaris. eadem autem sententia, eodem versu exposita, a Simplicio in ij. lib. naturalis auscultationis adducitur: nomen tamen poetae, siletur.

Οἷον ὅσων ἡ φύσις, ἐνδέχεται δὲ καὶ παρὰ φύσιν εἶναι: ὑγιείας μὲν γὰρ, τέχνη αἰτία: κάλλους δὲ καὶ μεγέθους, φύσις.

Veluti eorum omnium, quorum natura: euenit autem vt contra naturam fiant: bonae namque valetudinis ars causa est: pulchritudinis vero & magnitudinis natura.

FORTVNA etiam causa existere solet multarum rerum, quae a natura proueniunt: nec tamen, semper sine vitio ac labe nascuntur: sed quae deprauata etiam, nec certo naturae ordine seruato quandoq; fiant: si enim modum semper seruarent, locū illic fortuna non haberet. Exemplo autem, quae dixerat, confirmare volens, inquit. bonae namq; valetudinis ars causa est: medici enim, praecepta suae artis secuti, amissam illam reuocant in ijs, quos curant: quae tamen aliquando etiam fortunae beneficio recuperatur. quod Phereo Iasoni contigisse Cicero memoriae prodidit: cum enim inimicus ipsi hominem interficere vellet: impetumq; in eum fecisset, gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici non potuerant. Idem quoq; Prometheo cuidam tyranno vsu venisse Simplicius tradidit, vbi qui a fortuna quippiam accipere, perpetiq; dicantur, Aristotelis locum interpretans, docet, nisi error sit in nominibus: eundemq; ambo intellexerunt. Pulchritudinis vero magnitudinisq; natura effectrix est: verum tamen haec quoq; corporis bona fortunae accepta referuntur. Hinc vero facile refelli potest error illorum: qui bonorum ex Aristotelis decretis diuisionem fecerunt in animi, corporis, & fortunae: quae enim fortunae tribuunt, externa ipse vocat: nec in ea tantum, sed in corporis quoq; bona vim habere fortunam putat.

Ὅλως δὲ τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν ἐστὶν ἀπὸ τύχης, ἐφ' οἷς ἐστὶν ὁ φθόνος.

Omnino autem huiuscemodi bona proficiscuntur a fortuna, ob quae existit inuidia.

QVI cognoscere (inquit) vult, quae a fortuna bona proficiscantur, animaduertat, ob quae inuidia excitatur: illa enim omnia, quae praui ingenij homines quosdam sibi maxime pares, habere aequo animo non ferunt, beneficio fortunae obtinentur. de hoc etiam in ij. horum librorum disseret. Est autem haec quasi regula quaedam, qua in vniuersum fortunae bona a reliquis distinguantur: neque enim ob commoda, quae aliquis sibi industria sua comparauit, in animis aliorum inuidia plerunq; exoritur.

Ἔστι δὲ καὶ τῶν παρὰ λόγον ἀγαθῶν, αἰτία τύχη.

Est autem & bonorum, quae praeter rationem fiunt, causa fortuna.

COMMODA etiam quaedam, quorum certa causa afferri non potest, sed paene absurda sunt, à fortuna prouenire tradit. imperiti quoq; homines, vt ipse in ij. naturalis auscultationis ostendit, fortunam παράλογον esse dicebant, quos etiam ipse laudat, & bene sensisse, tota re explicata, ostendit. Multa autem illinc sumi possent, quae haec confirmarent. aut ab Aristotele eruditius pleniusq; illic exposita, aut a doctissimis interpretibus accurate disputata: quae tamen, quia eruditis in promptu sunt, relinquam. quod si haec, quae nunc ad ornandum oratorem ab eo traduntur, percepta fuerint: illa subtiliora hic non magnopere desiderari debent.

Οἷον εἰ οἱ ἄλλοι αἰσχροὶ ἀδελφοί: ὁ δὲ, καλός. ἢ οἱ ἄλλοι μὴ εἶδον τὸν θησαυρόν: ὁ δ', εὗρεν: ἢ εἰ τοῦ πλησίον ἔτυχε τὸ βέλος: τούτου δὲ, μή.

Ceu si ceteri fratres, turpes: hic autem, formosus. vel alij non inuenerunt thesaurum: hic autem inuenit: vel si prope stantem percussit telum: hunc vero, non.

QVAE sint bona, quorum ratio nulla certa afferri potest, exemplis docet: quis enim explicaret vmquam doceretq;, cur, si ceteri fratres deformes sunt, vnus hic formosus sit. aut si abditum defossumq; aurum alij non viderunt, hic reperire potuerit. aut si eum, qui prope stabat, iaculum percussit, in hunc non incidit.

Ἢ εἰ μὴ ἦλθε, μόνος ἀεὶ φοιτῶν: οἱ δὲ ἅπαξ ἐλθόντες, διεφθάρησαν, πάντα γὰρ τὰ τοιαῦτα εὐτυχήματα δοκεῖ εἶναι. φοιτάω

Vel si non venit, solus semper eo accedens: qui autem semel venerunt, interfecti sunt: cuncta enim huiuscemodi prosperitates videntur esse.

QVIDAM iter periculi plenum frequentare vnus ex omnibus solitus erat: semperq; illac transire: qui casu tunc non venit, cum praedones in praetereuntes grassati sunt: alij, qui semel tantum illac iter fecerunt, in eos incidere, atq; interfecti sunt. hoc fortunae acceptum referri debet: ac παράλογον manifesto est: verisimilius enim erat eum, qui crebro illac solus transiret, salutemq; suam non valde procuraret, eo malo affectum iri: contra tamen euenit.

Περὶ δὲ ἀρετῆς, ἐπείπερ οἰκειότατος ὁ περὶ τοὺς ἐπαίνους τόπος, ὅταν περὶ ἐπαίνου ποιώμεθα τὸν λόγον, τότε διοριστέον.

De virtute autem, quoniam maxime proprius est ipsius locus, vbi propria laudum exponuntur, quando de laude disseremus, tunc a nobis explicandum erit.

RES poscere videretur (inquit) vt de virtute hic accurate dissereremus: non enim illa parum ad vitam beatam praestandam facit: & supra etiam inter res illas, quae eam constituant, & virtutem ipsam animi, & eius partes posuimus: verum, quia in demonstrandi genere multus vsus ipsius est, suo magis, ac proprio loco de ipsa illic agemus: aptissimus enim ille omnium est virtuti videndae, atq; accurate explicandae. Cicero in ij. libro de Inuentione hunc locum persecutus est in explicando genere deliberandi, quod fecit non sine causa tunc, quia erat eius iudicij eo tempore, ac putabat illud genus habere duos fines, idest honestatem & vtilitatem. in Partitionibus vero, cum melius sentiret de hac re in tradendo genere demonstratiuo, & virtutem, & eius partes explicauit.

Ὧν μὲν οὖν δεῖ στοχάζεσθαι προτρέποντας, ὡς ἐσομένων, ἢ ὑπαρχόντων, καὶ ὧν ἀποτρέποντας, φανερόν: τὰ γὰρ ἐναντία τούτων ἐστίν.

Quae igitur oportet sibi proponere, qui suadent, vt futura, aut quae iam sint: & quae dissuadentes, apertum est: contraria enim horum sunt.

BREVI repetit, quae iam egerit: aitque se monstrasse, quae proponere sibi oportet eos, qui aliquibus auctores sint, vt quippiam gerant: sententiaq; sua ad id faciendum impellunt: proponant autem aut futura, si consilium ipsorum valuerit, aut instantia, & quae iam sint: nec non quae etiam spectare, quoq; oculos intendere, qui reuocant ab aliqua re: verum, quia haec aperte tradita, explanataq; non erant, docet è praeteritarum rerum explicatione, illa quoq; intelligi posse: contraria namq; eorum esse, quae exposita sunt, affirmat, vt contrarium studium, finisq; oratorum ipsorum sit. infra etiam omnibus iam, quae ad hoc genus pertinent, explicatis, idem hoc ijsdem paene verbis iterauit. ὧν μὲν οὖν δεῖ ὀρέγεσθαι, ὡς ἐσομένων, ἢ ὄντων.

Ἐπεὶ δὲ πρόκειται τῷ συμβουλεύοντι σκοπὸς, τὸ συμφέρον: βουλεύονται δὲ οὐ περὶ τοῦ τέλους, ἀλλὰ περὶ τῶν πρὸς τὸ τέλος. ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ συμφέροντα κατὰ τὰς πράξεις. τὸ δὲ συμφέρον ἀγαθὸν, ληπτέον ἂν εἴη στοιχεῖα περὶ ἀγαθοῦ, καὶ συμφέροντος ἁπλῶς.

Quia autem propositum est ei, qui deliberat finis, id quod conducit: consultant autem non de fine, sed de ijs, quae referuntur ad finem. haec autem sunt, quae conducunt in rebus agendis. quod autem prodest bonum est, captanda a nobis sunt elementa de bono, & vtili simpliciter.

RATIONEM instituti operis postulare docet, vt de bono nunc in vniuersum disserat: cum enim vtile bonum quoddam sit: & qui consilium alicui dant, spectent semper vtilitatem illius, cui consilium dant: nec non, quia illi, qui consilium cogunt, ac de quopiam deliberant, de fine numquam deliberant: id enim statutum iam in animo habent, verum de ijs, quae ducunt ad finem; ad finem autem (inquit) ducunt, quae in singulis rebus factisq; prosunt, atq; vtilitatem apportant, praetermittere non debemus, quin de bono communiter dicamus. Explicanda igitur sunt elementa de bono, atq; vtili, generatim. quod statim aggreditur. Omnium autè illorum, quae supra posuerat, ex aduerbio illo ἐπεὶ, redditio ἀνταπόδοσιςq; est: ληπτέον ἂν εἴη: & quae sequuntur,

Caput vi. De Utili et bono, eorumq; [illegible] et efficientibus.

Ἔστω δὴ ἀγαθὸν, ὃ ἂν αὐτὸ ἑαυτοῦ ἕνεκα ᾖ αἱρετόν.

Sit igitur bonum, quod ipsum sui causa fuerit expetendum.

PONAMVS nunc (inquit) bonum id esse, quod ipsum propter se expetendum fuerit: quod eam scilicet vim habet, vt ad se alliceat homines, quamuis nullum aliud commodum inde sperent. Plures autem definitiones boni affert: neq; enim nunc, quae ipsarum vera sit, & naturam ipsius magis exprimat, curare statuit: neq; hoc tempus, ac studium requirit, vt id exquisite tradat: magis enim ratio, quam tenet, adiuuare oratorem potest: plures (inquam) orationes adferre, quae id adumbrent, si non perfecte exprimant.

Καὶ, οὗ ἕνεκα ἄλλο αἱρούμεθα.

Et cuius causa aliud expetimus.

ID etiam bonum esse intelligamus, quod vt adipiscamur, alia, quae sua vi nos non mouerent, expetimus: cum enim periculis homines se exponant, ac multos labores sustineant, vt diuitias consequantur, probari hinc potest illas esse bonum.

Καὶ οὗ ἐφίεται πάντα.

Et quod expetunt omnia.

INTELLIGI quoq; bonum posse vult a desiderijs, appetitionibusq;: concursus namq; illarum ipsum indicat: &, quod cunctae res expetunt, bonum sit necesse est. descriptio autem haec summi boni auctoris huius nostri non erat. quod ipse initio libri primi de moribus ad Nico-
» machum aperte testatur, his verbis. διὸ καλῶς ἀπεφήναντο τἀγαθὸν, οὗ πάντα ἐφίεται: laudat enim eam, vt ab alijs excogitatam.

Ἢ πάντα τὰ αἴσθησιν ἔχοντα, ἢ νοῦν.

Vel omnia, quae sensum habent, aut mentem.

ANGVSTIOR haec definitio summi boni est: cum enim omnia generatim prior illa cepisset, posterior haec excludit, quae sensu carent, atq; inquit: aut omnia, quae sensu praedita sunt: magis adhuc autem arcta, quae se tantum ad ea refert, quae intelligentiae mentisq; compotes sunt: haec enim secludit brutas animantes. Si cuncta tamen, quae mentem habent, consenserint: atq; aliquid bonum iudicauerint, illud bonum esse existimari debet.

Ἢ εἰ λάβοι νοῦν.

Vel si mentem acceperint.

RES quoq;, quae intelligentia carent, si ad eas intelligentia accederet, consilioq; ornarentur, id etiam mirabiliter cuperent. Huiuscemodi quandam sententiam pronuntiauit Cicero in v. lib.
» de finibus: qui tamen non bestias tantum intellexit, sed res etiam inanimas. At vero si ad vi-
» tem sensus accesserit, vt appetitum quendam habeat, & per se ipsam moueatur, quid facturam
» putas? infra. Quod si, non sensus modo sit datus, verum etiam animus. Eodem modo locutus est Praetellus quidam acuti ingenij vir, cum ingluuiem Boeotiorum ostendere vellet: interrogatus enim, quid sibi illi visi essent, respondit: τί γὰρ ἄλλο, οἱ τοιαῦτα ἐλάλουν, οἷα ἂν καὶ τὰ ἀγγεῖα, φωνὴν λαβόντα: πόσον ἕκαστος χωρεῖ: quid enim aliud de ingenio ipsorum iudicare possum, qui huiuscemodi quaedam inter se loquebantur, qualia vasa, in quibus dapes adponuntur, si ad ea vox accessisset, idest si vocem edere potuissent, loquerentur: quantum quodque ipsorum capit: Eratosthenes in epistolis hoc scripserat, vt tradit Athenaeus in x. τῶν δειπνοσοφιστῶν.

Καὶ, ὅσα ὁ νοῦς ἂν ἑκάστῳ ἀποδοίη.

Et quaecunque mens singulis dictaret.

NEC non quaecunq; (inquit) ratio, intelligentiaq; cuiq; ederet, atq; dictaret, haec illi bona sunt: quae enim ratio atq; intelligentia rerum statuit vnicuiq; conuenire: eiq; attribuit, ea bono ipsi sunt: νοῦν autem intelligentiam hanc vocat, vt puto, quam in vniuersum nunc capit: statim autem adiungit ei propriam, suamq; cuiusq; rei.

Καὶ, ὅσα ὁ περὶ ἕκαστον νοῦς ἀποδίδωσιν ἑκάστῳ, τοῦτό ἐστιν ἑκάστῳ ἀγαθόν.

Et quaecunq; mens, quae in singulis rebus est, dictat singulis, hoc singulis illis bonũ est.

ET

Et quaecunq; ratio, mensq; circa singulas res, singulis rebus tribuit, atq; assignat, hoc illis ipsis „ rebus bonum est.

Καὶ οὗ παρόντος, εὖ διάκειται, καὶ αὐτάρκως ἔχει.

Et illud, quod cum praesens adest, bene ipsum se habet: & ita, vt contentum suis partibus sit.

Et illud quoq; bonum est, quod cum adest: praesensq; est, illud ipsum, cui adest, quam optime se habet: nec quicquam amplius desiderat: εὖ διάκειται autem non tantum, cum animus viget, dicitur, verum etiam, cum corpus bene constitutum est.

Καὶ τὸ αὔταρκες.

Et quod explet aliquam rem, absolutamq; reddit.

Appellat nunc αὔταρκες, quod aduentu suo ita explet, vt satis id illi sit, ad quod accessit, facitq; ne vlla re amplius egeat: quomodo enim hoc bonum non esse iudicari potest, cum ita afficiat illud, cui haeserit?

Καὶ τὸ ποιητικὸν, ἢ φυλακτικὸν τῶν τοιούτων.

Et quod vim habet efficiendi, aut tuendi huiuscemodi omnia.

Sed non haec tantum bona sunt, verum etiam illa, quae efficiendi, ac custodiendi haec ipsa, aliaq; huius generis, vim habent: ποιητικὸν Cicero conficiens reddidit, & in Partitionibus, & in ij. lib. de finibus. cum vtroque loco de causis dissereret: sed easdem etiam multis locis efficientes vocat.

Καὶ ᾧ ἀκολουθεῖ τὰ τοιαῦτα.

Et quod consequuntur huiuscemodi res.

Illud quoq; bonum est, quod huiuscemodi consequuntur. huiuscemodi autem: cuius scilicet generis sunt, quae supra appellarat: neque enim ea tantum bona sunt, quae vim eam habent, verum etiam illa, quae secum trahunt, quae id praestare queant.

Καὶ τὰ κωλυτικὰ τῶν ἐναντίων, καὶ τὰ φθαρτικά.

Et quae viam obstruunt contrariis, & quae interimunt ipsa.

Ea quoq; bona reputantur, quae contraria his depellunt, & ad nos peruenire appropinquareq; non sinunt. quemadmodum etiam, quae eadem illa debilitant ac frangunt: cum enim nos beneficio eorum malis liberemur, quod ea partim arceant: partim extinguant, quomodo non bona ea vocare debemus?

Ἀκολουθεῖ δὲ διχῶς: ἢ γὰρ ἅμα, ἢ ὕστερον.

Consequuntur autem duobus modis: aut enim simul, aut postea.

Illa quoque, quae res antea expositae & id genus aliae consequuntur, bona esse tradiderat. quod, vt magis explanaret, docet, quot modis aliquae res consequi alias dicantur. duo autem illi sunt: aut enim eodem tempore, aut posterius quidpiam consequitur. qui modi etiam dilucide, exemplis positis ab ipso explicantur. quare hic locus seorsum consideratus, scrupulum nullum habet. Illud tamen molestum est, quod cum in iij. libro Topicorum de eadem re agat, ac duobus itidem modis dici quippiam consequi aliquid affirmet, non eadem tempora capit: sed relicto praesenti, cum res coniunctae sunt, ac simul fiunt, praeteritum ponit. verba ipsius
„ haec sunt. διχῶς δὲ ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι ἡ σκέψις: καὶ γὰρ πρότερον καὶ ὕστερον ἕπεται: οἷον τῷ μανθάνοντι, τὸ μὲν
„ ἀγνοεῖν, πρότερον: τὸ δὲ ἐπίστασθαι, ὕστερον. Nec tamen, quamuis diuersis verbis vtatur: nec eiusdem omnino generis cuncta consequentia sint, arbitror hoc quicquam valere ad rationem ipsorum variandam (quamuis non defuerint, qui existimarint id verbum, quo hic vtitur, ostendere proprie naturae consecutionem, non res, quae postea fiunt, ac tempore quippiam consequuntur) infra enim vbi repetit ea, quae tradita hic sunt, ἕπεσθαι, non ἀκολουθεῖν inquit. Praeterea exemplis hoc liquido intelligitur: cum enim in Topicis ἕπεσθαι dicat, quod videtur conuenire rebus, quae postea consequuntur, eodem tamen exemplo vtitur, quo hic, vbi ἀκολουθεῖν vsurpauit. Scire autem quempiam, cum in disciplinam alicui se tradiderit, ac diligenter praecepta alicuius artis acceperit, manifesto est è numero earum rerum, quae tempore interiecto fiunt, ac

vere consequuntur: vt contra eidem comitari, quod antea res illas ignorarit, è genere eorum videtur, quae natura consequuntur, quamuis etiam tempore antecedant: neq; enim satis apte videtur dici posse id, quod praecedit, ἕπεσθαι; sed potius ἀκολουθεῖν: quia non discedit hoc ab ea re, sed cum ipsa coniunctum est, atque illi congruit, & haeret; vt in exemplis, quibus Quintilianus vsus est: in v. enim libro, vbi de argumentis disputat, inquit. Si iustitia est bonum, recte est iudicandum. Si malum perfidia, non est fallendum. Vnde adiuncta haec ipsa appellat: nam alia etiam eiusdem generis consequentia adiungit: in quibus etiam vnum est, quo vtitur Alexander, vbi loquitur de consequentibus illis, quae tempore antecedunt. Quod quis non habuit, non perdidit: neq; enim vllo pacto quispiam amittere potest, quod antea non possidebat: ille vero τῇ ἀπωλείᾳ, elapso iam tempore, comitari dixit κτῆσιν: addit autem ad extremum. Sed haec consequentia, dico ἀκόλουθα; est enim consequens sapientiae bonitas. illa sequentia, παρεπόμενα: quae postea facta sunt, aut futura: ita enim posterius hoc Graecum nomen apud eum scribi debere puto: non, vt in excusis nunc legitur, παραγόμενα, aut ἐπαγόμενα. Idem tamen verbis iam distincta diuersa eorum notione, declarat se valde in hoc curiosum non fore, sed appellaturum etiam consequentia, quae adiuncta verius dici debuissent; & ἀκόλουθα proprio nomine a Graecis vocantur. in quo conuenit illi cum magno hoc doctore: Aristoteles enim quoq; re declarata, spreuit minutam hanc nominum distinctionem. inquit igitur ille. Nec sum de nominibus anxius: vocet enim vt voluerit quisq;, dum vis rerum ipsa manifesta sit: appareatq; hoc, temporis: illud esse, naturae. Itaq; non dubito, haec quoque consequentia: quamuis ex prioribus dent argumentum ad ea, quae sequuntur. Alexander quoq; in commentarijs in Topica, cum vim eius loci explanaret: plurimaque exempla poneret: quamuis in eo ἕπεσθαι sumptum sit, non abstinuit etiam se ab illis, quae, quia antecesserunt, non postea fiant, aliquo modo consequuntur, vt cum ait. Eum, qui a medicis curetur, consequi primum ipsum aegrotare: si namq; curatur, atq; ita morbus ab eo pellitur, necessario antea aegrotabat: & eum, qui quaestum amplum facit: atq; ita rem familiarem comparat, eundem antea pauperem fuisse: quamuis ipse quoq; testetur haec potius ἡγούμενα dici debuisse, cum tempore praecedant: nec satis proprie ἑπόμενα vocari posse fateatur. Cum igitur diuersis in libris haec ipsa significare vellet Aristoteles, atq; eiusdem generis non esse cum illis intelligeret, quae vere consequentia appellantur, sed illa futuro tempore consequi: haec praeterito, siue instanti, & (vt arbitror) natura: quamuis naturae nomen reticeat, sed quae huiuscemodi videntur, appellet prioris temporis consequentia, duobus modis dixit hoc spectari: nisi enim haec eodem continerentur, tres, non duo modi forent. Quamquam autem idem omnino tempus in ambabus scriptionibus non capit, haec significans, sed nunc vna consequi; nunc vero tempore antecedere ipsa dicit, nihil tamen hoc impedit: tam enim huius generis videntur ea, quae praesenti tempore sunt, atque illa, quae antecesserunt: conuenit enim ipsis in hoc, quod neutra proprie consequentia vocari possunt, verum haec adiuncta, & natura illis ipsis rebus comitantia: cum enim hic vitam bonae corporis valetudini comitari dixerit: quia eodem tempore sunt, vt manifesto simul ipsa cum ea est, ita quoq; (nisi fallor) prius vita esse, & tempore antecedere, non male diceretur: antea namq; viuere quempiam oportet: postea corpore valere: reperiunturq; non pauci, qui viuunt, nec tamen valent: cumq; ignoratio tempore praecedat perceptionem alicuius artis, ac μάθησιν: non penitus tamen illa abijt, ac discussa est, cum aliquis adhuc discit: sciret enim iam, non perdisceret: vnde non incommode etiam fortasse vna comitari dici posset.

Οἷον τῷ μὲν μανθάνειν τὸ ἐπίστασθαι, ὕστερον· τῷ δὲ ὑγιαίνειν τὸ ζῆν, ἅμα.

Veluti discentem consequitur scientia earum rerum, postea: bene valentem, vita simul.

CEV (inquit) cum quempiam dicimus discere, perceptionem illam alicuius artis, consequitur, vt eam sciat. verum posterius id: antea enim opera datur alicui disciplinae: postea vero illa scitur. cum vero aliquem bene valere, consequitur, vt idem viuat, & vna consequitur: qui enim valens est, non potest eodem tempore non viuere.

Καὶ τὰ ποιητικὰ, τριχῶς.

Et efficientia tribus modis.

RES quoq; efficientes, ita tribus de causis appellantur, vt ipse exponit, & exemplis quoq; confirmat: aut enim efficere quippiam dicuntur, quod id suscipiant, & in se situm ac collocatum habeant: sintq; tamquam δεκτικὸν ipsius: aut quod tueantur, atque antea partum, custodiant; ita enim quoq; aliquo modo efficiunt: aut quod amissum paene recuperent, remouentes, quod laedere & impedire illud valeat.

Τὰ

Τὰ μὲν, ὡς τὸ ὑγιαίνειν, ὑγιείας.

Haec quidem, vt bene valere, bonae valetudinis.

APPELLAT ὑγιαίνειν, corpus, quod bonam valetudinem capit, paratum ad id, vegetumque habere: ita enim constitutum, aliquo modo efficiens est bonae valetudinis, cum facile ipsam recipiat, vel potius sensim producat, & occultis viribus illam foueat: & vt corpus ita affectum, ita animi partem, quae ipsum nutrit, habere.

Τὰ δὲ, ὡς σιτία ὑγιείας.

Haec autem, vt cibaria bonae valetudinis.

ALIAE res quarundam rerum efficientes dicuntur, ea ratione, qua cibaria, sanitatis corporis efficientia vulgo appellantur: certa enim quaedam alimenta efficere eam dicuntur, quod tuendae sanitati apta sint: atq; illi habitui corporis custodiendo, accommodentur.

Τὰ δὲ, ὡς τὸ γυμνάζεσθαι: ὅτι, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ποιεῖ ὑγίειαν.

Haec vero, vt exerceri; quia plerunque efficiunt bonam valetudinem.

NON nullae item res aliarum rerum efficientes vocantur, eo pacto, quo corporis exercitatio bonae valetudinis efficiens est: quod pellat scilicet obstantia: conteratque, quae aucta laedere, ac deprauare sanitatem potuissent.

Τούτων δὲ κειμένων, ἀνάγκη τάς τε λήψεις τῶν ἀγαθῶν, ἀγαθὰς εἶναι, καὶ τὰς τῶν κακῶν ἀποβολάς: ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ μὲν, τὸ μὴ ἔχειν τὸ κακὸν, ἅμα: τῷ δὲ, τὸ ἔχειν ἀγαθὸν, ὕστερον.

His autem positis, necesse est, sumptiones bonorum bonas esse, & depulsiones malorum: consequitur enim hoc quidem, non habere malum, simul: hoc autem habere bonum, postea.

HIS fundamentis iactis inquit, necesse est sumptiones bonorum, bonas esse: nec non depulsiones malorum. quomodo autem hoc verum sit, ostendit: a consequentibusq; probari docet: alterum enim eorum consequitur non habere malum, & consequitur vna simulque: qui enim bonum accepit, malo statim caret: neque enim haec, cum contraria sint, in eodem inueniri eodem tempore queunt; malo autem vacuum esse, naturam boni habet: alterum vero, bonum habere, sed hoc posterius consequitur: qui enim malum depulit eiecitq;, postea bonum sentit: extruso enim malo, succedit bonum.

Καὶ ἡ ἀντ' ἐλάττονος ἀγαθοῦ, μείζονος λῆψις: καὶ ἀντὶ μείζονος κακοῦ, ἐλάττονος: ᾧ γὰρ ὑπερέχει τὸ μεῖζον τοῦ ἐλάττονος, τοῦτο γίνεται τοῦ μὲν, λῆψις: τοῦ δ', ἀποβολή.

Et pro minore bono, maioris sumptio: & pro maiore malo, minoris: quo enim praestat maius minori, hoc efficitur, huius quidem sumptio: huius autem depulsio.

PRAETEREA minore bono reiecto, maioris sumptio: & posthabito maiore malo, minoris itidem sumptio, bonum sint necesse est. Quomodo autem haec boni naturam obtinere intelligantur, ipse docet: totum enim (inquit) quo maius praestat minori, fit huius quidem, sumptio: huius autem depulsio ac fuga: boni scilicet sumptio: mali vero vitatio. Qui cum optio ipsi duorum bonorum inaequalium data sit, minus bonum relinquit: maius autem capit, hic totum illud, quo maius praestabat minori lucratur: eodemque pacto, qui eiecto maiore malo, minus capit, cum malo omnino carere non possit, & ipse non parum adiuuatur: quo enim malum maius superabat minus, quasi deponit, & abijcit.

Καὶ τὰς ἀρετὰς δὲ ἀνάγκη ἀγαθὸν εἶναι: κατὰ γὰρ ταύτας εὖ τε διάκεινται οἱ ἔχοντες, καὶ ποιητικαὶ τῶν ἀγαθῶν εἰσί.

Et virtutes bonas esse necesse est: vi enim potestateque harum bene affecti sunt, qui compotes earum sunt: ipsaeque faciunt res bonas.

VIRTVTES praeterea (inquit) bonum sint necesse est, si ea, quae supra posita sunt, firma tenentur: multis autem modis hoc probari potest; nam & qui eas habent bene affecti sunt: supra

autem

autem declaratum est, id bonum esse, quod cum praesens alicui adest, ille bene affectus est. sed etiam ab operibus ipsarum hoc intelligi potest: conficiunt enim ipsae multa, ac magna bona. Cyrenaici propterea virtutem esse laudandam dicebant, vt Cicero tradidit, quod esset efficiens voluptatis.

Καὶ πρακτικαί.

Et item agunt.

CVM virtutes antea dixisset esse ποιητικὰς τῶν ἀγαθῶν, quod efficiant, gignantq; praeclara bona: eoq; verbo vsus esset, quod multis aliis rebus commune est, nunc πρακτικὰς easdem, suo ac proprio nomine moralium virtutum appellat, spectans actiones, quae ab ijs proficiscuntur: πράττειν enim ad ea pertinet, quae cum electione faciunt.

Περὶ ἑκάστης δὲ καὶ τίς, καὶ ποία, χωρὶς ῥητέον.

De vnaquaque autem ipsarum, & quae sit, & qualis, seorsum dicendum.

MAGIS idoneo loco pollicetur se de omnibus virtutibus acturum: & quae natura singularum sit: qualesq; illae, quomodoq; factae sint, explicaturum. Intelligit autem (quem non multo antea etiam indicauit) cum genus demonstratiuum explanabit: illic enim seorsum de virtutibus accuratius aget.

Καὶ τὴν ἡδονήν, ἀγαθὸν εἶναι: πάντα γὰρ ἐφίεται τὰ ζῶα αὐτῆς τῇ φύσει.

Et voluptatem etiam bonum esse: cuncta enim animalia natura ipsam appetunt.

VOLVPTAS praeterea, ex his, quae supra exposita sunt, bonũ sit necesse est: cuius rei rationem statim reddit: cunctae enim animantes naturae impulsu eam expetunt: traditum autem antea est, quae cuncta, sensu etiam praedita, expetunt, illa bona esse.

Ὥστε καὶ τὰ ἡδέα, καὶ τὰ καλά, ἀνάγκη ἀγαθὰ εἶναι: τὰ μὲν γάρ, ἡδονῆς ποιητικά.

Quapropter & quae iucunda sunt, & quae honesta, bona sint necesse est: haec enim efficientia sunt voluptatis.

QVARE (inquit) & quae iucunda sunt, & quae honesta, aut pulchra (vtraq; enim complectitur καλόν) bona sint necesse est: iucunda, vt efficientia voluptatis: pulchra autem, quia cum iucundorum pars sint, eadem de causa, qua illa, in bonis numerantur: honesta vero, vt sua vi & propter se expetenda.

Τῶν δὲ καλῶν: τὰ μέν, ἡδέα, τὰ δὲ αὐτὰ καθ᾽ ἑαυτὰ αἱρετά ἐστιν.

Rerum autem honestarum, hae quidem iucundae sunt, hae vero per se expetendae.

QVOD καλὸν Graeci appellant, non vnam naturam habet: vt infra enim quoque aperte testatur, καλὸν vocatur, siue, quod iucundum est, siue, quod propter se expetendum. Quae autem iucunda sunt, bona iam esse declarauit. ex definitione vero prima boni, dubitari non potest, quin alterum genus τοῦ καλοῦ, quod sua vi expetitur, bonum sit.

Ὡς δὲ κατὰ ἓν εἰπεῖν, ἀνάγκη ἀγαθὰ εἶναι τάδε, εὐδαιμονία: καὶ γὰρ καθ᾽ αὑτὸ αἱρετόν, καὶ αὔταρκες, καὶ ἕνεκα αὐτοῦ πολλὰ αἱρούμεθα.

Vt singillatim autem de his loquamur, necesse est bona haec esse, beatitudinem: est enim per se expetenda: contentaq; suis bonis: & , vt ipsam adipiscamur, multa statuimus nobis gerenda.

VT ad aliquas accedamus inquit: partimq; earum enumeremus, quae positis superioribus, bonae res sint necesse est, haec (inquam) bona sunt. primum autem appellat praestantissimum omnium bonorum: & quod è plurimis, maximisq; bonis rebus, conflatum est, beatitudinem. illa vero, vt ipse ostendit, multis nominibus bonum esse intelligitur: & quod propter se expetenda sit: & quod se ipsa contenta, nulla externa re egeat: & quod, vt eam consequamur, multa alia expetimus in vita, quae, nisi illam nobis conciliarent, non attingeremus.

Δικαιοσύνη, ἀνδρεία, σωφροσύνη, μεγαλοψυχία, μεγαλοπρέπεια, καὶ αἱ ἄλλαι αἱ

τοιαῦται ἕξεις: ἀρεταὶ γὰρ ψυχῆς: καὶ ὑγίεια, καὶ κάλλος, καὶ τὰ τοιαῦτα: ἀρεταὶ γὰρ σώματος, καὶ ποιητικαὶ πολλῶν, οἷον ὑγίεια καὶ ἡδονῆς καὶ τοῦ ζῆν.

Iustitiam, fortitudinem, temperantiam, magnanimitatem, magnificentiam, & alios huiuscemodi habitus: virtutes enim animi sunt: & bonam valetudinem, & pulchritudinem, & huiuscemodi alia: virtutes enim corporis, & efficientes multarum rerum, veluti bona valetudo, & voluptatis & vitae.

Hvivs etiam generis est (inquit) Iustitia, fortitudo, temperantia, magnanimitas, magnificentia: alijq; huiuscemodi habitus animi. Causam autem afferens, vnde haec eam vim habeant, vt bona merito habeantur, inquit. Sunt enim animi virtutes: statimq; bonorum etiam numerum augere dicit, bonam valetudinem, pulchritudinem, huiuscemodiq; alias res: quia corporis virtutes sunt: nec non, quia efficientes sint multarum rerum bonarum. quod exemplo bonae valetudinis confirmat, dicens eam & voluptatis & viuendi efficientem conciliatricemq; nobis esse. Plutarchus quoque in libello, quo collegit praecepta ad corporis sanitatem tuendam apta, idem intelligens: suppeditare scilicet illam multas voluptates, affirmat nullo modo conducere rationem bonae valetudinis non habere illis, qui voluptatem toto animo sectantur.

Διὸ καὶ ἄριστον δοκεῖ εἶναι, ὅτι δύο τῶν τοῖς πολλοῖς τιμιωτάτων, αἴτιον ἐστιν ἡδονῆς καὶ τοῦ ζῆν.

Unde & optimum esse videtur, quia duarum rerum, quibus a multis maximus honor tribuitur, causa est, voluptatis ac vitae.

Non mirum (inquit) est, si tantopere fertur valetudo, optimumq; esse existimatur: efficit enim duo, quae magni in primis ab hominibus vulgo aestimantur, voluptatem, ac vitam. quotus autem quisq; est, qui non voluptatem libenter sequatur, ac vitam etiam valde diligat? Ii igitur omnes bonam valetudinem optimum putant: vnde ea, quorum magno desiderio tenentur, proficiscuntur: nec tamen eam optimam esse inquit Aristoteles, sed a multitudine hominum huiuscemodi haberi. In Deliaco vero epigrammate optimum esse valere dicebatur.

Πλοῦτος: ἀρετὴ γὰρ κτήσεως καὶ ποιητικὸν πολλῶν.

Diuitiae: virtus enim rei familiaris & efficientes multarum rerum.

Divitias, non possessionem pecuniae, reliquorumq; bonorum, sed fructum vsumq;, vt supra, appellat: quas bonum esse vult: quia, qui re familiari, quam possidet, vtitur, is quod commodi in ea positum est, inde carpit: ea namque virtus est patrimonij. vnde perspicitur, qui amplum patrimonium habet, nec eo vtitur, vere diuitem appellari non posse: caret enim virtute illa, quae in ea re repperitur.

Φίλος καὶ φιλία: καὶ γὰρ καθ' αὑτὸν αἱρετὸν ὁ φίλος, καὶ ποιητικοὶ πολλῶν.

Amicus & amicitia: quoddam enim per se expetendum, est amicus; & efficiens multarum rerum.

Amicvs praeterea amicitiaq; bonorum numerum augent: neq; vna tantum de causa: amicus enim propter se, nulla quoq; vtilitate proposita, expetendus est. nec tamen non plura etiam, ac magna commoda auxilio amicorum consequimur. Et quia igitur sua vi bonum est, & quia conficiens est multorum bonorum, amicus, bonum esse intelligitur. in antiquissimo libro virili genere duo haec nomina sunt, αἱρετὸς & ποιητικός. cum in alijs & scriptis & excusis, neutro ambo legantur: eum quoq; sequitur vetus tralatio: nihil tamen variaui.

Τιμή, δόξα: καὶ γὰρ ἡδέα, καὶ ποιητικὰ πολλῶν: καὶ ἀκολουθεῖ αὐτοῖς, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὸ ὑπάρχειν, ἐφ' οἷς τιμῶνται.

Honor, gloria: sunt enim iucunda, & efficientia multarum rerum: consequiturq; ipsa plerunque, vt adsint, ob quae honorantur.

Honos praeterea ac gloria, bona sunt. nam & iucunda sunt ijs ipsis, qui ea confecuti sunt: quod autem iucundum, id bonum, vt supra declaratum est: & plurimarum bonarum rerum conficientes sunt. sed etiam, quia, qui honorem gloriamq; adepti sunt, ij plerunq; ea in se habent, propter quae homines merito honorantur: quae autem ea sint, supra ipse exposuit.

Δύναμις τοῦ λέγειν, τοῦ πράττειν· ποιητικὰ γὰρ πάντα τὰ τοιαῦτα ἀγαθῶν.

Facultas dicendi, & agendi: efficientia enim cuncta huiuscemodi rerum bonarum.

FACVLTAS dicendi quoq; & agendi, bona scilicet sunt. δύναμιν τοῦ λέγειν, verbum ex verbo, facultatem dicendi appellauit Cicero pro L. Muraena. qui locus etiam confirmat, quod hic traditur a philosopho, efficere vim illam: ac conciliare nobis praeclara quaedam bona, & amplissimos honores. Grauis etiam illa est & plena dignitatis, dicendi facultas, quae saepe valuit in consule deligendo. hoc autem interest, quod facultatem illic Cicero, vt aliis multis locis, artem appellat: & vim potestatemq; studio partam intelligit: hic vero Aristoteles naturalem potius facultatem significare videtur, & non praeceptis rhetorum conformatam: infra enim de scientijs, & artibus loquitur. δύναμιν autem habere eum τοῦ πράττειν significare voluit Cicero, cum in v. Tusculanarum de Dionysio Syracusarum iniusto rege, loquens, inquit. In rebusque gerendis virum acrem, & industrium.

Ἔτι εὐφυΐα, μνῆμαι, εὐμάθεια, ἀγχίνοια, πάντα τὰ τοιαῦτα: ποιητικαὶ γὰρ αὗται ἀγαθῶν αἱ δυνάμεις εἰσίν.

Amplius ingenium, memoria, docilitas, sollertia, cuncta huiuscemodi: efficientes enim hae facultates sunt rerum bonarum.

ACVMEN ingenij εὐφυΐα est: cum quidam ita facti a natura sunt, vt videant, quae alios fallunt. In viij. lib. Topicorum veram εὐφυΐαν esse inquit, posse recte sumere id, quod verum est, & aufugere falsum: quod affirmat posse eximie praestare eos, qui facti ad hoc sunt: &, vt ipse loquitur, οἱ πεφυκότες εὖ. docilitatem vocat Cicero εὐμάθειαν in v. lib. de finibus. Ἀγχίνοια, si Latino vno verbo exprimi potest, sollertia id est: non tamen videtur illud omnino par Graeco, nec penitus illi respondere: quid autem proprie ἀγχίνοια sit, declarat optimus magister in extremo primo lib. ὑστέρων ἀναλυτικῶν. & in vj. quoq; de rebus bonis & malis ad Nicomachum. Cur vero numero multitudinis μνῆμαι dixerit, non, vt alias facultates appellans, fecerat, vnitatis vsus sit, quaerendum. ne tamen id vitio librariorum factum subito aliquis dicat, nihil varietatis in scriptis libris inueni.

Ὁμοίως δὲ καὶ αἱ ἐπιστῆμαι πᾶσαι καὶ αἱ τέχναι.

Similiter autem & scientiae cunctae, atque artes.

EODEM modo (inquit) scientiae cunctae & artes in bonis numerantur: sunt enim efficientes multorum, ac magnorum bonorum.

Καὶ τὸ ζῆν: εἰ γὰρ μηδὲν ἄλλο ἕποιτο ἀγαθόν, καθ᾽ αὑτὸ αἱρετόν ἐστι.

Et viuere: si namque aliud nihil bonum consequeretur ipsum, per se tamen expetendum est.

VIVERE quoq; in bonis numerandum est: praeter enim quam quod plura bona viuentem consequuntur, si omnia etiam illa tollerentur, sua vi tamen vita expeteretur. hoc etiam inde intelligi potest, quod aerumnas plurimas homines perpetiuntur, & acerbissimos corporis dolores, vt viuant. id Aristoteles in iij. lib. de rep. narrat: nisi enim aliquid boni in vita inesset, quo tantae aerumnae, ac molestiae compensarentur, nemo illas sustineret. idem, quod eruditissimus vir in politicis suis: Cicero quoq; in v. lib. de finibus, protulit. Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturae, cum & mendicitatem multi perpetiantur, vt viuant: & quae sequuntur. Alexander quoq; in iij. lib. quaestionum naturalium, viuere bonum esse multis rationibus confirmat: non nulla, quae contra dici solerent, subtiliter refellens.

Καὶ τὸ δίκαιον: συμφέρον γάρ τι κοινῇ ἐστι.

Et quod iustum est: est enim quiddam, quod publice conducit.

QVOD aequum praeterea ac iustum, bonum est: vtile enim ciuitati est iura, legesq; seruari, & in improbos seuerè animaduerti: quod autem vtile, id etiam bonum: ipse enim saepe in his libris bonum id, quod prodest, appellat.

Ταῦτα μὲν οὖν σχεδὸν τὰ ὁμολογούμενα ἀγαθά ἐστιν: ἐν δὲ τοῖς ἀμφισβητησίμοις ἐκ τῶνδε οἱ συλλογισμοί.

Haec igitur ferme sunt bona, quae ab omnibus conceduntur: in illis autem, de quibus dissentiunt inter se, ex his ducuntur argumenta.

HAEC, quae supra exposita sunt, ferme bona certa sunt: nec dubitari de illis magnopere solet. alia autem sunt obscura, & quae non subito aliquis concederet. Vt igitur ipsa confirmemus, ac bona esse ostendamus, hinc ducere (inquit) argumenta debemus: locos autem plures tradit. Ἀμφισβητήσιμα vocat, de quibus magnae existunt controuersiae: de quibusq; diuersi homines varie sentiunt, ac quae demum in dubium vocantur. Ἀμφισβητεῖν Cicero controuersari reddi-
» dit, cum locum hunc Platonis è Protagora exprimeret. ἐγὼ μὲν καὶ αὐτὸς ὦ Πρωταγόρα καὶ Σώκρατες
» ἀξιῶ ὑμᾶς συγχωρεῖν, καὶ ἀλλήλοις περὶ τῶν λόγων, ἀμφισβητεῖν μέν: ἐρίζειν δὲ μή. verba Ciceronis haec sunt,
» a Prisciano citata: totum autem eum sermonem Cicero in Latinum conuertit. Nunc a vobis
» Protagora & Socrates postulo concedatis alter alteri, & inter vos de huiuscemodi rebus con-
» trouersemini, non concertetis.

Ὧι τὸ ἐναντίον κακὸν, τοῦτ' ἀγαθόν.

Cuius contrarium malum est, hoc bonum.

SI alicuius rei naturam, bona ne, an mala sit perspicere vis, contrariam illius specta: si namq; illa mala, haec bona: contraq;. hic autem valde notus locus est, & a Latinis quoq; scriptoribus
» frequentatus. Cicero in Topicis hoc exemplo rem declarauit. Si stultitiam fugimus, sapien-
» tiam sequamur.

Καὶ οὗ τὸ ἐναντίον τοῖς ἐχθροῖς συμφέρει, οἷον εἰ τὸ δειλοὺς εἶναι μάλιστα συμφέρει τοῖς ἐχθροῖς, δῆλον ὅτι ἀνδρεία μάλιστα ὠφέλιμον τοῖς πολίταις.

Et cuius contrarium prodest hostibus, veluti si timidos esse nos maxime prodest hostibus, non est dubium, quin fortitudo maxime vtilis sit ciuibus.

ID quoq; bonum est, cuius contrarium prodest hostibus, ceu (inquit) si timidos nos esse maxime conducit hostibus, perspicuum est, fortitudinem maxime vtilem esse ciuibus. Hoc loco praeclare vsus est Cicero in oratione pro L. Muraena: id autem exemplum hic propter digni-
» tatem oratoris adponam. Si L. Catilina cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum
» eduxit, hac de re posset iudicare, condemnaret L. Muraenam: si interficere posset, occideret.
» paulopost. Idem ne igitur delecti amplissimis ex ordinibus, honestissimi atq; sapientissimi vi-
» ri, iudicabunt, quod ille importunus gladiator, hostis reip. iudicaret? Sed etiam Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte narrat, se hinc argumentum elicuisse, cum persuasit ciuibus suis, temporibus hoc Graeciae postulantibus, vt delerent omnem memoriam antiquarum iniuriarum, quae in ipsos a Thebanis profectae olim erant. Si enim (inquit) eas reminisci voluerimus, faciemus rem, quam maxime optaret Philippus.

Καὶ ὅλως, ὃ οἱ ἐχθροὶ βούλονται, ἢ ἐφ' ᾧ χαίρουσι, τοὐναντίον τούτῳ ὠφέλιμον φαίνεται.

Et omnino, quod hostes volunt, vel propter quod gaudent, contrarium huius videtur esse vtile.

SVMMATIMQVE (inquit) contrarium eius, quod hostes velint, aut cum factum est gaudent, bono nobis esse videtur. Huc quoq; confugit fallacissimus homo Sinon apud Virgilium, & ab hoc loco praesidium petiuit, cum, salutem suam callide procurans, quam abiecisse videri vo-
» lebat, inquit. Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridae.

Διὸ εὖ εἴρηται. Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος.

Quare probe dictum est. Profecto laetaretur Priamus.

QVARE (inquit) recte a poëta illud dictum est: quanto afficeretur gaudio Priamus: & quae sequuntur: hoc enim prorsus significare voluit, esse Graecis simultatem illam perniciosam: sapientissimus enim senex apud Homerum, cũ concertationem, inter Agamemnonem & Achillem ortam, sedare vellet, sic argumentatus est. Locum, quem indicat, in primo Iliadis esse, omnes norunt. Quae vero laetitiam afferunt hostibus, nobis malo esse, atq; incommoda importare, alijs etiam eiusdem poëtae testimonijs confirmari potest, vt cum inquit: δυσμενέεσσι μὲν χάρμα, & ἦπου καγχαλόωσιν οἱ ἕλληνες.

Ἔστι δὲ οὐκ ἀεὶ τοῦτο, ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ: οὐδὲν γὰρ κωλύει ἐνίοτε ταὐτὸ συμφέρειν τοῖς ἐναντίοις.

Est autem non perpetuum hoc, sed plerunque fit: nihil enim prohibet aliquando idem conducere aduersarijs.

NEC

NEC tamen hoc (inquit) perpetuum est, vt quod hostibus bono, nobis malo sit: quandoq; enim huiuscemodi tempora incidunt, vt idem aduersarijs prosit. quod etiam peruulgata quaedam vox declarat. Est igitur hoc plerunq; verum, non semper.

Ὅθεν λέγεται, ὡς τὰ κακὰ συνάγει τοὺς ἀνθρώπους, ὅταν ᾖ ταὐτὸ βλαβερὸν ἀμφοῖν.

Unde fertur illud, res malas cogere mortales, quando idem fuerit ambobus detrimentosum.

VNDE (inquit) vox illa fluxit, cogere mortales infortunia, ac mala. Hanc sententiam, prouerbij vice iactatam, adducit etiam in v. lib. de republica, ijsdem fere verbis. συνάγει γὰρ καὶ τοὺς ἐχθίστους ὁ κοινὸς φόβος.

Καὶ οὗ μὴ ἔστιν ὑπερβολή, τοῦτο ἀγαθόν. ὃ δ' ἂν ᾖ μεῖζον ἢ δεῖ, κακόν.

Et cuius non est exuperantia, hoc bonum est. quod autem fuerit maius quam oportet, malum.

ILLVD quoq; bonum est, quod esse nimium numquam potest: sed contra quo plus eius capimus, eo plus iuuamur. sunt autem non pauca, quae, cum modum superarunt, ostendunt. Quod igitur eius generis, maius est, quam opus foret, malum est: a quo periculo superiora illa vacua sunt. quare bona sint, necesse est. In virtutibus autem, quae morales vocantur, nihil aut nimium, aut parum esse, docuit ipse in ij. lib. de moribus ad Nicomachum.

Καὶ οὗ ἕνεκα πολλὰ πεπόνηται, ἢ δεδαπάνηται· φαινόμενον γὰρ ἀγαθὸν ἤδη, καὶ ὡς τέλος ἤδη τὸ τοιοῦτον ὑπολαμβάνεται καὶ τέλος πολλῶν· τὸ δὲ τέλος, ἀγαθόν.

Et cuius causa multi labores suscepti sunt, aut multi sumptus facti: speciem enim quandam in se boni hoc habet, & vt finis iam huiuscemodi omne existimatur: finisq; multarum rerum: finis autem bonum est.

ILLVD etiam, cuius causa multi labores suscepti sunt: aut multi sumptus facti: id enim iam speciem boni habet: & si non verum, saltem simulatum bonum est: & finis iam existimatur: quodque valde exoptandum est, finis multarum aerumnarum, ac molestiarum: omne autem, quod finis rationem habet, bonum est: & ingeniosi poëtae, multarumq; rerum periti homines, hoc spectarunt, cum dixere ea, quae infra ipse adiungit.

Ὅθεν ταῦτ' εἴρηται. Κὰδ δέ κεν εὐχωλὴν Πριάμῳ. καὶ Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν. — est particula expletiua ornatus gratia

Unde haec dicta sunt. Et Priamo in quo se iactaret. & Turpe est diu manere.

EXEMPLA haec ab Homero sumpta esse sciunt etiam, qui primoribus labris Graecum sermonem degustarunt. sunt autem in ij. lib. Iliadis. prius hanc vim habet: inducitur enim ab eo Iuno, quae suadet Mineruae, vt reuocet animos Graecorum a fuga, docens, eos rem dedecoris, damniq; plenam facturos, si in eo consilio discedendi a Troia, perseuerarint: Helenamq;, cuius recuperandae gratia tot fortissimi viri in hostili solo, longe a patria interfecti fuerant, apud amatorem suum reliquerint. quae res & Priamo, & Troianis omnibus iactationem ingentem verborum allatura esset: nam posterius, quod prouerbij vim obtinebat, vt ab auctore ipso prolatum fuerat, adduxit autem Cicero in epistola ad Atticum. ad illud etiam (vt opinor) respexit initio tertij libri de Officijs, quo loco vim eius Latinis verbis expressit: ita enim cum M. filio locutus est. Ad quos, quum, tamquam ad mercatum bonarum artium, sis profectus, inanem redire, turpissimum est. Pronuntiatur autem sententia haec ab Vlysse, qui munere illo retinendi in officio Graecos eloquentia sua, primus functus est: donec, quod primo sibi proposuerant, effecissent, atq; Ilium expugnassent: affirmat enim turpe esse diu in aliquo negotio foris manere, & antequam absolutum sit: ad exitumq; perductum, illud relinquere, & vacuum ab omni laude, inanissimisq; manibus, domum redire.

Καὶ ἡ παροιμία δὲ τὸ, ἐπὶ θύραις τὴν ὑδρίαν.

Et prouerbium prope fores hydriam.

PROVERBIVM hoc alibi (quod sciam) non inuenitur. Quare vim illius explanare me non posse fateor, auctoritate alicuius veteris scriptoris: neq; enim comminisci, ac fingere aliquid libet: aut quod nesciam, nescire fateri verecundor. E fontibus aquā Athenis sumebant: capitiq; impositam hydriam gestabant mulieres. quare cogitandū, an hac etiam voce accusetur ignauia corū, qui quod paene ad exitū perduxere, labore defatigati, relinquunt: vt mulier, cū longe ab oppido, aut domo sua, non sine molestia aquā portauit, vrceū ad aedium fores deponit. In sacris quoq; ac ludis quibusdam virgines aquam ferre consuerant. vt Porphyrius etiam docet in ij. eorum librorum, quibus disputauit, oportere sibi homines temperare a vescendis animantibus.

Καὶ ὃ πολλοὶ ἐφίενται· καὶ τὸ περιμάχητον φαινόμενον.

Et cuius desiderio multi inflammati sunt: idque, quod videtur dignum, vt de ipso inter se mortales contendant.

ID quoq;, quod multi expetunt: quodq; vt obtineant, non dubitant cum alijs pugnare, bonum scilicet est. Duo autem hi loci videntur, alter a desiderijs hominum de ea re excitatis: alter ab eorundem inter se de re illa concertatione. περιμάχητον veteres appellabant, de quo contendere inter se, ac digladiari homines consuerunt. vsus autem ea voce non semel est ipse in libris de moribus ad Nicomachum. Sed etiam Isocrates in laudatione Helenae.

Οὗ γὰρ πάντες ἐφίενται, τοῦτο ἀγαθὸν ἦν: οἱ δὲ πολλοὶ, ὥσπερ πάντες, φαίνονται.

Illud enim, cuius desiderio omnes flagrant, bonum est: multi autem, tamquam omnes, vulgo putantur

CVR id, quod multi expetunt, bonum existimari debeat, his verbis exponit. supra declaratum est in vita beata explicanda, quod omnes expetunt, id bonum esse. multi autem, tamquam omnes vulgo capiuntur.

Καὶ τὸ ἐπαινετὸν: οὐδεὶς γὰρ τὸ μὴ ἀγαθὸν ἐπαινεῖ.

Et quod laudabile est: nemo enim, quod minime bonum est, laudat.

ID etiam, quod laudabile est, bonum est: nemo enim (inquit) quod bonum non sit, laudat. Sequuntur sane, probantq; secum non pauci, quod bonum non esse, sentiunt. verumtamen non aperte id laudant: ac saepe se ab eo, quod cupide optant, abhorrere animo ostendunt: ne existimationem hominum amittant. ἐπαινετὰ, non quae aliquando laudata fuere vocantur, sed quae laude digna sunt, & honeste celebrari possunt.

Καὶ ὃ οἱ ἐχθροὶ, καὶ οἱ φαῦλοι ἐπαινοῦσιν.

Et quod inimici homines, ac maleuoli laudant.

QVOD hostes laudant, bonum esse: omniq; labe carere, existimari debet: libenter enim, si possent, vituperarent. Quare virtutem Aeneae non potuit magis extollere princeps Latinorum
» poëtarum, quam cum induxit Diomedem, ita loquentem. Stetimus tela aspera contra, Con-
» tulimusq; manus, experto credite, quantus, In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam: & quae sequuntur. itemq; quod maleuoli, & peruersi homines: qui & ipsi, quamuis nihil detrimenti acceperint, tamen ob ingenij prauitatem, hostili animo praediti sunt aduersus omnes. Quos igitur hi laudant, perfecti absolutiq; esse, credi debent: nihilque in se habere, quod reprehendi possit: id enim arriperent momi illi: momum enin finxerunt fabulae huius ingenij fuisse. Quod de hominibus diximus, id etiam de alijs rebus commode vereque dici potest: reperiuntur enim, qui omnia damnant, atq; criminantur.

Ὥσπερ γὰρ πάντες ἤδη ὁμολογοῦσιν, εἰ καὶ οἱ κακῶς πεπονθότες.

Tamquam enim omnes iam confitentur, si qui inde malum acceperunt.

PERTINET hoc ad primam partem, idest ad hostes. cum hostes (inquit) laudant, omnes iam consentire videntur: quis enim aduersaretur, ac repugnaret? cum illi etiam, qui multa incommoda inde acceperunt (vt fit in bello) probant, ac summis laudibus in caelum ferunt? Quod autem superiore in loco numerus hominum praestat: multi enim tamquam omnes habentur. in hoc animus voluntasq; facit: cognitus namque ille infensissimus ipsis, si tamen laudat, valet perinde, ac si omnes probarent: si vlli enim, hi certe reprehendere, ac criminari debebant.

Διὰ γὰρ τὸ φανερὸν ὁμολογήσειαν ἄν.

Quia enim id perspicuum est, confiterentur.

HI nullo modo induci possent, vt quos odio habent, probos viros esse faterentur: &, quae ab illis gesta sunt, recta esse dicerent, nisi veritate coacti forent: &, quia res tam aperta firmaq; est, vt negari labefactariq; non possit: non enim suspecti esse queunt: existimariq; gratia, aut amore corrupti. Διὰ τὸ φανερὸν, valet: quia satis perspicuum id planumq; est.

Ὥσπερ καὶ φαῦλοι, οὓς οἱ φίλοι ψέγουσι: καὶ ἀγαθοὶ, οὓς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι.

Quemadmodum & improbi, quos amici vituperant, ita vt probi, quos inimici non vituperant.

VIM superioris loci simili hoc explanat: declaratq; verũ esse, quod dixerat, quos hostes laudant, strenuos esse: quemadmodum enim (inquit) improbi sunt homines nequam, quos amici vituperant, ita a contrario probi, quos hostes non vituperant: credi.n.debet, cũ male animo affecti sint, vituperaturos fuisse, si quicquam, quod culpae affine foret, in illis inuenissent. Quod in

excusis hic antea erat, οἱ ἐχθροὶ ἐπαινοῦσιν, immutaui: secutusq; auctoritatem antiquissimi libri, scripsi μὴ ψέγουσι. Nam anteponi quoque priori debere hanc lectionem, in qua id, quod antea affirmatum erat, negatur, confirmat, quod infra etiam eodem pacto vox, quae molesta fuit Corinthijs, & huic loco respondet, conformata est: illic enim quoq;, particula negandi, priuans verbum sua notione, poëta cecinerat, illis non irasci Troianos: cum enim ex vtraque lectione contrarij aliquid percipiatur, diuersae naturae contraria haec esse patet: vt enim nunc legitur, ἀντιφατικῶς ipsa opposita sunt: quae Cicero negantia vocat.

Διὸ λελοιδορῆσθαι ὑπέλαβον Κορίνθιοι ὑπὸ Σιμωνίδου ποιήσαντος. Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον.

Quare in se conuicium iactum suspicati sunt Corinthij a Simonide, qui ita cecinit. De Corinthijs autem non queritur Ilium.

NON bene videtur proxime superiori loco respondere, quod ab Aristotele nunc, vt corollarium, adiungitur: cur enim existimare debuerunt Corinthij se contumelia affectos a Simonide melico, quod in cantilena quadam sua cecinerit. Ilium non incusare Corinthios, si quos hostes laudant, honesti ac fortes viri sunt: potius enim ornati ab eo fuere: tunc se laesos intelligere potuerunt, si, de quibus hostes non valde queruntur, ignaui habendi sunt. Accurate igitur tota res animaduertenda: vt tamen, quid sentiam libere aperiam, suspicor ita accipi hanc sententiam posse, vt valeat. Quae causa fuit, quod Corinthij ignominia se affectos a Simonide putarunt: qui tamen recte hoc loco, ornare ipsos volens, vsus est. Id vero illi, aut non viderunt, aut potius, quia non vna tantum hac de causa hostes consuerunt, non accusare aduersarios, sed etiam, siue quod non magna vlla incommoda in bello ipsis intulerint, siue quod secum tacite senserint, ambigua hac voce offensi, veriti sunt, ne astute ipsorum existimationem violare poëta voluerit: suspectamque demum hanc ipsius laudationem habuerunt. Aut igitur hic huius loci sensus est, aut aliquid mendi latet. Praeterea aliter interpretatur Plutarchus vocem Simonidis, quod Ilium non suscenseret Corinthijs, quamuis vna cum reliquis Graecis contra se arma tulissent. nam se quoq; auxilijs a Corinthijs adiutos Troiani meminerant: Glaucus enim, qui Corintho oriundus erat, strenue pro ipsis pugnauerat. Haec autem initio libelli scripta sunt, quo vitam gestaq; Dionis Syracusani complexus est. Idem etiam aperte, copioseq; exposuit Pindarus in xiij. ode Olympiorum, cum Xenophontem Corinthium, victorem eorum ludorum, ornaret: tetigit enim quoq;, quae patriae dignitatem afferebant, dicens virtutem Corinthiorum cognitam esse apud Ilium, cum ipsorum alteri Graecorum partes tuerentur: omniaq; facerent, vt Helena recuperaretur: intellexit autem Euchenorem Polyidis auguris filium: alteri vero contra niterentur: Glaucum enim, qui è Lycia venerat: contraq; ipsos stabat, horrebant in praelio Danai. Nihil tamen hoc ad sensum Aristotelis.

Καὶ ὅ, τῶν φρονίμων τις, ἢ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ἢ γυναικῶν, προέκρινεν. οἷον Ὀδυσσέα Ἀθηνᾶ: καὶ Ἑλένην Θησεὺς, καὶ Ἀλέξανδρον αἱ θεαὶ, καὶ Ἀχιλλέα Ὅμηρος.

Et quod prudentium aliquis, vel proborum virorum, aut feminarum melius existimauit, veluti Vlyssem Minerua, & Helenam Theseus, & Alexandrum deae, & Achillem Homerus.

AB iudicio etiam prudentium aut bonorũ virorum intelligi, ac confirmari posse aliquid bonum esse, ostendit: nec virorum solum, sed etiam lectissimarum feminarum: quos enim omnibus alijs hi aut illi praeposuerunt, boni strenuiq; habendi sunt: nam, quod ad prudentes pertinet, non existimandum est sine causa multarum rerum peritos & acuti ingenij viros, ita de illis existimasse, ac deceptos esse: neque enim falli potuerunt, vt probi, ob insignem aliquam nequitiam id commisisse existimandi non sunt: cum ijdem probi honestiq; viri sint. exempla, quae adiungit, nota sunt: vt Vlyssem enim (inquit) Minerua: Helenam Theseus: Paridem tres illae deae: Achillem Homerus: hi namq; omnes ceteris omnibus, quos appellat meliores iudicauerunt. Quod ad Theseum pertinet, Isocrates cum Helenam sibi omnibus modis ornare proposuisset, ab amore Thesei erga ipsam in primis eam laudat. Homerus vero cunctis alijs heroibus praestantiorem inducit Achillem, ac virtutibus illius celebrandis, alterum paene suorum operum videtur dicasse. quod voce etiam Alexandri regis intelligitur, qui fortunatum ipsum ea de causa appellauit.

Καὶ ὅλως τὰ προαιρετά.

Et demum, quae sunt alijs, sententia ipsorum, anteponenda.

NEC solum (inquit) quae meliora hi iudicant, sed ea demum omnia, quae alijs posthabitis, sumunt, bona existimanda sunt. a verbo προκρίνειν ad προαιρεῖσθαι transijt. in quorum alterutro aliarum reiectio, & vnius rei probatio intelligitur: sed in altero existimatio tantum: κρίνειν enim existimare est: in altero non ea solum, sed etiam sumptio. maxime autem homines studio persequi, atq; eligere ea, quae bona sunt, testatus etiam est in iij. lib. de moribus ad Nicomachum.

Προαιροῦνται δὲ πράττειν τά τε προειρημένα.

Proponunt autem sibi agenda, quae prius dicta sunt.

CVM ea, quae ab hominibus, alijs posthabitis, sumi consuerint, bona etiam esse dixisset, quae huiusmodi sint nunc docet: primoq; affirmat agenda sibi ipsos statuere, quae iam exposita sunt: a seque supra explicata, ac multis indiciis monstrata: non paucaque alia, quae statim adiungit. quod vero (inquit) προαιροῦνται πράττειν, quasi consilio habito antea de aliqua re, repudiatisq; ceteris rationibus, probasse aliquam: illiq; rei ita se agendae dare. sic etiam locutus est Demosthenes pro Ctesiphonte. ἐνταῦθα πάλιν σκέψασθε τί ἡμῶν ἑκάτερος προείλετο πράττειν. hoc ipso tempore rursus attendite, quid vterq; nostrum agere voluerit, & quam vitae viam ingressus sit.

Καὶ τὰ τοῖς ἐχθροῖς κακὰ, καὶ τὰ τοῖς φίλοις ἀγαθά.

Et quae malum dant inimicis, & quae fructum ferunt amicis.

NEC non facere eligunt, quae inimicis, malo sunt: & quae amicis, bono: puto enim repeti debere, tamquam commune huius, & aliorum non nullorum, qui sequuntur, locorum, προαιροῦνται πράττειν: laudem autem & hoc non paruam olim afferebat, omni ratione incommodare inimicis, quod a nostris moribus, institutisq; alienum est. Medea, generosi spiritus mulier, apud Euripidem laudat eũ, qui se ita in vita gerit, vt grauis molestusq; semper sit inimicis: amicis autem bonus ac propitius: & huiuscemodi hominum vitam gloria abundare tradit. Idem etiam facit Plutarchus in commentario de sera deorum aduersus improbos non nullos animaduersione: cum enim mirifice Thespesium laudaret, inter alias ipsius laudes, hanc etiam posuit, neminem tunc vixisse dicens, qui molestior esset inimicis: amicis autem firmior, constantiorq;. In ij. autem libro τοπικῶν dicere Aristotelem vtraque expetenda, atq; eiusdem indolis ingenijq; esse, notum arbitror.

Καὶ τὰ δυνατά: ταῦτα δὲ διχῶς ἐστί, τά, τε γενόμενα ἄν, καὶ τὰ ῥᾳδίως γιγνόμενα.

Et quae possunt effici: haec autem duobus modis capiuntur: ea, quae fierent vbique: & quae facile fiunt.

EFFICERE quoque student, atque illis gerendis libenter se dant, quae fieri possunt. Duobus autem modis capi δυνατὰ dicit: & quae enim procliuiter nulloq; negotio fiunt: & quae, quamuis non sine magnis laboribus molestijsq;, tamen conficiuntur, δυνατὰ docet appellari. in margine antiquissimi libri, eadem, qua liber exaratus est, manu, adnotatum est legi in quibusdam exemplaribus δυνατὰ δὲ, eadem, qua vsus antea fuerat, voce iterata. quod eo libentius admonui, quamuis parui ponderis res sit, nec sensum variet, quia vetus tralatio hanc scripturam sequitur.

Ῥᾴδια δὲ, ὅσα, ἢ ἄνευ λύπης, ἢ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ.

Facilia autem sunt, quaecunque, vel sine molestia, vel breuissimo tempore fiunt.

EXPRIMIT vim notionemq; eius nominis, quo in describenda natura rerum, quae fieri possent, vsus erat, aitq; facilia esse, quae aut sine molestia, aut paruo tempore fiunt. Cicero de inuentione. Facile id dicimus, quod sine magno, aut sine vllo labore, sumptu, molestia, quam breuissimo tempore confici potest. Ad declarandum igitur procliue aliquid esse, temporis exiguitas, & sublatio molestiarum multum valent.

Τὸ γὰρ χαλεπὸν ὁρίζεται ἢ λύπῃ, ἢ πλήθει χρόνου.

Difficile enim definitur, vel molestia, vel multitudine temporis.

A CONTRARIO id probat. Non eodem autem modo in omnibus libris haec verba leguntur: quamuis sententia non varietur: sunt enim scripti quidam, in quibus dandi casu & λύπῃ & πλήθει legatur: sunt etiam, in quibus nominandi, eadem illa nomina posita sint, vt in excusis antea legebatur. Ipse fideliorum codicum scripturam secutus sum: quam multis seculis hic haesisse, & antiquissimus liber, & vetus tralatio testantur. Elegantior autem hic, & magis frequens

quens modus est loquendi. Theophrastus in primo de causis eorum, quae oriuntur è terra. » ὁρίζονται δ᾽ τινὲς τοῦτο τριάκοντ᾽ ἡμέραις. & in iij. de moribus ad Nicomachum Aristoteles: ὁρίζεται γὰρ » ἕκαστον τῷ τέλει.

Καὶ ἐὰν ὡς βούλονται.

Et si vt volunt.

ITA in fidelioribus libris scriptum inueni, cum excusi antea perperam καὶ ὅσ᾽ ἂν haberent. Ci» cero ad Atticum. sane ita cadebat, vt vellem: delectamur enim praecipue illis rebus, quae ita fiunt, vt volumus, ac bona nobis esse iudicamus. Idem hoc ex sententia Latini scriptores, dicunt, vt apud comicum coquus. Pisces ex sententia nactus sum. Quod ad scripturam facit non videtur conuenire huic loco, quod superioribus, ἀπὸ κοινοῦ docui seruire: neq; hoc vt pars eorum capi debet, quae προαιροῦνται πράττειν: quamuis manifesto infra redeat ad ea explicanda, quae facere homines student, atque eligunt.

Βούλονται δὲ, ἢ μηδὲν κακὸν, ἢ ἔλαττον τοῦ ἀγαθοῦ.

Volunt autem, vel nihil mali, vel minus quam boni.

QVAE velint nunc docet: optant autem homines (inquit) sincerum bonum, & quod nihil mali admixtum habeat: aut si id impetrare non possunt: malum illud, quod inest, superari vinciq; a bono volunt, vt minus habeant mali, quam boni.

Τοῦτο δ᾽ ἔσαι, ἐὰν ἢ λανθάνῃ ἡ ζημία, ἢ μικρὰ ᾖ.

Hoc autem obtinebitur, si aut fefellerit paena, aut pusilla fuerit.

MINVS tunc, imbecilliusq; esse malum, quam bonum intelligitur, cum paena, quam secum non purum illud bonum portat, aut nos fefellerit: nec qua re plectimur senserimus: aut pusilla fuerit, si non omnino sensum nostrum aufugerit.

Καὶ τὰ ἴδια.

Et quae propria.

ALIIS non nullis modis, indiciisq; intelligi posse incerta bona declarat: quae enim alicuius propria sunt, bona illi esse affirmat. Iuno etiam apud Virgilium, cum munus suum ornare vel» let, se id ostendit daturam, in quo nihil iuris alius haberet: inquit enim, Coniugio iungam » stabili: propriamq; dicabo.

Καὶ ἃ μηδεὶς.

Et quae nemo alius.

QVI praeterea tenet, quae nemo alius, bona quaedam possidere certum est: cum, qui illis vti velint, necessario eo accedere cogantur. addit igitur hoc rebus ipsis auctoritatem: &, vt carae habeantur, facit: ac dominum ipsarum ornat, cum a nullo alio obtineri possint. In ij. libro ἠθικῶν μεγάλων, cum voluptatem defenderet contra criminatores ipsius, qui, vt alia multa, ita etiam hoc obijciebant, illam bonum haberi non debere, quia in promptu omnibus ac communis foret, inquit hoc vitium esse ambitiosorum hominum, ac naturae illius indolisque proprium, vt soli habere aliquid velint, atque ipsius possessione aliis hominibus praestare. Quia igitur huiuscemodi non pauci repperiuntur, ideo, quae nullo socio quispiam possidet, bona existimanda sunt.

Καὶ τὰ περιττὰ, τιμὴ γὰρ οὕτω μᾶλλον.

Et quae eximia sunt: pretium enim ita maius.

QVAE praestant etiam reliquis eiusdem generis rebus, bona scilicet sunt: cuius rei statim rationem reddit, dicens: Vel quae huiuscemodi sunt, atque eminent inter alia sui generis, in maiore honore habentur: quamuis videatur his verbis non tantum extremi huius, sed priorum etiam duorum locorum causam attulisse: eadem enim res dignitatem his omnibus acquirit. Eximia praeter alia, περιττὰ significare hic puto. Nec tamen negarim περιττὰ etiam dici, quae aliqua in domo supersunt, ac redundant. quo verbo vsus semper est Plutarchus in exponenda voce Scopae Thessali, opulenti hominis: a quo cum posceret familiaris quippiam, quod superuacaneum videretur, vt inutile, haec (inquit) superuacanea sunt, quae nos beatos ac fortunatos reddunt. In viij. lib. de rep. res non nullas (vt arbitror) appellauit περιττὰς, quae nec fructum

ferunt

ferunt ijs, qui ipsas exercent: nec mores eorum emendant, sed ad splendorem vitae tantum faciunt, aut pastum potius animorum: vt est subtilior cognitio rerum caelestium, & aliarum huiuscemodi rerum consideratio.

Καὶ τὰ ἁρμόττοντα αὐτοῖς.

Et quae congruunt ipsis.

ET quae ipsis congruunt, bona sunt, vt contra, quae non congruunt, bona existimari non debent, & haec causa fuit, cur Telemachus in iiij. Odysseae Menelai munera repudiaret: intelligebat enim (quod etiam, vt erat simplicis apertiq; ingenij puer, libere protulit) sibi parum accom-
» modata esse: quem locum eleganter expressit Horatius in epistola ad Mecaenatem. Non est
» aptus equis Ithacae locus, & quae sequuntur.

Τοιαῦτα δὲ τά τε προσήκοντα κατὰ γένος καὶ δύναμιν.

Huiuscemodi autem sunt, & quae conueniunt & genere & facultate.

HVIVSCEMODI sunt inquit, idest ἁρμόττοντα, quae ad eos pertinent, siue familiae iure: siue ex facultate viribusq;: quod scilicet ab ipsis recte tractari possint: nunc enim exprimit significatum verbi, quo vsus fuerat: &, quomodo accipi illud debeat, ostendit. ex familia vt Aiaci, arma
» Achillis: ipse enim apud Ouidium inquit. Frater erat, fraterna peto, si existimamus hic indicare auctorem voluisse, quae bona sint: crederet enim fortasse quispiam non sine causa intelligi potius debere, προαιροῦνται πράττειν: infra enim manifesto hoc adiungit. quod si verum esset, tunc exemplum hoc accommodatum non foret. sed etiam, quae conueniunt alicui, quia sint propriae dotes suae familiae, illi ipsi bona sunt. vt etiam quae facultati, qua praeditus est, congruunt. quod si declarari nunc bona arbitramur, non quae gerenda sibi statuunt, ab eodem poeta exemplum huius quoq; partis sumemus. quod auctor inquit ex viribus: idem enim heros apud eum, cum doceret illa Vlyssi non esse apta, ideoq; ei non tribuenda, hinc argumentum duxit: declarans magnopere cupidum eorum esse Vlyssem non debere, quod damno ipsi futura
» forent: nec enim ab tam infirmis viribus commode tractari poterant. Sed neq; Dulichius sub
» Achillis casside vertex Pondera tanta feret: nec non onerosa, grauisq; Pelias hasta potest imbellibus esse lacertis. Vt autem illi parum apta, ita sibi, qui robustus ac valens esset: valde accommodata.

Καὶ ὧν ἐλλείπειν οἴονται, κἂν μικρὰ ᾖ· οὐδὲν γὰρ ἧττον προαιροῦνται ταῦτα πράττειν.

Et quibus arbitrantur se carere, quamuis pusilla fuerint: nihilominus enim statuunt sibi haec agenda.

PRAETEREA (inquit) bona ipsis sunt, quibus se putant egere, vt merito illa in se, statuq; suo desiderari possint, quamuis exiguae res sint.. Rem vero ita se habere: verumque hoc esse probare volens, inquit. nihoilminus enim pusilla haec minutaq;, vt si magna forent, agenda sibi putant: eoq; animum applicant. Sententia cupidi hominis apud Flaccum, satis accommoda-
» tum exemplum est. O si angulus accedat, qui nunc deformet agellum: vt enim pulchrum praedium possideret, existimabat ille sibi particulam eam accedere debere: & quamuis pusilla res foret, cum carere se illa arbitraretur, non contemnebat.

Καὶ τὰ εὐκατέργαστα· δυνατὰ γάρ, ὡς ῥᾴδια.

Et quae nullo negotio conficiuntur: sunt enim generis eorum, quae fieri possunt, vt facilia.

ET ea quoque, quae non magno labore confici, & ad exitum perduci possunt, aggrediuntur, ac libenter agunt: continentur enim illa genere δυνατῶν: vt quae procliuia sint: non multo enim ante ipse docuit partem eorum, quae effici possunt, esse, quae procliuia sunt.

Εὐκατέργαστα δὲ καὶ ἃ πάντες, ἢ οἱ πολλοί, ἢ οἱ ὅμοιοι, ἢ οἱ ἥττους, κατώρθωσαν. κατορθόω

Nullo autem negotio conficiuntur, quae cuncti, vel multi, vel pares, vel inferiores feliciter gesserunt.

DOCET, quae potissimum res sint, quae facile confici absoluique possint. huiuscemodique sunt (inquit) quae cuncti, qui temptarunt aut multi, aut pari similesq;, aut inferiores nobis, praestiterunt: & ad exitum, quem optabant, perduxerunt.

Καὶ

χαριζομαι Καὶ ἃ χαριοῦνται τοῖς φίλοις, ἢ ἃ ἀπεχθήσονται τοῖς ἐχθροῖς.

m. B. *Et quibus gerendis gratum facient amicis, vel dolorem inurent inimicis.*

NEC non aggrediuntur illa, quibus gerendis gratificabuntur amicis, vel inimicis rem molestam odiosamque facient. Studium autem placendi amicis: siue inimicis dolorem inurendi, ac rem inuisam gerendi, valde homines impellit. Est autem hic locus, tamquam pars superioris illius, quo homines sumere faciunda inquit, quae inimicis malo sint, & amicis bono. vt autem illi & homines & eorum res, aut violabant, aut iuuabant, ita hi voluntatem eorundem, aut oblectare, aut laedere student.

Καὶ ὅσα, οὓς θαυμάζουσι, προαιροῦνται πράττειν.

Et quaecunque illi, quos admirantur, statuunt sibi gerenda.

ILLIS quoq; rebus incumbunt, quascunq; ij, quos admirantur, potiores ducunt: atque, alijs rebus relictis, agere student. causam huius rei non adfert, quia, vnde id fiat, apertum est: imitari enim homines studiose solent, quos semel suspicere coeperunt: diuinaq; illa bona, quae in animis eorum de se admirationem excitarunt, studium etiam ac desiderium se persequendi, atque aemulandi in ijsdem gignunt.

Καὶ πρὸς ἃ εὐφυεῖς εἰσὶ, καὶ ἔμπειροι: ῥᾷον γὰρ κατορθώσειν οἴονται.

Et ad quae natura facti sunt, & quorum magnum vsum habent: facilius enim putant se ipsa ex sententia effecturos.

AGGREDIVNTVR ea etiam, ac facere student, ad quae, siue natura, siue vsu aptos se intelligunt: cuius rei rationem statim reddens, inquit: facilius enim se rem praeclare confecturos putant: freti scilicet, aut acumine ingenij, aut experientia earum rerum. Eadem autem sententia non paruam quaestionem dissoluere voluit in xvij. segmento problematum, dicens: ἢ ὅτι ἐν οἷς οἴεται ἕκαστος κρατιστεύειν, ταῦτα προαιρεῖται. Causa etiam esse posset, cur homines, melioribus studiis relictis, in his fere versantur, in quibus multum valent, quod singuli, quibus in rebus arbitrantur se praestare ceteris, ac summum locum tenere, expetunt, atq; agere malunt.

Καὶ ἃ μηδεὶς φαῦλος: ἐπαινετὰ γὰρ μᾶλλον.

Et quae nemo nequam homo: magis enim laude digna sunt.

ET quae nemo parui pretij homo, & vnus è populo attingit, agere student. Eius rei causam afferens, inquit: sunt enim haec maiore laude digna, si quis confecerit: quid enim dignitatis habet tractare, quae quiuis non dubitat agere: speratq; se perficere? Hinc vero ducto argumento apud Euripidem quidam diuitias non se mouere dixit, quas etiam saepe improbissimi homines facillime consecuti sunt.

Μὴ πλοῦτον εἴπης, οὐχὶ θαυμάζω θεὸν. Ὃν χ᾽οἱ κάκιστοι ῥᾳδίως ἐκτήσατο.

Duo enim hi senarij, suppresso auctoris nomine, adducuntur a Plutarcho in commentario, quo docuit, quomodo instructi adolescentes ad lectionem poëtarum accedere debeant. Euripidis autem esse cognoui indicio Athenaei, qui eosdem in iiij. lib. δειπνοσοφιστῶν adducit: sententiam vero hanc totam copiose, eleganterq; exposuerat Cicero in Corneliana sua, vt ipsemet testatur in Oratore: hunc inde locum adducens. Neq; me diuitiae mouent, quibus omnis Africanos & Laelios, multi venalicij, mercatoresq; superarunt: neq; vestis, aut caelatum aurum, & argentum, quo nostros veteres Marcellos, maximosq; multi eunuchi è Syria, Aegyptoq; vicerunt: & quae sequuntur.

Καὶ ὧν ἐπιθυμοῦντες τυγχάνουσιν: οὐ γὰρ μόνον ἡδὺ, ἀλλὰ καὶ βέλτιον φαίνεται.

Et quorum cupiditate flagrant: non solum enim iucundum id, verum etiam melius videtur.

EA quoque, quae cupiunt, agere scilicet non metuunt: & omnibus rebus relictis aggrediuntur: ἀπὸ κοινοῦ namque προαιροῦνται πράττειν intelligendum. Huius rei causam afferens: nec enim solum inquit, quod quisq; amat, iucundum est (nam, quin iucundum id maxime sit, nemo inficiatur, & Deliacum etiam epigramma confirmat) verum etiam melius esse alijs existimatur: ac boni deniq; & ipsum speciem habet.

Καὶ

Καὶ μάλιστα ἕκαστοι, πρὸς ἃ τοιοῦτοι. οἷον οἱ φιλόνικοι, εἰ νίκη ἔσται· οἱ φιλότιμοι, εἰ τιμή· οἱ φιλοχρήματοι, εἰ χρήματα· καὶ οἱ ἄλλοι ὡσαύτως.

Et maxime singuli appetunt, ad quae procliues valde sunt, vt cupidi victoriae, si victoriam adipiscentur: cupidi honoris, si honorem: auidi pecuniae, si pecuniam: & reliqui eodem modo.

LOCVM hunc deprauatum correxi, adiutus ab antiquissimo libro: excusi enim antea habebant, καὶ ἃ μάλιστα. quare mediam vocem, quae sensum omnem turbabat, & structuram verborum asperam reddebat, deleui. huius etiam lectionis vestigia sunt in vetere tralatione. Sensus autem hic est. Et singuli in primis expetunt, studioseq; in vita persequuntur, quae ita diligunt, vt inde τοιοῦτοι appellentur: idest cupidi amatoresq; ipsarum illarum rerum. Exempli gratia (inquit) studiosi victoriae, si victoria potiri poterunt: auidi honoris, si honos ipsis aderit. auari maxime agere expetunt, quae pecuniam ipsis cogere possint, vt honores etiam posthabeant, ac corporis voluptates. Eandem sententiam, exemplis tamen variatis, protulit in primo libro de moribus ad Nicomachum, nisi quod illic de iucundo, hic de bono disputat: quod tamen & ipsum, vt ante exposuit, simulatum bonum est. Probare vero illic voluit honesta facta: quaeq; cum virtute administrata sint, suauitates afferre studioso virtutis, eadem ratione, qua ceteri homines voluptates capiunt ex illis rebus, a quibus φιλοτοιοῦτοι vocantur: idest amatores earum: equus enim (inquit) studiosum equorum alendorum oblectat: qui iuncto nomine a Graecis φίλιππος vocatur: ac loca noua visere, spectaculaue, cupidum spectandi: qui itidem appellatur φιλοθέωρος.

Περὶ μὲν ἀγαθοῦ, καὶ τοῦ συμφέροντος, ἐκ τούτων ληπτέον τὰς πίστεις.

De bono & vtili, ex his sumendae sunt probationes.

CVM aliud, quod saepe vsu venit in deliberationibus, tradere iam vellet, antea, vt consueuit, repetit, quae adhuc egerit, dicens, se monstrasse, vnde probationes sumi possent, & quae ad fidem faciendam valent, cum aliquis de bono: idest de vtili agit: est enim quod ait, & vtili, quasi declaratio antecedentis sententiae: ita namque aperuit, quod bonum intelligeret, cum sint plures ipsius partes.

Caput VII De Bono atque utilium Comparatione

Ἐπεὶ δὲ πολλάκις ὁμολογοῦντες ἄμφω συμφέρειν, περὶ τοῦ μᾶλλον ἀμφισβητοῦσιν· ἐφεξῆς ἂν εἴη λεκτέον περὶ τοῦ μείζονος ἀγαθοῦ καὶ τοῦ μᾶλλον συμφέροντος.

Quia autem saepe, confitentes ambo conducere, de illo, quod magis homines controuersantur, deinceps videretur dicendum de maiore bono, & quod magis conducit.

DE collatione bonotum inter se nunc agit, quod ipse his verbis aperte testatur. quam omnem rem vberius explanatiusq; in iij. lib. Topicorum pertractauit: non nullos enim quoque locos iisdem, quibus hic, verbis, illic exposuit. Vnde bonum autem aliquid esse ac conducere, confirmari possit: nec non, quod incertum sit atq; anceps, quomodo & ipsum comprobari: vtileq; esse demonstrari, iam ostenderat: veruntamen non satis hoc esse docet: saepenumero enim nulla de hoc lis est: quiq; inter se controuersantur, consentiunt vtrumq; vtile esse: vterq; tamen maius id bonum esse, quod laudat, contendit: de hocq; inter se pugnant. quare aperiendum est quomodo, quod quisq; suadet, ac profert, melius vtiliusq; esse declarare queat: non nulla tamen antea explicanda sunt, quae cognita hanc praeceptionem adiuuabunt, sine quibusq; percipi nullo pacto res posset. manifesto autem intelligitur, quod sequitur, ἐφεξῆς ἂν εἴη λεκτέον, esse ἀπόδοσιν, redditionemq; illius ἐπεὶ: quia hoc vsu venit, quid autem id sit, ipse narrauit, nostrae sunt partes, vt hoc explicemus, locosq; tradamus, vnde duci argumenta possint: quibus confirmemus quidpiam esse maius bonum, magisq; conducere, quam aliud.

Ἔστω δὴ ὑπερέχον μὲν, τοσοῦτον καὶ ἔτι, ὑπερεχόμενον δὲ τὸ ἐνυπάρχον.

Sit iam praestans, tantum & amplius: superatum autem, quod eo continetur.

APPELLAVIT ὑπερέχον Cicero, praestans: ὑπερεχόμενον vero, superatum. praestans igitur philosophus (inquit) est, tantum, quantum superatum est, & amplius: superatum autem, quod in eo inclusum est.

Καὶ μεῖζον μὲν ἀεὶ, καὶ πλεῖον πρὸς ἔλαττον.

Et

Et maius quidem semper & plus ad minus.

Dvobvs his verbis ex altera parte vnum respondet: quod contrariam naturam habet: vt enim ipsa è genere eius sunt, quod praestat aliis, ita hoc infra superatum collocatur. Maius de quanto illo dici consueuit, quod Graeci συνεχές: plus vero de eo, quod ijdem διωρισμένον, definitum deiunctumq; Latini appellant. nec tamen Graeco sermone distinctum est in vtroq; genere quanti, quod superatum est: pariter enim in vtroque ἔλαττον uocatur: tam enim ἐλάττων numerus, quam gladius, anulus, digitus, & aliae huiuscemodi res appellantur. hoc notum esse vult, nequis postea in re pertractanda scrupulus exoriatur: & maius, ac plus semper ad definitum aliquid referri dicit, vt numquam simpliciter, ac sine certi cuiusdam comparatione dicantur.

Μέγα δὲ καὶ μικρὸν, καὶ πολὺ καὶ ὀλίγον, πρὸς τὸ τῶν πολλῶν μέγεθος.

Magnum autem & paruum: & multũ & paucum, ad multorum magnitudinem.

Magnvm etiam, paruumq;: multum, ac paucum, quamuis absolute quippiam dici videatur, tamen vere ita non dicitur, sed conferuntur haec cum multorum magnitudine & multitudine (id enim quoq;, quamuis ab eo prolatum non sit, intelligendum est) illa videlicet, quae in plerisq; similibus & eiusdem generis repperitur, quod, significans supra, inquit. μικρὸν ἀρετὴ τοῦ ὑπερέχειν πολλῶν: intelligit enim, quae supra, cum duorum generum esse dixisset, καθ' αὑτὰ appellauit: habent enim haec quoq; occultam collationem, cum alterum genus apertam habeat, duo namq; certa inter se comparantur: quare contineantur necesse est duobus illis generibus, quorum alterum superat: alterum superatur.

Καὶ ὑπερέχον μὲν, τὸ μέγα: τὸ δὲ ἐλλεῖπον, μικρὸν. καὶ πολὺ καὶ ὀλίγον, ὡσαύτως.

Et praestans quidem, quod magnum est: in quo vero desideratur aliquid, paruum. & multum & paucum eodem pacto.

Qvae vtrunque sint, aperit: praestat enim (inquit) necessario multis, quod magnum vocatur: superatur autem, quod paruum ducitur: eadem ratio est reliquorum duorum: praestant enim numero multa: superantur autem, pauca. Animaduertendum, quod supra ὑπερεχόμενον vocauit, nunc ἐλλεῖπον ipsum appellare.

Ἐπεὶ οὖν ἀγαθὸν λέγομεν τό, τε αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα, καὶ μὴ ἄλλου, αἱρετὸν.

Quia igitur bonum dicimus, quod ipsum sui ipsius causa, & non alius expetendum est.

Cvm locus supra ostendere vellet, vnde, quae bonum aliquid esse confirmarent, argumenta promerentur, necesse habuit antea naturam boni explicare: quod nunc etiam facit, cum orta quaestione de duobus bonis, vtrum ipsorum maius bonum sit, quomodo id argumentis comprobari possit, declarare constituit: cuncta enim paene illa repetit, statimque, quae ad id probandum valeant, elementa ostendit. Respondet autem huic ἐπεὶ, quod, his omnibus interiectis, infra positum est, ἀνάγκη: & quae sequuntur. Quoniam enim (inquit) bonum esse dicimus, quod hoc & illud in se habet, ac praestat, necesse est haec ipsa bona sint: descriptiones vero hae boni, cum ijsdem paene verbis, quibus supra traditae sunt, exponantur: a meq; illic declaratae fuerint, iterum nunc inutiliter non explicabuntur.

Καὶ οὗ πάντα ἐφίεται: καὶ ὃ, νοῦν ἂν, καὶ φρόνησιν λαβόντα, ἕλοιτο.

Et quod omnia appetunt: & quod, si acceperint mentem, ac prudentiam, sumerent.

Sic habent meliores codices, non virili genere πάντες ἐφίενται: & paulo post. λαβόντα ἕλοιτο. cum illic etiam in formis excusis antea legeretur, λαβόντες ἕλοιντο. de hoc autem supra disserui. Addam tamen, quae confirmant ita loqui consuesse veteres illos duo exempla tragicorum: Aeschylus enim in Agamemnone inquit, οἶκος δ' αὐτὸς, εἰ φθογγὴν λάβοι, σαφέστατ' ἂν λέξειεν. & Euripides in Iphigenia apud Tauros, ἐκ δ' ἐπικράνων κόμας ξανθὰς καθεῖναι, φθέγμα δ' ἀνθρώπου λαβεῖν.

Καὶ τὸ ποιητικὸν, καὶ τὸ φυλακτικὸν, ἢ ᾧ ἕπεται τὰ τοιαῦτα.

Et quod efficiendi & tuendi vim habet: & id, quod huiuscemodi consequuntur.

Pavcis

Pavcis verbis rationes tres repetit, quibus supra plenius cognosci posse aliquid bonum esse indicauit: haec enim quoque, quae appellat, bona sunt: non primi tamen illius generis, sed eius, quod id adiuuet.

Τὸ δ' οὗ ἕνεκα, τὸ τέλος ἐστί· τέλος δ' ἐστίν, οὗ ἕνεκα τὰ ἄλλα.

Cuius autem causa, est finis: finis autem est, cuius causa cetera fiunt.

Ita passim vocare Aristotelem finem, notum est: infinitis enim locis concisa hac locutione eum significauit. declarat tamen nunc, quid illis intelligat: ac plenius rem exponit.

Αὑτῷ δὲ ἀγαθὸν, τὸ πρὸς αὐτὸ ταῦτα πεπονθός.

Sibi autem bonum, quod ad se ornandum haec accepit.

Si locus vitio vacat, is sensus videtur Aristotelis fuisse, vt bonum non solum esse tradat, quod absolute dicitur, & eiusmodi sua sponte est, verum etiam, quod alicui est tale: id enim quoque bonum est: si non simpliciter, at cui tale: non enim semper, quod sua vi bonum, omnibus bonum: & quod multis non bonum, non quibusdam bonum. Auctor veteris tralationis videtur in suo codice, nominandi casu αὐτὸ scriptum habuisse: ipsum enim in ea legitur, perperam tamen. Idem vero erratum est, vbi de eadem disserit in ij. lib. ἠθικῶν μεγάλων: cum enim scrupulum euelleret, qui male aliquos habuisset, tamquam nemo iniuste facere quippiam posset, nisi prudentiae compos esset: ostenderetq; id omnino inane ac falsum, quia vir iniustus accurate non quaerit: nec potest diiudicare simpliciter bonum, ac quod ipsi bonum est, sed labitur in hac re: quaeq; omnino bona sunt, sibi quoq; bono futura putat: est namq; hoc vere existi« mare proprium prudentiae, inquit. Οὐ γὰρ σκοπεῖ ὁ ἄδικος· οὐδὲ δύναται κρίνειν τὸ ἁπλῶς ἀγαθὸν, καὶ τὸ » αὐτὸ ἀγαθὸν, & quae sequuntur: αὐτῷ enim videtur legi debere: vt infra scriptum est, quo loco » exemplis positis id confirmat, scribens. Ὅτι μὲν οὖν ἁπλῶς καὶ ἡ τυραννὶς ἀγαθὸν, καὶ ἡ ἀρχὴ, καὶ ἡ ἐξ» ουσία, οἶδεν: ἀλλ' εἰ αὐτῷ ἀγαθὸν, ἢ μὴ: ἢ πότε, ἢ πῶς διακειμένῳ, οὐκ ἔτι οἶδε. Nec multo post, senten» tiam ratione concludens: αἱρεῖται γὰρ ἀγαθὰ, ὑπὲρ ὧν ἀδικεῖ, τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ, οὐ τὰ αὑτῷ ἀγαθά: ita enim in scriptis codicibus legitur, cum in excusis menda sit: diuersa tamen a superiore. Simpliciter igitur bona sunt regnum, diuitiae, opes, huiuscemodiq; alia: certis autem hominibus saepe eadem non bona: quia, si adepti illa sint, immoderatius efferrentur: ac sibi ipsis etiam, non alijs tantum, iniurias inferrent.

Ἀνάγκη τά, τε πλείω τοῦ ἑνὸς καὶ τῶν ἐλαττόνων, συναριθμουμένου τοῦ ἑνὸς, ἢ τῶν ἐλαττόνων, μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι.

Necesse est plura vno & paucioribus, si numeratum fuerit in ipsis vnum, vel pauciora, maius bonum esse.

Breviter Cicero in suis Topicis hunc locum exposuit: inquit enim. Numero sic compara» buntur, vt plura bona paucioribus bonis anteponantur: qui tamen magna indiget animaduersione. Plenius etiam Aristoteles in Topicis eum explicauit, vbi quid occurrere huic praecepto, ac repugnare videtur, expromit: accurateq; dissoluit. copiosius adhuc Alexander, subtiliusq; totam rem pertractat. quod vero hic inquit. Si in pluribus illis numeratum fuerit, aut vnum aut pauciora, nisi hoc addidisset, locus hic saepe falleret: si enim diuersa bona sumerentur, aliquando pauciora bona pluribus bonis potiora forent: iustitia enim prudentiam solam adiunctam habens, melior ac magis expetenda est, valetudine, diuitijs, robore, pulchritudine, nobilitate, simul sumptis: quae certe numero vincunt. Hoc autem nullo modo euenire potest, si pauciora illa bona in pluribus inclusa sunt, & numerum eorum explent. quod significare ipsum voluisse superioribus verbis existimare debemus: hic enim arbitror, συναριθμουμένου τοῦ ἑνὸς, ἢ τῶν ἐλαττόνων valere: cum vnum (inquam) aut pauciora, in pluribus illis comprehensa sunt, ac numerum eum, & tamquam cumulum conficiunt, cum (inquam) & ipsa in coagmentatione illa plurium bonorum fuerint, vt alibi hoc verbum accepisse Aristotelem censet eruditissimus interpres, & qui omnes ipsius sensus praeclare calluit: in primo enim libro de moribus, ad Nicomachum, cum inquit, de vita beata loquens: ἔτι πάντων αἱρετωτάτην, μὴ συναριθμουμένην: συναριθμουμένην δὲ, δῆλον, ὡς αἱρετωτέραν μετὰ τοῦ ἐλαχίστου τῶν ἀγαθῶν, Alexander existimat συναριθμουμένην illic, συγκρινομένην valere: quod in commentario in ij. librum Topicorum ostendit a se plenius, cum verba illa interpretaretur, in proprijs eorum librorum declarationibus, testificatum esse, vt beatitudinem solam, omnium rerum maxime expetendam Aristoteles dicat: nisi in illis rebus, cum quibus conferatur, eadem copulata fuerit: & vna cum illis numeretur: aut, si nomine non appelletur, positis tamen illis, cum ipsam eam fingant ac constituant, & ipsa illic lateat: aceruumq;

eorum

eorum bonorum obscure augeat: nihil enim tam expetendum dici potest, quam beatitudo: cunctaq; alia, prae illa, iacent: siquis tamen altera ex parte eandem ponat, adiungatq; quod vis bonum, etiam pusillum, tunc ipsa cum eo copulata magis expetenda se ipsa, ab omnibus aliis bonis destituta, erit. Nam ita etiam accipi συναριθμεῖσθαι, vt valeat quidpiam augere numerum aliquem rerum, & habere eam naturam, vt additum illis, numerum maiorem efficiat ipsarum, testimonio eiusdem confirmatur, cum eodem in loco inquit, vitam beatam, adiunctis ei virtutibus, non magis expetendam esse vita beata sola: quia in vita beata continentur virtutes: nec bonam corporis habitudinem, si adplicatam habeat valetudinem, quamuis duo bona videantur, magis optandam, bona corporis habitudine sola: cum valetudinem illa sua vi complectatur: neq; enim numerantur cum illis, quae continent aliquas res, quae ab ipsis continentur, & tamquam in sinu eorum sint: nec priorem aceruum illum augent, vt quae duorum bonorum speciem habeant, singula tantum bona sint. Oportet autem adportare, qui coagmentationem aliquam rerum amplificare vult, quae eius generis sunt, vt illis addita, aliquid noui afferant.

Ὑπερέχει γάρ· τὸ δὲ ἐνυπάρχον, ὑπερέχεται.

Superat enim: quod autem continetur illo, superatur.

Affert causam, cur necesse sit id maius bonum esse: vtiturq; rebus paulo ante definitis: praestant enim (inquit) plura illa: quod vero in ipsis numeratur, atq; inclusum est, superatur, ac vincitur: demonstratum autem est quod praestat, maius esse: quod vero superatur, minus.

Καὶ ἐὰν τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου ὑπερέχει, καὶ αὐτὰ αὐτῶν· καὶ ὅσα αὐτὰ αὐτῶν, καὶ τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου.

Et si maximum maximo praestiterit, & ipsa ipsis: & si ipsa ipsis, & maximum maximo.

Verba, quibus vtitur, ob breuitatem, obscura: res postea, exemplis illustrata, satis plana. locus igitur huiuscemodi est. si, quod maximum est aliquo in genere specieue, maximo, alio in genere specieue praestat: & genus simpliciter generi: speciesq;, speciei praestabit: & contra (quae conuersio est primi huius loci) si genus simpliciter aliquod, speciesue, generi alij specieiue praestat, & quod maximum in genere illo, siue specie, est, praestabit ei, quod maximum in alio illo genere, siue specie, est. in teitio quoq; Topicorum eosdem locos, parum discrepantibus verbis, exposuit: ante tamen illic eum, qui a generum excellentia probat excellentiam optimorum in illis posuit, contra atq; hic facit.

Οἷον εἰ ὁ μέγιστος ἀνήρ, γυναικὸς τῆς μεγίστης, μείζων, καὶ ὅλως οἱ ἄνδρες τῶν γυναικῶν μείζους· καὶ εἰ οἱ ἄνδρες τῶν γυναικῶν ὅλως μείζους, καὶ ἀνήρ, ὁ μέγιστος, τῆς μεγίστης γυναικὸς μείζων.

Ceu si maximus vir maxima muliere maior, & viri mulieribus omnino maiores: & si viri mulieribus omnino maiores, & vir maximus maxima muliere maior erit.

Menda, quae perturbare non parum lectorem potuissent, hinc sustuli: εἰ namque particula non suo loco posita erat: & eadem etiam infra, penitus defecerat, in quem locum restituta est: sic autem legi debet cum scriptis codicibus. Viri, mulieresq; genera duo sunt. si maximus igitur (inquit) vir vno in genere, maxima muliere altero in genere, maior est: & simpliciter (inquit) viri mulieribus maiores, quod supra vocauit, καὶ αὐτὰ αὐτῶν, intelligens verbis illis genera: contraq; si viri mulieribus simpliciter maiores, & maximus vir maxima muliere, maior. Qui exemplo ab Aristotele allato, contentus non est, quamuis & elegans, & apertum sit, plura apud Alexandrum inueniet.

Ἀνάλογον γὰρ ἔχουσιν αἱ ὑπεροχαὶ τῶν γενῶν, καὶ τῶν μεγίστων ἐν αὐτοῖς.

Eandem enim rationem habent exuperantiae generum, & eorum, qui maximi sunt in ipsis.

Causam huius rei affert dicens, seruare eandem rationem: sibiq; mutuo respondere exuperantiam generum, & eorum, quae maxima in generibus ipsis sunt: vt, quam rationem alterutrum eorum ad compar sibi habet, eandem etiam alterum ad reliquum habeat.

Καὶ ὅταν τόδε μὲν τῷδε, ἕπηται· ἐκεῖνο δὲ τούτῳ, μή.

Et quando hoc consequitur hoc: illud autem hoc, minime.

EXEMPLA omnem rem aperiunt: &, siqua obscuritas in his verbis est, discutiunt. Cum aliqua res (inquit) ab aliqua seiuncta esse non potest, sed ei comitatur: contra autem non fit, quae secum illam trahit, melior est.

Ἕπεται δὲ ἢ τῷ ἅμα, ἢ τῷ ἐφεξῆς, ἢ τῇ δυνάμει: ἐνυπάρχει γὰρ ἡ χρῆσις, ἢ τοῦ ἑπομένου, ἐν τῇ θατέρου.

Consequitur autem, vel simul, vel deinceps, vel potestate: continetur enim vsus eius, quod consequitur in alterius.

TRIBVS modis dici aliquid comitari alicui docet: aut enim comitari dicitur, quod eodem tempore & ipsum, & quod comitatur, sint: aut, quod deinceps consequatur: aut potestate ac vi: quae autem adiungit, tertium modum confirmare puto: atq; ostendere ita cum aliquo affectū, recte dici consequi illud: vsus namq; (inquit) eius, quod consequitur, inclusus est, ac latet in vsu, tractationeq; alterius, vt exemplo ipsius manifesto declarabitur.

Ἕπεται δὲ ἅμα μὲν, τῷ ὑγιαίνειν, τὸ ζῆν: τούτῳ δὲ ἐκεῖνο, οὔ.

Consequitur autem simul quidem, bonam valetudinem, vita: hoc vero illud, minime.

VBI valetudo, illic necessario vita: comitatur enim vita valetudini: non tamen vbi vita, illic valetudo: multi namque aegro corpore viuunt. quare melior valetudo, quam vita.

Ὕστερον δὲ, τῷ μανθάνειν τὸ ἐπίστασθαι.

Postea autem perceptionem aliquarum artium scientia.

ANIMADVERTENDVM vi huius argumentationis, videri (quod praeter omnium opinionem est) discere plus esse, quam scire, quod posterius ipsum consequitur: prius namque secum trahit posterius. Itaq; coniuncta illa inter se sunt: contra autem, minime: qui enim discit, postea omnino scit: qui vero scit, iam non discit: illud namq; praecessit, atq; abijt. quare hoc absq; illo manet: illud vero nullo pacto absque hoc, ipsi scilicet comitante: etenim necessario postea sequitur. an, quod magis expetendum est, didicisse consequitur? praestat enim didicisse, quam discere.

Δυνάμει δὲ, τῷ ἱεροσυλεῖν, τὸ ἀποστερεῖν: ὁ γὰρ ἱεροσυλήσας καὶ ἀποστερήσειε.

Potestate autem, vt è sacro loco eripere, furari: qui enim fanum expilauit, furaretur etiam.

CVM supra, quomodo aliquid quippiam consequitur, exponeret, duobus tantum modis contentus fuit: hic tertium adiungit, quem potestate appellat. Is autem est, cum alterius vis, altero continetur: exemplo autem luculento totam rem explanauit, vt ei, quod est fana expilare, furari comitatur. cuius rei statim rationem reddit, dicens: qui enim è sacro loco, is etiam è profano aliquid surriperet. hoc etiam exemplo Quintilianus vsus est, cum de coniectura ex
» maiore loqueretur. Si quis sacrilegium facit, faciet & furtum: maius enim quoque sit necesse est, si alterum in se inclusum habet.

Καὶ τὰ ὑπερέχοντα τοῦ αὐτοῦ μείζονι, μείζω: ἀνάγκη γὰρ ὑπερέχειν καὶ τοῦ μείζονος.

Et ea, quae praestant eidem maiore, maiora sunt: necesse namque est praestare etiam maiori.

CVM duo seorsum eidem praestant, non eodem tamen modo ambo praestant, sed gradus aliqui exuperantiae inter illa sunt, alterum eorum, quod maiore aut motu, aut aliqua re superat, id maius est. exempla deesse non possunt: siquis tamen non facile inuenerit, ad numeros confugiat: qui rem ante oculos constituent. quod autem inquit, causam eius afferens: necesse namq; non illi tantum, verum etiam maiori praestare. maius hic appellat, quod alterum vincebat, & ab altero vincebatur: nam & ipsum tertio illo maius est.

Καὶ τὰ μείζονος ἀγαθοῦ ποιητικὰ, μείζω.

Et quae maioris boni efficientia sunt, maiora.

ET quae maioris boni efficientia sunt, maiora & ipsa bona sunt. Eundem autē hunc locum com
» mutatis verbis exponit in iij. Topicorum. ἐπεὶ δύο ποιητικῶν ὄντων, οὗ τὸ τέλος βέλτιον, καὶ αὐτὸ βέλτιον.

Illum

Illum vero Alexander magis explanat: visus est enim ipsi Aristoteles in ea re tradenda fuisse obscurior: exempla autem, quae protulit hic quoq; accommodata sunt: inquit enim. Hoc pacto studia bonarum artium, exercitationibus corporis meliora esse ostendentur: exercitationes enim valetudinis conficientes sunt: studia vero illa, sapientiae: sapientia autem magis expetenda valetudine.

Τοῦτο γὰρ ἦν τὸ μείζονος ποιητικῷ εἶναι.

Haec enim vis est efficientis rei maioris.

Sic habent manu scripti codices, vt ab Aldo quoque excusus: cum in altero, Venetijs impresso, mendose ποιητικὸν legatur: nulla autem causa fuit, cur recepta lectio immutaretur: modus enim est loquendi familiaris huic scriptori. In tertio libro Topicorum. οἷον εἰ πλείω τινὶ μὲν ἡδονῇ ἀγαθῷ εἶναι. & si locus ille quoq; in formis excusis deprauatus: antiqua tamen exemplaria mendo vacant. Vim huius sermonis cum alijs in locis, tum in iij. libro de animo dilucide explanauit: Significat autem formam, & definitionem rei propter se separatim. sicut τὸ εἶναι τόδε, totum ipsum ostendit coniunctum ac compositum. Definitionem itaq; nunc dicit, ac naturam eius, quod maius bonum conficiat, eam esse in eo constitutam: quod maius videlicet ipsum sit bonum; vt inde sane proficiscatur, maioris boni efficiens ipsum esse.

Καὶ, οὗ τὸ ποιητικὸν μεῖζον ὡσαύτως: εἰ γὰρ τὸ ὑγιεινὸν αἱρετώτερον τοῦ ἡδέος, καὶ μεῖζον ἀγαθὸν, καὶ ἡ ὑγίεια τῆς ἡδονῆς μείζων.

Et, cuius efficiens maius eodem pacto: si namque salubre magis expetendum, quam iucundum, & maius bonum, & bona valetudo maior erit, quam voluptas.

Svperiorem locum retro agi ostendit: quem enim nunc tradit, superioris est ἀντιστροφή: ita namque Graeci vocant, cum quasi locus vicissim commeat: vt enim saepe auxilio vltimi ac finis, rerum efficientium vim magnitudinemq; cognosci docuerat: ita nunc efficientibus cognitis, vltimi magnitudinem intelligi declarat. exemplo hoc quoq; satis aperto confirmat: si enim (inquit) salubre magis expetendum iucundo, ac maius bonum, quae efficientes res sunt, & sanitas corporis voluptate, quae inde effectae sunt, maior meliorq; res erit.

Καὶ τὸ αἱρετώτερον καθ' αὑτὸ, τοῦ μὴ καθ' αὑτό: οἷον ἰσχὺς, ὑγιεινοῦ: τὸ μὲν γὰρ οὐχ αὑτοῦ ἕνεκα: τὸ δὲ, αὑτοῦ. ὅπερ ἦν τὸ ἀγαθόν.

Et quod magis expetendum est propter se, quam id, quod non per se. veluti vires corporis re salubri: hoc enim non sui ipsius causa: illud autem sui ipsius: quae sane vis est rei bonae.

Cicero quoque in Topicis hunc locum exposuit. Specie autem comparantur, vt anteponantur, quae propter se expetenda sunt, ijs, quae propter aliud. exemplo hic Aristoteles totam rem explanauit: quod in suis etiam Topicis fecit: nec tamen destitit eruditissimus interpres aliud aptissimum, elegantissimumq; excogitare. Quo autem hic vtitur, huiuscemodi est: vt corporis vires re aliqua salubri praestantiores sunt: causam vero eius afferens, addit. Res enim salubris, non propter se: robur vero, propter se expetitur. Adiungit etiam constare è rebus explicatis, eam esse naturam boni, cum aliquid sua vi nos allicit, ac propter se expetitur.

Καὶ εἰ τὸ μὲν, τέλος: τὸ δὲ, μὴ τέλος: τὸ μὲν γὰρ, ἄλλου ἕνεκα: τὸ δὲ, αὑτοῦ. οἷον τὸ γυμνάζεσθαι τοῦ εὖ ἔχειν τὸ σῶμα.

Et si fuerit hoc quidem, finis: hoc vero, non finis: hoc enim alius causa: hoc vero sui ipsius. veluti exerceri collatum cum bono corporis habitu.

Nec non (inquit) si eorum alterum, finis: alterum vero, nullo modo finis: rationem autem eius reddens, addidit: hoc enim, quod scilicet finis naturã non habet, alterius: illud vero, quod vim finis obtinet, sui ipsius gratia expetitur. Sed exemplum etiam, vt magis adhuc rem aperiret, adposuit. Ceu (inquit) corpus exercetur, vt bona eiusdem habitudo consequatur: & labor ille vnam eam ob causam suscipitur. Iisdem autem verbis eundem hunc locum exposuit in iij. Topicorum: inquit enim illic. καὶ τὸ τέλος, τῶν πρὸς τὸ τέλος αἱρετώτερον δοκεῖ εἶναι. quo in

loco accuratissimus interpres docuit eum paene comprehendi alio, quem antea exposuerat Aristoteles: &, qua in re ipsi cum illo superiore loco conueniret, declarauit: quae tamen inter ipsos discrimina essent, ostendit. Ea autem, quae eruditus ac diligens vir illic excogitauit, huc quoq; transferri possunt: nam locus proxime superior hic eandem vim habet, quam ille, quem Alexander intelligit. In Topicis autem Aristoteles inter eum, atque ipsum, quem hic ipse imitatur atq; exprimit, locos plures interiecerat: quod in his libris de arte dicendi non facit: statim enim post illum, qui cum hoc similitudinem magnam habet, hunc adiungit.

Καὶ τὸ ἧττον προσδεόμενον θατέρου, ἢ ἑτέρων· αὐταρκέστερον γάρ.

Et quod praeter ea, quibus ornatum est, minus eget alia re, vel alijs: magis enim se ipso contentum esse potest.

QVODQVE (inquit) minus eget alio, siue alijs, melius esse intelligitur: est enim magis αὐταρκές. quae autem in se posita omnia habent: suisq; rebus contenta, non requirunt aliud, demonstratum iam est bona esse. Hinc autem ducto argumento Virgilius oleam anteponendam viti docuit: cum enim assiduo cultu, infinitisq; laboribus indigere vites ostendisset, inquit. Contra
» non vlla est oleis cultura: neq; illae Procuruam expectant falcem, rastrosq; tenaces. in fineq;.
» Vi propria nituntur, opis haud indiga nostrae. quod philosophus inquit: αὐταρκέστερον τό.

Ἧττον δὲ προσδεῖται τὸ ἐλαττόνων, ἢ ῥᾳόνων προσδεόμενον.

Minus autem praeterea eget, quod paucioribus, vel facilioribus eget.

QVOMODO quippiam minus quam aliud, indigere dicatur, ostendit: aut enim minor numerus eorum, quae desunt, aut facilitas maior ipsorum comparandorum, quamuis plura sint, hoc facit. minus igitur (inquit) eget, quod paucioribus, aut facilioribus eget.

Καὶ ὅταν τόδε μὲν ἄνευ τοῦδε μὴ ᾖ, ἢ μὴ δυνατὸν ᾖ γενέσθαι· θάτερον δὲ, ἄνευ τούτου· αὐταρκέστερον δὲ τὸ μὴ δεόμενον. ὥστε φαίνεται μεῖζον ἀγαθόν.

Et quando hoc quidem sine hoc non fuerit, siue fieri non poterit: alterum autem sine hoc, magis contentum semetipso vtique est, quod non eget. quapropter videtur maius bonum.

ET quum duarum rerum (inquit) altera sine altera non fuerit, aut contingere nullo pacto potest, vt vnquam fiat: altera vero sine illa manet, posterior haec melior videtur. causam vero eius reddens, inquit: multum enim retinet naturae eius, quod se vno contentum est, id, quod non eget alio. quare speciem habet maioris boni. Hinc quoq; ducto argumento Xenophon in libro de tuenda re familiari, magnum honorem acquisiuit agriculturae: docuit enim, cum ipsa nulla re impeditur, ceteras quoq; artes vigere: terra autem inculta desertaque, alias etiam artes extingui.

Καὶ εἰ ᾖ ἀρχή· τὸ δὲ, μὴ ἀρχή.

Et si fuerit principium: hoc autem non principium.

ANIMADVERTENDVM etiam, num alterum eiusdem, vel alterius, principium sit: alterum vero, minime: quod enim principij rationem habet, maius esse intelligitur: magna enim principij vis est omnibus in rebus, vt ipse in primo libro de moribus ad Nicomachum testatur: plus enim quoq;, quam dimidium rei valere affirmauit: quod peruulgata voce tradebatur: principium vero hic late capit, ac non pro eo, quod vim habet causae, cui in primis hoc nomen conuenit. Vnde hunc locum a loco a causis seiungit, qui statim consequitur.

Καὶ εἰ ᾖ αἴτιον· τὸ δ', οὐκ αἴτιον, διὰ τὸ αὐτό· ἄνευ γὰρ αἰτίου καὶ ἀρχῆς ἀδύνατον εἶναι ἢ γενέσθαι.

Et si fuerit causa: hoc autem non causa, eandem ob causam: sine causa enim & sine principio fieri non potest, vt aliquid sit vel fiat.

VT auctoritatem rebus affert, initium ipsas aliarum rerum existere, ita etiam si causae illae intelliguntur esse: vt enim statim tradit, idem paene pondus, & initiũ, & causa habent: neq; enim sine alterutro illorum quicquam, aut esse, aut contingere, vt aliquando factum sit, potest. multum autẽ similitudinis inter se, & principium & causam habere, tantumq; cogitatione differre

affirmant

affirmant eruditissimi Aristotelis interpretes, initio primi libri Physicorum. Ita igitur argumentatus est Demosthenes pro Ctesiphonte, cum Aeschinem causam originemq; fuisse dixit omnium malorum, quae postea in rep. sequuta sunt: inquit enim: ὁ γὰρ τὸ σπέρμα παρασχών, οὗτος τῶν φύντων κακῶν αἴτιος: causam enim initiumq; vocauit σπέρμα μεταφορικῶς, vt M. Cicero semen affirmauit fuisse M. Antonium cunctorum malorum, quae paene imperium R. deleuerunt: ita enim, cum prius simili, collationeq; vsus esset in sententia sua confirmanda, inde postea transtulit nomen ad illi turpem notam inurendam. haec ipsius verba sunt. » Vt igitur in seminibus » causa est arborum, & stirpium, ita huius luctuosissimi belli semen tu fuisti.

Καὶ δυοῖν ἀρχαῖν, τὸ ἀπὸ τῆς μείζονος ἀρχῆς, μεῖζον.

Et duorum principiorum, quod a maiore principio, maius.

CVM autem duo quaedam principia aliarum rerum sunt, in existimanda earum rerum potestate, quae inde proficiscuntur, animaduertenda principiorum vis: quod enim a maiore principio proficiscitur, semper maius est.

Καὶ δυοῖν αἰτίοιν, τὸ ἀπὸ τοῦ μείζονος αἰτίου, μεῖζον.

Et duarum causarum, quod a maiore causa, maius.

EODEM pacto probari posse dicit, duarum rerum effectarum vtra maior sit, cognita scilicet vi causarum, quae efficientes earum sint: quae namq; a maiori causa nascitur, maior & ipsa est.

Καὶ ἀνάπαλιν δὴ δυοῖν ἀρχαῖν, ἡ τοῦ μείζονος ἀρχή, μείζων.

Et contra duorum principiorum maioris rei principium, maius est.

VTRVNQVE horum locorum retro agi conuertiq; ostendit: vt enim auxilio principiorum, causarumq; intelligi posse docuit praestantiam eorum, quae è principiis ipsis fluxerint, aut è causis effecta sint, ita contra percepta potestate eorum, quae aut è principiis, aut è causis manauerint, percipi ac confirmari naturam, vimq; principiorum, aut causarum. Sunt igitur ambo ἀντίστροφα superiorum locorum: prior autem, qui a principio procedit: eundem enim, quem supra, ordinem in explicandis illis sequitur.

Καὶ δυοῖν αἰτίοιν, τὸ τοῦ μείζονος αἴτιον, μεῖζον.

Et duarum causarum, maioris rei causa, maior est.

AC si ambigitur (inquit) duarum causarum vtra maior sit, illa, quae maioris rei effectrix est, maior profecto causa erit.

Δῆλον οὖν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι ἀμφοτέρως μεῖζόν ἐστι φαίνεσθαι: καὶ γὰρ εἰ ἀρχὴ τόδε: τὸ δὲ, μὴ ἀρχή, δόξει μεῖζον εἶναι.

Perspicuum autem est ex ijs, quae dicta sunt, ambobus modis maius aliquid esse videri: etenim, si principium hoc: hoc autem non principium, videbitur maius esse.

EX his, quae tradita adhuc sunt, perspicuum est (inquit) vtroq; modo videri posse quippiam maius esse: magnamq; copiam argumentandi hinc elici: si enim principium alterum est: alterum vero non principium, quod principium est, videbitur maius esse: nec tamen causam huius rei nunc affert: perspicuum enim est, quanta principij vis omnibus in rebus sit: nec multo ante ipse hoc palam testatus erat: duo autem ex antiquissimo libro hic restitui, quae in excusis desiderabantur: quorum alterum est, φαίνεσθαι, quod mirifice hic quadrat: potest namq; videri hoc, quod dicit: verum autem esse nullo modo. Debuit igitur illud explanare, quod fecit verbo hoc indefiniti temporis: alterum vero est, copula γὰρ: ambae autem hae castigationes confirmatae quoq; sunt a vetere tralatione.

Καὶ εἰ μὴ ἀρχή: τὸ δὲ, ἀρχή: τὸ γὰρ τέλος μεῖζον, καὶ οὐκ ἀρχή.

Et si non principium: hoc autem principium: finis enim maior est, & non principium.

CONTRAQUE, si non principium hoc est: alterum vero principium: quod enim vltimum finisq;, maius est, non quod principium: principia enim rerum imbecilla esse consuerunt.

Ὥσπερ ὁ Λεωδάμας, κατηγορῶν ἔφη Καλλιστράτου, τὸν βουλεύσαντα τοῦ πράξαντος μᾶλλον ἀδικεῖν: οὐ γὰρ ἂν πραχθῆναι, μὴ βουλευσαμένου.

Quemadmodum Leodamas, accusans Callistratum, dixit, qui consilium dedit, magis iniuste facere, quam qui fecit: neque enim illud gestum vmquam foret, nisi extitisset, qui consilium daret.

EXEMPLO nunc, auctoritateq; diserti hominis hoc confirmat: qui idem de hac re existimauit, ac diuersis temporibus causisq; vtroq; loco apte vsus est. Leodamantis autem mentionem fecit Plutarchus in Aeschine: vitas enim quoq; is decem nobilium oratorum scripsit, traditque non nullos existimasse Aeschinem ab ipso accepisse disciplinam. illum sane Aeschines in oratione contra Ctesiphontem magnifice laudat: ostenditq; facultate dicendi non cedere Demostheni: suo certe iudicio suauiorem eum oratorem esse. fuit autem patria, Atheniensis: δῆμος, Acharneus. Leodamas igitur hic, cum Callistratum in iudicium vocasset, inquit, apud eum, qui consilium dederat, magis culpam manere: neq; enim improbum illud facinus vmquam susceptum fuisset, nisi eius auctor consiliariusq; Callistratus extitisset. Callistratum autem δημηγόρον vocatum, intelligit: cuius meminit Xenophon in vj. lib. de reb. Graecorum. vnde etiam percipitur & ipsum, & Chabriam iisdem temporibus vixisse, & in iisdem rebus aliquando versatos: loquens enim de Iphicrate inquit. » ἔπειτα καὶ τὸ προσελέσθαι κελεῦσαι ἑαυτῷ Καλλίστρατόν τε τὸν δημηγόρον, » οὐ μάλα ἐπιτήδειον ὄντα, καὶ Χαβρίαν μάλα στρατηγὸν νομιζόμενον: appellatum autem ipsum δημηγόρον puto ob excellentem eloquentiam: quod indicio etiam Aeschinis confirmare possum, qui, cum in oratione de ementita legatione oratorem quendam extolleret, inquit huius iudicij esse non nullos, vt eum, vno excepto Callistrato Aphidnaeo, praestare reliquis, qui multum valeant dicendo, putent: primas enim ferebat Callistratus. Huius quoq; Plutarchus in Demosthene meminit.

Πάλιν δὲ καὶ Χαβρίου, τὸν πράξαντα τοῦ βουλεύσαντος: οὐ γὰρ ἂν γενέσθαι, εἰ μὴ ἦν ὁ πράξων.

Contra autem illud Chabriae, qui fecit magis peccasse: non enim improbum id factum exitum habuisset, nisi inuentus esset, qui faceret.

SIC inueni in scriptis codicibus: nam in excusis mendose Χαβρίας legitur. Aptatus autem est ad verbum κατηγορῶν, quod supra posuerat, hic generandi casus. Tradit igitur eundem Leodamantem variatis temporibus diuerso modo, pro vt causa postulabat, argumentatū fuisse: nunc enim omnem vim, in principio esse positam dixisse; nunc in fine. Cum in iudicium vocauit Callistratum, qui consilium dederat, cum maiore supplicio dignum affirmauit: cum vero Chabriam accusauit, qui peregerat, in eo omnem culpam esse positam inquit: nihil enim incommodi gigni potuisse ab eo, qui improbe suaserat: neque malum ipsius consilium ad exitum vmquam perduci, nisi esset inuentus, qui faceret.

Τούτου γὰρ ἕνεκα ἐπιβουλεύουσιν, ὅπως πράξωσι.

Huius enim causa deliberant, vt gerant.

SI desunt, qui rem ad exitum perducant, inanis irritaq; est omnis deliberatio. Hinc igitur plane percipitur maiorem vim esse in effectoribus. Animaduertendum autem significare hic ἐπιβουλεύειν, non imponere, atque insidias tendere, vt plerumque, sed deliberare: eadem notio huius verbi est apud Thucydidem in iij. historiarum. » Ἐπιβουλεύουσιν αὐτοί τι, καὶ Ἀθηναίων, οἱ συμπολιορκούμενοι: » nec non apud Lysiam in oratione contra Agoratum. οἱ δὲ ἐνθάδε ὑπομένοντες, καὶ ἐπιβου- » λεύοντες καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν. cogitantes statum multitudinis dissoluere: secumque consilia, ad id pertinentia, conferentes. Qui venustissimus scriptor: Atticiq; sermonis norma quaedam, contra aliquando συμβουλεύειν pro insidiari videtur cepisse: in peroratione enim de publicatione bonorum Niciae fratris, inquit. καὶ παρακαλούμενος δὲ μετέχειν τῆς ὀλιγαρχίας ὑπὸ τῶν συμβουλευόντων τῷ πλήθει, οὐκ ἠθέλησεν αὐτοῖς πείθεσθαι. cum qui imponebant libertati, socium illum suae dominationis facere vellent, recusauit.

Καὶ τὸ σπανιώτερον τοῦ ἀφθόνου. οἷον χρυσὸς σιδήρου, ἀχρηστότερος ὤν: μείζων γὰρ ἡ κτῆσις διὰ τὸ χαλεπωτέραν εἶναι.

Et quod rarius est, copioso. ceu aurum ferro, & si minores vsus praebet: magis enim auget rem familiarem, quia difficilius est.

NON magna eget hic locus explicatione: vulgo enim videmus rariora magis cara haberi: satis autem euidenti exemplo ipse id confirmat. Ceu (inquit) aurum honoratius ferro: maiusque bonum est, quamuis minores vtilitates praebeat: id autem eam ob causam (rationé enim quoq; huius rei attulit) quod ob paucitatem magis aestimatur: arduaq; omnino res est illud comparare. Cicero duobus verbis hunc locum exposuit: inquit enim. Rara vulgaribus: nam idem
» etiam quantam merito dignitatem res rarae haberent, in Laelio declarauit, cum inquit. Et qui-
» dem omnia praeclara, rara.

Ἄλλον δὲ τρόπον, τὸ ἄφθονον τοῦ σπανίου, ὅτι ἡ χρῆσις ὑπερέχει: τὸ γὰρ πολλάκις τοῦ ὀλιγάκις ὑπερέχει. ὅθεν λέγεται, ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Alio autem pacto, quod copiosum raro; vsus enim praestat: crebro enim aliquid fructum ferre, vincit raro idem fieri. vnde dictum est. Optima quidem est aqua.

CVM rara vulgaribus anteponenda docuisset, non nullis in rebus ostendit rem contra se habere: vt autem in illis pretium vincit, sic in his, vsus fructusq;: quod enim saepenumero commodum affert, superat id, quod raro aut numquam, vtile est: affirmat autem Pindarum, siue qui primus eius vocis auctor fuit, & vnde poëta ipsam accepit, non aliam ob causam aquam optimam appellasse, nisi quod magnas vtilitates praebet: cogitauit enim mente sua ille, quum aquam optimam vocauit, plurimos, qui ex ipsa fructus capiuntur. Propertius vero, cum in elegia sua eandem vilem dixit, copiam, atque vbertatem eius spectauit: vt Horatius quoque, qui in Satyra inquit, venit, vilissima rerum, Hic aqua. de magnis autem, crebrisq; vsibus aquae vetus Graecum prouerbium erat: quod Cicero in libello de amicitia expressit. Itaq; non aqua, non igni (vt aiunt) pluribus in locis vtimur, quam amicitia. Plutarchus quoq; in v. lib. symposiacorum, capite x. narrat, morem veterum fuisse res communes, & quae multis vsibus hominum seruirent, diuinas appellare: vt aquam, vt lucem, vt horas: nam tellurem ipsos addit eadem de causa, non rem diuinam tantum, sed deam etiam existimasse.

Aqua, lux, horę cur diuinę dictę. Terra cum Dea

Καὶ ὅλως τὸ χαλεπώτερον τοῦ ῥᾴονος: σπανιώτερον γάρ.

Et omnino, quod difficilius, magis prono: rarius enim.

ET summatim (inquit) difficilius, procliuiore: quia est rarius. Rariora autem iam docuerat esse praestantiora, & rationem quoque eius rei reddiderat. In Topicis quoq;, cum eundem hunc locum indicaret: &, quod difficilius, melius esse diceret, eandem eius rei causam esse ait, qua rariora hic vulgaribus anteponenda ostendit: inquit enim, magis delectamur possessione rerum, quas nemo potest facile acquirere. Locum vero illum Alexander explicans, ea attulit, quae hic quoq; valde accommodata sunt. Bona namque (inquit) quae rara sunt, & magna cum difficultate parantur, magis cara habentur: in maioreq; honore sunt apud homines. Ope autem huius loci virtutem diuitiis ac corporis sanitate, magis expetendam esse probatur. Rara namque & perdifficilis paratu res est. quod satis celebri quoq; Hesiodi carmine intelligitur. qui sudorem deos ante virtutem constituisse cecinit: & contemplatio quoq;, facto aliquo in regenda ciuitate: magis enim ardua est cognitio deorum, quam rem vtilem reip. gerere. Eximia etiam corporis species eodem pacto diuitiis praestare confirmatur: sunt enim perdifficilia, & & rara admodum haec bona.

Sudor cum ante Virtutem positus

Ἄλλον δὲ τρόπον, τὸ ῥᾷον τοῦ χαλεπωτέρου: ἔχει γὰρ, ὡς βουλόμεθα.

Alio autem modo facilius difficiliore. ita enim se habet, vt volumus.

CVM hunc locum traderet Cicero, inquit. Procliuia laboriosis. cur autem diuersa ratione procliuia difficilioribus anteponantur, ipse exponit: quae enim (inquit) nullo negotio fiunt, vt volumus & optamus, se habent: nemo enim est, quin idem sine labore, quam cum molestia efficere malit. Non multo autem supra, quomodo res cadere oporteat, vt voluntati hominum desideriisq; respondeat, indicauit.

Καὶ οὗ τὸ ἐναντίον μεῖζον.

Et cuius contrarium, maius.

VT duorum bonorum vtrum melius intelligas, specta etiam contraria eorum: cuius enim contrarium

Cognitio contrarij a contrario

tratium maius malum est, id alteri bonitate praestabit. exemplum accommodatum erit valetudo, ac diuitiae, quae ambo sunt bona: contraria eorum, morbus & paupertas. maius autem malum corporis morbus, quam paupertas. praestat igitur valetudo diuitijs.

Καὶ, οὗ ἡ στέρησις μείζων.

Et, cuius priuatio est maior.

ID etiam maius bonum est, quo si orbatus sis, magis plecteris. exemplo hoc res, licet non valde obscura, aperitur. bona erunt, aspectus & auditus. orbitates autem ipsorum, caecitas, & surditas: perspicuum autem peius caecitatem esse. quare maius bonum, aspectus.

Καὶ ἀρετὴ, μὴ ἀρετῆς, καὶ κακία, μὴ κακίας μείζων: τὰ μὲν γὰρ, τέλη: τὰ δ', οὐ τέλη.

Et virtus, non virtute: & vitium, non vitio maius: hi namque sunt fines: illi autem non fines.

NON virtus, & non vitium vocari hic videtur, διάθεσις accessioq; ad virtutem, & vitium: cum plena virtus adhuc, & vitium non sunt: nec habitus appellari possunt: cur autem virtus, vitiumq;, non virtute, & non vitio: alterum, maius bonum sit: alterum, maius malum, ostendit: fines enim (inquit) illa sunt: alia, non fines: quod autem rationem habet finis, maiorem vim habet, siue bonus, siue malus ille sit: bonus, adiuuandi: malus, deprauandi. fines intelligit cum absoluta iam sunt: nec amplius alio tendunt: Διαθέσεις vero eiusmodi non esse fines vult, quia imperfecta inchoataq; sunt: & eo, quo illa peruenerunt, adhuc ferantur.

Καὶ, ὧν τὰ ἔργα καλλίω, ἢ αἰσχίω, μείζω αὐτά.

Et, quorum opera honestiora, vel turpiora, maiora ipsa.

SPECTANDA etiam opera: quaeq; ex illis efficiantur: quorum enim opera honestiora, aut turpiora erunt, ipsa quoq; meliora, aut peiora erunt. Quia honestiora splendidioraq; sunt fortitudinis opera, quam temperantiae (fortis enim vniuersae ciuitati, pellendo hostes, salutem dat: temperans fugit turpes corporis voluptates) & fortitudo ipsa melior temperantia. nec non, quia foediora luxuriae opera sunt, quam timiditatis, luxuria peior timiditate. Secutus hic sum peruulgatam lectionem, quam etiam in scriptis libris, quos nactus sum, inueni: vetus tamen tralatio perspicitur suo in exemplari habuisse pro αἰσχίω, βελτίω. quod non arbitror contemnendum, praesertim cum infra non semel, de collatione itidem rerum bonarum loquens, coniungat duo haec nomina βελτίω καὶ καλλίω: quaedam enim meliora possunt esse, quae pulchriora, honestioraue non sunt: & contra, quae splendidiora: non tamen vtiliora.

Καὶ, ὧν αἱ κακίαι, καὶ αἱ ἀρεταὶ μείζους, καὶ τὰ ἔργα μείζω. ἐπείπερ, ὡς τὰ αἴτια, καὶ αἱ ἀρχαὶ, καὶ τὰ ἀποβαίνοντα: καὶ ὡς τὰ ἀποβαίνοντα, καὶ τὰ αἴτια, καὶ αἱ ἀρχαί.

Et, quorum vitia, & virtutes maiora, & facta maiora. quia, vt causae, & principia, ita, quae inde prodeunt: & vt, quae inde prodeunt, ita causae & principia.

SVPERIOREM locum retrorsum agi ostendit: quorum enim vitia, virtutesq; maiora sunt, & opera eorum maiora: causamq; eius affert. Ratio huius rei est (inquit) quia eiusdem naturae sunt causae ac principia, cuius euenta: sibiq; mutuo respondent. vt contra quoq;, vt se habent euenta rerum, ita etiam causae ac principia, quae superioris loci causa explicatioq; est. Virtutes autem vitiaq;, tamquam causae ac principia sunt factorum, quae inde proueniunt: quae vero hic ἀποβαίνοντα dicuntur, Cicero saepe euenta vocauit: vt cum in Topicis inquit: Causarum enim cognitio cognitionem euentorum facit.

Καὶ, ὧν ἡ ὑπεροχὴ αἱρετωτέρα, ἢ καλλίων. οἷον τὸ ἀκριβῶς ὁρᾶν αἱρετώτερον, τοῦ ὀσφραίνεσθαι: καὶ γὰρ ὄψις ὀσφρήσεως.

Et, quorum exuperantia magis expetenda est, vel pulchrior. vt exquisite videre magis expetendum est, quam exquisite olfacere: visus enim olfactu magis expetendus.

ET, quorum (inquit) exuperantia magis expetenda aut melior, illa praestantiora sunt. In Topicis quoque ab ipso hic locus, non valde dissimilibus verbis, exponitur: ὑπερβολὴν enim illic summum vtriusq; rei vocauit. in explicando vero eo loco eruditissimus interpres ἀκρότητα idē appellauit. Exemplis autem hic, ad rem magis explanandam, vsus est Aristoteles: vt exquisite videre,

dere, magis expetendum, quam eodem modo olfacere. quare aspectus olfactu: alteroq; praeterea, quod infra exprimetur. Hic tamen locus mihi suspectus est: neq; enim video, quomodo hic particula γὰρ manere possit: poni enim nunc debuit ab auctore, quod nasceretur è superiore argumentatione, cum contra, si ita legitur, videatur potius contrarium eius constitui, id est probari exuperantiam earundem rerum, perspecta prius, cognitaq; potestate, ac vi simplicium. quare vereor, ne desint plura verba: fieri enim potest, vt Aristoteles ostenderit, hunc locum retro agi ac conuerti, vt in aliis multis fecit, vt quemadmodum scilicet, si acute videre anteponendum est acuto olfactui, videre, quod sine praestantia absolutioneq; illa ponitur, optabilius sit, quam olfacere, ita nunc probet, vtens hoc, vt obscuro adhuc, & incerto: quodq; egeat confirmatione, acute videre melius esse, quam acute olfacere, quia planum est magis expetendum esse videre, quam olfacere: nunc enim quadraret dicere, καὶ γὰρ ὄψις ὀσφρήσεως, idest quamuis id in extremo ponat, & quia visio optabilior olfactu: hicq; sensus illi praestat, ita, quod eximium illic est, atq; perfectum, optabilius erit illo, quod eximium est in altero. conclusionem tamen ipse in extremo collocat: ipsumq;, quod probare voluit ita se habere, illo modo se habere dixit, quia hoc certum ac planum est. Diuersa quoque a superiore exempla in Topicis ab eodem adferuntur: non minus etiam elegantia, & aperta Alexander excogitauit. tria illa inter se dissimilia verba, eandem vim habere hinc intelligere possumus. ὑπεροχὴ autem, siue ὑπερβολὴ, & ἀκρότης alicuius rei dicitur, cum illa natura perfecta est, & ad summum perducta.

Καὶ τὸ φιλέταιρον εἶναι τοῦ φιλοχρήματον μᾶλλον κάλλιον. ὥστε καὶ φιλεταιρία φιλοχρηματίας.

Et auidum esse sodalium, quam pecuniae, magis honestum. quapropter studium parandi sodales, quam studium cogendi pecuniam.

ALTERVM hoc eiusdem loci exemplum est: vt studiosum potius esse, appetentemq; sodalium quam pecuniarum, honestius. quare studium acquirendorum sodalium, quam pecuniarum, laudatius. Quod vero in excusis omnibus libris defecerat, μᾶλλον restitui, inuentum a me in cunctis scriptis codicibus. vetus quoq; tralatio illud expressit. arbitror autem id sublatum hinc fuisse ab aliquo, qui rectam hanc rationem esse loquendi non putaret: nec posse adiungi μᾶλλον secundae collationis nominibus: quae tamen & Aristoteli ipsi, & aliis bonis auctoribus vsurpata est. De ortu animantium libro quinto. » Ἔτι δὲ καὶ γέροντας γινομένους, μᾶλλον ὀξυφανοτέρους γίνεσθαι. » In ij. Topicorum. καὶ ὅλως τὸ πρὸς τὸ βίου τέλος, αἱρετώτερον μᾶλλον, ἢ τὸ πρὸς ἄλλο τι. In libello de » diuinatione per somnum, ἀπεραχωδέστερος γὰρ μᾶλλον ὁ ἀὴρ τῆς νυκτός. Demosthenes in iij. Olyn» thiaca. Ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ λοιπὸν μᾶλλον, ἔτι ἢ νῦν, τὸ τὰ βέλτιστα λέγειν φοβερώτερον ποιήσαι. Pluribus exemplis vsus sum, vt declararem, quantopere peccent, qui, quidquid parum frequens & vsitatum inueniunt apud antiquos scriptores, subito immutant: est autem temeritas eorum omnibus viribus coercenda.

Καὶ ἀντικειμένως δὲ, τῶν βελτιόνων αἱ ὑπερβολαὶ, βελτίους, καὶ καλλιόνων, καλλίους.

Et contra meliorum rerum exuperantiae meliores, & pulchriorum pulchriores.

VALET etiam hic locus, in se ipsum conuersus: cognitis enim rebus ipsis: &, vtrum duorum melius sit, perspecto, cognoscitur etiam, cuius superlatio potior sit: meliores enim superlationes, perfectionesq; meliorum rerum sunt.

Καὶ, ὧν αἱ ἐπιθυμίαι καλλίους, ἢ βελτίους, βελτίω καὶ καλλίω: αἱ γὰρ μείζους ὀρέξεις μειζόνων εἰσί.

Et, quorum cupiditates honestiores, vel meliores, meliora & honestiora: maiores enim appetitiones sunt maiorum rerum.

QVORVM etiam cupiditates desideriaq; pulchriora siue meliora sunt, & res ipsae honestiores, siue meliores erunt: maiores enim (inquit) appetitiones desideriaq; maiorum rerum esse consueuerunt, idest maiores res, maiores etiam acrioresq; sui amores in nobis excitant, &, quae praestant magnitudine, maiorem etiam vim habent ad animos hominum alliciendos, & ad se appetendum paene rapiendos.

Καὶ τῶν καλλιόνων δὲ, ἢ καὶ βελτιόνων, αἱ ἐπιθυμίαι βελτίους καὶ καλλίους, διὰ τὸ αὐτό.

Et pulchriorũ rerũ, meliorũq; cupiditates meliores & pulchriores eandẽ ob causam.

RETROR-

RETRORSVM etiam agi hunc locum tradit. Quia igitur maiores maiorum rerum appetitiones, & honestiores honestiorum: melioresq; meliorum erunt: vincunt enim hae quoque inferiores, cum pares omnino, similesq; inter se sint appetitiones, & res, quae appetuntur. Exempla vero horum locorum satis accommodata sunt. Cum scientiarum cupiditas honestior sit cupiditate diuitiarum: & scientiae, honestiores diuitiis: contraq; cum scientiae honestiores sint diuitiis, & cupiditas scientiarum, cupiditate diuitiarum honestior.

Καὶ, ὧν αἱ ἐπιστῆμαι καλλίους, ἢ σπουδαιότεραι, καὶ τὰ πράγματα καλλίω καὶ σπουδαιότερα.

Et, quarum rerum scientiae pulchriores, & maiore studio dignae, & ipsae res pulchriores maioreque studio dignae.

A pulchritudine, nobilitateq; scientiarum, intelligi etiam pulchritudinem rerum, quae disciplinis illis contineantur, tradit: honestiorem namque, exquisitioremq; cognitionem cognitione esse planum est, vt ipse quoq; initio primi libri de animo ostendit: duas enim rationes esse tradit intelligendi vtra honestior altera disciplina sit: aut, quod exquisitior absolutiorq; sit: aut, quod stratum habeat grauius, ac de admirabilioribus rebus agat. Quorum igitur scientiae pulchriores studiosioresq; sunt, & res ipsae, quae ab ipsis traduntur, pulchriores, studiosioresque erunt. Quia astrologia honestior geometria, sidera, terrae mensuris atq; agrorum, praestare intelliguntur: vincit enim ratio astrorum geometriam rerum, in quibus contemplandis versatur, nobilitate: vt ab eadem, quod certior haec exquisitiorque est, superatur. πράγματα hic ὑποκείμενα, & γένη, quae saepe vocat, videtur appellare.

Ὡς γὰρ ἔχει ἡ ἐπιστήμη, καὶ τὸ ἀληθές.

Vt enim se habet scientia, ita verum.

CAVSAM nunc eius affert, dicens: vt enim scientia se habet, ita & verum, quod in rebus ipsis, stratoque ipsius est: verum enim scientia quaerit: idq; acutis rationibus persequitur: cum de iisdem etiam rebus falsae quaedam, & inanes opiniones sint, quas illa respuit: quaeq; scientiae scilicet ipsi proportione non responderent, vt verum semper facit. ἔχει, quod in excusis defecerat, ex antiquissimo libro sumptum, restitui: id quoque a vetere tralatione expressum est.

Κελεύει δὲ τὸ αὑτῆς ἑκάστη.

Iubet enim vnaquaeque ipsarum, quod suum est.

SIGNIFICAT hic (vt opinor) κελεύειν, praecipere & tradere: singulae autem (inquit) scientiae stratum suum exponunt: neq; è campo suo exeunt: vt, quae honestior sit, honestiora tradat: hincq; honestius eius quoque stratum sit. Idem verbum vsurpauit in ij. libro de moribus ad Eudemum, nulla re variato sensu, cum doceret in medio operum, actionumq; nostrarũ cunctas artes, ac virtutes perfectionem suam habere: medio sane, quod a ratione personarum ducitur, non quod in rebus ipsis positum: quod enim huiuscemodi est, affirmat se habere, vt & scientia, & vera ratio mandat. Verba ipsa ponam, quia in excusis libris locus valde imminutus ac mancus est. Ἐν πᾶσι δὲ τὸ μέσον, τὸ πρὸς ἡμᾶς, βέλτιστον: τοῦτο γάρ ἐστιν, ὡς ἡ ἐπιστήμη κελεύει, καὶ ὁ λόγος. restitui autem ipsum ope scriptorum codicum.

Καὶ τῶν σπουδαιοτέρων δὲ καὶ καλλιόνων αἱ ἐπιστῆμαι ἀνάλογον, διὰ ταῦτα.

Et rerum maiore studio dignarum pulchriorumque scientiae seruata ratione, easdem ob causas.

HVNC etiam locũ reciprocari ostendit: vt enim a scientiarum exuperantia cognosci rerum, quae ab ipsis tractantur, exuperantiam docuit, ita ab exuperantia rerum stratique, scientiarum exuperantiam intelligi affirmat.

Καὶ ὃ κρίναιεν ἂν, ἢ κεκρίκασιν οἱ φρόνιμοι: ἢ πάντες, ἢ οἱ πολλοὶ, ἢ οἱ πλείους, ἢ οἱ κράτιστοι ἀγαθὸν, ἢ μεῖζον, ἀνάγκη οὕτως ἔχειν.

Et quod existimarent, vel existimauerunt prudentes, vel cuncti, vel multi, vel plures, vel optimi, bonum, vel maius bonum, necesse est ita se habere.

QVIDPIAM alij praestare, intelligi etiam ac confirmari potest, a iudicio prudentium: quod enim illi existimarent, aut praeteritis iam temporibus statuerunt, aut bonum, aut maius bonum esse, id melius

id melius sit necesse est: neque enim falli possunt, cum aut omnes, aut multi illorum, aut maior pars consentiunt, aut qui inter ipsos plurimum consilio valent. Tantam autem vim habet prudentia in rebus iudicandis, recteq; existimandis, vt pro iudicio quandoq; & a Graecis, & a Latinis scriptoribus capiatur. Οἱ κράτιστοι dicens, intellexit, qui inter prudentes, quasi principatum obtinent, & omnes alios prudentia, ac firmo iudicio vincunt: neque enim vitae probitatem nunc spectat: κρατίστουςque appellat, quod optimis moribus praediti sint. vt in iij. quoq; libro de moribus ad Nicomachum, cum inquit. » στρατιώτας δ' οὐδὲν ἴσως κωλύει, μὴ τοὺς τοιούτους, κρατίστους εἶναι: » illic enim quoq; optimos milites, & qui in bello vtilissimi sint, intellexit. Quod vero ἀγαθὸν ἢ μεῖζον hic legitur, cum particula, quae interiecta est, ac disiungit, ab excusis libris ante abesset, ita in scriptis omnibus offendi: in vetere quoq; tralatione illa expressa est. quare ipse quoq; eam recepi: quamuis supra, vbi locos tradidit ad bonum anceps confirmandum vtiles, quod ad priorem partem pertinet, exposuerit: vt nunc cum aliud agat, potiorisq; boni demonstrandi rationem doceat, de simplice videatur potuisse silere.

Ἢ ἁπλῶς, ἢ εἰ κατὰ τὴν φρόνησιν ἔκριναν.

Vel simpliciter, vel si è prudentia existimarunt.

IVDICIVM prudentium omnibus in rebus recipi debere ostendit: id enim arbitror significare ἁπλῶς. siue (inquit) simpliciter, non magisq; in hac re, quā in illa: siue ex ea arte, cognitioneq;, cuius periti sunt, iudicauere: κατὰ τὴν φρόνησιν idem valere existimo, quod verba haec, quibus in eodem loco exponendo vsus est in iij. libro Topicorum. ᾗ τοιοῦτοί εἰσιν.

Ἔστι δὲ τοῦτο κοινὸν καὶ κατὰ τῶν ἄλλων. καὶ γὰρ τί, καὶ ποσὸν, καὶ ποιὸν. οὕτως ἔχει, ὡς ἂν ἡ ἐπιστήμη, καὶ ἡ φρόνησις εἴποι, ἀλλ' ἐπ' ἀγαθῶν εἰρήκαμεν.

Est autem hoc commune & de alijs rebus: etenim quid, & quantum, & quale, ita se habet, vt scientia & prudentia diceret, sed de bonis locuti sumus.

VT in rebus vtilibus, inutilibusq; iudicandis multum valent iudicia prudentium, facillimeque ipsi è duobus, pluribusue bonis, quod emineat statuere possunt, quiq; iudicium eorum secutus fuerit, non labetur, ita in alijs etiam rebus aestimandis eorundem iudicium probandum est: nam de quibusdam quoq; è numero decem illorum generum, optime dicere prudentes, ac statuere possunt: τὶ namq; naturam alicuius rei significat: ita autem vocare ipsum solere essentiae κατηγορίαν, notum est: reliquas, quas hic appellat, suis proprijsq; nominibus nominat: dicens & quantitatem etiam, & qualitatem, vt scientia earum rerum, & prudantia pronuntiarit, ita se habere: se tamen nunc de rebus, quae conducunt, atq; ea ratione bonae sunt, locutū esse.

Ὥρισται γὰρ ἀγαθὸν εἶναι, ὃ λαβόντα τὰ πράγματα φρόνησιν, ἕλοιτ' ἂν ἕκαστον. δῆλον οὖν, ὅτι καὶ μεῖζον, ὃ μᾶλλον ἡ φρόνησις λέγει.

Definitum enim est bonum esse, quod res, si acceperint prudentiam, sumerent singulae. perspicuum igitur est maius esse, quod magis prudentia dicit.

QVANTVM valeat prudentia ad res iudicandas, ex ijs etiam, quae ante posita sunt, cognosci potest: in boni enim natura explicanda traditum est id bonum esse, quod omnes res, si attributa ipsis fuerit prudentia, bonum esse iudicauerint. cum igitur bonum tam facile intelligere prudentia praeditae res queant, prudentia, quod praestantius bonum sit, nullo labore diiudicare poterit.

Καὶ τὸ τοῖς βελτίοσιν ὑπάρχον, ἢ ἁπλῶς, ἢ ᾗ βελτίους. οἷον ἡ ἀνδρεία, ἰσχύος.

Et quod melioribus adest, vel simpliciter, vel qua parte meliores. ceu fortitudo viribus.

SIGNIFICAT bonum, quo melior natura praedita est, magis expetendum bono, quo deterior ornatur: inquit enim. Et id, quod melioribus adest, siue simpliciter, siue ea parte, qua meliora sunt, vt fortitudo robore melior: fortitudo enim in animo manet: robur in corpore: praestat autem animus corpori. quare & fortitudo robori praestabit: in iij. quoq; libro Topicorum idem traditus est, & illustribus duobus exemplis confirmatus. nec tamen cessauit illic eruditissimus interpres cuncta magis explanare. vt autē locus semper verus sit, addendum censet, δυνατῶν ὄντων ἀμφοτέρων: quibus verbis declaretur oportere illa huiuscemodi esse, vt effici ambo: vsuq; venire possint. hoc autem, vt ipse copiose narrat, secutus est, quae potiori naturae adsunt, illi ipsi

naturae

naturae ſemper magis expetenda ſunt, quam quae deteriori: alij vero ac diuerſae, non ſemper: fieri enim poteſt, vt illis, quibus praeſtantior natura ornata eſt, inferior vti non poſſit. quae Dijs (inquit) immortalibus adſunt, ſimpliciter abſoluteque ſpectata, magis expetenda ſunt, quam quae hominibus: vt aeternitas: mundi totius adminiſtratio: vacuitas omnis doloris, ac perturbationis, meliora ſunt ſapientia, bona valetudine, virtute, diuitijs, philoſophia, omnibus deniq;, quae hominibus expetenda ſunt. quod ſi in iudicio ſelectuq; faciendo melioris, ſpectatur commodum vtilitasq; eius, qui ſeligit, aliter ſaepe ſe res habet: neque enim quae Dijs ipſis accommodatiora ſunt, nobis item accommodatiora: multa enim, illis expetenda, ab hominibus obtineri nequeunt. ſtulti autem eſt optare, quae conſequi non poteſt: illisq;, quae ipſi fructum ferrent, repudiatis, ſumere, quae vtilitatem nullam important. tota res vberius ab ipſo elegantiusq; tractatur.

Καὶ ὃ ἕλοιτ᾽ ἂν ὁ βελτίων. ἢ ἁπλῶς, ἢ ᾗ βελτίων. οἷον τὸ ἀδικεῖσθαι μᾶλλον ἢ ἀδικεῖν: τοῦτο γὰρ ὁ δικαιότερος ἕλοιτ᾽ ἄν.

Et quod ſumeret vir melior, vel ſimpliciter, vel qua parte melior. ceu iniuriam accipere, potius quam facere: hoc enim homo iuſtior ſumeret.

Et quod optaret (inquit) vir melior, aut abſolute, aut ea parte, qua melior: ceu iniuriam pati magis quam facere: hoc enim aequior vir optaret. In pari autem ſuperiori huic loco explicando Alexander docuit, quod diſcrimen eſſet inter eum & illum, quem antea illic Ariſtoteles his verbis expoſuerat. καὶ ὃ μᾶλλον ἂν ἕλοιτο ὁ φρόνιμος, ἢ ὁ ἀγαθὸς ἀνήρ. & quae ſequuntur: nequis cum valde ipſi ſimilis ſit, eundem exiſtimaret, optimumq; magiſtrum negligentiae damnaret, qui eundem locum bis poſuiſſet. quod autem illic quempiam, qui non multum videat, fallere potuiſſet, hic multo facilius falleret. ſimilior namq; is, quem nunc hic exponit, illi quem paulo ſupra, iiſdem prope verbis, tradiderat, locus eſt. quo vero inter ſe illos diſcrepare tradat Alexander, & res ipſa declarat, eoſdem non eſſe oſtendemus. In ſuperiore illo inquit vtrum magis expetendum ſit prudentiori ſpectatur, cum ambo eidem expetenda ſint, illincq; argumentum ducitur: hic cum aliud, meliori: aliud autem, deteriori expetendum ſit, vtrum meliori expetendum ſit, animaduertitur: quod enim meliori homini, ac naturae magis expetendum fuerit, id etiam melius eſt: in hoc demum duae perſonae intelliguntur: aut res diſpares inter ſe, in illo vna tantum perſona cogitatur. Illic, prudentis iudicium: hic, boni viri electio ſpectatur. Quod vero ad exempli, quo hic vtitur, intellectum pertinet, huius ſententiae Socrates auctor fuit: eumq; ipſam laudantem inducit Plato in ſermone, quem appellauit Gorgiam. Cicero
» Latinis verbis expreſſit in xj. Philippica, cum Trebonij necem deploraret. Miſerior igitur, qui
» ſuſcipit in ſe ſcelus, quam is qui alterius facinus ſubire cogitur.

Καὶ τὸ ἥδιον, τοῦ ἧττον ἡδέος: τὴν γὰρ ἡδονὴν πάντα διώκει, καὶ αὐτοῦ ἕνεκα τοῦ ἥδεσθαι ὀρέγονται: ὥρισται δὲ τούτοις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ τέλος.

Et quod iucundius eſt, minus iucundo: voluptatem enim cuncta ſequuntur: & ipſius cauſa voluptatem capere appetunt. definitum autem eſt his bonum & finis.

Id etiam quod iucundius, eſt magis expetendum, quam minus iucundum: videmus enim (inquit) cuncta voluptatem ſectari: quomodo igitur id, quod maiorem voluptatem gignit, non maioris boni ſpeciem habet? praeterea appetunt homines voluptate affici, ipſius illius voluptatis cauſa: non vt eius auxilio aliquod commodum conſequantur, vt plurimas alias res optant, in quibus non acquieſcunt. deſcripta autem eſt (inquit) his informataq; ſupra natura boni, ac finis: quod enim cuncta ſectantur bonum eſt. quod autem ſua vi ad ſe allicit, & non quia ad aliam rem obtinendam valeat, vltimum, ac finis eſt. Lectionis diſcrimen, quod repperi in antiquiſſimo codice, libet adnotare: cum enim vt in excuſis prius illic foret, reſtitutum eſt eadem manu verbum indefiniti temporis, quod vno tantum interiecto verbo in reliquis etiam praecedit, vt legatur in eo. καὶ αὐτοῦ ἕνεκα τοῦ ἥδεσθαι, ὀρέγονται ἥδεσθαι. Id autem cum ſententiam non variet, fortaſſe leporis aliquid orationi affert. quod non videntes librarij, vt ſuperuacaneum, ac ſine cauſa repetitum, omiſere. Vetus quoq; tralatio eandem ſcripturam ſequitur.

Ἥδιον δέ τό, τε ἀλυπότερον, καὶ τὸ πολυχρονιώτερον ἡδύ.

Iucundius autem eſt, quod magis vacuũ eſt a moleſtia, & quod diuturnius iucundum.

Qvvm antea, quod iucundius eſt, docuiſſet anteponendum eſſe minus iucundo, nunc vnde intelligatur aliquid iucundius eſſe, declarat. diuturnitas igitur temporis, qua in eo ſtatu quis

manet,

manet, ac remotio omnium molestiarum, absolutam voluptatem efficiunt: id ergo, quod magis aegritudine vacuum erit, diutiusq; perdurarit, magis alio iucundum erit. Alexander autem » Aphrodisiensis inquit, ἡδονῆς ἀκρότητα εἶναι, τὸ πρὸς λύπην ἄμικτον. idest perfectam & ad summum perductam esse voluptatem illam, quae nullam partem aegritudinis adiunctam habet.

Καὶ τὸ κάλλιον τοῦ ἧττον καλοῦ: τὸ γὰρ καλόν ἐστιν ἤτοι τὸ ἡδὺ, ἢ τὸ καθ᾽ αὑτὸ αἱρετόν.

Et quod pulchrius est minus pulchro: pulchrum enim est, siue iucundum, siue propter se expetendum.

ALIVS locus, vt res ipsa, atq; omnes & formis excusi & manu scripti codices, declarant. κάλλιον etiam inquit, anteponendum est minus καλῷ. verum, quia Graecis καλὸν simplex verbum non est (nam & honestum ac propter se expetendum, & suaue significat) hoc etiam admonet. καλόν, quod formosum est dici, perspicuum est. Ita quoq; honestatem dignitatemq; appellari docet etiam Cicero in epistola ad Atticum, in C. Caesarem, bellum patriae nefarie molientem, inue» hens. Atq; omnia se ait facere dignitatis causa, qui ne vmbram quidem τοῦ καλοῦ vidit vmquam. Quod autem omnem rem aperit, idem hoc Aristoteles, in genere demonstratiuo explicando, ijsdem paene verbis repetit.

Καὶ ὅσων αὐτοὶ αὑτοῖς ἢ φίλοις, βούλονται αἴτιοι εἶναι μᾶλλον, ταῦτα μείζω ἀγαθά: ὅσων δὲ ἥκιστα, μείζω κακά.

Et quorumcunque ipsi sibi ipsis vel amicis causa esse volunt magis, haec maiora bona: quorumcunque autem minime, haec maiora mala.

ILLA item meliora bona sunt, quorum sibi ipsis homines, aut amicis, origo causaq; esse malunt: » vt enim seruulus quoq; in Andria prouerbio declarari ostendit, Omnes sibi esse melius malunt, quam alteri: amicus vero alter ipse est, vt sapientes viri testantur. contra autem, quorum minime ijsdem auctores esse volunt, maiora mala.

Καὶ τὰ πολυχρονιώτερα, τῶν ὀλιγοχρονιωτέρων.

Et diuturniora breuioribus.

ET diuturniora, inquit Cicero, bona, breuioribus. Alexander, cum hunc locum declararet, ex» positum quoq; in iij. libro Topicorum ab Aristotele, inquit. Hoc nobis loco vtentibus, lice» bit magis expetendam diuitijs esse bonam existimationem ostendere: cum enim ambo expetenda sint, bona existimatio post mortem permanet: nullus tamen, cum amplius non est, diues est. Non nulla etiam addit, quae docent, vnde fiat, vt res aliquando aliter se habere videatur, cum tamen, si aequales illae inter se sint, haec argumentandi ratio firma sit.

Καὶ τὰ βεβαιότερα τῶν μὴ βεβαιοτέρων.

Et stabiliora non stabilioribus.

ET stabiliora firmioraq; bona, maiora sunt minus stabilioribus: & quae amitti dilabique facile consuerunt. Cicero vim huius loci expressit, cum inquit in Topicis suis. Et stabilia incertis. cum vero superioris loci causam statim non attulisset, nunc ambobus iam explicatis, & huius & illius simul rationem reddit.

Ὑπάρχει γὰρ ἡ χρῆσις, τῶν μὲν, τῷ χρόνῳ: τῶν δὲ, τῇ βουλήσει: ὅταν γὰρ βούλωνται, ὑπάρχει μᾶλλον ἡ τοῦ βεβαίου.

Praestat enim vsus, illorum quidem tempore: horum autem voluntate: cum enim voluerint, adest semper paratusque est vsus rei stabilis.

CVR diuturniora nunc anteponantur: nunc vero firmiora, atq; id non sine causa ab hominibus fiat, docet, exponens, quid boni sit in ambobus: praestat enim vsus fructusq; diuturniorũ, tempore, diu enim longaq; temporum interualla permanent. firmiorum autem, quod nobis semper: voluntatibusq; nostris, praesto sunt: numquam enim se patitur desiderari, quod stabile, ac firmum est. Exempla, quibus Alexander hunc locum illustrauit, haec sunt. A stabiliori enim inquit argumentantes, scientiam sana rectaq; opinione magis expetendam ostendemus, cum ambae res expetendae sint. virtutem, bona fortuna. quod arte fit, eo, quod casu factum est: quod consilio gestum, eo, quod temere fortuitoq; recte factum erit. Alia etiam adiungit, ad totam rem explicandam valde accommodata.

Καὶ ὡς αὖ ἐκ τῶν συστοίχων καὶ τῶν ὁμοίων πτώσεων, καὶ τἆλλα ἀκολουθεῖ.

Et vt a coniugatis & similibus casibus se habuerint, & cetera sequuntur.

APPELLAT hic σύστοιχα, quemadmodum etiam in Topicis, quae Cicero coniugata. σύστοιχα autem, quod directo ordine disponantur, atq; eandem seriem rerum in descriptione seruent. Quintilianum miror hanc argumentationem contempsisse, & omnem ipsius vim inanem esse iudicasse: haec enim ipsius verba sunt, è libro viij. His illud adijcere ridiculum putarem, nisi eo Cicero vteretur quod coniugatum vocant: vt eos, qui rem iustam faciant, iuste facere. quod certe non eget probatione. Quasi non Aristoteles ipsa prius vsus sit: & non in forensibus tantum causis, ac deliberationibus, sed in grauioribus etiam, accuratioribusq; disputationibus, multum posse iudicarit. Quod vero, vt notum hoc argumentandi genus, superuacaneumq; reijcit, tantum abest, vt vulgare sit, vt non semper ratione concludi eo possit: non enim si iustum bonum, & iuste: iuste namque quaedam perpeti, malum. Non distinguit autem Cicero coniugata ab aduerbijs, quae philosophus, πτώσεις, quasi casus appellat: inquit enim. Coniugata dicuntur, quae sunt ex verbis generis eiusdem: eiusdem autem generis verba sunt, quae, orta ab vno, varie commutantur: vt sapiens, sapienter, sapientia: & quae sequuntur. & sane inter coniugata, casus etiam hi recte ponuntur; Aristoteles namq; in Topicis inquit. Σύστοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν πάντα. οἷον δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως. peculiari tamen, ac proprio nomine aduerbia πτώσεις ab eo appellantur, vt ipse hic, & planius in Topicis testatur. πτώσεις δέ, οἷον δικαίως καὶ ἀνδρείως, καὶ ὑγιεινῶς, καὶ δεκτικῶς, καὶ ὅσα τοῦτον τὸν τρόπον λέγεται. Cum autem diuersae nominis huius notiones apud veteres forent, Simplicius in commentarijs in Categorias, cum quae desiderentur, vt aliqua παρώνυμα recte dici possint ostenderet: requiriq; etiam doceret, vt dissimilis terminatio nominum eorum esset, terminationi vocum, vnde deriuantur, accurate omnes explicauit, dicens: Quam ipsam ἀνόμοιον κατάληξιν; Aristoteles vocat πτῶσιν: πτώσεις namq; nominum appellabant antiqui, non tantum quinq; hos, qui nunc a grammaticis vocantur casus, verum etiam inclinationes has, qualescunq; formationes habuerint: vnde etiam, quae nunc μεσότητες vocantur, illi, πτώσεις tunc appellabant: quemadmodum ab ἀνδρεῖος, ἀνδρείως: & a καλός, casum item καλῶς. vocari autem ab interioris quoq; aetatis grammaticis aduerbia μεσότητας, & ἐπιρρήματα μεσότητος, planum est. Addit autem casus hos omnes solitos appellari, quia imitarentur veros rerum solidarum lapsus, qui proprie ita vocantur. cum hi μεταφορικῶς casus dicantur: cadunt enim hi quoq;, cum variantur a primis nominibus in terminatione ipsa.

Οἷον, εἰ τὸ ἀνδρείως κάλλιον καὶ αἱρετώτερον, ἢ σωφρόνως, καὶ ἀνδρεία σωφροσύνης αἱρετωτέρα: καὶ τὸ ἀνδρεῖον εἶναι, ἢ σωφρονεῖν.

Ceu, si fortiter pulchrius & magis expetendum, quam temperanter: & fortitudo temperantia magis expetendum erit: & fortem esse, quam temperanter viuere.

CEV (inquit) si fortiter se gerere honestius est, ac magis expetendum, quam temperanter: & fortitudo, temperantia magis expetenda erit: & fortem esse, quam temperantem: haec enim argumentatio a casibus coniugatisq; est. Duo autem hic variaui: copulam enim superuacaneam, eieci, & vbi δὲ excusi habebant, emendaui εἶναι: idque omnibus scriptis codicibus assentientibus feci.

Καὶ, ὃ πάντες αἱροῦνται, τοῦ μὴ ὃ πάντες: καὶ, ὃ οἱ πλείους, ἢ οἱ ἐλάττους: ἀγαθὸν γὰρ ἦν, οὗ πάντες ἐφίενται. ὥστε καὶ μεῖζον, οὗ μᾶλλον.

Et, quod omnes expetunt illo, quod non omnes: &, quod qui plures sunt, quam qui pauciores: bonum enim est, quod omnes appetunt. quapropter & maius, quod magis.

QVOD cuncti praeterea expetunt, quam quod non cuncti: quodq; plures, quam quod pauciores, magis expetendum est. id autem ex definitione, descriptioneue boni intelligitur: cum enim traditum sit, id bonum esse, quod omnes appetunt, apertum est id maius bonum esse, quod magis omnes appetunt; arbitror enim, cum inquit οὗ μᾶλλον, intelligi eum voluisse πάντες: & superiorum duorum verborum, quae extrema posita sunt in descriptione boni, prius repeti debere; neq; enim vehementius, acriusq; nunc desiderium spectatur, sed maior amatorum copia: propiores vero sunt omnibus plures, quam pauciores.

Καὶ, ὃ οἱ ἀμφισβητοῦντες, ἢ οἱ ἐχθροὶ, ἢ οἱ κρίνοντες, ἢ οὓς οὗτοι κρίνουσι.

Et, quod, qui cum ipsis certant, vel quod inimici, vel quod qui existimant de illis rebus, vel quos hi existimant.

LOCVS accurate animaduertendus: vtilis enim multum, elegansq; est. non nullas autem scripturae peruersiones habebat, quas ope meliorum librorum, restituisse me arbitror. primae autem huius partis primum sententiam videamus. Illud praeterea quod, qui controuersantur, aut qui hostes sunt, aut qui statuunt de ea re, aut quos recte statuere posse iudicant, qui ei muneri praepositi sunt, maius bonum esse censuerint, maius bonum existimandum est. Qui controuersantur inter se, ambiguntq; de aliqua re, male plerunque animati, atq; infensi esse consueuerunt: nam de hostibus nemini dubium esse potest. Horum igitur concors de aliqua re iudicium, perinde, vt omnium habendum est: alia de causa sententia eorum, qui de quopiam disceptant, probari debet: cum enim id ipsorum iuris sit, possunt de illo statuere, vt ipsis commodum est, nec sententiae ipsorum quispiam refragari auderet: &, vt illorum iudicijs stare debemus, ita eorum quoque, quorum vt prudentium intelligentiumq; existimationi, rem hi permiserint: deq; ipsa sententiam ferre voluerint. Haec infra breui ab Aristotele exponuntur.

Τὸ μὲν γάρ, ὡς ἂν εἰ πάντες φαῖεν ἐστι: τὸ δὲ, οἱ κύριοι, καὶ οἱ εἰδότες.

Illud enim est, vt si omnes affirmarent: hoc autem, vt si qui sua in potestate habent, & qui sciunt.

DVAS hinc maculas abstersi, quae hunc locum valde foedabant, adiutus ab antiquissimo libro: excusi enim antea ὡς οἱ πάντες habebant: & paulo post, ὡς οἱ κύριοι. Illum etiam sequitur vetus tralatio. in posteriore autem hac parte, a me variata, intelligi ἀπὸ κοινοῦ (nisi fallor) debet ὡς εἰ. Sententia omnium horum verborum, quibus causae superiorum locorum afferuntur, hec est. Quod aduersarij hostesq; melius iudicarint, perinde haberi debet, ac si omnes iudicarint: siquid enim reprehendi posset, ij potissimum reprehenderent. Quod autem, qui statuere de ea re soliti sint, aut illi, quos ij elegerint, iudicarint, est idem, ac si, qui in sua manu rem habent, & qui valde intelligentes eius sunt, iudicarint. Referri autem (vt opinor) debet κύριοι, ad superius verbum, κρίνοντες: qui enim iudicant statuuntq; de aliquibus rebus, tamquam domini earum sunt, & in sua potestate, quid de illis fiat, habent. Quod vero sequitur, οἱ εἰδότες, ad illa, οὓς ἂν οὗτοι κρίνωσι: verisimile enim est ab illis, quorum iuris est de aliqua re statuere, si ipsi aut nolint, aut non possint illi incumbere, electum iri peritos, & intelligentes.

Καὶ ὅτε μὲν, οὗ πάντες μετέχουσι, μεῖζον: ἀτιμία γὰρ τὸ μὴ μετέχειν.

Et aliquando id, cuius omnes participes sunt, maius: dedecus enim participem eius non esse.

REM admirabilem, & quae primo rudiores perturbaret, exponit: nunc enim (inquit) maius bonum est, cuius omnes participes sunt, obtinere: nunc, cuius nulli, aut pauci: quomodo tam diuersae res honorem habeant, ipse diligenter ostendit: rationemq; prioris partis afferens, eam a contrario ducit: labem enim, ac turpitudinem importat, participem non posse fieri peruulgatarum rerum: vitatur autem ignominia, si eas consequaris, quae si rebus careas, nullis aut paucis concessis, nulla sane est.

Ὅτε δὲ, οὗ μηδεὶς: ἢ οὗ ὀλίγοι: σπανιώτερον γάρ.

Aliquando autem id, cuius nemo, vel cuius pauci: rarius enim est.

IN eum autem locum venire, in quem nullus, siue pauci ascenderunt, quia admodum rarum est, ideo maius bonum existimatur: supra enim declaratum est rarius, infrequentiusq; bonum superare vulgare & vsitatum. In priore loco lusit egregie Cicero, siue potius P. Clodium acerbissime vulnerauit, quod non potuerit omnibus suis opibus impetrare, vt vnus è xx. viris, agro
» Campano diuidendo creatis, efficeretur. Hercule (verum vt loquamur) subcontumeliose tra-
» ctatur noster Publius, qui, cum in domo Caesaris quondam vnus vir fuerit, nunc ne in xx. qui-
» dem esse potuerit.

Καὶ τὰ ἐπαινετώτερα: καλλίω γάρ.

Et laudabiliora: pulchriora enim.

LAVDABILIORA quoq; scilicet magis expetenda sunt. cuius rei causam breuiter attulit: honestiora enim (inquit) sunt. dignitas autem praecipue laudem meretur & obtinet. quae autem honestiora sunt, quin magis expetenda, dubitari non potest.

Καὶ ὧν αἱ τιμαὶ μείζους, ὡσαύτως: ἡ γὰρ τιμή, ὥσπερ ἀξία τίς ἐστι.

Et quorũ maiores honores eodẽ pacto: honos enim, tamquam pretium quoddam est.

Illa praeterea maiora bona sunt, quibus maiores honores tribuuntur: est enim honor quasi pretium, atque aestimatio quaedam eorum. tantus autem honor plerunque rebus adiungitur, quanta vis illarum atq; aestimatio est.

Καὶ ὧν αἱ ζημίαι μείζους.

Et quorum paenae maiores.

Quidam ζημίαι perperam iacturae reddiderunt. ζημία namque paena dicitur, quae legibus constituitur. hoc autem tam planum est, vt confirmatione non egeat, verum tamen, ipse in ij. libro
» de rep. de Pittaco loquens, inquit. Νόμος δὲ ἴδιος αὐτοῦ, τὸ τοὺς μεθύοντας, ἄν τι πταίσωσι, πλείω ζημίαν ἀπο-
» τίνειν τῶν νηφόντων. itaq; hunc locum sic interpretor. Quibus maiores paenae constitutae sunt, illa maiora flagitia: loci enim traduntur maioris, siue illud bonum, siue malum sit. Cum autem supra de honoribus, premijsq; egisset, opportune statim de paenis egit: nam Solon etiam, vt tradit Cicero, dixit remp. contineri premio, & paena: & vt ratio huius partis, consiliumq; auctoris melius intelligatur: quamuis locis, qui nunc traduntur de maiori bono, & de maiori malo, communi praecepto agat, quo contraria ratione omnes hi accipiuntur, interdum tamen & loci quoq; non nulli, vnde maiora simpliciter, vel maiora etiam mala probentur, ijs permiscentur, quod sane perraro fit, & solum cum occasio praebita est loci alicuius, cum aliquo de maiori bono coniungendi, vt hic ipse est: cum eo enim, qui ab honoribus publice lege constitutis, & a paenis similiter contraria ratione parem, coniuncte locum contexuit.

Καὶ τὰ τῶν ὁμολογουμένων, ἢ φαινομένων μεγάλων, μείζω.

Et quae habitis consensu omnium magnis, vel speciem eorum retinentibus, maiora fuerint.

Illa quoq; maiora sunt (hoc enim intelligi debet) quae superant ea, quae omnes magna esse consentiunt, aut etiam, sine hac vniuersorum assensione, speciem magnorum prae se ferunt. Locus apertus: quomodo enim, quod praestat illis, quae vulgo magna existimantur, maius haberi non debet?

Καὶ διαιρούμενα δὲ εἰς τὰ μέρη τὰ αὐτὰ, μείζω φαίνεται.

Et dissecta eadem in partes, maiora videntur.

Hunc locum expressit Quintilianus libro viij. de ornatu, cum inquit. Sic vrbium captarum
» crescit indignatio: sine dubio enim, qui dicit expugnatam esse ciuitatem, complectitur omnia, quaecumq; talis forma recipit. & quae sequuntur: eaedem enim res dissectae in partes, maiores videntur, quam si totae, aut spectarentur, aut audirentur.

Πλειόνων γὰρ ὑπεροχὴ φαίνεται.

Multarum enim rerum exuperantia perspicitur.

His verbis causam affert, cur ita videatur, dicens: apparet enim tunc, & quasi ponitur ante oculos exuperantia, plurium scilicet malorum: ita autem nunc vulgo excusi, & non nulli scripti habent, cum tamen in antiquissimo libro aliter legatur: sic enim primo illic scriptum fuit. πλειόνων γὰρ ὑπερέχειν φαίνεται: emendatum tamen eadem manu, qua liber exaratus, ὑπερέχει, ἢ φαίνεται. quam scripturam manifesto vetus tralatio sequitur, vt cum tam prisca sit, non omnino negligenda videatur.

Ὅθεν καὶ ὁ ποιητής φησι πεῖσαι λέγουσαν τὸν Μελέαγρον ἀναστῆναι. Ὅσσα κάκ' ἀνθρώποισι πέλει, τῶν ἄστυ ἁλώῃ. Λαοὶ μὲν φθινύθουσι: πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει. Τέκνα δὲ τ' ἄλλοι ἄγουσι. πέλω, sum Ind. pr. ἁλίσκομαι op. pr. Clen. 172 uersu 11 φθινύθω

Unde & poeta dicit persuasisse Meleagrum, vt surgeret, exponentem cuncta mala, quae cadunt in homines, quorum vrbs capta fuerit: populi enim intereunt: vrbem autem ignis absumit: filios alij abducunt.

Notum carmen, è nono libro Iliadis sumptum: quodq; plures virtutes in se habet, a grauissimisq; auctoribus valde illustratum est. Plutarchus in Homero, cum exemplum figurae illius, quam διατύπωσιν vocant, adferret, hinc sumpsit: & Hermogenes vbi duobus versiculis ostendit Homerum direptionem oppidi expressisse, illos, qui hunc sequuntur, adducit. Initium vero prioris versus aliud est in Homeri excusis libris. Κήδε' ὅσ' ἀνθρώποισι πέλει, τῶν ἄστυ ἁλώῃ: nam plures etiam antiquitus varietates in Homeri poësi erant: in omnibus autem scriptis exemplaribus horũ rhetorices librorum, posterior etiam valde diuersus est. Λαοὶ μὲν φθινύθουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει: quorũ auctoritaté secutus & ipse ita scripsi: non debui enim lectionem eam damnare, quam summi iudicij vir, & mirificus huius poëtae amator, probasset. Sententia vero haec est.

Affirmat Homerus in magno periculo patriae, cum alia nulla ratione Meleager, commotus ira, impelli potuisset, vt arma caperet, ac salutem suorum defenderet, auxilio huius loci vxorem ipsi persuasisse, vt excitaretur iacens propter moerorem: nec deesset tempori illi, cum hostes imminerent iam fortunis, ac vitae ciuium, exponentem ipsi quanta mala pararentur illis, quorum oppidum caperetur: populus namq; omnis (inquit) interit: filios è sinu matrum alij distrahunt: & quae copiosius apud poëtam ipsum leguntur. antiquissimus praeterea liber λέγουσα non habet, vt fortasse ab aliquo id verbum additum sit, qui rem explanare voluerit: a vetere tamen illud tralatione expressum est. tertius quoq; versus in nullo scripto codice integer legitur, quem absolutum antea excusi habebant.

Καὶ τὸ συντιθέναι δὲ καὶ ἐποικοδομεῖν, ὥσπερ Ἐπίχαρμος.

Et componere vtique & adstruere, veluti Epicharmus.

VT partiri diuidereq;, ita etiam componere ac superadstruere & tamquam coaceruare, rem auget: & vt maior videatur facit. quam rationem Epicharmum Siculum tenere in amplificandis rebus solitum narrat. Cum fabulae ipsius, scriptaq; omnia perierint, hoc seruatum ab eo, exempla inde sumendo, ostendere non possum. Quod tamen nunc ab Aristotele de eo traditur, idem etiam in primo libro de ortu animantium ab ipso exponitur: vnde facilius ratio huius rei intelligitur. inquit igitur. Ἔστι δὲ παρὰ ταῦτα, ὡς Ἐπίχαρμος ποιεῖ τὴν ἐποικοδόμησιν, ἐκ τῆς διαβολῆς, ἡ λοιδορία: ἐκ δὲ ταύτης, ἡ μάχη: ταῦτα δὲ πάντα ἔκ τινος, ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεώς ἐστιν. auctor quoq; rhetorices ad Alexandrum diligenter hanc compositionem, exaggerationemue exposuit, cum de modis amplificandarum rerum, & ipse disputaret: & ijsdem paene verbis vsus est: exemplumq; ad id demonstrandum aptum confinxit. χρὴ δὲ καὶ εἰκάζοντα συμβιβάζειν, καὶ ἐποικοδομοῦντα τὸ ἕτερον, ὡς ἀπὸ τοῦ ἑτέρου αὔξειν τρόπῳ τοιῷδε. Exemplum Latinis verbis exponam. Qui amicos caros habet, hunc verisimile est parentes colere: qui parentes colit, hic patriam beneficijs afficere volet. Horatius quoq; in epistola quadam ad Moecenatem vsus est hac adstructione, & paene expressit superius exemplum his verbis. Ludus enim genuit trepidum certamen & iram: Ira truces inimicitias & funebre bellum.

Διά τε τὸ αὐτὸ τῇ διαιρέσει: ἡ γὰρ σύνθεσις ὑπεροχὴν δείκνυσι πολλήν.

Et eandem ob rem, qua diuisio: compositio enim multam indicat exuperantiam.

VNDE hoc gignatur accurate exponit: ac quod facit, vt diuisio vim amplificandi habeat, idem etiam praestare dicit, vt concretio, contraria illi res, idem efficiat. Non vna tamen haec causa facit, vt res coaceruatae maiores videantur: est enim alia quoque, quam infra tradet, hác prius explicata. quae enim (inquit) res multum valet, vt discretum aliquid, in partesq; dissectum, maius videatur, eadem etiam adiuuat, vt concretum aliquid, antea in exiguas partes diuisum, maius appareat: vt ipse enim accurate exponit. constitutio partium, concretioque prae se fert non paruam exuperantiam: ac non minorem, quam in partes plurimas dissectio.

Καὶ ὅτι ἀρχὴ φαίνεται μεγάλων, καὶ αἴτιον.

Et quia initium videtur esse multarum rerum, & causa.

ET quia, inquit (haec enim altera illa causa est) principium apparet magnorum quorundam, ac causa: quod enim ex multis partibus constitutum, compactumq; est, habere in se videtur initium, causamq; magnarum rerum.

Ἐπεὶ δὲ τὸ χαλεπώτερον καὶ σπανιώτερον, μεῖζον, καὶ οἱ καιροὶ, καὶ αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ τόποι καὶ οἱ χρόνοι, καὶ αἱ δυνάμεις, ποιοῦσι μεγάλα.

Quia autem, quod difficilius, & rarius, maius est, & occasiones, & aetates, & loci, & tempora, & facultates reddunt res magnas.

Ex rebus antea explicatis nouas rationes confirmandi aliquid elicit: illis autem concessis haec negari non possunt, sed certa firmaq; haberi debent. quia (inquit) planum iam factū est, quod magis arduū rarumq; est, maius esse: res etiam hae, quas enumerat, idest opportunitates quaedam temporum, & aetates, & loca, & tempora, & vires, multum augent: illuc enim referuntur: exiguum enim commodum, in aliquem opportuno tempore collatum, magnū beneficium est: durum namque, ac difficile fuit, tunc id praestare: & si quod a puero gestum est pulchrum forteq;, maius est: rarum enim id in ea aetate, nec expectari merito inde eximium aliquod factum potest. eadem ratio reliquorum est.

Εἰ γὰρ παρὰ δύναμιν, καὶ παρ' ἡλικίαν, καὶ παρὰ τοὺς ὁμοίους. καὶ εἰ οὕτως ἢ ἐνταῦθα ἢ τόθ', ἕξει μέγεθος καὶ καλῶν, καὶ ἀγαθῶν, καὶ δικαίων, καὶ τῶν ἐναντίων.

Si namque supra facultatem, & supra aetatem, & supra pares. & si ita, vel hic, vel tunc fecerit, magnitudinem habebit, & rerum honestarum, & bonarum, & iustarum, & contrariarum.

MODVM nunc ostendit, quomodo ex rebus, nunc indicatis, argumenta ducantur: omnisq; demum haec ratio tractari debeat: si enim aliquid (inquit) supra vires gesserit, aut supra aetatem, aut supra pares ipsi: nec non si hoc modo, aut loco, aut tempore: quae sua vi spectatae, & non ita consideratae, pusillae res minutaeq; viderentur, grandes nunc magnaeq; esse intelligentur: siue honestae, siue bonae atq; vtiles, siue iustae fuerint: animaduertendum enim ipsum nunc trium dicendi generum fines complecti. bona enim quae conducunt manifesto appellauit: addit autem, vt horum, ita etiam contrariorum: illas enim quoq; res, quae aut turpes, aut detrimentosae, aut iniquae fuerint, si has condiciones habuerint, & ipsas maiores visum iri affirmans: magnitudinem enim ijs quoq; aeedem illae adiungent. Quod autem in excusis antea erat παρὰ τοὺς ἄλλους, variaui, secutus fidem antiquissimi libri, in quo παρὰ τοὺς ὁμοίους legitur. eandem lectionem sequitur vetus tralatio.

Ὅθεν καὶ τὸ ἐπίγραμμα τῷ ὀλυμπιονίκῃ.

Unde carmen in victorem Olympiorum.

QVO sensu factum est epigramma in victorem illum olympiorum. animaduertendus autem modus loquendi, quod dandi casu ὀλυμπιονίκῃ, non εἰς ὀλυμπιονίκην inquit, vt passim Graeci & Latini scriptores loquuntur. Cicero pro Archia. Quod epigramma in eum fecisset. nisi forte significare voluit, illum se ipsum eo carmine ornasse: factumque ab eo id epigramma fuisse. Repetuntur haec exempla de olympionica, & Iphicrate infra, vbi demonstrationis genus explicat. Qui ornare victorem Olympiorum voluit (vicisse autem Olympia erat apud Graecos, vt inquit Cicero, prope maius, ac gloriosius, quam Romae triumphare) in carmine quo laudes ipsius celebrauit, docuit illum humili loco natum, & in sordido ministerio diu occupatum fuisse: existimauit enim hanc rem illi honori fore, quod supra fortunam ac condicionem suam in eum dignitatis gradū peruenisset. Huic etiā rei demonstrandae Ventidij mulionis exemplum accommodatum est, de quo elegans poëta, Nam qui mulos fricabat, modo factus est consul. Ipse enim quoq; humili loco natus erat: & res magnas gessit, supraq; condicionem suam: non eodem tamen consilio Graecus, & Latinus poëta originis duorum horum clarorum virorum mentionem fecerunt: alter enim eum ornare: alter dedecorare voluit.

Πρόσθε μὲν ἀμφ' ὤμοισιν ἔχων τραχεῖαν ἄσιλλαν. Ἰχθῦς ἐξ Ἄργους εἰς Τέγεαν ἔφερον.

Antea quidem, humeris impositam habens asperam fiscinam. Pisces portabam ab Argo in Tegeam.

EPIGRAMMA integrum ab Aristotele positum non est: alternis autem versibus longiusculis illud fuisse, ex duobus his primis intelligitur. Olympionices ipse, in quem factum erat, loquitur, qui ostendit se olim vili, & molesto munere solitum sibi victum quaerere, cum dorso gestaret fiscinam asperam, piscium plenam, ex vrbe Argo in Arcadiae oppidum Tegeam. Arcadiae enim fuisse Tegeam, planum est. vnde Pan, peculiare pastorum numen, Tegeaeus, quod Arcadiae fines incoleret, a Virgilio vocatur. Ἄσιλλα fiscinae corbisq; genus, ad huiuscemodi res comportandas aptum. in antiquissimo autem libro adnotatum est eadem manu, aliter priorem versum in quibusdam exemplaribus legi, verborum ordine variato: vnoque ex illis relicto. πρόσθεν μὲν τραχεῖαν ἔχων ὤμοισιν ἄσιλλαν: noua autem tertius hic additus: νῦν δὲ κράτος φέρομεν μέγα πᾶσιν ὀλυμπιονίκαις: quem fictum ab aliquo puto.

Καὶ ὁ Ἰφικράτης αὐτὸν ἐνεκωμίαζε, λέγων, ἐξ ὧν ὑπῆρξε ταῦτα.

Et Iphicrates semet ipsum dilaudabat, dicens, è quibus extiterunt haec.

IPHICRATES etiam ignobili genere ortus: fuit enim sutoris filius, ob fortitudinem ac rei militaris scientiā honores amplissimos consequutus est, & copias Atheniensiū duxit. qui etiam, ne dum stirpis suae humilitatem tegeret, libenter id praedicare consuerat, existimans se quod supra vires, ac fortunas suas fecisset, maiore honore dignum. Aristoteles infra Iphicratem admirantem res a se gestas, in hanc vocem narrat erupisse, ἐξ οἵων εἰς οἷα. Qua autem de causa, cum antea ignotus foret, primum celebrari coeperit, docet Plutarchus in apophthegmasin, ac nonnullas etiam ipsius voces refert.

Καὶ τὸ αὐτοφυὲς τοῦ ἐπικτήτου· χαλεπώτερον γάρ.

Et quod innatum est, postea parto: difficilius enim.

CICERO sic hunc locum expressit. Vt innata atq; insita, assumptis & aduenticijs. vnde antiquus scriptor, cum mulieris formam laudaret, inquit ipsam habere αὐτοφυὲς κάλλος, καὶ μὴ ἐπίπλαστον. Difficilius autem id esse inquit, rationem huius rei reddens, non naturae ipsius vim spectans, sed cogitans quam paucis tribuantur haec a natura bona: ac multo plures, qui eorum compotes sunt, studio & industria sua illa sibi postea comparare, vt de corporis pulchritudine: non enim facile est obtinere naturalem pulchritudinem: arte autem, ac diligentia speciem corporis adiuuare, nullum negotium est: multae enim, quae formosae videntur, hac ratione formam acquisiuere.

Ὅθεν καὶ ὁ ποιητής φησιν. Αὐτοδίδακτος δ' εἰμί.

Unde & poeta inquit. Nullum doctorem habui.

VNDE (inquit) & illud ab Homero dictum est: cum enim intellexit, poëtam appellans. Verba autem Phemij poëtae in antepenultimo libro Odysseae sunt. qui procos Penelopes arte: ingenioq; suo oblectare, & ad epulas canere consueuerat: cum autem in nece illa procorum domi Vlyssis deprehensus esset, videretq; sibi malam pestem paratam, orare coepit Vlyssem, vt sibi parceret. exponens cuncta, quibus animum illius, iusta ira percitum, leniret: ad misericordiamque deduceret: in quibus docuit se a nullo magistro disciplinam accepisse, sed ingenij sui vi talem factum. Pindarus quoq; in posteriore ode Olympiorum, in caelum tulit eos, qui natura duce plurima percepissent: qui vero laboribus, ac vigilijs docti facti essent, contempsit.

Καὶ τὸ μεγάλου μέγιστον μέρος. οἷον Περικλῆς τὸν ἐπιτάφιον λέγων. τὴν νεότητα ἐκ τῆς πόλεως ἀνῃρῆσθαι, ὥσπερ τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰ ἐξαιρεθείη.

ἀναιρέομαι ἀνῄρημαι

Et rei magnae maxima pars. ceu Pericles laudans eos, qui in bello interfecti essent, dixit iuuentutem è ciuitate sublatam fuisse, tamquam si vernam tempestatem aliquis ex anno eximeret.

MAGNAE praeterea alicuius rei maxima pars, maior meliorq; est, ea, quae aut pusillae rei maxima pars est, aut magnae parua. Vt autem rem confirmet, adducit illustrem sententiam Periclis, maximi oratoris, atq; optimi ciuis: quam pronuntiauit cum laudaret eos, qui pro patria cecidérant: dixit enim iuuentutem raptam bello, ablatam esse è ciuitate, vt si quis ver ex anno auferret: ciuitas autem maxima res cum ex multis partibus constet, iuuentus maxima, & elegantissima illarum omnium habenda est. quod simili hoc significare voluit, & quantum damnum factum esset ostendere, summi ingenij orator: ver enim quoq; ipsum maximae rei: anni scilicet, maxima & pulcherrima pars est. eandem in iij. horum librorum Aristoteles repetit, quo loco de metaphorarum generibus agit. inde quoq; verbum transtulit multae artis, nec minoris elegantiae sermonis poëta, cum cecinit. Hinc laetas pueris vrbes, florere videmus. Intelligi autem debet, vt plenus sermo sit, in exemplo Periclis, quod adfert, εἴη, aut quod idem valeat.

Καὶ τὰ ἐν χρείᾳ μείζονι χρήσιμα. οἷον τὰ ἐν γήρᾳ καὶ νόσοις.

Et quae in maiore necessitate fructum ferunt, vt quae senectuti & morbo grauatis prosunt.

AVGET manifesto beneficiorum vim tempus: angustiaeq; eorum, qui beneficium accipiunt, quod etiam Demosthenes in Leptinem significauit: cuncti enim (inquit) qui quouis tempore vobis vtiles fuerunt, digni sunt, quos commodis aliquibus compensetis: potissimum autem illi, qui in vos beneficia contulerunt παρὰ τὰς χρείας: eodem enim verbo, quo hic Aristoteles, vsus est: idest cum rebus illis egebatis: cum magnos inde fructus, vsusq; capere poteratis. Cuncta igitur, quae nobis vtilia sunt in grauiori tempore constitutis: ac maioribus angustijs pressis, praeponenda sunt illis, quae bono nobis atq; vsui sunt, minori in re laborantibus: vt quae (inquit) senectute affectis, morboq; oppressis accommodata sunt: non facile enim grauiora vlla his tempora afferrentur.

Καὶ δυοῖν, τὸ ἐγγύτερον τοῦ τέλους.

Et duarum rerum illa, quae fini propinquior fuerit.

HIC locus ijsdem verbis ab ipso in iij. Topicorum expositus est. Nisi igitur ab eruditissimo interprete explicatus esset, obscurior breuitate sua videri potuisset: nihil tamen patitur Alexander, quod ad declarationem eius faciat, desiderari. Locus enim (inquit) vtilis est cum duo, quae aliquem finem adiuuant, inter se comparantur. Si enim duo sint, quae ad eundem finem referantur, quod propius fini est, eo quod remotius, magis expetendum: magisq; bonum est: multis autem exemplis id confirmat: quorum partim exprimam. Sic (inquit) actus ex virtute magis expetendus habitu ipso: propinquior enim vitae beatae: qui est finis amborum. nec non ars equestris melior illa, quae frena fabricatur, cum ambae rem militarem adiuuent: propinquior enim illi ars equestris. praeterea fabri materiarij artificium, illo, quod caedit materiam: quamuis ambo vtilia sint ad classem aedificandam: & quae corpora exercet, medicina, cum ambae ad bonum corporis habitum faciant.

Καὶ τὸ αὐτῷ, ἢ ἁπλῶς.

Et quod ipsi, quam simpliciter.

LOCVS hic perturbatior est in scriptis quoque codicibus: neq; enim omnes eodem modo habent: secutus autem sum quam veriorem lectionem putaui: illam vero inferior quoq; locus confirmare videtur, qui tamquam membrum huius est. hic igitur sensus huius ipsius erit, si ita legatur. Quae ipsi alicui bono sunt, praeponenda ab eo illis, quae simpliciter absoluteq; bona sunt: si commodum ei nullum importarent. Cum autem in antiquissimo libro legatur καὶ τὸ αὐτῷ καὶ ἁπλῶς. ac supra copulam καὶ, in medio positam, quae diiungit particula, eiecta illa, posita sit: quam scripturam probaui, quamq; in alio scripto satis fideli inueni: si quis tamen illam retinere vellet, nec quippiam variare, hunc sensum (nisi fallor) ex omni hac parte elicere posset, ac quod ipsi singillatim, & simpliciter conducit, anteponendum illi, quod aut ipsi, non tamen simpliciter: aut si absolute, non tamen ipsi fructum fert.

Καὶ τὸ δυνατὸν, τοῦ ἀδυνάτου: τὸ μὲν γὰρ, αὐτῷ: τὸ δ᾽, οὔ.

Et quod fieri potest, quam id, quod fieri non potest. hoc namque ipsi: hoc vero, non.

IN hoc loco non vis tantum illorum, quae in comparationem veniunt perpenditur, sed persona etiam eorum, qui optant: nam si eorum, quae inter se conferuntur, alterum fieri non possit, alterum vero possit, sumendum est, quod obtineri a nobis potest: altero, quod suscipere non possumus, posthabito ac relicto: quamuis illud sua vi melius, praestantiusq; sit. Haec ab Alexandro accepta sunt. qui adiunctis etiam accommodatis elegantibusq; exemplis, locum explanat. Quia (inquit) in hominem cadit longinquitas vitae, immortalitas non cadit, homini magis expetenda longinquitas vitae, quam immortalitas. eodem pacto confirmari potest affectionum animi mediocritatem, magis homini expetendam, earundem vacuitate: quamuis sua vi illa, absoluteque praestantiora sint.

Καὶ τὰ ἐν τέλει τοῦ βίου: τέλη γὰρ μᾶλλον τὰ πρὸς τῷ τέλει.

Et quae in fine vitae: fines enim magis, quae sunt prope finem.

ITA scriptum offendi in fidelioribus scriptis libris & in Aldino exemplari: & hanc veram esse huius loci lectionem puto. in excusis postea non nullis, inculcata particula diiungendi, legitur mendose: τέλη γὰρ μᾶλλον, ἢ τὰ πρὸς τῷ τέλει. quae in ipso fine vitae manent, meliora ijs, quae longo inde interuallo remota sunt, quamuis eodem & ipsa referantur. Finem autem vitae intelligit beatitudinem: eo namq; dirigi nostrae cogitationes debent: cunctaq;, quae in vita gerimus, illuc spectant. Cum in iij. libro Topicorum eodem pacto locutus esset: dixissetq;, quod ad vitae finem facit, magis expetendum esse, quam quod ad alium finem, optimus interpres significari dixit illis verbis vitam beatam. quod sane testatur etiam auctor ipse: exemplis namque aperire rem volens, ait: vt quod ad vitam beatam pertinet, magis optandum, quam quod ad prudentiam. Hic vero rationem huius rei hanc affert, quod quae in ipso fine sunt, iam iamque illuc peruenerunt, naturam magis sapiunt finis: quod autem magis finem aliquem reddit, maius bonum est, quam quae eundem minus. Hoc igitur, quod supremo & optimo fini haeret, cuncta illa bonitate vincit, quae non tantopere ipsi appropinquant. Quae vero in fine vitae, beatitudineq; includuntur, sunt virtutes: factaq; inde proficiscentia, quae vere dicuntur in ipsa posita esse, quia eam constituunt maxima ex pa te. Lapsi igitur sunt, qui existimarunt τέλος hic valere extremum.

Καὶ τὰ

Καὶ τὰ πρὸς ἀλήθειαν, τῶν πρὸς δόξαν: ὅρος δὲ τοῦ πρὸς δόξαν, ὃ λανθάνειν μέλλων, οὐκ ἂν ἕλοιτο.

Et quae ad veritatem, quam quae ad opinionem: terminus enim eius, quod ad opinionem est, quod si putaret id clam futurum, numquam sumpsisset.

EA etiam, quae, rei veritatem spectantes, sumimus, anteponenda sunt ijs, quae ad opinionem: sic autem verba conuerti non minus eleganter, quam fideliter posse puto. Cicero certe sic pluribus locis locutus est, quamuis non defuerint, qui sine causa, eiectis ex epistola quadam ipsius Latinis vocibus, Graecas illic posuerint. M. Varro etiam hoc sermone vsus in v. lib. de lingua Latina. Quo si non perueniam, scientiam ad opinionem aucupabor. Ne quem autem hic modus loquendi falleret, declarauit, quid ipse appellaret πρὸς δόξαν: descriptio enim (inquit) eius est, cui gerendo nemo vmquam se dedisset, si studium operaq; ipsius fallere homines atq; ignorari debuisset. Idem etiam in Topicis fecit accurate: vim enim huius sermonis illic quoq; expoluit, diuersis sane verbis: idem tamen valentibus, ἔστι δὲ τὸ πρὸς δόξαν, τὸ μηδενὸς συνειδότος, μὴ ἂν σπουδάσαι ὑπάρχειν. ea ad opinionem fiunt, quae nemo sibi parare curaret, si illa clam omnibus futura existimaret. Exemplo vero illic rem illustrate volens, potiora scilicet esse quae non ad iudicia hominum captanda, sed quia vere talia sint, sumuntur, ait. Vt corporis valetudo, pulchritudine: optamus enim valere propter se, quamuis etiam id omnes latere debeat: speciem vero corporis ob laudem gratiamque, quam inde aucupamur: esset enim excellens forma corporis frustra, si ab alijs ignoraretur: nec fructum aliquem ferret. Alexander quoq; alia non nulla, vt vsum eius loci aperiret, excogitauit.

Διὸ καὶ τὸ εὖ πάσχειν τοῦ εὖ ποιεῖν, δόξειεν ἂν αἱρετώτερον εἶναι: τὸ μὲν γὰρ κἂν λανθάνῃ, αἱρήσεται: ποιεῖν δ' εὖ λανθάνων, οὐ δοκεῖ ἂν ἑλέσθαι.

Quare & beneficium accipere, quam beneficium dare, videretur magis expetendum esse: hoc enim, & si clam esse debet, sumet: beneficium autem dare, si nesciri debeat, non videtur in animum inducturus.

HINC autem (inquit) non nullis accipere beneficium, quam facere, praestantius videri posset: commodo enim aliquo adiuuari, etiam si nemo sciat, bonum est: cum fere, qui beneficium maius aliquod accipiunt, cupiant illud latere: nec se videri velint auxilio alterius eguisse. pecunia autem, aut aliqua huiuscemodi re quempiam sustentare, si omnes fallat, nihil in se boni habet: vt improbi non nulli ac ventosi homines censent, & qui benigne faciunt, non virtutem sequentes, sed ostentatione opum, & populari laude ducti: vere namq; liberales ac benefici homines contra faciunt. quod etiam innuit, cum inquit δόξειεν: indicat enim id verbum, hunc è falsa opinione multitudinis errorem ortum.

Καὶ ὅσα εἶναι μᾶλλον ἢ δοκεῖν βούλονται: πρὸς ἀλήθειαν γὰρ μᾶλλον.

Et quaecunque esse magis quam videri volunt: ad veritatem enim magis.

ET quaecunque (inquit) vulgo magis homines optant esse, quam videri: ab occultis enim voluntatibus docet confirmari etiam aliquarum rerum exuperantiam posse: huius autem rei causam hanc affert, quod huiuscemodi omnia ad veritatem magis accedant. supra vero ostendit praestare haec illis, quae ad opinionem homines gerunt.

Διὸ καὶ τὴν δικαιοσύνην φασὶ μικρὸν εἶναι, ὅτι δοκεῖν, ἢ εἶναι, αἱρετώτερον: τὸ δὲ ὑγιαίνειν, οὔ.

Quapropter iustitiam aiunt esse pusillum quiddam, quia videri, quam esse, magis expetendum est: bene valere autem minime.

QVARE non nulli, hinc argumentum ducentes (inquit) affirmant iustitiam tenuem pusillamq; rem esse: praestare enim videri iustum, quam esse. quod si egregij aliquid in se iustitia contineret, contra se res habuisset: ea enim meliora sunt, quae esse, quam videri, malunt. Pronuntiata autem haec sunt ex opinione, ac iudicio vulgi: quod ex verbo quoq; φασὶ declaratur: multitudo enim vtilitatem spectat, quaestumq; virtuti praefert. Improbam hanc sententiam suadent duo senarij versus, qui apud Plutarchum leguntur in commentario, quo dissseritur, quo-

» modo accedere adolescentes debeant ad poëtas. Τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἀρνοῦσο. Τὰ δ᾽ ἔργα
» τοῦ πᾶν δρῶντος, ἵνα κερδανεῖς. Contra Amphiaraus, optimus vir, maximusq; augur, vt Aeschy-
» lus tradit, in fabula ἑπτὰ ἐπὶ θήβας, esse, quam videri, bonus malebat. Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ᾽
» εἶναι θέλει. Thrasymachus vero sophistes fuit, qui iniustitiam ornauit: persequendamque esse multis fallacibus argumentis docuit. abijciendam autem iustitiam.

Καὶ τὸ πρὸς πολλὰ χρησιμώτερον. οἷον τὸ πρὸς τὸ ζῆν, καὶ εὖ ζῆν, καὶ τὴν ἡδονὴν, καὶ πράττειν τὰ καλά.

Et quod ad multa magis vtile est. veluti quod ad viuendum, & bene viuendum, & ad voluptatem, & ad gerenda, quae honesta sunt.

Nec non (inquit) quod plures vsus praebet: magisq; ad multas res accommodatum est, quam quod ad pauciores, vt quod ad vitam: & ad elegantem bonamq; vitam: & ad voluptatem conficiendam: & ad gerendas res honestas valet. Εὖ ζῆν, & iucunde viuere hic significare potest: & ex virtute honesteq;: nam copiose etiam abundanterq; valere, intelligitur quoq; Terentij hoc
» loco ex Hecyra. Sane hercle homo voluptati obsequens fuit, dum vixit. &, qui sic sunt, haud
» multum heredem iuuant: Sibi vero hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, bene.

Διὸ καὶ ὁ πλοῦτος, καὶ ἡ ὑγίεια μέγιστα δοκεῖ εἶν: ἅπαντα γὰρ ἔχει ταῦτα.

Quapropter & diuitiae, & bona valetudo maxima videntur esse: cuncta enim haec in se habent.

Vnde (inquit) & diuitiae & firma corporis valetudo, maxima bona vulgo existimantur: praeditae namque sunt his dotibus: omnesq; hos vsus suppeditant: & tuendae enim vitae, & splendori retinendo, & voluptatibus comparandis, & virtutibus exercendis diuitiae accommodatae sunt. Idem etiam de corporis sanitate vere dici potest: eius namq; ope & viuimus, & bene viuimus, & voluptates sentimus, & praeclaras multas res, dignitatisq; plenas facimus: quorum paene nihil, morbo impediti, obtineremus.

Καὶ τὸ ἀλυπότερον, καὶ τὸ μεθ᾽ ἡδονῆς.

Et quod magis vacuum est a molestia, & quod iunctum est cum voluptate.

Coniuncta copulataq; & hic locus bona plus valere ostendit, quam solitaria, ac simplicia. cum supra autem docuisset plura bona paucioribus anteponenda esse, idem etiam hoc confirmatur: quod enim expers est aegritudinis, sed etiam voluptatem sentit, melius est eo, quod ab aegritudine solum vacuum est. Quod Alexander animaduertendum censuit, cum verba haec
» è iij. libro Topicorum interpretaretur. καὶ τὰ αὐτὰ μεθ᾽ ἡδονῆς μᾶλλον, ἢ ἄνευ ἡδονῆς. καὶ τὰ αὐτὰ μετὰ
» ἀλυπίας μᾶλλον ἢ περ μετὰ λύπης, hic etiam admonere alienum non est, manifesto ex his verbis intelligi aliud existimare Aristotelem esse indolentiam: aliud voluptatem, contra ac non nulli sapientes viri facerent, qui dicerent nulla re ipsas inter se discrepare: quam sententiam postea Epicurus arripuit, qui affirmauit eum, qui dolore omni careret, in summa voluptate constitutum esse, atq; ita summa, vt illuc adiungi nihil posset.

Πλείω γὰρ ἑνός. ὥστε ὑπάρχει καὶ ἡ ἡδονὴ, ἀγαθὸν, καὶ ἡ ἀλυπία.

Plura enim vno. quare existit illic & voluptas bonum, & vacuitas a dolore.

Cavsam nunc affert, cur maius id bonum sit, quod aegritudine vacet ac voluptatem adiunctam habeat: plura enim (inquit) vno sunt. plura autem supra paucioribus magis expetenda docuit: est enim illic & voluptas bonum & indolentia. In antiquissimo libro tamquam correcta & emendata vox illa est ὑπάρχει: & ex ipsa factum ὑπερέχει. quā lectionem sequitur etiam vetus tralatio: & sane haec verba apud hunc scriptorem negligentia librariorum saepe deprauata sunt: & ob similitudinem inter se commutata. In communi lectione illud molestum est, quod non bene video, quam vim illic habeat aduerbium ὥστε: neq; enim quicquam noui affert, vt faceret, si legeretur ὑπερέχει: esset enim confirmatio eius, quod dixerat, illud maius bonum esse, cum plura simul, hoc sensu. quare cum plura sint, superat. Quae vero sequuntur verba, enumeratio erunt eorum bonorum, quae in eo continerentur, quod praestare dixerat: est tamen, si ita etiam legas, in verbis asperitas aliqua.

Καὶ δυοῖν, ὃ τῷ αὐτῷ προστιθέμενον, μεῖζον τὸ ὅλον ποιεῖ.

Et duarum rerum, quae eidem adiuncta, maius totum efficit.

NON valde dissimilibus verbis eundem hunc locum in Topicis exponit: appellat autem illic » ipsum ἐκ προσθέσεως, εἰ τῷ αὐτῷ προστιθέμενόν τι, τὸ ὅλον αἱρετώτερον ποιεῖ. verum, quia erroris aliquid quandoq; in hac adpositione nasceretur, nisi recte atq; ordine fieret, narrat accurate, quid cauendum in ea sit: diligentiam enim (inquit) adhibere oportet, ne proponamus, in quibus altero eorum, quae adiuncta fuerint, vtitur commune coniunctumq; illud, aut aliquo modo opus adiuuat: altero vero, nec vtitur, neq; cum eo opus efficere potest. Vis igitur & huius & illius loci haec est. Si adiungatur eidem rei, nunc hoc, nunc aliud: fiatq; ipsa cumulata rebus ijs, quae adponuntur, nunc magis expetenda, nunc minus, illud cuius adpositu magis expetenda redditur, & ipsum magis expetendum est alijs, quae eidem admota fuerant. Exempli gratia diuitijs adiungatur, nunc virtus: nunc vero corporis sanitas. magis autem expetendae diuitiae coniunctae cum virtute, quam cum sanitate corporis. quare & virtus magis expetenda corporis sanitate. Praeterea applicetur vitae, quam degimus, nunc iuste: nunc iucunde. Si iuste viuere magis expetendum, quam iucunde viuere: & iuste, quam iucunde, magis expetendum: quare & iustitia voluptate. & haec & alia nonnulla adfert Alexander, his locis explicandis valde accommodata: nam exemplis adpositis fallere aliquando hos locos demonstrat: &, quomodo id declinari debeat, ostendit: quod fecerat etiam breuiter Aristoteles: non semper enim (inquit) quibusdam locus verus esse videbitur: non enim, quia liberalitas coniuncta cum diuitijs, magis expetenda liberalitate aucta robore, dici iam potest diuitias magis expetendas robore. neq;, quia vires corporis praestantes, fortitudine auctae, meliores quam diuitiae, fortitudine ornatae, hanc ob causam vires corporis meliores diuitijs: idem enim (quod absurdum est) diuersis temporibus, nunc minus: nunc magis expetendum foret. Causa autem huius rei est id, de quod supra locutus sum, vt ipse accurate illic exponit.

Καὶ ἃ μὴ λανθάνει παρόντα, ἢ ἃ λανθάνει: πρὸς ἀλήθειαν γὰρ τείνει ταῦτα.

Et quae non fallunt, cum adsunt, quam quae fallunt: ad veritatem enim tendunt haec maxime.

ET quae cum praesentia adsunt, non fallerent: clamue vllo modo essent, maiora scilicet bona sunt quam quae latere, & non intelligi possunt. Rationem autem eius reddens, inquit. ad veritatem namq; huiuscemodi omnia magis tendunt, atq; eo feruntur. Supra vero declaratum est, quae veritatem spectant, maiora esse, quam quae simulata & adumbrata tantum sunt. τείνειν πρὸς ἀλήθειαν, vt in Topicis dictum est, πρὸς εὐδαιμονίαν συντεῖνον.

Διὸ τὸ πλουτεῖν φανείη ἂν μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ δοκεῖν.

Vnde & diuitem esse videri posset maius bonum, quam videri.

CVM in excusis antea legeretur. Διὸ καὶ τὸ πλουτεῖν καὶ δοκεῖν φανείη: & quae sequuntur. eam, quam in omnibus paene scriptis codicibus lectionem inueni, secutus sum: quae vero inde verba absunt, a vetere quoq; tralatione expressa non sunt: puto autem illa adiuncta a quopiam fuisse, qui locum emendare, planioremue reddere vellet. Est autem hoc tamquam corollarium quoddam, non exemplum, quod locum ipsum confirmet. Vnde (inquit) locupletem esse, videri posset maius bonum, quam existimari, ac speciem tantum diuitis habere.

Καὶ τὸ ἀγαπητὸν: καὶ τοῖς μὲν, μόνον: τοῖς δὲ, μετ᾽ ἄλλων.

Et quod desiderabile est: & his quidem, solum: his autem, cum alijs.

VIM huius loci (nisi fallor) exprimere Cicero voluit, cum inquit. Desiderabilia ijs, quibus fa» cile carere possumus. nam quae sequuntur, quasi declaratio quaedam sunt superioris vocis: atq; ijs solum, omnibusq; alijs rebus, quae iuuarent, destitutum: ijs vero ornatum alijs bonis. καὶ τοῖς μὲν μόνον autem excudi volui, vt in scriptis libris inueni: antea enim in excusis, μόνοις perperam legebatur: id enim, quod solum bonum habemus, magis carum habeamus necesse est, quam illi, qui idem cum alijs bonis coniunctum habent: ἀγαπητὸν enim carum valet, vt puto, » idq; significare voluit Catullus, cum inquit. Siquid carius est oculis: quo vno se aliquis consolatur: in quo omnem spem suorum gaudiorum collocatam habet: quo impetrato, ac retento, contentus viuere potest.

Διὸ καὶ οὐκ ἴση ζημία, ἄν τις τὸν ἑτερόφθαλμον τυφλώσῃ, καὶ τὸν δύ᾽ ἔχοντα.

 Vnde

Unde & non par paena, si quis alterum tantum oculum habentem caecauerit, & duos habentem.

Hoc etiam (inquit) cognosci potest, quod non par paena legibus constituitur, si quis oculum effoderit ei, qui alterum tantum habuerit, atq; ei, qui neutro antea orbatus fuerit: maius enim detrimentum accepit, qui, quem vnicum habebat, & in quo omnem spem suam collocarat, amisit. Demosthenes in oratione aduersus Timocratem narrat, Locros ciuitatem optimis legibus ornatam habuisse. eosdemq; magnis propositis paenis cauisse, ne leges nouae facile scribi possent, aut veteres abrogari: cum vero forte Locrensis ciuis inimico suo in iurgio minatus esset, se oculum illi effossurum: illeq; altero antea captus foret, ingentis mali metu perterritus, neq; sibi si id accidisset, vllo modo viuendum ratus, ausus est legem ferre, siquis excaecasset alterum tantum oculum habentem, ambos ipsum amittere, vt pari infortunio, & qui laesisset, & qui detrimentum accepisset, vterentur. Hanc veterem historiam clarissimus orator luculentissimis verbis exponit, quam nos, vt valde hic accommodatam, quibus potuimus rettulimus.

Ἀγαπητὸν γὰρ ἀφῄρηται.

Quod enim maxime carum ipsi erat, ereptum ei est.

Quod in excusis hic antea legebatur, μόνον, eieci: scripti enim libri, quos vidi, non habent. declarationem autem fuisse puto antecedentis verbi. in vetere tamen tralatione singulariter legitur. vnde intelligere licet in suo exemplari auctorem ipsius μόνως scriptum habuisse. explicat autem his verbis consilium legis latoris, docetq; recte fecisse: simulq; ostendit verum esse, quod tradiderat, ἀγαπητὸν, maius bonum esse: cui enim (inquit) calamitatis hoc contingit, ereptum est, quod maxime carum ipsi merito erat.

Ἐκ τίνων μὲν οὖν δεῖ τὰς πίστεις φέρειν ἐν τῷ προτρέπειν καὶ ἀποτρέπειν, σχεδὸν εἴρηται.

E quibus igitur oportet probationes ducere in suadendo & dissuadendo, ferme dictum est.

Cap. VIII De Rerump. Numero, formis, finibus, et moribus.

Ostendit se, vnde argumenta duci possint, cum de aliqua re deliberatur, siue ad eam impellere, siue inde reuocare aliquis vult, iam tradidisse. quia tamen non omnes intelligit a se expositos locos, sed qui eminerent, ac maioris ponderis essent, σχεδὸν addidit.

Μέγιστον δὲ καὶ κυριώτατον ἁπάντων πρὸς τὸ δύνασθαι πείθειν, καὶ καλῶς συμβουλεύειν, τὰς πολιτείας ἁπάσας λαβεῖν, καὶ τὰ ἑκάστης ἔθη καὶ νόμιμα καὶ συμφέροντα διελεῖν.

Maximum autem & firmissimum omnium, vt aliquis valeat persuadere, & recte consilium dare, est status omnes regendarum ciuitatum nosse: & singularum mores, & instituta, & quae conducant ipsis diuidere.

Locis demonstratis, vnde promptis argumentis in deliberandi genere fides fieri possit, narrat multum valere ad persuadendos eos, qui deliberant, recteq; munus consiliarij exequendum, cognita habere genera rerumpublicarum, & mores, atq; instituta ipsarum: quaeq; prosint, conducantq; statui illi ciuitatis, apud quem aliquis sententiam dicit, intelligere. quae, cum tantam vtilitatem habeant, relinqui nullo pacto debent: ea autem nunc, copiosius a se in libris de optimo statu ciuitatis disputata, breuiter exponit.

Πείθονται γὰρ ἅπαντες τῷ συμφέροντι.

Obtemperant enim omnes mortales illi, quod conducit.

Ostendit hic quoq;, quod semper firmum tenuit, finem esse huius generis vtilitatem: atque eam, qui fidem facere velint, intueri debere: parent enim (inquit) omnes ei, quod rebus ipsorum conducit: ac se persuaderi patiuntur, cum vtile id consilium ipsis fore demonstratum est. quare quid prosit, aut noceat cuique reipublicae, diligenter est suasori, ac dissuasori videndum.

Συμφέρει δὲ τὸ σῶζον τὴν πολιτείαν.

Conducit autem, quod conseruat rempublicam.

In

In fideclioribus exemplaribus, τὴν πολιτείαν inueni, & hanc quoq; lectionem sequitur vetus tralatio. quare ita emendaui. conducit autem (inquit) quod tuetur eum ciuitatis statum, quo illa regitur. Nisi forte hic (ita namque antea legebatur) πόλιν vocauit statum ciuitatis: vt Latini quoq; optimi auctores, qui ciuitatem, formam reip. appellant. In iij. libro de legibus Cicero. » Sed quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam. In primo quoq;. Omnesq; leges » accommodandae ad illud ciuitatis genus. Plinius libro vij. Regiam ciuitatem Aegyptij: popularem Attici. Sunt enim scripti quoq; libri, in quibus, vt in excusis prius legatur.

Ἔτι δὲ κυρία μέν ἐστιν ἡ τοῦ κυρίου ἀπόφασις.

Adhuc autem firmum, ratumque est, quod decretum fuerit a principe ciuitatis.

Praeterea scire oportet, a qua parte reip. aliquid decretum, firmum ratumq; sit: statuuntur enim quandoq; non nulla a quopiam ordine, quae non satis certa sunt, & auctoritatis parum habent. ipse autem nunc breui dicit, enuntiatum responsumq; firmum fore, quod ab ordine illo parteque ciuitatis, quae summam rei in manu sua habuerit, profectum fuerit: neque enim aduersari quisquam audet illi, in cuius potestate legibus omnia constituta sunt. Hoc autem nouum argumentum est, quo eandem rem constituit, idest, quo probat vtilem esse scientiam omnium rerumpublicarum: praeter enim id commodum, quod iam inde duci significauit, docet nunc non posse nos aliter tenere, quae decreta sint firma rataq; in singulis ciuitatibus, & quae infirma, & inania. nam certum ratumq; solum est, quod decretum definitumq; fuerit a parte illa, quae summam omnium rerum habet: & κύριον vocatur ea de causa. κύρια autem haec variantur variatis statibus ciuitatum.

Τὰ δὲ κύρια διήρηνται κατὰ τὰς πολιτείας: ὅσαι γὰρ αἱ πολιτεῖαι, τοσαῦτα καὶ τὰ κύριά ἐστιν.

Magistratus autem, quorum decreta rata sunt, distinguuntur varietate rerumpublicarum: quot enim numero sunt respublicae, tot sunt partes, quae summam illic potestatem habent.

In primo libro de republica ipse κύριον ciuitatis appellat τοὺς πολιτευομένους, & qui totam rempublicam in potestate sua habent, ac de summis rebus ex sententia sua statuunt. in quarto praeterea eorum librorum quid κύριον in ciuitatibus, & quae vis eius sit, vberius docet. Demosthenes quoq; eodem intellectu idem verbum vsurpauit. diuersa igitur esse huiuscemodi κύρια ait. & vnum quodq; reipublicae genus suum, ac distinctum ab alijs habere: quot enim numero sunt status ciuitatum, tot & ipsa esse affirmat.

Εἰσὶ δὲ πολιτεῖαι τέσσαρες, δημοκρατία, ὀλιγαρχία, ἀριστοκρατία, μοναρχία.

Sunt autem respublicae quattuor, status multitudinis, dominatus paucorum, status optimorum, vnius imperium.

In viij. libro de moribus ad Nicomachum, tres formas esse rerumpublicarum tradit: paresq; numero inueniri deprauationes, & tamquam interitus earum: quod ipsius est de omni hac re iudicium. Hic statui optimorum, labem ipsius adiungit, ac quattuor facit. Planum autem est, Aristotelem, cum de rebus aliquibus, non suis locis disputat, exquisite non agere. Quattuor igitur hic tantum rerumpublicarum formas tradit, vulgus ipsum secutus, vt crebro in his libris facit: hunc enim in iiij. quoq; πολιτικῶν dicit numerum rerump. vsurpari: quod altera democratiae species, quae communi omnium nomine, πολιτεία vocatur, quia perrara est, enumerantes effugiat. cuius rei Platonem quoq; insimulat. μοναρχίαν vero aperte in duas partitur.

Ὥστε τὸ μὲν κύριον καὶ τὸ κρῖνον, τούτων τι ἂν εἴη μόριον, ἢ ὅλον τούτων.

Quare, quod in sua potestate remp. habet, & existimat de rebus, harum aliqua pars erit, vel totum harum.

Sensum huius loci hunc esse puto. quod ciuitatem regit, ac de omnibus rebus statuit, quidpiam horum sit necesse est: siue ordo aliquis magistratusq;: quod cum fit, κύριον habet, ac summam potestatem, pars eius ciuitatis, non vniuersum simul corpus reip. siue totus ille status, ac forma ciuitatis, idest, aut multitudo, aut pauci optimiue, aut singuli.

Ἔστι δὲ δημοκρατία μὲν πολιτεία, ἐν ᾗ κλήρῳ διανέμονται τὰς ἀρχάς.

Est autem status populi respublica, in qua sorte distribuunt magistratus.

ITA arbitror legi debere, quemadmodum sane in antiquissimo libro offendi. excusi antea κλῆροι numero multitudinis, recto casu habebant. In vetere quoq; tralatione vestigium huius lectionis apparet: quae mihi ob hoc quoq; magis probatur, quod familiaris est huic scriptori haec locutio, & in Politicis eam crebro vsurpauit. Reliqui scripti hac parte mendosi, in quibus κληρονόμοι legitur. Nec tamen solum hoc reipublicae genus sorte vtitur: nam in reliquis quoque illa locum habet: verum, quia neque patrimonij in ea: neque virtutis ratio habetur, sed sine discrimine omnium ciuium sortitio fit: id, quod in alijs non contingit.

Ὀλιγαρχία δέ, ἐν ᾗ οἱ ἀπὸ τιμημάτων.

Dominatus autem paucorum, in quo attenditur census.

STATVS paucorum est reipublicae genus, in quo spectatur census: qui enim certum quoddam definitumq; patrimonium habent: idq; amplum, adipiscuntur magistratus. cum autem census ille, legibus constitutus, magnus sit, qui compotes eius dominationis sint, paucos esse necesse est: diuites enim vbicunq; locorum pauci.

Ἀριστοκρατία δέ, ἐν ᾗ οἱ κατὰ παιδείαν: παιδείαν δὲ λέγω, τὴν ὑπὸ τοῦ νόμου κειμένην.

Status optimorum, in quo, qui instructi disciplina sunt, regunt rempublicam: disciplinam autem intelligo, quae lege statuta est.

STATVS vero optimorum est, in quo, qui disciplinam acceperunt, ciuitatem regunt. Cum autem plures disciplinae sint, qua ornatos illos esse oporteat, docet. Disciplinam enim (inquit) intelligo legibus constitutam, quam legum latores probarunt: quaq; participes eius ciuitatis imbui voluerunt.

Οἱ γὰρ ἐμμεμενηκότες ἐν τοῖς νομίμοις, ἐν τῇ ἀριστοκρατίᾳ ἄρχουσι.

Qui enim permanserunt in publicis institutis, in statu optimorum imperium habent.

IN excusis antea νόμοις. fidelior scriptus liber νομίμοις habet, eadem ratione, qua supra, καὶ τὰ ἑκάστῃ
» ἔθη καὶ νόμιμα inquit, & non multo post. τὰ πρὸς παιδείαν, καὶ τὰ νόμιμα, & crebro denique in his libris. quare veriorem hanc scripturam esse censui: qui enim (inquit) permanent in institutis ciuitatis: neq; ab ipsis discedunt, magistratus gerunt in statu optimatum. Hi vero optimi viri sint necesse est, cum legibus obtemperent. vnde nomen id ipsis inditum.

Ἀνάγκη δὲ τούτους φαίνεσθαι ἀρίστους. ὅθεν καὶ τοὔνομα εἴληφε τοῦτο.

Necesse autem est hos intelligi esse optimos. quare & nomen hoc nacta est.

ARISTOCRATIAM hic appellatam vult, quod ab optimis viris regatur, vt Cicero quoq; in iij.
» libro de legibus censuit, Quintum fratrem ita loquentem inducens. Eamq; optimam rempu-
» blicam esse duco, quam hic consul constituerat: quae sit in potestate optimorum. in iij. vero de rep. Aristoteles, ita quoq; vocatam eam esse posse tradit, quod spectetur illic, id, quod optimum est vniuersae ciuitati, atq; ijs, qui participes illius reipublicae sunt.

Μοναρχία δ᾽ ἐστὶ κατὰ τοὔνομα, ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων κύριός ἐστι. τούτων δὲ ἡ μὲν κατὰ τάξιν τινά, βασιλεία: ἡ δ᾽ ἀόριστος, τυραννίς.

Imperium autem vnius est, vt nomen ostendit, in quo vnus omnium rerum potestatem habet: horum autem, quod ordine quodam constitutum est, regnum vocatur: quod terminum nullum habet, tyrannis.

STATVS autem ciuitatis, qui μοναρχία Graeco vocabulo, non ignoto tamen alijs quibusdam linguis, vocatur, vt nomen ipsum indicat, quod iunctū est, est in quo vnus omnium rector, ac dominus.

minus: non est tamen simplex, sed duum generum: qui enim definitus est & ordinem quendam seruat, regnum: in quo cuncta in vnius arbitrio, vel potius libidine, siue vllo praescripto, ac termino, tyrannis appellatur.

Τὸ δὴ τέλος ἑκάστης πολιτείας οὐ δεῖ λανθάνειν· αἱροῦνται γὰρ τὰ πρὸς τὸ τέλος.

Finis iam vniuscuiusque reipublicae, non debet nos fallere: sumunt enim, quae referuntur ad finem.

COGNITVS praeterea sit oratori oportet finis omnium harum rerumpublicarum: frustra enim saepe laboraret, nisi eos percepisset, vel exploderetur potius. Rationem huius rei reddens, inquit. Singuli enim status ciuitatum probant ea consilia, quae finem suum adiuuant: contraria vero respuunt. quomodo autem aequis auribus audiretur orator, si cum verba faciat in ciuitate, quae a paucis locupletibus regatur, dicat contemnendas esse diuitias: spectandam autem huius in magistratibus mandandis institutionem ciuium. eadem ratio reliquarum est: sumunt enim cunctae, quae ad suum finem ducunt: aliena vero ab eo repudiant.

Ἔστι δὲ δημοκρατίας μὲν τέλος, ἐλευθερία· ὀλιγαρχίας δὲ, πλοῦτος· ἀριστοκρατίας δὲ, τὰ πρὸς παιδείαν, καὶ τὰ νόμιμα· τυραννίδος δὲ, φυλακή.

Est autem status multitudinis finis, libertas: dominatus paucorum, diuitiae: status optimorum, quae faciunt ad disciplinam, & instituta: tyrannidis, custodia sui capitis.

VT autem hoc neminem fallat inquit, postquam in se tantam vtilitatem habet. Status multitudinis finis est, libertas. Dominationis paucorum, diuitiae. Optimatum, quae ad disciplinam eius ciuitatis legesq; pertinent. Tyrannidis autem custodia suae salutis, ac principatus illius iniusti: omnia enim faciunt, vt tueantur & caput & potestatem eam. Cum autem hic inter finem status optimorum, ac tyrannidis, tamquam regni finis, haec verba reposita in quodam excuso forent. βασιλείας δὲ, τὸ ἐννόμως ἐπιστατεῖν, ea deleui: neque enim in vllo scripto libro ipsa inueni: neq; in Aldino exemplari leguntur. sed nec in vetere tralatione vestigium vllum eorum extat. quare ex ingenio ab aliquo, quod desiderari videtur, restitutum existimaui. Praeterea, id, quod exponitur verbis illis, finem regni non puto: videtur enim illud potius officium regis, ac munus esse, quam finis, ex legibus, qui imperio ipsius tenentur, regere: nec in sua voluntate cuncta posita existimare. Varietatis autem hoc inueni in antiquissimo libro, quod τὰ περὶ παιδείαν ille, non vt reliqui omnes, πρὸς παιδείαν habet: quod adnotare volui, cum receptam lectionem seruarim.

Δῆλον οὖν ὅτι τὰ πρὸς τὸ τέλος ἑκάστης ἤθη, καὶ νόμιμα, καὶ συμφέροντα, διαιρετέον· εἴπερ αἱροῦνται, πρὸς τοῦτο ἐπαναφέροντες.

Perspicuum igitur est, qui ad finem singularum rerumpublicarum pertinent mores, quae instituta, quae res vtiles, diuidere secum oportere, siquidem sumunt, ad hoc referentes.

PERSPICVVM igitur est (inquit) oportere distincta, ac cognita cuncta haec habere: qui mores scilicet: quae leges: quae res vtiles ad finem singularum ciuitatis rectionum faciant, siquidem omnia sumunt, ac probant, qui in ipsis deliberant, ad finem suae reip. referentes. vt contra eundem spectantes, repudiant, quae ab eo aliena intelligunt. Qui igitur in populari statu deliberant, cum finis eius sit libertas, & mores, & instituta, & res vtiles probant, quae ad eam retinendam augendamq; pertinent: quod in alijs etiam generibus ciuitatum verum reperietur.

Ἐπεὶ δὲ, οὐ μόνον αἱ πίστεις γίνονται δι' ἀποδεικτικοῦ λόγου, ἀλλὰ καὶ δι' ἠθικοῦ.

Quia autem probationes, non solum conficiuntur oratione, quae vim habeat demonstrandi, verum etiam eius, quae mores exprimit.

DOCET non debere vllo pacto praetermittere oratorem, quin perceptos habeat mores singularum rerumpublicarum, ciuitatisq; rectionum: statimq; vtilitatem exponit, quam inde consequuturus sit. inquit igitur. Quia fides fit non tantũ oratione, quae argumentis nititur, sed etiã, quae dicentis mores exprimit, officiũ oratoris est tenere mores singularum rerumpublicarum:

mores enim cuiusq; reipublicae, dicentis oratione expressos, & ipsius creditos, maxime appositos esse ad persuadendum, si ad illius indolis naturaeq; remp. adhibeantur, necesse est.

Τῷ γὰρ ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα, πιστεύομεν: τοῦτο δ᾽ ἐστὶν, ἂν ἀγαθὸς φαίνηται, ἢ εὔνους, ἢ ἄμφω.

Quia enim qualis videtur nobis, qui dicit, credimus: hoc autem est, si probus visus fuerit, vel beneuolus, vel ambo.

CREDIMVS hic, persuademurq; significat πιστεύομεν: quandoq; tamen, confirmamus probamusq; idem verbum valet, vt in ij. προτέρων ἀναλυτικῶν, cum ait. » πιστεύομεν γὰρ ἅπαντα ἢ διὰ συλλογισμοῦ, ἢ δι᾽ ἐπαγωγῆς: » fidem enim (inquit) habemus consilijs alicuius, facileq; persuaderi nos patimur, cum arbitramur eum factum quodammodo esse. ποιόν τινα his moribus, ac qualitatibus denique praeditum. hoc autem (inquit) est, cum aut bonum virum, aut egregiè erga nos animatum, aut ambabus his rebus coniunctis, & natura probum, & beneuolum nobis esse iudicamus.

Δέοι ἂν τὰ ἤθη τῶν πολιτειῶν ἑκάστης ἔχειν ἡμᾶς.

Oporteret mores singularum rerumpublicarum nos tenere.

HAEC est ἀνταπόδοσις redditioq; illius ἐπεὶ. Quia non solum fides fit oratione, quae docet, ac probat aliquid argumentis, verum etiam oratione morata, videntur partes esse oratoris tenere quasi indolem, ac naturam omnium rerumpublicarum: quam autem vtilitatem res habitura sit, statim ostendit.

Τὸ μὲν γὰρ ἑκάστης ἦθος πιθανώτατον ἀνάγκη πρὸς ἑκάστην εἶναι.

Mos enim singularum necesse est sit maxime accommodatus ad singulis fidem faciendam.

SINGVLARVM enim rerumpublicarum mores necesse est (inquit) maxime apti sint ad singulas persuadendas. nam, cum tanta potestas sit orationis moratae ad fidem faciendam, effecti ciuitatis illius mores, oratione, quae ad eam habetur, quidquid volent, ei nullo negotio persuadebunt: existimabunt enim, qui audient, studiosiq; illius reip. sunt, huiuscemodi esse dicentem: nec ad tempus eum ita loqui intelligent. vt cum sensus eorum tangat: eademq;, quae ipsi probant, commendet, orationem eius omnem recipiant, totosq; se illi dent. Socrates quoq; apud Platonem in Gorgia non dissimilem huic sententiam protulit: affirmauit enim, cunctos homines gaudere, cum audiunt orationem, quae conueniat moribus & naturae ipsorum: angi autem, cum alienam ab ingenio suo, & quae diuersae indoli apta sit, accipiunt. qui autem delectantur alicuius sermone, facile etiam illo capiuntur, ac persuadentur. Emendaui autem hic, vt in antiquissimo exemplari inueni, ἑκάστης ἦθος, cum excusi antea haberent ἑκάστου, non satis idoneo sensu.

Ταῦτα δὲ ληφθήσεται διὰ τῶν αὐτῶν.

Haec autem obtinebuntur ope earundem rerum.

INTELLIGIT indolem, ac mores: quae ipsa perceptum iri tradit auxilio earundem rerum, quas supra appellauerat: idest consuetudinum, institutorum, ac rerum vtilium, & quae ipsis rebuspublicis conducant: his enim animaduersis & obseruatis, affirmat posse intelligi indolem, ac mores singularum ciuitatis rectionum: cuius rei statim rationem affert. An non significat ope rerum illarum, quas supra appellarat, idest consuetudinum, morum, institutorum, & rerum vtilium, sed auxilio & ratione eadem, qua illae ipsae res percipiuntur: mores enim cognoscuntur animaduersis rebus, quas sumit aliquis, aut repudiat: ita enim, vt ipse tradit illi in lucem veniunt, & apparent: sumit vero quilibet, quod fini suo consequendo aptum esse putarit; ac repudiat id, quod ab eo remotum, alienumq; esse existimarit. quod igitur ducit nos ad intelligentiam finium, idem etiam declarat nobis, qui sint mores singularum rerumpublicarum.

Τὰ μὲν γὰρ ἤθη φανερὰ κατὰ τὴν προαίρεσιν: ἡ δὲ προαίρεσις ἀναφέρεται πρὸς τὸ τέλος.

Mores enim intelliguntur, cognita electione: electio autem refertur ad finem.

MORES

MORES enim hominum perspicui fiunt, cognita electione: & vt hominum, ita etiam ciuitatum: quae autem adhibito studio seligimus, ea de causa seligimus, vt eorum ope fines, quos volumus, consequamur. Haec omnes sententiae copiosius accuratiusq; explicatae ab ipso sunt in iij. libro de moribus ad Nicomachum: illic enim quoq; inquit, maiorem vim esse ad sensus animi alicuius percipiendos in electione intellecta, quam in factis ipsius perspectis: nec non voluntatem nostram versari potius circa finem, atq; vltimum: electionem autem esse rerum earum, quae referuntur ad finem. exempli causa. volumus, cupimusq; valere: sumimus autem, contrarijs reiectis, per quae valere possimus. Vocaui autem προαίρεσιν electionem, vt inferioris aetatis philosophi fecerunt. nec tamen me latet ita Ciceronem appellasse, quam Graeci ἐκλογὴν vocant, vt cum electionem, siue selectum verborum dicit: rectius enim esse putaui, rei exprimendae causa, receptam iam vsitatamq; vocem vsurpare, quae Latinorum etiam auribus noua inauditaq; non fuerat, quamuis non omnino eodem intellectu eam caperent, quam aut iudicium, aut voluntatem, aut huiuscemodi quippiam proferre: quae manifesto verba rem ipsam non exprimunt, & causa multorum errorum forent: vt facile intelligere possunt, qui προαιρέσεως vim bene cognitam habent: accurateq; legerunt, quae ab ipso ad distinguendam illam a rebus non nullis, similitudinis aliquid cum ea habentibus, loco quem supra indicaui, allata sunt.

Ὧν μὲν οὖν δεῖ ὀρέγεσθαι προτρέποντας, ὡς ἐσομένων, ἢ ὄντων: καὶ ἐκ τίνων δεῖ τὰς περὶ τοῦ συμφέροντος πίστεις λαμβάνειν: ἔτι δὲ περὶ τῶν κατὰ τὰς πολιτείας ἠθῶν καὶ νομίμων, διὰ τίνων τε καὶ πῶς εὐπορήσομεν, ἐφ' ὅσον ἦν τῷ παρόντι καιρῷ σύμμετρον, εἴρηται: διηκρίβωται γὰρ ἐν τοῖς πολιτικοῖς περὶ τούτων.

Quae igitur appetere oportet eos, qui suadent res aliquas, vt futuras, vel iam existentes: & e quibus oportet, probationes de illo, quod conducit, ducere: amplius autem de moribus & institutis diuersis variatis rebus publicis, auxilio quorum, & quomodo abundare possimus, quantum conuenit praesenti tempori, dictum est: exquisite namq; de his disputatum est in libris de republica.

CVM explicarit cuncta, quae ad deliberandi genus pertinent, demonstratiuumq; aggredi iam velit, antea breui repetit, quae fecerit, dicens. Traditum a nobis est, quae appetere proponereque sibi oportet eos, qui dicendo ad aliqua impellere quospiam, vt futura, aut instantia, conantur: lociq;, vnde probationes ducere, cum de eo, quod conducit, agitur, monstrati sunt: nec non actum etiam est a nobis de moribus, quibus singuli ciuitatum status ornati sunt: quorum scilicet auxilio, & quomodo abundare illis possimus, magna eorum supellectile comparata, quantum inquit decuit in hoc studio quaerere, ne extra fines huius artis egrederemur. nam, qui eorum accuratiorem scientiam habere velit, is libros de rep. adeat necesse est, vbi cuncta exquisite pertractata sunt: quod multo supra στοχάζεσθαι ait, vbi primum, quam hic appellat, parte explicata, idem, quod nunc facit, ageret, videtur nunc ὀρέγεσθαι vocare. Restitui autem priorem propositionem, eo loco, ἔτι δὲ περὶ τῶν κατὰ τὰς πολιτείας, inuentam in antiquissimo libro, & expressam a vetere tralatione: posteriorem autem immutaui: cum enim illic excusi περὶ haberent, secutus easdem auctoritates, κατὰ emendaui.

Μετὰ δὲ ταῦτα λέγωμεν περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, καὶ καλοῦ, καὶ αἰσχροῦ: οὗτοι γὰρ σκοποὶ τῷ ἐπαινοῦντι καὶ ψέγοντι.

Post haec autem dicamus de virtute, ac vitio: & de honesto, & turpi: hi namq; fines propositi sunt laudanti ac vituperanti.

ABSOLVTO deliberatiuo genere, ad demonstratiuum transit: id enim manifesto significat, cum ostendit se de virtute, ac vitio: honestoq; ac turpi disserere velle. cum autem multae aliae res & laudentur, & vituperentur, in primis virtus verbis exornatur, ac vitium dedecoratur: ceteraeq; omnes res ad ea referuntur, & pro vt huius, aut illius participes sunt, honore, aut vituperio dignantur. Genus autem hoc a meliori parte ἐγκωμιαστικὸν, nec non ἐπιδεικτικὸν, Graecos rhetoras vocasse notum est: vt πανηγυρικὸν etiam, quod in conuentibus illis, vbi infinita hominum multitudo, ludorum spectandorum gratia, cogeretur, huiuscemodi orationes fere haberentur. Cicero idem quandoque exornationem appellauit. Animaduertendum autem, an quod adnotat Quintilianus verum sit, videri Aristotelem a parte negotiali, hoc est πραγματικῆς, remouisse genus hoc dicendi: totumque ad solos audientes relegasse: quod nomine etiam ipso, quo vocatur, significari tradit: id enim eius nominis, quod ab ostentatione ducitur proprium esse. Addit vero idem etiam Theophrastum, praeceptorem secutum, fecisse, cum

contra Romanus mos negotijs etiam hoc munus inseruerit, vt ille accurate docet. Ipse tamen huius opinionis sum, vt admisceri etiam ipsum saepe in veris causis existimasse Aristotelem putem: idq; infra quoq; eum indicasse, cum inquit, μετὰ σπουδῆς: neq; enim arbitrari possum aliud illis verbis intelligere voluisse: ioco, ac serio, nisi animi causa aliquando hoc fieri: quandoque autem contra, causa maiore aliqua hoc, negotioq; postulante, id adhiberi: secundum enim hoc tempus pertinet (nisi fallor) ad negotium transigendum: cum primum necessitatem nullam in se habeat: quis enim, vllius iudicij homo, crederet eum intellexisse, fieri id nunc fortuito temereque: nunc vero diligentia in ea re posita: meditatisq; dictionibus?

Συμβήσεται γὰρ ἅμα περὶ τούτων λέγοντας, κἀκεῖνα δηλοῦν, ἐξ ὧν ποιοί τινες ὑποληφθησόμεθα κατὰ τὸ ἦθος: ὅπερ ἦν δευτέρα πίστις.

Vsu enim veniet nobis de his dicentibus, vt eodem tempore, & illa declaremus, è quibus quales existimemur moribus: quae secunda ratio est fidei faciendae.

Hoc etiam commodum ex hac rerum bonarum malarumque explicatione extabit: dum enim hoc agemus, & quae laudari, aut vituperari merito possint: vimq; ipsam virtutum, ac vitiorum, breui exponemus, simul quoq; ea, quae sint, declarabimus, vnde his, aut illis moribus praeditos nos esse ostendamus: quod secundum fuit è tribus supra traditis, demonstratiuarum probationum generibus. Adnotare hoc etiam placet, videri hic γὰρ positum esse pro δὲ: neq; enim nunc rationem reddit alicuius rei, sed indicat quidem, quod praeter finem primum nostrum ex accurata explicatione harum rerum nascatur, & ipsum accommodatum nobis, & quod valeat ad hanc artem egregie tractandam. nam commodum, quod initio huius generis tradendi in Partitionibus suis docuit M. Cicero praeterea capi ex enumeratione virtutum, non adiuuat orationem: neq; pertinet ad artem dicendi tradendam. quare potuit ipso supersedere eo loco. id autem est, quod inquit. Ac laudandi vituperandiq; rationes, quae non ad bene dicendum solum, sed etiam ad honeste viuendum valent, exponam breuiter. quod etiam in extremo repetiuit his verbis. Accepi ista, didicique breuiter, non solum quemadmodum laudarem alterum, sed etiam quemadmodum eniterer, vt possem ipse iure laudari.

Ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ ἡμᾶς τε καὶ ἄλλον ἀξιόπιστον δυνησόμεθα ποιεῖν πρὸς ἀρετήν.

Auxilio enim earundem rerum, & nos metipsos, & alium fingere poterimus talem, vt dignus habeatur, cui credatur ob virtutem.

Qvomodo hoc fieri possit docet: rationemq; eius vocis reddit: ex ijsdem enim (inquit) locis, & nos & alios ita verbis ornabimus: huiuscemodiq; fingemus, quibus fides, vt probis, & virtutis studiosis viris, habenda videatur. quae namq; res, si speciem earum oratione praebuerimus, auctoritatem dictis nostris acquirunt: eaedem etiam in alio quopiam oratione demonstratae, valent ad eum ornandum. Prius autem horum, accommodatum est orationi moratae: communeq; reliquorum generum: posterius vero maxime proprium eius, de quo nunc ipsi propositum est agere, idest vtile in primis generi demonstratiuo est.

Ἐπεὶ δὲ συμβαίνει καὶ χωρὶς σπουδῆς, καὶ μετὰ σπουδῆς ἐπαινεῖν πολλάκις, οὐ μόνον ἄνθρωπον, ἢ θεόν, ἀλλὰ καὶ ἄψυχα, καὶ τῶν ἄλλων ζώων τὸ τυχόν.

Quia autem contingit, vt saepe & sine vlla cura, & studiose laudemus, non solum hominem, vel deum, verum etiam res inanimes: & aliorum animalium quodlibet.

Qvia vsu venit saepe hominibus (inquit) vt & ludentes, vt, aut se ipsos scilicet aut alios oblectent, aut etiam ingenij vim ostendant: nec non necessitate aliqua sibi imposita: commodumq; aliquod secuti, laudent, quae ipse exponit, eodem pacto, vt in deliberandi genere fecimus, ita nunc propositiones, propriosq; harum rerum locos, exponemus. Animaduertendum autem, an tanto studio declararit, quot rebus, temporibusq; vtile sit hoc genus, quia multi minime necessarium ipsum iudicabant: neque, vt genus tractari debere aiebant. apud Ciceronem certe Antonius a summo hoc scriptore, quem artem dicendi maxime illustrasse fatetur, adiunctum narrat. Apud Platonem quoque in sermone a se vocato, Phaedrus, negat se vllam partem vmquam dicendi artis auribus accepisse, praeter eam, quae ad forenses causas pertinet, & illam, cuius in contionibus vsus est. Quod ad dignitatem ipsius facit, cum apud alios tertium extremumq; locum obtineat, Aristoteles ei secundum tribuit. Videtur autem ad hunc locum respexisse, cum in iij. libro Quintilianus inquit. » Sed proprium laudis est amplificare, & ornare.

quae

quae materia praecipue quidem in Deos & homines cadit: est tamen & aliorum animalium, etiam carentium anima.

Τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ περὶ τούτων ληπτέον τὰς προτάσεις.

Eodem pacto de his quoque sumere debemus propositiones.

HAEC est ἀπόδοσις redditioque illius ἐπεί. Cum multus usus harum laudationum sit, elementa, vt in explicato iam genere factum est, de ijs etiam rebus sumenda sunt, vnde scilicet possit aliquis celebrari, vitaq; ipsius omnis extolli: aut contra quomodo improbus vir maculis aspergi, ac vituperari: vt tractari haec pars copiose subtiliterq; possit. nam si paruam, aut nullam vtilitatem res haberet, minus laborare oporteret: nec tantum studium harum propositionum colligendarum necessarium foret.

Ὥστε, ὅσον παραδείγματος χάριν, εἴπωμεν καὶ περὶ τούτων.

Quapropter, quantum satis sit, exempli causa, & de his quoque tradamus.

SIGNIFICAT his verbis, se non plene copioseq; cuncta tractaturum: neq; enim exquisitam harum rerum explicationem haec scriptio postulat: sed ea tantum traditurum, quae ad has res patefaciendas, illustrandasque sufficiant, & quasi viam, vt reliqua inuestigari possint, indicaturum.

Καλὸν μὲν οὖν ἐστιν, ὃ ἂν, δι' αὑτὸ αἱρετὸν ὂν, ἐπαινετὸν ᾖ.

Honestum igitur est, quod, per se expetendum existens, laudabile fuerit.

DVAS τοῦ καλοῦ descriptiones affert, quibus intelligi diuersae ipsius naturae, ac distingui possint. nec discrepant, quae hic de natura eius tradit, ab illis, quae supra praecepit, cum locos maioris boni demonstrandi indicaret: καλὸν enim esse inquit, quod aut iucundum est, aut propter se expetendum: prior enim harum adumbratio honestum effingit: posterior vero pulchrum a Latinis appellatum. Prioris igitur vis haec est: honestum enim esse vult, quod, cum propter se expetendum sit, laudabile fuerit: id namq;, quod in se nihil habet, vnde expeti debeat, honestum nullo modo est. nam, quod laudabile idem esse vult, non sine causa hoc addidit: inueniuntur enim res, quae, cum propter se sint expetendae, nihil habent in se dignitatis: neq; honestae habentur, vt vita. Vt igitur illas excluderet, non solum quod propter se expetendum dicit esse honestum, verum etiam addit laudabile illud esse oportere.

Ἢ ὃ ἂν ἀγαθὸν ὂν, ἡδὺ ᾖ, ὅτι ἀγαθόν.

Vel quod bonum existens, iucundum fuerit, quia bonum.

NATVRAM nunc honesti videtur exprimere, non ipsum tantum, vt est sua vi, considerans, sed quatenus ad nos etiam pertineat: inquit enim bonum etiam hoc pacto informari. quod, cum bonum sit, iucundum fuerit, ac voluptatis aliquid nobis apportarit: quia scilicet bonum: res enim quoq; turpes gignunt suauitates quasdam hominibus, quas reijcit: neq; enim illae, vt honestum hoc, sua vi id praestant, sed proficiscitur id a iudicio corrupto: desideria enim praua faciunt, vt iucundum id videatur, quod integris: incorruptisq; molestum videretur.

Εἰ δὲ τοῦτό ἐστι τὸ καλὸν, ἀνάγκη τὴν ἀρετὴν καλὸν εἶναι: ἀγαθὸν γὰρ ὂν, ἐπαινετόν ἐστιν.

Si autem hoc est honestum, necesse est virtutem honestum esse: bonum enim existens, laudabile est.

HIS positis (inquit) & si satis naturam τοῦ καλοῦ expressimus, virtus honestum sit necesse est: nam & bonum & laudabile est. quae huiuscemodi vero sunt, nuper honesta esse declarata. virtuti maxime, rebusq;, quae ex virtute factae sint, conuenire laudem certum est. Vt autem tamquam premium suorum laborum, ac periculorum, ipsa laudem poscit, ita eadem illa virtus alitur, ac fouetur. quod Latinus etiam poëta affirmauit, cum cecinit. Laudataque virtus crescit. quam sententiam a Graeco poëta videtur accepisse: hic enim versiculus a Clemente in paedagogo adducitur, ex quo ille, omissa tamen imagine, quae valde rem illustrat, conformatus est: ἀρετὴ γὰρ ἐπαινουμένη, δένδρον ὥς, ἀέξεται.

Ἀρετὴ δ' ἐστὶ μὲν δύναμις, ὡς δοκεῖ, ποριστικὴ ἀγαθῶν καὶ φυλακτική.

Virtus

Virtus autem, vt videtur, est vis & potestas quaerendi bona & tuendi.

VETERES illi sapientes aliter virtutem definiebant, vt Plutarchus ostendit in commentario, quo docet, quomodo adolescentes poëtas tractare oporteat: multis enim modis tradit naturam ipsius describi solitam. nam & ὀρθότητα λόγου, & ἀκρότητα τῆς λογικῆς φύσεως, nec non διάθεσιν ὁμολογουμένην ψυχῆς ipsam appellabant. Cicero in primo de legibus, cum inquit. Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta, & ad summum perducta natura (nisi fallor) mediam illam definitionem exprimere voluit: cuius etiam Alexander Aphrodisiensis mentionem fecit in quaestionibus suis, vbi refellit, quae a non nullis dicebantur, quod virtutes morum non essent mediocritates. Hic vero Aristoteles virtutem esse ait vim ac potestatem comparandi sibi commoda quaedam ac bona, & eadem tuendi. Cogitandum vero quid valeat hic, ὡς δοκεῖ: positum ne sit δοκεῖ, pro φαίνεται, vt aliquando factum ab ipso, obseruatum est: significetq; quemadmodum apparet, ac planum omnibus est. siue, vt sunt de illa iudicia existimationesque non nullorum, cum ipse aliam vim ipsius esse intelligeret: adnotatum enim est a doctissimis ipsius interpretibus, ita loqui aliquando eum solitum, cum veterem aliquam opinionem referret.

Καὶ δύναμις εὐεργετικὴ πολλῶν, καὶ μεγάλων.

Et potestas conferendi bona in alios, multa & magna.

ALIA virtutis informatio. vt superior autem commoda, quae sibi aliquis ope ipsius compararet, continebat, ita posterior haec collationem beneficiorum in alios considerat. oportet tamen, vt commoda illa, & multa & magna sint: neque enim in minutis tantum, pusillisq; rebus, quae valet, vere virtus appellari potest.

Καὶ πάντων περὶ πάντα.

Atque omnia in omnibus rebus.

PROVERBIVM redolent verba haec: eadem autem, aut paulum immutata, vsurpauit Cicero in epistola ad Cassium. Sed expecta πάντα περὶ πάντων. vim autem hanc habent, vt ostendant, qui virtutis compotes sunt, omnia melius, quam expertes ipsius, facere: & optimum illum animi habitum ad omnes res peragendas adiuuare.

Μέρη δὲ ἀρετῆς δικαιοσύνη, ἀνδρεία, σωφροσύνη, μεγαλοπρέπεια, μεγαλοψυχία, ἐλευθεριότης, πρᾳότης, φρόνησις, σοφία.

Partes autem virtutis sunt, iustitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia.

PARTES virtutis appellat: quae verius species vocatae forent: virtus enim genus ipsarum est: genus autem in species secatur: totum vero in partes. Septem primae in animi parte, quae insitam ingeneratamq; rationem non habet, manent: moribusq; ac consuetudine perficiuntur. Postremae vero duae, in parte, quae διάνοια vocatur a Graecis: a Cicerone vero non omnino apposite, nec exquisite, ratio saepe dicta est. vnde in ratione ab ipso hae virtutes positae traduntur, quae διανοητικαὶ a Graecis appellantur: quamuis ab Aristotele quoq; quandoq; λογικαὶ vocentur. praeceptis autem doctorum hominum: diligentiq; animaduersione rerum, illae & gignuntur, & excoluntur: priores tamen verae sunt, ac propriae virtutes.

Ἀνάγκη δὲ μεγίστας εἶναι ἀρετὰς, τὰς τοῖς ἄλλοις χρησιμωτάτας, εἴπερ ἐστὶν ἡ ἀρετὴ δύναμις εὐεργετική.

Necesse autem est, maximas esse virtutes illas, quae alijs maxime vtiles sunt, siquidem virtus est potestas beneficia conferendi.

QVI è virtutibus, quae maiores minoresue sint scire vult (sunt enim gradus quidam etiam ipsarum) spectet vnde maiores vtilitates ad homines perueniant: hoc enim virtutis proprium est, prodesse mortalibus. Omnium virtutum (inquit) necesse est, maximae sint, quae maximos fructus alijs ferre possunt. si ea, quae supra posuimus, non conuelluntur: in primisq; definitio ipsius ea, quae tradit virtutem vim esse alijs opitulandi.

Διὰ τοῦτο τοὺς δικαίους, καὶ ἀνδρείους μάλιστα τιμῶσιν: ἡ μὲν γὰρ, ἐν πολέμῳ: ἡ δὲ, καὶ ἐν εἰρήνῃ χρήσιμος αὐτοῖς.

Et haec est causa, cur iustos & fortes maxime honorant: haec enim in bello: illa vero etiam pacis temporibus vtilis ipsis.

CONFIRMANT hoc etiam iudicia multitudinis, aperiuntq; virtutes maximas esse, quae vtilissimae sint: neq; enim vllam aliam ob causam honorant, coluntq; iustos, ac fortes, nisi quia intelligunt se ex ipsis capere maximas vtilitates. altera autem harum virtutum, fortitudo scilicet, belli temporibus prodest, altera vero, iustitia (inquam) & in bello & in pace ipsis fructum fert. vt autem hic ipsos praecipue passim honorari affirmat, ita in iiij. libro de moribus ad Nicomachum, liberales ferme maxime diligi narrat omnium, qui ex virtute quippiam gerunt. cuius rei causam esse tradit, quod emolumento sunt alijs, atque egestatem multorum pecunia sua subleuant.

Εἶτα ἡ ἐλευθεριότης: προΐενται γάρ, καὶ οὐκ ἀνταγωνίζονται περὶ τῶν χρημάτων, ὧν μάλιστα ἐφίενται ἄλλοι.

Deinde liberalitas: largi namque sunt, & non litigant de pecunijs, quas maxime ceteri appetunt.

SEQVITVR has (inquit) liberalitas: secundas enim liberalibus hic tribuit. Causam autem afferens, cur tanto in honore etiam vulgo liberales sint, ait. quia libenter fortunas suas erogant: nec de vtili pecuniaque digladiantur, cuius in primis reliqui mortales cupidi sunt: intelligit autem multitudinem: politi enim homines, & in aliqua dignitate constituti, auidi maxime sunt honoris. προΐενται, erogant & effundunt, vt in iiij. libro de moribus ad Nicomachum. τὸ γὰρ οἰκεῖον οὐδ' ὅλον προΐενται, μᾶλλον, ἢ λαμβάνουσι τὸ ἀλλότριον. & non multo post προετικὸν dicit esse liberalem, affirmans vix fieri posse, vt diues ille sit: quia nec delectetur amplificatione patrimonij: neque etiam tueri rem partam studeat, sed libenter effundat pecuniam: largusq; ipsius sit: nec eam aestimet, nisi ea parte, qua intelligit eo se instrumento egere ad virtutem, qua praeditus est, exercendam.

Ἐστι δὲ δικαιοσύνη μὲν ἀρετή, δι' ἣν τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ἔχουσι, καὶ ὡς ὁ νόμος: ἀδικία δέ, δι' ἣν τὰ ἀλλότρια, οὐχ ὡς ὁ νόμος.

Est autem iustitia virtus, beneficio cuius singuli res suas habent, & vt lex iubet: iniustitia vero, vi cuius alienas, minime vt lex iubet.

SINGVLAS nunc has virtutes informat: & in quibus rebus versentur breuiter ostendit: notum autem, quibus in libris exquisitius vberiusq; de illis disputet. Iustitia igitur (inquit) est virtus, propter quam singuli res suas habent: & vt lex praecipit: ambo enim haec coniungantur oportet. Contra autem iniustitia, propter quam res alienas possident, non vt lex iubet: non aduersantibus enim legibus possunt etiam res alienae teneri.

Ἀνδρεία δέ, δι' ἣν πρακτικοί εἰσι τῶν καλῶν ἔργων ἐν τοῖς κινδύνοις, καὶ ὡς ὁ νόμος κελεύει, καὶ ὑπηρετικοὶ τῷ νόμῳ: δειλία δὲ τοὐναντίον.

Fortitudo autem per quam procliues sunt ad facta honesta gerenda, cum pericula imminent, & vt lex iubet: ijdemque auxilium ferunt legibus: timiditas vero contrarium.

FORTITVDO est virtus, cuius impulsu homines non fugiunt honesta facta temporibus periculosis, sed magno animo illa aggrediuntur: geruntq; vt lex praecipit: nec non praebent se strenuos ministros legi, & quae ipsa mandat, vt seruentur, efficiunt: contra autem (inquit) timiditas, vitium, ob quod abnuunt gerere res honestas, imminentibus periculis, contra ac leges iubeant: & cum temporibus patriae poscentibus ministros legibus non se praebent.

Σωφροσύνη δὲ ἀρετή, δι' ἣν πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῦ σώματος οὕτως ἔχουσιν, ὡς ὁ νόμος κελεύει: ἀκολασία δὲ τοὐναντίον.

Temperantia autem virtus, vi cuius ad corporis voluptates ita affecti sunt, vt lex iubet: intemperantia vero contrarium.

FIDELIORES scripti libri hic etiam δι' ἣν: non, vt formis antea excusi, καθ' ἣν. eodem autem pacto supra semper locutus est. δι' ἣν vero beneficio cuius. Temperantia igitur (inquit) virtus est, cuius

cuius opera moderationeq; erga corporis voluptates ita affecti animo sunt, vt lex iubet: sunt enim non nullae voluptates, quas penitus abijcere oportet. sunt aliae, quas modice degustare decet: neq; enim omnino omnes fugiendae sunt: atq; id facere, culpa non vacaret: sed voluntati legum in hac re parendum. In vj. libro de moribus ad Nicomachum, qua de causa virtus haec ita nominata sit, ostendit, & quod prudentiam tueatur, vocatam vult: σωφροσύνην enim appellari, quasi σώζουσαν φρόνησιν. cur autem haec naturae, ac morum virtus, quae in moderanda voluptate doloreq; corporis occupata est, prudentiam, alterius generis virtutem conseruet, accurate explicat. contrarium huic virtuti vitium esse intemperantiã tradit: qui enim eo tenentur, in persequendis corporis voluptatibus modum nullum seruant: nec metuunt, vt illis potiantur, legibus repugnare.

Ἐλευθεριότης δὲ περὶ χρήματα εὐποιητική: ἀνελευθερία δὲ τοὐναντίον.

Liberalitas autem, quae opitulatur hominibus in pecunia: illiberalitas vero contrarium.

LIBERALITAS inquit, in pecunia suppeditanda, & in subleuanda egestate aliorum versatur, cuius virtutis contrarium vitium est illiberalitas, quae in hac re non mediocriter peccat.

Μεγαλοψυχία δὲ ἀρετὴ, μεγάλων ποιητικὴ εὐεργετημάτων.

Magnanimitas autem virtus, quae versatur in magnis beneficijs conferendis.

MAGNITVDO animi, & ipsa in commodis in alios conferendis, manet: non tamen in exiguis, mediocribusue beneficijs dandis, sed in amplissimis posita est. Animaduertendum autem, cum stratum animi magnitudinis in cunctis, quos de moribus scripsit, libris, esse dixerit honorem, ac dedecus, quiq; modum in honore expetendo tenuerit, eum compotem huius virtutis esse voluerit, quomodo nunc in adiuuandis alijs, maximisq; commodis afficiendis versari illam affirmet? Quamuis autem ipsa praecipue occupata sit, in iustis, sibiq; debitis honoribus quaerendis, & in hac re magno animo se gerat, tamen & in pecunijs, & in opibus, & in omnibus deniq; secundis, aut aduersis rebus constantem se praebet, & amplitudinem quandam retinet. Vnde comitari ipsi reliquas virtutes traditum ab eo est: siue ipsam sociam se, comitemq; adiungere ceteris omnibus, & cumulum quendam splendoremq; virtutum esse. Quare (quod liberalis, ac magnifici viri proprium est) grandi pecunia etiam opitulatur probis viris, ac patriae, qui hac virtute praeditus est: atq; id alacri, ac prompto animo facit: vt etiam periculo sui capitis ciues è maximis malis liberat: quod praestantissimum omnium beneficium est, & ad fortem pertinere videbatur. Praeterea admirationis aliquid in se habet, cur, ante quam magnificentiae naturam ostendat, quae multo magis affinis est liberalitati, aggrediatur animi magnitudinem: statimque illa indicata eo se conferat, secus, atq; in proprijs de virtutibus, ac vitijs scriptionibus egerit: habet enim quoq; virtutem quandam, nomine carentem, magnitudo animi infra se, quae paruis in honoribus versatur: & in illis adipiscendis se, vt oportet, gerit: cum qua rationem ipsa habet eandem, quam magnificentia cum liberalitate: & sane, siquis diligenter attendit, multis modis intelligitur inchoatam hanc, imperfectamq; esse virtutum, ac vitiorum explicationem: satis enim habuit vim harum rerum nunc leuiter adumbrare: nam illud quoq; non praetereundum est, cum virtutes hae in medio duorum vitiorum in extremis finibus earum rerum constitutorum collocatae sint, ipsum alterum tantum eorum appellasse: atque id fere, quod parum rerum illarum sumit, ac multo infra, quam decebat, sistit. Suspicari autem non sine causa posset aliquis, ipsum vitiorum eorum naturam explicasse, ad quae magis homines procliues sunt: plures enim & timidi, & illiberales, & minuto animo praediti, aut in hominibus maximis commodis afficiendis, aut, in amplioribus sumptibus faciendis, inueniuntur, quam aut audaces, aut prodigi, aut in reliquis duabus praestantissimis rebus, nimium persequentes, ac iustum modum valde superantes. Vnde, cum in corporis voluptatibus rem aliter se habere intelligeret, relictis illis, qui, ne voluptates quidem eas, quas recte, ac sine vlla culpa percipere possent, degustant (qui pauci admodum sunt, & tamquam sensu carere videntur) alterum extremum expressit, in quo exuperantia manet: maior enim pars hominum intemperantiae affines sunt, aut certe incontinentiae.

Μικροψυχία δὲ τοὐναντίον.

Huic contrarius est paruus & angustus animus.

PARVI & angusti animi vitium a Latinis appellatur: qui namque ob eximias animi dotes, meritaq; sua, dignus est aliquibus bonis: orbat autem seipsum, iudicio ac voluntate sua illis, is

μικρόψυχος

μικρόψυχος appellatur. culpam autem id in se habet, & quia repudiat praemia, quibus affici debet, & quia se ipsum ille non nouit: proficiscitur autem ab animi tenuitate. vnde nomen huic vitio impositum.

Μεγαλοπρέπεια δὲ, ἀρετὴ ἐν δαπανήμασι, μεγέθους ποιητική.

Magnificentia autem virtus, quae in sumptibus propositam habet amplitudinem.

MAGNIFICENTIA virtus est, quae in sumptibus faciendis amplitudinem sequitur: neque enim in vno alteroue pecunia adiuuando, aut mediocribus beneficijs cumulando, vt liberalitas, occupatur: sed in ciuitate tota subleuanda: publicisq; monimentis exornanda.

Μικροψυχία δὲ, καὶ μικροπρέπεια, τἀναντία.

Paruus vero animus, & minutus, contrarium.

VITIVM ipsi contrarium duobus nominibus vocari posse ostendit: aut enim eodem, quo contrarium magnitudini animi vitium appellatur, idest paruus & angustus animus: aut μικροπρέπεια. quod, cum praeclaram hanc virtutem imitari velint, nimis tamen parce sumptum facientes, ea excidant, & in vicinum vitium dilabantur.

Φρόνησις δ᾽ ἐστὶν ἀρετὴ διανοίας, καθ᾽ ἣν εὖ βουλεύεσθαι δύνανται περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, τῶν εἰρημένων εἰς εὐδαιμονίαν.

Prudentia autem est virtus rationis, vi cuius in consilijs multum valent de bonis rebus & malis, quae dicta sunt facere ad vitam beatam.

PRVDENTIA est virtus rationis, cuius ope bona consilia capere, dareq; homines possunt, circa res bonas ac malas, quae ad vitam beatam pertinent. In vj. etiam libro de moribus ad Nicomachum definitionem prudentiae attulit: de omnibus enim virtutibus in illis libris, & ijs, quae natura, aut more perfectae sunt, & ijs etiam, quae in ratione ponuntur, suo magis loco, accuratius egit. Duarum autem hic descriptiones, quas supra appellauerat, desiderari apertum est. alterius, morum virtutis: alterius, rationis. vtrum autem illae negligentia librariorum, vetustateq; dilapsae sint, an ab Aristotele omissae, affirmare non ausim. Vim sane naturamque sapientiae expressit infra hoc ipso in libro, vbi res conficientes voluptatis, exponit: neq; tamen ea de causa arbitror illic explicasse, quia hic omiserit.

Περὶ μὲν οὖν ἀρετῆς καὶ κακίας καθόλου, καὶ περὶ τῶν μορίων, εἴρηται κατὰ τὸν ἐνεστῶτα καιρὸν ἱκανῶς.

De virtute igitur ac vitio in vniuersum & de partibus, dictum satis est, quantum ad praesens tempus.

BREVI repetit, quae iam exposuerit: ostendit enim, se de virtute ac vitio in vniuersum, & de partibus ipsorum praecepisse: si non, quae integram absolutamque eorum notitiam traderent, quae huic tempori tamen scriptionique satis sint: neq; enim, quae oratori instruendo affatim sunt, muneri sufficerent eius, qui accuratam eorum praeceptionem traderet, ac finem haberet virtutum, ac vitiorum vim omnem explicare. Quod autem auctor fecit, cum iam paucis exposuisset cuiusmodi virtutes forent, rationem sui consilij reddens, idem initio ipsarum tradendarum seruauit M. Cicero in Partitionibus, cuius haec verba sunt. " Sed hic locus virtutum, atq; " vitiorum latissime patens, ex multis & varijs disputationibus, nunc in quandam angustam, & breuem concludetur. intelligebat vero se nimis breui de tantis rebus egisse. In vniuersum communiterq; inquit, significans cum virtutis naturam euoluit: partes autem, species ipsius, singulasq; virtutes vocauit.

Περὶ δὲ τῶν ἄλλων οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν: φανερὸν γὰρ, ὅτι ἀνάγκη τά τε ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς, εἶναι καλά: πρὸς ἀρετὴν γάρ.

De alijs autem difficile non est videre: perspicuum enim est, quae sunt efficientia virtutis, necessario honesta esse: ad virtutem enim referuntur.

CVM, quod solum & quasi fundamentum dignitatis sit, ostenderit, nunc alia, quae & ipsa honesta sunt, indicat, si non primi illius generis: quae coniuncta tamen cum eo sint: ad idq; aliquo modo pertineant, vt ipse accurate docet. Cognitis igitur virtutibus, reliqua, quae aut honesta sunt, aut turpia, non magno negotio intelligi posse existimat: perspicuum enim esse inquit res,

quae sunt efficientes virtutis, & praeclarum aliquem animi habitum inducunt, necessario esse honestas: ad virtutem enim referuntur, atq; eo spectant.

Καὶ τὰ ἀπ' ἀρετῆς γιγνόμενα: τοιαῦτα, δὲ τά τε σημεῖα τῆς ἀρετῆς, καὶ τὰ ἔργα.

Et quae a virtute proficiscuntur: huiuscemodi autem sunt, & signa virtutis, & opera.

NON ea tantum, quae ad virtutem referuntur: verum illa quoq;, quae inde proficiscuntur, honesta esse dicit. ne autem quispiam, quae illa sint, ignoret, a virtute exoriri ait, indicia notasque virtutis, & effecta. Virtutis autem notas appellat, quorum indicio intelligitur virtutem in aliquo esse: quae enim virtutem significant, a virtute profecta esse videntur: neq; enim eam indicarent, nisi plerunq; inde oriri solerent. notas vero has, vt cetera signa, consequentes res esse: manareque ex aliquibus rebus perspicuum est: neq; enim signa esse possunt, nisi res, quorum signa sunt existant. Opera virtutis, quae vocet, planum est.

Ἐπεὶ δὲ τὰ σημεῖα καὶ τὰ τοιαῦτα, ὅσα ἐστὶν ἀγαθοῦ ἔργα, ἢ πάθη, καλά, ἀνάγκη, ὅσα τε ἀνδρείας ἔργα, ἢ σημεῖα ἀνδρείας, ἢ ἀνδρείως πέπρακται, καλὰ εἶν.

Quia autem signa & huiuscemodi omnia, quae sunt boni opera, vel detrimenta inde accepta, honesta sunt, necesse est quaecunque sunt opera, vel signa fortitudinis, vel fortiter gesta sunt, honesta esse.

QVIA (inquit) demonstratum est signa, & huiuscemodi omnes res, quae sunt eximij alicuius boni, aut effecta, aut πάθη, honesta esse, necesse est quaecunq; fortitudinis opera, aut signa fortitudinis, aut fortiter gesta sunt, honesta esse: si enim, quae virtutis opera, signaq; sunt, honesta sunt: quae fortitudinis opera, aut signa sunt, necesse est & ipsa honesta sint: fortitudo namque pars virtutis est. Signa fortitudinis πάθηq; sunt, quae Demosthenes in Philippo Macedonum rege fuisse dicit: dum enim in proelijs strenue se gereret, ac fines imperij propagare vellet, multa membra debilitauerat. vnde Latini optimi auctores, cicatrices, honestamenta appellarunt: afferebant enim decus, ac dignitatem, declarabantq; eum fortiter pugnasse, atque omnia pericula pro dignitate contempsisse. Aperte autem ipse non nulla opera huius virtutis exponit in v. libro de moribus ad Nicomachum, dicens. Imperat vero lex, vt fortis viri facinora edantur. exempli gratia non relinquere locum: ordinemue in acie: neq; obiecta terribili re fugere: neq; arma abijcere, sed aliarum etiam, vt temperantiae, ac mansuetudinis.

Καὶ τὰ δίκαια, καὶ τὰ δικαίως, ἔργα: πάθη δέ, οὔ: ἐν μόνῃ γὰρ ταύτῃ τῶν ἀρετῶν οὐκ ἀεὶ τὸ δικαίως, καλόν.

Et quae iusta sunt, & quae iuste administrata sunt, opera sane: paenae autem minime: in sola enim hac virtute, non semper, quod iuste fit, honestum est.

QVOD in fortitudine declaratum est, id etiam in iustitia magna ex parte verum reperietur: res enim iustae, honestae, & quae iuste faciunt homines, honeste quoq; faciunt: non tamen, quae accipiunt, ac perpetiuntur, honestatem vllam in se habent: hoc enim subtiliter adnotauit. In sola hac omnium virtutum, quod iuste, non statim honestum: magis enim turpe est iure plecti, quam iniuria. Πάθη hic, vt paulo antea, & non nullis alijs locis in his libris, vocare ipsum mala, quae aliquis sustinet, apertum est: vt vulnera, caedes, & huiuscemodi incommoda. quo sensu etiam cepit Demosthenes pro Ctesiphonte, cum inquit, ἔπειτ' ἐστιν, ὁ τὰ Θηβαίων ὀδυρόμενος νῦν πάθη, καὶ διεξιὼν, ὡς οἰκτρά, qui nunc graues casus, & calamitatem Thebanorum deplorat, ac miserabiliter narrat.

Ἀλλ' ἐπὶ τοῦ ζημιοῦσθαι, αἰσχρὸν τὸ δικαίως μᾶλλον, ἢ τὸ ἀδίκως.

Sed cum de supplicio sermo est, turpe magis est iuste paena affici, quam iniuste.

IN multa vero, ac paena, legibus imposita, turpius est (inquit) iuste, quam iniuste: in quem enim recte animaduertitur, noxius est. cum iniqua paena quispiam afficitur, culpa est improborum iudicum. Hinc autem optimus & sapientissimus totius Graeciae vir vxorem increpuit, cum diceret illa, se aequiore animo mortem ipsius laturam fuisse, nisi iniusta nex illi afferretur: intelligebat enim, quod boni tantum in ea re erat, eam stulte repudiare.

Καὶ κατὰ τὰς ἄλλας δὲ ἀρετὰς, ὡσαύτως.

Atque in ceteris virtutibus res eodem modo se habet.

EODEM

EODEM modo (inquit) se res habet in alijs virtutibus, vt in fortitudine se habere demonstratum est: & signa namq; earum, & opera, & incommoda, quae in tractandis illis sustinentur, honesta sunt: quae sola a natura reliquarum discedit, & in qua ipsius parte hoc nou respondet, explanatum est.

Καὶ ἐφ' ὅσοις τὰ ἆθλα τιμή, καλά.

Et illae res, quarumcunque praemia sunt honos, honestae sunt.

ILLA quoq; (inquit) honesta sunt, quae honore compensantur: quibusq; praemium propositum est honor. Hinc illa exclamatio Plinij, qui de veteribus illis R. loquens, & quemadmodum maxima pericula in bellis tenuissimis rebus remunerari solerent, inquit. O mores aeternos, qui tanta opera honore solo donauerunt. de quo etiam Horatius in epistola posteriore ad Iulium Florum, de milite Luculli loquens, Clarus ob id factum, donis ornatur honestis. Sed, corruptis iam temporibus, deprauataq; disciplina, cum coronis hastisq; puris contenti non essent: adiungit enim poëta, Accipit & bis dena super sestertia nummum. In iiij. quoq; libro de moribus ad Nicomachum, pulcherrimarum rerum praemium esse honorem tradit.

Καὶ ἐφ' ὅσοις τιμὴ μᾶλλον, ἢ χρήματα.

Et quarumcunque rerum honos, magis quam pecunia.

DISCREPAT hic locus a superiore: illo namq; traditur ea esse honesta, quibus honor tantum praemium propositum est: & nulla res, quae vtilitatem aliquam fructumq; in se habeat. Hoc vero, quibus cum & honor, & pecunia tribuatur, frequentius tamen illa, maioreq; ex parte honore, quam pecunia compensantur.

Καὶ ὅσα μὴ αὑτοῦ ἕνεκα πράττει τις τῶν αἱρετῶν.

Et quaecunque non sua causa gerit aliquis e numero rerum expetendarum.

QVINTILIANVS libro tertio, vbi de laude, ac vituperatione agit, hoc ita expressit. Praecipue quod aliena potius causa, quam sua. Addit autem Aristoteles, rerum expetendarum: neque enim aliter id verum fuisset: non pauca enim non sua, sed aliorum causa gerunt homines, quae dignitatem non adferunt.

Καὶ τὰ ἁπλῶς ἀγαθά, ὅσα ὑπὲρ τῆς πατρίδος τις ἐποίησε, παριδὼν τὸ αὑτοῦ.

Et quae simpliciter bona sunt, quaecunque pro patria aliquis gessit, posthabita sua propriaque vtilitate.

ILLA etiam honesta sunt, quae sua vi, omninoq; bona sunt: nec, vt aliquid ei, qui gerit illa commodum afferant, fiunt: saepiusque detrimentum, ac periculum aliquod maius important: vt, quae pro salute ciuium, & patria, geruntur.

Καὶ τὰ τῇ φύσει ἀγαθά.

Et quae natura bona sunt.

VT naturalis pulchritudo, non fucata: & aliae huiuscemodi res, quae non labore, & industria hominum, sed a natura obtinentur: honestiores enim cunctae.

Καὶ ἃ μὴ αὐτῷ ἀγαθά: αὑτοῦ γὰρ ἕνεκα τὰ τοιαῦτα.

Et quae minime ipsi bona sunt: sui enim ipsius causa huiuscemodi fiunt.

ILLA quoq;, quae illi ipsi, qui habet, fructum emolumentumq; non adferunt, honesta sunt. pulchritudo corporis huiuscemodi esse dicitur: est enim bonum, quo alij fruuntur, non qui ea praeditus est. quod autem addit: αὑτοῦ γὰρ ἕνεκα τὰ τοιαῦτα, de rebus ijs loquitur, quae contrariam naturam habent, & ei ipsi, qui habet, bono sunt: haec enim omnia (inquit) ad eum referuntur, ipsiusq; gratia sunt: nihil autem haec dignitatis adferre, supra exposuerat.

Καὶ ὅσα τεθνεῶτι ἐνδέχεται ὑπάρχειν μᾶλλον, ἢ ζῶντι.

Et quaecunque euenit, vt in mortuum potius, quam in viuentem cadant.

NEC non illa quoq; (inquit) honesta sunt, ac dignitatis plena, quae frequentius faciliusq; mortuo, quam viuo contingunt. vt sunt elogia, fana, & huiuscemodi honores: quamuis enim viuis

luceque hac fruentibus concedi possint, crebrius tamen defunctis: cum autem viui illis ornantur, quae fere mortuis tribui solent, perspicuum est ex ipsis praesentem nullam, ad corpusq; pertinentem voluptatem percipi: stultum enim esset ea mortuis largiri, qui illis frui nullo pacto queunt: hoc etiam declarat Horatius in epistola ad Augustum Caesarem, cum inquit. Prae-
» senti tibi maturos largimur honores. Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras. morte enim obita plerunq; homines clari, & illustres illis rebus decorari consuerunt.

Τὸ γὰρ αὑτοῦ ἕνεκα μᾶλλον ἔχει τὰ ζῶντι.

Sui enim ipsius causa magis existit in his, quae in viuentem.

MENDOSE antea in excusis codicibus legebatur, τὰ ζῶντα. ipse, iudicio, ac coniectura ductus, τῷ ζῶντι correxi: quemadmodum etiam infra locutus est, vbi ait. καὶ ἃ μὴ ζῶντι, ἕπεται. quae viuo alicui accedunt: eumq; adiuuant, magis ipsius gratia facta videri possunt, ac propriam aliquam ei vtilitatem apportare. quare dignitatem non adferunt. Cum ratione igitur reddita locum confirmare vellet, a contrario illam duxit.

Καὶ ὅσα ἔργα τῶν ἄλλων ἕνεκα· ἧττον γὰρ αὑτοῦ.

Et quaecunq; opera aliorum causa suscipiuntur: minus enim sui ipsius causa gesta videntur.

HVNC locum deprauatum correxi: excusi namq; antea καλῶν ἕνεκα habebant: secutus autē sum auctoritatem antiquissimi libri, cui adstipulatur etiam vetus tralatio. qui sequitur quoq; non parum emendationem hanc constituit. Et quaecunq; opera factaq; aliorum causa gesta sunt: vt alij inde iuuarentur, ac commodi aliquid caperent, non ipsorum, auctor. Rationem huius rei reddens, inquit: minus enim causa illius, qui agit curata sunt, cum emolumentum aliorum propositum statim habeant.

Καὶ ὅσαι εὐπραγίαι περὶ ἄλλους, ἀλλὰ μὴ περὶ αὑτόν.

Et quaecunq; res feliciter gestae sunt pro alienis cōmodis, & non ob suas vtilitates.

CVM etiam bene rem gerimus in alienis negotijs, & quae nobis commodi nihil adferunt, dignitatem nobis maiorem comparamus, quam si in nostris rebus peragendis, optatum exitum consequeremur: ex sententia enim aliquid conficere, ac secunda fortuna vti in rebus alienis, non suis procurandis, praeclarum, & honestum est: quia laborem suscipere, & cum industria versari in amicorum, ciuiumq; vniuersorum negotij laudem meretur.

Καὶ περὶ τοὺς εὖ ποιήσαντας· δίκαιον γάρ.

Et pro commodis eorum, qui prius iuuerint: iustum enim est.

SED etiam studiose negotia eorum, qui commodo te aliquo antea auxerint, administrare, honestum scilicet est: causam vero huius afferens, ait: iustum namq; est: aequitatis enim pars, beneficia remunerari.

Καὶ τὰ εὐεργετήματα· οὐ γὰρ εἰς αὑτόν.

Et studia beneficiaq; in alios collata: non enim ad se ipsum referuntur.

BENEFACTA praeterea, commodaque cuncta in alios collata: honesta scilicet sunt: vnde autem dignitas illis acquiratur docens, inquit: neq; enim ipsi fructum ferunt: ad eumq; qui agit referuntur. quae autem cum periculo, aut damno rei familiaris fiunt, nulla proposita propria vtilitate, honesta quoq; sunt: pertinent enim ad alios.

Καὶ τὰ ἐναντία, ἢ ἐφ᾽ οἷς αἰσχύνονται· τὰ γὰρ αἰσχρὰ, αἰσχύνονται, καὶ λέγοντες, καὶ ποιοῦντες, καὶ μέλλοντες.

Et contraria eorum, ob quae verecundantur: verecundantur enim cum res turpes, & dicunt, & faciunt, aut dicturi facturiue sunt.

ET contraria item illorum, propter quae erubescunt: ob quae autem erubescant, exponit, ac turpia esse tradit: vnde contraria eorum honesta, verecundantur (inquit) ob res turpes: &, cum eas loquuntur: &, cum gerunt: &, cum aut dicturi iam, aut acturi sunt. μέλλειν dici de illis etiam, qui paulo post quippiam aggressuri sunt, iam iamq; incepturi, certum est. Demosthe-
» nes pro Ctesiphonte, ὅτι μέλλει καὶ παρασκευάζεται πορεύεσθαι.

Ὥσπερ

Ὥσπερ καὶ Σαπφὼ πεποίηκεν, εἰπόντος τοῦ Ἀλκαίου, Θέλω τι τ' εἰπῆν, ἀλλά με κωλύει αἰδώς.

Quemadmodum & Sappho cecinit, cum Alcaeus dixisset, Volo quiddam dicere, sed me vetat pudor.

EXEMPLVM hoc declarat pudorem esse quoq; rerum futurarum, non tantum excitari ob admissam iam culpam in sermone aliquo, aut facto: dixerat enim antea homines verecundari, cum aliquid agunt, loquunturq;, quod turpe sit: aut etiam cum facturi illud, dicturiq; sunt: quod, cum tam planum non esset, exemplo confirmat: prima autem haec verba sunt Alcaei amatoris, interrogantis amicam: indicantisq; se habere in animo, velleq; ipsi quippiam dicere: sed pudorem non sinere se loqui: vnde acuti ingenij mulier cognouit rem, quam vetaret pudor proferre, turpem esse. exemplum sane est in verbis Sapphonis, quae sequuntur: totam tamen accurate Aristoteles rem exponit: & causam illius vocis aperit.

Αἰδ' ἶχες ἐς ἐσθλῶν ἵμερον, ἢ καλῶν, καὶ μή τ' εἰπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακόν, αἰδώς κέν σε οὐκ εἶχεν ὄμματα.

Si venisses in desiderium rerum bonarum, vel honestarum, & neque lingua trepidasset, editura scelus, pudor non inuasisset oculos tuos.

ITA excudi volui, secutus fidem antiquissimi libri, in quo ita legi animaduerti: quem autem in re incerta meliorem ducem habere potui? ἶχες quoq; Aldinum exemplar retinet: cum in quibusdam excusis ἧκες, prima immutata littera, eodem tamen intellectu verbi legatur: in alijs autem conueniebat inter se excusis codicibus: & accusandi casu, quae sequuntur verba, cuncti habebant. cum scripti omnes patrio casu ἐσθλῶν, & καλῶν haberent: sensus autem est. Si venisses in bonarum rerum, aut honestarum desiderium: nec lingua tua trepidasset, aliquid improbum prolatura, pudor profecto oculos tuos non occupasset. Sapphonis autem verba haec esse, cum superiora illa Alcaei fuerint, planum est, in quae tamen adhuc non incidi apud alium scriptorem, vt de sinceritate lectionis liquido aliquid affirmare possim: poëmata enim ipsius, quae leporis, ac suauitatis plenissima erant, vetustate perijsse omnes sciunt: nec melior Alcaei quoq; scriptorum fortuna fuit. quare ipsius itidem verba, quae cum amica habuit, alibi reperiri vix possunt.

Ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω.

Sed locuta esses de re iusta.

VERBA quoq; haec Sapphonis sunt, ac superiorem sententiam absoluunt: mendum tamen antea illa non paruum continebant: nec sensus inde vllus commodus eliciebatur: in excusis namq; omnibus, ac scriptis, antiquissimo libro excepto, περὶ ὧ δικαίω, legebatur: quem vnum integram lectionē seruasse puto: est.n. hic τῶ δικαίω, patrius casus, dorico sermone: quo multum vti in cantilenis his poëtae soliti erant: quemadmodum etiam supra bis in eodem codice καλῶν, legitur, non vt communis ratio sermonis loquitur. Sententia nunc plana est. Verum (inquit) verba libere, ac sine vllo timore fecisses, de re quauis iusta.

Καὶ περὶ ὧν ἀγωνιῶσι, μὴ φοβούμενοι.

Et de quibus valde solliciti sunt, non tamen ob metum.

VALET hic manifesto ἀγωνιῶσι, anguntur: sollicitantur animo: ἀγωνίαν autem proprio nomine voluit esse Aristoteles metum quendam, qui nos corripit, cū negotium aliquod maius paulopost incepturi sumus: cum enim non videamus, qua potissimum via, rationeq; id aggressuri simus, vt efficere, & ad exitum perducere tuto queamus, valde sollicitamur. In iij. segmento problematum ipse hoc tradit. ὅτι ἀγωνία φόβος τίς ἐστι πρὸς ἀρχὴν ἔργου: Demosthenes quoq; pro Ctesiphonte apposite hoc verbo vsus est, cum de Philippo loqueretur, qui bellum inferre cogitabat Phocensibus, & metuebat, ne Athenienses conatum ipsius impedirent: inquit enim. Οὕτω δ' ἦν ὁ Φίλιππος ἐν φόβῳ καὶ πολλῇ ἀγωνίᾳ, μὴ, & quae sequuntur. Quo autem angebatur Macedonum rex, cum metueret, ne sua consilia disturbarentur, honestum non erat: quod excepit hic Aristoteles. Cum vero nullo metu perculsi, conflictamur animo de aliqua re: nec veremur, ne in ea tractanda quidpiam incommodi capiamus, honesta ipsa sit necesse est. Illa igitur quoq; hic (inquit) honesta sunt, de quibus anguntur homines, cum tamen ipsa non metuant: angorem enim quoq; gignunt in animis nostris res quaedam terribiles, & quae periculum aliquod important,

quod si quandoq; videris quempiam sollicitari aliqua re, quae nihil detrimenti ipsi afferre possit, si animaduertes, reperies eam honestam esse, ac plenam dignitatis: aut enim metus, aut stimulus quidam honoris nos pungit. Accommodatum exemplum est, quod Cicero de Themistocle narrat. Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset: quaerentibusq; respondebat. Milciadis trophaeis se è somno excitari. Quod cupiebat autem Themistocles, & de quo mirifice animo angebatur, honestum fuisse, ipse etiam verbis suis explanauit.

Περὶ γὰρ τῶν πρὸς δόξαν φερόντων ἀγαθῶν, τοῦτο πάσχουσι.

De bonis enim, quae ad gloriam referuntur, ita animo affecti sunt.

CAVSAM his verbis affert, cur res illae, quas indicauit, honestae sint: de bonis enim dicens, quae ad gloriam tendunt, ita homines affici animo consuerunt, idest anguntur, & in magno metu sunt, quam potissimum viam ad illa ineant, ne possessione eorum deijciantur: quae autem honorem, ac gloriam apportant, honesta sunt. Idem etiam significare voluit M. Cicero pro Archia, cum inquit, Nunc insidet quaedam in optimo quoq; virtus, quae noctes & dies animum gloriae stimulis concitat, & quae sequuntur.

Καὶ αἱ τῶν φύσει σπουδαιοτέρων ἀρεταὶ, καλλίους: καὶ τὰ ἔργα: οἷον ἀνδρὸς, ἢ γυναικός.

Et natura magis studiosorũ virtutes, honestiores, & opera: veluti viri, quã mulieris.

VIRTVTES quoq; (inquit) eorum, qui natura meliores sunt, honestiores sunt: &, vt virtutes, ita etiam facta: vt cum, virile genus, muliebri praestet, virorum virtutes, ac facta, honestiora, quam mulierum sunt.

Καὶ αἱ ἀπολαυστικαὶ ἄλλοις μᾶλλον, ἢ αὐτοῖς. διὸ τὸ δίκαιον, καὶ ἡ δικαιοσύνη, καλόν.

Et quibus frui ceteri magis quam ipsi possunt. vnde & iustum factum, & iustitia honestum est.

VIRTVTES quoq; illae in primis honestae sunt, quibus frui magis alij, quam qui ipsis praediti sunt, queunt: haec enim causa est (inquit) cur & iustum, & iustitia, honestum sit: & virtus enim ipsa, & quae ab ea proficiscuntur, nedum vtilitaté vllam ferant, potius damno sunt. cum multa saepe, quae lucrari impune posset vir iustus, ne quid contra eam committat, non tangat.

Καὶ τὸ τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι μᾶλλον, καὶ μὴ καταλλάττεσθαι: τό, τε γὰρ ἀνταποδιδόναι δίκαιον: τὸ δὲ δίκαιον, καλόν.

Et inimicos vlcisci magis, & non illis reconciliari: par enim pro pari reddere iustum est: quod autem iustum, honestum.

PRAETEREA honestum est hostes potius vlcisci, quam in gratiam cum illis redire, ac reconciliari: qui enim ita se gerit, specimen de se praebet duarũ maximarum virtutum: iniurias namq; compensare, vt beneficia, iustum est: ac par deniq; pro pari reddere. quod autem iustum, idem etiam honestum.

Καὶ ἀνδρείας, τὸ μὴ ἡττᾶσθαι.

Et fortis viri officium est, non pati se vinci.

ITA legi cunctis in scriptis exemplaribus: antea namque formis excusi ἀνδρείον habebant: cui tamen quoq; lectioni locus esse potest: vetus certe tralatio eam refert. Praeterea viri fortis officium est, non cedere, neq; inferiorem se esse pati. Qui igitur inimicos laesi vlciscuntur, multis modis rem honestam faciunt.

Καὶ νίκη καὶ τιμὴ, τῶν καλῶν: αἱρετά τε γὰρ, ἄκαρπα ὄντα, καὶ ὑπεροχὴν ἀρετῆς δηλοῖ.

Et victoria & honos sunt è numero rerum honestarum: expetuntur enim, quamuis nullum fructum ferant: & exuperantiam virtutis indicant.

VICTORIA

VICTORIA quoq; (inquit) & honor, è numero sunt rerum honestarum : cuius rei causam afferens, ait : sunt enim expetenda, quamuis fructum nullum ferant. praeterea eximiam quandam virtutem declarant, seu potius virtutis exuperantiam : qui enim victoriam consecuti sunt, viribus alijs praestitisse perspicuum est : sed honor quoq;, nisi excellentibus hominibus, & qui praeclari aliquid in se habuerint, non tribuitur.

Καὶ τὰ μνημονεύματα : καὶ τὰ μᾶλλον, μᾶλλον.

Et quae restant, memoriam alicuius ornantia : & quae magis, magis.

Μνημονεύματα (nisi fallor) appellat elogia, & quae memoriam alicuius ornant. Plutarchus in commentario, quo disputat oportere senem in rep. versari, μνημόνευμα videtur appellasse rem, quae » memoria repetitur : quod Cicero saepe recordationem vocat. Θέαμα δὲ, καὶ μνημόνευμα, καὶ διανόημα τῶν ὄντων. & quae sequuntur. Non me tamen fugit legi in excusis quibusdam μνημονευτά : cum tamen in reliquis & impressis formis, & scriptis libris, inuenerim μνημονεύματα. quare tantum consensum eorũ damnare consilium non fuit. qui ita emendarunt, videntur hoc verbum sic cepisse, quasi valeat : quae feruntur : quae praedicantur. Vbi tamen res efficientes voluptatis hoc ipso in libro infra indicat, μνημονευτὰ vocat, quae memoria adhuc retinemus : vetera fa- » cta, dictaue quae recordamur. Τὰ μὲν οὖν μνημονευτὰ ἡδέα ἐστίν. Quod vero ad sententiam pertinet, Et ea (inquit) quae memoriam alicuius colunt, & famam extingui non patiuntur, vel quae ferenda & praedicanda sunt, honesta sunt : nec non, quae magis huiuscemodi, magis honesta. Sunt etiam scripti non nulli, in quibus mutato ordine posteriorum verborum, καὶ μᾶλλον τὰ μᾶλλον legatur : cum alij, & in ijs antiquissimus, receptam lectionem sequantur.

Καὶ ἃ μὴ ζῶντι ἕπεται.

Et, quae non viuentem consequuntur.

IN magna varietate lectionis antiquissimum codicem sequi malui, qui valde discrepat a reliquis, & scriptis & excusis libris : secum tamen ille habet veterem tralationem, in qua eiusdem scripturae vestigia apparent. si ita igitur legatur, locus alter est, quo significat inde quoq; intelligi res honestas : si mortuo etiam alicui illae comitatae sint : nec vna cum vita ipsius extinguantur. Illa altera lectio longe diuersum sensum habet : cum enim ita passim excusi habeant. μᾶλλον δὲ καὶ ἃ μὴ ζῶντι ἕπεται, siquis eam probet, intelligat necesse est declarare voluisse auctoré, quae magis essent μνημονεύματα : affirmasseq; huiuscemodi magis esse, quae non viuenti tantum praesto sunt, sed mortuum etiam sequuntur.

Καὶ οἷς τιμὴ ἀκολουθεῖ.

Et quae consequitur honos.

EA quoque honesta sunt, quibus honos comitatur : quaedam enim manifesto sunt, a quibus honor abesse non potest : & quae plerunq;, qui gesserunt, ab hominibus honores magnos consecuti sunt. illa autem non vtilia, non iucunda, sed honesta sunt. Discrepat hic quoq; antiquissimus liber a ceteris omnibus, quos vidi : sic enim habet. καὶ ἡ τιμὴ ἀκολουθεῖ. cum illo tamen facit vetus tralatio. Vt breui igitur quid suspicer, aperiam : aut vitio liber non vacat, aut verba haec, pars superioris loci sunt : vt hanc scilicet quoq; condicionem addiderit : requiraturq; non solum, vt mortuo comitentur, verum etiam sint è genere eorum, quae adiunctum semper honorem habeant.

Καὶ τὰ περιττὰ, καὶ τὰ μόνῳ ὑπάρχοντα, καλλίω.

Et eximia bona, & quae soli alicui adsunt, honestiora.

EXIMIA quoq; atq; alijs, eiusdem generis, praestantia, vulgaribus honestiora sunt : quidquid enim praeclarum egregiumq; est, honore dignum est. de vi Graeci nominis, antea pluribus disputaui. vt autem eximia, ita etiã, quae solus aliquis possidet : nec alij vlli in amplioribus etiam patrimonijs tenent : vt pictura, ac signum vetus nobilis alicuius artificis : vt eruditũ elegansq; opus antiqui scriptoris, cuius alia nulla extent exemplaria : duo autem hi loci coniunguntur, & tamquam pars eius sunt, qui ipsos antecedit : quod è causa, quae adfertur, planius intelligitur.

Εὐμνημονευτότερα γάρ.

Saepius enim memoria ipsorum repetitur.

ITA habent manuscripti libri secunda collatione : in excusis formis antea εὐμνημόνευτα legebatur, vitiose, vt patet : supra enim etiam καλλίω : in comparatione aliorum superiora haec esse docens, dixerat. Rationem igitur afferens, cur illa honestiora sint, inquit magis ipsa memorari : magisq;, quam alia, omnium sermone famaq;, celebrari.

Καὶ κτήματα ἄκαρπα· ἐλευθεριώτερα γάρ.

Et praedia non fructuosa: magis enim congruunt liberali viro.

PRAEDIA quoq;, ex quibus fructus nulli percipiantur, sed quae ad oblectandum animum, corpusq; reficiendum valeant, honesta sunt, & dignitatem domino adferunt: rationem huius rei ipse reddit: sunt enim (inquit) magis liberalis, ac politi hominis propria, quam contraria: idest κάρπιμα, & ὠφέλιμα: ita enim ipsa appellauit in iiij. libro de moribus ad Nicomachum, vbi huiuscemodi quoq; praedia conuenire magnanimo declarauit: quae scilicet pulchra sint, & fructum nullum domino ferant: & vt fundos, ita etiam reliquas possessiones.

Καὶ τὰ παρ' ἑκάστοις δὲ ἴδια, καλά.

Et quae apud singulos propria sunt, honesta sunt.

QVAE etiam apud singulos populos, ac gentes vigent: propriaq; eorum sunt, nec cum alijs communia, honesta illic sunt: vt asperitas victus: disciplinaeq; seueritas, Lacedaemone: studia sapientiae, ac cognitio rerum pulcherrimarum, Athenis.

Καὶ τὰ σημεῖα δὲ τῶν παρ' ἑκάστοις ἐπαινουμένων.

Et signa eorum, quae apud singulos laudantur.

HONESTA quoq; sunt cuncta illa, quae indicia sunt rerum apud singulas gentes laudatarum, in honoreq; habitarum. Locus sane apertus, & ab ipso quoque exemplo illustratus, sed alia etiam facile adiungi possent, vt lunati calcei apud Romanos: signum enim erant ingenuorum.

Οἷον ἐν Λακεδαίμονι κομᾶν, καλόν: ἐλευθερίας γὰρ σημεῖον: οὐ γάρ ἐστι κομῶντα ῥᾴδιον οὐδὲν ποιεῖν ἔργον θητικόν.

Veluti Lacedaemone comam alere, honestum est: est enim libertatis signum: non enim facile est, comatum aliquod seruile opus efficere.

VT Lacedaemone comam alere, honestum: libertatis namque signum est: comatum enim hominem munus, opusq; aliquod seruile administrare, difficile molestumq; est: non paruũ enim impedimentum abiectis, ac mancipiorum proprijs, ministerijs tractandis caesaries affert. Plutarchus in commentario, quo colligit multa breuiter, & commode a regibus, imperatoribusq; dicta, alio consilio tradit Lycurgum, qui leges scripsit Lacedaemonijs, instituisse, vt ciues sui comam gererent, nam caesaries (inquit) formosos, speciosiores reddit: turpes vero, horribiliores. celebratur etiam acuta vox Spartiatarum regis, qui interrogatus, cur Lacedaemonij alerent capillos, respondit, quia hic vnus corporis ornatus, nullo sumptu eget. Xenophon in Lacedaemoniorum politia, tradit, plura secutum Lycurgum, permisisse ciuibus suis, postquam ex ephebis excessissent, vt comati essent: nec omittit, quod hic narratur. Discedit vero hac parte aliquantulum a reliquis, & excusis, & scriptis, antiquissimus liber: ἐλευθέρου namq; habet. cum illo etiam facit vetus tralatio: nihil tamen immutaui.

Καὶ τὸ, μηδεμίαν ἐργάζεσθαι βάναυσον τέχνην.

Et nullam colere artem, vnde operae suae aliquis mercedem capiat.

HONESTVM praeterea est, nullam artem exercere è genere earum, quae βάναυσοι appellantur: quae autem illae sint demonstrauit ipse in primo libro de moribus ad Eudemum his verbis. βαναύσους δὲ λέγω, τὰς ἑδραίας, καὶ μισθαρνικάς. Illae vero humiles sint, ac sordidae necesse est, cum praesto sint semper operam suam requirentibus, ac commodis aliorum vsibusq; seruiant. Tabernarios homines, & qui vilibus his artibus victum quaererent, significare voluit Cicero, cum » in oratione iiij. in L. Catilinam, inquit. Sed nulli sunt inuenti tam, aut fortuna miseri, aut vo- » luntate perditi, qui non ipsum illum sellae, atq; operis, & quaestus cotidiani locum: & quae sequuntur. & paene verba, quibus definijt ipsas has artes Aristoteles expressit.

Ἐλευθέρου γάρ, τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν.

Liberi enim hominis proprium est, non viuere ad alium.

HINC simili ducto in primo libro τῶν μετὰ τὰ φυσικά, dignitatem ipsius illius scientiae, qua res diuinae explicantur, declarauit: illam enim quoq; docuit nulli alij ancillari, sed sui ipsius gratia constare: quemadmodum homo liber est (inquit) vt dicere consueuimus, qui sui ipsius gratia,

tia, non alius est, ita haec vna omnium scientia libera est: sola enim sui ipsius gratia constat. Isocrates contra, clarissimus dicendi magister, cum vidit discipulos mercedem sibi dinumerantes, lacrimas tenere non potuit: addiditq;, nunc demum cognoui me libertatem meam his emancipasse. Vt autem hic libero homine dignum esse inquit, non seruire in vita commodis, ac nutibus aliorum, ita in iiij. de moribus ad Nicomachum, cum magnanimi naturam exprimeret, mancipij proprium esse dixit ita viuere. a qua humilitate valde abhorrere magno animo praeditos. καὶ πρὸς ἄλλον μὴ δύνασθαι ζῆν, ἀλλ' ἢ πρὸς φίλον: δουλικὸν γάρ: vt vero ambobus his locis πρὸς ἄλλον ζῆν, inquit, cum in omni vita quempiam commoda alterius spectare, atq; illis toto animo
» seruire, significare vellet, ita etiam Demosthenes pro Ctesiphonte. Τοῖς δὲ πρὸς ὑμᾶς ζῶσι, καὶ τῆς
» παρ' ὑμῶν τιμῆς γλιχομένοις. Illis vero, qui vobis se dediderunt, ac seruiunt: cupiuntq; ornari a vobis. Cum prius excusi ἐλευθερίου corrupte haberent, emendaui ἐλευθέρου: fidem antiquissimi libri, & rem ipsam, secutus: eiusdem quoque lectionis vestigia apparent in vetere tralatione.

Ληπτέον δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσιν, ὡς ταυτὰ ὄντα, καὶ πρὸς ἔπαινον, καὶ πρὸς ψόγον.

Sumenda autem sunt & propinqua rebus illic existentibus, tamquam prorsus eaedem, & ad laudem, & ad vituperationem.

OPORTERE praeterea (inquit) sumere vicina propinquaq; rebus ipsis, quae vere tales sunt: ὑπάρχοντα enim vocare videtur, vt sane illae sunt, si subtiliter eorum natura spectetur: neq; enim nomine appellare illa, cum generatim loquatur, potuit: & hoc facere tamquam eadem, non diuersa ipsa sint: custodiriq; hoc opus esse, & cum aliquam rem laudamus, & cum vituperamus.
» Quintilianus hunc locum intellexit, cum in iij. libro de Aristotele loquens, inquit. Idem prae-
» cepit illud quoque, quia sit quaedam virtutibus, ac vitijs vicinitas, vtendum proxima deriuatio-
» ne verborum, vt pro temerario, fortem: pro prodigo, liberalem: pro auaro, parcum, vocemus:
» quae eadem contra valent. Auxilio igitur huius loci, & virtutes inquinari, & vitia honestari, possunt. Elegantissimus poëta Flaccus, idemque non malus morum formator, in iij. satyra primi libri totam hanc rem egregie exposuit, exemplisq; in vtranq; partem accommodatis vsus est: accusat enim prauam hominum consuetudinem, qui leues etiam culpas amicorum non ferant, & ne dum, siquid in ipsis vitij est, non conterant, ac minuant, vt facere ipsos oportebat, potius augeant: quaeriturque non idem seruari in honesta amicitia, quod passim in amore ab omnibus custoditur: amatores enim consuerunt vitia labesq; corporis in delicijs suis commendare verbis. quam etiam rem & Plato, politissimus scriptor, in v. de rep. copiose pertractat, & Lucretius in iiij. suorum librorum, quo loco amorem ipsum multis contumelijs vexat. Pessimi etiam ingenij homines, periculum illi apud Dionysium iuniorem creantes, ita solitos ingentes virtutes Dionis Syracusani verbis deprauare, docet Plutarchus in vita ipsius: omnia namque in peiorem partem trahebant: nam, quam facile illabatur in animos mortalium haec astuta ratio, & quam grauis aduersaria sit grauium, & honestorum virorum, idem etiam prudens & eruditus scriptor demonstrat: illum enim quoq; locum mirifice huic illustrando aptum, transfer-
» re huc volui. Διὸ καὶ τὰ βαναυσότερα καὶ κακίονα προσρήματα ταῖς ἀρεταῖς ἐπιφέροντες αὐτοῦ, διέβαλλον. ὑπεροψίαν τὴν
» σεμνότητα: καὶ παῤῥησίαν, αὐθάδειαν ἀποκαλοῦντες. & quae longius persequitur in eam sententiam.

Οἷον τὸν εὐλαβῆ καὶ εὔψυχον, δειλὸν καὶ ἐπίβουλον.

Ceu cautum & plenum animi, timidum atque insidiosum.

AMBO haec, quae maleuolos fingit: quiq; detrahere volunt, deprauare, in eodem simul cogitari debent: coniuncte enim illa ponit, sicut & ea, quae commutantur. Idem autem cautus in consilijs capiendis, & cum agendum aliquid statuit, magni animi in eo peragendo esse potest. Respondit autem τῷ εὐλαβεῖ, δειλός, & εὐψύχῳ, ἐπίβουλος: quod enim cautus est quispiam: pedetemptimq; proficiscitur, ab inimico timidus ob vicinitatem appellatur: quod autem fortis est, ac fidit sibi ipsi, cum huiuscemodi ingenia aggredi alios consueuerint, a corruptore illius boni, insidiator vocatur: εὔψυχον autem, qui in periculis non pertimescit, appellari manifestum est. Alexander in ij. librum Topicorum, cum locum, qui vocatur ἐκ μεταλήψεως explicaret, affirmauit vulgo etiam homines hanc vafram rationem frequentare: consuetudinemq; sermonis plenam esse huius verborum immutationis: quod cum exemplis confirmare vellet, non nulla
» etiam attulit, quae hic ab Aristotele adiunguntur: inquit enim μεταλαμβάνουσι δὲ καὶ τὸν μὲν πα-
» νοῦργον εἰς τὸν φρόνιμον: τὸν δὲ τολμηρὸν εἰς τὸν ἀνδρεῖον. Cum vero contrarium hominis ingenium eius, quem πρᾶον Graeci, idest mitem mansuetumque appellant, significaret, non vsus est eo verbo, quo hic Aristoteles in eadem natura declaranda: neq; ἀνάλγητον eum vocauit, sed ἀργὸν, & ἀκίνητον,

quod

quod ignauus sit, & iners in depellenda iniuria: nec commoueatur contumelia affectus. Admonuit etiam M. Cicero in Partitionibus, vt hoc caueremus, quid periculi creare posset, nisi accurate prouideremus, significans. Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. Vt nihil autem praetermittam, valde discrepantem inueni antiquissimum librum a reliquis omnibus exemplaribus: ita enim ille habet. οἷον τὸν εὐλαβῆ, ψυχρὸν καὶ ἐπίβουλον: vetus tamen tralatio communem lectionem sequitur.

Καὶ τὸν ἠλίθιον, χρηστόν: καὶ τὸν ἀνάλγητον, πρᾶον.

Et fatuum, bonum virum: & lentum hominem, mitem.

Vt superiora exempla bona, virtutesq; deprauabant, ita haec vitia prauitatesq; exornant: qui enim fatuum, atq; hebetis ingenij hominem (is enim ἠλίθιος est) bonum virum appellat, hic manifesto ornat illum, & ingenij vitium in laudem conuertit. vt etiam, qui stupidum, sine sensuq;, nec non maximas iniurias nimis lente ferentem, mansuetum vocat: ἀνάλγητος enim, qui nihil dolet, est, & qui, quamuis grauiter laedatur, non commouetur. Horatius cum in Satyra, quam supra ostendi, inquit. Communi sensu plane caret, ἠλίθιον (nisi fallor) intellexit: veteres enim quoq; grammatici ἠλίθιον, ἀναίσθητον valere tradunt: nam χρηστὸν simpliciorem vocauit, loquebatur autem de illis, qui bona vitio verterent. Demosthenes pro Ctesiphonte, Thebanorum stoliditatem significare volens (tardi enim admodum ingenij illi habebantur) verbisq; rem amplificare, ἀναλγησίαν & ipse appellauit.

Καὶ ἕκαστον δὲ ἐκ τῶν παρακολουθούντων, ἀεὶ κατὰ τὸ βέλτιστον.

Et vnumquemque ab ijs, quae consequuntur, semper in optimam partem.

Debemvs praeterea, quodlibet ab ijs, quae ipsum consequuntur, capere: vt commune namq; huic quoq; parti, videtur ἀνάπαλιν repetendum. Nouam autem rationem tradit purgandi aliquas res aut homines, & eorum vitia in laudes conuertendi: cum enim naturas quasdam, atq; habitus animi plura consequantur, praecipit, vt è consequentibus ipsis, selectu eorum habito, repudiatisq; prauis, ac reprehensione dignis consequentibus, sumantur, quae commendare personas illas, aut res possint, quas ornare volumus. Qui igitur (vt in exemplis ipsius maneā) iracundi, & insani sunt, hoc pacto aperti ingenij vocabuntur: quia indoles illas, iracundiae, ac furori obnoxias, consequitur simplicitas morum: nisi enim aperti in rebus suis forent, non tam facile irascerentur, neq; leuiori quauis iniuria commouerentur, ac sensus animi sui patefacerent: incommoda enim non parua inde ipsis aliquando exoriri possunt: vt autem, quem videmus pronum in iram, possumus dicere simplicis ingenij: quia haeret, comitaturq; iracundiae naturae bonitas, ita non nulla alia consequuntur, vt asperioribus verbis honestos viros accipere, & multa alia peccare in vita: quamuis diuersa ratione haec consequi videantur. Illa autem cum praua, vitiosaque sint: nec vllo modo alicui laudando accommodata, sunt relinquenda: & id, quod optimum, pro re nata, indoleque illa, capessendum. Eodem etiam pacto contumaciam sequitur magnanimitas, & affectio animi, quae, quod personae suae est ac dignitatis, tuetur. Qui namque magnanimi viri sunt, & in incessu, reliquisq; factis suis decorem custodiunt, contumaces vulgo habentur. Παρακολουθοῦντα hic quae vocet, ipse supra docuit: quae scilicet alicui adiuncta sint: positoque illo & ipsa consequantur: quamuis diuersa ab his etiam, vt copiosius iam expositum est, consequentium genera repperiantur. Praeter ea autem, quae breui illic ab ipso tradita sunt, in analyticis docuit, definitiones rerum aliquarum, rebus, quas euoluunt, hoc pacto comitari: si namque homo est, sequitur animal esse, particeps rationis, mortale: vt propria quoque, ijs quorum propria. ceu homini, ad risum natura eum factum esse. Sed etiam genera certis speciebus comitantur, vt eidem animal: nec non differentiae vocatae, vt quae supra in fine explicationeq; naturae hominis positae sunt, distinguentes ipsum a ceteris animantibus: quamuis posteriora haec duo genera alijs etiam rebus comitentur: cum priora tantum illis ipsis haereant. Haec autem sunt exempla, quibus, in disserendi studio vtuntur.

Οἷον τὸν ὀργίλον καὶ τὸν μανικὸν, ἁπλοῦν.

Veluti iracundum & procliuem ad insaniam, simplicem.

De his, qui vitia in melius trahunt, agit. Horatius - at est truculentior, atq; Plus aequo liber: simplex, fortisq; habeatur: nam facile irasci probi homines, simplicisq; ingenij solent. quod etiam in primo de legibus Cicero, cum de Epicureis hominibus loqueretur, affirmauit. Solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci. Truculentiorem igitur appellarat Horatius, qui admodum irascatur, ac paene insaniat: qui tamen a bono, quod ita eius consequens est, simplex potest vocari. Quod vero μανικὸν inquit, insanū naturaq; furori obnoxium,

intelligens,

intelligens, in primo quoq; libro de arte poëtarum eodem hoc verbo, vſus eſt, ab acuti ingenij viro, aut in furorem prono, poſſe commode pertractari ſtudium illud affirmans: nec non in luculento etiam illo problemete de atra bile, vbi inquit eos, qui copia bilis, & illius quidem calidae, abundant, inſanos & ingenioſos eſſe. Platonis quoq; in Charmide verba ſunt. » Χαιρεφῶν δ' ἅτε καὶ μανικὸς ὤν, ἀναπηδήσας ἐκ μέσων, ἔθει πρός με. Motus autam celeres furentium eſſe, atque inſanorum (quod ſignificare illic Plato videtur voluiſſe) Ariſtoteles quoq; alio in problemate docet, vbi eodem ipſos nomine appellat.

Καὶ τὸν αὐθάδη: μεγαλοπρεπῆ καὶ σεμνόν.

Et contumacem, magnificum, & grauem.

IIDEM etiam, qui vitia in virtutes vertent, contumacem hominem dicent magnificum, ac grandem: grandem enim non ſemel Cicero vocauit, quem Graeci σεμνὸν: vel σεμνὸν, qui neſcio quid auguſti diuiniq;, in ſe habeat. Hinc (vt puto) Athenienſes truculentas deas, furias, εὐφημισμοῦ gratia, σεμνὰς θεὰς appellabant. Quis autem neſcit de hoc etiã queſtum fuiſſe M. Catonem in ſenatu, cum orationẽ habitam a C. Caeſare confutaret? Iam pridem equidem inqut, nos vera rerum vocabula amiſimus, quia bona aliena largiri, liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo vocatur.

Καὶ τοὺς ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς, ὡς ἐν ταῖς ἀρεταῖς ὄντας.

Et illos, qui in exuperantijs ſunt, tamquam ſtent in virtutibus.

VALET etiam multum ad homines ornandos, culpasq; minuendas, qui nimium alicuius rei habeant, dicere mediocrem illam tenere, ac deniq; è ſummo ad medium eos reuocare: exuperantiam enim vitium eſſe conſtat, in medio virtutem ſedem habere. vt rem autem magis explanet, exempla adiungit.

Οἷον τὸν θρασὺν, ἀνδρεῖον: καὶ τὸν ἄσωτον, ἐλευθέριον.

Ceu audacem, fortem: & prodigum, liberalem.

CICERO in Partitionibus paene hunc locum tranſtulit, ſingula certe verba expreſſit. Et libe» ralitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur.

Δόξει τε γὰρ τοῖς πολλοῖς.

Videbitur enim multis.

SI audacem, fortem: prodigum, liberalem appellaris, facile in errorem induces imperitos, qui haec diſtinguere nequeunt: nec nouerunt, qua in re diſcrepet audacia, a fortitudine: effuſio pecuniae, a liberalitate. ad multitudinem autem, in conuentuq; imperitorum hae orationes habebantur. Ἄσωτον appellare Ciceronem luxurioſum, è ij. de finibus perſpicuum eſt, quamuis Graecum etiam verbum & eodem in libro, & in iij. de natura deorum vſurpet. Sed prodigos idem etiam appellat, qui ſunt nimij in pecunijs profundendis: nec ipſe tantum ἀσώτους, turpibus voluptatibus, libidinibusq; deditos valere exiſtimauit, ſed Graeci quoque paſſim ita luxurioſos vocabant: non enim ſimplex erat huius verbi intellectus. cuius cauſam Ariſtoteles in iiij. libro de moribus ad Nicomachum reddidit. Qui enim largos ſumptus faciunt, plerunq; in gutturis ventrisq; vitijs, & alijs obſcenis voluptatibus perditi ſunt, &, dum eas auide ſectantur, patrimonium effundunt.

Καὶ ἅμα παραλογιστικὸν ἐκ τῆς αἰτίας: εἰ γὰρ, ὁ μὴ ἀνάγκη κινδυνευτικὸς: πολλῷ μᾶλλον ἂν δόξειεν, ὅπου καλὸν, καὶ εἰ προετικὸς τοῖς τυχοῦσι, καὶ τοῖς φίλοις.

Simulque vim hoc habet rapiendi in errorem: fallaxque eſt, cauſa allata: ſi namq;, vbi minime opus eſt, ſe obijcit periculis, videretur multo magis, vbi honeſtum eſt: & ſi dilargitur quibuslibet, etiam amicis.

ALIVD etiam tecum faciet, ac rationem tuam adiuuabit: fallacia enim huiuſcemodi ineſt: arbitrantur namque hoc ab eximia quadam virtutis vi proficiſci, quod qui pericula etiam non neceſſaria ſubeant, multo magis cum res poſtularit: praeclarumq; aliquod facinus, ac dignitatis plenum facturi ſunt, pro ſalute aliorum ſe, ac caput ſuum periculis obiecturi ſint. eadem cauſa falſo exiſtimatur ab illis eſſe, quod rem familiarem non nulli temere effundant: credunt enim admirabilis cuiuſdam benignitatis indicium eſſe: nec poſſe fieri putant, vt qui in epulis, ludisq;

pecunias

pecunias profundant, non suis etiam facultatibus tenuitatem amicorum sustentaturi sint, & in multis honestis rebus ipsis opitulaturi. Duobus auté modis decipitur vulgus imperitorum ab oratoribus, qui hoc loco vtuntur: siue quod audaciam, fortitudinem esse credit: & effusionem, liberalitatem: siue quamuis intelligat non recte facere audacem, cum temere pericula nulla honesta de causa subit, neque etiam laudari tunc merito posse prodigum, cum pecuniam improbissimis hominibus dilargitur: quia haec signa esse putat maximarum virtutum. Animaduertenda autem diligenter vis eorum verborum: κινδυνευτικὸν enim appellat, qui natura moribusq; paratus est ad pericula subeunda, vt leui etiam quaq; de causa maximis se offerre numquam dubitet. vt προετικὸν, qui ingenio tali est, vt patrimonium retinere non possit: sed turpibus etiam & abiectis hominibus, nullo discrimine personarum habito, pecunias maximas dilargiatur.

Υπερβολὴ γὰρ ἀρετῆς, τὸ πάντας εὖ ποιεῖν.

Exuperantia enim virtutis, in omnes beneficum esse &c.

NON significat hic ὑπερβολὴ nimium, vt plerumque, sed praestantiam, & quod Graeci alio verbo ὑπεροχὴν vocant. nullo discrimine habito (inquit) omnibus prodesse, ab exuperantia quadam virtutis prouenit: sic enim Cicero in v. libro Tusculanarum quaestionum locutus est. An hoc » non ita fit omni in populo? non ne omnem exuperantiam virtutis oderunt. Dicitur etiam ὑπερβολὴ rerum malarum, ac vitiorum deniq;, cum ipsa ad summum eius generis perducta fuerint, tamquam nihil ipsis amplius addi possit. nam Dhemosthenes ὑπερβολὴν vocauit συκοφαντίας, & τιμωρίας, & Aeschines itidem ὑπερβολὰς βδελυρίας.

Σκοπεῖν δὲ καὶ παρ' οἷς ὁ ἔπαινος: ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν.

Attendere etiam opus est, apud quos aliquis laudetur: quemadmodum enim Socrates inquit, non est arduum Athenienses Athenis laudare &c.

QVINTILIANVS hunc locum expressit: cumque idem, quod philosophus praeciperet, animaduersum illud antea ab hoc auctore tradit: qui tamen primum Socratem hoc admonuisse docet: dixerat enim ille nihil negotij esse Athenienses Atheniensibus laudare. Sed si Lacedaemonij fuerint, qui audiunt, summo oratore opus esse. Res autem tota in sermone quem Me- » nexenum inscripsit Plato, exposita est. Quintiliani verba haec sunt. Interesse tamen Aristoteles putat, vbi quidquid laudetur, aut vituperetur. nam plurimum refert, qui sint audientium mores. quae publice recepta persuasio: vt illa maxime, quae probant, esse in eo qui laudabitur credant: aut in eo, contra quem dicimus, ea quae oderunt.

Δεῖ δὲ τὸ παρ' ἑκάστοις τίμιον ὂν λέγειν, ὡς ὑπάρχει, οἷον ἐν Σκύθαις, ἢ Λάκωσιν, ἢ φιλοσόφοις.

Oportet autem, quod apud singulos honorem consequutum est, dicere ipsum tamquam in eo sit, vt apud Scythas, aut Laconas, aut apud studiosos sapientiae.

HOC etiam omittere non debet, qui bene hoc genus tractare: & quam ornandam rem suscepit, augere vndique vult. quod scilicet in honore apud aliquam gentem est, honore dignum sua vi dicere. Non nullae enim artes, ac studia in pretio sunt quibusdam in locis, quae alibi despiciuntur, & in nulla reliquorum hominum existimatione sunt. praeclarius autem esse quod sua vi tale est, quam quod iudicio hominum, constat: addit autem, vt cui honor habetur apud Scythas, aut Laconas, tamquam apud omnes absoluteq; τίμιον proponere: & vt apud gentem aliquam, ac populum, ita etiam hominum genus, atque ordinem, vniuersosque demum, qui ijsdem studijs tenentur: ijsdem enim plerunque opinionibus imbuti sunt. Isocrates quoque videtur hoc verbum eodem pacto cepisse, cum in proaemio laudationis Helenae inquit. πολὺ καταδεέστερον τῶν ὑπαρχόντων ἅπαντες εἰρήκασι. non potuerunt penitus naturam eorum exprimere. ac multo deterius, quam res illae sint, de ipsis verba fecerunt.

Καὶ ὅλως δὲ, τὸ τίμιον ἄγειν εἰς τὸ καλόν: ἐπείπερ δοκεῖ γειτνιᾶν.

Et omnino, quod honoratur, traducere ad honestum, quia existimatur vicinum esse &c.

DEMVMQVE, vt facilius quod vis ornes, quod honore dignum est, de eo, tamquam de honesto loqui: & grauiore hoc nomine ipsum appellare: id enim est traducere τίμιον ad καλόν. Hoc

autem

autem nullo negotio propter vicinitatem (inquit) facere poteris: non magnum enim interuallum inter ipsa interiectum esse creditur. Idem tamen omnino illa non esse tradit hic aperte Aristoteles: si enim idem forent, non oporteret alterum quasi loco mouere, & ad alterum comportare. Nec tamen me latet interpretem librorum de animo, qui Simplicius nunc esse existimatur, censere res honestas & honorandas easdem esse re: cogitationeq; tantum inter se differre: arbitratur enim ille omne, quod honore dignum est, honestum etiam esse: contraque omne quod honestum, idem quoq; honore dignum: honestum autem dici ea ratione, qua amabile est, & allicit animos hominum, vt propter se expetendum: honorandum vero, quod habeat in se granditatem, ac praestet multis alijs rebus, vt concedant ipsi atque inferiora se fateantur, cuncta ea, quibus illud est τίμιον.

Καὶ ὅσα κατὰ τὸ προσῆκον. οἷον εἰ ἄξια τῶν προγόνων: καὶ τῶν προϋπηργμένων.

Et quaecunque ipsum decebant. veluti si digna maioribus suis: & quae congruant rebus, antea ab ipso gestis.

QVAECVNQVE etiam quempiam decebant: atq; ab eo, vt generi, ac disciplinae, factisque ipsius conuenientia expectabantur, honesta illi sunt. Rem autem explanare volens, inquit. ceu si gessit res dignas maioribus suis, & quae respondeant veteribus ipsius, laude dignis, factis. Quintilianus libro ij. Ante hominem patria, ac parentes, maioresq; erunt. quorum duplex tractatus est: aut enim respondisse nobilitati, pulchrum erit: aut humilius genus illustrasse factis. Respondere igitur nobilitati maiorum dixit, quod Aristoteles hic ἄξια τῶν προγόνων ποιεῖν. προϋπηργμένα vero vocat, res antea virtute alicuius studioq; possessas. laudes, quas sibi quispiam labore suo comparauerit. Demosthenes pro Ctesiphonte, ὑπάρχοντα vocauit res prius acquisitas hoc pacto, a priuatis hominibus, ciuitatibusq;, ac praeterita denique facta: adsunt enim iam ipsa, & in possessione reliquorum bonorum numerantur, scribens: καὶ γὰρ ἄνδρα ἰδίᾳ: καὶ πόλιν κοινῇ, πρὸς τὰ κάλλιστα τῶν ὑπαρχόντων ἀεὶ δεῖ τὰ λοιπὰ πειρᾶσθαι πράττειν.

Εὐδαιμονικὸν γὰρ καὶ καλὸν τὸ προσεπικτᾶσθαι τιμήν.

Valet enim ad vitam beatam, & honestum est augere veterem honorem.

HIS verbis causam huius rei affert: &, cur id honestum sit, docet: est enim beatum inquit honestumque, parto iam honori honorem nouum aggregare. vnde intelligere licet voluisse ipsum res, quas supra significauit, praeclaras & honore dignas fuisse: tam enim ὑπάρχοντα sunt res turpes, quam honestae: improba enim quoque facta, ac maculae susceptae in vita vocari ita possunt.

Ἢ εἰ παρὰ τὸ προσῆκον, ἐπὶ τὸ βέλτιον καὶ τὸ κάλλιον.

Aut si praeter id, quod decebat, ad meliorem partem & honestiorem.

AVT si quippiam etiam egit praeter id, quod decebat: in meliorem tamen partem, & honestiorem. Necessario autem addit, ἐπὶ τὸ βέλτιον καὶ τὸ κάλλιον: potest enim facere aliquis παρὰ τὸ προσῆκον, ἐπὶ τὸ χεῖρον, idest in peiorem partem, ac deteriorem: cuius culpae Thais in Eunucho insimulat Chaeream his verbis. Non te dignum Chaerea fecisti: nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus, qui faceres tamen. Vt Pyrrhus quoq; apud Latinum epicum, obtruncans Priamum, qui idem ipsi obiecerat. Referes ergo haec, & nuntius ibis, Pelidae genitori, illi mea tristia facta. Degeneremq; Neoptolemum narrare memento. Idem comicus videtur, quod Graecis est παρὰ τὸ προσῆκον, expressisse, cum induxit senem ita loquentem. Labori meo non parcens. praeter aequum & aetatem. Quintilianus supra spem dixit, aut supra expectationem: vt loco, qui non multo post a me adducetur, planum fiet.

Οἷον εἰ ὁ εὐτυχῶν μὲν, μέτριος: ὁ δὲ ἀτυχῶν, μεγαλόψυχος.

Veluti si, cum res eius bonae forent, moderatus fuit: & cum malae, magnanimus.

CVIVS res secundae sunt, si facilis, moderatusq; est, facit παρὰ τὸ προσῆκον. vt etiam, qui aduersa fortuna vtitur, si magnum animum retinet: neq; tamen praue facere hi dici possunt, aut hoc sensu παρὰ τὸ προσῆκον se gerere intelliguntur, sed quod magnitudo animi raro admodum inueniatur in ijs, quorum res malae sunt, nec expectari ab ipsis, ac iure optimo requiri possit, propter imbecillitatem humanae naturae, aut morum facilitas in fortunatis. quod eleganter eruditeque Terentius expressit in Hecyra, cum inquit. Profecto hoc sic est, vt puto. Omnibus nobis

nobis vt res dant sese, ita magni, atq; humiles sumus. quin contra res laudem habet, & eam quidem non paruam. Id autem declarauit quoq; Cicero, cum laudes Gn. Magni exponeret, eleganti hac comprehensione verborum. Vt is, qui dignitate principibus excellit, facilitate infimis par esse videatur. Flaccus vtrunq; Aristotelis exemplú complexus est in Lyrico carmine. Aequam memento rebus in arduis Seruare mentem: non secus in bonis, Ab insolenti temperatam Laetitia, moriture Delli. Varietatis hoc est in antiquissimo libro, quod οἷον εὐτυχῶν μὲν, μέτριος: ἀτυχῶν δὲ, & quae sequuntur, ille habet: tamquam de vno aliquo semper sermo sit, qui varia fortuna vtatur: & nunc, fortunatus: nunc, infelix sit.

Ἢ μείζων γιγνόμενος, βελτίων καὶ καταλλακτικώτερος.

Vel maior factus, melior & placabilior.

Avt auctus opibus dignitateq;, melior placabiliorque sit: contra enim plerunq; euenire consueuit: vt qui ampliorem fortunam sint nacti, improbiores contumacioresq;, & in vlciscendis inimicis duriores sint.

Τοιοῦτον δὲ τὸ τοῦ Ἰφικράτους, Ἐξ οἵων εἰς οἷα. καὶ τὸ τοῦ ὀλυμπιονίκου. Πρόσθε μὲν ἀμφ' ὤμοισιν ἔχων τραχείαις.

Huiuscemodi autem est illud Iphicratis, E qualibus in qualia. & victoris olympiorum. Antea quidem in dorso gestans asperam.

Hvnc intellectum quoq; habet (inquit) vox haec Iphicratis, cum admirans ille incredibilem mutationem fortunarum suarum, & in quem dignitatis gradum ex quam humili condicione vitae, venisset, clamauit. E quibus in quas res. Hoc quoq; contrario sensu vsurpauit Porphyrius initio librorum, quos scripsit ad Castricium Firmum, de non caedendis animantibus: increpuit enim ita hominem, quod veterem consuetudinem victus: disciplinamque traditam ab optimo magistro, diuinoq; viro Plotino, post interitum ipsius abiecisset, dicens. ἐξ οἵων εἰς οἷα μεταβέβηκας. Quae ad explicationem consequentis exempli excogitare potui, supra posui.

Καὶ τὸ τοῦ Σιμωνίδου. Ἢ πατρός τε καὶ ἀνδρὸς, ἀδελφῶν τ' οὖσα τυράννων.

Et illud Simonidis. Quae patrem habui, & virum, & fratres principes.

Locvs, nisi totum carmen inueniretur, obscurissimus, qui tamen nunc scrupulum nullum habet. est autem apud Thucydidem in vj. libro historiarum: narrat enim Hippiam, Athenarum regem, in matrimonium collocasse Archedicam filiam Aeantidi Hippocli filio, qui Lampsaci regnabat: vt affinitate opulentissimi hominis, & qui multum apud Darium, Persarum regem, gratia valeret, statum suum stabiliret: ipsiusq; mulieris sepulchrum Lampsaci esse, in quo hi quattuor versus incisi sint.

» Ἀνδρὸς ἀριστεύσαντος ἐν Ἑλλάδι τῶν ἐφ' ἑαυτοῦ. Ἱππίου Ἀρχεδίκην ἥδε κέκευθε κόνις.
» Ἢ πατρός τε καὶ ἀνδρὸς, ἀδελφῶν τ' οὖσα τυράννων. Παίδων τ', οὐκ ἤρθη νοῦν ἐς ἀτασθαλίαν.

Laudatur igitur merito Archedice, quae cum tam fortunata mulier esset, vt filia, coniux, soror, mater regum foret, insolentior facta non est: neq; animos vmquam ob tam eximia, ac rara bona improbe extulit.

Ἐπεὶ δ' ἐκ τῶν πράξεων ὁ ἔπαινος: ἴδιον δὲ τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν, πειρατέον δεικνύναι πράττοντα κατὰ προαίρεσιν.

Quia autem e rebus gestis proficiscitur laus: proprium autem est studiosi viri facere delectu rerum habito, enitendum est ostendere delectu habito fecisse.

Mvltvm valet ad aliquem ornandum: quod boni fecit, ostendere eum studio, ac diligenti eius rei animaduersione fecisse. Cum igitur quempiam laudamus, operam dare debemus, vt eum doceamus non temere fecisse, sed, vt res gesta ab eo est, ita gerere semper eum cogitasse, ac voluisse. hoc praecipiens Aristoteles, & ex rebus, a se iam explicatis ducens, quia (inquit) ex factis existit laus, proprium autem est studiosi viri, quod facit, facere selectu omnium rerum habito, danda est opera, vt ostendamus eum, quem laudamus, re diligenter prouisa, electioneque fecisse. Illa autem prima, vt certa ponit: ex quibus hoc, quod adiungit, manifesto consequitur: adiungit enim, & est ἀνταπόδοσις illius ἐπεὶ, enitendum esse, vt ostendatur, re antea diligenter perspecta: sumptoq; meliori, ac peioribus reiectis, eum egisse.

Χρήσιμον δὲ τὸ πολλάκις φαίνεσθαι πεπραχότα.

Valet autem ad hoc multum, intelligi saepe ipsum fecisse.

VT facilius probetur quispiam non temere & casu, sed adhibito iudicio, ac selectu rerum fecisse, proderit multumq; valebit, videri id illum crebro fecisse: quae enim saepenumero fiunt, non fortuito accidere existimari possunt: fortuna enim & casus non versantur in rebus, quae plerunque fiunt.

Διό, καὶ τὰ συμπτώματα, καὶ τὰ ἀπὸ τύχης, ὡς ἐν προαιρέσει, ληπτέον.

Vnde, quae casu euenerunt, & a fortuna profecta sunt, sumere debemus, tamquam gesta electione.

QVOMODO imponere possimus ijs, qui audiunt, docet: omnia enim temptare conceditur oratori, vt faciat fidem. Colligere igitur debemus, siquid etiam casu, forteq; recte ab eo vmquam factum est. Ea autem de causa cupiebat C. Cassius veteres quasdam suas cogitationes, dignitatis plenas, quarum conscius erat M. Cicero ab ipso diuulgari, vt, quae postea honeste fecisset, consilio, ac ratione facta viderentur. Haec verba Cassij ipsius sunt in epistola, quam scripsit ad Ciceronem. Vt haec nouissima nostra facta, non subita, nec inconuenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices. Quae autem συμπτώματα vocat, & quae ἀπὸ τύχης extare dicit, ita inter se discrepant. σύμπτωμα est, cum quopiam aliquid agente, & quod nihil ad rem, quae interuenit, faciat, extrinsecus quippiam excitatum, contingit. exempli gratia deambulante illo solem deficere: ἀπὸ τύχης vero, cum quopiam aliquid agente, alicuius rei gratia, aliquid ex eo actu praeter propositum euenerit. vt scrobem facientem, vt arborem serat, thesaurum defossum inuenire.

Αν γὰρ πολλὰ καὶ ὅμοια προφέρηται, σημεῖον ἀρετῆς εἶναι δόξει καὶ προαιρέσεως.

Si namque multa & similia prolata fuerint, signum virtutis esse videbitur, & delectus habitus rerum.

VTILITATEM huius rei ostendit, dicens. Si enim multa atq; his, quae laudamus, similia, prolata fuerint, signum virtutis illa esse videbuntur: idest indicare occultam virtutem, vnde manent: atq; inde omnino proficisci: &, vt virtutis, ita etiam electionis, nota erunt. multa autem, quia vnum, aut alterum eam vim non haberent, vt credi prima illa ea de causa, facta consilio deberent: fortuito enim tam pauca eodem pacto euenire potuissent. similia vero, quia dissimiles res, multae etiam facile credi possent, casu recte gestae esse.

Εστι δ' ἔπαινος, λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς.

Est autem laus oratio, quae patefacit magnitudinem virtutis.

APHTHONIVS quoq; sophistes ἔπαινον definijt, atq; ἐγκώμιον: &, quid inter se distare putet, exposuit: copiosius autem Menander rhetor, qui cum plures diuersorum definitiones attulisset, hanc etiam laudis ijsdem verbis exposuit. quamuis auctoris ipsius mentionem nullam fecerit. nam, quod ad alterum pertinet, ait. ἐγκώμιον δὲ λόγος ἐμφανίζων πράξεις καλάς. Laus igitur (inquit Aristoteles) est oratio, quae aperit, & ignotam alijs, declarat, magnitudinem virtutis. λόγος autẽ genus ipsius est. quod & ex hoc loco manifesto percipitur, & ab Alexandro quoq; traditum est: cuius haec verba sunt in iiij. librum Topicorum. ἀλλὰ καὶ ὁ λόγος, γένος ὢν τοῦ ἐπαίνου. & quae sequuntur.

Δεῖ οὖν τὰς πράξεις ἐπιδεικνύναι, ὡς τοιαῦται.

Opus est igitur actiones ostendere tales esse.

VT abditam virtutem significare detegereq; laus queat, & ille, qui laudatur, optimo eo habitu credatur esse ornatus, demonstrare oportet facta ipsius a virtute profecta. eo autem hic verbo vsus est, a quo genus ipsum, de quo nunc agit, nominatum est: ἐπιδεικτικὸν enim vocatur.

Τὸ δ' ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστίν.

Laudatio autem operum est.

LAVDATIONEM ἐγκώμιον appellarunt Latini. rationem eius nominis explicauit Aphthonius: dictũ enim vult, quod ἐν κώμαις, idest pagis, priscis temporibus haberi orationes hae solitae sint,

quae praeclare facta alicuius ac laudes continerent: aliae tamen plures a veteribus grammaticis afferuntur: κώμην enim quoq; vrbis partem: locumq; intra moenia esse docuit Pollux, a qua & κῶμον appellatum, & ἐγκώμιον, putauit, quod canere morem haberent, cum victoriam consecuti forent.

Τὰ δὲ κύκλῳ, εἰς πίστιν.

Quae vero, tamquam orbem faciunt, valent ad fidem faciendam.

QVAE κύκλῳ vocet, ipse met declarat: vt honestis parentibus natum esse: sancte domi educatum: bonam disciplinam a magistris accepisse: & huiusmodi alia, quae quasi orbem conficientia, & rem cingentia, ad comprobandam illam assumuntur. Eodem pacto locutus est in iij. libro de morib. ad Nicomachum, cũ finem fortitudinis suauem propter se esse diceret: omnem tamen voluptatem, quae inde percipitur, extingui, ac deleri a rebus, quae longe ab ea virtute abesse non possunt, sed tamquam ipsam vndiq; circunstant. Sunt autem ea, pericula, labores, vulnera, nèces, sine quibus virtus illa non exercetur. Verba ipsius haec sunt, » οὐ μὴν ἀλλὰ δόξειεν ἂν εἶναι τὸ κατὰ » τὴν ἀνδρείαν τέλος, ἡδύ: ὑπὸ τῶν κύκλῳ δὲ ἀφανίζεσθαι.

Οἷον εὐγένεια, καὶ παιδεία.

Veluti nobilitas, & disciplina.

CICERO in Partitionibus paene hunc locum expressit. Sed in toto quasi contextu orationis » haec erunt illustranda maxime: quemadmodum quisq; generatus: quemadmodum educatus: » quemadmodum institutus moratusq; fuerit.

Εἰκὸς γὰρ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὺς: καὶ τὸν οὕτω τραφέντα, τοιοῦτον εἶναι.

Verisimile namq; est è bonis bonos: atq; eum, qui ita educatus est, talem esse.

VERISIMILE enim est è bonis parentibus nasci bonos filios: atq; ita eductum, huiuscemodi esse, ac respondere educationi, curaeq;, in eo instituendo, susceptae. Horatius in iiij. libro car» minum, exemplo quoq; multarum beluarum hoc confirmat. Fortes creantur fortibus, & bo» nis. Est in iuuencis: est in equis patrum Virtus: nec imbellem feroces Progenerant aquilae » columbam. In primo quoq; libro de rep. (inquit) vulgo homines existimare quemadmodum homo ex homine: & belua è belua procreetur, ita ex probis parentibus probum filium generari: referri vero hoc ad nobilitatem: vt, quod sequitur, ad institutionem, apertum est.

Διὸ καὶ ἐγκωμιάζομεν πράξαντας.

Quare in laudationibus celebramus eos, qui iam gesserunt.

CONFIRMAT hoc (inquit) mos & institutum nostrum: consueuimus enim accurata oratione ornare eos, qui quippiam iam gesserunt: quod declarat, ἐγκώμιον esse τῶν ἔργων. Id etiam in primo libro de moribus ad Nicomachum protulit, vbi quaerit, vtrum laude, an honore digna sit » vita beata: non nulla enim tangit, quae his, quae hic traduntur, mirifice conueniunt. ὁ μὲν γὰρ » ἔπαινος (inquit) τῆς ἀρετῆς: πρακτικοὶ γὰρ τῶν καλῶν ἀπὸ ταύτης: τὰ δ᾽ ἐγκώμια τῶν ἔργων: ὁμοίως καὶ τῶν » ψυχικῶν καὶ σωματικῶν: vocauit autem ambobus his locis ἔργα, facta πράξεις q;: planum enim est facta, quae a virtute proficiscuntur, non eius esse generis, quae visuntur, ac permanent. Eos autem, qui ita quippiam gesserunt, manifesto docet exornari, & ἐγκωμίῳ celebrari. In ij. quoque » libro de moribus ad Eudemũ idem tradidit. ἔτι δ᾽ οἱ ἔπαινοι τῆς ἀρετῆς διὰ τὰ ἔργα: καὶ τὰ ἐγκώμια τῶν » ἔργων: καὶ στεφανοῦνται οἱ νικῶμενοι, ἀλλ᾽ οὐχ οἱ δυνάμενοι νικᾶν: μὴ νικῶντες δέ. Est igitur commune vocabulum ἔργον, & his, quae restant, ac conspici possunt: & his, quae praetereunt, & intelligentia tantum comprehenduntur. Eandem enim rationem esse puto diuturnorum operum, quae proprio nomine ἔργα vocantur: cum enim illa quoque, si eximia sint, ab habitu animi proficiscantur, cui merito laus tribui debeat: quia tamen adhuc ignoretur, non ante celebratur, quam illa conspecta fuerint. Simulacro autem Iouis viso, praeclarisq; alijs ipsius operibus, recte Phidias celebrari potuit: qui antea quoq; multis laudibus latus esset, si intelligi ab hominibus potuisset habitum eum Phidiam habere.

Τὰ δ᾽ ἔργα σημεῖα τῆς ἕξεως ἐστίν.

Opera autem sunt signa habitus.

HIC quoq; ἔργα manifesto complectitur πράξεις: factaque, quae ab aliqua virtute prouenerint. Docet autem eos, qui laudationem alicuius conficiant, spectare, quae gesserit, non tantũ rebus ipsis

ipsis delectatos, sed quia indicio illae argumentoq; sint virtutis, quae in ipsis vigeat: virtus enim est, quae nos maxime capit: quod multa huiuscemodi efficere potest: nam virtus etiam ipsa ob id amatur, quia multa praeclara & honesta facta gignit. In problematibus quoque, vbi, quae harmoniae sunt, quaerit, inquit: αἱ δὲ πράξεις, ἤθους σημασία ἐστί. Significant nobis demonstrantq; naturam, atq; indolem alicuius, facta ipsius.

Ἐπεὶ ἐπαινοῖμεν καὶ μὴ πεπραγότα, εἰ πιστεύοιμεν εἶναι τοιοῦτον.

Laudaremus namque illum quoque, qui nihil gessisset, si crederemus esse talem.

QVIA non parum homines ornare se intelligunt, quos laudant: nec effundere hunc honorem temere volunt, diligenter animaduertunt, quibus laudes tribuant: &, ne facile fallantur, eos tantum laudant, qui praeclarum aliquod, ac memorabile facinus fecerunt: nec tamen, si ab ipsis quaeratur, eos tantum laude dignos putant, qui iam fecerunt, sed qui eo habitu animi sunt, vt cum occasio detur, recte strenueq; facturi sint. verum, quia simulant saepe homines, ne indignos laudent verentes, morem habent laudare, quos sciunt iam honeste se, strenueq; in aliquo negotio gessisse.

Μακαρισμὸς δὲ καὶ εὐδαιμονισμὸς, αὐτοῖς μὲν, ταυτά: τούτοις δὲ, οὐ ταυτά.

Macarismus & eudaemonismus inter se collati ijdem sunt: cum his autem non ijdem.

QVATTVOR nomina in consuetudine Graeci sermonis sunt ἔπαινος, ἐγκώμιον, μακαρισμὸς, εὐδαιμονισμὸς. de duorum primorum vi, antea locutus fuerat: de reliquis nunc disserit: ante omniaq; docet res, quae ipsis significantur, inter se nulla in parte discrepare, sed vnum idemque valere μακαρισμὸν & εὐδαιμονισμὸν: superiorum tamen illorum notiones horum dissimiles esse: idest laudis, & encomij.

Ἀλλ' ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία τὰς ἀρετὰς, καὶ ὁ εὐδαιμονισμὸς περιέχει ταῦτα.

Sed quemadmodum beatitudo virtutem, ita eudaemonismus continet haec.

QVID discriminis sit inter εὐδαιμονισμὸν, ἔπαινον, & ἐγκώμιον docet (nihil enim prohibet haec verbis Graecis appellare) affirmatq; superiorem esse dignitate εὐδαιμονισμὸν: complectique eum, ἔπαινον, atque ἐγκώμιον: non secus atque εὐδαιμονία ipsa, beatitudoque virtutem complectatur. Animaduertendum autem est ipsum statim, quod supra exposuerat, seruare: tradiderat enim μακαρισμὸν & εὐδαιμονισμὸν vnum idemq; esse. quare, altero relicto, dicit εὐδαιμονισμὸν in se clausam, & laudem, & laudationem habere. μακαρίζειν, vel εὐδαιμονίζειν est beatum aliquem ac felicem appellare. Terentius ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, cum induxit Bacchidem meretricem ita Antiphilam alloquentem. Equidem te mea Antiphila laudo, & fortunatam iudico, vim horum verborum (nisi fallor) expressit. Sententia (vt opinor) haec est. cùm vere quempiam felicem dicimus, necessario laudes ipsius in eo complectimur, & quasi de rebus ab ipso recte factis integram orationem habemus, quod ἐγκώμιον dicitur: quae enim persona capax est, vt ita dicam, εὐδαιμονισμοῦ, illa eodem tempore ἐπαίνῳ ornatur, &, quod maius etiam est, ἐγκωμίῳ. verba igitur illa καὶ ὁ εὐδαιμονισμὸς περιέχει ταῦτα, hoc significant: ταῦτα enim, vt ostendi, ἔπαινον & ἐγκώμιον vocat, de quibus supra disseruerat. argumento autem ab analogia ducto, hoc probauit: vt enim (inquit) beatitudo necessario virtutes in se continet, ita & εὐδαιμονισμὸς necessario & laudem in ἐγκώμιον includit. maius autem quid, praestantiusq; esse εὐδαιμονισμὸν laude, declarat etiam ipse in primo libro de moribus ad Nicomachum: cum enim praestantissimam deorum naturam non laude ornare moris sit, sed beatam vndique praedicare: vt homines etiam, qui diuina in se bona habeant, vis huius rei, & quantopere praestet superiori, liquido intelligitur.

Ἔχει δὲ κοινὸν εἶδος, ὁ ἔπαινος, καὶ αἱ συμβουλαί.

Habent autem communem formam laus, & suasiones.

QVOD nunc praecipit, huiuscemodi est: demonstratiuum dicendi genus habere hanc partem communem cum deliberatiuo: vt ex praeceptionibus laudationes fieri possint: contraq;, non valde verbis immutatis, laudationes in praeceptiones conuerti. Ipse quomodo haec verborum commutatio fieri debeat, exponit.

Ἃ γὰρ ἐν τῷ συμβουλεύειν ὑπόθοιο ἂν, ταῦτα μετατεθέντα τῇ λέξει, ἐγκώμια γίνεται.

Quae namque in suadendo poneres, haec immutatis verbis laudationes fiunt.

NON omnia, quae aliquibus consilia dantur, conuerti in laudem posse dicit: dantur enim quoq; consilia praua, ac nefaria. sed quae vtiliter quispiam praecipiens, & ad vitam honeste ducendam dirigentia, suadet facere: hoc enim est ὑποθέσθαι. Non cuncta igitur, ad quae impellunt, sed recta tantum praecepta transferent in laudem: & hoc est, in quo conueniunt inter se laudes, ac suasiones, quae multis rebus diuersae sunt, ac diuersos etiam fines habent.

Ἐπεὶ οὖν ἔχομεν, ἃ δεῖ πράττειν, καὶ ποῖόν τινα εἶναι, δεῖ ταῦτα, ὡς ὑποθήκας λέγοντας, τῇ λέξει μετατιθέναι, καὶ στρέφειν.

Quia igitur tenemus, quae oportet agere, & qualem itidem esse, oportet haec, tamquam praeceptionem dicentes, verbis immutare, & torquere.

QVIA (inquit) iam virtutes hominum explicatae sunt: quaeq; oporteat probum, vtilemque reip. ciuem agere: quibusq; moribus ipsum informatum esse deceat: tenemus (quae cognitio laudibus alicuius celebrandis accommodata est, ac formam illam conficit) cum haec ipsa, vt praeceptiones tractare volumus, oportet aliquantulum illa variare, quod ad verba tamen potius, quam ad sententiam eorum valeat. transpositis autem ipsis contortisq;, & ex laudatione praeceptio, & ex praeceptione laudatio conformabitur.

Οἷον ὅτι οὐ δεῖ μέγα φρονεῖν ἐπὶ τοῖς διὰ τύχην, ἀλλὰ τοῖς δι' αὑτόν. οὕτω μὲν οὖν λεχθὲν ὑποθήκην δύναται.

Ceu non decet hominem multum sapere, ob ea, quae a fortuna, sed ob ea, quae suo studio. sic igitur editum, valet praeceptionem.

CVM exemplo rem explanare vellet, hoc posuit: vt non decet magnos spiritus gerere ob bona, quae accepta sunt a fortuna, verum ob illa, quae posita in se ipso sunt: ita enim conformata (inquit) haec sententia, praeceptionem valet.

Ὡδὶ δ' ἔπαινον. μέγα φρονῶν, οὐ τοῖς διὰ τύχην ὑπάρχουσιν, ἀλλὰ τοῖς δι' αὑτόν.

Sic autem laudem. Multum sibi placens, non ob ea, quae ipsi aderant a fortuna, sed ob ea, quae suo studio.

HOC auté modo laudem refert: Magnos gerens spiritus non ob ea, quae beneficio fortunae obtinuerat, verum ob ea, quae in se constituta habebat. Exemplum vero ab Isocrate acceptum videtur: ipsius namq; haec verba sunt in luculenta illa oratione, qua Cypri regẽ, Euagoram mortuum ornauit. μέγα φρονῶν οὐκ ἐπὶ τοῖς διὰ τύχην, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς δι' αὑτὸν γινομένοις ἀγαθοῖς.

Ὥστε ὅταν ἐπαινεῖν βούλει, ὅρα τί ἂν ὑπόθοιο: καὶ ὅταν ὑποθέσθαι, ὅρα τί ἂν ἐπαινέσειας.

Quapropter cum laudare volueris, vide, quid praeciperes: & cum praecipere, vide, quid laudares.

PRAECEPTVM dat, quod aperit, quomodo tractari res debeat: & ex altero in alterum genus transiri. Quare (inquit) cum tibi proponis quempiam laudandum, tecum ipse cogita, si tibi danda forent alicui praecepta ad vitam honeste degendam, quid nam ei potissimũ praeciperes: contraq; cum praeceptiones dare vis, attende, ob quae nam facta aliquem laudares. quod si hoc diligenter animaduerteris, numquam laboraris, sed facile vtriq; muneri satisfacies: tanta est affinitas, coniunctioq; horum diuersorum generum hac ipsa in re.

Ἡ δὲ λέξις ἔσται ἀντικειμένη ἐξ ἀνάγκης: ὅταν τὸ μὲν, κωλῦον: τὸ δὲ, μὴ κωλῦον, μετατεθῇ.

Locutio autem necessario opposita erit, cum id, quod vetat: atque id, quod non, immutatum fuerit.

DICTIO sane ipsa & elocutio necessario contraria erit, cum id, quod immutatur ex vetante in non vetans, conformatũ fuerit: vt in superiore exemplo contigit: cum enim sententia illa, vt suasio praeceptioq; prolata fuit, prohibebat: aiebat enim non oportere quemquam valde sibi placere ob ea commoda, quae beneficio fortunae consecutus foret: cũ vero, vt laus, non vetabat,

aut prohibebat. In huiuſcemodi igitur rebus fieri non poteſt, quin locutio oppoſita ſit: altera enim negat: altera ait.

Χρηστέον δὲ καὶ τῶν αὐξητικῶν πολλοῖς. οἷον εἰ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μετ' ὀλίγων, ἢ καὶ ὁ μάλιστα, πεποίηκε: ἅπαντα γὰρ ταῦτα καλά.

Utendum autem eſt & multis eorum, quae vim habent amplificandi. ceu ſi ſolus, vel primus, vel cum paucis, vel ſupra ceteros fecit: cuncta enim haec honeſta ſunt.

LICEBIT etiam (inquit) multis vti eorum, quae amplificandi vim habent, vt ſi ſolus, vel primus id geſſit: aut paucos habet eius facti ſocios, aut etiam potiſſimum ipſius in eo virtus enituit: cuncta enim haec honeſta & dignitatis plena. Hanc etiam partem accurate pertractat auctor rhetorices ad Alexandrum. Quintilianus quoq; manifeſto hinc ſententias illas expreſſit. » Dum ſciamus gratiora eſſe audientibus, quae ſolus quis, aut primus, aut certe cum paucis, fe- » ciſſe dicetur. ſi quid praeterea ſupra ſpem, aut ſupra expectationem. Cum igitur res praeſta- biles ſua vi, magnitudineq;, non habebunt oratores, hoc pacto extollere illas amplificareque poterunt: haec enim omnia vim habent augendi: vnde αὐξητικὰ vocata ſunt.

Καὶ τὸ ἐκ τῶν χρόνων, καὶ τῶν καιρῶν: ταῦτα δὲ παρὰ τὸ προσῆκον.

Et a temporibus etiam, & occaſionibus: haec autem ſupra id, quod inde expectari poterat.

NON parum quoq; res ita augentur, ſi doceas eum, quem laudas, & temporibus illis praeclarum id facinus feciſſe, cum tale auxilium ab nemine alio expectabatur: & occaſionem etiam nactum, cum plurimum id prodeſſe poſſet, hoc eſt, niſi fallor, a temporibus, & opportunitate, occaſioneq; rem aliquam augere. Sed, vt in alio genere virtutis id explicemus, ſi qui benigne cuipiam fecit, liberalitate ea vſum docemus difficillimis temporibus. cumq; ille premeretur egeſtate omnium rerum, aut duceretur a creditoribus, augemus beneficium eodem pacto, & a temporibus, & a cardine illius negotij adminiſtrandi. Haec autem (inquit) huiuſcemodi ſunt. Si id factum eſt contra quã expectari poterat, ac maior pars hominum feciſſet. In communi enim difficultate pecuniae videmur ſine culpa deeſſe poſſe laboranti: non pauciq; in perditis ipſorum rebus, tunc deſerunt amicos.

Καὶ εἰ πολλάκις τὸ αὐτὸ κατώρθωκε: μέγα γὰρ, καὶ οὐκ ἀπὸ τύχης, ἀλλὰ δι' αὐτὸν ἂν δόξειε.

Et ſi ſaepe idem recte geſſit: magnum enim & non fortuito factum, ſed opera & ſtudio ipſius videri poſſet.

AVGET etiam laudem alicuius, ſi oſtendere poſſumus, crebro eum idem recte feciſſe: magnum enim & arduum eſt, rem aliquam praeclaram ſaepe ad exitum perduxiſſe, nec videri poteſt id temere caſuq; factum: fortuna enim, quae leuis inconſtansq; eſt, non eidem ſemper ſe comitem praebere, & eius praua conſilia dirigere, ſolet. de hoc etiam ſupra diſſeruerat, cum quae inconſiderate geſta ſunt videri poſſe (inquit) conſilio facta, ſi ſaepenumero facta demonſtrentur.

Καὶ εἰ τὰ προτρέποντα καὶ τιμῶντα, διὰ τοῦτον εὕρηται. καὶ κατεσκευάσθη.

Et ſi quae impellunt & exacuunt: quaeque honeſtant, per hunc inuenta ſunt, & conſtructa.

AMPLIFICAT quoq; virtutem alicuius, ſi quae, vt incitent homines ad pericula ſubeunda: ad labores ſuſtinendos: ad honeſtum aliquod ac praeclarum facinus imitandum, aut eos, qui haec fecerint, ornant, inuenta ſunt ad eum ipſum ornandum: nec ante, quam ille hoc auderet, fuerant: declarant enim homines mirifice eo facto delectatos eſſe, ac iudicaſſe rem illam vtilem, ac ſalutarem fuiſſe, poſtquam ipſis in mentem venit nouis rationibus alios ad ea aggredienda, cum vſus venit, hortari atque impellere. Διὰ τοῦτον autem accuſandi caſu, vt in manu ſcriptis legitur, omnino legendum eſt: nam excuſi antea generandi, τούτων perperam habebant. Poſterius verbum ad res, quae manu alicuius factae ſint, pertinet: tamquam enim de fano & huiuſcemodi monimento prolatum eſſe videtur: cũ prius & his, & illis, quae ingenio etiam fabricata ſunt, ſignificandis, cõmune ſit. Quae adiungit, exempla quoq; hoc declarant: laudatio enim

quae antea ignota erat, inuenta est, quae ornaret Hippolochum: & statuae Armodio, & Aristogitoni positae, atq; erectae sunt: cum moris non esset antea, imaginibus, statuisq; facta hominum celebrare.

Καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη. οἷον εἰς Ἱππόλοχον.

Et in quem prima laudatio habita est. ceu in Hippolochum.

IN historiam hanc numquam incidi: nec quid gesserit Hippolochus, accepi, vt tanto honore primus afficeretur: laudesq; ipsius publice dicerentur: necesse enim est ingens eius beneficium fuerit, posteaquam rei, deinde multum frequentatae: in tantoq; semper pretio habitae, primus aditum patefecit. Praeterea, quem Hippolochum significet, nescio: Hippolochi cuiusdam Thessali, quem amauit Lais Corinthia, mentionem fecit Plutarchus in commentario, cuius index, ἐρωτικός. Legi multo post declarationes has meas, primum editas, in iiij. libro Miscellaneorum Hieronymi Magij, quod in mentem venit Cyriaco Stroxio de Hippolochi nomine, & historia hac omni. quem ille narrat a se consultum, quod mihi verisimile non est, affirmasse locum hunc esse deprauatum, & pro Hippolochum, Antilochum legi debere. Nollem autem hoc litteris proditum a Magio fuisse; inurit enim homini non paruam maculam, monstrans ipsum nimis liberum extitisse, in veterum scriptorum monimentis contaminandis, quae sane magna culpa est: summaq; eruditorum omnium ope coercenda: & si enim rem honestam, plenamque pietatis gessit Antilochus, Nestoris filius, necesse tamen non est illius factum, tanto honore compensatum fuisse: neq; enim mos hic erat, institutumq; prisci illius seculi, quod aliquo modo ostendit Aristoteles: mirari autē non oportet, si post tantū temporis interuallum, ingentemq; iacturam factam veterum scriptorum, huiuscemodi aliquod factum è memoria deletum est. Illud potius a ciue meo, docto viro, dicendum fuit, Plutarchum, memoriae mandasse L. Brutum, in consulatu mortuum, primum apud Romanos hunc honorem consecutum fuisse: in funere namq; a P. Valerio collega publice laudatus est, quae oratio ita probata fuit: tantopereq; placuit, vt inde consuetudo nata sit, probum quemq;, & honestum virum mortuum laudandi, atq; id ab optimo aliquo viro. T. sane Liuius hoc non commemorauit, tantum dixit P. Valeriū collegae funus quanto tum potuit apparatu fecisse, sed multo maius morti decus partum publica maestitia, eo ante omnia insigni, quia matronae annum, vt parentem eum luxerunt, quod tam acer vltor violatae pudicitiae fuisset. Adiungit autem diligens, & grauis auctor Plutarchus, orationem illam antiquiorem fuisse omnium, in eo etiam genere a Graecis habitarum, nisi aliquis, inquit, putet, hoc quoq; a Solone institutum fuisse, quod idem dicit Anaximenem rhetorem in historia narrasse.

Καὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι.

Et Harmodium & Aristogitonem in foro collocari.

THVCYDIDES in vj. libro historiam narrat. Plinius libro xxxiiij. Athenienses nescio an pri-
» mi omnium, Harmodio & Aristogitoni tyrannicidis, publice posuerunt statuas. Antiphontis autem, nobilis oratoris vox celebratur: qui Syracusis in conuiuio, cum quaereretur, quod optimum aes foret, multiq; multa dixissent, ipse sententiam rogatus, acute inquit, ex quo Harmodio & Aristogitoni statuae factae sunt. quod, cum ad aures saeuissimi regis Dionysij peruenisset, causa interitus Antiphonti fuit. In hos etiam Simonides.
» Ἦ μέγ' Ἀθηναίοισι κλέος γίνεθ' ἡνίκ' Ἀριστο- γείτων Ἵππαρχον κτεῖνε καὶ Ἁρμόδιος.
Qui versiculi ipsius apud Hephaestionem in Enchiridio leguntur, vbi docet omnem versum integro perfectoque verbo terminari debere: & qui hoc non seruent, vitio non vacare: vt prior hic Simonidis.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἐναντίων.

Simili modo & in contrarijs.

EODEM modo (inquit) res se habebit in contrarijs: cum enim quempiam aut solum, aut primum, aut cum paucis flagitium admisisse ostendemus, turpitudinem ipsius valde augebimus: reliquaq; omnia, quae, locis superioribus perceptis cognitu facilia sunt: quae enim si rectum fuit factum, magis decorant, eadem si improbum illud extitit, foeditatem hominis augent. Hoc,
» quod nunc breui indicauit Aristoteles, significauit Quintilianus, cum inquit. Qui omnis
» etiam in vituperatione ordo constabit, tamen in diuersum. Multa idem etiam exempla, his rebus explicandis accommodata, adiunxit.

Καὶ μὴ καθ' αὐτὸν εὐπορῇς, πρὸς ἄλλους ἀντιπαραβάλλειν.

Et si

Et si per ipsum facile nequiueris, cum alijs conferre.

QVOD si eximias aliquas virtutes, ipsum illum, quem laudamus per se se habuisse, non facile ostendere possumus: nec etiã praeclara vlla rectaq; admodum in vita fecisse, vt in persona eius manentes, abundemus copia argumentorum, non inutile erit cum alijs conferre: ex aliorum namque collatione haec crescent: habet enim hanc vim comparatio, vt res maiores ope illius videantur, ac facilius quoq; cognoscantur. quod Cicero etiam in oratione pro lege Manilia his
» verbis declarauit. Sed ea magis ex aliorum contentione, quam ipsa per se se cognosci, atq; intel-
» ligi possunt. Cum autem statim addat, Isocratem hoc frequentasse, in panathenaico hoc ipsum facere manifestum est: vbi etiam id fieri oportere, cum laudatio alicuius rei instituitur, docet: nec posse quicquam exquisite, recteq; laudari, nisi haec ratio adhibita fuerit: ac similibus etiam quibusdam id verum esse confirmat. Vt inquit & purpuram & aurum inspicimus ac probamus, alia eiusdem generis prope collocantes, quae & speciem similem habeant, & pretij eiusdem aestimentur, ita quoq; ciuitatibus conferre ciuitates oportet, non magnas paruis: neq; parere alijs solitas solitis imperare, sed parem assimilemq; potestatem habentes: & quae copiosius ornatiusq; in eam sententiam exponit. vnde etiam elicitur vidisse illum, quod hic quoq; praecipit Aristoteles, oportere conferri, quod laudare volumus, cum eximia aliqua, magnoq; in honore habita re. Cum autem hic εὐπορῆσαι inuentionem, copiamque argumentorum significet, idem quoq; elegans scriptor eodem loco εὐπορίαν, eiusdem rei vbertatem appellauit, vbi admonet prudenter oratores, ne omnia, quae in mentem veniunt de aliqua re, dicere velint, sed ea tantum, quae illic opportuna sunt, ac modum denique seruare ipsos iubet.

Ὅπερ Ἰσοκράτης ἐποίει διὰ τὴν συνήθειαν τοῦ δικολογεῖν.

Quod sane Isocrates faciebat ob consuetudinem forenses causas agendi.

IN tam varia, quam inueni, scriptorum etiam librorũ lectione, vel contraria potius inter se, quid certi afferam de integritate ipsius non habeo. quare cuncta cum fide commemorabo, ac quid sentiam de tota hac re apetiam: suspicionesq; omnes meas in vtramq; partem indicabo. Scripti igitur cuncti, quos vidi, vno excepto, συνήθειαν habent: antiquissimus. n. liber solus ἀσυνήθειαν: quae lectio etiam in excusos quosdam manauit: cum Aldinũ exemplar, συνήθειαν, alijq; non nulli retineant. In vetere autem tralatione vestigia vtriusq; lectionis apparent: sic enim illic legitur. Propter consuetudinem, & inconsuetudinem: auctor namq; ipsius (vt opinor) cum diuersam hanc scripturam repperisset: nec vtra earum verior esset iudicare posset, vtramq; expressit. quae ad lectionis varietatem pertinebant iam exposui. Vt autem videam, an constituere hanc possim, vereor ne olim non nulli, corruptam hanc communiorem existimantes: corrigereq; studentes, quae nulla correctione egebat, eam deprauarint: errorq; hinc ortus fuerit: quod in orationibus, quae extant, Isocratis nullae fere sint, quae in foro dictae sint. Scripsit tamen ille orationes in genere iudiciali, vt auditores quoq; ipsius, & qui honorem, ac dignitatem magistri acerrime tutati sunt, fatentur. sed quid hoc refert, verum falsum ne hoc sit, si Aristoteles ipse, qui nunc ita de eo loquitur, semper ipsum, vt causidicum quendam insimulauit: erat enim illi mirum in modum infensus, quod plures veteres scriptores tradiderunt: nec gloriam illius aequo animo ferre poterat, cum addant etiam ipsum, tamquam stimulo quodam, ea concitatum, subtiles hos libros scripsisse, vt ostenderet se quoq; Isocrati in his studijs, atq; artibus, quas ille cotidie tractabat, non cedere: ne vlla in re ipsi inferiorem esse. dedisse autem vitio illi, quod multas forenses orationes scripserit, ac genus iudiciale multum exercuerit, affirmat etiam Dionysius Halicarnasseus, qui vocem quoq; ipsius acutam elegantemq;, sed acerbitatis plenam, in Isocratem adducit: qua tamen se non moueri narrat, vt qui cognitam haberet si-
» multatem eorum. μὴ δ' ὅτι δεσμὰς πάνυ πολλὰς τῶν δικανικῶν λόγων Ἰσοκρατείων περιφέρεσθαί φησιν ὑπὸ τῶν
» βιβλιοπωλῶν Ἀριστοτέλης. Idemq; eodem in loco docet se testimonio Aristotelis de Isocrate fidem non habere. quod sciret ipsum omnia facere, vt illius splendorem inquinaret: sed habere se auctorem, quod forenses quandoque causas scripserit Isocrates, Cephisodorum Atheniensem, qui cum ipso vixit, & ab eo disciplinam accepit: nec non admirabilem illam defensionem confecit, qua diluit, quae ab hoc nostro, magistro suo Isocrati obiecta fuerant: ipse enim quoq; confessus erat quasdam eius etiam generis orationes illum scripsisse. Cur autem consuetudo iudiciorum hanc vim habeat: eosq;, qui causas forenses diu tractarunt, ita conformet, vt hanc rationem sequantur: & quos laudare volunt ex comparatione aliorum ornent, quaerendum. ipse sane causam huius rei esse arbitror, quod ἀντιπαραβολὴ, vel propria est iudicialium actionum, vel in ijs potissimum exercetur. Altera vero lectio, quae consuetudine iudiciorum illum caruisse tradit, ita fortasse confirmari posset, vt δικολογεῖν valeat dicere causas in foro, non scribere iudiciales orationes: quod non fecisse Isocratem omnes consentiunt: nam & forensi illum

luce caruisse Cicero inquit in Bruto: scribere autem alijs solitum causas, quibus in iudicijs vtesentur, vt qui etiam vitam ipsius ediderunt: quod siquis vellet omnino significare hic δικολογεῖν, praecipere, quae ad iudiciale genus pertineant, quemadmodum initio huius libri philosophus » videtur eo verbo vsus, cum inquit, de peruersis quibusdam dicendi magistris agens. ἀπονενοήκα- » σι πρὸς τὸ δικολογεῖν, magis alteri illi lectioni conueniret. Cicero enim quoq; narrat Isocratem, relicto studio illo scribendi alijs orationes, totum se ad artes componendas transtulisse: &, vt suspicari possumus, ad eam maxime partem, quae magis in vsu erat: vti ipsum etiam fortasse accusarit superiore eo loco, quod eidem culpae, cui alij multi, affinis foret. Δικολογεῖν autem hic manifesto legere oportet, comprobante quoq; lectionem hanc antiquissimo libro, cum excusi antea mendose δικαιολογεῖν haberent. supra etiam forensem dictionem δικολογίας vocauit. Restat vero videndum, siquis ἀσυνήθειαν magis probet, quomodo versatum illum non esse in foro, efficere potuerit Isocratem studiosum huius rei, vti libenter collatione è regione posita, vteretur: cum illi quoque, qui multam operam ei generi dederunt, hanc rem frequentent: nec dubitent committere inter se & personas & res.

Δεῖ δὲ πρὸς ἐνδόξους συγκρίνειν: αὐξητικὸν γὰρ καὶ καλόν, εἰ σπουδαίων βελτίων.

Opus est autem cum honestis viris conferre: vim enim habet amplificandi, & plenum dignitatis est, si meliorem esse ostenderis studiosis viris.

Hoc autem diligenter (inquit) in hac contentione seruari debet: vt, quos ornare volumus, conferamus, si possumus, cum ijs, qui cū laude vixerint: ita enim vitam illorum gloriamq; amplificabimus, si ostendemus eos anteponendos ijs, qui probi viri, ac virtutis studiosi habiti sint. Eruditissimus poëta Catullus, vbi laudes Achillis parcas explicantes inducit, hoc, quod nunc prae- » cipit philosophus, custodiuit. Non illi quisquam bello se conferet heros. & quae sequuntur. » Cicero quoq; in ij. libro de oratore hoc accurate tradidit. Est etiam cum ceteris praestantibus » viris comparatio in laude praeclara.

Πίπτει δ᾽ εὐλόγως ἡ αὔξησις εἰς τοὺς ἐπαίνους: ἐν ὑπεροχῇ γάρ ἐστιν: ἡ δ᾽ ὑπεροχὴ τῶν καλῶν.

Cadit autem non sine causa amplificatio in laudes: in exuperantia enim manet: exuperantia enim vna rerum honestarum est.

Non sine causa (inquit) cadit amplificatio in laudes, atque huic generi mirifice accommodata est, quod finem habet dignitatem: in exuperantia enim manet, quae ipsa rerum honestarum vna habetur: qui enim aliquibus praestant, non omnino dignitate vacant, quicunq; victi ab illis sint: pulchrumq; omnino est, alios superare. Videtur autem hic ἐπαίνους, exornationem demonstrandiq; genus appellare. vt cum supra inquit. ἔχει δὲ κοινὸν εἶδος ὁ ἔπαινος καὶ αἱ συμβουλαί: neq; enim amplificatio ad laudandum tantum valet, sed non minus ad vituperandum.

Διό, κἂν μὴ πρὸς τοὺς ἐνδόξους, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἄλλους δεῖ παραβάλλειν: ἐπείπερ ἡ ὑπεροχὴ δοκεῖ μηνύειν ἀρετήν.

Quapropter nisi cum viris gloriae plenis potueris, cum alijs tamen non est cunctandum conferre, quia vtique exuperantia videtur indicare virtutem.

Conari in primis debemus, vt quos ornare volumus, conferamus cum viris illustribus laudatisq;: quod si hoc nobis nullo modo conceditur, non est cunctandum cum alijs quibuslibet conferre: omnis enim exuperatio videtur abditam virtutem indicare. Μηνύειν, verbum è verbo, » indicare. Cicero Oratore. & quod indicet non ingratam negligentiam. In antiquissimo libro adnotatum est, inueniri etiam codices, in quibus legatur πρὸς τοὺς πολλούς: quam sane scripturam exprimit vetus tralatio.

Ὅλως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις, ἡ μὲν αὔξησις ἐπιτηδειοτάτη τοῖς ἐπιδεικτικοῖς.

Omnino autem formarum, quae communes sunt cunctis dicendi generibus, amplificatio maxime accommodata est orationibus demonstratiuis.

Svnt quaedam formae, quae communes cum sint tribus generibus dicendi, ita tamen communes sunt, vt magis huius, quam illius generis propriae sint: illae autem sunt, amplificatio, exempla, enthymemata: nullum enim trium generum est, quod non quandoque omnibus his vtatur.

tur: quodlibet tamen genus ſuam quandam habet, quae ipſi valde accommodata eſt. exponit igitur, quae cui generi apta ſint: cauſamq; ſemper affert, vnde maxime hoc fiat. amplificationem in primis maxime accommodatam dicit demonſtratiuae orationi. Cum vero hic antea ſecunda collatione, ἐπιτηδειοτέρα in excuſis legeretur, ſecutus auctoritatem antiquiſſimi libri, tertia, ἐπιτηδειοτάτη emendaui. in ij. quoq; horum librorum, cum idem repeteret, tertia item collatione ait, amplificare res, οἰκειότατον, ideſt maxime proprium eſſe demonſtratiuarum orationum, vt a ſe antea dictum ſit, hunc manifeſto locum intelligens.

Τὰς γὰρ πράξεις ὁμολογουμένας λαμβάνουσιν. ὥστε λοιπὸν μέγεθος περιθεῖναι, καὶ κάλλος.

Sumunt enim facta, de quibus controuerſia non eſt. quapropter reſtat magnitudinem adiungere, & pulchritudinem.

RATIO huius rei haec eſt, inquit: res enim hi conceſſas & certas ſumunt. nullo igitur in alio ipſos, niſi in augendis, atq; exornandis illis, laborare oportet. Cicero in Partitionibus, hunc
" locum videtur expreſſiſſe, cum inquit: Non enim dubia firmantur, ſed ea, quae certa, aut pro
" certis poſita ſunt, augentur. Non defuerunt tamen aliqui aliquando, qui, ne dum certas, atq; omnibus probatas, res laudarint, ſummo ſtudio etiam ornarint res prauas, & inanes, aut contra probas, grauesq; vituperarint. Vt Polycrates, qui Buſiridis laudationem confecit, & Socratis vituperationem: ſophiſtarum enim hoc proprium erat, qui id, ingenij oſtentandi gratia faciebant. Nam Iſocrates eundem, impium ac nefarium hominem commendauit, vt laudatorem ipſius corrigeret: maleq; functum illo munere, quod ſuſceperat, demonſtraret: nec enim ceſſauit reprehendere eos, qui huiuſcemodi argumenta ſectarentur. quod copioſe fecit in proaemio laudationis Helenae: eadem autẽ res eundem impulit, vt Helenam ornaret, quamuis, qui prius eam laudarat hoc nomine non inſimulet: fatetur enim ipſum recte feciſſe, quod mulierem, & genere, & pulchritudine, & gloria inſignem, celebrandam ſuſceperit. ſed quod defenſionem potius ipſius, quam laudationem confecerit. Quod autem augere res magnopere illos oportere narrat Ariſtoteles, in hoc praecipue ſtudium ipſi ponebant.

Τὰ δὲ παραδείγματα, τοῖς συμβουλευτικοῖς: ἐκ γὰρ τῶν προγεγονότων τὰ μέλλοντα καταμαντευόμενοι, κρίνομεν.

Exempla autem ijs, quae habentur in deliberationibus: e rebus enim prius geſtis, quae futurae ſunt diuinantes, exiſtimamus.

CVM deliberationibus maxime idonea exempla dixerit, reddit rationem eius rei. In hoc vero genere futurum tempus ſpectatur: conſueuimus enim (inquit) hic ex praeteritis rebus, futuras ariolantes, exiſtimare, cognitis ſcilicet rebus iam factis: animaduerſoque exitu eorum, quid in ſimilibus, quae fieri adhuc debeant, euenturum ſit diuinantes, ſtatuimus de conſilijs datis. Exempla autem res iam factae ſunt, ſimiles his, de quibus nunc quaeritur.

Τὰ δ' ἐνθυμήματα, τοῖς δικανικοῖς: αἰτίαν γὰρ καὶ ἀπόδειξιν μάλιστα δέχεται τὸ γεγονὸς, διὰ τὸ ἀσαφές.

Argumenta autem, iudicialibus: quod enim factum eſt, cauſam, & demonſtrationem maxime requirit, quia obſcurum eſt.

ITA enim legi debet: non, vt impreſſis antea libris erat, γένος. praeter autem ſcriptorum codicum fidem, hoc etiam declarat alter locus è ij. libro, in quo eadem paene res tractatur, paulum
" immutatis verbis. illic vero legitur, τὸ δὲ γεγονὸς, τοῖς δικανικοῖς. Enthymemata igitur (inquit) aptiſſima ſunt rebus forenſibus ac iudicialibus: id enim, quod factum eſt, ac praeteritum iam, recipit in primis enthymematica argumenta, & vt rei cauſa explicetur, patitur. Hoc vero facilius fieri poteſt: & quia praeteritum neceſſarium: futura namq; demonſtrari nequeunt: & quia obſcurum: nam, vt ſupra initio libri traditum eſt, vtrum factum ſit, vel non factum in iudicijs plerunque quaeritur: quorum vtrumq;, & argumentis confirmandum, & cauſa explicanda, cur credi debeat eam rem factam, aut non factam eſſe.

Ἐκ τίνων μὲν οὖν οἱ ἔπαινοι, καὶ οἱ ψόγοι λέγονται σχεδὸν πάντες: καὶ πρὸς ποῖα δεῖ βλέποντας ἐπαινεῖν καὶ ψέγειν: καὶ ἐκ τίνων τὰ ἐγκώμια γίγνεται, καὶ τὰ ὀνείδη, ταῦτ' ἐστίν: ἐχομένων γὰρ τούτων, τὰ ἐναντία τούτοις φανερά: ὁ γὰρ ψόγος ἐκ τῶν ἐναντίων ἐστίν.

E quibus igitur laudationes, & vituperationes ducuntur ferme cunctae: & ad

qualia

qualia decet respicientes, laudare, & vituperare; & e quibus laudationes atque opprobria conficiuntur, haec sunt: cum enim haec tenentur, contraria his perspicua sunt: vituperatio enim è contrarijs constat.

Haec est repetitio eorum, quae in explanando toto hoc genere egit: inquit enim se ostendisse, vnde & laudes & vituperationes ducuntur ferme omnes. ita autem loquitur, quia reliquisse se aliquid intelligebat, quod vim aliquam ad idem efficiendum haberet: quae tamen maioris ponderis essent, cuncta se collegisse testatur: nec non, quae proposita habere oportet eum, qui aut laudare, aut vituperare velit. sed etiam, ex quibus laudationes constantur & opprobria: id enim valet ὀνείδη: vocat autem hoc pacto orationes plenas turpium factorum alicuius, & quae vitam eius omnem inquinent. verum, quia de ijs aperte nihil praeceperat, docet quomodo verum sit, quod dixerat. Perceptis enim (inquit) cognitisq; ijs, contraria eorum perspicua sunt: cum enim locos cuiuspiam laudandi indicauerimus, ex contrarijs via ratioque vituperandi elicitur.

Περὶ δὲ τῆς κατηγορίας καὶ ἀπολογίας, ἐκ πόσων καὶ ποίων ποιεῖσθαι δεῖ τοὺς συλλογισμοὺς, ἐχόμενον ἂν εἴη λέγειν.

De accusatione autem & defensione, ex quot, qualibusq; conficere oportet argumenta, sequitur, vt dicamus.

Demonstrandi genere absoluto, iudiciale, quod reliquum erat, aggreditur: vnde enim in eo genere, quod ad accusandos defendendosq; homines pertinet, argumenta ducantur, docere instituit, quod, vt facilius fiat, tria primum explananda putat. Sequitur igitur, inquit (si ordinem institutae scriptionis tenere volumus) tradere è quot numero, qualibusq; oportet rationes constare.

Δεῖ δὴ λαβεῖν τρία, ἓν μὲν, τίνων καὶ πόσων ἕνεκα ἀδικοῦσι: δεύτερον δὲ, πῶς αὐτοὶ διακείμενοι: τρίτον δὲ, τοὺς ποίους καὶ πῶς ἔχοντας. διορισάμενοι οὖν τὸ ἀδικεῖν, λέγωμεν ἑξῆς.

Opus est iam praehendere tria, vnum quidem, quorum & quantorum causa iniuriam faciunt: alterum autem, quomodo ipsi affecti: tertium vero, quales & quomodo se habentes. cum igitur definierimus, quid sit iniuriam facere, dicamus, quae deinceps.

Si volumus forense genus docere, tria sumere ante omnia oportet, quae nam sint, & quot, quae vt consequantur homines, iniuriam faciunt: hoc enim primum est. secundum, quomodo ipsi affecti, iniuste laedant. tertium, quos qualesue laedant. Sed, antequam haec accurate pertractet, quid sit iniuriam facere, declarat: vimq; omnem huius rei explanat.

Ἔστω δὴ τὸ ἀδικεῖν, τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον.

Sit iam iniuriam facere, nocere cuipiam sponte facientem contra legem.

Sit igitur hoc, nocere alicui sponte, aduersus leges: vt enim fiat aliquid iniuste, intelligi debet detrimentum cuipiam illatum: nec non, qui laesit, sponte laesisse, ac contra leges etiam fecisse: nam magistratus quoq;, cum paena sontes afficiunt, laedunt, ac sponte quidem id faciunt: non tamen contra leges committunt, sed in ea re legibus parent.

Νόμος δ' ἐστὶν: ὁ μὲν, ἴδιος: ὁ δὲ, κοινός.

Lex autem est, haec quidem, propria: haec autem, communis.

Dividit legem in propriam, ac communem: cum enim in superiore definitione praeter legem dixisset, quomodo hoc nomen accipiatur ostendit: νόμον autem hic appellat legem quoq;, quae scripta non est: videtur enim νόμος genus esse & scriptarum, & non scriptarum, legum. Latini quoq; sua voce vtrasq; complectuntur. Idem etiam alibi fecit: in libris namque de moribus ad Nicomachum νόμους etiam vocauit leges, quae nullis scriptis continerentur, sed consuetudine tantum vigerent. vt in iij. cum inquit τῶν νόμων, τῶν κατὰ τὰ γράμματα, καὶ τῶν κατὰ τὰ ἔθη. Iniuste igitur facere intelligitur, qui quempiam laedit in ea re, quae, quamuis nulla scripta propriaq; lege: naturali tamen ac communi, vetatur.

Λέγω

Λέγω δὲ ἴδιον μὲν, καθ' ὃν γεγραμμένον πολιτεύονται: κοινὸν δὲ, ὅσα ἄγραφα παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι δοκεῖ.

Dico autem propriam, per quam scriptam versantur in republica: communem autem, quaecunq; non scripta ab omnibus magno consensu probari videntur.

NON omnino hoc affirmat, sed δοκεῖ inquit: neq; enim vere cuncti homines consenserunt: reque multum antea cogitata, communi consilio statuerunt id seruandum esse, ita tamen id ratum firmumq; habent, ac metuunt violare, vt videantur omnes inter se consensisse: atq; vno ore & mente probasse. Tota autem diuisio: sensusq; huius loci huiuscemodi est. Lex, altera propria: altera communis: propriam voco, quam scriptam homines seruant, atq; in vita cauent migrare: communem, cuncta, quae, quamuis litteris mandata non sint, ab omni tamen gente, consensu quodam, probata confirmataq; videntur.

Ἑκόντες δὲ ποιοῦσιν, ὅσα εἰδότες, καὶ μὴ ἀναγκαζόμενοι.

Sponte autem faciunt, quaecunque intelligentes, & necessitate ipsis non imposita.

NE quid quempiam falleret in definitione, quam attulit verbi ἀδικεῖν, cum quid esset lex iam exposuisset, qui dicantur sponte facere aperit: vt autem quis sponte faciat, necesse est, intelligat singulas res, quas agit: nec vlla vi ipsi adhibita: necessitateue eius rei gerendae imposita, impellatur. In iij. quoq; libro de moribus ad Nicomachum idem tradidit, vbi explicata antea vi eius, quod inuiti homines faciunt (id vero ἀκούσιον appellatur) declaratoq; illo duum generum esse, aut cum coguntur vi allata, aut propter imprudentiam aliquid gerunt, contrarium videri inquit: idest ἑκούσιον, cum origo motus, causaq; efficiens in eo posita est, qui agit, intelligitque cuncta, quae in eo facto attinguntur: quae ambae condiciones manifesto superioribus illis repugnant. Initio autem eius disputationis, cum vtilitates, quas in se habet diligens explicatus harum rerum doceret, affirmauit prodesse etiam scriptoribus legum ad praemia, & paenas honestis, improbisq; factis, statuendas. quod nunc persuasit ipsi, vt idem (quamuis breuius id faciat) traderet: in foro enim, qui sponte voluntateq; aliquibus detrimentum importarunt, sententijs iudicum condemnantur: delictis vero eorum, qui imprudentes, vique adhibita laeserunt, ignoscitur.

Ὅσα μὲν οὖν ἑκόντες, οὐ πάντα προαιρούμενοι.

Quaecunque igitur sponte, non omnia delectu habito faciunt.

HAEC plenius ab ipso in iij. libro de moribus ad Nicomachum explicata sunt, vbi quid προαίρεσις sit, docet: distinguitq; a quibusdam, quae similitudinem aliquam cum ea habebant: nec vlla re discrepare ab ipsa videbantur. Latius autem, quid esset ἑκούσιον, tradit: nam & pueri, & aliae animantes ipsius participes sunt, & sponte facere multa recte dicuntur: electionis vero omnino expertes. & ea, quae derepente a nobis tractantur, dicuntur fieri sponte: cum electione vero nullo modo: indiget enim haec tempore, & matura deliberatione. Hic autem tradit quaedam homines facere sponte, quae tamen ab ipsis inconsiderate, & nullo adhibito selectu fiant. quod qui nescit, naturam & ingenium hominum non cognouit: nec quid ipse cotidie facit, animaduertit. ea certe, quae subito ac repente fiunt, non consilium expectant.

Ὅσα δὲ προαιρούμενοι, εἰδότες ἅπαντα: οὐδεὶς γὰρ, ὃ προαιρεῖται, ἀγνοεῖ.

Quaecunque autem electione, intelligentes cuncta: nemo enim, quod eligit, ignorat.

QVAECVNQVE autem (inquit) id, quod melius praestantiusq; eligentes, homines faciunt, ea omnia scientes faciunt: nemo enim (rationem eius reddens ait) ignorat rem, quam potiorem alia ducit ac sumit. Libri scripti, & ab Aldo excusus ita habent: in excusis tamen non nullis, ἑκόντες καὶ εἰδότες, mendose, vt puto, legitur: importune enim ἑκόντες additum fuit. quod si ἑκόντες hic esse debuit, nihil necesse fuit addere, εἰδότες: qui enim ἑκόντες, vt ipse affirmauit, omnes scientes. Hanc etiam lectionem adiuuat, quod, cur, qui in consilium adhibent, & altero pluribusue reiectis, quod melius esse putant, sumunt, scientes faciant, tantum docet.

Δι' ἃ δὲ προαιροῦνται βλάπτειν καὶ φαῦλα ποιεῖν παρὰ τὸν νόμον, κακία ἐστὶ καὶ ἀκρασία.

Ob quae autem eligunt nocere, & quae mala sunt facere praeter legem, sunt vitium, & incontinentia.

QVOD

Qvod ad reliquum verbum pertinet, quo vsus fuerat, in describenda vi verbi ἀδικεῖν, agit: docetq;, quae res impellant homines ad iniuriam faciendam: nisi enim quasi stimulis quibusdam agerentur, aut vitiosam naturam haberent, numquam hoc committerent, vt aliquos iniuria laederent: est enim alienum ab ingenio hominis, damnum alicui importare, sed aut deprauatam naturam habent, aut libidinibus, tamquam facibus quibusdam, exagitantur: quibus cum resistere nulla ratione possint, nec eas explere, nisi damno aliquorum, queant, ab iniuria sibi non temperant. duo igitur esse inquit: vitium & incontinentiam: cum scilicet quispiam eo iam progressus est, vt prauo habitu animi teneatur: aut, quamuis intelligat se praua facere, regere tamen se, ac cohibere non potest. Versari autem impotentiam hanc circa omnia hominum desideria, ipse infra testatur.

Ἐὰν γάρ τινες ἔχωσι μοχθηρίαν, ἢ μίαν, ἢ πλείους, περὶ δὲ τοῦτο, ὃ μοχθηροὶ τυγχάνουσιν ὄντες, καὶ ἄδικοί εἰσιν.

Si enim aliqui fuerint affines prauitati, vel vni, vel pluribus, in rebus illis, in quibus praui sunt, & iniusti sunt.

Si qvi (inquit) singulis cupiditatibus, aut pluribus rapiuntur, aut denique vno pluribusue vitijs tenentur, non metuunt laedere eos, quos aut aduersari voluptatibus suis putant, aut posse desideria sua explere, aliqua re violatos, arbitrantur. In quo etiam hoc nos admonet: homines, ad quas res, aut natura, aut praua consuetudine propensi sunt, in illis solere iniuriosos esse.

Οἷον ὁ μὲν ἀνελεύθερος, περὶ χρήματα: ὁ δ' ἀκόλαστος, περὶ τὰς τοῦ σώματος ἡδονάς.

Ceu illiberalis, in pecunia: intemperans, in corporis voluptatibus.

Vt sordidus (inquit) minutosq; quaestus persequens, in pecunia quaerenda: intemperans autem, in corporis voluptatibus comparandis, explendisq;: neq; enim aut auarus stuprum pudicae mulieri inferre studet, aut adulter in quaerenda turpiter re familiari, peccat: quin contra, patrimonium saepe profundit, vt amoribus suis potiatur.

Ὁ δὲ μαλακὸς, περὶ τὰ ῥάθυμα.

Mollis autem in rebus segnitiae plenis.

Qvae mollis hominis eneruatiq; natura sit, & quibus signis ille cognoscatur, exponit accurate in vij. de moribus ad Nicomachum: hic enim (inquit) mollis, ac delicatus est, qui par non est, rebus illis tolerandis: nec se ad illas accingit, quas maior pars hominum & subit & praestat. Nunc autem ait huiuscemodi hominem peccare in amplexando nimis otio. quod, cum iners ac socors sit & vitet omnem laborem, officio boni viri saepe desit, & admittat magnas culpas, captus ignauia illa atque inertia.

Ὁ δὲ δειλὸς, περὶ τοὺς κινδύνους: τοὺς γὰρ συγκινδυνεύοντας ἐγκαταλιμπάνουσι διὰ τὸν φόβον.

Timidus autem in periculis: socios enim periculorum deserunt ob metum.

Timidvs labitur, iniusteq; facit, cum terribilis res appropinquat: hoc enim vitio laborat, quod pericula nimis quam oportet, reformidat. iniuriam autem facit, quod discriminis socium deserit periculo aduentante: quem tueri debebat.

Ὁ δὲ φιλότιμος, διὰ τιμήν.

Ambitiosus autem, ob honorem.

Nimis cupidus honoris, ambitiosusq; & ipse in ea re peccat, cuius acri desiderio tenetur: &, vt honorem consequatur, prauas etiam eius adipiscendi vias sectatur: nec timet violare amicum atque improbe illi subdoleque, honorem, summo labore partum, extorquere conari.

Ὁ δ' ὀξύθυμος, δι' ὀργήν.

Acutae bilis homo, ob iram.

Acvtae bilis homo ac cerebrosus, labitur, quod nimis cito commouetur: vitiumq; illud suum exercet in ira: quae saepe leui de causa plus quam oportet, ipsum corripit.

Ὁ δὲ φιλόνικος, διὰ νίκην.

Auidus victoriae, ob victoriam.

NIMIS studiosus victoriae consequendae, vt victoria potiatur & ipse grauiter peccat: nihil enim praetermittit, vt eam obtineat, ac fraude quoque doloque eam sibi asciscere conatur: nec eripere illam, si potest, veretur illis, qui magis ea digni sunt.

Ὁ δὲ πικρός, διὰ τιμωρίαν.

Amarus, ob vltionem.

AMARVS autem peccat, quia nimis ardet desiderio paenarum sumendarum ab eo, qui iniuria ipsum affecit: nec modum vllum in ipsis tenet. Translato autem a tristi sapore nomine, πικροὺς Graeci appellant, qui accepta iniuria non facile placantur, sed diu simultatem gerunt. de quibus, eodem hoc nomine ipsos appellans, accuratius egit in iiij. de moribus ad Nicomachum. Demosthenes huiuscemodi indolem habuisse traditur: & amarus acerbusq; natura fuisse in paenis capiendis ab inimicis. quare verisimile non fit Plutarcho, eum placari potuisse Midiae, accepta pecunia, quae fertur, si viam euertendi eum vidisset, sed destitisse putat accusatione illa, quia diffiderit se posse condemnare virum, & eloquentia, & diuitijs, & copia amicorum munitum: ait enim. Αἱ δὲ τρισχίλιαι καθ᾽ ἑαυτὰς οὐκ ἄν μοι δοκοῦσι τὴν Δημοσθένους ἀμβλῦναι πικρίαν, ἐλπίζοντος καὶ δυναμένου περιγενέσθαι. Apud Theocritum vero pastor quidam affirmat, Pana deum, quem illa natio praecipue colebat, & amarum esse, & facile etiam irasci. in quo ipsi cum Aristotele non bene conuenit: neque enim vnum eundemque & πικρὸν, & ὀργίλον esse posse philosophus putat, sed has res non parum inter se repugnare credit. ὀργίλον autem videtur intellexisse Theocritus, cum inquit. semper illi Deo acrem bilem in naribus insidere: ἐντί κα πικρός, καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Virgilius quoq; & amarum hostem, & dicta amara vsurpauit. Cicero, cum in epistola ad Atticum inquit, Amariorem me senectus facit. stomachor omnia. amarum intellexisse videtur, qui facile ac leuibus de causis irascitur: morosum hominem, &, vt Graeci loquuntur, δύσκολον: huiuscemodi namque, quos oppressit, solere efficere senectutem, planum est: eodem aliquando sensu πικρὸν Graeci quoq; boni auctores capiebant, vt Chamaeleon Heracleotes in vj. libro de comaedia: cuius verba leguntur apud Athenaeum in ix. libro δειπνοσοφιστῶν, loquentis de Anaxandride comico, quem & ipsum difficilem fuisse ob longam aetatem narrat (πικρὸν autem τὸ ἦθος ipse inquit) furoreq; hoc animi abductum, ita se gerere solitum in fabulis suis tradit. vt quando vicisse aduersarios declaratus non esset, sumeret comaedias illas, discerpendasq; thuri daret: nec quemadmodum maior pars poëtarum, emendaret, partibusue aliquibus immutatis, iterum recitaret, vt multas elegantes lepidasq; fabellas ita consciderit: immerentesq; sustulerit. Eo autem libentius huius rei mentionem feci, quia ostendit moris etiam fuisse apud Graecos, scripta malorum poëtarum thuri destinare, vt Horatius Romanos consuesse declarat, cum inquit Deferar in vicum, vendentem thus & odores, Et piper & quidquid chartis amicitur ineptis. nec non alij quoq; Latini poëtae.

Ὁ δ᾽ ἄφρων, διὰ τὸ ἀπατᾶσθαι περὶ τὸ δίκαιον καὶ ἄδικον.

Desipiens, quia labitur & peccat in iusto & iniusto.

STVLTVS quoque & ipse saepe peccat: iniusteq; atque improbe multa facit, ob stultitiam ac tarditatem ingenij: neque enim vim rerum cognitam habet: sed, quod aequum est, iniquum putat: contraq;, quod iniquum, saepenumero aequum. Ἀπατᾶσθαι peruerse de aliqua re sentire significat, ac prauam opinionem de ea habere: nec non falsam disciplinam accepisse. in vj. libro Topicorum: τὸ γὰρ μὴ ἔχον ἐπιστήμην, οὐ δοκεῖ ἀγνοεῖν, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ διηπατημένον. Cum vero excusi antea haberent καὶ ἀγαθὸν, emendaui ἄδικον, vt in maiore melioreq; scriptorum librorum parte inueni: & sane veram hanc lectionem esse puto: ex altera tamen illa hic sensus elici poterat, ipsos eodem errore teneri in rebus bonis ac malis iudicandis.

Ὁ δ᾽ ἀναίσχυντος, δι᾽ ὀλιγωρίαν δόξης.

Impudens autem, quia parui ducit bonam existimationem.

QVI pudore caret, peccat, quia caram non habet existimationem suam: quia parui facit, quid de se homines sentiant ac loquantur: cum pudor autem ignominiae metus sit, quem nihil pudet, iudicium aliorum parui facere, apertum est: ita autem animo affectus & multa improbe facit, & alios iniuria laedit.

Ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος περὶ ἕκαστον τῶν ὑποκειμένων.

Similiter & singuli alij in singulis rebus, quibus dediti sunt.

Et, ne longius in exemplis ponendis progrediamur, inquit, eodem pacto ſinguli alij, improbi ac corrupti homines, in rebus ijs iniuria ceteros afficiunt, quas auide cupiunt. Ὑποκείμενον hic vocat, quod aliquis ſibi propoſitum habet ac ſpectat: quo mentem cogitationesq; ſuas omnes intendit, vt auaro, pecunia: ambitioſo, honor: voluptuario, corporis voluptas. recentiores obiectum id appellaſſe notum eſt.

Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων, δῆλον τὰ μὲν, ἐκ τῶν περὶ τὰς ἀρετὰς εἰρημένων: τὰ δ', ἐκ τῶν περὶ τὰ πάθη ῥηθησομένων.

Verum de his perſpicuum eſt partim ex ijs, quae dicta ſunt, ad virtutes pertinentia: partim ex ijs, quae dici debent, pertinentia ad motus animorum.

Reliqva, quae plura ſunt, perſequi ſuperuacaneum putat: eandem enim eſſe omnium rationem: partim autem perſpicua illa eſſe ex his, quae explicata fuere, cum de virtutibus egit, affirmat: partim cognitum iri ex accurata diſputatione, quam de animi perturbationibus initio ij. libri habebit.

Λοιπὸν δ' εἰπεῖν τίνος ἕνεκα, καὶ πῶς ἔχοντες, ἀδικοῦσι, καὶ τίνας.

Reliquum eſt tradere cuius cauſa, & quomodo affecti, iniuriam faciunt, & quibus.

Cvm iam & quid eſſet iniuriam facere, definiſſet: & vim eorum, quae in ipſius definitione ſumpta forent, explicaſſet, aggreditur tria illa, quae ſupra ſibi tractanda eſſe, his rebus explanatis, docuerat: ideſt cuius rei gratia homines iniuria afficiunt alios, & quomodo ipſi animo affecti, & quae potiſſimum hominum genera laedunt. Hunc autem locum deprauatum correxi: in excuſis enim antea mendoſe legebatur. καὶ πῶς ἔχουσιν ἀδικοῦντες: ita vero ſcriptum offendi in ſcriptis quibuſdam libris. ſed res ipſa declarat ita legi oportere. Ariſtoteles ſupra, cum quae, vt hoc genus commode tractetur explicanda eſſe diceret, inquit. δεύτερον δὲ πῶς αὐτοὶ διακείμενοι: & infra prima parte expoſita, cum reliquas duas aggrederetur, πῶς δὲ ἔχοντες καὶ τίνας, λέγωμεν νῦν.

Πρῶτον μὲν οὖν διελώμεθα, τίνων ὀρεγόμενοι, καὶ ποῖα φεύγοντες, ἐγχειροῦσιν ἀδικεῖν.

Primum igitur diuidamus, quae appetentes, & qualia fugientes, experimur iniuriam facere.

In primis (inquit) explicemus, quas nam res appetentes, & cuiuſmodi fugientes, non dubitamus iniuria quempiam afficere: ſunt enim omnino quaedam, quae nos excitant: neque enim tam praua hominum natura, vt nullam ob vtilitatem feratur ad iniurias: ſed aut ſpe bonarum rerum, aut malarum metu impellitur: putant enim, qui iniurioſi ſunt, ſe aliorum damno, aut aliquod commodum adepturos, aut aliquid incommodi declinaturos.

Δῆλον γὰρ, ὡς τῷ μὲν κατηγοροῦντι, πόσα καὶ ποῖα τούτων ὑπάρχει τῷ ἀντιδίκῳ σκεπτέον: ὧν ἐφιέμενοι πάντες τοὺς πλησίον ἀδικοῦσι: τῷ δ' ἀπολογουμένῳ, ποῖα καὶ πόσα τούτων οὐχ ὑπάρχει.

Planum enim eſt, oportere accuſatorem videre, quot & qualia horũ ſunt in reo, quorum deſiderio incenſi omnes alijs iniuriam faciunt: defenſorem autem qualia, & quot horum non ſunt.

Vtilem eſſe docet oratori explicationem harum rerum, quae homines impellunt ad iniurias: duobus autem illae modis impellunt, aut ſui deſiderio, aut reformidatione: cognitis enim ipſis, ſi accuſat, explanare debet, quot, quantaeue ipſarum inueniantur in eo, cui periculum creat: ſi vero defendit, contra: quot ab eo abſint, quem defendit, earum rerum, quibus non ſuadentibus, ſibi facile homines ab iniuria maleficioq; temperant: ſiue magnis enim grauibusq; cauſis illi flagitium committere non ſolent. Hunc autem locum copioſe perſecutus eſt Cicero pro Milone & in criminando Clodio, & in Milone purgando: cuncta enim in Clodio fuiſſe oſtendit, quae perſuadere ipſi potuerint, vt inſidias faceret Miloni: eademque a perſona Milonis afuiſſe.

Πάντες δὴ πράττουσι πάντα: τὰ μὲν, οὐ δι' αὑτούς: τὰ δὲ, δι' αὑτούς.

Omnes iam omnia gerunt: partim non per ſe ipſos: partim per ſe ipſos.

Distingvit

DISTINGVIT hominum facta: prima autem diuisio in ea, quae non per se ipsos: & ea, quae per se ipsos, agunt. In iij. libro de moribus ad Nicomachum, vbi non tam diligenter anquirit principia nostrarum actionum, communiter, vt hic loquens, inquit. Cuncta, quae faciunt omnes mortales, facere rebus iucundis, aut honestis excitatos: nec multo post. facta hominum proficisci ab ira, aut cupiditate. Quare existimari debet illic spectasse tantum res, quae maiorem hominum partem frequentiusque mouent: nam absolute dictum vix videtur verum esse posse, cum alijs etiam causis (vt hic aperte tradit) assignari debeant quaedam nostra facta. Nisi putet quispiam honesta illic eum appellasse, quae bona sunt: infra enim hic quaecunq; propter se homines gerunt, angustiorem numerum eorum efficiens, aut bona, aut iucunda esse affirmat, aut quae saltem vmbram similitudinemq; duorum horum habeant. Quo facilius autem omnis haec res percipiatur (quae, vt explicata scrupulum nullum habet, ita confusa non parum perturbaret) non inutile esse puto descriptionē conficere, in qua haec diuisio appareat: multum enim haec ante oculos exposita habere, adiuuabit.



Τῶν μὲν οὖν μὴ δι' αὑτοὺς: τὰ μὲν, διὰ τύχην πράττουσι: τὰ δ', ἐξ ἀνάγκης.

Eorum igitur, quae non per se ipsos, non nulla vi fortunae gerunt: alia autem necessario.

SECVNDA haec diuisio est alterius illius partis, qua dixerat homines aliqua non per se ipsos efficere: id enim non vno eodemq; modo fieri docet, sed duobus: partim enim fortuna interueniente: partim necessitate ipsis imposita, agunt.

Τῶν δ' ἐξ ἀνάγκης: τὰ μὲν, βίᾳ: τὰ δὲ, φύσει.

Illorum, quae necessitate sibi imposita, non nulla, vi sibi adhibita: alia autem, natura.

PARTEM alteram posterioris huius diuisionis rursus diuidit (cum prior amplius non secetur) ostenditq; non vnum genus esse, quo aliquis necessario agat, sed duplex: aut enim ab externa vi, aut insita, naturaque ipsa impellente homines cogi: cum enim aliquis vi allata quempiam cogit agere, quae contraria sunt appetitioni animi ipsius: eique, quod sibi accommodatum ille statuerat, necessitas haec est. partem vero necessitatis vim esse confirmauit ipse alias testimonio Sophoclis, qui in tragaedia quendam induxit ita se purgantem, Ἀλλ' ἡ βία με ταῦτ' ἀναγκάζει ποιεῖν. Natura etiam saepe cogit facere, quod aliquis non probat, ac verum non esse sentit: neque tamen potest innatae illi inclinationi animi ad eam rem, facile resistere.

Ὥστε πάντα, ὅσα μὴ δι' αὑτοὺς πράττουσι: τὰ μὲν, ἀπὸ τύχης: τὰ δὲ, φύσει: τὰ δὲ, βίᾳ.

Quapropter cuncta, quaecunque non per se ipsos gerunt: partim fortuna faciunt: partim natura: partim vi sibi adhibita.

QVARE (inquit) claudens iam omnem primae illius partis explicationem, in angustumq; rem redigens: sumptis extremis tantum, & quae secari amplius non possunt, cuncta, quae homines agunt, non per se ipsos, partim a fortuna proficiscuntur: partim a natura: partim ab externa vi adhibita.

Ὅσα δὲ δι' αὑτοὺς, καὶ ὧν αὐτοὶ αἴτιοι, τὰ μὲν, δι' ἔθος: τὰ δὲ, δι' ὄρεξιν.

Quaecunque autem per se ipsos, & quorum ipsi auctores sunt, partim illorum, ob consuetudinem: partim vero, ob appetitum.

REDIT nunc ad alteram partem, ad illa scilicet explicanda, quae per se ipsos homines faciunt: quorumq; ipsi causa extare vere dici possunt. diuidens autem ipsa inquit, partim eorũ ipsos facere ex consuetudine: vt quia diu in illis versati sint, ea gerant: partim autem propter appetitum: acrius enim in ipsis eorum desiderium excitatum, ad illa agenda compellit.

Καὶ τὰ μὲν, διὰ λογιστικὴν ὄρεξιν· τὰ δὲ, δι' ἀλόγιστον.

Et nonnulla eorum ob appetitum participem rationis: alia autem ob expertem.

IN manu scriptis nonnullis. τῶν δὲ δι' ὄρεξιν. τὰ μὲν, &c. in alijs, vt in excusis, legitur. Sententia eadem est: ex communi enim quoque, receptaq; lectione intelligitur ipsum diuidere ea, quae ex appetitu fiant: nec vnum genus facere appetitus: alterum enim rationis compotem: alterum vero expertem esse vult: vt autem hic tres partes habere dicit appetitum, ita in ij. libro de animo: numero enim naturaq; easdem affert: discrimen tantum in vnius nomine: quam enim hic ὀργὴν: illic θυμὸν vocauit. Antiquissimus liber non ἀλόγιστον hic, vt ceteri, sed ἄλογον habet, variato nomine, non immutato intellectu. quomodo sane infra loquitur, vbi hanc partẽ diuidit.

Ἔστι δὲ ἡ μὲν βούλησις, μετὰ λόγου ὄρεξις ἀγαθοῦ· οὐδεὶς γὰρ βούλεται, ἀλλ' ἢ ὅ, τ' ἂν οἰηθείη εἶναι ἀγαθόν.

Est autem voluntas appetitus boni cum ratione: nemo enim vult aliud, quam id, quod putauerit esse bonum.

EST autem inquit, voluntas appetitus boni, coniunctam habens rationem. cuius rei causam afferens, inquit: nemo enim vult aliud, quam id, quod bonum esse existimauerit. Cicero in iij. libro Tuscul. βούλησιν Latinos, pari Graeco nomine, appellare tradit voluntatem. vbi, quam intelligerent Stoici homines βούλησιν exponit: qui tamen hac in re a iudicio, sententiaq; Peripateticorum non discrepabant. vt ex duobus his locis, inter se collatis, facile animaduerti potest. verba Ciceronis haec sunt.
» Quam ob rem simul obiecta species cuiuspiam est, quod bonum vi-
» deatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. id cum constanter prudenterq; fit, eiusmodi
» appetitionem Stoici βούλησιν appellant: nos appellamus voluntatem. Ab antiquissimo vero libro absunt haec verba. μετὰ λόγου: vt ita illic omnino legatur ἔστι δὲ ἡ μὲν βούλησις, ἀγαθοῦ ὄρεξις: in ceteris tamen scriptis illa inueniuntur, & a vetere tralatione expressa sunt.

Ἄλογοι δ' ὀρέξεις, ὀργὴ καὶ ἐπιθυμία.

Appetitus vero, rationis expertes, sunt ira & cupiditas.

APPETITVS autem (inquit) rationis expertes (partem enim nunc appetitus, quae ratione vacat, diuidit) duae sunt, ira & cupiditas.

Ὥστε πάντα, ὅσα πράττουσιν, ἀνάγκη πράττειν δι' αἰτίας ἑπτά· διὰ τύχην, διὰ βίαν, διὰ φύσιν, δι' ἔθος, διὰ λογισμόν, διὰ θυμόν, δι' ἐπιθυμίαν.

Quapropter cuncta, quaecunque gerunt, necesse est ipsos gerere septem ob causas, vel fortuna, vel vi sibi adhibita, vel natura, vel consuetudine, vel ratione, vel ira, vel cupiditate.

QVOD ab excusis libris aberat, πράττειν hic, restitui: id autem prorsus desiderabatur, & in scriptis codicibus legitur. Planum autem est Aristotelem postremas tantum species numerare: longe enim plures fuissent, si omnes repetere voluisset. Id autem ab ipso nunc, vt alijs in locis ratione factum est: genera namq; speciebus addita, numerum non augent. Quapropter igitur (inquit) cuncta, quae homines gerunt, necesse est gerant ob vnam aliquam septem harum rerum (neque enim omnes in eodẽ facto concurrere dicit) aut enim fortuito, aut vi adhibita, aut natura, aut consuetudine, aut ratione ductos, aut ira, aut cupiditate impulsos. Animaduertendum autem, cum consuetudo sit paene altera natura, ipsum tamen, quae natura homines faciunt, statuere illos facere non propter se: quae vero consuetudine aggrediuntur, collocare in numero rerum, quae sunt in potestate ipsorum. An quia consuetudinum ipsi domini: poterantque si operam dedissent, aliter assuescere: nostri autem iuris non fuit, hoc, aut illo modo nasci. Initium igitur diuersum est: consuetudo postea mosque iam partus eandem ferme vim habet ad nos impellendos.

Τὸ δὲ προσδιαιρεῖσθαι καθ' ἡλικίας, ἢ ἕξεις, ἢ ἄλλ' ἄττα τὰ πραττόμενα, περίεργον.

Diuidere autem praeterea per aetates, vel habitus animi, vel alia quaepiam, quae aguntur, ſuperuacaneum eſt.

QVI contenti (inquit) hac diuiſione non forent, vellentq; explicari ac diſtingui adhuc, quae agunt homines ex qualibet aetate, aut habitu animi, ſuperuacaneum, & inutilem laborem requirerent: neq; enim alias vllas cauſas humanarum actionum, praeter allatas, inueſtigare oportet. accurate autem contra illos diſputat, & errorem, in quo verſabantur, ipſis extorquere conatur: docetq; omnia a ſe tradita diuiſione contineri. quae autem intelligi debeant verbis his, ἢ ἄλλα, plura ſunt: contineri autem illis fortunam ac condicionem vitae, ex his, quae adiungit, planum eſt: infra enim de diuitibus, ac pauperibus exemplum adiungit.

Εἰ γὰρ συμβέβηκε τοῖς νέοις, ὀργίλοις εἶναι, ἢ ἐπιθυμητικοῖς, οὐ διὰ τὴν νεότητα πράττουσι τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ διʼ ὀργὴν, καὶ ἐπιθυμίαν.

Si namque euenit adoleſcentibus, vt iracundi ſint, vel procliues ad libidinem, non iuuentute impulſi huiuſcemodi agunt, ſed ira & cupiditate.

SI enim (inquit) peculiare vitium eſt adoleſcentium, vt cito iraſcantur, ac cupiditatibus ſuis ſeruiant, quae agunt incitati ira, aut cupiditate incenſi, non aetati aſſignari, ſed aut iracundiae, aut cupiditati debent: hae autem in ſuperioribus vij. cauſis numerantur. vnde intelligitur verum eſſe, quod dixerat: eos, qui rurſus ita diuidere vellent, operam perdituros: proficiſcuntur enim, quae adoleſcentes agunt, ex accidenti, ab aetate: propter ſe vero, a perturbationibus, quibus tenentur.

Οὐδὲ διὰ πλοῦτον καὶ πενίαν, ἀλλὰ συμβέβηκε, τοῖς μὲν πένησι διὰ τὴν ἔνδειαν, ἐπιθυμεῖν χρημάτων: τοῖς δὲ πλουσίοις διὰ τὴν ἐξουσίαν, ἐπιθυμεῖν τῶν μὴ ἀναγκαίων ἡδονῶν, ἀλλὰ πράξουσι καὶ οὗτοι, οὐ διὰ πλοῦτον καὶ πενίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐπιθυμίαν.

Neque diuitijs aut paupertate, ſed euenit, pauperibus quidem ob egeſtatem, vt cupidi ſint rei familiaris: diuitibus autem ob poteſtatem explendi ſua deſideria, vt cupiant minime neceſſarias voluptates, ſed tamen agent etiam hi, non ob diuitias, & paupertatem, ſed propter cupiditatem.

HINC nonnulla verba ſuſtuli, quae in excuſis libris legebantur: quia, cum in nullo ſcripto inuenerim, adulterina eſſe exiſtimaui: ſuſpicor enim ſcholion olim fuiſſe: quod temere poſtea a librarijs in ordinem verborum auctoris translatum ſit: a vetere quoq; tralatione illa expreſſa non ſunt. Vt autem hinc abeſſe ſine vllo incommodo poſſunt, ita neceſſario intelligi debent, & facile etiam intelliguntur. Haec autem erat antea impreſſorum librorum lectio. οὐδ᾽ οἱ πλούσιοι, καὶ πένητες διὰ πλοῦτον: & quae ſequuntur. Sententia plana eſt: docet enim ſtatus, fortunasq; hominum, non eſſe cauſas primas verasq; peccatorum. ſed cupiditates, quibus diuerſae tenentur: neq; enim eorum, quae locupletes egentesq; faciunt, cauſa vere dici poteſt, aut amplitudo patrimonij, aut tenuitas: vt ipſe aperte tradit, dicens: neq; enim, quae diuites pauperesue agunt, impulſu paupertatis, aut diuitiarum agunt, verum vſu venit pauperibus, ſuadente egeſtate, vt cupiant pecunias: diuitibus vero ob facultatem, quam habent explendi deſideria ſua, vt cupiant & ipſi minime neceſſerias voluptates. Hi quoque igitur, quae agunt, agunt non impellentibus, aut diuitijs, aut paupertate, ſed hortante cupiditate.

Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ δίκαιοι, καὶ οἱ ἄδικοι, καὶ οἱ ἄλλοι, οἱ λεγόμενοι κατὰ τὰς ἕξεις πράττειν, διὰ ταῦτα πάντα πράξουσιν: ἢ γὰρ διὰ λογισμὸν, ἢ διὰ πάθος, ἀλλ᾽ οἱ μὲν διʼ ἤθη καὶ πάθη χρηστὰ: οἱ δὲ, διὰ τἀναντία.

Similiter autem & iuſti, & iniuſti, & ceteri, qui dicuntur per habitus animorum agere, ob haec ipſa agent: ſiue enim ob rationem, ſiue ob perturbationem, ſed hi quidem ob mores, & motus animorum probos: hi vero, ob contrarios.

QVOD ad aetates, ac condiciones hominum pertinet, tradiderat non ipſis, ſed vitijs, quibus aetates illae, aut fortunae tenentur, quod improbe faciant, aſſignari debere. nunc, quod ad habitus, aut bonos, aut malos animi attinet, declarat, idem in illis euenire: neque enim ex habitibus agunt, ſed aut rationi, aut motibus obtemperant, aut etiam turbidis animi motibus rapiuntur:

quae res in septem illis, supra expositis, continentur. Discrimen sane inter ipsos hoc est: quod partim eorum moribus & affectibus bonis ad agendum impelluntur: partim vero, malis: cuncti tamen, aut affectibus, aut moribus excitantur. Cur autem ab instanti ad futurum tempus transierit, animaduertendum: ipse sane arbitror ita eum locutum, vt hoc significaret. Si ij omnes accurate attendentur, has ipsas ob causas agere repperientur: & hanc vim huius sermonis esse puto. Quod ad ea, quae sequuntur verba pertinet, λογισμὸν videtur appellare, quod supra λογιστικὴν ὄρεξιν dixerat: πάθος vero, quod ἄλογιστον.

Συμβαίνει μέντοι τοῖς μὲν τοιαύταις ἕξεσι, τὰ τοιαῦτα ἀκολουθεῖν: τοῖς δὲ τοιαῖσδε, τὰ τοιάδε.

Euenit sane, vt huiuscemodi quidem habitibus, huiuscemodi quaedam comitentur: huiuscemodi autem, talia.

Docuerat iam causas humanarum actionum, non esse, aut penes aetates, aut penes habitus animi, aut penes quasdam condiciones hominum, & alias huiuscemodi res: omniaque, quae aut hac illaue aetate, aut habitu, aut condicione vitae praediti facerent, referri ad vij. illas causas, quas attulerat. nunc autem tradit, vt res illae propriae causae dici nostrorum factorum nullo modo possint, ita habere quaedam, quae ipsas consequantur. quae ad confirmandū probandumue aliquid, aut contra, vtilia sint. vt autem diuisio illa superiori diuisioni adiuncta, inanis, & superuacanea fuisset, ita explicatio huius rei necessaria est: videre scilicet, quas res quaeq; res consequantur.

Εὐθὺς γὰρ ἴσως τῷ μὲν σώφρονι, διὰ τὸ σῶφρον, δόξαι τε καὶ ἐπιθυμίαι χρησταὶ ἐπακολουθοῦσι περὶ τῶν ἡδονῶν: τῷ δ᾽ ἀκολάστῳ αἱ ἐναντίαι περὶ τῶν αὐτῶν τούτων.

Statim enim fortasse homini temperanti, ob temperantiam illam suam, opiniones & cupiditates bonae comitantur de corporis voluptatibus: intemperanti autem contrariae de his ipsis.

Exemplis probat diuersis habitibus animi diuersas res comitari. duos autem inter se contrarios sumit: & quo temperans homo, & quo intemperans praeditus est. Statim autem (inquit) omnibus alijs rebus, quae variare possent eorum sensus, posthabitis, temperanti homini, & opiniones, & cupiditates probae de voluptatibus, comitantur: excitatae, huiuscemodiq; conformatae, a temperantia, quae in animo ipsius consedit: intemperanti vero contrariae de ijsdem rebus. Δόξαι cum inquit, opiniones intellexit, & iudicia, quae in animo habeat de rebus, vt scilicet existimet honestas voluptates esse captandas: turpes vero fugiendas: neq; enim suis & ipse voluptatibus caret, sed & magnas & sinceras sentit. ἐπιθυμίαι vero, quia cupiditatibus, & ipse quibusdam ducitur: & vigent in eo desideria quaedam voluptatum: honestarum tamen sanctarumq;, & quibus frui possit sine alicuius damno, aut etiam sui ipsius labe, ac detrimento. longe autem aliter sentit de voluptatibus intemperans: contrariaeq; animum ipsius distrahunt cupiditates: quae enim secum damnauit, ac fugit vir temperans, intemperans, & probat & ardenter sectatur. Duobus locis hic discrepat antiquissimus liber a ceteris & scriptis & excusis: habet enim διὰ τὸ σώφρονα εἶναι: & infra περὶ τῶν ἡδέων: posteriorem harum varietatum confirmat vetus tralatio: neutra tamen sensum magnopere variat: nam in communi lectione σῶφρον, quasi habitum significat, qui in eo sit: cum altera valeat, qua temperans ille est: beneficioq; habitus ipsius. De rebus autem iucundis, siue de voluptatibus dicere, non valde videtur referre.

Διὸ τὰς μὲν τοιαύτας διαιρέσεις ἐατέον: σκεπτέον δὲ ποῖα ποίοις εἴωθεν ἕπεσθαι.

Quapropter huiuscemodi diuisiones omittendae sunt. considerandum autem est qualia qualibus comitari consuerunt.

Quare (inquit) huiuscemodi diuisiones, vt superuacaneae dimittendae: contentique esse debemus superioribus, vt necessarijs: verum quia patefactum est hanc aetatem, aut condicionem vitae, aut virtutem vitiumue, aut nonnullas alias res, quae in natura hominum animaduertuntur, consequi has opiniones, aut cupiditates, considerandum diligenter, quales res qualibus comitari consueuerint: vt quemadmodū inanes animaduersiones abijciendas putamus, ita quae vtilitatem aliquam in se habent, studiose persequamur. verum, quia non omnes, quae in hominibus visuntur, dissimilitudines sua ac propria quaedam, quae consequantur ipsas, habent (sunt enim nonnullae ita leues, vt animos sensusq; hominum non varient) quid consequatur

tantum illas videndum, quae mores commutant: & opiniones cupiditatesq; diuersas excitant: aliter, hic quoq; frustra laboraremus.

Εἰ μὲν γὰρ λευκὸς, ἢ μέλας, ἢ μέγας, ἢ μικρὸς, οὐδὲν τέτακται τῶν τοιούτων ἀκολουθεῖν.

Si namque albus, vel ater, vel magnus, vel paruus, nihil certum, & definitum est, quod his comitetur.

SI enim (inquit) albus an niger: magno corpore, aut paruo sit, nihil scilicet haec habere statum firmumq;, quod ipsas has varietates sequatur. vt quemadmodum diuites & pauperes: fortunati ac miseri longe diuersis opinionibus imbuti sint, ita candidi, aut nigri omnes. magni corpore, aut pusilli suas quasdam, & ipsi habeant de rebus opiniones ac desideria. In ij. autem libro τῶν ὑστέρων ἀναλυτικῶν tradens, non omnem differentiam vim habere reddendi aliquid diuersum: multa enim passim inueniri, in animantibus etiam, quae eiusdem sunt speciei, discrimina. verum id contingere, quia illa ex earum essentia non sunt: neque propter se, intellexit & has differentias: si quis scilicet candidus, aut niger: comatus, aut caluus sit, & illas etiam, quas sensus hic variare ac desideria affirmat: quae enim opiniones quoq; hominum, ac mores variant, naturam eorundem substantiamq; non variant. Hoc autem, quod nunc praecipit, contra artem illam facere videtur, quae docet, quomodo mores hominum naturaeq;, ex corpore, oculis, fronteque pernosci possint & φυσιογνωμία appellatur: quam tamen ipse non contempsit, sed accurate de ea libellum scripsit: ne dum enim dissimilitudinibus his, mores non variari putet, multo minoribus differentijs naturas hominum inter se distare tradit: haec tamen nunc reiecit Aristoteles, nec attendi debere vllo pacto existimat.

Εἰ δὲ νέος ἢ πρεσβύτης, ἢ δίκαιος, ἢ ἄδικος, ἤδη διαφέρει: καὶ ὅλως ὅσα τῶν συμβαινόντων ποιεῖ διαφέρειν τὰ ἤθη τῶν ἀνθρώπων.

Si vero adolescens est vel senex, vel iustus, vel iniustus, iam interest: & omnino cuncta, quae cum contingunt, vim eam habent, vt mores hominum varientur.

DIFFERENTIAS illas minutas non tantam vim habere dixerat, vt distinguerent sensus, ac desideria hominum, & certa quaedam definitaq; haberent, quae ipsas consequerentur, vt discrimina aetatum, & habituum animi nunc habere dicit, quae cum maiores differentiae sint, hoc omnino praestant. Si enim (inquit) adolescens, aut senex est: iustus, aut iniustus, tanta iam varietas facta est, vt non parum res differat: ac longe diuersae & opiniones, & cupiditates his & illis haereant. Addidit autem generatim, eiusdem etiam generis esse, eorum omnium, quae contingunt hominibus, illa, quae mores indolemq; ipsorum variant, & immutant: haec enim quoque, vt statim ipse exemplis explanat, habent, quae ipsis plerunq; comitentur.

Οἷον, πλουτεῖν δοκεῖν ἑαυτῷ ἢ πένεσθαι, διοίσει τι: καὶ ἀτυχεῖν ἢ εὐτυχεῖν: ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον ἐροῦμεν: νῦν δὲ περὶ τῶν λοιπῶν εἴπωμεν πρῶτον.

Veluti, si diuitem se aliquis esse putauerit aut pauperem, magni intererit; & miserum vel fortunatum: haec igitur postea trademus: nunc autem de reliquis primum dicamus.

SCRIPTI quidam libri δοκεῖ ἑαυτῷ habent. antiquissimus codex δοκῶν ἑαυτῷ: quam scripturam vetus quoq; tralatio refert. Sunt tamen in quibus, vt in excusis legitur: nec sane possum receptam hanc lectionem damnare, vt frequenti modo loquendi δοκεῖν τῷ, pro δοκεῖ τινὶ positum sit. si ita autem legatur, hic sensus erit. Si quispiam sit, qui se diuitem putet, aut pauperem, haec in animo ipsius vigens opinio, naturam ipsius variabit: hae namque fortunae dissimilitudines mores variant: certi enim mores factaque diuitias consequuntur, contraq; longe diuersi ab illis, paupertatem, vt ipse non multo antea declarauit: docuit enim, quae pauperũ diuitumq; cupiditates essent. sed hoc etiam, nullo indicante, facile intelligere poteramus: est enim res valde aperta. multum etiam inter se moribus atque opinionibus distant, qui secunda se fortuna vti, & qui aduersa putant. verum de his inquit consequenti tempore disseremus. prima autem parte ij. libri haec ipsum tradere, certum est: nunc vero de reliquis agamus, intelligens septem illas iam enumeratas causas.

Ἔστι δ' ἀπὸ τύχης μὲν τὰ τοιαῦτα γιγνόμενα, ὅσων ἥ τε αἰτία ἀόριστος καὶ μὴ ἕνεκά του γίνεται, καὶ μήτε ἀεὶ, μήτε ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, μήτε τεταγμένως. δῆλον δ' ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ τῆς τύχης περὶ τούτων.

Sunt

Sunt autem, quae a fortuna prouenıunt huiuſcemodı, quorum cauſa indefinita eſt, & non fiunt alicuius cauſa, & neque ſemper, neque plerunque, neque ordinatım, perſpicuum autem eſt e definitıone fortunae de his rebus.

CONCLVSERAT ſupra, quaecunq; homines faciunt, vna aliqua de ſeptem cauſis ipſos facere, a ſe explicatis. nunc, quae ex vnaquaq; illarum exiſtant, docet: primumq;, quae caſu fiant, declarat. haec igitur inquit fortuito prouenire dicuntur, a fortunaq; gigni, quae cauſam definitam non habent, nec finem certum aliquem ſibi propoſitum: quaeq; nec ſemper, nec plerunque, neq; etiam ordinate fiunt. cauſam vero indefinitam dixit, quia eadem a multis rebus: valdeque inter ſe diſcrepantibus, efficiuntur: neq; enim, quae a fortuna proficiſcuntur ſtabilem aliquam, vnamq; cauſam habent, ſed contra quam nemo vmquam definiret. eadem vero non gratia alicuius effici dicuntur: neq; enim illa ſibi propoſuerat is, cui contigere. diuerſa vero eſſe ab ijs, quae aut a natura, aut ab arte fiunt, ſignificare voluit, dicens illa, neque ſemper: neq; fere vſu venire: neq; enim, quamuis raro, certo quodam ordine, ſeruataq; ſerie temporum. haec autem (inquit) vera eſſe intelliget, qui fortunae definitionem animaduerterit. quibus vero verbis vim fortunae ipſe expreſſerit in ij. libro naturalis auſcultationis, notum eſt. quo ſane in loco vberius accuratiusq; de natura ipſius diſputat. Alius etiam eiuſdem definitionis meminit in libris de moribus ad Eudemum, vbi de fortunatis hominibus loquitur: cuius (vt teſtatur ipſe) alij auctores erant: cauſam enim eſſe illam aiebant, cuius ratio ingenij acie indagari non poteſt: nec ab humana mente afferri, ſed quaſi abſurda eſt, tamquam naturam quandam cauſamque extare vellent, vnde illa fierent: quae tamen adeo obſcura eſt, vt ab omnibus non intelligatur. Διὸ καὶ ὁριζόμενοι τὴν τύχην, τιθέασιν αἰτίαν ἄλογον ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ: ſic enim arbitror legi oportere, non vt in ijs, quos vidi, codicibus nunc legitur, ἀνάλογον. quae macula alium etiam locum inquinauit in primo libro ἠθικῶν μεγάλων, non longe ab initio, ita namque perſpicue legendum eſt. Συμβαίνει ἐν αὐτῷ, ἐπιστήμας ποιεῖν τὰς ἀρετὰς, ἀναιρεῖν τὸ ἄλογον μέρος τῆς ψυχῆς. cum in excuſis & ſcripto etiam libro perperam ἀνάλογον legatur: differit autem aduerſus Socratem, qui omnem virtutem in ratione poſitam eſſe dixerat.

Φύσει δὲ, ὅσων ἥ τε αἰτία ἐν αὐτοῖς, καὶ τεταγμένη: ἢ γὰρ ἀεὶ, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὡσαύτως ἀποβαίνει.

Natura autem gignuntur illa, quorum & cauſa in ipſis eſt, & ea ordinata: ſiue enim ſemper, ſiue plerunque eodem pacto eueniunt.

NATVRA inquit fiunt ea omnia, quorum cauſa in ipſis conſtituta eſt, ac certum quendam ordinem ſeruat. quomodo autem hoc verum ſit, oſtendit addens. Aut enim ſemper, aut plerunque eodem pacto fiunt. quod manifeſto eſt rerum ordinatarum. Animaduertendum autem, cum inquit. quorum cauſa in ipſis poſita eſt, ſeiunxiſſe eum, quae natura conſtant, ab ijs, quae ab arte fiunt: rerum enim artificioſarum cauſa extra eſt, & in artifice manet. ex definitione autem naturae intelligitur res naturales incluſam in ſe cauſam habere. cum vero ordinata, ſeparaſſe a rebus fortuitis, quae ſtatuti definitique nihil habent. Cum autem hic antea excuſi τεταγμένως haberent, τεταγμένη, vt in ſcriptis omnibus inueni, ſcribi malui. veterem praeterea tralationem cum hac facere animaduerti.

Τὰ γὰρ παρὰ φύσιν οὐδὲν δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι, πότερα κατὰ φύσιν τινὰ, ἢ ἄλλην αἰτίαν, γίνεται. δόξειε δ᾽ ἂν καὶ ἡ τύχη αἰτία εἶναι τῶν τοιούτων.

Quae namque praeter naturam nihil eſt opus exquiſite quaerere, vtrum vi naturae cuiuſpiam, vel aliam ob cauſam fiunt. videri autem poſſet & fortuna cauſa huiuſcemodi rerum.

NON eſt (inquit) nunc diſceptandi locus, quae contra naturam fiunt: è naturae ne aliqua vi, & ipſa fiant, an ab alia quadam cauſa gignantur. videri namque horum omnium fortuna cauſa etiam poſſet. intelligit autem monſtra: habent tamen illa quoque cauſam propriam, & quae poſſit ac ſoleat huiuſcemodi effecta procreare: aut enim preſſus, aut mala corporis temperatio, aut nimium, aut parum materiei, ſiue quae alia huiuſcemodi res per ſe ſe cauſa eſt naturarum harum inchoatarum, imperfectarumq;. Cum igitur monſtra ipſa, quae natura aliquo modo fiunt: nec tamen ordine ſeruato, definitioni huic repugnent: altera enim condicione rerum naturalium carent. intelligens hoc, negat eſſe nunc locum huius rei ſubtiliter diſputandae: videndique vtrum & ipſa natura fiant, an fortuna caſuue naſcantur: cum enim non a natura ſolum

ſolum fiant, ſed etiam fortuna multum in illis dominetur, pro fortuitis nunc capienda cenſet. In ij. autem naturalis auſcultationis decernit ea caſu minime fieri.

Βίᾳ δὲ, ὅσα παρ' ἐπιθυμίαν, ἢ τοὺς λογισμοὺς γίγνεται, δι' αὐτῶν τῶν πραττόντων.

Vi autem adhibita fiunt, quaecunque praeter cupiditatem, ſiue rationes ſuas ab aliquibus aguntur per illos ipſos, qui agunt.

QVAE vi fiant breuiter hic exponit. copioſius autem in iij. libro de moribus ad Nicomachum de hoc diſſeruit: exempla enim quoque adiunxit, quibus totam rem magis explanaret. Hic igitur inquit, vi fieri quaecunq; ab aliquibus geruntur ſua ipſorum manu, operaque, qui gerunt: contra eorundem tamen cupiditatem: ſiue ſubductam ab illis rationem alicuius commodi. Illic violentum eſſe tradit, cuius initium efficiensq; cauſa extra poſita eſt: nec id vlla re adiuuat is, qui facit coactus, aut perpetitur. vt ſi ventus inquit quopiam vehat: aut homines, in quorum poteſtatem veneris.

Ἔθει δὲ, ὅσα διὰ τὸ πολλάκις πεποιηκέναι, ποιοῦσι.

Conſuetudine autem, quaecunque, quia ſaepe geſſerint, gerunt.

CONSVETVDINE facere homines dicuntur, quaecunq; agunt, quia praeteritis temporibus illa ſaepenumero egerint: conſuetudo enim ita gignitur. quae & ipſa magnam vim habet ad homines impellendos.

Διὰ λογισμοῦ δὲ, τὰ δοκοῦντα συμφέρειν ἐκ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν, ἢ ὡς τέλος, ἢ ὡς πρὸς τὸ τέλος.

Ratione fiunt, quae videntur conducere è numero bonorum, quae iam dicta ſunt, ſiue vt finis illa ſint, ſiue, vt quae referuntur ad finem.

CONSILIO ac ratione fiunt, quae ſpeciem vtilitatis in ſe habent, de numero bonorum ſupra explicatorum: ſiue illa, vt vltima finesq; appetantur: ſiue, vt quae fines adiuuent, & ad eos perducant. Quod vero inquit ἐκ τῶν εἰρημένων, Cicero quoq; ita loquitur, vt in Bruto. » Quod eſt ex tribus oratorijs officijs alterum, cum abſq; praepoſitione generandi caſu idem dicere ſoleat. »

Ὅταν διὰ τὸ συμφέρον πράττηται: ἔνια γὰρ καὶ οἱ ἀκόλαστοι συμφέροντα πράττουσιν, ἀλλ' οὐ διὰ τὸ συμφέρον, ἀλλὰ δι' ἡδονήν.

Quando ob vtilitates geſta fuerint: non nulla enim intemperantes quoque faciunt, quae conducunt ipſis, verum minime propoſita ſibi vtilitate, ſed ob voluptatem.

VT aliquid ratione factum ſit, non ſatis eſt ipſum, quod geſtum eſt, ſpeciem vtilitatis praebere ac conducere, verum oportet ob vtilitatem ipſam adipiſcendam vſurpatum eſſe: quod enim adiungit, intemperantes etiam homines quaedam faciunt, quae proſunt: non tamen fructum aliquem ipſi primo ſibi inde propoſuerunt, ſed hortante libidine res illas aggreſſi ſunt, ex quibus vtilitas poſtea, nec ſperantibus, nec cupientibus ipſis, exorta eſt. quare non poſſunt dici facta ſubducta ratione alicuius commodi, & διὰ λογισμόν: propoſitum enim ſibi ille habet, id quod conducit.

Διὰ θυμὸν δὲ, καὶ ὀργὴν, τὰ τιμωρητικά: διαφέρει δὲ τιμωρία, καὶ κόλασις: ἡ μὲν γὰρ κόλασις τοῦ πάσχοντος ἕνεκά ἐστιν: ἡ δὲ τιμωρία, τοῦ ποιοῦντος, ἵνα ἀποπληρωθῇ.

Ob excandeſcentiam autem, atque iram, quae valent ad vlciſcendam iniuriam: diſcrepant autem inter ſe vltio, & caſtigatio: caſtigatio enim eius cauſa adhibetur, qui accipit: vltio autem eius, qui facit, vt expleatur.

PROPTER iram fieri dicuntur, quae vt paenas infligant ijs, qui ipſos laeſerunt, homines faciunt. cum autem Graecis τιμωρία & κόλασις idem ſignificare videatur, quid diſcriminis inter haec verba ſit, oſtendit: ac docet diuerſos fines earum rerum eſſe: κόλασις enim illius gratia, cui dolor inuritur, eſt. vt ſcilicet plagis illis admonitus peccare deſinat: in reliquumque ſibi a rebus improbis temperet. cuiuſmodi paenae ſunt, quas parentes liberis delinquentibus important: τιμωρία vero eius, qui dolorem ſuum vlciſcitur, cauſa manet: vt animo ipſius ſatisfiat & ſitim ille expleat, qua tenebatur, puniendi inimicum. Vnde ſaepe caſtigatio a ſedato animo fit: vltio vero ab irato & commoto. Cum igitur videret vocabula haec paſſim, aut confundi, aut

coniungi

coniungi (vt ipse quoque in iij. de moribus ad Nicomachum fecit, cum inquit, de legum latoribus loquens. κολάζουσι γὰρ καὶ τιμωροῦνται τοὺς δρῶντας μοχθηρά) ne error inde aliquis nasceretur, propriam vtriusque notionē attulit: quae enim, animo corrigendi quempiam, paenae ipsi afferuntur, non easdem causas habent, quas dolores, qui ab inimicis, ijs, qui antea iniuria laeserint, inuruntur. hic autem διὰ θυμὸν καὶ ὀργήν, posita ἐκ παραλλήλου videntur: quamuis alia vis sit irae, alia excandescentiae: sic enim Cicero θυμὸν reddidit, siquis minute haec nunc, exquisiteque persequi velit.

Περὶ μὲν οὖν τίνα ἐστὶν ἡ ὀργή, δῆλον ἔσται ἐν τοῖς περὶ παθῶν.

In quibus igitur rebus manet ira, planum erit, vbi praecipietur de animi motionibus.

In quibus rebus excitetur ira, perspicuum inquit erit in ij. horum librorum, vbi agetur de affectionibus animi. quasi indicans, ea de causa se nunc breui de illa egisse, quia in animo habebat copiose illic accurateque de ira, vt de reliquis animi commotionibus, disputare. Varietatis vero hoc est in antiquissimo libro, quod ille habet. τί μὲν οὖν ἐστιν ἡ ὀργή, quasi ostendere voluerit, se naturam eius illic accurate euoluisse.

Δι' ἐπιθυμίαν δὲ πράττεται, ὅσα φαίνεται ἡδέα.

Ob cupiditatem autem geruntur, quaecunque speciem habent rerum iucundarum.

Propter cupiditatem, ac libidine impulsi facere homines dicuntur ea, quae speciem prae se ferunt suauitatis: & aut iucunda sunt, aut videntur. in quorum numero quaedam esse tradit, quae, qui diu in illis versati non essent, iucunda numquam putarent: nec enim tantum, quae sua vi huiuscemodi sunt, iucunda sunt, sed non nulla, quae dura & aspera alijs videntur, quibusdam voluptatem gignunt.

Ἔστι δὲ καὶ τὸ συνῆθες, καὶ τὸ ἐθιστὸν ἐν τοῖς ἡδέσι.

Est autem & quod familiare est, & cui aliquis assuetus fuerit in rebus iucundis.

An ἐκ παραλλήλου haec posita sunt? nullumq; discrimen inter ipsa, nisi verborum, versatur? vel potius συνῆθες valet, quod familiare est alicui: in quo diu vixit: quod in more & consuetudine est omnium. Ἐθιστὸν vero, quo aliquis assuetus est. quod longo vsu partum. In posteriore hoc verbo (nisi fallor) apparet studium: operaque eius, qui, accommodatum illud sibi esse ducens, vt id acquireret, laborauit: aut imposita sibi necessitate aliqua diu illud tractauit. In iij. de moribus ad Nicomachum, de ingenio intemperantis loquens, ait. καὶ γὰρ ἐθισθῆναι ἔχουσι πρὸς αὐτά· πολλὰ γὰρ ἐν τῷ βίῳ τοιαῦτα καὶ οἱ ἐθισμοὶ ἀκίνδυνοι. in priore vero nulla industria, aut cura, sed potius vna cum aetate creuisse, eo verbo intelligitur. vt cum a puero quispiam in illis vixerit, inde factum sit, vt ea ipsi iucunda videantur. Sic videtur hanc vocem cepisse in minore ᾱ τῶν μετὰ φυσικά, cum inquit: ἡλίκην δὲ ἰσχὺν ἔχει τὸ συνῆθες, οἱ νόμοι δηλοῦσι. quantam vim habet consuetudo, & mos patrius, vt etiam quod aiunt, συνήθη ποιεῖν, idest iusta mortuis facere. quia mos omnium est, extremo illo munere fungi erga ipsos. Verum autem ac vitae nostrae mirifice vtile Pythagorae praeceptum, declarat quanta vis sit consuetudinis: auctor enim ille erat mortalibus, quos plerunq; toto animo persequi voluptates sciebat, vt vitam optimam eligerent: consuetudo enim aiebat ipsam semper suauem efficiet. verba ipsius haec sunt. ἑλοῦ βίον τὸν ἄριστον, ἡδὺν δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει, a magnis grauibusq; scriptoribus multum celebrata, & a Cornificio etiam in iiij. libro de arte dicendi ad Herennium Latinis verbis expressa. Sed Cicero quoque in ij. quaestionum Tusculanarum vim consuetudinis extulit, exemploque venatorum vsus est. qui, vt ipse inquit, pernoctant in niue: in montibus vri se patiuntur.

Πολλὰ γὰρ καὶ τῶν φύσει μὴ ἡδέων, ὅταν ἐθισθῶσιν, ἡδέως ποιοῦσιν.

Multa enim eorum etiam, quae natura minime iucunda sunt, cum assueuerint, homines libenter faciunt.

Multa enim inquit eorum, quae sua vi, naturaque iucunda non sunt, iucunda hominibus videntur, cum assueuerint. Varietas autem lectionis non parua hic est: quae tamen verba potius quam sententiam immutet. Antiquissimus liber ab excusis nulla alia re discrepat, nisi quod συνεθισθῶσιν habet. plures alij scripti, ὅταν συνεθισθῶσιν, ἡδέα ποιοῦσιν: quae si recipiatur, extremum nomen dandi casus erit, non tertia persona verbi. praepositione autem auctum antecedens verbum, in vsu esse constat. ipse in xviij. problematum segmento, τί δ' ἄντικρυς ἐξ ἀρχῆς ἕλωνται, καὶ οἷς ἂν συνεθισθῶσιν.

Ωσε

Ὥστε συλλαβόντι εἰπεῖν, ὅσα δι' αὑτοὺς πράττουσιν, ἅπαντά ἐστιν ἢ ἀγαθὰ, ἢ φαινόμενα ἀγαθά: ἢ ἡδέα, ἢ φαινόμενα ἡδέα.

Quapropter, vt summatim dicam, quaecunque per se ipsos agunt, cuncta sunt vel bona, vel speciem bonorum habent: vel iucunda, vel speciem iucundorum habent.

CVM septem supra attulisset humanorum factorum causas, vt explicatione illarum ostenderet, quibus rebus homines ad agendum aliquid feruntur, relictis nunc ijs, quibus in iudicijs ignoscitur: illis scilicet, quibus impellentibus homines non agunt propter se: cuius generis est fortuna. vis adhibita. atq; natura, reliquarum quattuor effecta, materiamque colligit, atque ad duo genera perducit, bonum ac iucundum: quae namque consuetudine tractant, iucunda hominibus esse vult, non solum, quae cupiditate inflammati faciunt: quae vero ira impulsi, & ipsa eodem refert: aegritudo namque ita pellitur, quae commouit animos ipsorum, & paena petitur ab inimicis: quae res voluptatem gignit. Ratione autem bona quaeruntur: ipsiusque ope, quod prodesse creditur, captatur.

Ἐπεὶ δ', ὅσα δι' αὑτοὺς, ἑκόντες πράττουσιν: οὐχ ἑκόντες δὲ, ὅσα μὴ δι' αὑτοὺς, πάντ' ἂν εἴη, ὅσα ἑκόντες πράττουσιν, ἢ ἀγαθὰ, ἢ φαινόμενα ἀγαθὰ, ἢ ἡδέα, ἢ φαινόμενα ἡδέα.

Quia autem, quaecunque per se ipsos, sponte agunt: non sponte autem, quaecunque non per se ipsos, cuncta vtique essent, quaecunque sponte agunt, vel bona, vel simulata bona: vel iucunda, vel simulata iucunda.

OSTENDERAT iam, quae homines per sese agunt, cuncta esse aut bona, simulataue bona: aut iucunda, simulataue iucunda. nunc vero addit, quae sponte ijdem agunt alterius vtrius generis omnino esse: vtq; id probet, vtitur eo, quod planum iam factum est. quaecunque homines agunt per sese, agere illa sponte: non sponte autem, quae non per sese agunt. ex quo id manifesto efficitur: ac firma ratione concluditur, omnes scilicet res, quas sponte agunt, aut vere, aut specie tenus, esse bonas: aut iucundas, aut specie tenus iucundas. Non sine causa autem οὐχ ἑκόντες potius quam ἄκοντες inquit: videtur enim discrimen, quod in iij. de moribus ad Nicomachum admonuit inter has res esse, seruare: neq; enim omnes, qui sponte aliquid non agunt, faciunt etiam inuiti: qui namque rem prius nescientes, imprudenter eam admiserunt, si nullus animi dolor postea ipsos cepit, sponte fecisse nullo modo dici possunt: neque etiam inuiti, quippe cum facto illo delectati sint. oportet autem aegre tulisse suscepta aliqua culpa, qui iudicari volunt, se inuitos peccasse: quare ita putat vocandos ac mediam hanc viam in facto eorum existimando, tenendam.

Τίθημι γὰρ καὶ τὴν τῶν κακῶν, ἢ φαινομένων κακῶν, ἢ ἀπαλλαγὴν, ἢ ἀντὶ μείζονος ἐλάττονος μετάληψιν, ἐν τοῖς ἀγαθοῖς: αἱρετὰ γάρ πως ἐστι, καὶ τὴν τῶν λυπηρῶν, ἢ φαινομένων, ἢ ἀπαλλαγὴν, ἢ μετάληψιν ἀντὶ μειζόνων ἐλαττόνων, ὡσαύτως ἐν τοῖς ἡδέσι.

Pono enim & malorum, & simulatorum malorum, siue dissolutionem, siue pro maiore minoris commutationem, in bonis: expetenda enim aliquo modo sunt, & asperarum rerum, vel simulatarum talium, siue dissolutionem, siue commutationem, pro maioribus minorum, eodem pacto in iucundis.

CVM dico inquit cuncta, quae homines sua sponte faciunt, vtilia, aut iucunda esse, aut speciem eorum habere, numero etiam in bonis, depulsionem malorum, aut creditorum etiam falso malorum: nec non reiecto maiore malo, minoris sumptionem. vt in iucundis etiam, rerum asperarum, aut quae speciem illarum habent, depulsionem, vt etiam reiectis magis asperis, cum minus asperae eliguntur: quamuis enim haec sua vi expetenda non sint, comparata tamen illis expetenda fiunt. nequis igitur sibi negotium facesseret, dicens falsum esse, quod dixerat, quae homines sua sponte faciant, esse cuncta bona siue iucunda: aut saltem speciem illorum retinere: quod non semper bonum sumant: verum etiam saepe studeant a se tantum, malum aut verum, aut simulatum arcere: nec non aliquando etiam malum manifesto eligant, hoc addendum censuit: docuitq; huiuscemodi omnia pro bonis habenda. eadem ratio eorum, quae molesta, & odiosa non numquam eliguntur. Quod vero ad structuram verborũ, quibus ea exposuit, pertinet, vbi inquit ὡσαύτως ἐν τοῖς ἡδέσι, repetendum est ἀπὸ κοινοῦ, verbum τίθημι, hoc sensu. colloco & numero in rebus iucundis. Quid ἀπαλλαγὴ sit & quid μετάληψις apertum est: ἀπαλλαγὴ enim vocatur, cum quispiam malum, quo iam premitur, a se remouet; ac vacuus illo liberque restat.

restat. μετάληψις ἀντὶ μείζονος ἐλάττονος, cum duobus malis, ita alicui propositis, vt cogatur alterum sumere: nec ambo simul declinare possit, posthabito maiore, minus eligit: id enim rationem boni habet ac sumi solet. quod Demosthenes quoq; contra Theocrinem testatur. ὅπερ ἂν ἀναγκαῖον αὐτοῖς, τοῦτ᾽ ἔπραξαν: εἵλοντο γὰρ τῶν παρόντων κακῶν, τὰ ἐλάχιστα.

Ληπτέον ἄρα τὰ συμφέροντα, καὶ τὰ ἡδέα, πόσα καὶ ποῖα. περὶ μὲν οὖν τοῦ συμφέροντος ἐν τοῖς συμβουλευτικοῖς εἴρηται πρότερον: περὶ δὲ τοῦ ἡδέος εἴπωμεν νῦν.

Captandum igitur vtilia, & iucunda, quot & qualia sint. de ijs igitur, quae conducunt, dictum est prius in genere deliberandi: de iucundo autem tradamus nunc.

QVAE voluptatem gignant: iucundaq; hominibus sint, indicare nunc vult: illorum enim quoq; potiendorum causa saepe iniurias alijs faciunt. ante tamen docet se hoc tradere nunc debere: connectitque superiora cum inferioribus hoc pacto. Cum conclusum sit, quae homines sua sponte faciunt, aut vtilia, aut iucunda esse, aut speciem illorum retinere, vt praeceptio haec absoluatur, quae vtilia, & quae iucunda sint, explicare oporteret: cum tamen alterum horum iam explanatum sit, supersedere hoc labore possumus: vbi enim supra deliberandi genus tradidimus: quod finem habet vtilitatem, quae prodesse, & vtilitatem aliquam afferre possunt, docuimus. Restat igitur nunc de iucundo disserere.

Δεῖ δὲ νομίζειν ἱκανοὺς εἶναι τοὺς ὅρους, ἐὰν ὦσι περὶ ἑκάστου, μήτε ἀσαφεῖς, μήτε ἀκριβεῖς.

Existimare autem decet definitiones aptas esse, si fuerint de singulis rebus, neq; obscurae, neque exquisitae.

HVIVSCEMODI loci accurate attendendi sunt, qui consilium auctoris detegunt, docentque ipsum ad sensus opinionesq; multorum in his libris totum se accommodasse: neque enim debuit hic exquisite omnia pertractare: subtiles enim quaestiones & minute singula pertractantes, non pertinent ad oratorem expoliendum. Existimandae igitur (inquit) sunt huic scriptioni satis, definitiones: nec reici vllo modo, vt imminutae debent, quae de singulis rebus prolatae fuerint, neq; obscurae: neque exquisitae: obscurae namque nullo modo probari possent. non exquisitis commode locus hic erit. & non solum ferri poterunt, sed magis huic tempori fortasse quam subtiles, quadrabunt. Causa autem tam accurate viam sibi muniendi fuit, quod voluptatis naturam euoluere debebat. de qua diuersae diuersorum sententiae erant: nec explicari illam paucis posse intelligebat. vnde statim, infirmitatem ipsius definitionis indicans, inquit, ὑποκείσθω δ᾽ ἡμῖν, vt qui tempori huic seruiebat.

Υποκείσθω δ᾽ ἡμῖν εἶναι τὴν ἡδονὴν κίνησίν τινα τῆς ψυχῆς.

Ponamus igitur voluptatem esse motionem quandam animi.

PONATVR autem inquit (neq; enim concertare nunc de hoc volumus, sed sine controuersia hoc, tamquam firmum statuere) voluptatem motum quendam animi esse. Alexander in ij. librum Topicorum plures definitiones attulit voluptatis: ostendit enim quosdam leuem motum eam esse dixisse: alios vero generationem in naturam, quae sensu percipiatur: non nullos effusionem expertem rationis (ita enim appello διάχυσιν, quo verbo ipse vtitur. vnde manifesto intelligitur, mendose legi apud eundem pluribus locis in vj. quaestione iiij. libri de voluptate loquentem, διάλυσιν: nihil enim tam repugnat, quam dissolutio animi, aut corporis, voluptati) vt qui etiam putarent eam actum esse habitus in natura sua manentis, & eum vacuum ab omni molestia atque impedimento, aut finem, qui comitaretur postremis actionibus. Hic igitur Aristoteles motionem quandam cum dixit, leuem intellexit. motionem autem, quia immutatio quaedam sit. vt ex eo statu, in quo animus, siue animans sit, ad alium transeat. esse autem hanc non sincerae liquidaeq;, sed imperfectae voluptatis definitionem, patet.

Καὶ κατάστασιν ἀθρόαν καὶ αἰσθητὴν, εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν.

Et constitutionem subitam, atque sensilem in naturam existentem.

DE conformatione ipsius nunc loquitur: eamque momento temporis fieri dicit: neque enim parte parti succedente: neque temporis interuallo conflatur, sed subito, atque vna tota completur. Conformationem autem voluptatis eiusmodi intelligit, qua in propriam naturam animans, vnde deiecta sit, referatur: neque enim saturatis ac nulla re egentibus adportat repletio voluptatem. His autem adiungit, sensilem eam esse. quasi voluptas non sit, quae non percipitur ac sentitur. Ipsemet tamen in viij. libro de moribus ad Nicomachum hanc defini-

tionem

tionem vitiosam esse docet, & quomodo emendari possit ostendit: accuratius autem vberiusq; in x. eam perpendit, totamq; refellit atq; exagitat. sed haec nunc non curare decreuit. & in ipsa etiam inchoata satis esse momenti putat, ad id, quod vult declarandum. qui autem auctores ipsius fuerunt, vt Graecus interpres eorum librorũ affirmat, quae sensum moueat, addiderunt, vt distinguerent a concoctionibus. nam concoctio quoq; motio est: est enim commutatio illa, quam Graeci ἀλλοίωσιν vocant: verum sensibus non percipitur concoctio cum fit.

Λύπην δὲ τοὐναντίον.

Contrarium autem dolorem.

AEGRITVDINEM autem, contrariam voluptati rem, motum & ipsam esse, sed asperum & labefactationem quandam, quae vndiq; simul fiat, diuellatq; animantem è suo, sibiq; apto, statu.

Εἰ δή ἐστιν ἡ ἡδονὴ τὸ τοιοῦτον, δῆλον ὅτι καὶ ἡδύ ἐστι τὸ ποιητικὸν τῆς εἰρημένης διαθέσεως.

Si voluptas iam est huiuscemodi aliquid, non est dubium, quin iucundum sit, id, quod efficiens est dictae affectionis.

SI voluptatis vim satis expressimus, & id ipsum, quod exposuimus: huiuscemodiue quippiam voluptas est, necesse est, quod status affectionisq; huius in hominibus efficiens est, id iucundũ sit: vt contra, quod ipsam perdit, aut contrarium motum inducit, triste, & odiosum: ita enim nunc appello λυπηρόν.

Τὸ δὲ φθαρτικόν, ἢ τῆς ἐναντίας καταστάσεως ποιητικόν, λυπηρόν.

Quod autem vim habet ipsam interimendi, siue efficiens est contrarij status, triste, ac molestum est.

QVOD iucundo contrarium est, triste, non vnius generis est: aut enim, quod dissipat interimitq; statum illum, quo voluptas existit: aut quod contrariam illius naturam inducit, & efficit. molesta igitur est, & voluptatis perturbatio, & aegritudinis importatio. In quo etiam animaduertendum est odiosius esse, quod aegritudinem gignit: facilius enim voluptate caremus, quam aegritudinem sentimus.

Ἀνάγκη οὖν ἡδὺ εἶναι τό, τε εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἰέναι, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Necesse igitur iucundum esse, accedere ad illud, quod secundum naturam est plerunque.

QVAE iucunda sint iam incipit explicare: primoque tradit, superioribus sententijs positis fieri non posse, quin suaue sit cuicunq;, accedere ad illud, quod ex natura ipsi est: eoq; totis viribus tendere. Huiuscemodi autem est naturalibus corporis muneribus fungi. ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ vero addidit, atq; id plerunq; verum esse significauit: res enim aliquando aliter se habet, ob deprauatas non nullorum διαθέσεις, ac naturas.

Καὶ μάλιστα, ὅταν ἀπειληφότα ᾖ τὴν ἑαυτῶν φύσιν τὰ κατ' αὐτὴν γιγνόμενα.

Et maxime cum recuperarint iam suam naturam, quae secundum ipsam fiunt.

SI dum res fit, voluptatem gignit: & cum quispiam tendit ad id, quod ipsi ex natura est, iter illud perfundit iucunditate, peruenisse iam eo, recuperasseq; naturam suam, quam antea amiserant, quae ex natura illa fiunt, maiorem voluptatem creet necesse est: magisque iucundum sit: maior enim motus tunc, sensusq; excitatur.

Καὶ τὰ ἔθη: καὶ γὰρ τὸ εἰθισμένον, ὥσπερ πεφυκὸς ἤδη γίγνεται: ὅμοιον γάρ τι τὸ ἔθος τῇ φύσει.

Et consuetudines: cui enim aliquis assuetus fuerit, tamquam ex natura iam fit: simile enim quiddam est consuetudo naturae.

PRAETEREA consuetudo, vsitataeq; res, iucundae sint necesse est: cuius rei causam afferens inquit: quod enim consuetudine quadam fit, cuiq; assueti sumus, est tamquam innatum nobis, insitumq; a natura: consuetudo namque naturae assimilis quaedam res est, de similitudine autem consuetudinis & naturae inter se, & in vij. de moribus ad Nicomachum ipse egit, & Theophrastus in iij. eorum librorũ, quibus causas stirpium, atq; omnium, quae oriuntur è terra

» attulit, his verbis. ἰσχυρὸν δὲ ὅπερ ἐν τοῖς ἄλλοις καὶ ἐν τούτοις, τὸ ἔθος· οἷον γὰρ φύσις γίνεται. Multum autem posse consuetudinem, quod dixit in stirpibus, vt in ceteris rebus, fecit vt poëta noster, au-
» ctoritatem eius secutus, exclamarit. Adeo in teneris assuescere multum est.

Ἐγγὺς γὰρ καὶ τὸ πολλάκις τῷ ἀεί: ἔστι δ' ἡ μὲν φύσις, τοῦ ἀεί: τὸ δὲ ἔθος, τοῦ πολλάκις.

Propinquum enim est, quod crebro fit, ei, quod semper fit: est autem natura eius, quod semper fit: consuetudo vero eius, quod crebro.

QVAM prope accedat consuetudo ad naturam, similisq; illi sit, aperte declarat: quod enim inquit, crebro fit, non magno interuallo distat ab eo, quod semper fit: quae autem semper fiunt, natura duce fiunt: quae crebro, consuetudine.

Καὶ τὸ μὴ βίαιον δέ: παρὰ φύσιν γὰρ ἡ βία.

Et quod minime violentum est: praeter naturam enim vis est.

QVOD vi non fit, id etiam iucundum est. a contrario autem id confirmat: vis enim inquit aduersatur naturae: cogit namque homines facere, quae contraria sunt appetitionibus ipsorum: ijsque, quae in animo proposita habebant. Vbi igitur vis non est, ea ex natura fieri videntur, quae iucunda esse iam demonstrauit.

Διὸ αἱ ἀνάγκαι, λυπηρόν: καὶ ὀρθῶς εἴρηται: Πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρὸν ἔφυ.

Quare necessitates impositae, triste quiddam sunt: recteque dictum est. Omnis enim res, quam necessario aliquis gerit, molesta natura sua est.

HAEC causa est (inquit) cur, quae necessitate sibi allata homines faciunt, odiosa molestaq; ipsis sunt: violenta namque sunt. Cuncti autem huiuscemodi tristia esse intelligebant, quorum scilicet faciendorum necessitas imposita esset hominibus: nec tamen causam videbant, quam reddit hic Aristoteles. Vt autem hic necessitatem, quae imponitur tristem esse concludit: quia cum violenta sit, praeter naturā est, ita in iiij. libro τῶν μετὰ τὰ φυσικά, violentum triste esse confirmat, quia necessarium, quo etiam in loco eundem hunc Eueni pentametrum adducit. In ij. quoq; libro de moribus ad Eudemum, vbi disputat, quid nam sit illud, quod homines dicuntur sponte facere, hoc ipso Eueni testimonio, nomine ipsum appellans, vtitur: cum dixisset omne quoq;, quod necessitate imposita gerunt, aut perpetiuntur, molestum esse, atq; aegritudinem importare. retro autem agi affirmat. vt si quod dolorem inurit, est violentum, & quod violentum est, dolorem inurat. Sed idem etiam versus a Plutarcho adductus est in commentario, quo docet institutionem illam vitae, quam excogitauit Epicurus, ne iucundam quidem esse: quamuis ipsi eam refertam omnibus voluptatibus praedicarent. Animaduertendum autem illum vno tantum verbo immutato, sententia manente, a Theognide vsurpari: sic enim in eius poëmate legitur. πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ' ἀνιαρὸν ἔφυ. antiquissimus liber aliter hic, ac reliqui omnes, δὲ τὸ ἀναγκαῖον habet.

Τὰς δ' ἐπιμελείας, καὶ τὰς σπουδὰς, καὶ τὰς συντονίας, λυπηράς.

Sedulitates autem adhibitas, & studia, & contentiones, tristes ac molestas esse.

REPETI hic quoq; ἀπὸ κοινοῦ oportere ἀνάγκη, manifestum est: ἐπιμελείας vero vocat sedulitatem, ac diligentiam: cum adhibita magna cura quippiam tractatur: quo verbo etiam in ij. horum
» librorum vsus est. Sed etiam in vj. de moribus ad Nicomachum, καὶ γὰρ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπιμελείαις
» περὶ ὅσας ἐστὶν ἐπιστήμη, & quae sequuntur. συντονίας vero contentiones animi. Quod autem necessaria haec esse affirmat, intelligit nos cogi ita facere. cogi autem, si velimus aliquid consequi, ac propositum nobis finem adipisci: neq; enim necessitas vlla simpliciter nobis ita nos gerendorum imponitur: nec nisi aliquid commodi inde caperet, quisquam ea persequeretur, ac propter se ascisceret. Animaduertendum etiam verba illa ἐὰν μὴ ἐθισθῶσιν, respondere sententiae, qua dixerat, tristes atque odiosas res illas esse: propinquis enim verbis accommodari non possunt: quamuis enim quispiam illis assuetus sit, tamen necessitate ea imposita fiunt, ac violenta sunt.

Ἀναγκαῖα γὰρ καὶ βίαια ταῦτα, ἐὰν μὴ ἐθισθῶσιν: οὕτω δὲ, τὸ ἔθος ποιεῖ ἡδύ.

Necessaria namque ac violenta sunt haec, nisi aliqui assueti fuerint: quod cum contingit, consuetudo gignit voluptatem.

Accvrate aliquid tractare, summumq; studium, ac diligentiam in eo adhibere, magna demum contentione animi in quapiam re vti, molestum est, & non sine dolore fit. Huius rei causam reddens inquit: haec enim omnia necessaria, ac violenta sunt. ijs solis odiosa non sunt: qui diu in illis studijs, atq; artibus versati fuere: neque tamen ea tunc naturam suam commutant, sed quod in illis rebus iucundi est, aliunde proficiscitur: consuetudo enim hanc suauitatem parit. constat autem multos in laboriosis corporis atq; animi exercitationibas, cum voluptate versari.

Τὰ δ' ἐναντία, ἡδέα. Διὸ αἱ ῥαθυμίαι, καὶ αἱ ἀπονίαι, καὶ αἱ ἀμέλειαι, καὶ αἱ παιδιαὶ, καὶ αἱ ἀναπαύσεις, καὶ ὁ ὕπνος, τῶν ἡδέων.

Contraria autem his, iucunda sunt. Quare cessationes, & otia, & negligentiae, & lusiones, & requietes, & somnus, numerantur in rebus iucundis.

Contraria illorum trium, quae supra appellauit, intelligit: quae necessario iucunda esse docet: eiq; statim addidit. Διὸ αἱ ῥαθυμίαι, & quae sequuntur. vnde haec iucunda sunt: nominat autem quaedam, quae multum naturae earum retinent, ac paene illae ipsae sunt: ab ipsisque, quae contrariae superioribus sunt, ne nominib. quidē discrepant: manifesto enim ἀμέλεια contrarium videtur esse superioris verbi ἐπιμέλεια. Argumentatur autem ex loco a contrario: haec namq; omnia sponte amplectimur, nulla re coacti. In oratione pro M. Caelio Cicero, cum vitam ipsius iudicibus probaret: quamuis non ita tristis, ac seuera fuisset, vt veterum illorum Romanorum fuerat, multas voces protulit, his verbis exprimendis aptas: inquit enim. Omnemq; vitae suae cursum in labore corporis, atq; in animi contentione conficeret: quem non quies, non remissio, non aequalium studia, non ludi, non conuiuia delectarent. nam σωπονίας contrariumq; illius, manifesto expressit, cum in epistola quadam ad Q. Fratrem inquit. Verum otij fructus est, non contentio animi, sed relaxatio. ῥαθυμία autem animi in primis cessatio esse videtur: ἀπονία vero corporis, detrectatio scilicet laboris: ῥαθυμία eorum dicitur, qui nullam grauem cogitationem suscipere volunt, & publicas priuatasq; res dilabi patiuntur, vt socordia illa perfruantur. ἀπονία vero, eorum. qui nullum laborem corpore sustinere decreuerunt.

Οὐδὲν γὰρ πρὸς ἀνάγκην τούτων.

Nihil enim horum necessario fit.

Rationem, cur haec iucunda sint, reddens inquit: horum enim nihil necessitate nobis imposita, sed sponte libenterq; gerimus: quae autem coacti facimus, supra odiosa esse docuerat. Si illa igitur molesta, haec, quae opposita illis sunt, iucunda. Hanc autem suauitatem, quae naturalis est, &, si modice quaeratur, reprehendi non potest, secuti non nulli, etiam sapientes habiti, modum in ea non tenuerunt: tantumq; requieti, ac cessationi tribuerunt, vt in ipsa vitam beatam constituerint. cuius sententiae principes fuerunt & Hieronymus & Epicurus. Inde Lucretius otia dia in v. libro eleganter appellauit.

Καὶ οὗ ἂν ἡ ἐπιθυμία ἐνῇ, ἅπαν ἡδύ: ἡ γὰρ ἐπιθυμία τοῦ ἡδέος ἐστὶν ὄρεξις.

Et cuius cupiditas haeserit animo alicuius, omne illud iucundum est: cupiditas enim est appetitio rei iucundae.

Id etiam, cuius cupiditate tenemur, iucundum omne sit necesse est. explicata autem natura cupiditatis, rem ita se habere confirmat: nisi enim suauitatis aliquid in se haberet, tam acre in nobis desiderium sui non excitaret. Quibus autem hic verbis cupiditatem definijt, ijsdem alijs etiam in locis naturam ipsius expressit: appetitio enim rei iucundae semper ab eo reddita est.

Τῶν δὲ ἐπιθυμιῶν: αἱ μὲν, ἄλογοί εἰσιν: αἱ δὲ, μετὰ λόγου: λέγω δὲ, ἀλόγους μὲν, ὅσας μὴ ἐκ τοῦ ὑπολαμβάνειν τι ἐπιθυμοῦσιν.

Cupiditatum autem hae quidem, sunt expertes rationis: hae vero, participes: intelligo autem expertes rationis, quibus homines, non quia expectent inde aliquid, corripiuntur.

Cvpiditatvm duo genera esse tradit: atq; alias, expertes: alias, participes rationis appellat. expertes, quas non iudicio suscepimus: neq; quod eas res nobis accommodatas opinemur. hae autem sunt, quae nobis a natura insitae esse dicuntur, inquit. hae vero in beluis etiam repperiuntur, vnde fortasse vacuas a ratione eas dixit: quamuis enim homines quoque ijs desiderijs

teneantur, qui rationis compotes sunt, in illis expetendis hac animi parte non vtuntur, sed naturae impulsum sectantur.

Εἰσὶ δὲ τοιαῦται, ὅσαι λέγονται εἶναι φύσει. ὥσπερ αἱ διὰ τοῦ σώματος ὑπάρχουσαι. οἷον ἡ τροφῆς δίψα καὶ πεῖνα.

Sunt autem huiuscemodi, quaecunque dicuntur esse natura. veluti quae vi corporis in nobis excitantur, vt alimenti sitis & fames.

NVNC, quae illae sint explanat, quas sine meditatione naturae ipsarum homines cupiunt: &, vt certo teneantur, tamquam exemplum earum ponit, dicens. Sunt autem huiusmodi quaecunq; dicuntur manere natura. cuius generis sunt, quae propter vsum corporis nobis haerent, vt alimenti, quod desiderat, sitis ac fames: tam enim alimentum est humidus, quam aridus cibus. An valent διὰ τοῦ σώματος ὑπάρχουσαι, quae in animũ irrepunt, atq; illic haerent, a corpore quasi profectae: indeq; ductae: nam animus noster quaedam sua vi accipit, non vtens corpore tamquam impulsore: quaedam autem contra, veluti admonitum ab ipso, vt ab illo hae voluptates manent: perq; ipsum aliquo modo transeant.

Καὶ καθ' ἕκαστον εἶδος τροφῆς, ἐπιθυμία.

Et per singula genera alimenti, cupiditas.

NON solum vacare ratione naturale desiderium corpus alendi: famemque ac sitim depellendi, inquit: sed huius etiam, aut illius cibi, qui cuiusq; naturae aptus accommodatusq; sit, appetitionem: hoc enim quoq;, quamuis iudicio videatur susceptum, & ab intemperantia proficisci, naturalis desiderij aliquid in se habet. quod diuersae res, quibus vescantur, varijs hominibus iucundae sint, inueniantūrq; certae quaedam etiã dapes, quae omnibus mortalibus iucundiores vulgaribus quibuslibetq; sint: in iij. quoq; libro de moribus ad Nicomachũ, vbi de hoc diligenter quaesiuit, Aristoteles declarauit. Varietatis hoc est in antiquissimo libro, quod non ἐπιθυμία ille habet, sed εἶδος ἐπιθυμίας: cuius lectionis vestigium alibi non repperi.

Καὶ αἱ περὶ τὰ γευστὰ, καὶ περὶ τὰ ἀφροδίσια, καὶ ὅλως τὰ ἁπτὰ, καὶ περὶ ὀσμὴν εὐωδίας, καὶ ἀκοὴν, καὶ ὄψιν.

Et quae in his sunt rebus, quae gustatu percipiuntur, & in rebus venereis, & omnino ijs, quae tactu, atque in odoribus, suauitates ipsorum, & quae auditu, & aspectu.

VOLVPTATES appellat, quae singulis in sensibus conditae sunt: γευστὰ autem, quae gustatus sentit, ac sapore percipiuntur: &, vt epularum desideria, ita etiam Veneris: quae libido cum tactu expleatur, addit etiam communiter rationes omnes, quibus tangendo corpus titillatur: in his autem intemperantia iam manet, vnde a superioribus ipsas seiunxit. Nec non voluptates, quae capiuntur naribus, è rebus suauem odorem exhalantibus: vt è violis rosisq;, aut incensione quorundam lignorum, vt cedri, aliarumue rerum: siue vnguentis corpus perfundatur. quemadmodum etiam, quae auditu & cantibus, seu, quae percipiuntur ex aspectu elegantioris formae, aut aliqua huiuscemodi re, quae oculos oblectet.

Μετὰ λόγου δὲ, ὅσας ἐκ τοῦ πεισθῆναι ἐπιθυμοῦσι: πολλὰ γὰρ καὶ θεάσασθαι καὶ κτήσασθαι ἐπιθυμοῦσιν, ἀκούσαντες καὶ πεισθέντες.

Cum ratione autem, quarum desiderio incensi sunt, persuasi ab aliquibus: multa enim & visere & parare cupiunt, cum audiuerint ea laudari & persuasi fuerint.

QVAECVNQVE autem cupiunt, oratione alicuius persuasi, illae cupiditates compotes rationis dicuntur: optant enim multa homines (inquit) & spectare, & parare, cum ea ab alijs laudari audiunt, fidemq; illorum dictis habent. Beluae igitur haec desiderare nequeunt: nec ad aliquid appetendum excitari, nisi ipsius illius sensu commotae.

Ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὸ ἥδεσθαι ἐν τῷ αἰσθάνεσθαί τινος πάθους: ἡ δὲ φαντασία ἐστὶν αἴσθησίς τις ἀσθενὴς, κἂν τῷ μεμνημένῳ, καὶ τῷ ἐλπίζοντι ἀκολουθείη φαντασία τις, οὗ μέμνηται, ἢ ἐλπίζει.

Quia autem capere voluptatem manet in sentiendo aliquo motu: phantasia autem est sensus quidam imbecillus, & illi, qui recordatur, & illi, qui sperat comitatur phantasia quaedam eius, quod meminit, vel sperat.

PERCIPI

PERCIPI quoq; voluptatem ex recordatione rerum praeteritarum ac ſpe futurarum oſtendere vult: ante tamen quam id tradat, ſumit non nulla, quae ad id probandum valent, atq; inquit. Quia iam demonſtratum eſt, voluptate affici in affectu quodam ſentiendo poſitum eſſe: phantaſiaq; eſt ſenſus quidam infirmus, & ei, qui recordatur, & ei, qui ſperat, comitatur quaedam phantaſia eius rei, quam recordatur, aut ſperat: & quae ſequuntur: illa namq; infra declarabuntur. Eſſe autem redditionem: ἀνταπόδοσινq; illius ἐπεὶ, quod addit, δῆλον ὅτι καὶ ἡδοναὶ, apertum eſt. Varietatis hoc eſt in antiquiſſimo libro, quod, ἀεὶ ἐν τῷ μεμνημένῳ καὶ τῷ ἐλπίζοντι ἀκολουθοῖ ἄν φαντασία τις, habet: cuius tamen lectionis veſtigium alibi non offendi. Multis autem argumentis ipſe in tertio libro de animo docet phantaſiam non eſſe ſenſum: hic tamen ſenſum illam eſſe dicit, ſed tenuem imbecillumq;: neq; enim exquiſite nunc de his rebus agit, ſed opiniones aliorum, cum maxime illae multitudini facile probantur, ſaepe ſectatur. eſt autem phantaſia, ſi verum quaerimus, inſtar potius ſenſus, quam ſenſus. illi namq; admodum ſimilis: ſimilis autem, quod & ipſa ſicut ſenſus, ſenſiles res percipit: infirmus vero nunc ſenſus dicta eſt: certiora enim ſunt euidentioraq;, quae ſenſu percipiuntur, quam, quae ita intelliguntur: multoque rarius in his decipimur. Sed Graecus quoque interpres eius libri, μεταφορικῶς illam pro ſenſu accipi tradit.

Εἰ δὲ τοῦτο, δῆλον ὅτι καὶ ἡδοναὶ ἅμα μεμνημένοις καὶ ἐλπίζουσιν, ἐπείπερ καὶ αἴσθησις.

Si autem hoc eſt, planum eſt peruenire valde voluptates ad eos, qui recordantur, aut ſperant, quia ſenſus quoque.

SI ea, quae ſupra ſunt expoſita, vera ſunt: firmaq; ac rata habentur, perſpicuum eſt gigni etiam voluptates ex actiore recordatione & ſpe: nam fit aliquo modo ſenſus: cum phantaſia enim reminiſcimur & ſperamus, quae ſenſus eſt, licet infirmus: qui enim recordantur, ita paene quandoque afficiuntur, vt ſi praeſentes res illas haberent, afficerentur. quemadmodum etiam, qui vehementer aliquid boni ſperant. quod declarauit etiam Cicero pro Archia, cum inquit.
" Nunc quidem certe cogitatione ſpeq; delector. Diſcrepat vero ab alijs omnibus antiquiſſimus liber, quod ἅμα habet: quae ſi vera lectio eſt, ſignificat eodem tempore, cum recordantur, aut ſperant, illos ſentire voluptatem.

Ὥστ᾽ ἀνάγκη πάντα τὰ ἡδέα, ἢ ἐν τῷ αἰσθάνεσθαι εἶναι παρόντα, ἢ ἐν τῷ μεμνῆσθαι γεγενημένα, ἢ ἐν τῷ ἐλπίζειν μέλλοντα.

Quapropter neceſſe eſt cuncta, quae iucunda ſunt, ſiue poſita eſſe in ſentiendis rebus praeſentibus, ſiue in memoria repetendis iam factis, ſiue in ſperandis futuris.

EADEM ſententia in ix. libro de moribus ad Nicomachum iiſdem fere verbis exponitur: inquit enim iucundam eſſe praeſentis temporis, actionem: futuri, ſpem: praeteriti memoriam. Cum igitur phantaſiae auxilio, & praeteritae res & futurae aliquo modo ſentiantur: nam ſenſu cognoſci res praeſentes, & quae tunc fiant, probare non oportuit, quod nunc ipſe adiungit, & è ſuperioribus elici declarat, manifeſto intelligitur trium temporum eſſe res iucundas. cum autem tria haec tempora voluptatem afferant: ſintq; & praeteritae, & praeſentes, & futurae res voluptati, non tamen cuncta paré efficiunt: quae enim tunc ſentiuntur, actuq; percipiuntur, ſummum locum obtinent: vt enim poſt ſupra adducta verba teſtatur Ariſtoteles, iucundiſſimum eſt, τὸ κατ᾽ ἐνέργειαν.

Αἰσθάνονται μὲν γὰρ, τὰ παρόντα: μέμνηνται δὲ, τὰ γεγενημένα: ἐλπίζουσι δὲ, τὰ μέλλοντα.

Sentiunt enim res praeſentes: recordantur autem factas: ſperant autem futuras.

QVOMODO verum ſit, quod dixerat, oſtendit, omnem voluptatem conſtitutam eſſe, aut in ſentiendis rebus praeſentibus, aut in recordandis praeteritis, aut in ſperandis ſecundis: ſentiunt enim (inquit) res praeſentes: recordantur factas: ſperant futuras. In libro quoque de memoria idem tradit.

Τὰ μὲν οὖν μνημονευτὰ ἡδέα ἐστίν: οὐ μόνον, ὅσα ἐν τῷ παρόντι, ὅτε παρῆν, ἡδέα ἦν: ἀλλ᾽ ἔνια καὶ οὐχ ἡδέα, ἂν ᾖ ὕστερον καλὸν καὶ ἀγαθὸν, τὸ μετὰ τοῦτο.

Quae igitur redeunt in memoriam iucunda ſunt, non ſolum quaecunq; illo ipſo tempore, quo praeſentia aderant, iucunda erant, ſed etiam non nulla, quae minime iucunda, ſi poſtea ſecutum fuerit, atque inde manarit, honeſtum aut bonum.

EFFICI voluptates ex vehementi recordatione rerum praeteritarum planum iam factum est. Adiungit huic sententiae nunc, non tantum praeteritas voluptates, si in memoriam reuocentur, suaues esse, sed saepe etiam res, olim odiosas ac molestas, postea oblectare, cum homines illas recordantur. Quia autem hoc admirabile est, confirmat id testimonio optimorum poëtarũ. Sed etiam causam huius rei affert, quae omnem scrupulum euellit: nec tamen existimare debemus omnes res, quae quondam molestae fuerint, fieri consequentibus temporibus, si recordati illas fuerimus, iucundas: verum illas tantum, ex quibus, aut dignitas, aut commodum aliquod partum est.

Ὅθεν καὶ τοῦτ᾽ εἴρηται. Ἀλλ᾽ ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Unde & hoc dictum est. Iucundum est, postquam saluus inde emerseris, recordari laborum.

EVRIPIDIS hic senarius est: vt testatur Cicero, qui Latinum ipsum fecit: in ij. enim libro de finibus, contra Epicurum differens, inquit. Quid si etiam iucunda memoria est praeteritorum malorum, vt prouerbia non nulla veriora sint, quam vestra dogmata? vulgo enim dicitur. Iucundi acti labores. Nec male Euripides (concludam si potero Latine: Graecum enim hunc versum nostis omnes) Suauis est laborum praeteritorum memoria. Plutarchus quoque in ij. libro Symposiacorum, capite primo, ipsum adduxerat. paene tamen ille inde eiectus, iniuria superiorum temporum, est. vestigia quaedam eius tantum apparent: quorum tamen indicio tuto restituitur. Omnis vero locus, cum in excusis & scriptis, quos vidi, libris, miserum in modum lacer fractusq; legatur, vt legi eum oportere arbitror, adscribam. Καὶ πρὸς τὸν χορὸν Οἰδίπους. Δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον ἤδη κακὸν ὦ ξεῖν᾽ ἐπεγείρειν. ὁ δ᾽ Εὐριπίδης τοὐναντίον, Ὡς ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. Verba prima è tragoedia Sophoclis esse, quam inscripsit Oedipodem Coloneum, notum est: pronuntiariq; a sene calamitosissimo: qui Atheniensibus ita respondit, vrgentibus eũ, vt vetera sua mala flagitiaq; narraret.

Καὶ μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ Μνήμενος, ὅστις πολλὰ πάθῃ καὶ πολλὰ ἔοργῃ.

Atque, Postea namque & doloribus oblectatur recordatus illos, qui multa perpessus fuerit & multa gesserit.

VERSVS in xv. libro Odysseae, pronuntiatiq; illic ab Eumaeo subulco cum Vlysse, quem tamen tunc ignorabat, loquente: totius loci sententia haec est. Nos in tugurio cibo potuq; indulgentes, ac vetera nostra mala repetentes, oblectemur: consueuit enim vir, qui multa incommoda sustinuerit, & multa magno suo cum labore effecerit, memoria malorum eorum delectari. Dissentit a reliquis, & excusis & scriptis, antiquissimus liber. quod huiuscemodi habet initium posterioris carminis. Μνησαμένω ὅτι. sed & prima hac aliter, & extrema quoq; sui parte discrepat idem versus apud Homerum, vt in impressis nunc legitur: ita enim illi habent. ὅστις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ καὶ πόλλ᾽ ἐπαληθῇ. quorum verborum hic manifesto sensus est. Qui sane valde multa incommoda perpessus sit: & diu vagatus per orbem terrarum fuerit. Apud Virgilium quoq; eodem sensu, in maximis vitae periculis constitutus fortissimus vir, inquit. Forsan & haec olim meminisse iuuabit. Eundem sensum habet hoc Catulli, cum exclamauit post multos & magnos labores. O quid solutis est beatius curis? Cum mens onus reponit, ac peregrino Labore fessi venimus larem ad nostrum: Desideratoq; acquiescimus lecto. Hoc est, quod vnum est pro laboribus tantis.

Τούτου δ᾽ αἴτιον, ὅτι ἡδύ, καὶ τὸ μὴ ἔχειν κακόν.

Huius autem rei causa est, quia iucundum est malum non habere.

RATIONEM nunc adiungit, dicens. Causa huius rei est, quod iucundum etiam est, non habere aliquid mali: sed relictum iam ab illo esse: non enim solum voluptas suauis est, sed oblectatur quilibet, cum intelligit se malo carere. Id autem tunc melius percipimus, cum recordamur, quibus quondam malis casibusq; iactati fuimus: facit enim haec res statum illum, in quo tunc sumus, iucundiorem. Nec tantum cogitare, quibus quondam malis vexatus sis, voluptatem habet, sed spectare etiam alios laborantes: inque illis periculis constitutos, quibus tu vacuus liberq; sis, mirifice oblectat, vt eleganti carmine Lucretius cecinit.

Τὰ δ᾽ ἐν ἐλπίδι, ὅσα παρόντα, ἢ εὐφραίνειν, ἢ ὠφελεῖν φαίνεται μεγάλα, ἢ ἄνευ λύπης ὠφελεῖν.

Quae autem in spe sunt, omnia illa, quaecunque cum praesentia sunt, vel gaudio afficere, vel iuuare valde videntur, vel sine molestia iuuare.

QVARVM praeteritarum rerum recordatio iucunda sit, indicarat. quod memoriae fuit: nunc, quae futurae res earum, quae in spe sunt, oblectent, ostendit. Huiuscemodi autem esse (inquit) quaecunque cum praesentes sunt atque adsunt, laetitia afficere, aut commodum importare videntur: vtilitates tamen illas magnas oportere esse declarat: aut saltem, quae vacent omni aegritudine, si mediocres sunt: vt siue magnitudo emolumentorum, siue sinceritas delectet: non minus enim grata esse solent, parua quaedam commoda, seiuncta ab omni molestia, quam ampla alia, quae dolorem coniunctum habeant.

Ὅλως δ', ὅσα παρόντα εὐφραίνει, καὶ ἐλπίζοντας, καὶ μεμνημένους, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Omnino autem cunctae res, quae cum praesentes adsunt, gaudio afficiunt, eaedem, & sperantes, & recordantes plerunque.

ET (vt summatim loquamur) quaecunque cum adsunt, praesentiaq; sunt, laetitia afficiunt, eadem & sperantes & recordantes plerunque oblectabunt: extra enim aliquid aliquando euenire potest: quod faciat, ne hoc perpetuum sit. vt si voluptas olim degustata, causa nobis fuit maioris doloris: eadem est ratio rerum, quas speramus.

Διὸ καὶ τὸ ὀργίζεσθαι, ἡδύ.

Quapropter & irasci, iucundum est.

ET haec causa est (inquit) cur irasci quoq; iucundum sit: non enim carent voluptate, qui irati alicui sunt, sed magnas saepe suauitates sentiunt. Rem autem ita se habere: verumq; hoc esse, confirmat testimonio Homeri. manifesto vero hoc declarat, non tantum praesentes res oblectare, sed etiam speratas: qui enim cuipiam irati sunt, laetitia afficiuntur, quia sperant se vltum ituros eos, qui iniuria laeserunt: cuius rei vehementi desiderio homines tenentur.

Οὐδεὶς γὰρ ὀργίζεται τῷ ἀδυνάτῳ φαινομένῳ τιμωρίας τυχεῖν: οὐδὲ τοῖς πολὺ ὑπὲρ αὐτοὺς τῇ δυνάμει, ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον.

Nemo enim irascitur ei, quem non putat se vlcisci posse: neque illis, qui valde ipsis antistant viribus: vel enim his non irascuntur, vel minus.

CAVSAM his verbis affert, cur ira commotum esse, iucundum sit: nemo enim (inquit) irascitur ei rei, quam nullo modo putat se vlcisci posse. Puto significare auctorem voluisse rem, quae sensu careat. verbi causa lapidem, clauam, telum, huiuscemodi deniq; aliquam materiam: hae namque res vere dici possunt ἀδύνατοι εἶναι τιμωρίας τυχεῖν: vacuaeq; omnino esse ab hoc metu ac periculo. nam homines nulli omnino liberi sunt ab hoc malo, & si multi repperiuntur, qui sane plecti non videntur posse: incommodiq; aliquid accipere ab ijs, quos laeserunt, quia sunt robustiores, opulentioresq;, quam illi, quos intelligit verbis, quae sequuntur. quare restat, vt significet res, quas ostendimus, de quibus proprie apposireq; id dicitur: addit enim. Neque illi, qui valde ipsum opibus, potentiaque superat: huiuscemodi enim hominibus, aut non irascuntur, quamuis illi se aduersus ipsos petulanter gesserint: aut remissius leuiusq; irascuntur. cum igitur hi irati facti sint, planum est eos existimare se debitas ab illis paenas capturos, & aliquando ipsos vltum ituros. quae spes cogitatioq; affert ipsi voluptatem. Animaduertendum autem τυχεῖν τιμωρίας, non dici de illo, qui iniuria se laesum putans, capit paenas ab eo qui laesit, atq; ipsum vlciscitur: sed de illo, qui auctor iniuriae fuit: is enim τιμωρίας τυγχάνει, cũ dat paenas suae improbitatis, atque in ipsum vltio cadit. positum igitur hic est παθητικῶς. Et auctor rhetorices ad Alexandrum ita locutus est, & Demosthenes pro Ctesiphonte: cuius haec verba sunt. καὶ μὴν ὅταν ᾖ νέα καὶ γνώριμα πᾶσι τὰ πράγματα, ἐάν τι καλῶς ἔχῃ, χάριτος τυγχάνει: ἐὰν δ' ὡς ἑτέρως, τιμωρίας. φαίνομαι τοίνυν ἐγὼ χάριτος τετυχηκὼς τότε, καὶ οὐ μέμψεως: οὐδὲ τιμωρίας.

Ὥσπερ καὶ Ὅμηρος ἐποίησε περὶ τοῦ θυμοῦ. ὅστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο.

Quemadmodum & Homerus cecinit de excandescentia. Quae multo dulcior est melle destillante.

SENTENTIA Homerica haec est. quae ira multo suauior stillante melle in hominum pectoribus

tibus gliſcit: pronuntiatur autem ab Achille, cum matre Thetide loquente: orbatus enim ille ſodali ſuo Patroclo, ob ſimultatem, quam geſſerat cum Agamemnone, maledicebat irae, atq; ipſam funditus extingui deleriq; cupiebat: magnorum enim ſaepe (inquit) malorum fons atq; origo fuit: ſapientes etiam viros perturbans, atq; animum occupans: tanta eſt dulcedo illius, ac ſuauitas. Hunc autem quoque verſum, & qui ipſum praecedit, adduxit Plato in Philebo, vbi inducit Socratem docentem, iram, metum, amorem, inuidiam, ceterasq; huiuſcemodi animi affectiones, incredibilium voluptatum plenas eſſe.

Καὶ ἐν ταῖς πλείσταις ἐπιθυμίαις ἀκολουθεῖ τις ἡδονή: ἢ γὰρ μεμνημένοι ὡς ἔτυχον, ἢ ἐλπίζοντες ὡς τεύξονται, χαίρουσί τινα ἡδονήν.

Et plurimis cupiditatibus comitatur quaedam voluptas: vel enim recordati ſe adeptos, vel ſperantes aliquando ſe adepturos, laetantur genere quodam voluptatis.

MAGNAM partem cupiditatum hoc habere tradit, vt conſequatur eos, qui ipſis tenentur, voluptas quaedam: non enim plena integraq; voluptas eſt, ac par illi, quam aut olim ceperunt: aut quam, ſi ſpem ad exitum perduxerint, capient. ſed tamen voluptas aliqua: aut enim (inquit) recordantes ſe quandoq; libidinem illam expleſſe, aut ſperantes ſe expleturos, genere quodam voluptatis afficiuntur: memoria autem praeteritarum voluptatum, ita gaudio afficit eos, qui earundem tunc deſiderio premuntur.

Οἷον οἵ τ' ἐν τοῖς πυρετοῖς ἐχόμενοι ταῖς δίψαις, καὶ μεμνημένοι ὡς ἔπιον, καὶ ἐλπίζοντες πιεῖσθαι, χαίρουσι.

Veluti qui in febribus, cum ſiti premuntur, & recordati fuerint ſe bibiſſe: & ſperant futurum eſſe, vt bibant, gaudent.

AN ἐχόμενοι ἐν τοῖς πυρετοῖς inquit, vt Plato in Philebo. ἐχόμενοι ἐν νοσήμασιν? verba vero ipſius haec » ſunt. Ἀλλ' οὐχ ὅτι πυρέττοντες καὶ ἐν τοιούτοις νοσήμασιν ἐχόμενοι, μᾶλλον διψῶσι καὶ ῥιγῶσι: & quae ſequuntur. vel potius ita interpungi debet oratio, vt ἐχόμενοι ſequenti nomini cohaereat. & qui tenentur ſiti accipiendi ſunt. nam (niſi fallor) οἱ ἐν τοῖς πυρετοῖς, qui febri vexantur, quamuis nihil aliud addatur, per ſe commode ſignificare poteſt. Vt confirmet autem, quod dixerat ex pluri-mis cupiditatibus naſci voluptatem, haec tamquam exempla poſuit, dicens, vt qui feruore febris vruntur, cum ſiti premuntur, & recordati fuerint ſe aliquando bibiſſe: ſperanteſq; futurum vt bibant, gaudio afficiuntur. In antiquiſſimo libro varietatis hoc eſt, quod ſeiuncto a ſuperioribus extremo verbo: additaq; copula, quae cauſae rerum reddendae accommodata eſt, legitur illic, χαίρουσι γάρ.

Καὶ οἱ ἐρῶντες, καὶ διαλεγόμενοι καὶ γράφοντες, καὶ ποιοῦντες ἀεί τι περὶ τοῦ ἐρωμένου, χαίρουσιν.

Et qui amant, cum loquuntur cum aliquibus de amoribus ac delicijs ſuis, aut de ipſis ſcribunt, aut carmen ſemper aliquod pangunt, gaudent.

ET qui amant (inquit) & cum loquuntur ſermonemq; cum aliquo habent, & cum ſcribunt, & cum pangunt aliquid de amoribus ſuis & ipſi quoque voluptatem ſentiunt. ποιεῖν hic (niſi fal-» lor) pangere, ſiue canere ſignificat. paulo ſupra. ὥσπερ Ὅμηρος ἐποίησε. Infinita exempla huius » locutionis ſunt. Cicero in iiij. Tuſculana, vbi de amore diſſerit. Quid deniq; homines do-» ctiſſimi, & ſummi poëtae, de ſe ipſis & carminibus edant & cantibus.

Ἐν ἅπασι γὰρ τοῖς τοιούτοις μεμνημένοι, οἷον αἰσθάνεσθαι οἴονται τοῦ ἐρωμένου.

In omnibus enim huiuſcemodi rebus recordantes, tamquam ſentire ſibi videntur eum, cuius amore ardent.

VNDE voluptas illa naſcatur docet, quae tenet amatores, cum aut loquuntur, aut ſcribunt de ſuis delicijs, ſiue etiam laudes ipſarum canunt: cum enim (inquit) vigeat tunc apud eos memoria ipſius, quaſi ſentire ſe, quem amant, putant: nam firma illa acriſq; cogitatio, paene ipſum ante oculos eorum ponit. ἐρώμενον Graecis ſignificare, quas delicias amoreſq; vocabant Romani homines, conſtat. Ad extremum etiam primi libri de partibus eodem verbo multitudinis numero vſus eſt, vbi inquit. Quemadmodum iucundius eſt amatoribus, quamlibet, ac puſillam etiam, partem deliciarum ſuarum cernere, quam multa magnaq; alia exquiſite videre.

Καὶ

Καὶ ἀρχὴ δὲ τοῦ ἔρωτος γίγνεται αὕτη πᾶσιν, ὅταν μὴ μόνον παρόντος χαίρωσιν, ἀλλὰ καὶ ἀπόντος μεμνημένοι, ἐρῶσι.

Et initium vtique amoris exiſtit hoc omnibus, quando non ſolum, cum praeſens ille adeſt, gaudent, verum etiam abſente illo, recordati, amant.

IDEM his verbis confirmatur. è memoria plurimarum rerum naſci quaſdam voluptates. vnde etiam (inquit) qui vehementer animo gaudent ſpecie corporis a ſe antea viſa, amare incipiunt: ſatisq; hoc magnam vim habet ad amorem excitandum: vt enim conflatum iam amorem ſeruat: viresq; ipſi addit, forma, quae placuit, in animum reuocata, ita nouum excitat, ac gignit. Et amoris haec (inquit) omnibus origo eſt: tuncque homines iam amare intelliguntur, quando non praeſentibus tantum, ſed abſentibus etiam delicijs ſuis, ex illarum recordatione gaudent: nam ſenſu prorſus careret, qui eximiam ſpeciem corporis ante oculos habens, non delectaretur: quem enim non capit pulchritudo? Declarat hoc elegans lepidaq; vox Ariſtotelis, è quo cum quaeſitum eſſet, cur temporis multum terimus cum formoſis adoleſcentibus, reſpondit, caeco homini conuenire interrogationem eam. Παρόντος autem, & ἀπόντος cum dixerit, planum eſt intelligi debere, quo verbo paulo ante vſus fuerat, ἐρωμένου. Cum beneuolentiam ab amicitia diſtingueret in ix. libro de moribus ad Nicomachum, amicitiae initium eſſe beneuolentiam affirmauit, vt laſciui huius amoris, voluptatem, quae è forma aliqua eximia oculis percipitur: in ea autem ſententia exponenda totum paene hunc locum perſequitur. Plutarchus etiam in commentario, quo docet modum rationemq;, qua quiſpiam intelligere poſſit ſe in virtute proficere, hoc ſimili vtitur, oſtendens idem vſu venire in ſapientiae cupiditate, quod in delicato hoc amore: vt qui amore philoſophiae correpti adhuc non ſint, quamuis videantur ea delectari, abducti inde negotijs impedimentisq; quibuſdam, ſubito ex animo ipſam dimittant, cum veri amatores abſentis firmam memoriam retineant: nec diſſidium ipſius ferre poſſint. Quemadmodum enim (inquit) amoris incipientis nota indiciumq; eſt, non laetitia tantum affici, cum praeſens adeſt praeclara aliqua forma (hoc namque commune omnium hominum eſt pulchritudine oblectari) ſed angi cruciarique animo, cum ab ea abſtraheris, ſic, & quae ſequuntur.

Διὸ καὶ ὅταν λυπηρὸς γένηται τῷ μὴ παρεῖναι.

Qua de cauſa etiam cum intulerit dolorem, quia non adeſt.

ALIVD etiam affert, vnde initium amoris intelligitur: quod tamen eandem cauſam habet: vt enim cum abſente virgine aliqua, formam oris illius recordati, gaudemus, incipere nos amare planum eſt, ita etiam, cum aegritudinem nobis abſentia illius gignit, plagam accepiſſe nos id manifeſto indicat. Diuerſus eſt a reliquis hic antiquiſſimus liber: quamuis autem aliquantulum contaminatus fuerit, ab aliquo, qui immutare voluit, percipitur tamen manifeſto quondam ita ſcriptum illic fuiſſe: nam maioris ponderis varietas illic attrectata non eſt. Διὸ καὶ ὅταν λύπη προσγένηται τῷ μὴ παρεῖναι. hoc ſenſu ſiquis eam magis amet. Quare & cum abſentiae illi, adiuncta fuerit aegritudo animi eius, qui ea forma delectatus fuerat, perſpicitur ſcilicet eum amare.

Καὶ ἐν τοῖς πένθεσι, καὶ θρήνοις ἐγγίνεταί τις ἡδονή: ἡ μὲν γὰρ λύπη, ἐπὶ τῷ μὴ ὑπάρχειν: ἡδονὴ δὲ, ἐν τῷ μεμνῆσθαι, καὶ ὁρᾶν πως ἐκεῖνον, καὶ ἃ ἔπραττε, καὶ οἷος ἦν.

Et in acceptis luctibus, & lamentationibus exiſtit quaedam voluptas: aegritudo enim, quia ille non adeſt: voluptas vero, dum recordamur, ac videmus aliquo modo illum, & quae geſſit, & qualis erat.

QVI lugent etiam, lamentanturq; amiſſas caras ſibi perſonas, in luctu etiam lamentationibusq; illis permixtam quandam cum dolore voluptatem ſentiunt: quae res, cum admirabilis ſit, quomodo ſcilicet poſſit aliquis eodem tempore dolere, ac gaudere, explicatur accurate. Aegritudo enim (inquit) naſcitur ex deſiderio illius, qui morte ſublatus eſt: laetitia ex recordatione, & prope aſpectu eiuſdem: toti namq; in illa cogitatione intenti, tamquam oculis ipſum cernunt, nec non etiam repetunt, quae egit, dum vixit, quibus moribus praeditus erat. quae omnia eos, vt in viuo oblectarant, ita etiam memoria repetita, in mortuo oblectant. Cum vero hic antea κατὰ τὸ μὴ ὑπάρχειν, in excuſis libris legeretur, malui legi ἐπὶ τῷ μὴ ὑπάρχειν, vt in ſcriptis codicibus inueni: nam cum a reliquis omnibus diſſentire antiquiſſimum librum prima parte inuenerim, nihil immutaui: hic tamen, quomodo in eo legatur, adnotabo: ſic enim habet. καὶ ἐν πένθεσι καὶ θρήνοις.

ϑρήνοις, ὥστ' αὐτοῖς ἐπιγίγνεταί τις ἡδονή. ſententia parum, aut nihil, vtro modo legas, variatur: videtur tamen magis haec ſcriptura conuenire proximae vicinae eius libri lectioni, quam indicaui: vt qui alteram recipiat, alteram etiam probare debeat.

Διὸ καὶ τοῦτ' εἴρηται. Ὣς φάτο. τοῖσι δὲ πᾶσιν ἐφίμερον ὦρσε γόοιο.

Unde & hoc dictum eſt. Sic locutus fuit, & excitauit in omnibus acre deſiderium lamentationis.

HOMERI valde notus verſus, & qui non ſemel, neq; in altero tantum poëmate, ſed in vtroque legitur. in xxiij. libro Iliadis, cum induxiſſet Achillem, dicentem Myrmidonibus, viſum ſibi eſſe in ſomnis Patroclum, qui caſum illum ſuum lugeret, &, vt corpus ſepulturae daretur, rogaret, cum poëta protulit. Senſus ipſius hic eſt. Sic fatus eſt: & in animis omnium, qui aderant, excitauit deſiderium effuſae lamentationis. In eodem libro antea idem, cum decurſione equitum exequias ſodalis honeſtare vellet: idq; expoſuiſſet ſuis, addidit: vt cum oblectati nos fuerimus in lugubri hac lamentatione: funerique operam dederimus, ſolutis equis, cibum capiamus. Diſſentit hic etiam idem liber a reliquis: ita tamen, vt de verbis potius, quam ſententia controuerſia inter ipſos ſit: ſic enim ille habet. ὣς καὶ τοῦτ' εἰκότως εἴρηται. additum autem aperte eſt probare ipſum mirifice iudicium poëtae, cum merito, nec ſine cauſa ita dicat locutum.

Καὶ τὸ τιμωρεῖσθαι, ἡδύ· οὗ γὰρ τὸ μὴ τυγχάνειν, λυπηρόν· τὸ τυγχάνειν, ἡδύ.

Et vlciſci acceptam iniuriam, iucundum eſt: quod enim ſi non adipiſcare, moleſtum eſt, ipſum adipiſci, iucundum.

VLCISCI etiam inimicum, ſuaue eſt. a contrario autem hoc verum eſſe probat: ſi enim, qui vlciſci nequit, vehementer dolet, qui vlciſcitur, voluptatem non paruam inde ſentit: vſus tamen ipſe eſt enuntiato quodā, quod commune quoq; aliarum rerum eſt: in vniuerſumq; valet: omne enim (inquit) quod cum cupias, niſi adipiſcare, moleſtum eſt: ſi adipiſcaris, iucundum erit. inde autem, tamquam pars è toto, elicitur, quod ſupra a me argumentum explicatum eſt.

Οἱ δ' ὀργιζόμενοι λυποῦνται ἀνυπερβλήτως, μὴ τιμωρούμενοι· ἐλπίζοντες δὲ, χαίρουσι.

Qui autem alicui irati ſunt, ſentiunt dolorem incredibilem, quando acceptam iniuriam non vlciſcuntur: ſperantes autem hoc fore, gaudent.

EXIMIVM autem doloré ſentiunt anguntur q;, ita vt ſupra nihil fieri poſſit, qui laeſos ſe iniuria eſſe intelligunt, iratiq; vehementer iniuriae auctori ſunt, ſi effundere in eum iram nequeunt. contra autem ſperantes fore, vt aliquando vlciſcantur, laetitiae pleni ſunt. quod ſi cum ſperant fore, vt eum puniant, gaudent, quantam ſuauitatem percipere veriſimile eſt, cum paenas ab ipſo capiunt ſui doloris.

Καὶ τὸ νικᾶν, ἡδύ· οὐ μόνον τοῖς φιλονίκοις, ἀλλὰ πᾶσι.

Et vincere laetitiae plenum eſt: non ſolum autem delectat certos quoſdam homines, qui valde cupidi ſunt victoriae, verum etiam omnes.

VINCERE etiam ſuaue eſt, non tantum ſtudioſis victoriae: (repperiuntur enim nonnulli, qui in ea re inſaniunt, ac nihil magis cupiunt, quam victorias adipiſci) verum etiam omnibus hominibus.

Φαντασία γὰρ ὑπεροχῆς γίγνεται· οὗ πάντες ἔχουσιν ἐπιθυμίαν, ἢ ἠρέμα, ἢ μᾶλλον.

Naſcitur enim in animo illorum opinio quaedam de ſua praeſtantia, cuius rei cuncti mortales cupiditate tenentur, vel remiſſe, vel magis.

CAVSAM affert, cur ita ſit, his verbis: concipitur enim in animis ipſorum huiuſcemodi quaedam de ſe opinio, vt praeſtare ſe ceteris putent: victoria enim excellentiam ſignificat. qui hoc conſecuti ſunt, primos ſe omnium eſſe putant: cuius rei omnes mortales deſiderio tenentur, aut leni, aut acri: hoc enim valet ἢ ἠρέμα, ἢ μᾶλλον. occupauit inquam haec cupiditas animos vniuerſorum hominum, aut remiſſius, aut vehementius.

Ἐπεὶ δὲ τὸ νικᾶν ἡδύ, ἀνάγκη καὶ τὰς παιδιὰς ἡδείας εἶναι, τὰς μαχητικὰς καὶ τὰς αὐλητικὰς καὶ ἐριστικάς· πολλάκις γὰρ ἐν αὐταῖς γίνεται τὸ νικᾶν.

Quia autem vincere iucundum est, necesse est lusiones iucundas esse: & illas, in quibus est species quaedam pugnae, & quibus cantu tibiarum contenditur, & in litigiosis disputationibus: crebro namquae in ipsis vsu venit vincere.

QVONIAM iam planum factum est vincere suaue esse, necesse quoq; est, vt lusus quidam suaues sint, & ij, in quibus proelij species quaedam ac pugna exercetur: atque illi, in quibus fistula cantuq; contenditur, nec non alij quidam concertatorij: causam autem huius rei afferens, inquit: in ijs enim ipsis lusibus saepenumero vincere, ac superare aduersarium contingit: quod iucundum esse declaratum est. μαχητικάς, (vt opinor) appellat, in quibus simulachrum pugnae exercetur: acriter enim aliquando inter se procliantur adolescentes animi causa, atque omnia, quae in vero proelio fiunt, in simulato adumbratoque illo custodiunt. Αὐλητικὰς vero παιδιὰς intellexit, quas saepe pastores exercent, & qui arte musica delectantur: necesse enim est in illis alii
» qui superiores sint, vt in bucolico carmine. An mihi cantando victus. & paulo post. Can-
» tando tu illum? aut vmquam tibi fistula cera Iuncta fuit? & alia in Ecloga. Posthabui ta-
» men illorum mea seria ludo. Ἐριστικὰς lusus quosdam vocare videtur, qui ioci in contentione quadam positi forent: nam sophistarum lites concertationesq; ludos inter ipsum posuisse, mihi verisimile non est: sunt tamen plures scripti libri, in quibus, ἐρωτικὰς legatur: quamuis mihi probatissimus, vetus tralatio, alijq; non nulli, cum excusis faciant: esse enim quoq; lusus
» quosdam amatorios planum est. Athenaeus libro x. Δειπνοσοφ. ἦν ἀπ' ἀρχῆς τὸ μὲν ποιεῖσθαι, ἀποδιδο-
» μένη τοῖς θεοῖς· τὸ δὲ κότταβος, τοῖς ἐρωμένοις· ἐχρῶντο γὰρ ἐπιμελῶς τῷ κοτταβίζειν, ὄντος τοῦ παιγνίου σικελικοῦ·
» καθάπερ Ἀνακρέων ὁ Τήιος πεποίηκε· Σικελικὸν κότταβον ἀγκύλῃ παίζων. Hic igitur κότταβος lusus erat, testimonio veteris scriptoris, atq; optimi, suo in genere, poëtae. ἐρωτικὰ autem vocari potuit παιδιά, quia nomine appellare consuerant amores, ac delicias suas: cum quod reliquum erat vini, è poculo sic eiciebant, vt id resonaret: nam apud Terentium Chaerea μεταφορικῶς (vt opinor)
» turtum Veneris lusum appellauit. Et quia consimilem luserat iam olim ille lusum.

Καὶ ἀστραγαλίσεις, καὶ σφαιρίσεις.

Et talorum ludi, & pilae.

ASTRAGALIS veteres ludere consuesse notum est, quos talos Latini appellarunt. nam de altero pilae ludo, quem σφαίρισιν vocat, multi quoq; veteres scriptores tradiderunt. De senectute
» Cicero. Sibi igitur habeant alij arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clauam, sibi pilam, sibi natatio-
» nes & cursus, nobis senibus, ex lusionibus multis, talos relinquant & tesseras. In tertio quoq;
» libro de Oratore, alea excepta, reliquorum horum ludorum mentionem fecit. Vt homines la-
» bores assiduo & cotidiano assueti, cum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se, aut ad
» talos, aut ad tesseras conferunt.

Καὶ κυβείας, καὶ πεττείας.

Nec non aleae, & tesserarum.

PLVTARCHVS in commentario de his, qui sero poenas pendunt suorum scelerum, has & ipse lusiones coniunxit. Κυβείαν aleae ludum, infamem etiam Romanis hominibus, seuerisq; legibus coercitum. Πεττείαν autem tesserarum, multo honestiorem significare apertum est: nam veteres etiam Graeci scriptores discrimen hoc esse inter has lusiones tradunt, quod in alea, cubos iaciunt: in tesseris, calculos ipsos commouent: & ex alia in aliam sedem transferunt.

Καὶ περὶ τὰς ἐσπουδασμένας δὲ παιδιὰς ὁμοίως· αἱ μὲν γὰρ ἡδεῖαι γίνονται, ἄν τις ᾖ συνήθης· αἱ δ', εὐθὺς ἡδεῖαι.

Similique modo in vsu grauium, studioque dignorum ludorum: hi namque iucundi fiunt, si fuerit aliquis assuetus: hi vero, ilico iucundi.

QVOD in leuibus nugatorijsque ludis vsu venire declarauit, vt illic victoria saepe gignatur, idem etiam in honestis grauibusq; contingere affirmat; hi enim lusus (inquit) cum tales sua vi sponteq;, non sint, suaues fiunt longa tractatione. intelligit autem, quas ἐσπουδασμένας παιδιὰς vocauit: idest graues seriosq; indigent enim studio ac cura: ideoque iucundi esse non possunt, nisi assuetis: hi vero continuo suaues ludi sunt. significat autem ioculares, & non serios: qui

statim,

ſtatim, vt incipiunt tractari, iucundi ſunt; nullum enim laborem in ſe habent: neq; egent etiam vlla animi contentione.

Οἷον κυνηγία, καὶ πᾶσα θηρευτική: ὅπου γὰρ ἅμιλλα, ἐνταῦθα καὶ νίκη ἐστι.

Veluti venatus, atque omnis ratio captandi feras: vbi enim concertatio, illic etiam victoria eſt.

Cvivs generis eſt (inquit) venatio, aucupium, & omnis ars captandi feras. Reſpondet autem hoc (niſi fallor) ſuperiori parti: verbiſq; illis, καὶ περὶ τὰς ἐσπουδασμένας δὲ παιδιὰς ὁμοίως: ſignificare enim vult in his quoq; grauibus luſionibus, inueniri victoriam. quod etiam verbis, quae adiungit, manifeſto tenetur: probat enim (quod alicui mirum non ſine cauſa videri poterat, in his etiam rebus victoriam eſſe: cum ſuſceptum bellum cum lepuſculis ceruiſq;, aut auibus non habeamus: neq; contra nobis illa inſidias ſtruant, vt nos ipſis facimus) in ipſis etiam victoriam extare: vbicunq; enim contentio, diuerſaq; ſtudia aliquarum rerum, diuerſis etiam in animantibus ſint, illic etiam victoriam repperiri. In venatu vero aucupioque concertationem eſſe, manifeſtum eſt: feras enim, aueſq; venatores, & aucupes excitant è ſiluis, agitantq;, vt ſiue canibus captent, ſiue in plagas impellant. illae contra omnia faciunt, vt ſe è manibus, inſidijſq; ipſorum eripiant, ac vitam ſuam tueantur. contendunt igitur inter ſe ac proeliantur ferae, hominesq;. negari ergo non poteſt, quin illic etiam victoria ſit: vbi enim duo inter ſe aliqua de re concertant, alter ipſorum vincat neceſſe eſt.

Διὸ καὶ ἡ δικανική, καὶ ἡ ἐριστική, ἡδεῖα τοῖς εἰθισμένοις, καὶ δυναμένοις.

Quapropter & forenſes contentiones, & litigioſae diſputationes res ſunt iucundae, diu in ipſis verſatis, & facultate illarum colendarum praeditis.

Qvare (inquit) iudicialis labor, & ars illorum, qui in litigioſis diſputationibus occupati ſunt, iucunda illis ſunt, cum aſſueuerint: facultatemq; eorum egregie tractandorum habeant. Non tamen eorum, qui cauſas in foro defendunt, ſophiſtarumq; facultas, appellari debent luſus: neque haec, vt exempla luſionum, ponit. ſed cum ſupra docuiſſet, omnibus in rebus, in quibus eſt pugna, & concertatio, repperiri etiam victoriam: nec non antea etiam res duras & aſperas fieri iucundas exercitatione, hinc etiam intelligi oſtendit, vnde naſcatur voluptas, quam, qui in his moleſtis laborioſiſq; ſtudijs verſantur, ſentiunt: ſaepe enim inde victoriam reportant: nam, quod adiungit τοῖς εἰθισμένοις καὶ δυναμένοις, declarat non ea omnibus iucunda eſſe, verum illis tantum, qui aut diu in ijs ſtudijs verſati ſunt, aut poſſunt ea excellenter tractare: hinc enim naſcitur (inquit) quod moleſtae non nullae artes voluptatem ijs afferunt, qui ipſis aſſueti ſunt, aut multum in ipſis valent: victoriam enim illi ſaepe referunt ex iudicijs, cum aduerſarium ſuperarint: reumq; condemnarint: aut patrocinio ſuo ab impetu inimicorum defenderint, ac concertationibus illis ſophiſticis. victoria vero omni in re mirifice oblectat: & conſuetudo, rebus etiam moleſtis, ſuauitatem aſpergit. Victoriam autem, & tamquam ſtragem in diſputationibus concertatorijs crebro effici, dixit etiam ipſe in problematibus, cum cauſam quaereret, cur
» rationes illae, litium plenae, multum valerent ad ingenij exercitationes: inquit enim, ἢ ὅτι ἔχουσι
» τὸ νικᾶν, ἢ ἡττᾶσθαι πυκνόν.

Καὶ τιμὴ, καὶ εὐδοξία, τῶν ἡδίστων: διὰ τὸ γίγνεσθαι φαντασίαν ἑκάστῳ, ὅτι τοιοῦτος καὶ σπουδαῖος, καὶ μᾶλλον ὅταν φῶσιν, οὓς οἴεται ἀληθεύειν.

Et honos, & bona exiſtimatio in rebus iucundiſſimis ſunt, quia exoritur in animo ſingulorum eorum phantaſia ſe tales eſſe, atque ſtudioſos viros, & praeſertim cum hoc affirmarint, quos putant verum dicere.

Honos praeterea, bonaq; exiſtimatio, inter res ſuauiſſimas numerari debent: quia in animis eorum (hanc enim cauſam huius rei affert) qui vident aliquos ſe honorare: beneq; de ſe ſentire, naſcitur cogitatio quaedam: huiuſcemodiq; opinio, quod digni ſint illis honoribus: taleſq;, quales habentur: virtutiſq; demum ſtudioſi. maiore autem voluptate afficiuntur, cum cognouerint ſe laudari ab ijs, quos putant vere ſentire. eadem vero traduntur ab ipſo in viij. de moribus ad Nicomachum: qui enim (inquit) ab honeſtis intelligentibuſq; hominibus cupiunt ſibi honores deferri, hanc vnam ob rem eo deſiderio tenentur: quod volunt opinionem, quam de ſe ac ſuis virtutibus habent, confirmare. laetitia autem poſtea afficiuntur, gaudentq; ſecum, quod probi ſint: fidem habentes iudicijs illorum, qui haec affirmant. Antiquiſſimus liber, diſcrepans a ceteris omnibus, τοιοῦτος, οἷος ὁ σπουδαῖος, habet.

Τοιοῦτοι δὲ οἱ ἐγγὺς, μᾶλλον τῶν πόῤῥω, καὶ οἱ συνήθεις, καὶ οἱ γνώριμοι, καὶ οἱ πολῖται, τῶν ἄπωθεν.

Huiuscemodi autem sunt vicini, potius quam, qui longe habitant, & familiares, & noti, & ciues, potius quam remoti.

HI praecipue sunt, quorum dictis fidem habemus: arbitramurq; eos posse de aliquibus verum loqui. primos autem appellat vicinos proximosq;: vicini enim praecipue bene cognitos aliquos habere possunt: deinde familiares: cum quibusq; illi, quod iisdem studijs tenentur, cotidie versantur. postea notos, qui etiam de illis existimare aliquo modo possunt. ciuium quoq; de ciuibus iudicium negligi non debet, nec falsum esse, facile credi: cum multis rebus coniuncti ciues inter se sint, quamuis de facie tantũ se nouerint: magis enim hi quoq; fide digni sunt, quam longinqui ac remoti. Hi autem sunt gradus, qui ab Aristotele traduntur: quo maiore enim aliquis vsu consuetudineque cum aliquo coniunctus fuit: maioremque eius obseruandi potestatem habuit, facilius mores ipsius ingeniumque cognoscere potuit. vnde maior ipsi fides habenda.

Καὶ οἱ ὄντες, τῶν μελλόντων: καὶ οἱ φρόνιμοι, ἀφρόνων: καὶ πολλοὶ, ὀλίγων: μᾶλλον γὰρ εἰκὸς ἀληθεύειν τοὺς εἰρημένους τῶν ἐναντίων.

Et qui sunt, potius quam qui futuri sunt, & prudentes, quam imprudentes; & multi, quam pauci: magis enim verisimile est, qui commemorati sunt, vere sentire, quam contrarios.

HAEC quoq;, quae adiungit, hominum genera, maiorem fidem & auctoritatem habere tradit. vt qui iam sunt, cum res ea, quae laudibus fertur, fit, quam qui postea futuri sunt. idest qui tunc viuunt, quam qui nasci adhuc debent. quibus addit, prudentes imprudentibus magis veraces existimari, ac multos paucis: difficilius enim posse creditur maior numerus hominum falli.

Ἐπεὶ, ὧν τις πολὺ καταφρονεῖ, ὥσπερ παιδίων ἢ θηρίων, οὐδὲν μέλει τῆς τούτων τιμῆς, ἢ τῆς δόξης.

Nam, quos aliquis valde despicit, veluti pueros & beluas, horum honorem aut opinionem de se nullo penitus loco habet.

DELECTARI magis homines dixerat, si hi quã illi bene de se sentirent ac loquerentur: nec tamen non aliquid etiam voluptatis capere, si contrarij se commendarint. addit autem nunc, quosdam etiam inueniri, quorum existimationes laudesq; flocci non penderent, dicens, nam quos multum aliquis despicit, vt pueros aut beluas, nullo loco habet honorem aut laudem sibi ab ipsis tributam. Adnotandum aũtem saepe Aristotelem coniungere παιδία & θηρία. vt qui pueros ob infirmitatem consilij, vel vacuitatem potius, non magnopere discrepare a beluis
" putet. In vij. libro de moribus ad Nicomachum. ἔτι τὰ παιδία, καὶ τὰ θηρία διώκει τὰς ἡδονάς. Sed
" etiam in vj. eorundem librorum: nec non in vij. ad Eudemum. οὐχ ἃ τοῖς παιδίοις, καὶ τοῖς θηρίοις,
" ἀλλὰ τοῖς καθεστῶσιν. Intelligit vero paruos adhuc pueros, infantesq;: neq; enim expertibus rationis animantibus dissimiles sunt: cum solo sensu ac phantasia viuant: mentemque adhuc, nisi potestate, non habeant, vt non sine causa eodem loco, quo beluae, haberi debeant. Secutus autem consensum omnium scriptorum codicum ita emendaui: cum antea excusi, ὧν τις καταφρενῶν, perperam haberent.

Αὐτῆς γε τῆς δόξης χάριν: ἀλλ' εἴπερ, δι' ἄλλο τι.

Intelligo ipsius opinionis causa: si tamen hoc fit, alia quapiam de causa fit.

NIHIL sua interesse dixerat homines arbitrari, quid de se existiment, quos valde contemnunt: cognoscens tamen non nullos gaudere aliquando, cum vident se ab ijs etiam honorari, aperit vnde id nascatur, & ait: intelligo vtiq; existimationis ipsius gratia. nam si ex illorũ egregia de se opinione, aliquid commodi aliquo modo capere sperent, tunc non contemnerent. ipsorum tamen laudem per se negligunt: alia fortasse quaedam tantam vim apud eos haberent, vt eorum quoque iudicia, quae sua vi nihil valent, cara haberent: vt enim ipse in viij. de moribus ad Nicomachum tradit, repperiuntur non nulli, qui delectantur, cum vident se a fortunatis, opulentisque hominibus honorari: qui tamen honoris studiosi non sunt, sed ea laetitia afficiuntur, quod sperant se commoda, quae cupiunt, facilius ab ipsis ablaturos esse. vtuntur autem honore illo, tamquam signo, indicioq; egregiae illorũ erga se voluntatis. cum vero αὐτῆς τε

hic antea mendose excusi omnes haberent, vt in scripris libris inueni, αὐτῆς emendaui. quae autem parua videtur scripturae varietas, non parui momenti est, si quis subtiliter sententiam perpendat: ita enim loquitur, quasi vereatur, ne perperam aliquis, quae dixit, accipiat: ac sensum suorum verborum ipse interpretatur: intelligo enim (inquit) ipsos despicere existimationem, vt existimationem consideratam.

Καὶ ὁ φίλος τῶν ἡδέων: τό, τε γὰρ φιλεῖν ἡδύ: οὐδεὶς γὰρ φίλοινος, ὁ μὴ χαίρων οἴνῳ.

Et amicus è numero rerum iucundarum est: diligere namque iucundum est: nemo enim vini auidus est, nisi, qui gaudet vino.

AMICVS quoq; rerum iucundarum vna est, inquit: a natura autem amici expressa: eiusq; definitione, rem ita se habere ostendit: amicus enim est, qui diligit, mutuoq; diligitur. primum igitur, qui diligit, voluptatem sentire satis eleganti, notoque simili confirmat: diligere vero iucundum esse, inde (ait) intelligere possumus, quod neminem videmus vinum carum habere, & tamquam amare, nisi, qui eo delectetur. quare cum diligamus amicos, planum est nos ex illis voluptatem percipere.

Καὶ τὸ φιλεῖσθαι, ἡδύ: φαντασία γὰρ καὶ ἐνταῦθα τοῦ ὑπάρχειν αὐτῷ τὸ, ἀγαθὸν εἶναι: οὗ πάντες ἐπιθυμοῦσιν οἱ αἰσθανόμενοι: τὸ δὲ φιλεῖσθαι ἀγαπᾶσθαι ἐστὶν αὐτὸν δι᾽ αὐτόν.

Et diligi iucundum est: opinio namque & hic existit, adesse sibi hoc, cuius omnes cupiditate flagrant, qui sentiunt ipsam: diligi autem est carum esse ipsum per se.

DILIGI praeterea, & carum esse alijs, iucundum est: vnde autem suauitas haec gignatur exponens, inquit: cogitet enim secum oportet, qui se diligi cernit, adesse sibi hanc praeclaram dotem, quod vir bonus sit: cuius rei, probitatis scilicet, vigentis in pectoribus ipsorum: modestiq; ingenij, cuncti auidi appetentesq; sunt, qui eam intelligunt ac sensu quodam percipiunt: quis enim sanctitatem morum non amat? iudicant igitur captos bonitate suae naturae, quos vident se diligere: eaq; impelli ad se amandum. quare magno gaudio afficiuntur ob spem, quam ita concipiunt de sua probitate: haec ipsa enim est, quae suauitatem illã parit. nam amari, quod adiungit, est charum esse propter se, non ob bona aliqua, quae extra sint, vt opes ac diuitias. Et hic quoque, quod inquit, intellexit, cum hoc contingit, quod narrat: respexitq; manifesto superiorem locum, quo tradidit, ob eandem animi cogitationem, honorem etiam alicui tributum, illi ipsi iucundum esse, vt etiam eximiam de ipso existimationem in hominibus excitatam: vtitur enim illis tamquam indicio suae probitatis ac virtutis. Idem igitur creat eandem opinionem in animis eorum, qui vident se diligi: incipiunt enim suspicari se probos viros.

Καὶ τὸ θαυμάζεσθαι, ἡδύ: διὰ αὐτὸ τὸ τιμᾶσθαι.

Habere quoque, qui se admirentur, iucundum est: quia ita sentiunt se honorari.

IVCVNDVM etiam hominibus est, intelligere alios se admirari, ac suspicere: quamuis enim nihil inde commodi capiant, quia tamen honos ita ipsis acquiritur: atque ea re vident se honorari, gaudent. qui autem quempiam admiratur, quin dignum honore putet, dubium non est.

Καὶ τὸ κολακεύεσθαι: καὶ ὁ κόλαξ, ἡδύ: φαινόμενος γὰρ θαυμαστὴς, καὶ φαινόμενος φίλος, ὁ κόλαξ ἐστίν.

Habere etiam, qui sibi assententur iucundum est, & assentator res est iucunda: simulatus enim admirator, & simulatus amicus est assentator.

ET studia assentatorum vocesq;: nec non assentator ipse, res iucundae sunt, causam autem huius voluptatis hanc esse vult: habet enim (inquit) speciem admirantis, diligentisq; assentator: est admirator quidam simulatus ac fictus: & eiusdem generis amicus, qui nobis assentatur. quare, vt res illae ipsae suaues sunt, ita adumbratio earum similitudoque suauis est: pro veris enim habentur: non simulatae ac fictae esse intelliguntur. Hinc Gnatho Eunucho Terentij, illius artis gnarus, vel inuentor potius, vt haberi voluit. Et eorum ingenia admiror simul. Cum in libris de moribus ad Eudemum doceret, cur homines libentius instituunt amicitiam cum ijs, quos superant dignitate & opibus, quam cum aequalibus, inde etiam nasci affirmauit, quod apud non nullos assentator maiore in pretio est, quã amicus: facit enim assentator studio suo, vt ambae res, quibus vulgo capiuntur homines, adesse videantur ei, cui assentatur: vt diligatur ille,

scilicet, ac praestantior sit: quem enim homines admirantur ipsis praestare intelligitur. Eadem paene in viij. libro ad Nicomachum.

Καὶ τὸ ταὐτὰ πράττειν πολλάκις, ἡδύ· τὸ γὰρ σύνηθες ἡδὺ ἦν.

Et eadem agere saepe iucundum est: id enim, cui assuetus aliquis fuerit, iucundum est.

DVAE etiam res inter se contrariae, quod admirabile est, diuersis de causis iucundae sunt. & eorundem studiorum tractatio, & longe inter se diuersorum: ac varietas denique: prioris vero rationem his verbis reddit: qui enim multum in ijsdem studijs versantur, consuetudine illis delectari incipiunt: declaratum autem supra est, quod nobis familiare, id etiam iucundum esse.

Καὶ τὸ μεταβάλλειν, ἡδύ· εἰς φύσιν γὰρ γίγνεται μεταβάλλειν.

Et commutatio iucundum est: in naturam enim reditus est commutatio.

ET commutatio res est iucunda: commutari namq; est in naturam reuerti, vnde iam deiectus fis. senex etiam apud Terentium ex hac re, vt ipse narrat, magnam vtilitatem capiebat: ideoque propinquum rus amabat, quod eo commode se ex vrbe conferre posset: ait enim: Vbi satias coepit fieri, commuto locum.

Τὸ γὰρ αὐτὸ ἀεὶ ὑπερβολὴν ποιεῖ τῆς καθεστώσης ἕξεως.

Idem enim semper exuperantiam gignit habitus bene constituti.

CVM corpus bene constitutum est, naturaq; ipsa viget, si idem semper admoueas, quamuis id non alienum sit, corrumpas statum illum: quia, quod nimium est, laedere consueuit: & bonus etiam status, si semper eum augere studeas, res, quae eum perfecerunt sine modo adiungendo, perdas: quod etiam in animo verum esse repperietur: si enim is quoque in eodem semper statu teneatur, ijsdem semper traditis, ex eo tandem, illis rebus nimis aucto, exit & in ipsius exuperantiam transit: vt hic καθεστῶσαν ἕξιν vocauit, ita in vij. libro de moribus ad Nicomachum naturam καθεστηκυῖαν appellauit, quae expleta esset, & nulla re indigeret, ad statumque iam peruenisset.

Ὅθεν εἴρηται, Μεταβολὴ πάντων γλυκύ.

Vnde dictum est, Mutatio rerum omnium iucundissima est.

EVRIPIDIS versiculus ex Oreste fabula, a sorore ipsius Electra pronuntiatus, omnia iubente ipsum temptare, si posset dolorem, quo ingenti cruciabatur, leuare, & cum aliquantum in lectulo requiesset, vestigia humi ponere: commutationem in primis dulcem esse affirmans. In extremo autem vij. libro de moribus ad Nicomachum hanc sententiam non omnino probat: culpaque humanae naturae, atq; imbecillitate nostra fieri docet, vt vera sit: concreta namque illa ac vitiosa, ita saepe reficitur: cum deorum natura simplex, nulla immutatione egeat: vnaque, nec vmquam variata, fruatur voluptate: vt enim (inquit) vir, qui crebro consilia mutat, prauus: ita natura, quae indiget mutatione: declarat enim id eam, nec simplicem, nec vitio vacuam, nec probam esse.

Διὰ τοῦτο γὰρ, καὶ τὰ διὰ χρόνου, ἡδέα ἐστὶ, καὶ ἄνθρωποι, καὶ πράγματα· μεταβολὴ γὰρ ἐκ τοῦ παρόντος ἐστίν.

Ob hoc enim, quae fiunt interuallo temporis iucunda sunt, & homines & res: mutatio namque est ex illo ipso tempore.

HAEC enim causa est (inquit) cur, quae post temporis interuallum res fiunt: hominesque, qui longis & ipsi interiectis temporibus visuntur, iucundi sunt: praesentem enim statum illum nostrum condicionemq; commutant, ac varietatem efficiunt. In antiquissimo libro particula γὰρ non legitur: in reliquis vero manet: sine illa fortasse elegantior lectio esset: neque enim his verbis causam afferre videtur, sed addere id, quod ad superiorē locum explanandum valeat.

Ἅμα δὲ καὶ σπάνιον τὸ διὰ χρόνου.

Simul autem & rarum est, quod post interuallum fit.

POSTERIOR haec, ratio est, qua probat, quae interiectis temporibus fiunt, esse iucunda: simul enim (inquit) aliud etiam, quod illae in se habent, iuuat: quod enim post interuallum temporis tractatur, rarum est. quae vero rara sunt supra grata esse: in pretioque haberi, docuerat. Simul autem ait, quia adiungitur haec priori illi rationi.

Καὶ τὸ μανθάνειν.

Et discere.

CVR discere plerunq; iucundum sit, infra ipse ostendit, & huius rei veram elegantemq; rationem reddit. Id autem hinc quoq; intelligere manifesto licet: si enim dulce in primis est, plurima scire (quae sententia, & a Cicerone in iiij. libro epistolarum ad Atticum Graecis verbis exponitur, & a Lucretio quoque celebratur. Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere Edita doctrina sapientum templa serena) discere quoq; iucundum sit necesse est: ducit enim ea via ad plurimarum rerum cognitionem.

Καὶ τὸ θαυμάζειν ἡδὺ ὡς ἐπιτοπολύ: ἐν μὲν γὰρ τῷ θαυμάζειν, τὸ ἐπιθυμεῖν μαθεῖν ἐστιν. ὥστε τὸ θαυμαστὸν, ἐπιθυμητόν.

Atq; admirari iucundum est plerunq;: dum enim aliquis admiratur, cupit discere. quapropter, quod admirationem gignit, excitat etiam desiderium sui cognoscendi.

ADMIRARI etiam rem aliquam, plerunq; delectat: cuius rei statim causam affert: in admiratione namque inclusa est cupiditas quaedam perdiscendi: qui enim admirantur, attente perspiciunt, ac singula oculis ac mente perlustrant: vt qui, quomodo res se habeat, discere atque intelligere cupiunt: & haec admiratio excitauit homines ad studia sapientiae, vt ipse in grauioribus, exquisitioribusq; libris testatus est. Addit autem nunc, rationi absoluendae necessariũ, quapropter omne, quod admirationem gignit, excitat desiderium sui cognoscendi.

Ἐν δὲ τῷ μανθάνειν, εἰς τὸ κατὰ φύσιν καθίστασθαι.

Illo autem ipso tempore, quo aliquis discit, constituitur in naturam.

NVNC prioris sententiae rationem reddit: cur scilicet discere iucundum sit. Dum autem perdiscunt (inquit) proficiscuntur in eum statum, qui ipsis naturalis est: in perceptione enim illa inest transitus, reditusq; in statum, qui ipsis ex natura est: pellunt enim a se rerum illarum inscitiam, qua antea tenebantur.

Καὶ τὸ εὖ ποιεῖν, καὶ τὸ εὖ πάσχειν, τῶν ἡδέων: τὸ μὲν γὰρ εὖ πάσχειν, τυγχάνειν ἐστὶν, ὧν ἐπιθυμοῦσιν: τὸ δὲ εὖ ποιεῖν, ἔχειν καὶ ὑπερέχειν: ὧν ἀμφοτέρων ἐφίενται.

Et beneficium dare, & accipere, sunt rerum iucundarum: accipere namque beneficium est, adipisci ea, quae cupis: beneficium autem dare, habere, sibique superasse: quas ambas res homines appetunt.

BENIGNE facere cuipiam, & adiuuari ab alijs, afficiq; commodis, voluptatem in se habent (posterioris autem & nunc rei causam prius affert: prioris vero post) affici enim commodis, est adipisci, quod homines cupiunt: vt enim ipse quoq; in libris de moribus ad Nicomachum testatur, beneficia accipere ab alijs magna pars hominum cupit. Benigne facere est possidere, quae sibi vsui esse possint, & eorum possessione praestare alteri: quarum (inquit) ambarum rerum homines miro desiderio tenentur. Habere scilicet plusquam ille habeat: hoc enim significat ὑπερέχειν. excellere autem, ac superiores hominibus esse vulgo cupiunt.

Διὰ δὲ τὸ ἡδὺ εἶναι τὸ εὖ ποιητικὸν, καὶ τὸ ἐπανορθοῦν ἡδὺ τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ τοὺς πλησίον.

Quia autem iucundum est vim, & potestatem habere conferendi beneficia in alios, est etiam iucundum hominibus corrigere atque emendare proximum quemq;.

QVIA autem (inquit) beneficia in alios conferre iucundum est, iucundum etiam est peccantes corrigere, delictaq; aliorum emendare: hoc enim quoque beneficium est, ac non mediocre sane beneficium: cur enim minora commoda haberi debent, quae morum ac vitae vitia supplent, quam quae rei familiaris angustias? elicitur autem hic manifesto è superiore loco: atque inde aptus est.

Καὶ τὸ τὰ ἐλλειπῆ ἐπιτελεῖν.

Et quae inchoata imperfectaque sunt absoluere.

ET absoluere suo labore atq; sumptu, quae aliqui, a se inchoata, perficere non potuerint: non sibi tamen, sed illis laudem ac commodum quaerentes: hoc enim quoque est in alios beneficia conferre.

Ἐπεὶ δὲ τὸ μανθάνειν τε ἡδὺ: καὶ τὸ θαυμάζειν, καὶ τὰ τοιαῦτα ἀνάγκη ἡδέα εἶναι, τό, τε μεμιμημένον.

Quia autem discere iucundum est, atque admirari, & huiuscemodi necesse est iucunda esse, quodq; imitatione expressum fuerit.

ADIVNGIT alia, quae positis superioribus fieri non potest, quin & ipsa iucunda sint: pendent enim ex illis, vt ipse manifesto declarat: quia enim (inquit) discere iucundum est: itemque admirari, huiuscemodi quoque omnia iucunda sint necesse est, vt quod expressum imitatione fuerit. cum autem τὰ τοιαῦτα inquit, intellexit, quod quauis imitatione adumbratum fuerit: & peripetias, & cum paene re aliqua aduersa oppressus fueris, incolumem inde seruari. Duobus modis hic discedit a reliquorum lectione antiquissimus liber: quae tamen varietates sententiam parum variant. illas igitur, cum immutarim nihil, nunc indicabo: habet enim ille τοιάδε, non ταῦτα: & infra οἷον τό τε.

Οἷον ἥ τε γραφική, καὶ ἀνδριαντοποιΐα, καὶ ποιητική, καὶ πᾶν, ὃ ἂν εὖ μεμιμημένον ᾖ.

Veluti pingendi ars, & simulachra faciendi, & poetarum ars, & omne, quod recte expressum imitatione fuerit.

NOMINE artium videtur vti, cum opera illarum significare velit, vt γραφικὴν intelligat a pictura perfectum, & ab ea arte elaboratum opus. Cicero quoq; in Oratore ita locutus est, cum inquit. Itaq; & Phidiae simulachris, & his picturis, quas nominaui, cogitare tamen possumus pulchriora. Eadem ratio (vt opinor) est reliquarum duarum, vt ἀνδριαντοποιΐαν appellarit statuam factam ab eo opifice: itemq; ποιητικὴν, poëtae opus aliquod: addidit autem (complectens cuncta generatim) atq; omne, quod recte expressum imitatione fuerit: quia ea, quae a malo artifice male expressa sunt, eam vim non habent, cum rem minime effingant: nec ante oculos ponant: cum vero εὖ in excusis codicibus defecisset, ex antiquissimo libro a me erutum, restitutumque hic est.

Κἂν μὴ ᾖ ἡδύ, αὐτὸ τὸ μίμημα.

Quamuis non fuerit iucundum illud, cuius est imago illa.

OMNE, quod bene expressum est, siue penicillo, siue scalpro, siue ingenio ac versibus expressum fuerit, iucundum est: quamuis id, quod representatum est, molestum sit: quae enim non sine dolore videmus, eorum imagines, exquisite factas, cum voluptate spectamus. Et ipse in primo libro de arte poëtarum, & Plutarchus in commentario, quo adolescentes praeparat ad lectionem illorum, totam hanc rem plenius, accuratiusq; tractarunt. Non parum discrepantem ab alijs hic quoque inueni antiquissimum librum: non enim ille αὐτὸ τὸ μίμημα, vt reliqui & excusi, & scripti, sed αὐτὸ τὸ μεμιμημένον habet: hoc indicasse contentus, cum sententiam non variet, nihil immutaui.

Οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ χαίρει, ἀλλὰ συλλογισμὸς ἐστιν, ὅτι τοῦτο ἐκεῖνο. ὥστε μανθάνειν τι συμβαίνει.

Neq; enim gaudio afficitur propter hoc, verum tacita quaedam ratio est, qua colligit, hoc illud esse. quapropter discere quiddam contingit.

QVI enim aliquid bene fictum, simulatumque spectans, laetatur, non ex aspectu illius naturae, conformationeq; membrorum, aut partium eius, voluptatem capit: sed quod singula animaduertens, intelligit concluditq; hoc illud esse, quare gignitur cognitio quaedam in animo illius, quod voluptatem facere docuimus.

Καὶ αἱ περιπέτειαι.

Et subitae magnaeque rerum mutationes.

DE Graeci huius nominis vi copiose a Gulielmo Budaeo disputatum est: qui tamen cum plura eius exempla collegisset: neque huius loci: neque illius etiam, vbi quid in tragaedia περιπέτεια esset, in primo de arte poëtica ab Aristotele declaratum est, mentionem fecit: videtur enim ille, eruditissimus vir, hos libros non valde tritos habuisse. Idem igitur hic manifesto valet περιπέτεια, quod in tragaedia ab ipso valere dicta est. Illic autem subita quaedam rerum varietas: in contrariumq; immutatio est: cum scilicet repente quispiam è fortunato fit miser: è secundisq; admodũ rebus, in valde aduersas labitur, aut contra. Latinũ nomen, par Graeco, & quod idem

omnino valeat, inueniri non puto. Cicero tamen & verbum adumbrasse, & quid in animis nostris huiuscemodi in alios fortunae impetus auditi gignant, significasse videtur, cum in epi» stola ad Lucceium inquit. At viri saepe excellentis ancipites varijq; casus habent admirationem. & quae sequuntur.

Καὶ τὸ παρὰ μικρὸν σώζεσθαι ἐκ τῶν κινδύνων: πάντα γὰρ θαυμαστὰ ταῦτα.

Et saluum incolumemque euadere e periculis, a quibus parum afuerit, quin oppressus fueris: cuncta enim haec gignunt admirationem.

IVCVNDVM etiam est euadere è periculis, quae paene te oppresserint: ita enim hunc locum interpretor. statim autem adiungit (quibus verbis & huius, & superiorum locorum causam affert) id fieri, quia cuncta haec admirabilia sunt. sic quoque locutus ipse est in ij. libro natu» ralis auscultationis, cum de fortuna dissereret. Διὸ καὶ τὸ, παρὰ μικρὸν κακὸν, ἢ ἀγαθὸν λαβεῖν μέγα, ἢ » δυστυχεῖν, ἢ εὐτυχεῖν ἐστιν: ὅτι ὡς ὑπάρχον λέγει ἡ διάνοια: τὸ γὰρ παρὰ μικρὸν, ὥσπερ οὐδὲν ἀπέχειν δοκεῖ. nec me latet, Graecos eorum librorum interpretes, in eius loci declaratione laborasse, nec vnum sensum inde eruere conatos esse. verum huius loci collatio: qui aliter capi non posse videtur, eam illius loci interpretationem confirmat, quam & Alexander magis probandam censuit, & Themistius secutus est, nec Simplicius improbauit. παρὰ μικρὸν etiam Aristoteli significat paulatim, cum res aliqua, pusillo aliquo crebro adiuncto, aut dempto, crescit, aut minuitur: quo sensu videtur cepisse in ij. horum librorum, cum inquit. οἷον καὶ τῶν ὀνομάτων ὅσα παρὰ μικρὸν: & in v. libro de rep. vbi docet, pusilla quaedam non curare, interitum esse vniuersorum reip. statuum: id enim illic manifesto valet, vt ipse met testatur, qui accurate, quid appellaret παρὰ μικρὸν, exposuit. In eodem autem libro, cum de optimorum statu proferret, id quod antea communiter de omnibus praeceperat, non παρὰ μικρὸν, sed κατὰ μικρὸν dixit: quod etiam ad explanandam sententiam ipsius, & quo sensu antea dixisset, παρὰ μικρὸν, facit: quin enim κατὰ μικρὸν, paulatim valeat, dubitari non potest.

Καὶ ἐπεὶ τὸ κατὰ φύσιν, ἡδὺ: τὰ συγγενῆ δὲ κατὰ φύσιν ἀλλήλοις ἐστὶν, ἅπαντα τὰ συγγενῆ καὶ ὅμοια, ἡδέα ὡς ἐπιτοπολὺ, οἷον ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ, καὶ ἵππος ἵππῳ, καὶ νέος νέῳ.

Et quia, quod ex natura est, iucundum est: quae vero eiusdem generis sunt ex natura inter se sunt, cuncta, quae eiusdem generis sunt & similia, iucunda plerunque sunt, vt homo homini, & equus equo, & adolescens adolescenti.

ET hic locus è superiore quodam aptus est. probat autem, atq; id quidem certa ratione, quae eiusdem generis inter se sunt: assimiliaq; sibi ipsis, iucunda mutuo sibi fere esse. Vtitur autem eo, quod antea ostenderat. omne, quod ex natura alicui est, iucundum ei esse: adiungitq;, quae sunt eiusdem generis sibi ipsis esse ex natura: ac concludit, quod dictum a me nunc est. quae autem eiusdem generis cognataq; sunt, κατὰ φύσιν inter se esse dicit, quod eiusdem naturae participes sint. Quid vero genus hic intelligat, exemplis declaratur: homini enim cum homine, & equo cum equo species communis est. Fere addidit, nam prouerbium etiam huic sententiae » aduersabatur. Τὸ συγγενές τοι καὶ φθονεῖν ἐπίσταται. non debuit igitur omnino dicere haec semper afferre voluptatem, si inuidia versatur inter pares, & inter eos, qui ijsdem studijs tenentur, atq; easdem artes tractant. vnde id fiat aperuit in viij. libro de moribus ad Nicomachum. Hoc autem primum animaduertisse, vel saltem elegantissimo carmine prodidisse Hesiodum, notum est: in rebus enim rusticis exponendis cecinit: καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει. & quae sequuntur. vnde κεραμεῖς inuidos magni auctores appellarunt. vt Aristoteles quoque eodem in loco cum in» quit. Οἱ δὲ ἐξ ἐναντίας, κεραμεῖς πάντας τοὺς τοιούτους ἀλλήλοις φασὶν εἶναι.

Ὅθεν καὶ αἱ παροιμίαι εἴρηνται, ὡς ἧλιξ ἥλικα τέρπει.

Vnde & prouerbia nata sunt, vt aequalis aequalem delectat.

PERVVLGATIS nunc vocibus confirmat, quod dixerat: prouerbia namque testimonij, & ipsa genus sunt: vnde inquit: ex qua scilicet animaduersione, quod cognata sibi mutuo iucunda sint, prouerbia fluxerunt: sermonibusque hominum celebrata sunt. vt illud, aequalis aequalem delectat. Partem autem horum adagiorum in viij. etiam libro de moribus ad Nicomachum retulit, cum de amicitia dissereret: &, quid alij de ipsa sensissent, exponeret. vt Plutarchus etiam in viij. libro de decretis philosophorum, vbi de voce ex opinione Democriti disserit.

Καὶ ἀεὶ τὸν ὅμοιον.

Et semper similem.

SIC legi in fidelioribus scriptis codicibus, quam lectionem vetus etiam tralatio refert: sunt tamen quoq; manu scripti, in quibus, vt in excusis antea legatur. ὡς ἀεὶ τῷ ὁμοίῳ φίλον τὸ ὅμοιον. Consuerunt autem veteres scriptores huiuscemodi sententias prouerbiaq;, quia valde nota erant, primoribus tantum verbis prolatis indicare. Fluxisse vero hoc prouerbium è fonte multarum verissimarumque sententiarum puto: versus namque Homeri est è xvij. libro Odysseae.

ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ἐς τὸν ὅμοιον.

Καὶ ἔγνωκε δὲ θὴρ θῆρα, καὶ ἀεὶ κολοιὸς παρὰ κολοιόν: καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα.

Et cognouit fera feram, & semper gracculus ad gracculum: & quaecunque alia huiuscemodi.

IN primum prouerbium nusquam alibi incidi: quid autem valeat apertum est. Feras scilicet animantes delectari eiusdem naturae bestijs: libenterq; illas vna vitam degere. Par vero huic prouerbium legitur in libris de moribus ad Eudemum, vbi paene hunc ipsum locum persequitur. ὅθεν εἴρηται, ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον: καὶ γὰρ κολοιὸς ποτὶ κολοιόν: ἔγνω δὲ φὼρ τε φῶρα, καὶ λύκος λύκον. Vt enim hic generatim beluam libenter adplicare se ad beluam, ita illic lupum lupo notum esse, certum quoddam beluae genus appellans: omnes tamen intelligens, inquit. nam quod eodem senariolo furem etiam furi ignotum esse non posse ait, idem valet. qui ijsdem studijs tenentur: similesq; inter se vita ac moribus sunt, se pulchre nosse. Cum autem similia admodum haec prouerbia inter se sint, quorum alterum in libris ad Eudemum: alterum in his de dicendi arte posuit, declaratur hic quoq; ab Aristotele non haec sola in eo sermone, quae eandem vim haberent, frequentari solita, cum inquit, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. Quod vero sequitur prouerbium, ἀεὶ κολοιὸς ποτὶ κολοιόν, valde notum est, & a multis scriptoribus vsurpatum: quia autem gracculi gregatim volant, indicatur eo similes similium sibi amicitiam appetere: consuetudineq; parium delectari. Pusillam scripturae varietatem, quin indicem, non praetermittam. plures excusi ἔγνωκε habent. antiquissimus liber ἔγνω δὲ, vt in simili huic illo prouerbio.

Ἐπεὶ δὲ τὸ ὅμοιον, καὶ τὸ συγγενὲς ἡδὺ ἑαυτῷ ἅπαν: μάλιστα δ᾽ αὐτὸς πρὸς ἑαυτὸν ἕκαστος τοῦτο πέπονθεν, ἀνάγκη πάντας φιλαύτους εἶναι, ἢ μᾶλλον, ἢ ἧττον.

Quia autem simile, & quod est eiusdem generis inter se iucundum est omne: maxime vero ipse erga semetipsum, vnusquisq; affectus est, necesse est omnes homines sui amatores esse, vel magis, vel minus.

REI huic patefactae iam, & confirmatae, alias non planas adhuc adiungit: quae tamen inde fidem acquirunt. Quia enim inquit, quod assimile est, cognatumq;, iucundum sibi ipsi omne est: nam & pares cum paribus facillime congregantur, & gracculus gracculo, lupusq; lupo gaudet: maxime autem vnicuiq;, vt cum seipso ita coniunctus sit contingit: idest, nemo magis similis cognatusq; sibi ipsi est, quam ipsemet sit: quomodo enim potest quispiam magis similis, & affinis sibi ipsi, quam ipsemet sit, inueniri? necesse est vniuersos homines amatores sui ipsius esse, aut magis, aut minus: idest, aut acrius, aut remissius vitio hoc teneri: cunctos tamen commune hoc habere, vt se magis, quam oporteat, diligant. Cunctos vero homines, ita erga se ipsos affectos esse, vt se, ac sua nimis ament, Cicero quoque significauit: cum in epistola quadam inquit. Nisi me communis φιλαυτία decipit. Qui vulgo φίλαυτοι vocarentur, philosophus docuit in ix. de moribus ad Nicomachum, vbi de amore erga se ipsum, probari ne, an reprehendi debeat, quaesiuit: neq; enim se tantum respicere dicebantur, qui virtutes, amplexarentur, atque honestarum rerum maiorem partem sibi sumerent, sed qui plus sibi, quam alijs, diuitiarum, honorum, corporisq; voluptatum tribuerent.

Πάντα γὰρ τὰ τοιαῦτα ὑπάρχει πρὸς αὐτὸν μάλιστα.

Cuncta enim huiuscemodi existunt erga semetipsum maxime.

QVOD supra obscurius dixerat, nunc aperte tradere atque explanare videtur: hoc enim quoq; significabatur verbis illis, μάλιστα δ᾽ αὐτὸς πρὸς ἑαυτὸν ἕκαστος τοῦτο πέπονθεν. Est igitur hoc tamquam declaratio eius partis: affert enim rationem, cur posito illo, concessoq; par pari iucundum esse, & cuncta, quae sunt eiusdem generis libenter vna viuere, consequatur omnes mortales

tales valde se ipsos diligere. Huiuscemodi vero omnia, quod inquit, τὸ συγγενές, τὸ ὅμοιον, τὸ κατὰ φύσιν intelligit. sic etiam locutus est eo loco, quem supra indicaui: peruulgatas enim multas voces docuit id videri probare. illis autem collectis addidit. πάντα γὰρ ταῦτα πρὸς αὑτὸν μάλιστα ὑπάρχει: μάλιστα γὰρ φίλος ἑαυτῷ.

Ἐπεὶ δὲ φίλαυτοι πάντες, καὶ τὰ αὑτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν, οἷον ἔργα, λόγους.

Quia autem cuncti semetipsos valde diligunt, & res suas necesse est iucundas esse cunctis, ceu opera, orationes.

Cum planum factum sit homines sui ipsius valde studiosos esse, concedi etiam debet, eisdem res suas iucundas esse: ab amore autem erga personas, ad amorem erga res, transit: sunt enim illae quoque ipsorum partes: nam cuius generis res intelligat declarans, inquit: vt monimenta artis alicuius operaque, siue etiam ingenij: ἔργα enim hic appellauit, vt pictori, tabulam a se pictam, & omni opifici, suum opus: vt oratori, orationem a se habitam scriptamque: & omni denique homini, vocem aliquam: quam sapientem acutamque existimauit a se prolatam. In eodem illo loco, quod sensum quoque huius adiuuat, addidit. In primis poëtis hoc vsu venire: hi namque mirum quantopere delectentur suis poëmatibus, vt non minus, quam parentes liberos faciant, ipsa diligant.

Διὸ φιλοκόλακες, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Ideo valde diligunt assentatores plerunque.

Hinc fit (inquit) vt fere cuncti mortales huiuscemodi personis, rebusq; delectentur: elicitur enim causa huius rei è superiori sententia explicata: tantus enim est amor, quo nos met ipsos, resq; nostras prosequimur, vt eos etiam diligamus, qui ipsas admirantur ac colunt: siue ex animo id: siue simulate faciant, vt assentatores amatoresq;: testantur enim illi quodammodo, cum ipsis seruiant, aut potius seruire se simulent, eas eximias esse: nam eadem quoque de causa honoris studiosi sumus: confirmat enim honos, qui nobis tribuitur, nos praeclara quaedam fecisse, aut virtutes eas possidere, quae praemio, aut decore illo dignae sunt: plerunque enim dignis dari consueuit. quare indicium virtutis existimatur.

Καὶ φιλερασταί.

Et valde diligunt amatores suos.

Et pueri plerunque amatores suos caros habent, atque ipsis delectantur: videntur enim illi res ipsorum admirari, vt speciem corporis, ac morum elegantiam. Qui imaginem horum amorum exquisite expressit elegantissimo carmine Virgilius, hoc etiam declarauit: sic enim induxit
„ Euryalum, formosum puerum, amatorem suum alloquentem. Me ne igitur socium summis
„ adiungere rebus Nise fugis? solum te in tanta pericula mittam? vt enim gloriae cupidum, ita etiam sollicitum de vita ac salute amatoris sui eum fingit. Huic autem quoque parti, quod supra posuit, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ seruire manifestum est: plerunque enim contingit, non semper. vnde in extremo ij. libro priorum Analyticorum, cum verisimilis exemplum afferret, inquit. vt diligere eos, qui amantur.

Καὶ φιλότιμοι.

Et cupidi sunt honoris.

Addit, eosdem eadem de causa studiosos honoris esse: honor enim ornat ipsos, ac dignitatem eorum auget. quare, qui se ipsos diligunt: statumq; suum bonum, illustremq; esse volunt, honores necessario sitiunt.

Καὶ φιλότεκνοι: αὑτῶν γὰρ ἔργα τὰ τέκνα.

Et valde diligunt filios: ipsorum enim opera sunt filij.

Hinc etiam fit (inquit) vt plerunque parentes liberos diligant: sunt enim ipsorum opus, cum ex ipsis procreati sint: hanc enim causam huius amoris attulit. Non defuerunt tamen graues auctores, qui existimarint aeternitatis desiderio hunc amorem innatum esse natura parentibus erga filios: cum enim ipsi perpetuo viuere non possint, hac ratione sibi vitam propagant:

omneque

omneque studium, quod & in suscipiendis, & in alendis ipsis ponant, hunc finem habere. In antiquissimo libro vnitatis numero, ἔργον, legitur.

Καὶ τὰ ἐλλειπῆ ἐπιτελεῖν, ἡδύ· αὐτῶν γὰρ ἔργον ἤδη γίγνεται.

Et inchoata perficere iucundum est: ipsorum enim illorum opera iam fiunt.

ET inchoata perficere, iucundum. cuius causam afferens, inquit: fit enim iam ipsorum opus illud, non eorum, qui inceperunt. Iisdem vero verbis eundem hunc locum supra exposuit. illic tamen de beneficis hominibus loquebatur, hic de ijs, qui res suas nimio opere diligunt: animus tantum in his ac superioribus illis diuersus est. vtrique, quae alij inchoata, atque imperfecta reliquerint, sua industria, aut pecunia perficiunt: illorum mens ac voluntas in alios, egregia est: horum, non valde probari potest: qui, quae alij suo labore paene ad exitum perduxerint, paulum ipsi de suo addentes, sibi ascribere conantur.

Καὶ ἐπεὶ τὸ ἄρχειν, ἥδιστον, καὶ τὸ σοφὸν δοκεῖν εἶν, ἡδύ: ἀρχικὸν γὰρ τὸ φρονεῖν.

Et quia imperium habere iucundissimum est, & sapientem videri esse, iucundum est: genus enim quoddam imperij est sapere.

QVIA (inquit) regnare, res est suauissima, sapientem videri suaue etiam est: sapientia enim praeditũ esse, speciem habet imperij, & est quoddam regnare inter imperitiores. Habere autem imperium in aliquos, potirique rerum suauissimum esse, vt res plana certaq; ponitur. Quod vero sapere regium esse, atq; in alios paene iustum imperium habere sapientem, dixit, optimus etiam poëta id confirmauit, Sapiens dominabitur astris, canens: & nos etiam vulgo, patrio sermone dicimus, eruditos, ac litterarum studiosos viros, inter alios homines dominari: nec non in qualibet re, qui multum possunt atque illic plurimum auctoritatem gratiamq; habent, regnare μεταφορικῶς dicuntur, quemadmodum Cicero saepe locutus est.

Ἔστι δὲ ἡ σοφία, πολλῶν καὶ θαυμαστῶν ἐπιστήμη.

Est autem sapientia multarum & admirabilium rerum scientia.

VVLGARIS hic sapientia definitur, non quae in vj. libro de moribus ad Nicomachum, & in prima philosophia explicatur: diciturq; esse multarum & admirabilium rerum scientia.

Ἔτι, ἐπεὶ φιλότιμοι, ὡς ἐπιτοπολὺ, ἀνάγκη καὶ τὸ ἐπιτιμᾶν τοῖς πέλας, ἡδὺ εἶν.

Amplius, quia cupidi honoris fere sunt, necesse est insimulare alios, iucundum sit.

PRAETEREA (inquit) quia homines fere auidi sunt honoris, quod supra declaratum est, necesse est alios insimulare, ac peccantes coarguere, iucundum sit: significant enim ita, se virtute praestare, postquam aliorum vitam emendare audent: eaq; res ipsis honori est. In antiquissimo libro post superiora verba, legitur καὶ τὸ ἄρχειν: vetus etiam tralatio, si non hoc, aliud certe verbum exprimit, quod ab excusis nunc abest: sic enim illa habet. Et subijcere. Ac fortasse hoc ipsum, vt quod aliud, diuersumque nunc appareat, culpa librariorum commissum sit, qui pro subigere, perperam scripserint, subijcere. Siue, quod melius, vt opinor, est, auctor veteris tralationis cepit id verbum, vt inferior aetas vsurpare consueuit, vt valeat subijcere, in potestatem suam aliquos redigere.

Καὶ τὸ ἐν ᾧ βέλτιστος δοκεῖ εἶν αὐτὸς αὑτοῦ, ἐνταῦθα διατρίβειν, ὥσπερ καὶ Εὐριπίδης φησὶ· κἀπὶ τοῦτ' ἐπείγεται, Νέμων ἑκάστης ἡμέρας πλεῖστον μέρος, Ἵν' αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνει βέλτιστος ὤν.

Et in qua re studioue optimus sibi quisque semetipso videtur esse, hic tempus terere, quemadmodum Euripides inquit, Et ad id totum se confert, Tribuens singulorum dierum maximam partem, in quo ipse semetipso extiterit optimus.

ET, quo in studio existimat se quisque se ipso meliorem, vt nulla scilicet alia re tantum valeat, in eo assidue versari, iucundum est. Haec sententia, quae ab eruditissimis viris valde celebrata est, ab Euripide non minus sapientiae studioso, quã elegante poëta, fluxit. Quod eius hic carmen ponit, illud in problematibus quoque commendauit, segmento vj. cum quaereret, cur homines toti occupentur in his studijs, quae olim amauerint, quaeque potiora alijs duxerint: quamuis inania illa ac saepe abiecta sint, potius quam in honestioribus. Idem etiam fecit Plato in

to in Gorgia. συμβαίνει γὰρ τὸ τοῦ Εὐριπίδου: λαμπρός τ' ἐστὶν ἕκαστος ἐν τούτῳ, κἀπὶ τοῦτ' ἐπείγεται. & quae sequuntur. Sententia vero eius haec est. Singuli homines in his artibus, studijsq; se ostentant, & ad ea toto animo feruntur: maiorem diei partem in illis consumentes, in quibus ipsi se ipsis praestantiores sunt: vt semet ipsos in illis tractandis vincant. Primus, dimidiatus: consequentes duo, integri senarij sunt.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπεὶ ἡ παιδιὰ τῶν ἡδέων, καὶ πᾶσα ἄνεσις καὶ ὁ γέλως τῶν ἡδέων, ἀνάγκη δὲ καὶ τὰ γελοῖα ἡδέα εἶν, καὶ ἀνθρώπους, καὶ λόγους, καὶ ἔργα.

Eodem autem pacto & quia lusio vna est rerum iucundarum, & omnis animi remißio & risus est itidem iucundum, necesse vtique est etiam ridicula iucunda sint, & homines, & sermones, & opera.

SENTENTIA plana est, Quia (inquit) ludus vna rerum iucundarũ est, & omnis relaxatio animi & risus etiam, necesse est ridicula, iucunda sint, siue homines, siue sermones, siue facta aliqua ea sint: superiores auté illas res, vnde hoc, quod nunc traditur, fidé ducit, suaues esse, antea declarauerat. Nec quemquam turbet, quod verbo ἀνάγκη, a quo consequens incipit, particula δὲ adiuncta est: illa enim quasi abundat, & ornatus tantum gratia adposita est, vt multis locis animaduersum est ipsum locutum. supra etiam, vbi in excusis eadem non legitur, scripti quidam eam habent. ἐπεὶ δὲ τὸ μανθάνειν ἡδύ, καὶ τὸ θαυμάζειν, καὶ τὰ τοιαῦτα ἀνάγκη δέ. in antiquissimo tamen libro hinc ipsa, vt illinc, abest. Quamuis autem supra risum non appellarit, cum tamen requietem & relaxationem omnem animi inquit, reliqua etiam, quae eiusdem generis essent, significauit.

Διώρισται δὲ περὶ γελοίων χωρὶς ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς.

Exquisite autem disputatum est de ridiculis separatim in his, quae scripsimus de arte poetarum.

SE, quae ad iocos ridiculaq; pertinerent, explicasse tradit in libris de arte poëtarum. in iij. etiam horum de artificio dicendi librorum, paene ad extremum, cum saepe oratori vtiles esse facetias diceret, reiecit lectorem ad ea, quae in illis a se accuratius tradita fuerant: additque etiam se, quot genera facetiarum essent, illic docuisse. tota autem illa pars perijt, non sine graui iactura studiosorum. in primo tantum libro, qui vnus è tribus reliquus est, ridiculi definitionem attulit.

Περὶ μὲν οὖν ἡδέων εἰρήσθω ταῦτα: τὰ δὲ λυπηρὰ ἐκ τῶν ἐναντίων τούτοις, φανερά.

De rebus igitur iucundis tradita sint haec: molesta autem, & quae dolorem inurunt è contrarijs horum perspicua sunt.

QVAE molesta sunt (inquit) aegritudinemq; afferunt, his cognitis obscura esse non possunt: ex contrarijs enim rebus illa sumi perspicuum est. noluit igitur longior sine causa in illis explicandis esse: putauitq; quemlibet, non magno labore, illa per se eruere posse. hoc autem in his libris semper custodiuit.

Ὧν μὲν οὖν ἕνεκα ἀδικοῦσι, ταῦτ' ἐστί: πῶς δὲ ἔχοντες, καὶ τίνας, λέγωμεν νῦν.

Quorum igitur causa iniuriam faciunt, haec sunt: quomodo autem ipsi affecti, & quos, dicamus nunc.

CVM tria diligenter quaerenda esse docuisset: primumq; iam absoluisset, vt aperte narrat, idest quarum rerum gratia homines iniuria ceteros laedunt, reliqua duo aggreditur: quomodo ipsi affecti sint, qui iniuriam faciunt: & cuius generis homines inuadant.

Αὐτοὶ μὲν οὖν, ὅταν οἴωνται δυνατὸν εἶν, τὸ πρᾶγμα πραχθῆναι, καὶ ἑαυτοῖς δυνατόν.

Ipsi quidem ad iniuriam faciendam procliues sunt, cum putauerint fieri posse, vt res efficiatur, & per ipsos efficiatur.

QVAE res ad iniurias inferendas hortantur: animosq; addunt improbis, exponit: primoque, si sperant rem effici posse, & ab ipsis effici: neque enim tantum spectare oportet, qui efficere aliquid volunt, naturam ne eam habeat id, vt fieri possit: verum etiã num ipsi facultatem eius efficiendi

ciendi habeant. quod expressit Cicero (vt puto) cum inquit. Si cum spe efficiendi: cur enim id quisquam cum periculo temptet, quod se ad exitum perducturum non putet.

Εἴτ᾽ ἂν λαθεῖν, πράξαντες.

Siue cum gesserint, se fecisse ignotum iri.

Avt rem fore clam. Cicero, Si cum opinione caelandi. Impellit autem multos ad rem iniquam faciendam spes flagitij tegendi, & sola hac re freti, id committere audent: confidunt enim fallere omnes posse.

Ἢ, μὴ λαθόντες, μὴ δοῦναι δίκην.

Vel, si fallere non potuerint, se paenas non daturos.

Avt se aliquo modo putant eripere posse seueritati legum: paenamque subterfugere, si forte res palam facta fuerit: ita magnam autem vim esse huius rei Cicero existimauit, vt audaciae caput appellare ipsam non dubitarit, pro Milone dicens. Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem?

Ἢ δοῦναι μὲν, ἀλλ᾽ ἐλάττω τὴν ζημίαν εἶναι τοῦ κέρδους αὐτοῖς, ἢ ὧν κήδονται.

Siue daturos quidem, sed paenam minorem futuram, quam lucrum, quod ad ipsos venit, siue illos, quorum commoda curant.

Cicero (vt arbitror) sic interpretatus est. Aut si iudicij paena lenior, quam facti praemium. Adiungit Aristoteles, siue ipsis res ea fructum latura sit: siue his, quos caros habent: non minus enim honesti viri, quam pro se, pro commodis eorum, quos diligunt, laborant.

Ποῖα μὲν οὖν δυνατὰ φαίνεται, καὶ ποῖα ἀδύνατα, ἐν τοῖς ὕστερον ῥηθήσεται.

Qualia igitur sint, quae videntur effici posse, & qualia, quae non possunt effici, dicentur in his, quae postea tradi debent.

Cvm paulo supra docuisset, qui iniuste facere in animo habent, spectare prius, effici ne illud possit: nec tamen, quae res eam naturam habeant tradere nunc velit, si forte tamen id aliquis quaerat, pollicetur se de ea re postea accurate acturum: ostenditque hunc locum minime ei praeceptioni accommodatum esse: & quia non tantum, quae vere ab ipsis effici possunt, verum etiam, quae speciem eorum habent aliquando aggrediuntur, illa ipsa affirmat se explanaturum: quod facit in secundo horum librorum, explicatis iam animi commotionibus: moribusq; singularum aetatum ac fortunarum.

Κοινὰ γὰρ τῶν μερῶν τῆς ῥητορικῆς ταῦτα πάντα.

Communia enim sunt haec omnium partium rhetorices.

Rationem, cur ea nunc omittat, reddit: dicitque, se nunc non debere, quae fieri possint, & quae non possint, explicare: vbi, quae propria sunt iudiciorum tradit: sunt enim haec communia omnium generum, in ijsq; numerantur, quae κοινὰ εἴδη vocare consueuit: partes vero appellat artis dicendi, tria ipsius genera. Valde vero discrepans est hic locus in antiquissimo libro: sententia tamen (nisi fallor) nihil variatur. ita autem ille habet. κοινὰ γὰρ ταῦτα πάντων τῶν λόγων.

Αὐτοὶ δ᾽ οἴονται δυνατοὶ εἶναι μάλιστα ἀζήμιοι ἀδικεῖν, οἱ εἰπεῖν δυνάμενοι, καὶ οἱ πρακτικοὶ, καὶ οἱ ἔμπειροι πολλῶν ἀγώνων.

Ipsi autem putant se posse maxime securi a paena iniuriam facere, qui facultate dicendi praediti sunt, & qui magnum vsum rerum habent, & qui versati sunt in multis forensibus causis.

Qvi potissimum sperant se posse iudicij paenã effugere: ac sine metu mali alicuius iniuriosos esse, narrat: quibusq; rebus freti, exponit. primos autem ponit eloquentes: facultate enim dicendi seueritatem iudicum eludere possunt. Cogitans fallere erum Geta ille Terentianus, callidus seruus, dixit, se vsum fuisse hoc argumento ad deterrendum Phormionem, ne inciperet cum ipso litigare. Heia sudabis satis, si cum illo incoeptas homine, ea eloquentia est. Deinde, qui in rebus gerendis multum valeant: nec non, qui forenses res pulchre cognitas habeant: in alijsq;

periculis,

periculis, contentionibusq; dicendi diu versati sint: ἀγῶνας enim, vt Attici omnes scriptores concertationes has forenses vocat. Lysias in oratione, quam Eratostheni scripsit, capitis reo
» quod adulterum domi, cum vxore deprehensum, necasset. οἱ δ' ἀγῶνες δεινότεροι τοῖς ἀδικουμένοις κα-
» θεστήκασι, ἢ τοῖς παρὰ τοὺς νόμους τὰς ἀλλοτρίας καταισχύνουσι γυναῖκας, nec non pro Callia. φέρε γὰρ ἂν νῦν
» Ἀνδοκίδης ἀθῷος ἀπαλλαγῇ ἡμῶν ἐκ τοῦδε τοῦ ἀγῶνος.

Καὶ ἐὰν πολύφιλοι ὦσι, καὶ ἐὰν πλούσιοι.

Et si copia amicorum abundarint, & si locupletes fuerint.

PRAETEREA si amicis abundarint: copia enim amicorum viam iniuriae faciendae munit, è periculisq; eripit. πολύφιλοι (ita namque emendaui, vt sane in fidelioribus scriptis legitur) qui multitudine amicorum valent. Hoc etiam iuncto nomine vsus est Lysias in oratione, cuius
» index contra sodales, quod existimationem suam laesissent. Οὐ μὴν οὐδὲ πολυφίλους ὑμᾶς· ἐμαυτὸν δ'
» ἔρημον φίλων. Adiungit autem his, ac si diuites fuerint: amplitudo enim patrimonij animos addit improbis: fretiq; diuitijs multi, ad iniurias inferendas procliuiores sunt.

Καὶ μάλιστα μὲν ἂν αὐτοὶ ὦσιν ἐν τοῖς εἰρημένοις, οἴονται δύνασθαι· εἰ δὲ μή, κἂν ὑπάρχωσι τοιοῦτοι αὐτοῖς φίλοι, ἢ ὑπηρέται, ἢ κοινωνοί.

Et potissimum quidem, si ipsi fuerint in his bonis, sperant se posse: si non, etiam si fuerint ipsis amici tales, vel ministri, vel socij.

QVI praesidia illa in se habeant, quae supra narrauit, in primis procliues ad iniurias esse solere affirmat: existimareq; se posse impune omnia audere. Sed alij quoq; non nulli non timidi sunt ad maleficia: qui, quamuis ipsi tales non sint, habent amicos, aut ministros, aut socios, rebus illis ornatos: amici enim temporibus amicorum non desunt: & qui operam suam in facinore obeundo praebuerunt, si auctor sceleris plecteretur, ipsi quoque vna perirent: socij etiam, si salui esse volunt, coguntur salutem ipsorum enixe procurare: quod siqui, praesidijs ijs destituti, potentiorumque hominum amicitia vacui, flagitia admitterent: iniuriasq; facerent, non lentis omnino, infimisq; hominibus, hi procul a malo cruceq; abesse non possent.

Διὰ γὰρ ταῦτα δύνανται, καὶ πράττειν, καὶ λανθάνειν, καὶ μὴ δοῦναι δίκην.

Ope namque harum rerum possunt, & facere, & fallere, & paenas declinare.

HAE sunt res, quarum praesidio potest aliquis impune peccare: quaeque adiuuant ad maleficia aut perficienda, aut occultanda, aut paenam, si patefacta fuerint, quae legibus imposita est, effugiendam: nec tamen singulae cuncta haec praestare possunt, sed quaedam, hoc: quaedam, aliud efficiunt. Facultas dicendi ad fallendos iudices valet: neque enim ad iniuriam conflandam adiuuat. Copia amicorum opesq; ad rem perficiendam, sed ad paenam quoque declinandam. Diuitiae ipsae opesq;, occultando maleficio accommodatae sunt. An in singulis etiam aliquid positum est, quod ad cuncta valeat? quamuis magis his, quam illis rebus aptae sint: eloquentia enim quandoq; ad rem iniustam faciendam multum prodest: & auxilio diuitiarum, ciuilisq; potentiae, indices sceleris muti redduntur.

Καὶ ἐὰν φίλοι ὦσι τοῖς ἀδικουμένοις· ἢ τοῖς κριταῖς· οἱ μὲν γὰρ φίλοι ἀφύλακτοί τε πρὸς τὸ ἀδικεῖσθαι, καὶ προσκαταλλάττονται, πρὶν ἐπεξελθεῖν.

Et si amici fuerint his, qui iniuriam acceperunt, vel iudicibus: amici namque sunt aperti ad iniuriam accipiendam: priusque placantur, quam iudicij periculum creent.

PRAETEREA putant se posse iniuriam facere citra damnum ac paenam, si amici fuerint, aut ijs, qui iniuriam passuri sunt, aut, qui de re existimaturi: prioris partis antea rationem reddit: nec eam simplicem, dicens: amici namque sunt expositi ad iniuriam: nec se resque suas ab amicis custodiunt: a quibus enim non metuimus, eos non cauemus. facilius igitur laedi possunt: de vulgari autem amicitia loquitur. aliud etiam est, quod impellere nos potest ad eos violandos: cum enim nobiscum antea familiariter vixerint, ante ipsorum animi placantur, quam iure nobiscū experiri coeperint. amicorū autem animos iratos facile restitui solere, senarius hic quoq; vetus confirmat. Ὀργὴ δὲ φίλων μικρὸν ἰσχύσει χρόνον. Spes igitur efficiendi ac paenam euitandi: quae res magnam vim habent, hic quoq; ad scelus hortari possunt. Cum vero ἐπεξελθεῖν dixerit,

hunc

hunc modum loquendi (nisi fallor) expressit Cicero cum in ij. libro epistolarum ad Atticum,
» inquit. Equidem ante quam tuas legi litteras, in hominem ire cupiebam.

Οἱ δὲ κριταὶ χαρίζονται, οἷς ἂν φίλοι ὦσι, καὶ ἢ ὅλως ἀφιᾶσιν, ἢ μικροῖς ζημιοῦσι.

Iudices autem gratum faciunt his, quibus amici fuerint, & siue omnino dimittunt, siue pauca paena afficiunt.

AMICOS quoq; iudicum confidentius posse iniuriam facere cum dixisset, causam eius rei nunc affert: iudices enim (inquit) solent amicis gratificari: &, aut omni culpa eos liberant, aut parua paena multant. Discrimen hoc scripturae est in antiquissimo libro, quod ille οἷς ἂν φιλῶσιν habet: sententia non variatur, nec ratio loquendi hanc condemnat, vt imperitis fortasse videretur: est enim elegans ac familiaris Atticorum.

Λαθητικοὶ δέ εἰσιν, οἵ τ' ἐναντίοι τοῖς ἐγκλήμασιν. οἷον ἀσθενὴς περὶ αἰκίας: καὶ ὁ πένης, καὶ ὁ αἰσχρὸς περὶ μοιχείας.

Facile autem fallunt, qui sunt aduersi culpis, quarum arguuntur. ceu si homo nullis corporis viribus feratur quempiam verberasse: vel pauper, idemque deformis, reus sit adulterij.

FALLVNT facile, qui criminibus aduersi sunt. ij autem sunt, in quos, quae ipsis obijciuntur, non quadrant: quis enim credat infirmo corpore hominem quempiam vsque ad necem verberasse: aut mendicum, deformemq; adulterium fecisse? castitas namque mulierum, aut pretio, aut pulchritudine expugnatur. Quintilianus libro v. ijsdem exemplis vsus est, quo loco de argumen-
» tis disserit. Ducitur enim frequenter in argumentũ, species, libidinis: robur, petulantiae. ijs
» contraria in diuersum. Huiuscemodi quippiam significare voluit M. Caelius in epistola ad Ci-
» ceronem, cum iocans inquit. Ser. Ocella nemini persuasisset se moechum esse, nisi triduo bis
» deprehensus esset: & (vt puto) corporis turpitudinem notauit.

Καὶ τὰ λίαν ἐν φανερῷ, καὶ ἐν ὀφθαλμοῖς: ἀφύλακτα γὰρ διὰ τὸ ὅλως μηδένα ἂν οἴεσθαι.

Et quae in claro admodum loco, & ante oculos omnium sunt: neque enim custodiuntur, quia penitus nemo putaret, quempiam in illa inuasurum.

EA quoque (inquit) quae valde illustri in loco, & ante oculos posita sunt, violant ac surripiunt: nulla enim maior diligentia his tuendis adhiberi consueuit: quod nemo vnquã putaret omnino vllum tam audacem futurum, vt ijs, quae oculis omnium custodiuntur, manus afferret.

Καὶ τὰ τηλικαῦτα, καὶ τὰ τοιαῦτα, ἃ μηδὲ εἷς: ἀφύλακτα γὰρ καὶ ταῦτα.

Et quae tanta fuerint, & talia, quae nullus quidem: non enim custodiri solent, ne haec quoque.

AGGREDIVNTVR etiam illa, quae aut magnitudinem, aut qualitatem eam habent, vt a nemine adhuc admissa sint: τηλικαῦτα enim tanta significat: magnitudinemq; facinorum declarat: τοιαῦτα vero talia: ambobus enim modis nusquam alias auditum scelus admitti potest. Rationem autem eius reddens, ostendit partem superiorum, & haec esse: atque inquit: haec enim non cauent metuuntq; homines: nec praesidij aliquid contra ipsa, quia sunt noua atq; inaudita, comparant. Antiquissimus liber diuersi hoc a reliquis hic habet: non enim ἃ μηδὲ εἷς, sed οἷα μηδ' ἄν τις, illic legitur.

Πάντες γὰρ τὰ εἰωθότα, ὥσπερ ἀρρωστήματα, φυλάττονται, καὶ τὰ ἀδικήματα: ὃ δὲ μηδείς πω ἠρρώστησεν, οὐδεὶς εὐλαβεῖται.

Cuncti enim, quae fieri solita sunt, cauent, vt morbos, ita iniusta facta: quo autem genere morbi nemo adhuc aegrotauit, illum non cauet.

NOVA etiam iniuriarum genera, aut rara & insuitata, facilius effici possunt, quod plerunque illa non caueantur: huiuscemodi enim ingenium est hominum, vt reformidet, quae solita sunt fieri. vt autem totam rem magis explanaret, simili quodam vsus est: aitq; in se ac rebus suis ab aliorum fraude impetuque tuendis, homines ita se gerere, vt in corporis morbis, consuesse.

communes namq; cotidianosq; morbos metuunt, cunctaq; illa declinant, quae ipsos importare possent: a nouis autem morbis nullum sibi periculum instare putant. suspectas igitur habent, ac diligenter cauent peruulgatas iniurias: nouis vero inauditisq; expositi semper sunt.

Καὶ οἷς μηδεὶς ἐχθρὸς, ἢ πολλοί: οἱ μὲν γὰρ οἴονται λήσειν, διὰ τὸ μὴ φυλάττεσθαι: οἱ δὲ λανθάνουσί τε, διὰ τὸ μὴ δοκεῖν ἂν ἐπιχειρῆσαι φυλαττομένοις.

Et quibus nullus inimicus, siue multi: hi namque putant factum suum clam futurum, quia non se custodiunt: hi autem latent, quia nemo putaret eos impetum facturos fuisse in illos, qui se resque suas custodirent.

EOS etiam aggrediuntur, qui aut nullum inimicum, aut multos habent. cuius rei causam, cum admirabilis videretur, accurate attulit: qui enim (inquit) iniuriam ijs faciunt, qui inimicos nullos habent, confidunt se posse latere: quia se ac suum caput illi non custodiunt: cur enim studium ponant in vita sua tuenda, cui nullos esse insidiatores arbitrantur? contra qui inuadunt in eos, qui plurimorum inimicitijs vigilantiores ad vitam suam tuendam redduntur, latent, quia verisimile non est eos id facturos fuisse: quis enim facile credat, quempiam impetum facturum fuisse in eos, qui se ac salutem suam valde munitam cura ac diligentia habeant? praesertim cum ipse in eorum numero non haberetur, qui simultatem cum eo exercebant. Aliud etiam adiungit, quod ijsdem animum addit: duas enim causas attulit, cur posteriores hi proni essent ad iniuriam ijs faciendam, qui multorum odio iraque premerentur.

Καὶ διὰ τὸ ἀπολογίαν ἔχειν, ὅτι οὐκ ἂν ἐνεχείρησαν.

Et quia paratam defensionem habent, se numquam aggressuros fuisse.

PRAETEREA latent, etiam si suspicio orta fuerit eos id commisisse: habent enim paratam excusationem, semperq; factum inficiari poterunt. quod numquam aggressuri fuissent, quod efficere se non posse putarent: quomodo enim sperare potuerunt, se vt incautos illos oppressuros, qui vitam suam ab insidijs inimicorum, quorum multitudine premerentur, summa cura defenderent. superius argumentum in existimatione iudicum manet: inferius hoc in persona reorum: ostendit enim semper ipsos hoc perfugio vti posse. Antiquissimum librum secutus, parum immutata & voce & notione ipsius, ἐνεχείρησαν emendaui: cum ἐπεχείρησαν hic quoq; excusi haberent. est autem ἐγχειρεῖν, temptare aliquam rem, & manus illi primo adhibere.

Καὶ οἷς ὑπάρχει κρύψις, ἢ τρόπος, ἢ τόπος, ἢ διάθεσις εὔπορος.

Et quorum in potestate est occultatio, vel modus, vel locus, vel venditio facilis.

ILLI praeterea prompti ad scelera: maximeq; ad furta (de furibus enim ac latronibus loquitur) qui possunt, quae sustulerint, nullo negotio occulere, vel ea commutare, aut in alium locum seponere, siue etiam vendere: διάθεσιν enim hic alienationem valere arbitror, quo sensu cepit Plu-
» tarchus in Solone, quum inquit. τῶν δὲ γινομένων διάθεσιν πρὸς ξένους ἐλαίου μόνον ἔδωκεν: ἄλλα δὲ ἐξάγειν
» ἐκώλυσεν: tradit enim ipsum legibus vetuisse, nequis peregrino homini quicquam, quod illic nasceretur, oleo excepto, venderet. Demosthenes quoq; in ij. oratione Olynthiaca dicens.
» Οὐδ' ὅσ' ἂν πορίσωσιν, οὕτως ὅπως ἂν δύνωνται, ταῦτ' ἔχοντες διαθέσθαι: & Isocrates in Panegyrico. Καὶ
» πολλῆς ἀπορίας οὔσης: τὰ μὲν, ὅποι χρὴ διαθέσθαι: τὰ δὲ, ὁπόθεν εἰσαγαγέσθαι, pro vendere verbum id manifesto vsurparunt. In antiquissimo vero libro postrema haec duo verba multitudinis numero leguntur: & sane εὔποροι in maxima parte scriptorum codicum inueni: vt videatur, quamuis antecedens verbum vnitatis numero sit, ita commode legi posse: vt cunctae appellatae supra res faciles debere esse, parabilesq; videantur: valet vero hic (vt opinor) τρόπος, quibus modus viaque facilis est illa immutandi. quod aut figuram, aut colorem variare possint: aut artificio denique suo aliquo modo facere, ne ipsa cognoscantur.

Καὶ ὅσοις, μὴ λαθοῦσιν, ἔστι διῶσις δίκης, ἢ ἀναβολὴ χρόνιος, ἢ διαφθοραὶ κριτῶν.

Et quibuscunque, si non fefellerint, est depulsio iudicij, vel procrastinatio longa, vel corruptelae iudicum.

ILLI etiam confidenter iniuriam faciunt, qui si forte facinus caelare non potuerint, intelligunt se posse depellere a se ac remouere periculum iudicij: facereq; ne causam dicant: aut in longinquum tempus rem differre, aut corrumpere iudices. Hunc locum (nisi fallor) adumbrauit
» Cicero, cum in Partitionibus inquit. Si cũ opinione caelandi, aut si patefactum esset, depellendi criminis,

criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi. Non eundem tamen ordinem secutus est: nec omnino sententias ipsas expressit. Δίωσις δίκης est, cũ quispiam a se remouet periculum iudicij, & aliquo modo facit, ne causam dicat. Διαφθοραὶ κριτῶν sunt ad verbum iudicum corruptelae: aut mercede scilicet, aut gratia, aut intercessione amicorum. Cicero vero generatim perrumpendi periculi inquit: ille enim quoq; perrumpit iudicium, qui vim adhibet iudicibus, atq; opibus, aut suis, aut amicorum, frangit auctoritatem legum. tertia ratio allata a Cicerone penitus respondet verbis Aristotelis. Duobus hic locis discedit a communi lectione antiquissimus liber: nec tamen scripturae varietas illa sententiam variat: instanti namque tempore, λανθάνουσιν habet: & infra generandi casu, χρόνου.

Καὶ οἷς, ἐὰν γένηται ζημία, ἔστι δίωσις τῆς ἐκτίσεως, ἢ ἀναβολὴ χρόνιος, ἢ δι' ἀπορίαν μηδὲν ἕξει, ὅ, τι ἀπολέσει.

Et quibus, si multati fuerint, facultas est depellendae solutionis, vel procrastinatio longa, vel propter egestatem, nihil habuerint, quod amittant.

Illi etiam iniuriosi sunt, qui si forte a iudicibus pecunia multati fuerint, facultatem habent, paenae, multaeq; depellendae: aut dissolutionem in longinquum tempus differendi, aut propter egestatem nihil amittere possunt. postrema haec ratio alacriorem faciebat ad iniurias Phormionem Terentianum, impurum illum hominem, vt ipse met docet. Alijs aliunde est periclum, vnde aliquid abradi potest, mihi sciunt nihil esse. Ἐκτίσιν multae paenaeq;, legibus impositae, dissolutionem significare, planum est: quo verbo etiam infra vtitur. ἐπιτιμῶσιν ἢ δίκην ἢ ἔκτισιν. Plutarchus in Solone. καὶ κατὰ τῶν ἐξαγαγόντων, ἀρὰς τὸν ἄρχοντα ποιεῖσθαι προσέταξεν, ἢ ἐκτίνειν αὐτὸν ἑκατὸν δραχμὰς εἰς τὸ δημόσιον. Lysias, ὑπὲρ στρατιώτου: ἀδίκως δὲ ζημιωθεὶς, οὔτ' ὀφείλω, οὔτ' ἐκτίσαι δίκαιός εἰμι: cum enim inique se multatum diceret, paena non teneri aiebat, nec deberi a se multam peti.

Καὶ οἷς, τὰ μὲν κέρδη φανερὰ, ἢ μεγάλα, ἢ ἐγγὺς: αἱ δὲ ζημίαι, ἢ μικραὶ, ἢ ἀφανεῖς, ἢ πόῤῥω.

Et quibus lucra fuerint aperta, vel magna, vel propinqua: paenae autem, vel pusillae, vel obscurae, vel longinquae.

Illi quoq; non dubitant iniuriam facere, quibus emolumenta, si rem efficere potuerint, aut aperta, aut magna, aut propinqua: multae autem, aut obscurae, aut pusillae, aut longinquae: alliciunt enim haec animos improborum ad iniurias. Respondere vero ex altera parte paenas vtilitatibus, planum est. ζημίας ἀφανεῖς manifesto vocat paenas, quae non apparent iniuriam facienti, vt metu illarum a scelere abstinere se debeat, quae obscurae admodum & caecae sunt, vt perspici nequeant.

Καὶ ᾧ μὴ ἔστι τιμωρία ἴση τῇ ὠφελείᾳ, οἷον δοκεῖ ἔχειν ἡ τυραννὶς.

Et cui non existit paena par, aut aequalis praemio, quale bonum tyrannis in se habere videtur.

Id etiam facinus libenter aggrediuntur, cui par paena non est commodo, quod inde capitur: quamuis enim non omnino bene cum illis agatur: nec flagitium impunitum sit, tamen non poenitet illos egisse. Idem significauit Cicero in Partitionibus, cum inquit. Aut si iudicij paena leuior, quam facti praemium. Vincit igitur spes maximorum commodorum metum etiam certae paenae: vt rem autem magis explanet, exemplum quoque rerum, quae naturam eam habeant, ponit, dicens: quod in se habere videtur tyrannis, vt aequalis animaduersio paenaq; non repperiatur tot tantisq; commodis, quae in dominatione sunt. Duobus vero modis hic discrepat antiquissimus liber a reliquis omnibus: ὧν enim multitudinis numero, patrio casu, habet: abestq; inde ἔχειν, ac si dixisset, cuiusmodi videtur esse tyrannis.

Καὶ ὅσοις τὰ μὲν ἀδικήματα, λήμματα: αἱ δὲ ζημίαι, ὀνείδη μόνον.

Et quibuscunque iniusta facta, quaestus: multae vero, ignominias tantum.

Illi quoque prompti paratique ad iniurias sunt: quibus facta improba, quaestum: paena vero, ignominiam tantum afferunt, sine vllo scilicet rei familiaris detrimento. λήμματα significat hic lucrum: & quod patrimonio acquiritur: vt Demostheni in ij. Olynthiaca. τὰ δὲ λήμματα τῶν ἐρεσχηλόντων καὶ τῶν στρατιωτῶν; neque tamen de omni hominum genere hoc verum est, sed de illis

tantum,qui auidi rei sunt, quod infra ipse testatur: inueniuntur enim, qui mediocrem honorem cum magna pecunia non commutarent,quamuis multitudo aequiore animo iacturam faciat dignitatis, quam patrimonij.

Καὶ οἷς τἀναντίον· τὰ μὲν ἀδικήματα, εἰς ἔπαινόν τινα.

Et quibus contra iniuriae adlatae ad laudem aliquam referuntur.

ILLI etiam proni ad alios laedendos, quibus ex aduerso se res habet: qui scilicet, si quosdam violarint, ex ea re laudem adipiscuntur. paenae autem, legibus impositae, aut damno rei familiaris, aut mutatione soli, aut huiuscemodi aliqua re, soluuntur: cum ijs enim coniungi debent, quae infra verba posuit: exemplum enim, quod priorem partem confirmat, in medio interiectū est.

Οἷον εἰ συνέβη ἅμα τιμωρήσασθαι ὑπὲρ πατρὸς, ἢ μητρὸς, ὥσπερ Ζήνωνι: αἱ δὲ ζημίαι, εἰς χρήματα, ἢ φυγὴν, ἢ τοιοῦτόν τι.

Veluti si contigerit simul vlcisci patris, aut matris iniuriam, vt Zenoni euenit: multae autem ad pecuniam, vel exilium, vel huiuscemodi aliquid.

EXEMPLI causa (inquit) si contigit eodem tempore, quo illum iniuria afficis, vlcisci veterem iniuriam, patri, aut matri tuae illatam, vt eodem facto, quo damno quempiam afficis, laudē apud multos consequare, quod pius sis: superat enim longe gloria, quae inde percipitur, offensionem illius rei in animis aliquorum. Quod vsu venit (inquit) Zenoni. Historia autem haec mihi ignota est: nec repperire vmquam potui, quid huiuscemodi gesserit Zeno: vt etiam compertum non habeo Zenonem ne Eleatem, maximi animi virum, an alium aliquem eiusdem nominis, intelligat.

Ἀμφότεροι γὰρ ἀδικοῦσι, καὶ ἀμφοτέρως ἔχοντες, πλὴν οὐχ οἱ αὐτοὶ, ἀλλ' οἱ ἐναντίοι τοῖς ἤθεσι.

Vtrique enim iniuriam faciunt, & vtroque modo se habentes: non tamen ijdem, sed inter se moribus discrepantes.

VTRIQVE enim iniuriosi sunt, & posteriores hi, ac priores illi: & vtroque modo affecti, idest, & qui, dum vtilitates retineant, ignominias parui faciunt: & qui damna, quae in patrimonio acceperint contemnunt, dummodo laudem consequantur: non tamen ijdem, sed oppositi inter se vita ac moribus: superiores enim auari, & omnia prae lucro spernentes: inferiores vero, gloriae cupidi ac generosi.

Καὶ οἱ πολλάκις, ἢ λεληθότες, ἢ μὴ ἐζημιωμένοι.

Et qui saepe, vel fefellerunt, vel paenam declinarunt.

NEC non, qui saepe antea, aut fefellerunt, flagitijs admissis: aut, si intellecti, in iudiciumque vocati sunt, eorum paenas non dederunt: sperant enim se rursus, aut latere, aut iudicio elabi posse. Hoc quoque animum dabat Phormioni Terentiano ad noua audacter scelera molienda: perspexerat enim saepe se antea è magnis iudiciorum periculis saluum incolumemque euasisse, ac ne legibus quidem secum agi coeptum esse. Quot me censes homines iam diuerberasse vsq; ad necem, hospites, tum ciues, & quae sequuntur.

Καὶ οἱ πολλάκις ἀποτετυχηκότες: εἰσὶ γάρ τινες, καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις, ὥσπερ ἐν τοῖς πολεμικοῖς, οἷον ἀναμάχεσθαι.

Et qui saepe, quod conati sunt, adipisci non potuere: sunt enim non nulli in huiuscemodi etiam rebus, vt in bellicis certaminibus, qui rursus suarum virium periculum facere volunt.

HI contrariam fortunam in facinoribus edendis, atque superiores, experti sunt, de quibus proxime locutus est: illi namque saepenumero, aut latuerunt, aut a iudicibus multati non sunt, si res patefacta est: hi tamen quoque, qui fine consiliorum suorum crebro deiecti sunt, & quod voluere, clam efficere non potuerunt, ac paenas etiam suorum flagitiorum dederunt, libenter solent iniuriam facere: vt sunt enim hominum ingenia in huiuscemodi etiam rebus, vt in bellicis, reperiuntur non nulli, qui tamquam fortunam belli rursus temptare cupiunt, quod a Graecis ἀναμάχεσθαι dicitur. Cleomenis, Spartanorum regis, elegantissima vox celebratur a

Plutarcho

Plutarcho in Laconicis: cum enim Argiui magna clade accepta, dicerent se velle ἀναμάχεσθαι: non video (inquit) cur vos duarum syllabarum adiectione nunc meliores, quam paulo ante fuistis, esse possitis. Iusit autem ille in praepositione, quae addita verbo fuerat, quae videbatur ipsis stulte animos addere. Vim huius verbi intellexit Virgilius (nisi fallor,) cũ Turnum ita induxit » loquentem - & semel agmine pulso Funditus occidimus, nec habet fortuna regressum. nec » non in eodem libro, cum a Latino rege haec dici facit - quos nulla fatigant fortuna Proelia, nec victi possunt absistere bello. Rem ipsam feliciter expertus est M. Marcellus, cum priore die victus ab Hannibale fuisset. quod cum audisset parari dux hostium, exclamauit, Cum eo nimirum hoste res est, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest, seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victoribus certamen. Graeco veteres scriptores passim vtuntur: & saepe etiam ad alia transferunt: vt hic noster in problematibus, de sophistis agens. » Καὶ γὰρ νικῶντες, διὰ τὸ χαίρειν, προάγοντες μᾶλλον ἐρίζειν: καὶ ἡττώμενοι, ὡς ἀναμαχούμενοι.

Καὶ οἷς αὖ παραχρῆμα μὲν τὸ ἡδύ: τὸ δὲ λυπηρὸν, ὕστερον: ἢ τὸ κέρδος: ἡ δὲ ζημία, ὕστερον.

Et quibus, quod voluptatem parit, statim adest: quod vero dolorem inurit, postea: vel lucrum: multa autem postea.

NEC non ij, quibus voluptas suauitasq;, quae ex eo facto oritur, continuo existit: quod autem aegre habet, posterius. Eadem ratio vtilitatis est: sequunturq; illi non voluptatem corporis, sed quaestum: si namque lucrum statim consequatur: paena autem multatioq; bonorum, sera est, non dubitant aggredi.

Οἱ γὰρ ἀκρατεῖς, τοιοῦτοι: ἔστι δ᾽ ἀκρασία περὶ πάντα, ὅσων ὀρέγονται.

Incontinentes enim huiuscemodi sunt: existit autem incontinentia in omnibus rebus, quas appetunt.

IMPOTENTES cupiditatum homines huiuscemodi sunt, idest anteponunt praesentem voluptatem, futurae aegritudini. Lucilij versus apud Nonium è libro xxvj. ipsos perstringit. Qui » sex menses vitam ducunt, orco spondent septimum. Vnde autem hi ita appellati sint, patet: quod se a re, quae sensus oblectat, abstinere nequeant: nec possint in eo perdurare, quod ratio praecipit, atq; vtile esse docet: hi enim sunt ἀκρατεῖς, in quibus ratio, in contrariam partem trahens, ab appetitu superatur. vnde, vt imprudentes: quiq; ab eo, quod conducit, discedunt, ab ipso insimulantur. cum autem ita maxime vocentur, qui a corporis voluptatibus sibi temperare non possunt: ipseque supra huiuscemodi esse etiam dixerit auaros homines, si obiecta ipsis fuerit spes praesentis lucri: neque enim reformidare illos futurum, post longa interualla, rei familiaris damnum, docet vitium illud non posse se continendi, versari omnibus in rebus, quas acriter homines appetunt, non in Venere tantum explenda: ventrisque ac gutturis desiderijs satiandis.

Καὶ οἷς αὖ τοὐναντίον, τὸ μὲν λυπηρὸν ἤδη ᾖ, ἢ ἡ ζημία: τὸ δὲ ἡδὺ καὶ ὠφέλιμον, ὕστερα καὶ χρονιώτερα: οἱ γὰρ ἐγκρατεῖς καὶ φρονιμώτεροι τὰ τοιαῦτα διώκουσι.

Et quibus contra, quod inurit dolorem iam adfuerit, vel multa: iucundum autem atque vtile posteriora sunt, & diuturniora: continentes enim & prudentiores huiuscemodi sectantur.

PRAETEREA ij, quibus contra, quod aegritudinem importat, praesens est, aut multa etiam, quae patrimonium extenuat: quod autem delectat, aut rem auget, consequitur, ac diuturnius est: continentes enim ac prudentiores huiuscemodi sectantur: prudentiores autẽ eo nomine sunt, quod minora mala praesentia aequo animo ferunt, vt maiorum inde bonorũ, diuturniorumq; compotes fiant. Apud Terentium Phormione, Antipho adolescens, quem poenitebat facinoris, quod fecerat, exponens se tunc meliore in statu futurum fuisse, si sibi temperare potuisset, » inquit. Potitus non essem: fuisset tum illos mihi aegre aliquot dies, At non cotidiana cura » haec angeret animum. & quae sequuntur. quibus verbis se ἀκρατῆ fuisse declarauit: ac merito tunc plecti.

Καὶ οἷς αὖ ἐνδέχεται διὰ τύχην δόξαι πρᾶξαι, ἢ δι᾽ ἀνάγκην, ἢ διὰ φύσιν, ἢ δι᾽ ἔθος: καὶ ὅλως ἁμαρτεῖν, ἀλλὰ μὴ ἀδικεῖν.

Et quibus contigerit, vt casu videantur fecisse, aut necessitate sibi imposita, aut natura, aut consuetudine: demumque lapsi fuisse, sed non iniuste fecisse.

ILLI quoq; iniuriosi sunt, qui videri possunt, aut casu fecisse, aut necessitate sibi imposita, aut a natura fuisse impulsi, aut consuetudine abrepti, deniq;, qui probare possunt se lapsos propter imprudentiam esse, non scientes, volentesq; laesisse. Quid vero discriminis sit inter ἁμαρτάνειν, & ἀδικεῖν, cum ipse infra accurate doceat, illinc commode peti posse arbitror. Hi vero omnes simulatione probitatis decipere conantur: causisq; freti sunt (quamuis fingantur illae) quibus ignoscere homines consuerunt.

Καὶ οἷς ἂν ᾖ τοῦ ἐπιεικοῦς τυχεῖν.

Et quibus licuerit obtinere, vt ex aequo & bono factum suum iudicetur.

ILLI etiam, qui impetrare possunt, vt non summo iure secum agatur, sed ex aequo & bono factum iudicetur. ratio huius rei aperta est: mitiora enim haec iudicia sunt.

Καὶ ὅσοι ἂν ἐνδεεῖς ὦσι: διχῶς δέ εἰσιν ἐνδεεῖς: ἢ γὰρ ὡς ἀναγκαίου, ὥσπερ οἱ πένητες: ἢ ὡς ὑπερβολῆς, ὥσπερ οἱ πλούσιοι.

Et quicunque fuerint egentes: duobus autem modis sunt egentes: siue enim egent rebus vitae necessarijs, veluti pauperes: siue, vt copia, & exuperantia bonorum, veluti diuites.

QVICVNQVE etiam egestate alicuius rei laborant, improbe multa faciunt. ne autem haec dicta credantur contra tenues ac mendicos homines tantum: nam locupletes etiam eam ob caussam saepe flagitia admittunt, docet duobus modis appellari egentes, & qui rebus ad vitam necessarijs careant, vt pauperes: & qui superuacaneis non omnino abundant: vellent autem sibi multa superesse, vt diuites: quod ad pauperes pertinet, testatus id etiam Virgilius est, cum male suadam famem appellauit.

Καὶ οἱ σφόδρα εὐδοκιμοῦντες, καὶ οἱ σφόδρα ἀδοξοῦντες: οἱ μὲν, ὡς οὐ δόξοντες: οἱ δὲ, ὡς οὐδὲν μᾶλλον ἀδοξοῦντες.

Et quorum vita moresque valde probati sunt: & quorum valde improbati: hi quidem, vt qui non visum iri debeant: hi autem, vt nihilo magis infames futuri.

ET qui iustissimi habentur, de quibus omnes optime existimant: contraque, qui flagitiosissimi iudicantur, de quibusq; pessima in animis hominum opinio est: ij etiam ad iniurias procliues sunt: hos enim hortatur ad scelus, quod sperant se latere posse: nec putant homines vnquam existimaturos ea flagitia ab ipsis orta esse: illos vero, quod nullam existimationis iacturam amplius facere queunt: peiores enim, quam habeantur, haberi nullo pacto possunt: antea enim quoq; huiuscemodi habebantur, vt omne scelus, nacti occasionem, perpetraturi viderentur. Diuersis igitur de causis hi, ac superiores, mouentur: illos enim impunitatis spes: hos contemptus existimationis ad iniuriam impellit. Secutus vero auctoritatem antiquissimi libri, & sensus ipsius elegantiam lucemq;, extremum verbum immutaui: cum enim antea excusi haberent δόξοντες, vt paulo supra, restitui ἀδοξοῦντες. nunc autem sententia plana est: lectio illa durior erat, ac vix inde idem: aliusue vllus commodus sensus, nisi aliquid intelligeretur, eliciebatur.

Αὐτοὶ μὲν οὖν οὕτως ἔχοντες, ἐπιχειροῦσιν: ἀδικοῦσι δὲ τοὺς τοιούτους, καὶ τὰ τοιαῦτα.

Ipsi igitur, ita se habentes, aggrediuntur: iniuria autem afficiunt huiuscemodi homines, iniuriaeque ipsorum sunt tales.

PAVCIS repetit, quae adhuc egerit: indicatq;, quid explicare nunc aggrediatur: cum enim iam aperuisset, quae ingenia, aut condiciones hominum iniuste faciunt, tradit, quos potissimum homines laedunt, quasque ob res.

Τοὺς ἔχοντας, ὧν αὐτοὶ ἐνδεεῖς: ἢ εἰς τὰ ἀναγκαῖα, ἢ εἰς ὑπεροχὴν, ἢ εἰς ἀπόλαυσιν.

Eos, qui possident res, quibus ipsi egent, siue ad necessitatem depellendam, siue ad copiam habendam, siue ad voluptates explendas.

PRIMVM ostendit improbos iniuriam facere illis, qui ea possident, quibus ipsi careant: seq; carere aequo animo non ferant. Repetit autem ea, quae supra exposuerat: quibus egent, siue ad res vitae necessarias, siue vt domum refertam habeant rebus non necessarijs. vt qui probent sententiam, quam Flaccus protulit, & quam fortunati isti semper in ore habent. Exilis domus est, vbi non & plura supersunt. siue vt obscenis etiã voluptatibus expleantur: intemperantes enim illis perpetuum bellum indixerunt, qui aut vxorem, aut filias formosas habeant: aut denique huiuscemodi aliqua re abundent, qua ipsi frui cupiant: nam ij quoq;, falsa opinione deprauati, se eximia illa specie corporis putant egere: nec existimant posse commode viuere, nisi ipsa frui coeperint. Nec me latet ἀπόλαυσιν communius nomen esse, quam vt Veneris tantum fructum: ventrisq; ac gutturis repletionem, ostendat, cum supra ipse genus quoddam praedij ἀπολαυστικὸν vocarit: vnde fructus nullus capitur, sed animi tantum voluptatisq; gratia habetur: & Isocrates quoq; in panegyrico hoc verbo vsus sit de illis, quibus quaesito cum opus non sit, re sua familiari otiosi fruuntur: hic tamen (nisi fallor) illiusmodi voluptates significat: possessiones enim, quae oblectandi tantum se causa expetuntur, arbitror contineri verbis illis, ἢ ὑπεροχῶν.

Καὶ τοὺς πόῤῥω, καὶ τοὺς ἐγγύς: τῶν μὲν γὰρ ἡ λῆψις, ταχεῖα: τῶν δὲ ἡ τιμωρία, βραδεῖα.

Et remotos loco, atque vicinos: horum enim praeda, celer est: paena autem, tarda.

REMOTOS etiam ac vicinos laedunt: propinquorum enim expilatio velox est: citoq; fructum fert, quas pro accepta iniuria longinqui important, paenae tardae seraeq; sunt: has enim causas esse putat, quod diuersis hominum generibus iniurias libenter faciant: cum enim in ijs factis & emolumentum & damnum consideretur: quorum alterum, expetendum: alterum declinandum, vicinos laedere, bonum cito affert: longinquos, malum sero.

Οἷον οἱ συλῶντες τοὺς Καρχηδονίους.

Veluti qui depredantur Carthaginienses.

SI historiam aliquam tangit, ea mihi ignota est: si cunctos piratas, qui Carthaginienses depopularentur: agrosq; eorum ac naues diriperent, vt verba ipsa significare videntur (instanti enim tempore συλῶντες inquit) scrupulus nullus est: impunius autem natio illa, in Africa sedes habens, a Graecis laedi poterat. exemplum vero hoc esse eorũ, qui in longinquos irruunt, patet.

Καὶ τοὺς μὴ εὐλαβεῖς: μηδὲ φυλακτικοὺς, ἀλλὰ πιστευτικούς: ῥᾴδιον γὰρ πάντας λαθεῖν.

Et minime cautos, neque solicitos custodire res suas, sed credulos: procliue namque est, facere, ne sentiant.

EOS etiam aggrediuntur, qui cauti non sunt: neq; se ac res suas diligenter custodiunt, sed contra simplicis ingenij ac creduli sunt: hos enim omnes nullum negotium est laedere, vt qui etiam damnum intulerint non intelligant. Vafer autem ille Epicharmus, qui quam facile imponi posset ijs, qui temere crederent, sciret, in illa cantilena sua hoc etiam addit, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν.

Καὶ τοὺς ῥαθυμοῦντας: ἐπιμελοῦς γὰρ τὸ ἐπεξελθεῖν.

Et segnes: requirit enim curam ac diligentiam vocare quempiam in ius.

INERTES etiam ac desides inuadunt: neque enim iudiciorum paenas illis laedendis reformidant: diligentia namque, curaque non mediocri opus est, siquis quempiam in ius rapere vult, ac iudicio cum eo experiri. requirit haec res accuratum hominem & industrium: naturamque demum contrariam ei, qua ipsi praediti sunt: causam enim huius loci afferre volens, a contrario eam duxit. Idem etiam pro L. Muraena, cum illi causae id aptum esset, affirmauit Cicero: &, quantum potuit, amplificauit: Adiungitur enim accusationis cogitatio, non parua res: sed nimirum omnium maxima. & quae sequuntur. antiquissimus liber ῥαθύμους habet: non, vt ceteri & scripti & excusi, ῥαθυμοῦντας: quasi ingenio tales, ac segnes, non tantum tunc cessantes: vel intellexit, qui omnibus temporibus negotijsq; ita se gerunt.

Καὶ τοὺς αἰσχυντηλούς: οὐ γὰρ μαχητικοὶ περὶ κέρδους.

Et verecundos: neque enim procliues sunt ad pugnandum de quaestu.

ET qui verecundi sunt, pudorique natura praeter alios obnoxij: neque enim digladiari volunt de pecunia, aut quaestu: maluntq; rei familiaris damnum facere, quam lites se persequi, falso etiam vulgo existimari. huiuscemodi vero hominibus facinorosum, ac turbulentum virum

Cleonem

Cleonem insidias tendere solitum, exprobrat illi chorus apud Aristophanem, in fabula, quam a choro ipso, qui constaret ex equitibus, ἱππεῖς lepidissimus poëta appellauit: ait enim ipsum summo studio solitum attendere, qui mitis placidiue ingenij è numero ciuium foret, diues ac probus vir: & qui valde negotia, molestiasq; omnes perhorresceret: atque illi subito calamita-
» tis aliquid moliri ac struere. Καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν, ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν, πλούσιος, καὶ μὴ πονηρός, καὶ
» τρέμων τὰ πράγματα.

Καὶ τοὺς ὑπὸ πολλῶν ἀδικηθέντας καὶ μὴ ἐπεξελθόντας, ὡς ὄντας κατὰ τὴν παροιμίαν τούτους, Μυσῶν λείαν.

Et illos, qui a multis iniuriam acceperunt, & numquam ipsis iudicij periculum intenderunt, tamquam hi sint, vt prouerbium est, praeda Mysorum.

In illos etiam inuadunt, qui praeteritis temporibus a multis laesi sunt, nec vmquam cum illis de tot tantisq; iniurijs experiri coeperunt: sunt enim hi praeda Mysorum, vt ferebatur, & impune ab ignauissimis etiam hominibus, violari ac diripi possunt. Mysi autem imbellis, & ignaua natio, habebatur: vt quilibet potius sine vllo metu res illorum depopulari, quam ipsi ex aliorum agris praedas agere valerent. itaque, qui despicatui ducebantur: quorumq; timiditas animi insignis erat, hi vulgo dicebantur Mysorum esse praeda: sed eorum etiam abiecti animi & fortunae, alijs Graecorum prouerbijs perstringebantur. Huius Demosthenes pro Ctesiphon-
» te, ijs verbis mentionem fecit. Εἰ μὲν γὰρ μὴ ἐχρῆν, ἀλλὰ τὴν Μυσῶν λείαν καλουμένην τὴν Ἑλλάδα ἔδει
» ὀφθῆναι, ζώντων Ἀθηναίων καὶ ὄντων. Sudas tamen in huius prouerbij vi explicanda lapsus est. Qui verus ipsius sensus sit: quam originem illud habuerit: & a quibus scriptoribus vsurpatum fuerit, ostendit Harpocration in lexico.

Καὶ οὓς μηδεπώποτε, καὶ οὓς πολλάκις: ἀμφότεροι γὰρ ἀφύλακτοι: οἱ μὲν, ὡς οὐδέποτε: οἱ δὲ, ὡς οὐκ ἂν ἔτι.

Et quos numquam, & quos saepe: vtrique enim se suasque res non custodiunt: hi quidem, vt qui numquam antea: hi vero, vt qui non amplius.

In eos etiam impetum faciunt, quos numquam antea violarunt: nec non in illos, quos crebro prius laeserunt: nam vtrique diuersis de causis incauti opprimuntur: qui numquam alias ab ijs iniuriam acceperunt, confidunt sibi quoq; consequentibus temporibus, ab ipsis periculum nullum instare, neq; insidias aliquas suspectas habent: qui saepenumero, sperant ipsos praeteritis iniurijs contentos, vltra se non laesuros: debere enim finẽ aliquem etiam imponi iniurijs.

Καὶ τοὺς διαβεβλημένους, ἢ εὐδιαβόλους: οἱ τοιοῦτοι γὰρ οὔτε προαιροῦνται, φοβούμενοι τοὺς κριτὰς: οὔτε δύνανται πείθειν: ὧν οἱ μισούμενοι, καὶ φθονούμενοί εἰσι.

Et in quos crimen infamiaq; coniecta est, siue in quos facile conijci potest: huiuscemodi namque homines neque secum statuunt queri de accepta iniuria, metuentes iudices: neque possunt persuadere: in quorum numero sunt, qui odio habentur, & quibus homines inuident.

Et infames homines, aut si infames adhuc non sunt, qui in crimen facile conijci possunt: hi enim quoque laesi iniuriam mussitant, nec iure experiri audent: reformidant enim iudices, nec etiam, si de iniurijs illi queri coeperint, fidem faciunt. in horum quoque hominum genere sunt (inquit) qui odio digni existimantur, ac qui inuidiam habent.

Καὶ πρὸς οὓς ἔχουσι πρόφασιν, ἢ προγόνων, ἢ αὐτῶν, ἢ φίλων, ἢ ποιησάντων κακῶς, ἢ μελλησάντων, ἢ αὐτοὺς, ἢ προγόνους, ἢ ὧν κήδονται.

Et aduersus quos causam habent, siue maiorum suorum, siue suam, siue amicorum, siue quod malum dederint, siue quod daturi fuerint, siue ipsis, siue maioribus, siue ijs, qui curae ipsorum mandati sunt.

Eos etiam violant, in quos tamquam ansam habent, quod maiores ipsorum, aut ipsi illi, aut amici quoque eorum, siue detrimentum attulerint, siue afferre voluerint, aut ipsis, aut maioribus, aut denique ijs, quorum salutem caram habent. nam, quod μελησάντων antea legebatur, corrupta illa vox erat, & μελλησάντων, geminata tertia littera, vt in manu scriptis ostendi, legi debet. Satis accommodatum exemplum est huius, quod tradit auctor vafri consilij ostendendi:

dendi: proditum enim litteris est, nisi memoria me fugit, Agathoclem, Siculorum tyrannum, cum classe Ithacenses diripuisset: illiq; cum eo questi fuissent de tanta iniuria; dixissentq; non se meritos esse, vt tam male tractarentur, respondisse eum lepide vlcisci se voluisse veterem iniuriam, cum rex ipsorum pastori suo oculum effodisset.

Ὥσπερ γὰρ ἡ παροιμία, προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία.

Ut enim in prouerbio est, naturae morumq; prauitas eget solum causa & praetextu.

DECLARAT hos vitio animi improbe facere: quodq; facinoribus delectentur, non vt veteres iniurias vlciscantur: ingenij autem prauitatem honestis nominibus tegere. Haec non nullorum peruersitas prouerbio etiam notabatur: cuius haec vis erat. vt doceret naturae improbitatem omni, tenui etiam, causa contentam esse, vt moribus suis vtatur: opponunt enim saepe homines falsas causas, vt culpam suam caelent. Eodem paene pacto locutus est Lysias in oratione, qua ornauit eos, qui interfecti essent in proelio, vbi inquit, post victoriam contra Xerxem, Graecorum populorum animos ita inter se affectos fuisse, vt pusillae etiam iniuriae domesti- » cum bellum excitare possent: μικρῶν δ' ἐγκλημάτων ἕκαστοι δεόμενοι. non tamen id a prauitate, sed a magnitudine animi, & contumacia proficiscebatur. πρόφασιν vero (nisi fallor) expressit Virgilius, » cum de Didone sic cecinit. Coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam. Huiuscemodi quandam vocem nos etiam in sermone nostro tritam habemus, qua affirmamus, omnem, pusillam etiam excusationem, satis esse ei, qui male & improbe facere vult. In fidelioribus scriptis libris, δεῖται legitur.

Καὶ τοὺς ἐχθροὺς, καὶ τοὺς φίλους: τοὺς μὲν γὰρ, ῥᾴδιον: τοὺς δ', ἡδύ.

Et inimicos, & amicos: hos namque, facile est: hos vero, iucundum.

PRAETEREA diuersis de causis & inimicos, & amicos, violant: amicos enim laedere, procliue est: inimicos vero, iucundum. In his igitur animi voluptas; in alijs vero, facilitas rem perficiendi, ad iniuriam hortatur. Theognis quoque posteriorem partem confirmat, nullum negotium esse dicens amicum imponere amico: cum antea arduũ esse affirmasset decipere inimicum: quod hinc etiam a contrario erui poterat, ac satis certo ab omnibus intelligi: semper enim cauet inimicus inimicum. A quibus autem nihil mali expectamus, illos suspectos non habemus: expositique atque aperti eorum insidijs sumus: nam, quin iucundum sit incommodare » inimico, & vlcisci veterem iniuriam, dubium non est. versus veteris poëtae hi sunt. Ἐχθρὸν μὲν » χαλεπὸν καὶ δυσμενῆ ἐξαπατῆσαι Κύρνε: φίλον δὲ φίλῳ ῥᾴδιον ἐξαπατᾶν. Cum sinistrum hominis ingenium, pessimumq; declarare vellet Lysias in oratione pro Callia, dixit Andocidem consuesse, » nihil detrimenti afferre inimicis: amicis vero quantum posset incommodi. Ὃς τέχνην ταύτην ἔχει, » τοὺς μὲν ἐχθροὺς μηδὲν ποιεῖν κακὸν: τοὺς δὲ φίλους, ὅ, τι ἂν δύνηται κακόν.

Καὶ τοὺς ἀφίλους, καὶ τοὺς μὴ δεινοὺς εἰπεῖν, ἢ πρᾶξαι.

Et qui sine amicis sunt, & qui facultatem magnam non habent dicendi, aut agendi.

EOS quoque audacter laedunt, qui ab amicis vacui sunt, nec magnam facultatem habent dicendi, nec in rebus gerendis strenui sunt: carent enim hi omnes praesidijs illis, quae ad vlciscendas iniurias necessaria sunt: amici namque praesto sunt amicis iniuria affectis, & operam ipsis suam pollicentur ad vlciscendum dolorem. Eloquentes autem homines acresq; in agendo, ipsimet, sine opibus aliorum, inimicis dolorem inurere possunt. Δεινοὺς vero εἰπεῖν ἢ πρᾶξαι, quod inquit, proprie locutus est: qui enim multum dicendo valent, aut in rebus gerendis naui & industrij sunt, a Graecis δεινοὶ appellantur. ductor quoque exercitus recte ita laudatur. consuetudo tamen sermonis non ferebat, vt tibicen, aut histrio δεινὸς vocaretur, quamuis multum artificijs suis valerent, vt subtiliter ipse in problematibus docuit.

Ἢ γὰρ οὐκ ἐγχειροῦσιν ἐπεξιέναι, ἢ καταλλάττονται, ἢ οὐδὲν περαίνουσι.

Siue enim non inducunt in animum iudicio acceptam iniuriam vlcisci, siue placantur, siue frustra experiuntur.

RATIONEM his verbis huius rei reddit, dicens: aut enim, conscij infirmitatis suae, ne temptant quidem iniuriam acceptam vlcisci, aut si iure experiri coeperint, antea placantur, quam ad exitum rem perducant, aut nihil efficiunt: neque enim possunt, etiam si causam bonam habent, qui praesidio amicorum destituti sunt, nec eloquentia valent, ciuem, etiam nocentem in iudicium adducere.

Καὶ οἷς μὴ λυσιτελεῖ διατρίβειν, ἐπιτηροῦσιν, ἢ δίκην, ἢ ἔκτισιν. οἷον οἱ ξένοι καὶ αὐτουργοί: ἐπὶ μικρῷ τε γὰρ διαλύονται: καὶ ῥᾳδίως οἱ τοιοῦτοι καταπαύονται.

Et quibus non prodest tempus terere, seruantibus, vel donec iudicium fiat, vel multae dissolutio. quales sunt peregrini & agricolae: ob paruam enim pecuniam remittunt iniurias: & facile huiuscemodi genus hominum desinit iudicio persequi.

In illos quoque inuadunt, quibus vtile non est tempus terere, expectantibus, donec iudicium de ea re fiat, aut ipsis multa dissoluatur: vt sunt peregrini & agricolae: ij enim, parua accepta pecunia, iniurias remittunt, ac facile desistunt. per se res sane plana, verumtamen siquis cupiat ipsam exemplis illustrari, Terentianus Syrus Adelphis, cum Sannione lenone loquens, inquit. Praeterea autem te aiunt proficisci Cyprum, quo audito statim Sannio, consiliũ illorum intelligens, ingemuit. nec multo post inquit. Nusquam pedem: perij hercle: hac illi spe hoc incoeperunt, & quae sequuntur. Praeterea Andria Crito, Nunc me hospité, lites sequi, quam mihi sit facile atque vtile, aliorum exempla commonent. Cum autem αὐτουργοὺς agricolas rediderim, non me fallit ita etiam alios, qui manu victum sibi quaererent, appellatos: vt Aristoteles videtur id verbum cepisse in ij. horum librorum, cum inquit. καὶ τούτων οἱ ἀπὸ γεωργίας, καὶ τῶν ἄλλων οἱ αὐτουργοὶ μάλιστα: plerunque tamen ita, qui glaebas subigunt, vocabantur: vnde in Electra Euripidis agricola, cui nuptam poëta fingit Electram, natione Mycenensis, αὐτουργὸς μυκηναῖος appellatus: & idem poëta in Oreste eodem nomine eiusdem studij hominem significauit: vbi etiam ipsos raro vrbem ac forum premere inquit. Ὀλιγάκις ἄστυ, κἀγορᾶς χραίνων κύκλον, Αὐτουργὸς, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι γῆν. Cum rusticis autem praecipue hominibus male agi, si diutius in vrbe retineantur: in primisq; ipsos a foro litibusq; abhorrere, & eodem Euripidis testimonio, & Theophylacti, confirmatur, qui id eleganter in epistola quadam expressit. Εἰ γεωργὸς εἶναι βεβούλησαι, τῶν πολιτικῶν θορύβων ἀφίστασο: εἰ δὲ ῥήτορες παρὰ σοὶ καὶ δικαστήρια καὶ βήματα πεφιλοσπούδασα, τὴν δίκελλαν ἀφές: & quae sequuntur. Ab antiquissimo libro abest οἱ τοιοῦτοι: & sane puto declarationem quondam fuisse.

Καὶ τοὺς πολλὰ ἠδικηκότας, ἢ τοιαῦτα, οἷα ἀδικοῦνται: ἐγγὺς γάρ τι δοκεῖ τοῦ μὴ ἀδικεῖν εἶναι, ὅταν τι τοιοῦτον ἀδικηθῇ, οἷον εἰώθει καὶ αὐτὸς ἀδικεῖν.

Et eos, qui multis in rebus iniuriosi fuerunt: siue in hoc ipso iniuriae genere volutati sunt, quod accipiunt: aliquo enim modo videtur hoc simile esse, atque iniuriam non facere, cum aliquis iniuriam acceperit, in quo ipse morem habet in alios iniustus esse.

Illis etiam iniurias libenter faciunt, qui in alios saepe iniuriosi & ipsi fuerunt: aut huiuscemodi iniurias, quales nunc patiuntur, aliquibus intulerunt. nam prope videntur nihil iniuriae fecisse, qui aliquos violant eo genere iniuriae, quo ipsi illi multos antea violarunt.

Λέγω δ', οἷον εἴ τις τὸν εἰωθότα ὑβρίζειν, αἰκίζοιτο.

Intelligo autem, veluti si quis eum caederet, qui solitus esset contumelia vexare.

Exempli gratia, inquit, siquis petulantem hominem, & qui honestos probosq; viros contumelijs omnibus vexare consueuerit, caedat: est enim αἰκία, idest pulsatio, species contumeliae. Nos etiam in sermone patrio prouerbium non inelegans habemus, quo solemus vti, cum audimus quempiam eam iniuriam passum, quam saepe alijs fecit, vt si furem expilatum esse: horum enim damna ridemus, ac iubemus compensare, cum fructu, quem è veteribus facinoribus coepit, illud incommodum.

Καὶ τοὺς, ἢ πεποιηκότας κακῶς, ἢ βουληθέντας, ἢ βουλομένους, ἢ ποιήσοντας: ἔχει γὰρ καὶ τὸ ἡδὺ, καὶ τὸ καλόν: καὶ ἐγγὺς τοῦτο, τοῦ μὴ ἀδικεῖν, φαίνεται.

Et eos, qui male ipsis fecerunt, aut facere voluerunt, aut volunt, aut facturi sunt: habet enim in se, & voluptatem, & dignitatem: & propemodum hoc videtur esse non facere iniuriam.

Nec non eos etiam, qui praeteritis temporibus, aut male ipsis fecerunt: aut facere voluerunt, aut tunc ipsum volunt, aut futuris temporibus detrimenti aliquid allaturi creduntur: tria enim tempora manifesto colligit: plures autem res hortantur ad hos laedendos, & vnaquaeq; harũ, magnam vim habet, vt ipse ostendit. Causam, cur ita sit, afferens, inquit: est enim suaue inimicos

micos vlcisci: est honestum: nec non etiam paene aequum. Discrepat vero hic locus a superiore illo καὶ πρὸς οὓς ἔχουσι πρόφασιν, & quae sequuntur, quod in eo agebatur de ijs, qui causam astute quaerunt, & tamquam ansam illam arripiunt: in hoc vero de ijs, qui iniuria ipsa moueantur, aut iam sibi illata, aut cogitata. cum autem illi praui admodum ingenij sint, qui occasionem captant nocendi, hi, nisi iniuria stimulati, laesuri non erant: vnde prope inquit hos sibi videri iniuste non facere.

Καὶ οἷς χαριοῦνται, ἢ φίλοις, ἢ θαυμαζομένοις, ἢ ἐρωμένοις, ἢ κυρίοις, ἢ ὅλως πρὸς οὓς ζῶσιν αὐτοί, καὶ πρὸς οὓς ἐστιν ἐπιεικείας τυχεῖν.

Et quibus laedendis gratum facient, vel amicis, vel ijs hominibus, quos admirantur, vel delicijs suis, vel dominis, vel demum illis, ad quos ipsi viuunt, & vnde aliquid commodi se sperant ablaturos.

Eos etiam laedunt, quibus laedendis gratificabuntur, aut amicis, aut ijs, quos admirantur, aut amoribus ac delicijs suis, aut dominis, aut demum ijs, in quibus spes suas collocatas habent: quosq; in vita sibi obseruandos statuerunt: quorumq; voluntates ac nutus spectant: ζῆν enim πρός τινα significat, alicui se dedisse: cunctasque actiones suas ad eum dirigere: supra item ipse ita locutus est. Aut vnde sperant se aliquid commodi ablaturos: τυχεῖν enim ἐπιεικείας videtur hic valere, impetrare aliquid boni. Causam huius rei non affert: quae tamen aperta est: vt enim his hominum generibus placeant, nihil est, quod non audeant: nec metuunt contra leges multa committere, vt satisfaciant desiderijs, aut amicorum, aut reliquorũ, quos appellauit.

Καὶ οἷς ἂν ἐγκεκληκότες ὦσιν, καὶ προδιακεχωρηκότες.

Et quibus crimina intulerint, & apud quos prius offenderint.

Praeterea in eos inuadunt, quibus crimina intulerint: quos falsis criminibus obruerint: nec non in eos, a quibus (cum antea simul arcta familiaritate coniuncti forent) dissociati iam sunt. quibus inimici infensique, rupto amicitiae foedere, iam facti fuerint: id enim προδιακεχωρηκότες valere arbitror: διαχωρῆσαι enim seiungere dirimereque est: amicitia namque, quae coniunctio est animorum, aliqua simultate orta, dirimitur.

Καὶ γὰρ τὰ τοιαῦτα ἐγγὺς τοῦ μὴ ἀδικεῖν φαίνεται.

Huiuscemodi enim omnia speciem quandam prope retinent iniuriae non factae.

Hi quoque igitur, vt superiores etiam, qui personis ab ipso indicatis, gratificari cupiunt, non metuunt laedere: causa enim haec eorum quoq; communis est: putant enim se paene iniuste non facere, quod arbitrentur debere se, aut voluntatibus amicorum, reliquorumq; supra appellatorum, satisfacere, aut quos iam inimicorum loco habent, posse sine culpa ac scelere violare.

Οἷον Κάλλιππος ἐποίει τὰ περὶ Δίωνα.

Veluti Callippus administrauit, quae contra Dionem gessit.

Historia satis nota: Callippi enim huius nomen, vt nefarij hominis, & interfectoris hospitis, valde exagitatum est: Atheniensis autem ille erat, comes Dionis Syracusani, cum ad patriam liberandam cum parua manu profectus est: cognitus antea illi Athenis, domesticeq; illic cum eo versatus. In ea vero expeditione Callippus, cum impigre se fortiterq; gessisset & auctoritatem aliquam apud mercennarios milites consecutus esset, eos ad necem Dionis incitauit, & regnum Syracusarum scelere sibi comparauit: ante tamen quam id scelestum facinus aggrederetur, ipsum apud ciues, falsis in illum criminibus iactis, infamauerat, & non nulla, quae ab eo alienarent animos ipsorum, disseminauerat. quae cum delata essent ad Dionem, partim ille spernens: partim vitam suam interitu amicorum in tuto ponere recusans, insidias ipsius non aufugit: & non multo post ab eo necatus est. Callippus igitur, vt hic significare videtur Aristoteles, cum intelligeret se Dioni suspectum esse, & amicitiam diremptam, ad exitum, quod iam pridem animo conceperat, scelus perduxit. Plutarchus totam rem narrat in vita Dionis. Idem quoque & illic, & in commentario de sera deorum in improbos non nullos animaduersione, quae paena consecuta sit Callippum docet.

Καὶ τοὺς ὑπ' ἄλλων μέλλοντας, ἂν μὴ αὐτοί: ὡς οὐκ ἔτι ἐνδεχόμενον βουλεύσασθαι.

Et

Et eos, qui ab alijs iniuriam accipere debebant, nisi ipsi fecissent, tamquam res non ferat deliberationem.

ILLIS etiam iniuriam faciunt, qui declinare id damnum, malumq; iam non possunt: nisi enim ipsi laeserint: paulo tamen post ab alijs eandem iniuriam passuri sunt. Hoc autem hi sequuntur: atque ita improbitatem suam tegunt: cum enim plecti illos necesse sit, impendeatq; ipsis certum exitium, non esse deliberandum, an fieri ab ipsis id oporteat: neque enim res patitur, vt saluti eorum, quae iam desperata est, prospiciatur.

Ὥσπερ λέγεται Αἰνεσίδημος Γέλωνι πέμψαι κοττάβια, ἀνδραποδισαμένῳ, ὅτι ἔφθασεν, ὡς καὶ αὐτὸς μέλλων.

Quemadmodum fertur Aenesidemus Geloni misisse cottabia, cum depopulatus esset, quia praeoccuparat, tamquam & ipse facturus fuerit.

HISTORIA mihi ignota est: quae si teneretur, tenebrae (vt opinor) hinc omnes pellerentur. quae inuenire potui, ad huius loci declarationem pertinentia, in medium afferam. Aenesidemus Leontinorum tyrannus fuit: mentionem quoque ipsius Pindarus in ij. ode Olympiorum fecit. vt interpres autem illic docet, Theron Aenesidami huius filius, socer Gelonis fuit: filiam enim Demaratam vxorem illi dedit. Gelonem autem Syracusis regnasse, notum est. Κότταβος genus erat ludi in conuiuijs Graecorum, κοτταβίζειν ei operam dare significabat: inuentum autem Syculorum hominum fuit. Ex eorum vero terra in vniuersam Graeciam postea disseminatum: ibique summo studio celebratum est. vt cum animi eius gentis magnopere eo lusu capti forent plurima diligentia in eo exercendo adhiberetur: ac premia etiam quaedam ijs, qui eximie se in eo praestitissent: reliquosq; vicissent, darentur: nec non certa quaedam pocula, valde ad id tractandum, accommodata, fabricarentur, quae κοτταβίδες & κοττάβια vocabantur. Haec & multa etiam alia, quae in quanto honore olim is ludus fuerit, declarant, apud Athenaeum leguntur in xj. libro δειπνοσοφιστῶν: adducit enim locũ Hegisandri Delphi ex commentarijs ipsius, vbi cuncta diligenter exposuerat. quod autem ad hunc locum valde facit, verba, quibus ostendit κοττάβια premia fuisse, haec sunt, τοσαύτη δὲ ἐγένετο σπουδὴ περὶ τὸ ἐπιτήδευμα, ὥστε εἰς τὰ συμπόσια παρεισφέρειν ἆθλα, κοττάβια καλούμενα. Pollux quoque capite xix. sexti libri, affirmat κοτταβεῖα & vasa & premia fuisse, qui etiam docet cuius generis illa forent: placentamq;, aliquidue simile propositam fuisse victori tradit. omnia autem ille plenius adhuc, copiosiusq; narrat.

Καὶ οὓς ἀδικήσαντες, δυνήσονται πολλὰ δίκαια πράττειν, ὡς ῥᾳδίως ἰασόμενοι.

Et quos, si iniuria affecerint, facultatem nancíscentur multa, quae iusta sunt, efficiendi, vt facile medicinam facturi illo malo.

IN illos etiam iniuriosi sunt, quibus, si iniuriam fecerint, multas res iustas postea facere poterunt, vt facile culpam illam emendaturi: ex commodis enim, quae inde auferent, multos adiuuare cogitant. Animus igitur horum non malus est: confidunt enim, quam maculam se tunc suscipere intelligunt, postea deleturos: vel in splendorem potius laudemque, maximis inde ductis beneficijs, conuersuros.

Ὥσπερ ἔφη Ἰάσων ὁ Θετταλὸς, δεῖν ἀδικεῖν ἔνια, ὅπως δύνηται καὶ δίκαια πολλὰ ποιεῖν.

Vt inquit Iason Thessalus, non esse cunctandum quaedam iniuste facere, vt valeat & multa iusta facere.

REFERT, quo magis totam rem explanet, vocem Iasonis Thessali, fortunati ac potentis hominis: quam etiam Plutarchus in commentario, quo praecepta quaedam ad rempublicam regendam tradit, ijsdem paene verbis recitat: oportere enim aiebat Iason, eos iniuste quaedam facere, qui facultatem habere vellent multa iuste gerendi. Plutarchus narrat ipsum, cum quippiam alicui extorqueret, quasi se excusantem, ita solitum dicere: necesse habere eos, qui magna quaedam iuste efficere vellent, in exiguis rebus ius violare.

Καὶ ἃ πάντες, ἢ πολλοὶ, ἀδικεῖν εἰώθασι: συγγνώμης γὰρ οἴονται τεύξεσθαι.

Et in quibus se cuncti, vel multi, iniuste versari consuerunt: futurum enim esse putant, vt sibi ignoscatur.

OSTENDIT

OSTENDIT supra se velle agere, non de personis tantum, quae ad iniurias accipiendas aptae essent, sed de rebus etiã, in quibus maleficia committi solerent: & quae, tamquam seges ac materia iniuriarum forent: quam partem nunc aggreditur: abrupte autem a personis, quas violant, ad res transit. Primus hic locus nihil obscuritatis in se habet: admittunt enim (inquit) facinora, quae cuncti aut magna pars hominum admittere consuerunt: sperant enim sibi veniam datum iri: quis enim non facile ignoscat culpae in alio, cui se quoque affinem sentit?

Καὶ τὰ ῥᾴδια κρύψαι.

Et ea, quae facile abdi possunt.

HIC etiã locus dilucide expositus. Et quae (inquit) sublata alicunde: dominoq; erepta, occuli facile possunt: quia enim sperant se non deprehensum iri, audacter in haec inuadunt: impunitasq;, quam sibi proponunt, ipsos hortatur.

Τοιαῦτα δ᾽, ὅσα, ἢ ταχὺ ἀναλίσκεται, οἷον τὰ ἐδώδιμα, ἢ τὰ εὐμετάβλητα σχήμασιν, ἢ χρώμασιν, ἢ κράσεσιν, ἢ, ἃ πολλαχοῦ ἀφανίσαι εὔπορον.

Huiuscemodi autem sunt, quaecunque, vel celeriter absumuntur, veluti, quae comeduntur: & quorum figurae facile mutantur, vel colores, vel temperamenta, vel quae multis modis, ne appareant, facere pronum est.

ANTEA, cum traderet ad iniurias inferendas paratos procliuesq;, eos, qui facilem viam haberent subreptas res occultandi, ex eo genere esse dixit: vndeq; illis facultas haec proueniret, indicauit: breuius tamen obscuriusq;, quam nunc faciat, cum de rebus, quae nullo labore caelari possunt, non de personis, agat: totam enim nunc rem copiose exponit: huiuscemodi enim sunt (inquit) quae cito absumuntur, vt cibaria: quomodo enim aliquis inuenire amplius possit, quae iam in ventrem aliquis abstulerit? aut quae variari facile possunt, commutata siue forma, siue colore, siue temperamento. Cicero in v. libro de finibus, vbi docet Stoicos veteribus Academicis omnia surripuisse: quũ diuersis nominibus res easdem appellarent, dicit ipsos hoc astute fecisse: nec ab ingenio reliquorum furum discessisse: qui, ne res cognosci possint, sedulo illas variant. Atq; vt reliqui fures earum rerum, quas ceperunt, signa commutant: & quae sequuntur. Addit autem philosophus eiusdem naturae esse, quae nullum negotium est multis locis ita abdere, vt non appareant.

Τοιαῦτα δὲ τὰ εὐβάστακτα, καὶ ἐν μικροῖς τόποις ἀφανιζόμενα, καὶ οἷς ἀδιάφορα, καὶ ὅμοια πολλὰ προϋπῆρχε τῷ ἀδικοῦντι.

Huiuscemodi autẽ sunt, quae paruo negotio alio comportari possunt, et in paruis locis abduntur: & quibus multa paria & similia prius domi erant eius, qui iniuriã facit.

DOCET etiam, quae res praebeant de se hanc facultatem: & huiuscemodi esse inquit, quae & facile huc & illuc comportantur, & paruis in latebris absconduntur: sed illa quoq; non magno labore caelari possunt, quorum indifferentia, similiaq; antea iniuriae auctor possidebat: cum enim, aut nihil, aut parum inter eas, quas habebat, quasq; suppilauit, intersit, quomodo cognosci illae a domino, spectatae etiã, possunt? Ἀδιάφορα, quae sunt eiusdem generis, appellauit: nullaque re ab ipsis discrepant: vt nummos eodem signo percussos: Ὅμοια, quae assimilia ipsis sunt: vt, quamuis multas partes similes habeant, tamen aliquid etiam diuersi contineant: haec enim quoque non facile distinguuntur.

Καὶ ὅσα αἰσχύνονται λέγειν οἱ ἀδικηθέντες, οἷον γυναικῶν οἰκείων ὕβρεις, ἢ εἰς αὑτοὺς, ἢ εἰς υἱεῖς.

Et quaecunque dicere erubescunt, qui iniuriam acceperunt, vt suis mulieribus contumelias impositas, aut sibi ipsis, aut liberis.

IN eo etiam genere iniuriarum, libenter improbi homines versantur, quas, qui acceperint, pudet proferre: huiuscemodi enim iniurias multi satius esse ducunt silentio perpeti, quam iudicio cum auctoribus ipsarum experiri, ne tantum dedecus ipsorum diuulgetur. ceu (inquit) contumelias vxoribus impositas, aut personis illorum ipsorum, aut filiorum: quemadmodum etiam, siquis non imbecillus homo, neq; senex, pulsatus esset: vt in oratione Lysiae contra Simonem ostendit, cui scripta oratio fuit, se hoc genus iniuriae, pudore deterritum, diu reticuisse: nec, nisi necessitate sibi imposita, prolaturum vmquam fuisse. Vnde, cum in oratione pro M.

Coelio Cicero senatorem exagitet, qui, vt aduersarij aiebant, pulsatum se olim ab illo pro testimonio dicturus erat, & alios, qui dicturi erant vxores suas a caena redeuntes ab eodem attrectatas fuisse: nec tamen de tantis iniurijs subito in iudicium venerant, suspicari possumus, nisi tota res ficta ab accusatoribus Coelij erat, omnes metu infamiae perculsos, statim non egisse.

Καὶ ὅσα φιλοδικεῖν δόξειεν ἄν ὁ ἐπεξιών.

Et quaecunque nimis cupidus litium videretur, qui iudicio persequeretur.

Et ob quae, siquis iure experiri vellet, in reprehensionem incideret: existimareturq; nimis appetens esse litium. Terentianus Crito, vt hanc culpam effugeret, certam spem hereditatis obtinendae abiecit: sic enim secum cogitauit. Clamitent me sycophantam, hereditatem persequi, mendicum. & tamen tota ciuitas Atheniensium, in qua ille verebatur, nequis sibi id vitio verteret, hoc nomine laborabat.

Τοιαῦτα δὲ τά τε μικρὰ, καὶ ἐφ' οἷς συγγνώμη.

Huiuscemodi autem sunt, & minutae iniuriae, & quibus homines ignoscere solent.

Qvae hanc opinionem de aliquo excitent, narrat, leues (inquam) minutaeq; iniuriae acriter agitatae, & quib. vulgo homines ignoscere consueuerunt: siquis enim de illis constituto apud iudices queratur, merito φιλόδικος habeatur. Lysias in priore oratione contra Theomnestũ, dicens se putare, humilis animi esse: in primisq; eius, qui litibus, ac forensibus controuersijs delectetur, in iudicium quempiam vocare, quod libere de ipso locutus sit: verbisq; existimationem suam laeserit, inquit. ἀνελευθερον γὰρ, καὶ λίαν φιλόδικον εἶναι νομίζω, κακηγορίας δικάζεσθαι. Hoc autem & verbi huius, & rei, quae cum negligi debeat, si iudicium de ea conflatum sit, hanc culpam sustineat, satis accommodatum exemplum erit.

Ὡς μὲν οὖν ἔχοντες ἀδικοῦσι, καὶ ποῖα, καὶ ποίους, καὶ διὰ τί, σχεδὸν ταῦτά ἐστι.

Vt igitur se habentes iniuriam faciunt, & in quo genere iniuriarum versantur, & quales, & cur, ferme haec sunt.

Haec repetitio est totius huius partis: commemorat enim se ferme docuisse, quomodo affecti animo homines iniurias faciunt: & iniuriarum genera maleficiorumq; audacter admittunt: nec non, quas personas libenter laedunt: quamq; ob causam: extremum autem fecit cum iucunda, cuiusmodi forent, indicauit: nam, quae non minus suadet improbe facere, & ad maleficia item excitat, vtilitas, in deliberandi genere antea explicata fuerat.

Τὰ δ' ἀδικήματα πάντα, καὶ τὰ δικαιώματα διέλωμεν, ἀρξάμενοι πρῶτον ἐντεῦθεν.

Cuncta autem iniusta facta, & iusta diuidamus, hinc primum initio ducto.

Cvm ea, quae supra exposuit, perfecisset, nunc tempus esse narrat, cuncta, quae inique, aut aeque faciunt homines, explicare. Huius autem praeceptionis initium alte ducendum docet: oportere enim antea naturam quarundam rerum euoluere: illis autem definitis, ijs distinguendis operam se daturum.

Ὥρισται δὴ τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα πρός τε νόμους δύο: καὶ πρὸς οὕς ἐστι διχῶς.

Definita autem sunt & quae iusta, quaeque iniusta, relatione ad duas leges, & ad quas personas duobus modis.

Vt facilius intelligatur, quae iuste, quaeque iniuste fiunt, totam rem accuratius sibi tractandam putat: initiumq; huius quaestionis sumit ab eo, quod explicatum iam est, res iustas iniustasque cognosci, geminum ius spectando, nec non personas etiam duplices: siquis enim aut proprias leges, aut communes transiliat, peccabit. quemadmodum siquis singulos homines laedat, aut vniuersam ciuitatem violet: his enim omnibus modis peccari iniusteq; fieri poterit: quomodo autem leuius grauiusq; peccetur, ipse declarabit: antea tamen, quod sit proprium: quod commune, naturaleq; ius, exponit.


Λέγω δὲ νόμον, τὸν μὲν, ἴδιον: τὸν δὲ, κοινόν: ἴδιον μὲν, τὸν ἑκάστοις ὡρισμένον πρὸς αὐτοὺς: καὶ τούτων, τὸν μὲν, ἄγραφον: τὸν δὲ, γεγραμμένον: κοινὸν δὲ, τὸν κατὰ φύσιν.

Appello autem legem, hanc quidem propriam: hanc autem communem: propriam

autem

autem, quae ad singulos definita est, ad ipsos respicientem: atque harum, hanc quidem non scriptam: hanc autem scriptam: communem vero, quae ex natura est.

Res sane non obscura, quae tamen descripta, magis elucescet.



Legem igitur propriam appellat, quae singulis ciuitatibus, nationibusq; definita est: quaq; inter se illi viuere pepigerunt: quae tamen simplex non est: altera namq; ipsius pars scripto continetur: altera in consuetudine institutisq; manet: quae tamen diuersa est a communi, quam cunctae gentes atq; homines, quibuscunq; in terris positi sunt, seruant: quamuis cum ea huic propriae conueniat, quod neutra ipsarum monimentis vllis, tabulisque mandata est: discrepant tamen, quod propriam, non scriptam etiam legem, consensu pactoque ratam habent: communem vero naturae vi, non pactione, aut voluntatum communione, vniuersi mortales sectantur.

Ἔστι γὰρ, ὃ μαντεύονταί τι πάντες, φύσει κοινὸν δίκαιον, καὶ ἄδικον· κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ, μηδὲ συνθήκη.

Est namque, quod omnes augurantur, natura commune iustum, & iniustum: & si nulla extiterit communio inter ipsos, neque pactum.

Qvod cuncti mortales diuino afflatu pronuntiant: in quo omnes conueniunt, tacito instinctu commoti, μαντεύονται (vt opinor) valet. In primo libro de moribus ad Nicomachum, eodem hoc verbo, eodem intellectu vsus est. » Τἀγαθὸν δὲ οἰκεῖόν τι καὶ δυσαφαίρετον εἶναι μαντευόμεθα. cuncti sumus huius sententiae, vt summum bonum propriũ quiddam esse, ac quod aegre amitti possit, ariolemur. In vj. quoq; ipsum eodem sensu vsurpauit: vt Plato etiam pluribus locis: » in Charmide enim ita induxit Socratem disserentem. Τὴν γὰρ οὖν δὴ σωφροσύνην ὠφέλιμόν τι καὶ ἀγα- » θὸν μαντεύομαι εἶναι. quia autem hoc certo non intelligitur, ita (vt opinor) hic locutus est. Commune igitur quoddam ius esse cum dixisset, ita id probauit: est enim (inquit) quod omnium mentes occupauit, natura commune iustum atque iniustum: quamuis consensio nulla hominum intercesserit: neque ita inter se ipsi pepigerint.

Οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη φαίνεται λέγουσα, ὅτι δίκαιον, ἀπειρημένον θάψαι τὸν Πολυνείκη, ὡς φύσει ὂν τοῦτο δίκαιον.

Quale & Sophoclis Antigona perspicitur intelligere, iustum esse sepelire Polynicem contra interdictum, tamquam natura hoc iustum sit.

Cvivsmodi (inquit) ius manifesto percipitur intelligere Antigona Sophoclis, cum in fabula, cui ipsa nomen dedit, probare studuit aequum esse, contra regis etiam interdicta sepulturae tradere Polynicem, tamquam natura id iustum foret: vetitum vero significare ἀπειρημένον, planum est: ἀπειρῆσθαι namque interdixisse est: magnis autem propositis paenis Creon vetuerat, nequis corpus Polynicis sepeliret: quas minas contempsit Antigona, ipsius soror: nihilq; se iniusti admisisse subtiliter argumentata est: cum enim contra regis interdicta se fecisse, inficiari non posset, confugit ad ius naturae, quod magis ratum haberi debere, ab aeternitate eius, confirmauit.

Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ τοῦτο, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

Non enim nunc, neque heri, verum semper hoc viuit: & nemo nouit vnde emerserit.

Haec poëtae ipsius verba sunt, duobus senariolis clausa: eorum autem sensus est: non enim hodie, heriue in lucem hoc venit, sed semper viguit: nec mortalis quisquam est, qui sciat, ex quo tempore ortum habuerit. Apud Sophoclem vero numero multitudinis ταῦτα legitur: nec tamen puto lectionem hic variare oportere: arbitror enim Aristotelem numerum commutasse, vt locutioni suae verbum hoc responderet.

Καὶ ὡς Ἐμπεδοκλῆς λέγει, περὶ τοῦ μὴ κτείνειν τὸ ἔμψυχον· τοῦτο γὰρ, οὐ τισὶ μὲν δίκαιον· τισὶ δὲ, οὐ δίκαιον.

Et vt Empedocles inquit, ostendere volens, non esse caedendas animantes: hoc enim non huiuscemodi est, vt quibusdam quidem iustum sit: quibusdam autem non iustum.

EMPEDOCLES quoq; in poëmate suo, cum probare vellet non esse interficiendas animantes, iustumq; abstinere se ab earum nece esse doceret, non illius generis esse id ius affirmauit, quod gentibus, quibusdam ratum sit: quibusdam contra non ratum, sed stabilioris alicuius longeq; patentioris. Porphyrius in ij. libro de non necandis ad vescendum animantibus, hos sane Empedoclis versus non citat, alios tamen eiusdem poëtae adducit, qui declarant eum valde ab ipsis caedendis abhorruisse, quod faciebat ille iudicium Pythagorae secutus: cuius disciplinam probabat. nam in ijsdem illis versibus continetur ratio, qua prisci deos placare soliti essent: & quibus ritibus in sacrificijs vti.

Ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος Αἰθέρος ἠνεκέως τέταται.

Sed haec profecto omnium lex est, quae per patentem aetherem fuse porrecta est.

INITIVM versuum Empedoclis, qui duo hexametri sunt: docet autem naturale hoc ius in omnes naturas, quae elementa appellant, fusum ac dilatatum esse, cum ipsius vim dignitatemq; ostendere vellet. Vsum vero illum in suo carmine saepe peregrinis vocibus, & quae Graecis inauditae forent, ac non nullas itidem ipsum confotmasse, quae declaratione egerent, constat. Plutarchus certe summa diligentia singula eius verba interpretatus est, cum in primo libro de philosophorum decretis, quae sententia ipsius de initijs omnium rerum fuisset, versibus ipsius adductis, doceret. Τέταται sane legi debet, vt in antiquissimo libro scriptum est: antea namq; in excusis πέπακται mendose legebatur. Veteres autem grammatici docent ἠνεκὲς valere, porrectum in longitudinem: ἠνεκέως vero factum, quod per omnes partes fundatur ac manet: quae voces poëtis vsitatae essent. tradit igitur Empedocles hoc, quod a cunctis nationibus coleretur, in vasti aetheris, lateq; dominantis cunctas partes dimanasse: nec definitum esse angustis quibusdam terminis, ac certis tantum in locis custodiri, vt leges ab hominibus latae: monimentisq; litterarum traditae, quae ciuitatibus, ac gentibus, exceptis, quae ipsas sanxerunt, atq; ita viuere inter se pepigerunt, alibi auctoritatis nihil habent.

Διά τε ἀπλέτου αὐγῆς.

Et per immensum splendorem.

ITA habent excusi libri, & manu scripti etiam fideliores: inueni tamen in quibus dissecta vltima voce, αὖ γῆς legeretur. quam scripturam non probo. Receptae autem vestigia in vetere quoque tralatione apparent: significari vero illa puto aërem: nam de superiore natura, & quae ipsam hanc ambit, supra locutus fuerat. αὐγὴν autem Homero quoque notam vocem, splendorem lumenq; valere, notum est. eandem naturã, assimili quoque huic voce, αὐγὴν quandoq; Empedoclem appellasse intelligitur ex versibus, quos ipsius Aristoteles in primo libro de animo adducit: ita enim quoque ipsam interpres, qui Simplicius habetur, explanat.

Καὶ ὡς λέγει ἐν τῷ μεσσηνιακῷ Ἀλκιδάμας.

Et vt inquit Alcidamas in Messeniaca oratione.

QVID de iure hoc naturali in oratione sua Messeniaca senserit Alcidamas, cum oratio ipsa perierit, sciri nullo modo potest. Ipsius sane magnum nomen est apud veteres scriptores. Elaeatem illum fuisse Quintilianus in secundo libro testatur, nisi vitium scriptura illic habet. Athenaeus patria Laitem facit. & discipulum fuisse Gorgiae Leontini, scripsisseque laudationẽ Laidis meretricis, eum tradit. Quare videndum an ἐλαΐτης legere illic oporteat, non λαΐτης: ita enim ciues Asiaticae Elaeae, vt docet Stephanus, vocabantur. Durin certe quendam Elaitem, historiae scriptorem, ipse appellat. Quamuis alterius oppidi in eadem terra ciues, vt idem, qui de vrbibus diligenter scripsit, auctor affirmat, Laitae appellarentur. In iij. horum librorum Aristoteles multam illius mentionem fecit, cum magno ipsius dedecore. Cicero contra in prima quaestione Tusculana eum testimonio suo ornat, ac nobilem oratorem appellat. leguntur vero nunc in volumine Grecorum multorum oratorum, ipsius nomine duae orationes: quae vere falsone illi adscriptae sint, affirmare non ausim.

Πρὸς οὓς δὲ διώρισται, διχῶς διώρισται: ἢ γὰρ πρὸς τὸ κοινόν, ἢ πρὸς ἕνα τῶν κοινωνούντων, ἃ δεῖ πράττειν, καὶ μὴ πράττειν. διὸ καὶ τὰ ἀδικήματα, καὶ τὰ δικαιώματα διχῶς ἔστιν ἀδικεῖν, καὶ δικαιοπραγεῖν: ἢ γὰρ πρὸς ἕνα ὡρισμένον, ἢ πρὸς τὸ κοινόν: ὁ γὰρ μοιχεύων, καὶ τύπτων ἀδικεῖ τινα τῶν ὡρισμένων: ὁ δὲ μὴ στρατευόμενος, τὸ κοινόν.

Ad quos autem definita est, duobus modis definita est: siue enim ad commune ciuitatis,

tatis, siue ad vnum quempiam eorum, qui communicant ipsa, quae facere oportet, & quae non facere. quare & iniusta facta, & iusta duobus modis licet, & iniuste, & iuste tractare: siue enim aduersus vnum definitum, siue aduersus commune ciuitatis: qui enim adulterium committit, & qui caedit, iniuria afficit quampiam definitā personam: qui autem detrectat militiam, commune ciuitatis.

DISCREPAT hic antiquissimus liber a reliquorum, & excusorum, & scriptorum codicum lectione: ita enim habet. πρὸς οὓς δὲ διώρισαι, δίχα ὥρισαι. & quae sequuntur: videtur autem sententia haec esse huius loci. Quae facere nos oportet, aut non facere, quod ad personas pertinet, cum quibus res contrahitur, duobus modis consideratur. quare, vt ceteras res, ita iniqua facta, aut aequa, vsu venit dupliciter distinguere: personas item spectantes, quod statim ipse accurate explicat, cum supra etiam duos illos modos, quibusq; opus est, & a quibus se abstinere, declarasset. quae igitur ad diuersa duo genera legum pertinebant, iam exposuerat: nunc reliquam partem aggreditur: posse iniuste aliquid committi: contraque iuste fieri, aduersus duo tamquam personarum genera: siue ergo vniuersam ciuitatem communeque gentis: siue erga quosdam ciues: cum enim quidquid negotij gerimus, aut cum certis aliquibus definitisq; personis, aut cum tota communione geramus, inde planum est res iniustas item, iustasq; quas gerimus, duplices esse, aut spectare vniuersam ciuitatem, aut certos quosdam homines, vt ipse exemplis declarat: qui enim adulterium committit, aut caedit quempiam, illum ipsum iniuria afficit, cuius vxori stuprum infert, aut cui manus affert: qui vero militiam detrectat, commune totius gentis: deesse enim patriae non debemus, sed periculo nostro periculum illius propulsare: hoc enim officium a nobis illa iure optimo requirit. In v. actione in Verrem Cicero, cum exprobraret ipsi corruptelam filij, quae ipsius negligentia orta erat, docuit illum δημοσίῳ ἀδικήματος etiam eo nomine reum esse: „ Quibus in rebus, non solum filio, verum etiam reip. fecisti „ iniuriam: susceperas enim liberos non solum tibi, sed etiam patriae. & quae sequuntur.

Ἁπάντων δὴ τῶν ἀδικημάτων διῃρημένων: καὶ τῶν μὲν ὄντων, πρὸς τὸ κοινόν: τῶν δὲ, πρὸς ἄλλον, καὶ πρὸς ἄλλους, ἀναλαβόντες τί ἐστι τὸ ἀδικεῖσθαι, λέγωμεν τὰ λοιπά.

Cū iā cuncta iniusta facta distincta sint, & haec quidē referantur ad commune ciuitatis: haec autē ad aliū, vel ad alios, repetito quid est iniuriā accipere, reliqua tradamus.

OMNIBVS generibus iniuriarum iam distinctis: quot modis scilicet iniuste quippiam effici possit (nunc enim vniuersa ciuitas iniuriam patitur, nunc singuli ciues, pluresq; laeduntur) cum quid sit iniuriam perpeti repetiuerimus: remque antea breui traditam apertius pleniusq; explanauerimus, reliqua, quae restant dicenda, explicemus: supra vero, quid esset iniuriam facere definierat: inde autem, quid contrarium illius sit, perpeti inquam iniuriam percipi potuisse declarat, dicens, ἀναλαβόντες: neque enim hoc ipsum illic aperte fuerat explicatum.

Ἔστι δὴ τὸ ἀδικεῖσθαι τὸ ὑπὸ ἑκόντων τὰ ἄδικα πάσχειν: τὸ γὰρ ἀδικεῖν ὥρισται πρότερον ἑκούσιον εἶναι.

Est igitur iniuriam accipere a sponte facientibus iniuste aliquid pati: iniuriam enim facere definitum prius est esse sponte facientium.

EST igitur (inquit) iniuria laedi (ita enim nunc interpretor ἀδικεῖσθαι) contra leges quippiam, improbeque pati ab ijs, qui sponte id committunt: quod manifestum a contrario esse potest: antea enim docuimus iniuriam facere illum & laedere, qui sponte volensq; id agat. In antiquissimo libro vnitatis numero ἑκόντος, non multitudinis, vt in reliquis, legitur: & sane in ipsa illa definitione, quam significat, hic ipse numerus vsurpatus est.

Ἐπεὶ δ᾽ ἀνάγκη τὸν ἀδικούμενον, βλάπτεσθαι, καὶ ἀκουσίως βλάπτεσθαι, αἱ μὲν βλάβαι ἐκ τῶν πρότερον φανεραί εἰσι: τὰ γὰρ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ διῄρηται καθ᾽ αὑτὰ πρότερον, καὶ τὰ ἑκούσια, ὅτι ἐστιν, ὅσα εἰδότες.

Quia autem necesse est, eum, qui iniuriam accipit, detrimentum accipere: atque id inuitum accipere, detrimenta importata ex ijs, quae prius tradita sunt, nota sunt: bona enim & mala distincta sunt per se prius, & quae sponte faciunt: sunt enim, quae, intelligentes quid faciant, gerunt.

Ex accurata huius definitionis animaduersione elici ostendit, quid hic locus omnis postulet, vt plene tractetur: non nullis tamen nunc explanandis supersedit, quia iam tradita illa sunt: quae autem adhuc explicanda restant, aut locum indicat, vbi dicentur, aut nunc docere aggreditur: atque inquit. Quia necesse est eum, qui iniuriam patitur, detrimento affici, & inuitû damnum illum sustinere, detrimentorum genera, ex rebus supra explicatis, perspicua sunt: bona namque & mala prius diuisa sunt & explanata. eodem igitur tempore & quae iuuant, & quae nocent, tradita sunt: detrimenta enim accepta, malorum species sunt: emolumenta vero, bonorum: sed etiam, quae sint ea, quae sponte faciunt homines: declaratum enim est ea esse, quaecunque faciunt intelligentes. necessarium vero (inquit) esse, qui iniuriam patitur inuitum detrimento affici: qui enim sibi sponte, volensq;, aliquod incommodum importaret, vt Terentianus ille Menedemus, ipse se puniens, nullam iniuriam pateretur. In antiquissimo libro εἴρηται scriptum est, non δίῄρηται: vetus tamen tralatio receptam lectionem sequitur.

Ὥστ' ἀνάγκη πάντα τὰ ἐγκλήματα, ἢ πρὸς τὸ κοινὸν, ἢ πρὸς τὸ ἴδιον εἶναι: ἢ καὶ ἀγνοοῦντος, ἢ ἄκοντος, ἢ ἑκόντος, καὶ εἰδότος.

Quapropter necesse est cuncta crimina, vel aduersus commune ciuitatis, vel aduersus priuatum aliquẽ esse: & vel ignorante, vel inuito, vel sponte faciente, & intelligente.

Haec ἀνταπόδοσις, redditioq; est illius ἐπεὶ: sequuntur enim haec necessario, positis illis. quare (inquit) vt omnia nunc colligamus, quae ex superioribus diuisionibus manarunt, necesse est cuncta crimina, aut aduersus commune aliquod: totamque ciuitatem ac nationem, aut aduersus priuatum statum aliquorum committi, vel ignorante, qui iniuriam facit, & inuito: vel sponte faciente illo, & intelligente. Ἐγκλήματα vocari cum quispiam de aliquo queritur: eumque in iudicium vocat, apertum est: ἀδικήματα vero hic non dixisse, existimari potest, quia eo verbo, quae inuiti imprudentesq; faciunt, complexus non esset.

Καὶ τούτων, τὰ μὲν, προελομένων: τὰ δὲ, διὰ πάθος.

Et horum haec quidem, eligente: haec autem, ob animi motum.

Posteriorem partem iterum secat: & ait eorum, quae quispiam gerit sponte & intelligens, partim ipsum facere, eligentem, quod sibi melius putet: partim autem commotum animo, & impellente ipsum perturbatione aliqua: intelligit autem, eligente ipso dicens, quae διὰ λογισμὸν supra fieri ab hominibus, inquit: illa enim, re antea deliberata, geruntur: & tamquam potiora accommodatioraque sumuntur. Διὰ πάθος vero, quae secuti homines appetitionem, expertem rationis, committunt: idest cupiditatem, & iram.

Περὶ μὲν οὖν θυμοῦ ῥηθήσεται ἐν τοῖς περὶ τὰ πάθη. ποῖα δὲ προαιροῦνται, καὶ πῶς ἔχοντες, εἴρηται πρότερον.

De ira quidem igitur dicetur in ijs, quibus explicantur motus animorum. qualia autem eligunt, & quomodo se habentes, exposita sunt prius.

Vt supra ostendi, cum διὰ πάθος inquit, appetitionem vacuam ratione appellauit. quae cum in primis diuidatur in cupiditatem & iram: & de ijs iam, quae cupiditate incitati homines faciunt, accurate egisset (sunt enim illa res iucundae, & quae possunt sensus oblectare) restare videbatur, vt de altera parte disputaret. locum igitur indicat, vbi hoc diligenter facturus est: & rationem, cur eo reiiciat, reddit. Quod vero ad alteram partem pertinebat: quae nam sint ea, quae homines eligunt, ac facienda sibi statuunt: & quomodo animo affecti, id etiam nunc explanare minime decere ostendit: sunt enim illa prius exposita & tradita.

Ἐπεὶ δ' ὁμολογοῦντες πολλάκις πεπραχέναι.

Quia autem confitentes saepe se fecisse.

Ostendit disertum oratorem cognitam habere oportere naturam rerum, de quibus saepe in iudicium venitur: significationemq; nominum illorum tenere, ac facultate denique praeditum esse distinguendi vera crimina ab ijs, quae speciem tantum, similitudinemq; ipsorum habeant: cuius rei vtilitatem affert: docetque, qui praestare id nequeat, munus oratoris sustinere non posse: declarat autem primo saepe vsu venire hanc scientiam: quo patefacto, planum est debere sibi illam sedulo comparare oratorem. Cum enim ἐπεὶ proposuisset, vt qui certa, quae adferebat, esse intelligeret, adiungit multo post, διὰ ταῦτα δεῖ ἄν: haec enim ἀνταπόδοσις est superio-

tis partis: pertinere autem haec ad controuersiam illam, qua quaeritur, quid sit, manifestum est: rem enim factam esse conceditur: neque id in contentione versatur: vnde necessaria definitio est, vt vis illius rei perspiciatur: a qua statum hunc magistri dicendi, definitiuum appellarunt: ita enim Latini fere rhetores vocare consuerunt: Graeci autem στάσεις, respondente Latino, Graeco nomini, quas ἀμφισβητήσεις Aristoteles appellat: quo verbo paulo post vtitur: de tribus autem rebus plerunque controuersias existere ille arbitratur: idest, an res facta sit, qualis sit, & de magnitudine facti: quod liquido intelligi potest è iij. libro, in quo controuersiarum harum mentionem ipse crebro fecit: quamuis semel ipsas quattuor esse tradat: vltimam appellans, cum, qui resistit, ostendit se, quod fecit, iuste fecisse: quod qualitatis esse videtur, non minus atque cum affirmat se nihil detrimenti intulisse: nam est locus etiam, vbi occurri docet accusatori, significando id, quod turpe ille esse aiebat, huiuscemodi non esse: cum tamen de vtili & aequo frequentius controuersiam oriri in iudicio videatur fateri: esse autem tertium hoc quoque qualitatis, planum est. Hic vero tantum oportere res etiam definiri significauit: alijs namque in locis finitionem reliquit: huius autem causam fuisse puto, quia orator non definit rem aliquam, vt naturam eius inuolutam explicet: cognitioneq; illa capiatur, sed vt videat vtilis ne, an inutilis: aequa, an iniqua: honesta, an turpis sit: haec enim ab eo studiose quaeruntur: ac studio ipsius intellecta, accommodata sunt: quae alterius status propria existunt, quo qualitas rerum inuestigatur. Rem ita se habere è iij. libri multis locis, vt iam dictum a me est, manifesto cognoscetur. sed etiam Quintilianus id testatur, qui & ipse hoc animaduerterat, & hunc locum, quem in manibus habemus, indicat: in quo tantum definitiuum statum videtur noster doctor intellexisse, vt ipse narrat: inquit enim Aristoteles in rhetoricis: etiam si omne
» opus diuidit in veritatem, & petenda ac fugienda, quod est suasoriae, & de eodem, atque alio,
» partiendo tamen ad haec peruenit: an sit quid, quale, quantum, & quam multum sit quaeren-
» dum putat: quodam tamen loco finitionis quoque vim intelligit, quo dicit quaedam sic defen
» di. Sustuli, sed non furtum feci: percussi, sed non iniuriam feci: ita enim interpungi arbitror oportere orationem, non, vt in excusis nunc ipsius codicibus legitur, distincta a superioribus voce, quid: tamquam quattuor status ponat, ac definitiuum ita appellet: nisi aliquis malit abundare particulam illam, cum paulo post aperte ipse affirmet, eum statum non frequentasse hunc auctorem: sibi enim ipsi aduersatus esset. an sit igitur quid, idest cum quaeritur, an aliqua res facta sit. Quod vero primis verbis protulit de diuisione horum librorum, diligenter est animaduertendum: neque enim video, quomodo id verum esse possit: ac vereor, ne negligentiae hominis hoc quoq; assignandum sit, nisi forte verum dicens, intellexit finem iudicialis generis, ac iustum ita appellauit: quo pacto sane veteres scriptores aliquando locuti sunt: debuit tamen contrarium quoq; ipsius afferre, nam petenda ac fugienda, quae conducunt atque obsunt, videtur vocasse: in tertio vero prorsus haereo.

Ἢ τὸ ἐπίγραμμα οὐχ ὁμολογοῦσιν, ἢ περὶ ὃ τὸ ἐπίγραμμα.

Siue facti nomen non confitentur, siue illud, cui nomen id ab accusatore impositum est.

AVT facti nomen non concedunt, aut rem, quae nomine illo appellatur, se fecisse negant, cum controuersia est, aut nominis, aut rei, cui id nomen impositum est. ἐπίγραμμα autem, quo nomine accusator agit, significat litis ipsius inscriptionem.

Οἷον λαβεῖν μὲν, ἀλλ' οὐ κλέψαι: καὶ πατάξαι πρότερον, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι.

Veluti cepisse se, verum furatos non esse: & priores percussisse, verum non contumeliae causa fecisse.

EXEMPLA haec sunt, cum factum concedunt: facti vero nomen inficiantur. ceu (inquit) sustulisse: furtum vero non fecisse, & priorem percussisse, verum contumelia non affecisse: iudicium enim erat contumeliae inlatae, cuius legis paenam declinabant, qui quamuis percussissent: prioresq; manum alicui attulissent, probare poterant illam contumeliam non fuisse.

Καὶ συγγενέσθαι μὲν, ἀλλ' οὐ μοιχεῦσαι: ἢ κλέψαι, ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι: οὐ γὰρ θεοῦ τι.

Et rem cum ea habuisse, sed adulterium non commisisse: siue furatum esse, sed fanum non expilasse: neque enim id, quod sustulit, deo dicatum erat.

ET hoc quoque, consequens eiusdem exemplum est: qui enim cum aliqua se coijsse, sed adulterium

rium non commiſiſſe affirmat, de nomine controuerſatur: vt ille etiam, qui fatetur ſe furtum feciſſe, ſacrilegium vero negat: rationem autem hanc ſui facti videtur is reddere, atque ita multo maiorem paenam aufugere: quod cum his, qui è ſacro etiam loco rem priuatam tollant, non poſſit recte ſacrilegij agi: ſacrilegium enim eſſe cum è ſacro rem ſacram quiſpiam ſurripit.

Ἢ ἐπεργάσασθαι μὲν, ἀλλ᾽ οὐ δημοσίαν, ἢ διειλέχθαι μὲν τοῖς πολεμίοις, ἀλλ᾽ οὐ προδιδόναι.

Vel alienum agrum araſſe, verum non publicum, & ſermonem ſe habuiſſe cum hoſtibus, ſed non prodidiſſe.

Cvm δημοσία in excuſis antea legeretur, vt in antiquiſſimo libro inueni, δημοσίαν emendaui. intelligi autem arbitror oportere, vel χώραν, vel γῆν: paſſim vero ita ſcriptores antiqui loquuntur. cum tamen in ſcriptis quoque non nullis legatur δημοσία, & vetus etiam tralatio eam lectionem referat, ſiquis, accentu tantum immutato, δημόσια legat, vt χωρία intelligatur, idem inde
» ſenſus elicietur: ita enim quoq; locutus eſt Lyſias in defenſione ὑπὲρ σηκοῦ. ὡς ἐργαζομένους τὰ περὶ
» τὰς μορίας χωρία: cum autem hic eo verbo abſq; praepoſitione venuſtus orator vſus ſit, non multo antea in eadem oratione iunctum vſurpauerat: ἔργον autem proprie opus ruſticum dici, notum eſt: & terram ἐργαζομένην, cultam ſubactamque vocari. Senſus igitur huius loci hic erit. Aut agrum ſane ſe araſſe concedet, non tamen publicum: nam legibus cautum erat, nequis publicum agrum, niſi a cenſoribus, magiſtratuue, cuius id muneris foret, conductũ, coleret. Hoc autem exemplum magis accommodatum videtur ad poſteriorem illam partem: cum negatur res, cui nomen id ab accuſatore impoſitũ erat: neq; enim hic de nomine ambigitur: nititurue reus oſtendere non ſuo nomine, quod commiſit, appellari: ſed de re controuerſia eſt: non enim eſt, quam arguit aduerſarius: fatetur enim ſe araſſe: atque ita de nomine conuenit ipſi cum accuſatore, ſed agrum illum, vt aiebat aduerſarius, non publicum eſſe. Niſi forte de nomine numquam concertatio eſt, quin eodem tempore factum etiam negetur: contraque, cum de re contenditur, nomine etiam diuerſo appellari illam debere ſignificatur, vt qui rei ſunt, ita ſemper ſe purgent, aut quod fecerunt, furtum vocari non poſſe, aut ſe non geſſiſſe, quod furti nomine vere vocatur: praeſertim cum velit res ſemper definiri: paratumque ad haec omnia tractanda eſſe dicat, qui explicare vim ipſorum potuerit. Poſtremum exemplum eſt, cum fatetur ſe collocutum cum hoſtibus, ſed non prodidiſſe. non inficiatur igitur ita quoque, quin cum hoſtibus ſermonem habuerit, ſed in eo aliquid contra ſalutem ciuium actum pernegat: quae proditio eſt: verbum enim hoc non clandeſtinum tantum colloquium ſignificat, ſed animum praeterea alienum a ſalute ſuorum, & fauentem pacta mercede, rebus aduerſariorum.

Διὰ ταῦτα δέοι ἂν καὶ περὶ τούτων διωρίσασθαι, τί κλοπή, τί ὕβρις, τί μοιχεία· ὅπως ἐάντε ὑπάρχειν, ἐάντε μὴ ὑπάρχειν βουλώμεθα δεικνύναι, ἔχωμεν ἐμφανίζειν τὸ δίκαιον.

Propter haec oporteret de his quoque ſtatuiſſe, quid furtum, quid contumelia, quid adulterium, vt ſiue id haerere perſonae rei, ſiue non haerere, voluerimus oſtendere, aperire quid iuris ſit valeamus.

Ob haec inquit, quia ſaepe de his rebus lites exiſtunt, diligenter cuncta haec videre oportet, naturamque eorum tenere: cognitis enim his facultatem habebimus, ſiue reo crimen illud haerere, aut non haerere oſtendere volumus, omne ius explicandi, & quid rectum iuſtumque ſit indicandi. niſi autem haec intelligantur, nihil certi de his rebus afferri poterit. Εμφανίζειν τὸ δίκαιον arbitror ſignificare, aperire quid aequum ſit, cum antea obſcurum incertumque foret: explanare quomodo res illae accipi debeant: proferre in medium, quod multi, qui haec diſtinguere non poterant, non videbant, quid de illis ſentiendum ſit.

Ἔστι δὲ πάντα τὰ τοιαῦτα περὶ τοῦ ἄδικον εἶναι καὶ φαῦλον, ἢ μὴ ἄδικον, περὶ οὗ ἡ ἀμφισβήτησις.

Sunt autem huiuſcemodi omnia, cum quaeritur iniuſtum ne ſit, atque improbum, ſiue non iniuſtum illud, de quo controuerſia eſt.

Cvr definitio horum nominũ adhibeatur, docet: cum enim quaeritur furtum ne id ſit, an non ſit, quaeritur improbum ne id factum ſit, an conceſſum aequumq;: ſi enim furtum, iniquum eſt: ſi non furtum intelligitur eſſe: neque conſilio ſibi eam rem habendi ac retinendi, ſuſtulit, iniuſtum improbumque non eſt. eadem ratio eſt reliquorum exemplorum. In antiquiſſimo

vero

vero libro non leguntur ea verba, περὶ οὗ: illa quoque vetus tralatio non exprimit. quare videndum, num lectio haec verior integriorq; ſit. Si autem, vt in excuſis, legatur, antecedentia verba neutri generis erunt. vt factum aliquod tale intelligatur: quemadmodum a me ſupra explicata ſunt: ſi vero haec lectio recipiatur, virilis, hoc ſenſu. In omnibus autem ijs quaeſtionibus controuerſia eſt, vtrum, qui fecit iniuſtus improbusq; ſit, an non iniuſtus. verba ſane, quae ſequuntur, teſtari videntur, iniuſtum aut non iniuſtum appellatum eſſe hominem, non negotium aliquod, cum de electione illic agatur: & hanc (vt opinor) lectionem confirmant. Perſuaſit fortaſſe non nullis, vt ſcripturam immutarent, ac duo illa verba adderent, quia ſtructuram horum verborum, ſententiamq; non percipiebant: πάντα namq; τὰ τοιαῦτα, quod ait, accipi debet, ac ſi κατὰ πάντα dixiſſet, conſuetudine Attici ſermonis. hoc tantum moleſtum eſt, quod de facti natura, non de improbitate vitioue eius, qui fecit, in iudicio quaeri videtur: improbum enim quoque factum iniuſtumq; proficiſci poteſt ab eo, qui non omnes numeros improbitatis habeat: nec omnino iniuſtus ſit.

Ἐν γὰρ τῇ προαιρέσει ἐστὶν ἡ μοχθηρία, καὶ τὸ ἀδικεῖν· τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ὀνομάτων προσσημαίνει τὴν προαίρεσιν. οἷον ὕβρις, καὶ κλοπή.

Manet enim prauitas & iniuſte facere in voluntate ac conſilio: huiuſcemodi autem nomina praeter factum oſtendunt electionem. veluti contumelia, & furtum.

CAVSAM huius rei hanc affert, & inquit: prauitas enim animi: iniuſteq; aliquid agere, poſitum eſt in electione: verbis vero ijs indicatur ac pateſit ſenſus animi & electio: qui enim concedit ſe furtum, aut contumeliam feciſſe, dicere non poteſt ſe inuitum, aut imprudentem feciſſe: ea enim vis eſt horum nominum, vt declaret, qui fecerunt, volentes, iudicioque adhibito feciſſe: verbo autem προσσημαίνειν vſum etiam ipſum in primo ſegmento περὶ ἑρμηνείας, notum eſt.
» ῥῆμα δ' ἐστὶ τὸ προσσημαῖνον χρόνον. ſtatim vero ipſemet aperit, quid ſit προσσημαίνειν tempus. Sed etiam politus interpres, atque eruditus eius libri Hammonius, ſeparatim, quid προσσημαίνειν ſit, docet: inquit enim valere praeter primum illud, quod eo verbo oſtenditur, aliud etiam quippiam, ſecunda quadam ratione vna aperire ac ſignificare. Quo ſane ſenſu hic accipi debet: nam κλοπὴ non ſolum ſignificat aliquid inuito domino eſſe ſublatum, ſed etiam, qui ſurripuit, vt ſuum faceret, ſurripuiſſe: eadem ratio ὕβρεως, contumeliaeque eſt, vt ipſe aperte declarat. In ij. quoq; libro de moribus ad Eudemum docuit his nominibus, quibus hic tradit, declarari voluntatem ac vitium eius, qui geſſit, ſignificari non affectum animi tantum, verum etiam qualitatem illius, prauitatemque: quod ſimul ambo haec ſumpta ſint: in eodemque iuncta. Vnde addit, conſueſſe illos, qui eorum criminum inſimulantur, ſe tueri, alterum affirmantes, alterum negantes: quod hic quoq; tangit: vt enim manus dant, ſe rem cum ea habuiſſe, cui ſtuprum intuliſſe dicuntur, ac priores pulſaſſe, erga quos vſos contumelia, ita affirmantes, ſe imprudentes, aut neceſſitate impoſita feciſſe, inficiantur ſe adulterio affines, aut contumeliae eſſe: inquit enim.
» Διὸ καὶ ἀμφισβητοῦσι· συγγενέσθαι μὲν φάσκοντες, ἀλλ' οὐ μοιχεῦσαι· ἀγνοοῦντες γὰρ ἢ ἀναγκαζόμενοι, καὶ πατάξαι
» μὲν, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα.

Οὐ γὰρ εἰ ἐπάταξε, πάντως ὕβρισεν, ἀλλ' εἰ ἕνεκά του· οἷον τοῦ ἀτιμάσαι ἐκεῖνον· ἢ αὐτὸς ἡσθῆναι.

Non enim ſi percuſſit, omnino contumeliam importauit, verum ſi eius cauſa fecit. veluti dehoneſtandi illum, ſiue ſe oblectandi.

VOLVNTAS finisq; in his rebus ſpectanda ſunt: indeque ſtatuendum iniuria illa, an non, appellanda ſit: duarum autem rerum altera impellere ſolet, ad improbe aliquid agendum, conſilium alteri incommodandi, aut ſe ſuasq; res iuuandi: neque enim (inquit) qui percuſſit omnino contumeliam fecit, ſed qui, vt propoſitum ſibi aliquem finem adipiſceretur, quique eo conſilio fecit, vt eum ignominia afficeret, aut ipſe ex eo facto voluptatem caperet: nam animi ſaepe cauſa improbi, petulantesq; quidam, caedere alios conſuerunt.

Οὐδὲ πάντως, εἰ λάθρα ἔλαβεν, ἔκλεψεν· ἀλλ' εἰ ἐπὶ βλάβῃ, ἔκλεψε, καὶ σφετερισμῷ ἑαυτοῦ.

Neque omnino, ſi clam ſuſtulit, furatus eſt, verum ſi, vt ei noceret, eripuit, an ſuum id faceret.

NEC omnis (inquit) qui clam aliquid cepit, furtum facit, ſed ſi, vt re illa dominum ſpoliaret: damnumque

mnumque ei afferret, id commisit, ac demum sibi illam vindicaret: repperiuntur enim aliquando, qui alienas res surripiunt: easq; ioci gratia alicubi abdunt, vt dominos, familiares homines, aliquantisper ludant. quod ipsorum factum, furtum habendum non est.

Ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἔχει, ὥσπερ καὶ περὶ τούτων.

Eodem autē pacto & de alijs quoque rebus se res habet, quemadmodum de his ipsis.

EADEM ratio est (inquit) reliquorum nominum, quae horum esse demonstrata est. iudicant enim eum, qui ea flagitia admisit, prudentem volentemque fecisse. cum autem ita se rem habere in duobus his ostendisset, exemplo horum existimauit facile intellecturū quemlibet idem in alijs euenire. quare, breuitati consulens, illa non explicauit.

Ἐπεὶ δὲ τῶν δικαίων, καὶ τῶν ἀδίκων ἦν δύο εἴδη: τὰ μὲν γάρ, γεγραμμένα: τὰ δὲ, ἄγραφα, περὶ ὧν μὲν οἱ νόμοι ἀγορεύουσιν, εἴρηται: τῶν δὲ ἀγράφων δύο ἐστὶν εἴδη.

Quia autem rerum iustarum, atque iniustarum duo sunt genera: haec enim scripta sunt: haec autem non scripta, illa, de quibus leges praecipiunt, tradita sunt: eorum vero, quae litteris prodita non sunt, duo genera sunt.

CVM quomodo quispiam contra ius scriptum facere possit, aut ne digitum quidem ab eo discedere, & quid legibus statutum est seruare, iam docuerit (contrarijs enim ex rebus iuste beneq; facta sumi debere perspicuum est) de iure non scripto differere statuit. quod vnius generis non esse ostendit, sed duplex. supra autem tradiderat aequorum & iniquorum factorum duo genera esse: quorum alterum scripto contineretur: alterum vero monimentis litterarum mandatum non foret.

Ταῦτα δ' ἐστί: τὰ μὲν, καθ' ὑπερβολὴν ἀρετῆς, καὶ κακίας, ἐφ' οἷς ὀνείδη, καὶ ἔπαινοι: ἀτιμίαι, καὶ τιμαὶ, καὶ δωρεαί.

Haec autem sunt, quorum partim existunt per exuperantiam virtutis, ac vitij, quibus compensandis adhibentur opprobria, & laudes: ignominiae, atque honores, & dona.

AEQVORVM & iniquorum factorū, quae scripto non continentur, genera haec sunt: alterum, quod eximiam virtutem, aut vitium in se continet: quodq; si seruatur, ordineq; fit, laude, honore, premijsq; decoratur: si autem negligitur, maculam, dedecusq; importat: neque enim paenae vllae propositae sunt his, qui ipsum violarint, sed opinione hominum tantum damnantur, & aut impij, aut ingrati vulgo habentur, aut aliquo huiuscemodi nomine laborant: alterum est aequum & bonum. Iustum igitur hoc iniustumque non scriptum, est, quod innata quadam in animis omnium opinione, seruatur. Id autem species duas habet, & naturale ius: ipsum enim quoque non scriptum est: vt siquid etiam more hominum institutoque sine vllo scripto seruatur, & emendatio correctioq; scriptae legis: quod aequum & bonum vocatur.

Οἷον τὸ χάριν ἔχειν τῷ ποιήσαντι εὖ, καὶ ἀντευποιεῖν τὸν εὖ ποιήσαντα.

Ceu gratiam habere ei, qui sibi bene fecit: & beneficium pro accepto beneficio reddere.

HAEC naturalis iuris exempla manifesto sunt: de hoc enim ipso differens Cicero in ij. libro de
» inuentione his verbis vsus est. Ac naturae quidem ius est, quod nobis non opinio, sed quae-
» dam innata vis afferat, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem. Aristoteles namque cum inquit. χάριν ἔχειν τῷ ποιήσαντι εὖ, gratiā & ipse intellexit. quod autem adiungit. ἀντευποιεῖν τὸν εὖ ποιήσαντα, docet non satis esse gratiam habere, sed debere etiā, qui beneficium accepit, cum res poscit, beneficium reddere: & a quo adiutus est, ipsum quoq; adiuuare. hoc autem nos facere nulla scripta lege, sed naturali cogimur. Huius partis naturalis iuris mentionem fecit lepidissimus comicus, cum ludens, induxit anum dicentem, aequum esse amatorem suum, qui tunc eam respuebat, vetera beneficia compensare: &, vt quondam ipsa ei morigera fuisset, ita oportere illum sibi tunc praesto esse. ἀναγκάσαι δίκαιόν ἐστι νὴ Δία τὸν εὖ παθόνθ' ὑπ' ἐμοῦ, πάλιν μ' ἀντευποιεῖν.

Καὶ βοηθητικὸν εἶναι τοῖς φίλοις: καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα.

Et procliuem esse ad opem ferendam amicis: & quaecunq; alia huiuscemodi.

ET haec quoque pars est communis iuris, esse pronum ad subleuandos amicos, ac, quibuscunq; in rebus possis, illis opitulari: neque enim si aliter faciamus, contra legem scriptam committimus: aut ab vlla, litteris mandata, hoc iubemur facere: qui vero ita se gerunt, laude & honore afficiuntur. alias quoque huiuscemodi res naturali lege contineri tradit.

Τὰ δὲ, τοῦ ἰδίου νόμου καὶ γεγραμμένου ἐλλείμματα.

Haec autem in propria lege & scripta, omissa.

SIC habent meliores scripti libri, & sane ita legi debet. In excusis antea duo menda erant: ἰδίου γεγραμμένου, ἐλλῆμμα namq; in omnibus legebatur. Alterum genus non scripti iuris est, cũ aliquid in propria, ac scripta lege relictum est: neque enim omnia queunt, qui leges scribunt, complecti: hanc autem veram esse lectionem testimonio etiam ipsius confirmari potest, qui in v. de » moribus ad Nicomachum inquit. καὶ ἔστιν αὕτη ἡ φύσις ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς, ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ » καθόλου. Euclidis quoque nouus interpres in hac voce lapsus est. In v. libro propositio xxviij. » sic habet. ὁμοίων ὄντων τῶν ἐλλειμμάτων: τοῦ τε ἀπὸ τῆς ἡμισείας, καὶ ᾧ δεῖ ὅμοιον ἐλλείπειν. ita autem ille vertit. similibus existentibus sumptis: quasi λημμάτων scriptum esset. verum praeter veterum codicum fidem, res ipsa docet ita legi debere. Demosthenes in ij. Olynthiaca hoc ipsum verbum vsurpauit, cum significare vellet multa detrimenta accipi in bello, quia Athenienses sedulo, quae opus erant ducibus copiarum suarum, non suppeditabant, sed muneri suo ac temporibus illis deerant. quare (inquit) oportet vos nullum locum excusandi se illis relinquere, & in quibus ipsi rebus vestris deficitis, cuncta tollere, tunc poteritis recte, si quid ab illis peccatum sit, in eos animaduertere. Vt hic igitur Aristoteles ἐλλείμματα νόμου, quae in legibus desiderantur, ita illic Demosthenes ἐλλείμματα Atheniensium vocauit, quae negligentia ipsorum, in administrandis rebus publicis, relinquebantur: cum scilicet lente imminuteq; , quae polliciti es» sent, praestarent. verba eius haec sunt. τὰς προφάσεις δὲ ἀφελεῖν, καὶ τὰ καθ᾽ ὑμᾶς ἐλλείμματα. Budaeus ita etiam a Graecis dici, reliqua a Cicerone appellata, in nominibus curandis, indicauit.

Τὸ γὰρ ἐπιεικὲς δοκεῖ δίκαιον εἶναι: ἔστι δὲ ἐπιεικὲς τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον.

Aequum enim & bonum videtur iustum esse: est autem aequum & bonum iustum praeter legem scriptam.

IVRIS quoddam genus esse non scripti confirmat: quod ἐπιεικὲς a Graecis, a Latinis aequum & bonum appellatur: ipsum enim iuris pars esse existimatur, nec scripto continetur, sed relictum fuit ab illis, qui leges condiderunt: vt ipsemet in libris de moribus testatur: cuius verba paulo supra posui.

Συμβαίνει δὲ τοῦτο, τὰ μὲν, ἀκόντων: τὰ δὲ, ἑκόντων τῶν νομοθετῶν: ἀκόντων μὲν, ὅταν λάθῃ: ἑκόντων δὲ, ὅταν μὴ δύνωνται διορίσαι, ἀλλ᾽ ἀναγκαῖον μὲν ᾖ καθόλου εἰπεῖν: μὴ ᾖ δὲ, ἀλλ᾽ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Contingit autem hoc, partim inuitis: partim sponte facientibus iis, qui scribunt leges: inuitis quidem, quando fefellerit eos: sponte autem facientibus, quando nequiuerint exprimere, sed necesse quidem fuerit in vniuersum praecipere: non licuerit autem, sed plerunque.

CVR non nulla relinquant, qui leges condunt: vndeque existat aequũ & bonum, exponit: partim enim (inquit) hoc euenit inuitis: partim intelligentibus legum latoribus: inuitis, cũ quippiam eos fallit: intelligentibus, cum nequeunt cuncta exquisite perscribere, sed coguntur in vniuersum scribere: res tamen non semper ita se habet, sed plerunque. In v. libro de moribus ad Nicomachum, vbi plenius totam rem exposuit, iisdem paene verbis extremum hoc tradidit: cum enim dixisset, fieri nullo modo posse, vt de quibusdam in vniuersum recte praecipe» retur, addidit. ἐν οἷς οὖν ἀνάγκη μὲν εἰπεῖν καθόλου, μὴ οἷόν τε δὲ ὀρθῶς, τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλέον λαμβάνει ὁ νόμος, οὐκ » ἀγνοῶν τὸ ἁμαρτανόμενον, καὶ ἔστιν οὐδὲν ἧττον ὀρθῶς: τὸ γὰρ ἁμάρτημα οὐκ ἐν τῷ νόμῳ: οὐδ᾽ ἐν τῷ νομοθέτῃ, ἀλλ᾽ ἐν » τῇ φύσει τοῦ πράγματός ἐστιν: neque tamen id inscientem legem, auctoremue ipsius committere inquit: intelligit enim se peccare: nec tamen id ipsi vitio verti potest, minusq; recta eam ob causam lex existimanda est: peccatum enim non in lege, neq; latore ipsius est, sed in rei illius

natura,

natura, quam tractat: exemplis autem his res illustrabitur. Quia plerunq; peregrini, cum in muros ascendunt, aliquid mali cogitant: licereq; hoc illis periculi plenum est, lex vetat peregrinum in muros ascendere: neque tamen non videbat auctor illius contingere aliquando posse, vt aliquis longe diuerso consilio id faceret: verum, quia omnis lex in vniuersum aliquid praecipit, secutus est illud, quod plerunq; vsu veniret. quare, si peregrinus, hostes in vrbem irrumpentes, in muros & ipse ascendens, depellit: salutique ita ciuitati est, contra scriptam legem facit, ac capitis paena plectendus videtur: quod iniquum prorsus esset: medetur autem huic malo aequum & bonum, docens esse potius honore, & premio afficiendum, qui è maximis periculis ciuitatem liberarit. Eadem ratio est eius, qui, depositum apud se, gladium furioso non reddit, quamuis lex iubeat dilucide depositum reddere.

Καὶ ὅσα μὴ ῥᾴδιον διορίσαι δι' ἀπειρίαν. οἷον τὸ τρῶσαι σιδήρῳ, καὶ πηλίκῳ, καὶ ποίῳ τινί: ὑπολείποι γὰρ ἂν ὁ αἰὼν διαριθμοῦντα.

Et quaecunque non facile est exprimere propter infinitatem. ceu vulnerare ferro, & quanto & quali: deesset enim aeuus, siquis enumerare vellet.

NEC non, quae nimis molestum, operosumque negotium est, propter rerum varietatem, summamq;, explicare ac distinguere: exemplis autem ipse rem confirmat, docetque plurima passim existere, quae nullo modo verbis comprehendi possint: vt (inquit) vulnerare ferro & quanto & quali: magnitudo enim & forma ferri, quo vulnera imponerentur, multis modis variatur: cuncta enim adnotare, verbisq; complecti oportuisset: id vero praestari nullo pacto potest: deficeret enim prius vita hominem, quam singula enumerasset. Hoc pacto quoque eleuauit M. Cicero, quod dictum fuerat ab inimicis Milonis, seruos ipsius coniurasse de interficiendo Cn. Pompeio. Vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari. cui loco simile valde est hoc venusti Attici oratoris in oratione de vulnere, consulto imposito, cum
» inquit. ὁ δ' εἰς τοῦτο βαρυδαιμονίας ἥκει, ὥστε οὐκ αἰσχύνεται τραῦμα γε ὀνομάζων τὰ ὑπώπια, καὶ ἐν κλίνῃ περι-
» φερόμενος.

Ἂν οὖν ᾖ ἀδιόριστον, δέῃ δὲ νομοθετῆσαι, ἀνάγκη ἁπλῶς εἰπεῖν.

Si igitur fuerit indefinitum, opus autem fuerit de eo legem ferre, necesse est simpliciter dicere.

SI res, de qua ferenda lex est, indefinita fuerit, & nihil certi statutique habeat, facere non potest legislator, quin simpliciter & in vniuersum, nihil excipiens, de ea statuat: aliter enim lex non foret. vnde necessario haec, quae iniqua videntur, existunt: quae tamen emendat aequum & bonum.

Ὥστε κἂν δακτύλιον ἔχων, ἐπάρηται τὴν χεῖρα, ἢ πατάξῃ, κατὰ μὲν τὸν γεγραμμένον νόμον ἔνοχός ἐστι, καὶ ἀδικεῖ: κατὰ δὲ τὸ ἀληθές, οὐκ ἀδικεῖ: καὶ τὸ ἐπιεικὲς τοῦτό ἐστιν.

Quapropter, si anulum habens, manum sustulerit, vel percusserit, ex lege scripta obnoxius est, atque iniuste facit: siquis autem veritatem facti attendat, non iniuste facit: atque aequum & bonum hoc est.

QVAPROPTER inquit, siquis forte anulum in digito habens, manum sustulerit, ac percusserit quempiam, ex legis ille verbis affinis est culpae, & iniuste facit: ipsa namque generatim ferro caedere vetat: re vero ipsa, veritateque facti considerata, liberatur paena: nec facit iniuste: neq; enim id vmquam cogitauit, qui legem tulit, eum, qui imprudenter quempiam ferreo anulo percussisset, perinde plecti, atq; si ense pugioneq; eum vulnerasset. Anulos autem ferreos veteres
» gestare solitos, plures scriptores tradunt. Plinius libro xxxiiij. Quamquam etiam nunc Lace-
» daemone ferreo vtantur. Quintilianus libro vij. eundem paene locum, quem hic Aristoteles,
» tractans, inquit. Qui nocte cum ferro deprehensus fuerit, alligetur. cum anulo ferreo inuen-
» tum, magistratus alligauit: & quae sequuntur.

Εἰ δ' ἐστὶ τὸ εἰρημένον ἐπιεικές, φανερὸν ποῖά ἐστι τὰ ἐπιεικῆ, καὶ οὐκ ἐπιεικῆ: καὶ ποῖοι οὐκ ἐπιεικεῖς ἄνθρωποι: ἐφ' οἷς τε γὰρ δεῖ συγγνώμην ἔχειν, ἐπιεικῆ ταῦτα.

Si autem est, quod expositum est, aequum & bonum, perspicuũ est, qualia sunt aequa & bona, & non aequa & bona: & quales non aequi & boni viri: in quibus enim oportet ignoscere, sunt haec aequa & bona.

SENTENTIA

SENTENTIA totius huius partis haec est: si aequi & boni naturam explanare potuimus, perspicuum est, quae nam aequa & bona sint: è definitione namq; ipsius facile intelliguntur: & vt haec, ita etiam, quae minime huiuscemodi sunt: & qui etiam in statuendo ius hoc non sequantur: sunt enim aequa & bona cuncta facta, quorum auctoribus ignoscere oportet: veniaq;, quamuis lapsi sint: videanturq; contra leges commisisse, digni sunt. In Aldino exemplari, & alijs non nullis excusis, hic locus lacer erat: plura enim verba defecerant, quae postea restituta sunt diligentia eorum, qui iterum Venetijs hoc volumen excuserunt: illa quoq; ipse in fidelioribus libris inueni: vereor tamen ne adhuc aliquid desideretur: nec locum omnino integrum esse puto. quod si ita legeretur, plena (vt arbitror) perfectaq; sententia foret καὶ ποῖοι ἐπιεικεῖς, καὶ οὐκ ἐπιεικεῖς ἄνθρωποι: videtur enim, vt supra res in aequas & bonas, & in non aequas & bonas, ita homines diuidere debuisse: & non tantũ illos, qui aequi boniq; non forent, demonstrasse: verum haec mera coniectura est, nulla vetere auctoritate fulta.

Καὶ τὸ, τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ ἀδικήματα μὴ τοῦ ἴσου ἀξιοῦν.

Et errata atque iniusta facta non aequali paena digna aestimare.

AEQVVM etiam & bonum est, non pari paena digna statuere, quae imprudenter quis peccauerit, & quae sciens atque intelligens quid ageret, non tamen laedendi consilio, admisit. Quae vis sit Graecorum verborum, valde culpas variantium: quidque inter ipsa intersit, ipse accurate declarabit.

Μηδὲ τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ ἀτυχήματα.

Neque errata & infortunia.

AEQVVM & bonum hoc etiam est: quiq;, illud spectans, iudicat, haec diligenter perpendet: nec enim quae quispiam, fine suo lapsus, commisit, & ea, quibus fortuito quempiam laesit, pari paena afficiet: quamuis enim facilius factum suum excusare possit, qui labitur, quam qui iniuria laedit, multo tamen minus adhuc peccat, qui casu quodam mirifico cuipiam nocet.

Ἔστι δ' ἀτυχήματα μὲν, ὅσα παράλογα, καὶ μὴ ἀπὸ μοχθηρίας: ἁμαρτήματα δὲ, ὅσα μὴ παράλογα, καὶ μὴ ἀπὸ πονηρίας. ἀδικήματα δὲ, ὅσα μή τε παράλογα, ἀπὸ πονηρίας τέ ἐστι: τὰ γὰρ δι' ἐπιθυμίαν, ἀπὸ πονηρίας.

Sunt autem infortunia quidem, quaecunque praeter rationem eueniunt, & non ab improbitate: errata autem, quaecunque praeter rationem non fiunt, & non a prauitate. iniusta autem facta, quaecunque non praeter rationem, a prauitate autem sunt: quae namque ob cupiditatem geruntur, a prauitate manant.

QVID discriminis sit inter has res docet: copiosius tamen de ipsis disseruit in v. libro de moribus ad Nicomachum, quo in loco tradit, cum detrimentum alicui importatum fuit, absurde ac repugnante ratione, illud factum dici ἀτύχημα: cum vero non aduersante ratione, nec tamen a vitio animi iniuria profecta fuerit, id esse ἁμάρτημα: labi namque aliquem, cum in ipso positum est initium culpae: vti autem aduersa fortuna: casuq; admirabili quodam agi, quando extrinsecus principium adhibetur: cum autem videns intelligensq;, quid agat, non tamen re antea deliberata, gerit, ἀδίκημα appellatur. Huiuscemodi vero multa committi (inquit) aut ira, aut alia quapiam perturbatione animi. Si venator igitur deserto in loco vepres commoueri videns: feramque esse putans, telum eo iaciat, hominemq; illic latentem confodiat, hoc erit ἀτύχημα: praebuit enim ansam erroris, qui eo loci se occuluit & ipse origo fuit flagitij, non qui intentus studio illi suo, cum imprudens interfecit: quis enim vmquam putasset hominem illic abditum? Si vero quispiam, eidem studio deditus, in aprum hastam contorquens, socium, non longe stantem, vulnerarit, vt Adrastus Croesi regis filium, id erit ἁμάρτημα: labitur enim fine suo: culpa tamen ipsi haeret: nam si bene telum direxisset, nihil mali factum esset. Quod si antea ille, extra periculum positus, momento temporis, dum ictum venator expedit, in medium se temere coniecit, tunc videretur ἀτύχημα: & graui fortunae debere assignari: causa enim, cui plaga imposita est, sibi ipsi fuit exitij. Cum igitur, & qui ἁμαρτάνει: propositoq; deijcitur: & qui ἀτυχεῖ: casuq; inopinato cuipiam nocet, nescientes agant, non vitio animi, atque improbitate, discrimen inter ipsos est: quia detrimenti illati origo, aut in auctore incommodi posita est, aut in eo, qui malum accepit, ac rebus deniq; externis. Quod si quis, ira percitus, aut cupiditate impulsus, cuipiam nocuerit, illud erit ἀδίκημα: vt enim ipse adiungit, quae homines animo commoto admittunt, a prauitate proficiscuntur.

X Καὶ

Καὶ τὸ τοῖς ἀνθρωπίνοις συγγνώσκειν, ἐπιεικές.

Et rebus humanis ignoſcere, aequum & bonum eſt.

HVMANAE etiam naturae, imbecillitatiq; noſtrae ignoſcere, aequum ac bonum eſt: quod, qui ſe totos legibus tradunt, non faciunt: id enim, quod ab illis praecipitur, tantum ſequuntur: ἀνθρώπινα autem, in quae facile homines natura incurrunt, intelligit. Terentius cum Adelphis ita » induxit Hegionem loquentem. Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia: humanum eſt, hoc (vt arbitror) verbum expreſſit. Ariſtoles in libris ſuis de moribus ad Nicomachum idem ſae- » pe ἀνθρωπικὸν appellauit: vt in quarto, cum inquit. ἀνθρωπικώτερον γὰρ τὸ μᾶλλον τιμωρεῖσθαι. In hoc frequentius peccare homines conſueuerunt: & magis peculiare vitium hominum eſt, vt modum non ſeruent in vlciſcendo.

Καὶ τὸ, μὴ πρὸς τὸν νόμον, ἀλλὰ πρὸς τὸν νομοθέτην σκοπεῖν.

Et non conuertere mentem ad legem, ſed ad eum, qui ſcripſit legem.

NON legem ipſam: quidq; in ea ſcriptum ſit attendere, ſed ponere ſibi ante oculos legis latorem. accurate animaduertere perſonam ipſius. videre, quid omni vita ſua probarit: quid fugerit: ac ſi quid durum in lege poſitum fuerit, ita mitigare.

Καὶ τὸ, μὴ πρὸς τὸν λόγον, ἀλλὰ πρὸς τὴν διάνοιαν τοῦ νομοθέτου σκοπεῖν.

Et non ad verba, ſed ad ſententiam legis latoris dirigere animum.

NON verba legis, verum ſententiam eius, qui tulit, ſpectare. Hinc autem quaeſtio illa, quae ſaepe in iudicijs verſabatur, exiſtebat, de ſcripto & ſententia. Cicero pro A. Caecina, cum ſen» tentiam defenderet. An tu, qui tam diligenter, & tam callide verbis controuerſias, non aequi» tate diiudicas: & iura, non vtilitate communi, ſed litteris exprimis: & quae ſequuntur.

Καὶ, μὴ πρὸς τὴν πρᾶξιν, ἀλλὰ πρὸς τὴν προαίρεσιν.

Et non ad factum, ſed ad electionem.

AEQVVM praeterea ac bonum eſt, non factum ipſum ſpectare, ac perpendere, quod in iudicium venit, ſed conſilium eius, qui fecerit, ac voluntatem: quid animo intenderit: quid denique elegerit: quod enim ceteris repudiatis, initio ſumitur, ſaepe rectum eſt, cum tamen caſu aliquo poſtea in re peragenda aliquid incommodi cecidit.

Καὶ, μὴ πρὸς τὸ μέρος, ἀλλὰ πρὸς ὅλον.

Et non ad partem, ſed ad totum.

NEQVE ad eius partem, ſed ad totum integrumq; factum reſpicere, quod ſiqua forte in eo adminiſtrando admiſſa ſunt, quae numeros omnes recti nō habeant, negligi debent, ſi ſumma rei recta eſt: datur enim venia magnas res aggreſſis, ſi puſilla aliqua in re peccant, vt efficere poſſint, quod praeclarum atque vtile eſt mortalibus.

Μηδὲ ποῖός τις νῦν, ἀλλὰ ποῖός τις ἦν ἀεὶ, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Neque qualis nunc, ſed qualis ſemper fuit, ſiue plerunque.

VT ſuperior locus in facto, partibusq; ipſius perpendendis, ita hic in perſona vitaque eius, qui fecit, examinanda manet. Qui autem dicit, non qualis ipſo illo in tempore, atque re fuerit alicuius criminis reus, ſpectandum eſſe, ſed ante acta omni vita, aut maiore ipſius parte, a ſcripta lege diſcedit, & huic iuri, quod eius culpam emendat, haeret: leges enim facta intuentur: atq; ex illis ſtatui ab iudicibus volunt, paena ne afficiendus, an abſoluendus ſit reus.

Καὶ τὸ μνημονεύειν μᾶλλον, ὧν ἔπαθεν ἀγαθῶν, ἢ κακῶν.

Et recordari potius commodorum, quae accepit, quam incommodorum.

ET hoc quoq; aequi probique viri proprium eſt: & eius denique hominis, qui hoc ius ſectetur: recordari potius in ſtatuendo de aliqua perſona, commodorum, quam incommodorum, quae inde accepit, ſi non eodem animo ſemper aduerſus eum ille fuit. Cum, pro Ligario dicens, Cicero C. Caeſarem ornaret: de admirabiliq; ipſius memoria loqueretur, hanc etiam laudem illi tribuit. Qui obliuiſci nihil ſoles praeter iniurias: declarat autem vox illa ipſum mitem fuiſſe, naturaque, ac conſuetudine factum ad ignoſcendum.

Καὶ

Καὶ ἀγαθῶν, ὧν ἔπαθε μᾶλλον, ἢ ἐποίησε.

Et commodorum potius, quae accepit, quam eorum, quae in alios contulit.

PRAETEREA recordari potius beneficiorũ, quae ab aliquo accepit, quã quae in eum contulit. Hoc autem gratum memoremq; declarat: illud, improbum atq; inhumanum. vnde, infimae condicionis homo, apud Terentium Sosias ferre non potuit, cum audiuit beneficia in se collata
» memorari, atque ait. Sed hoc mihi molestum est, nam isthaec commemoratio Quasi expro-
» bratio est immemoris beneficij. Quod elegantissimis verbis expressit etiam Demosthenes pro
» Ctesiphonte. Τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν μικροῦ δεῖν ὅμοιον ἐστι τῷ ὀνειδίζειν.

Καὶ τὸ ἀνέχεσθαι ἀδικούμενον.

Et accepta iniuria patienter ferre.

AEQVI item, & probi viri proprium est, acceptam iniuriam patienter ferre, non ad vlciscendum se parare: cum aliqua in re laesus est, non impetum facere in iniuriae auctorem, sed aequo animo improbitatem ipsius tolerare.

Καὶ τὸ μᾶλλον λόγῳ ἐθέλειν κρίνεσθαι, ἢ ἔργῳ.

Et potius oratione, quam facto de re existimari velle.

ET malle verbis, quam factis, rem decerni: vt si lis esset inter vicinas ciuitates de finibus aliaue quapiam re, omnia facere, vt iudicium de ea fiat, non armis disceptetur. Huiuscemodi quid-
» dam Thrasonis vox apud Terentium innuit. Omnia prius consilio experiri, quam armis, sa-
» pientem decet: quam etiam protulit apud Apollonium in iij. libro ἀργοναυτικῶν Iason. Μὴ δ',
» αὔτως ἀλκῇ πρὶν ἔπεσσι πειρηθῆναι.

Καὶ τὸ εἰς δίαιταν μᾶλλον, ἢ εἰς δίκην βούλεσθαι ἰέναι.

Et in arbitrium potius, quam in iudicium velle accedere.

HOC etiam probi viri indicium est, & qui aequum ac bonum sequatur, velle ab arbitris potius,
» quam ab iudicibus in foro, controuersiam diiudicari. Cicero pro Sex. Roscio. Quid est in ar-
» bitrio? mite, moderatum, quanto aequius & melius, id clarius. de omni autem hac re, ac discrimine inter iudicium & arbitrium Cicero illic accurate subtiliterq; disputauit.

Ὁ γὰρ διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ: ὁ δὲ δικαστὴς, τὸν νόμον: καὶ τούτου ἕνεκα διαιτητὴς εὑρέθη, ὅπως τὸ ἐπιεικὲς ἰσχύῃ.

Arbiter enim aequum & bonum spectat: iudex autem legem: huiusq; rei causa arbiter inuentus est, vt aequum & bonum multum roboris habeat.

CAVSAM affert, cur qui, relicto foro, ad arbitrum accedit, aequus ac bonus vir sit: arbiter enim (inquit) sibi proponit aequum ac bonum: eoq; oculos dirigit: iudex vero scriptam legem spectat: nec vllam aliam ob causam inuentus arbiter, excogitatusq; est, nisi vt aequum ac bonum valeat, ac firmius robustiusq; reddatur: nam iacet illud prorsus, nullamque vim habet apud iudicem, qui iuratus in foro ex legibus sententiam fert. Sunt sane scripti quidam codices, in quibus ἡρέθη legatur: culpa tamen (vt puto) librariorum: nam plures melioresq; εὑρέθη habent. Alijs etiam locis apud antiquos auctores inueni haec verba propter similitudinem inter se commutata.

Περὶ μὲν οὖν τῶν ἐπιεικῶν διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον.

De aequis igitur & bonis definitum sit hoc modo.

SIGNIFICAT se ad finem huius praeceptionis venisse: ac, quae dicere de aequis & bonis, siue rebus, siue hominibus, habuit, iam tradidisse: satis enim existimat huic scriptioni esse, quae a se explanata sunt.

Ἀδικήματα δὲ μείζονα, ὅσα ἂν ἀπὸ μείζονος ᾖ ἀδικίας.

Iniusta autem facta maiora sunt, quae a maiore iniustitia proficiscuntur.

SVPRA, vbi naturã τῶν ἀδικημάτων expressit, a vitio ac prauitate animi illa prouenire dixit: nunc de collatione ipsorum inter se agens, maiora ἀδικήματα esse tradit, quae a maiore animi improbitate, vitioq; proficiscuntur. Si cognitum igitur fuerit, quae maior prauitas sit, perspectis

 omnibus,

omnibus,vnde flagitia manant,inde etiam perſpici poterit, quod factum improbius. In antiquiſſimo libro varietatis hoc eſt, quod vnitatis numero, non multitudinis, vt reliqui, in appellandis iniuſtis factis, vtitur: habet enim, ἀδίκημα δὲ μεῖζον, ὅσῳ ἂν: & quae ſequuntur. Infra quoq; hac parte abſoluta eodem pacto loquitur. περὶ μὲν οὖν ἀδικήματος μείζονος, καὶ ἐλάττονος.

Διὸ καὶ τὰ ἐλάχιστα, μέγιστα.

Quapropter & quae minima ſunt, maxima ſunt.

QVAPROPTER (inquit) quod imperitis admirationem gigneret, minima quaeq; maxima haberi debent: ſequitur enim hoc manifeſto ex animaduerſione illa, ſiquis attente cogitet: peſſimus enim animi habitus ille ſit neceſſe eſt, qui ob exiguum fructum ſuſcipit aliquid ſceleris: neq; enim commodi vtilitatisq; magnitudo eum corrupit, ſed, quod facit, vitio naturae facit. quomodo vero id fiat, exponit ipſe infra accuratiſſime: minima enim vocat, non quae, ſi vim ipſarum ſpectes, puſilla admodum, exiguaq; ſint (contra enim maxima eſſe dicit) ſed quae in rebus minimi pretij exerceantur: vt quas exprobrat Heraclidi Temniti Cicero pro Flacco. Cum Roma clam eſſet profectus: multosq; minutis mutuationibus fraudauiſſet: neque enim minutas vocauit, vt culpam minueret, ſed vt augeret.

Οἷον ὁ Μελανώπου Καλλίστρατος κατηγόρει, ὅτι παρελογίσατο τρία ἡμιωβέλια ἱερὰ τοὺς ναοποιούς.

Ceu Calliſtratus Melanopum accuſauit, quod tribus ſemiobolis ſacris fani ſtructores fraudaſſet.

EXEMPLO illuſtrare rem voluit, quod tamen obſcurum nunc eſt: nec enim rerum auctores tam tenues, puſillasq; res narrant: vis tamen ipſius intelligitur. Horum autem oratorum mentionem fecit Xenophon in vj. libro de rebus Graecorum, & Plutarchus in Demoſthenis vita, qui oſtendit etiam ipſos inter ſe ſimultates exercuiſſe: in dicendisq; de rep. ſententijs libenter diſſentire conſueuiſſe: vt Melanopus tamen pecunia corruptus a Calliſtrato, in ipſius ſententiam ſaepe venerit, quod auaritiam etiam, & ſordes hominis ſignificat. vt vero ex hoc ipſo loco percipere poſſumus, Calliſtratus Melanopum reum fecit, quod tres dimidiatos obelos, deo dicatos, fraude in eo negotio vſus, è templo ſuſtulerat: ſiue, quod in rationibus relatis, malitia vſus, minuta pecunia fraudauerat ſacelli aedificatores: non vno enim modo in manu ſcriptis codicibus legitur: ſunt enim, in quibus, vt in excuſis, legatur ἡμιωβέλια: & ij ſane plures, ac meliores. ſunt etiam, in quibus ἡμιωβόλια ſcriptum ſit: & certe haec, exiguam pecuniam ſignificans, vſitata Graecis ſcriptoribus vox eſt. In commentario, quo deſcribuntur naturae, & mores hominum, qui Theophraſto nunc attribuitur, cum vecors ingenium: amentemque hominem pingeret. Καὶ τῆς δραχμῆς τόκον τρία ἡμιωβόλια τῆς ἡμέρας πράττεσθαι: a forma autem obolo nummo nomen impoſitum fuit, quod oblongus erat, & in mucronem deſinebat, obeli ſpeciem referens.

Ἐπὶ δικαιοσύνης δὲ τοὐναντίον.

In iuſtitia autem contrarium euenit.

IN contrario animi habitu, rebusq; iuſtis contra euenire tradit: meliores enim iuſtioresq; habendi ſunt, qui maiore vtilitate propoſita ab iuſto rectoque non deſciſcunt: vt qui ingentem vim auri, apud ſe nullo teſte depoſitam, cum inficiari impune poſſet, reddidit: iuſtior ſit neceſſe eſt, quam ſi idem in exigua pecunia fecit.

Ἔστι δὲ ταῦτα ἐκ τοῦ ὑπερέχειν τῇ δυνάμει: ὁ γὰρ τρία ἱερὰ ἡμιωβέλια κλέψας, κἂν ὁτιοῦν ἀδικήσειεν.

Sunt autem haec, quia vincunt poteſtate: qui namque tres ſacros ſemiobolos furatus eſt, quodlibet iniuſtum facinus moliretur.

HOC autem non ſine cauſa fit: minora enim flagitia ſuperant maiora vi quadam, quae huiuſcemodi eſt. Quid enim non auderet, qui ob tam paruum lucrum ſibi a ſcelere non temperat: qui non exiguitatem commodi deſpicit: nec veretur ſacram etiam rem illam minimi pretij auferre, quid non faceret remotis his rebus, quae ceteros, quamuis improbos, reuocarent, & ad culpam admittendam tardiores redderent?

Ὅτι

Ὅτε μὲν δὴ οὕτω τὸ μεῖζον: ὅτε δὲ ἐκ τοῦ βλάβους κρίνεται.

Aliquando iam sic maius existimatur: aliquando autem ex detrimento importato ponderatur.

Cum crimen igitur crimini comparatur, pernoscendi quod maius sit, ratio quaedam exposita est: cum δύναμις scilicet, visq; auctoris facti, consideratur: non tamen haec vna est: nam detrimentum etiam saepe inlatum ponderatur: ex eoque maleficium maius aliquod, minusue esse statuitur.

Καὶ οὗ μὴ ἔστιν ἴση τιμωρία, ἀλλὰ πᾶσα ἐλάττων.

Et cuius supplicium nullum aequale est, sed omne minus.

Illud etiam maius ἀδίκημα haberi debet, cui par paena inueniri non potest, quam illud, cui potest. Ab animaduersione igitur paenaq; proposita, docet existimari etiam posse de magnitudine iniuriae: sunt enim huiuscemodi aliqua, vt, si omnia faciant homines, compensare damnum acceptum nequeant, sed omne, acerbum etiam supplicium in auctores eorum, vincatur sceleris natura.

Καὶ οὗ μὴ ἔστιν ἴασις: χαλεπὸν γὰρ, καὶ ἀδύνατον.

Et cuius non extat remedium vllum: difficile namque est: & vnum eorum, quae effici non possunt.

Nec non, cui medicina, aut remedium vllum adhiberi non potest, id maius ἀδίκημα est, quam id, cui potest: caussam autem, cur maius sit, adferens, inquit: difficile enim est, & ἀδύνατον. molestum vero sit necesse est, id, quod vincit omnia remedia: ἀδύνατον autem, quod facultas nulla detur, illud declinandi. an potius hic sensus eorum sit: arduum enim est medicinam aliquam parare, vel potius nullo modo parari potest.

Καὶ οὗ μὴ ἔστι δίκην λαβεῖν τὸν παθόντα: ἀνίατον γάρ: ἡ γὰρ δίκη καὶ κόλασις, ἴασις.

Et cuius non licet eum, qui malum perpessus est, paenas accipere: est enim insanabile: iudicium enim, & animaduersio in auctorem iniuriae est medicina & curatio.

Illud quoq; maius, cuius, qui iniuriam passus est, iudicio paenas capere, aut alia vlla ratione non potest: siue, quod vitam inde amisit: siue, quod omni potestate laedendi: impetumq; in auctorem ipsius faciendi, iniuria illa orbatus est: siue aliqua alia de caussa, quae multae excogitari possunt: quamuis enim ab iudice aliquo in iudicium vocatus, qui iniuste fecit, legibus plectatur, non tamen videtur plene iniuria compensari, nisi ille, qui laesus est, paenam capit sui doloris: caussam vero huius rei afferens, inquit: est enim insanabile ac remedio caret: paena enim quam capit, qui laesus est: animaduersioq; in sontem, medicina est ac remediũ mali, quod accepit: aliter enim illud restitui non potest. δίκη respicere eum videtur, qui iniuriam perpessus est: κόλασις vero illum, qui damnum intulit. In antiquissimo libro ordo verborum immutatus est, quibus rationem reddidit: ita enim illic legitur: ἡ γὰρ δίκη, κόλασις καὶ ἴασις.

Καὶ εἰ ὁ παθὼν, καὶ ὁ ἀδικηθεὶς, αὐτὸς αὑτὸν μεγάλως ἐκόλασεν: ἔτι γὰρ μείζονι ὁ ποιήσας δίκαιος κολασθῆναι.

Et si qui malum accepit: cuiq; iniuria allata est, ipse met ipsum magnopere puniuit: adhuc enim maiore paena dignus est, qui fecit.

Si, qui laesus etiam est, quiq; iniuriam accepit, ipse in se ipsum grauiter animaduertit: nam si, qui omni culpa vacabat, tam acerbe se puniuit, multo maiore paena, qui facinus admisit, affici debet. ἐκόλασεν valet hic, violauit se, maleq; tractauit: neque enim proprie, qui iniuriam non fecit, sed accepit, dicitur puniri: magnitudo autem acceptae iniuriae impulit, vt sibi non parceret. Nisi forte aliquo modo & ipse particeps facinoris, qui iniuriam perpessus est, atq; inuri sibi tam turpem notam sustinuit, cum posset, si vir fuisset, ignominiam a se depellere.

Οἷον Σοφοκλῆς ὑπὲρ Εὐκτήμονος συνηγορῶν: ἐπεὶ ἀπέσφαξεν ἑαυτὸν ὑβρισθεὶς, οὐ τιμήσειν ἔφη ἐλάττονος, ἢ οὗ ὁ παθὼν, ἐτίμησεν ἑαυτόν.

Ceu Sophocles, cum causam Euctemonis defenderet, postquã iugulasset semetipsum, qui contumelia vexatus erat, dixit se non minore paena dignum iudicaturum, quam illa, qua se affecisset, qui iniuriam accepisset.

EXEMPLVM huiuscemodi est. Euctemoni contumelia inlata fuit, quam cum ille ferre non posset, manus sibi attulit: eum, qui contumeliose fecerat, reum fecit Sophocles. cum autem, causa perorata, interrogaretur a iudicibus, quanti litem aestimaret, respondit, se non minoris aestimaturum, quam paena illa foret, qua, qui contumeliam acceperat, se ipsum multauerat: aut igitur interrogatus, quid de ea re sentiret: aut ad seueritatem iudices adhortans: postulansq; sine inuidia, vt capitis reum condemnarent, id protulit patronus mortui Sophocles: intellexit autem manifesto mortem. Illustre etiam & huic rei explanandae valde accommodatum exemplum, Lucretia est, quae per vim oblatum stuprum, voluntaria morte luit: quae enim par paena inueniri potuisset, supplicio, quo dignus erat auctor sceleris, si innocens mulier, susceptam in alieno facinore maculam, morte delendam putauit?

Καὶ ὃ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μετ᾽ ὀλίγων, πεποίηκεν.

Et quod solus, vel primus, vel cum paucis, fecit.

HAEC omnia crimen augere planum est, si solus, aut primus quispiam facinus aliquod admisit, aut paucos omnino illius culpae socios habet. Quintilianus quoq; in iij. libro hoc confirmat.
» Et siquod est exemplum deforme posteris traditum: quale libidinis vir Perses in muliere Samia
» instituere ausus dicitur primus.

Καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ ἁμαρτάνειν, μέγα.

Et crebro in eadem re labi ac peccare, magnum.

CREBRO etiam eandem culpam admittere, crimen auget: neq; enim casu temereq; factum videri potest, & declarat firmum animi vitium: atrocius autem in illos legibus animaduerti solere, qui iterum tertioque eiusdem culpae rei aguntur, notum est.

Καὶ δι᾽ ὃ ἂν ζητηθῇ καὶ εὑρεθῇ τὰ κωλύοντα καὶ ζημιοῦντα, οἷον ἐν Ἄργει ζημιοῦσι, δι᾽ ὃν ἂν νόμος τεθῇ: καὶ δι᾽ οὓς τὸ δεσμωτήριον ᾠκοδομήθη.

Et ob quod quaesita fuerint atque inuenta quae viam obstruunt ei rei: paenamque statuunt. veluti Argis, multant eum, ob quem lex lata fuerit: & ob quem carcer aedificatus.

ILLVD quoq; maius facinus, quod coëgit, vt quaererentur, & inuenirentur remedia ac paenae: vt improbi, difficultate impediti, ac paenis perterriti, se ab illo abstinerent: exemplis autem, siquid obscurius fuerat, illustrat. vt Argis (inquit) multant, qui causa, vt noua lex ferretur, fuerit, cum scilicet antea nulla illi crimini paena legibus esset constituta: nec non illos etiam, quibus coërcendis carcer aedificatus est. necesse igitur est non mediocria illa facinora fuerint, quae veteribus legibus plecti non potuerint: nec non ea quoq;, quibus, quae obstarent atq; aduersarentur, summo studio parare oportuit. Δι᾽ ὃ autem emendaui, cum multitudinis numero patrio casu antea in excusis δι᾽ ὧν legeretur: quia in antiquissimo libro ita inueni: & veriorem hanc lectionem puto: paulo post, eodem casu, diuerso genere, ac numero, inquit δι᾽ οὓς: sunt tamen scripti alij, & ij quidem plures, in quibus δι᾽ ὃν accusandi item casu, virili genere legatur, vt persona, non factum, intelligatur: de maiore tamen hic maleficio, non de improbiore viro quaeritur. In eodem fidelissimo exemplari ζημιοῦνται, non ζημιοῦσι: quod tamen nihil interest.

Καὶ τὸ θηριωδέστερον ἀδίκημα, μεῖζον.

Et quod magis beluae naturam olet, maius est.

MAIVS item flagitium esse, quod a belua potius, quam ab homine profectum videri potest, magisq; mores beluae, quam hominis refert, exponit. Ferinum autem animi habitum, quem malignitate sua vitij naturam superare dicit: vndeque facta haec immania proficiscuntur, ipse in vij. libro de moribus ad Nicomachum persecutus est, copioseq; de illo disputauit: vocat autem θηριότητα.

Καὶ τὸ ἐκ προνοίας μᾶλλον.

Et

Et quod magis consulto fit.

CVM duo inter se crimina conferuntur, spectandum quoque est, vtrum illorum magis meditato ac longa animi prouisione factum sit: quod enim ita se habebit, id etiam maius crimen erit. Eaedem etiam res, si motu quodam animi, aut meditato fiant, diuersis paenis multantur: quae namque consilio fiunt atrocius plectuntur. eodem pacto, quae cum maiore animi cura ac prouidentia fiunt, maiora haberi debent. Demosthenes contra Midiam caedem consulto factam, appellauit ἐκ προνοίας: affirmans leges, quae de nece hominum latae sunt (φονικοὺς νόμους ipse vocat) eos, qui quempiam ἐκ προνοίας interfecerint, morte & perpetuo exilio, & publicatione bonorum multare: cum ijs vero, qui non sponte id fecerint, remissius multo, mitiusq; se gerere. Cicero in primo de officijs idem, quod hic philosophus tradit, verum esse docet. vnde etiam in-
» telligitur, quomodo ἐκ προνοίας Latine dixerit. Sed in omni iniustitia permultũ interest, vtrum
» perturbatione aliqua animi, quae plerunque breuis est, & ad tempus, an consulto & cogita-
» to fiat iniuria.

Καὶ ὃ οἱ ἀκούοντες, φοβοῦνται μᾶλλον, ἢ ἐλεῶσι.

Et quod, qui audiunt, magis perhorrescunt, quam misereantur.

ILLVD quoque maius atrociusq; est, quod in animis eorum, qui audiunt, potius metum, quam misericordiam excitat: tunc enim alios miseremur, cum ipsi non valde nobis metuimus: atrox autem quippiam saeuumque audientes, nobis timemus: quos enim sua mala premunt, aliena parum commouent. timor igitur pellit, truditq; alterum illum motum in pectoribus nostris, ex incommodis alterius excitatum: aut ne excitari quidem patitur. Grande, & huic rei explicandae mirifice idoneum exemplum adducam, de nece Gn. Magni, quod a Cicerone in iij. quae-
» stione Tusculana expositum est. Constabat eos, qui concidentem vulneribus Gn. Pompeium
» vidissent, cum in illo ipso acerbissimo, miserrimoq; spectaculo sibi timerent (quod se classe ho-
» stium circunfusos viderent) nihil tum aliud egisse, nisi vt remiges hortarentur, & vt salutem adi-
» piscerentur fuga: posteaquam Tyrum venissent, tum afflictari lamentariq; coepisse.

Καὶ τὰ μὲν ῥητορικά ἐστι τοιαῦτα, ὅτι πολλὰ ἀνῄρηκε δίκαια, ἢ ὑπερβέβηκεν.

Et quae studia oratorum adiuuant huiuscemodi sunt, multa iura, quem arguunt, sustulisse, vel migrauisse.

HAEC ratio est, quam frequentare oratores solent, & in quibus studia ipsorum nituntur: ostendunt enim eum, in quem dicunt, vno facto multa iura violasse. Crimen amplificare volentes, affirmant eum plura simul, aut deleuisse, aut migrasse: quae sancta habentur apud homines.

Οἷον ὅρκους, δεξιάς, πίστεις, ἐπιγαμίας.

Veluti iusiurandum, dextras, fidem datam, coniugij ius.

VT (inquit) iusiurandum, dextras, fidem datam, ius coniugij, affinitatemq;: fieri enim potest, vt aliquis haec simul in aliquo violet. culpam autem augere volens orator illa explicat. Dextrae, concordiae signum erant, vt ex nomismatibus quoq; argenteis multis cognosci potest, in quibus dextrae inter se applicatae nihil aliud nisi concordiam, significant. Tacitus libro xvij.
» Centurionemq; Sisennam dextras, concordiae signa, Syriaci exercitus nomine, ad praetorianos
» ferentem, varijs artibus aggressus est. In commentario de bello Alexandrino. Dextram de-
» xtra tenens, dimittere coepit, adultum iam aetate puerũ. Idem etiam in maximis periculis con
» stituti, ac propinqua morte faciebant. Lysias in epitaphio. ὑπὲρ δὲ τῶν ὑπαρχουσῶν ἀπορίας,
» πολλάκις μὲν ἐδεξιώσαντο ἀλλήλους.

Πολλῶν γὰρ ἀδικημάτων ὑπεροχή.

Est enim exuperantia multorum iniustorum factorum.

CVR multum valeant haec ad amplificandum, nunc docet: neq; enim haec (inquit) facere, est flagitium vnum admittere, sed multorum exuperantia, & ad summum perductio.

Καὶ τὸ ἐνταῦθα, οὗ κολάζονται οἱ ἀδικοῦντες: ὅπερ ποιοῦσιν οἱ ψευδομάρτυρες: ποῦ γὰρ οὐκ ἂν ἀδικήσειεν, εἴγε καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ;

Et hoc ipso in loco, vbi puniuntur sontes, quod committunt falsi testes: quo namq; in loco, non auderent iniuste aliquid moliri, si in foro & curia id moliuntur?

A LOCO

A Loco etiam crimen augetur: vt illic sceleris aliquid admisisse, vbi supplicium de sontibus sumitur, aut vbi paena legibus imponitur improbis atque iniustis. Cui rei affines esse dicit falsos testes: addit autem (quod significat nasci haec a prauitate animi immensa) quem locum hi vacuum a scelere relinquent, qui forum etiam contaminare non metuunt? Hinc etiam P. Clodij culpam amplificauit Cicero, cum insidijs Gn. Magnum per seruum tollere eum voluisse pro Milone dicens, criminatus est. Insidiator erat in foro collocatus, atq; in vestibulo ipso senatus. In antiquissimo libro varietatis hoc est, quod ψευδομαρτυρεῖν ille habet, sententia non immutata.

Καὶ ἐφ' οἷς αἰσχύνη μάλιστα.

Et ob quae maxime gignitur verecundia.

Crimina quoque grauiora sunt, quae foedissima habentur: quibusque erubescere maxime consuerunt.

Καὶ εἰ τοῦτον, ὑφ' οὗ εὖ πέπονθε: πλείω γὰρ ἀδικεῖ, ὅτι τε κακῶς ποιεῖ, καὶ ὅτι οὐκ εὖ.

Et si hunc, a quo beneficium acceperat: contra plura enim iura committit, & quod malum dat, & quod non bonum.

Maius etiam crimen est, si hunc laesit, a quo beneficium acceperat: rationem autem huius reddens, inquit: multis enim modis iniustus est: nam peccat, quod damnum infert, peccat etiam, quod non adiuuat, ac commoda eius auget: vt enim exemplo declaratur, quod supra attulit, vbi de iure non scripto disseruit, officium est probi viri opitulari illi, qui ipsum antea adiuuerit. Qui igitur culpa non vacasset, nisi beneficium reddidisset, quanto magis peccat, cum violet? Hunc locum Cicero paene tractauit in admirabili illa sententia Stoicorum exponenda, quod peccata sint paria. In patris vita violanda multa peccantur: violatur is, qui procreauit: is, qui aluit: is, qui erudiuit: is, qui in sede ac domo atque in rep. collocauit, multitudine peccatorum praestat: eoque paena maiore dignus est: verbum autem, quod ad extremum huius loci nulla necessitate iteratum in excusis erat, cum ab omnibus scriptis absit, deleui: paulo enim ante positum, huic quoque parti ἀπὸ κοινοῦ ancillatur. Legi igitur volui, vt in melioribus inueni.

Καὶ ὁ παρὰ τὰ ἄγραφα δίκαια: ἀμείνονος γὰρ μὴ δι' ἀνάγκην δίκαιον εἶναι.

Et quod praeter iura non scripta committitur: melioris enim viri proprium, nullam ob necessitatem iustum esse.

Hic locus antea in excusis mendosissimus erat: sic enim in omnibus legebatur. καὶ ὁ περὶ τὰ γραφόμενα δίκαιος. antiquorum librorum fidem, & rem ipsam secutus, ita eum restitui. In cunctis autem scriptis ἄγραφα, non γραφόμενα, legi animaduerti. in vetustissimo omnium δίκαια, cum reliquis in hoc cum excusis conueniret: vetus autem tralatio cum antiquiore ac fideliore exemplari facit: παρὰ legi debere, non περὶ, vt antea in excusis erat, res ipsa diligenter spectata declarat: nec non, quod paulo infra huic respondet, cum locum retro agens ac conuertens, inquit: ἄλλον δὲ τρόπον, εἰ παρὰ τὰ γεγραμμένα. Scriptura autem purgata, in quo multum negotij fuit, omnia nunc satis plana: sententia enim duorum horum locorum haec erit (loci vero adhuc traduntur, quibus maiora crimina a minoribus distinguantur: cuius generis plures iam attulit) cum homines peccent, aut contra ius non scriptum, aut contra scriptum, ostendi potest alio argumento, qui ius non scriptum transierit, magis peccasse: alio vero contra, qui leges scriptas praetergressus sit. Qui facit contra iura non scripta magis iniustum esse, a contrario argumento ducto, firmat, dicens: est enim officium melioris viri nullo metu, aut necessitate coactum, probum esse: possumus namque impune contra leges non scriptas facere: quis enim vmquam quempiam ingrati animi crimine reum fecit? aut iudicij periculum alicui intendit, quod, ne verbis quidem, habere gratiam pro maximis commodis acceptis voluerit. Cum igitur honestior, probiorq; esse intelligatur, qui diligenter haec iura seruat, qui negligit ac praetergreditur, improbior iniustiorque erit.

Τὰ μὲν οὖν γεγραμμένα, ἐξ ἀνάγκης: τὰ δὲ ἄγραφα, οὔ.

Quae igitur litteris mandata sunt, necessario custodiuntur: non scripta vero, minime.

Quae scriptis legibus continentur, necessario ab improbis etiã, metu supplicij seruantur: quae iura non scripta vetant, nulla formidine custodiuntur, sed a probis tantum viris, non metu

coactis,

coactis, sed officio & honestate ductis, seruantur. Auctoris ipsius celebris vox est, qui interrogatus, quid lucri fecisset è studio sapientiae, respondit, vt quae ceteri legum paenas reformidantes facerent, ipse sponte, ac sine vllius vllo edicto tueretur. Horatij etiam peruulgata sententia id confirmat.

Ἄλλον δὲ τρόπον, εἰ παρὰ τὰ γεγραμμένα: ὁ γὰρ τὰ φοβερὰ ἀδικῶν, καὶ τὰ ἐπιζήμια, καὶ τὰ μὴ ἐπιζήμια ἀδικήσειεν ἄν.

Alio autem modo, si praeter scripta: qui namq; improbe se gerit in his, quae metu deterrent, ac paena, illa quoque, quibus nulla paena proposita est libere negligeret.

ALIO modo, aliundeq; ducto argumento, magis peccare confirmatur, qui contra iura scripta flagitij quidpiam admisit: qui enim aggreditur facinora, quae terribilia sunt, nec atroces illas paenas, quas leges minantur, reformidat, quanto magis laberetur in illis, quae nihil periculi, si negligantur, ostentant: nec damnum aliquod minantur? Antiquissimus liber discrepat ab alijs, quod ἀζήμια, non, vt illi μὴ ἐπιζήμια, habet: sententia nihil variatur.

Περὶ μὲν οὖν ἀδικήματος μείζονος, καὶ ἐλάττονος, εἴρηται.

De iniusto facto maiore, siue minore, traditum est.

DOCET se ad exitum huius praeceptionis venisse, indicasseq;, vnde maius, aut minus maleficium esse probari possit: vt enim supra, cum hoc tradere aggressus est, quid facere vellet, aperuit, ita nunc re omni explicata, nihil vltra expectandum, quod ad id faciat, declarat: statimque, quid series institutae scriptionis requirat, ostendit.

Περὶ δὲ τῶν ἀτέχνων καλουμένων πίστεων, ἐχόμενόν ἐστι τῶν εἰρημένων ἐπιδραμεῖν.

De ijs autem, quae vocantur probationes expertes artis, ordo harum rerum postulat, vt breuiter dicamus.

CVM rationes faciendae fidei, quae arte parantur iam explanasset, nunc, de quibus breui prima parte libri egerat, artis expertes persequitur: ac copiosius ipsas pertractat. Animaduertendum autem hic eum ita loqui, tamquam ab huius artificij magistris, ita quoq; illae vocarentur: illic tamen contra. verba, quibus vsus est, videntur significare eum hoc pacto ipsas vocare coepisse, cum dicat. ἀτέχνας δὲ λέγω: vnde Quintilianus partitionem hanc ab ipso traditam affirmat, vt eo loco a me adnotatum est.

Ἴδιαι γὰρ αὗται τῶν δικανικῶν.

Propriae namque hae sunt iudicialium causarum.

CVR potissimum ijs pertractandis locus hic accommodatus sit, exponit: sunt enim (inquit) propriae iudicialis generis, quod nunc ipse explicat: nec tamen ita illius propriae sunt, vt nullum in alijs vsum habeant: paulo enim post, vbi, quomodo tractare leges debeat, orator tradit, inquit, siue aliquid suadeat, aut dissuadeat: quibus verbis manifesto deliberatiuum genus significatur: locum igitur in deliberationibus quoque habent hae, quae sine arte probationes vocantur: si non omnes, earum manifesto aliquae.

Εἰσὶ δὲ πέντε τὸν ἀριθμόν, νόμοι, μάρτυρες, συνθῆκαι, βάσανοι, ὅρκος.

Sunt autem quinque numero, leges, testes, pacta, quaestiones, iusiurandum.

CVM quinque tradat esse philosophus probationes artis expertes, numerum earum augent magistri dicendi. Quintilianus praecipuas sex esse voluit: nec tamen leges in ipsis numerauit: Idé etiam ostendit adijci illis posse responsa & oracula. Cicero in ij. libro ad Q. fratrem, multo plures attulit: eas tamen, qui diligenter attendet, manifesto videbit quinque his generibus ipsarum appellatis a summo hoc doctore, contineri: nam Quintilianus etiam responsa, & oracula testimoniorum partes esse tradit. Res quoque iudicatae: rumor ac fama eandem vim habere videntur: pacta autem, & conuenta, & tabulas, συνθηκῶν nomine contineri apertum est: leges vero, S. C. & decreta complecti arbitror, vt non sine magna ratione minor eorum numerus hic ab Aristotele traditus sit: capita enim tantum earum posuit: qui tamen & ipse, quamuis alijs astrictior, coarctari adhuc posse indicio ipsius videtur: affirmauit enim infra, quaestiones testimonia quaedam esse.

Πρῶτον

Πρῶτον μὲν οὖν εἴπωμεν περὶ νόμων, πῶς χρηστέον, καὶ προτρέποντα, καὶ ἀποτρέποντα, καὶ κατηγοροῦντα, καὶ ἀπολογούμενον.

Primum igitur dicamus de legibus, quomodo ipsis vti decet, & suadentem, & dissuadentem, & accusantem, & defendentem.

INITIVM (inquit) harum rerum explicandarum ducamus a legibus: ostendamusq; quomodo oratorem vti ipsis oporteat; neq; enim ab eo nouae aliquae condendae sunt, sed veteres vtiliter tractandae: & aut augendae, aut eleuandae, vt causa ratioq;, quam defendendam suscepit, postulat; hanc autem legum in vtranq; partem disputationem & in curia, & in foro vsu venire, ostendit, ac magnos fructus ferre, & in suadendo, & in dissuadendo: vt in accusando, ac defendendo.

Φανερὸν γὰρ, ὅτι, ἐὰν μὲν ἐναντίος ᾖ ὁ γεγραμμένος τῷ πράγματι, τῷ κοινῷ νόμῳ χρηστέον, καὶ τοῖς ἐπιεικέσιν, ὡς δικαιοτέροις.

Perspicuum enim est, si contraria scripta lex fuerit causae, communi lege vtendum esse, & aequis ac bonis, vt iustioribus.

QVI aduersantem causae suae legem aliquam scriptam habet, quomodo se gerere debeat ostendit: confugiendumq; ei esse docet ad commune naturaleq; ius: nec non aequo ac bono, vt iustiore, vtendum: iustius enim est, quia corrigit scriptam legem: quae, si seruaretur omnibus temporibus, improbe aliquando aliqui plecterentur: vt peregrinus, qui in muros ascendit, & irrumpentes in vrbem hostes deiecit. Praesidio igitur communis legis primo docet propriae auctoritatem frangendam. Antiquissimus liber a ceteris hic valde diuersus est: sic enim habet. τῷ κοινῷ χρηστέον, καὶ τοῖς ἐπιεικεστέροις, καὶ δικαιοτέροις.

Καὶ ὅτι τῇ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ τοῦτ' ἐστι, τὸ μὴ πάντως χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις.

Dicendumque mente optima hoc ipsum esse, non omnino vti scriptis legibus.

IVDICES, antequam causas audirent (vt proditum memoriae est a Polluce in viij. libro ὀνομαστικοῦ, vbi de iudicijs, quae Athenis erant, agit) iurabant se, de quibus leges statuissent, ex legibus sententiam laturos: de quibus autem nullae scriptae leges forent, mente sententiaq; aequissima iudicaturos. Oratores postea, vt commodum ipsis erat, hanc posteriorem partem iuris iurandi interpretabantur, & ad causae suae vtilitatem traducebant, vt nunc docet Aristoteles posse facere, qui premitur lege aliqua scripta: cum enim permissum sit iudicibus vti mente sententiaque optima, ἀρίστῃ γνώμῃ nihil aliud esse inquit, nisi non valde vti legibus scriptis: neq; omnino se ad illas applicare: contra autem infra, vbi instruit eum, qui secum legem scriptam habeat, ostendit, quomodo possit eludere atque refellere hanc callidam interpretationem horum verborum. Sensus igitur satis certus est: lectio vero non omnino certa. Antiquissimus omnium codex sic habet. καὶ ὅτι τὸ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ τοῦτ' ἐστι, τὸ μὴ παντελῶς χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις: quam lectionem valde probo, in alijs scriptis τῇ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ χρώμενος τοῦτ' ἐστι: vt in excusis quoque libris, vno excepto, in quo praeterea additum est κρίνειν. Duo autem verba, quae absunt a libro maioris vetustatis (nisi fallor) scholion quondam fuere, & in illo ipso, vt declaratio, diuersa manu reposita sunt: sententia certe sine illis manet: &, vt breuior, ita etiam fortasse melior: cum autem duobus locis infra hoc ipso in libro huius rei mentionem faciat, neutrum eorum verborum illic quoque legitur. In extremo tamen secundo, vbi dissoluendorum argumentorum rationem tradit, ac docet, quid sit optima mente de rebus existimare, alterum ipsorum posuit: ita enim locutus est. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ κρίνειν: sed illic relinqui illud nullo modo potuit. Quod autem, testimonio Pollucis vsus, quae vis huius rei esset, demonstraui, praeterire quoque illud nolo, quin admoneam, legi apud eum γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, non vt apud Aristotelem tribus in his locis, ἀρίστῃ. Idem tamen ambos intellexisse puto. Demosthenes quoque in oratione contra Aristocratem, eodem pacto locutus est, qui idem, quod Pollux, manifesto intellexit. » γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ δικάσειν ὀμωμόκασιν. Sed etiam aduersus Leptinem.

Καὶ ὅτι τὸ μὲν ἐπιεικὲς ἀεὶ μένει, καὶ οὐδέποτε μεταβάλλει, οὐδ' ὁ κοινός: κατὰ φύσιν γάρ ἐστιν: οἱ δὲ γεγραμμένοι, πολλάκις.

Et aequum bonumque semper manere, & numquam mutari: neque etiam communem legem: est enim è natura: scriptam vero saepe.

PRAESTAN-

PRAESTANTIAM aequi & boni, nec non communis legis (ita autem vocat naturae ius) a perpetuitate eorum firmat; numquam enim variantur; scriptae vero leges crebro immutantur.

Ὅθεν εἴρηται ἐν τῇ τοῦ Σοφοκλέους Ἀντιγόνῃ (ἀπολογεῖται γὰρ, ὅτι ἔπραξε παρὰ τὸν τοῦ Κρέοντος νόμον, ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τὸν ἄγραφον.)

Unde in Antigona Sophoclis dictum est: defendit enim illa factum suum, faceturq; se fecisse contra legem Creontis, sed non contra legem non scriptam.

QVO intellectu (inquit) illud apud Sophoclem in Antigona dictum est: sensum autẽ integrum eius loci, quem statim inchoatum ponit, explanat: purgat enim illa se, ac factum suum tuetur; quod edictum Creontis regis neglexerit: legi autem naturae obtemperarit: quam potiorem esse ab aeternitate argumentatur: quod neque principium vmquam habuerit: nec terminum finemque vllum habitura sit. vt illic autem ex Antigonae persona naturae ius valde celebrauit poëta, ita in Oedipode tyranno induxit chorum laudibus ipsum efferentem, vbi queritur magno cum dolore animi spoliatũ esse Apollinem dignitate sua: obscureq; criminatur Iocastam, quae petulanter in eum inuecta esset: ab auctoribus autem ipsius illud commendans, & quod
» abrogari numquam: è memoriaque hominum deleri posset, inquit. ὧν νόμοι πρόκεινται ὑψίποδες
» οὐρανίαν δι᾽ αἰθέρα τεκνωθέντες: ὧν Ὄλυμπος πατὴρ μόνος: οὐδέ νιν θνατὰ φύσις ἀνέρων ἔτικτεν, οὐδὲ μὴν ποτὲ λάθα
» κατακοιμάσῃ. Verba autem Aristotelis aliquantum ab his discrepantia sunt in antiquissimo libro, cum sententia nulla re immutata sit. quare nihil variaui: quomodo tamen illic legatur, indicabo; ὅθεν εἴρηται τὰ ἐν τῇ Σοφοκλέους Ἀντιγόνῃ: ἀπολογεῖται γὰρ, ὅτι ἔδαψε παρὰ τὸν νόμον, ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τὸν ἄγραφον.

Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ᾽ ἀεί ποτε: τούτων ἐγὼ οὐκ ἔμελλον ἀνδρὸς οὐδενός.

Non enim hodie, aut heri, verum semper fuit: horum igitur causa non debui, viri alicuius contumaciam reformidans.

ELEGANS eruditaque Sophoclis sententia, apud eum ab Antigona pronuntiata: nec multo supra hic etiam posita. Eam quoque Plutarchus in viij. libro Symposiacarum quaestionum celebrauit, vbi an noui morbi existere possint, disputat: inter hunc autem, & qui sequitur hic, senarium, vnus interiectus a poëta ipso est, breuitatis causa nunc ab Aristotele relictus: nam posterioris etiam sententia inchoata est, vt nisi apud poëtam ipsum viserentur, vix sensus vllus
» ex his verbis percipi potuerit: totus autem locus ita illic legitur. Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ᾽ ἀεί ποτε
» ζῇ ταῦτα: κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη. Τούτων ἐγὼ οὐκ ἔμελλον ἀνδρὸς οὐδενὸς φρόνημα δείσας, ἐν θεοῖσι τὴν δίκην
» δώσειν.

Καὶ ὅτι τὸ δίκαιόν ἐστιν ἀληθές τι καὶ συμφέρον, ἀλλ᾽ οὐ τὸ δοκοῦν. ὥστ᾽ οὐ νόμος ὁ γεγραμμένος: οὐ γὰρ ποιεῖ τὸ ἔργον, τὸ τοῦ νόμου.

Et iustum esse verum quoddam, atque vtile, non autem, quod speciem illius continet in se ac videtur. quapropter non est lex ea, quae scripta: neque enim fungitur munere legis.

QVOMODO scriptarum legum auctoritas minui, contérique possit, adhuc docet: plures autem viae sunt: nam multum etiam ad hanc rem valet, dicere id iustum esse, quod verum atq; vtile sit, non quod speciem tantum huius rei habeat. nullo modo igitur ea, quae scripta est, legis nomine appellanda: nec enim legis officium facit: quia verum iustumq; non complectitur, sed quod vmbram tantum illius habet, ac simulatum verum, & simulatum iustum est.

Καὶ ὅτι ὥσπερ ἀργυρογνώμων ὁ κριτής ἐστιν, ὅπως διακρίνῃ τὸ κίβδηλον δίκαιον, καὶ τὸ ἀληθές.

Et veluti mensarium iudicem esse, vt secernat adulterinum iustum, ac verum.

PRAETEREA valebit ad hoc: dicere propositũ esse rebus iudicandis iudicem, vt imitetur mensarium, ac quemadmodum ille distinguit verum aurum & adulterinum, sic ipse omnibus diligenter perspectis, verum iustum simulatumq; secernat. ἀργυρογνώμων vocatur, qui facultatem habet verum falsumque argentum, ac reliquam omnem materiem, ex qua pecunia conflatur, cognoscendi, & quasi norma quaedam est eius rei: appellatur etiam ille δοκιμαστής. Pollux, vbi nomina collegit τῶν περὶ ὕλας πραγματευομένων, hoc etiam in illis posuit.

Καὶ

Καὶ ὅτι βελτίονος ἀνδρὸς τὸ τοῖς ἀγράφοις, ἢ τοῖς γεγραμμένοις χρῆσθαι, καὶ ἐμμένειν.

Et melioris viri esse non scriptis, quam scriptis legibus vti, atque in illis manere.

Hoc quoque auctoritatem scriptarum legum minuit & communis iuris auget, dicere melioris viri esse non scriptis legibus, quam scriptis, vti: qui enim non scriptis stat probitate animi manifesto id facit, non metu paenae, quae nulla negligentibus ipsas constituta est: non pauci autem eorũ, qui legibus scriptis obtemperant, si minae illarũ tollerentur, sceleribus se obruerent.

Καὶ εἴπου ἐναντίος νόμῳ εὐδοκιμοῦντι, ἢ καὶ αὐτὸς αὐτῷ.

Et sicubi contraria est legi probatae, vel ipsa sibi ipsi.

Praeterea spectare oportet, si lex, qua premimur, aliqua parte aduersatũr legi probatae, aut etiam secum ipsa pugnat: ita enim facile ipsam eludere licebit: quomodo enim auctoritatem habere poterit lex, quae aut a lege, quam omnes vtilem sanctamque ferunt, aut a semet ipsa, dissentit?

Οἷον ἐνίοτε ὁ μὲν κελεύει κύρια εἶναι, ἅττ᾽ ἂν συνθῶνται: ὁ δ᾽ ἀπαγορεύει μὴ συντίθεσθαι παρὰ τὸν νόμον.

Veluti aliquando vna illarum iubet rata esse, quaecunque homines inter se pepigerint: altera autem pacisci vetat aliquid contra leges.

Exemplum hoc est legis, legi repugnantis: ἀντινομία autem id vocatur: alterius vero exemplum, cum lex aliqua secum ipsa discordat, omisit, vt rei sua vi satis notae: existunt autem aliquando (inquit) huiuscemodi contrarietates in legibus, vt altera lex iubet rata esse, quaecunq; inter se homines pepigerint: altera vero vetat pactiones fieri contra leges.

Καὶ εἰ ἀμφίβολος, ὥστε στρέφειν: καὶ ὁρᾶν ἐφ᾽ ὁπότερον τὴν ἀγωγὴν, ἢ τὸ δίκαιον ἐφαρμόσει, ἢ τὸ συμφέρον: εἶτα τούτῳ χρῆσθαι.

Et si ambigua fuerit, vt liceat distorquere ipsam, ac videre ad vtrum ductum aut iustum quadret, aut vtile: postea ipso vti.

Animadvertere praeterea opus erit, an ambigua lex sit, nec certum aliquem, vnumq; sensum habeat: vt liceat illam flectere, ac distorquere, &, quocunq; aliquis velit, ducere: videre enim tunc oportebit ad vtram eorum verborum structuram explicationemq; conueniet ac quadrabit: aut iustum, aut vtile, & illo ipso vti. στρέφειν valet hic torquere: quo sensu cepit quoque supra, cum inquit. τῇ λέξει μετατιθέναι, καὶ στρέφειν.

Καὶ εἰ τὰ μὲν πράγματα, ἐφ᾽ οἷς ἐτέθη ὁ νόμος, μηκέτι μένει: ὁ δὲ νόμος, πειρατέον τοῦτο δηλοῦν: καὶ μάχεσθαι ταύτῃ πρὸς αὐτόν.

Et si res, ob quas lata lex est, non amplius manent: lex vero, enitendum est hoc declarare, & pugnare hac ratione aduersus ipsam.

Attendere quoq; debemus, an res, quae causa, vt lex illa ferretur, fuerunt, amplius non maneant, sed abierint: lex tamen adhuc seruetur: atq; id notum facere, pugnareq; in eo contra legem: rebus enim ipsis mutatis, videtur legem quoq; mutari, abrogariue debere.

Ἐὰν δὲ ὁ γεγραμμένος ᾖ πρὸς τὸ πρᾶγμα, τότε γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ λεκτέον ἐστὶν, ὅτι οὐ τοῦ παρὰ τὸν νόμον ἕνεκα δικάζειν ἐστίν.

Si autem scripta lex causam nostram iuuet, tunc sententia optima existimare, dicendum est concessum esse, non vt aduersus legem iudicetur.

Quod si scripta lex nobiscum facit, cuncta illa aliter accipienda sunt: in primisq; γνώμῃ ἀρίστῃ iudicare, aliud valere dicendum est: cum autem, quomodo temptari leges possent, iam ostendisset, nunc, quomodo ipsis auctoritas acquiratur, docet: in vtranque enim partem locos dat: quod in omnibus his arte carentibus probationibus diligenter facit. Si legem nobiscum habemus, tunc vt facultatem aduersario eripiamus astuta illa ratione labefactandi eam: aditumq; hunc ipsi obstruamus, dicere debemus, quod permissum est iudicibus, existimare lites γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ:

ἀρίστῃ: non concessum illis esse, vt contra leges causas iudicent (hoc enim nullo modo faciendum) sed eius rei causa, quam ipse adiungit: callide autem hic quoque & vtilitati accommodate, partem illam iuris iurandi interpretatur.

Ἀλλ' ἵνα, ἐὰν ἀγνοήσῃ ὅ, τι λέγει ὁ νόμος, μὴ ἐπιορκῇ.

Sed vt, si forte ignorarit, quod lex dicit, non peieret.

SVPRA, cum contra leges oratorem armaret, dixerat γνώμῃ ἀρίστῃ vti, nihil aliud esse, nisi non omnino ad leges scriptas se referre. nunc quum, quomodo scriptas leges, defendere possit, doceat, aliter interpretari eum debere eadem illa verba demonstrat: ac dicere non excogitatum esse, γνώμῃ ἀρίστῃ causas iudicare, vt aliquid contra leges statueretur, sed euitandi periurij causa: cum enim iudices se leges seruaturos iurent, si forte vis ac sententia legis non bene ab ipsis percepta fuerit, ne scelus admittant, γνώμῃ ἀρίστῃ iudicare ipsis conceditur.

Καὶ ὅτι οὐ τὸ ἁπλῶς ἀγαθὸν αἱρεῖται οὐδείς, ἀλλὰ τὸ αὑτῷ.

Et neminem extare, qui sumat simpliciter bonum, sed, quod sibi ipsi.

NISI fallor, hoc argumentum excogitatum est contra superius illud, quo traditum fuerat iustum esse verum quiddam, & quod conduceret: non simulatum, ac quod speciem tantum illius retineret: vt enim illud, iustum esse perfectum quiddam absolutumq; probabat, & quod omnes veritatis vtilitatisq; numeros complesset, sic hoc, vsibus hominum illud accommodari non posse exemplo aliarum rerum, quae expetuntur ab hominibus, docet: nemo enim sumit absolute, vereq; bonum, sed quod ipsi bonum est. Id igitur in iure quoq; seruari debet: quae enim huic reipublicae, ac genti vtiles leges sunt, quamuis etiam a primo illo, veroq; vtili dissentiant, probari debent.

Καὶ ὅτι οὐδὲν διαφέρει, ἢ μὴ κεῖσθαι, ἢ μὴ χρῆσθαι.

Et nihil interesse, siue non scriptas esse leges, siue nullo in vsu esse.

NON oportere discedi a legibus hoc confirmat, a studio & opera, quae in illis condendis ponitur: cur enim tanta diligentia scribantur, si postea negligi debent? quod si illis non vti incipimus, possumus etiam ipsis condendis supersedere: & labore illo irrito carere: nihil enim refert non latas ipsas vnquam fuisse, aut nullo nunc in vsu esse.

Καὶ ὅτι ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις οὐ λυσιτελεῖ παρασοφίζεσθαι παρὰ τὸν ἰατρόν: οὐ γὰρ τοσοῦτον βλάπτει ἡ ἁμαρτία τοῦ ἰατροῦ, ὅσον τὸ ἐθίζεσθαι ἀπειθεῖν τῷ ἄρχοντι.

Et in alijs artibus non prodesse aliquid excogitare, veluti contra medicum: neque enim tantum obest erratum medici, quantum assuescere non parere illi, qui iustum imperium habet.

LIBRI quidam scripti, οἷον τὸν ἰατρόν: in antiquiss. neq; παρὰ, neq; οἷον, legitur: vidi etiam, in quo, vt in excusis, legatur: quam scripturam, vetus quoq; tralatio refert. Παρασοφίζεσθαι significat ab arte aliqua, praeceptisq; illius discedere, & callide malitioseq; aliquid excogitare, aut immutare. Athenaeus in v. lib. δειπνοσοφιστῶν hoc verbo vsus est, cum de caena, parum sumptuosa, loqueretur, in qua coquus verberibus male acceptus esset, quod aliquid ingenio suo arti addidisset, nec priscum ritum seruasset. Τὸν δὲ ἐν τῷ λυκείῳ κρέας ταριχηρὸν εἰς τάριχος διασκευάσαντα, μαστιγωθῆναι, ὡς παρασοφιζόμενον πονηρῶς. Sensus igitur huius loci hic erit. Ita etiam refelletur studium eorum, qui contra leges aliquid subtiliter excogitant, si dicetur contingere in hac re, quod in alijs artibus vsu venire videmus: neq; enim illic prodest velle ingeniosiorem & peritiorem, quam earum magistri, videri. Exempli gratia contra medicum de ijs, quae ad salutem suam pertinent, aegrotum sentire: & aliqua in re ipsum labi ostendere: neq; enim tantum detrimenti affert erratum aliquod ipsius, quantum mali importat praua consuetudo, non parendi illi, qui in aliquo negotio imperium habet, ac dominatur. lex eodē pacto inutilis non tantum nocet, quantū receptus malus mos noceret, iusta imperia dominorū in singulis reb. recusandi.

Καὶ ὅτι τὸ, τῶν νόμων σοφώτερον ζητεῖν εἶναι, τοῦτ' ἐστὶν, ὃ ἐν τοῖς ἐπαινουμένοις νόμοις ἀπαγορεύεται.

Et dare operam, vt sis sapientior, quam leges, hoc illud est, quod in laudatis legibus vetatur.

A CONSENSV quoq; probatarum legum, malum studium eius, qui legem reprehendat, ac vitium ipsius aliquod proferat, refellitur: vt si quis dicat, quod agit aduersarius est id, quod a rectis laudatisq; legibus in primis damnatur, ac prohibetur, velle studereq; aliquos se sapientiores legibus esse: volunt enim illae decretis legum acquiesci. Ad coërcendam autem audaciam hominum: sibiq; diuturnitatem acquirendam, cauere hoc debuerunt, nequis temere ipsis manus afferret: atq; emendare importune conaretur.

Καὶ περὶ μὲν τῶν νόμων, οὕτω διωρίσθω.

Et de legibus quidem ita explicatum sit.

OSTENDIT se, quae ad leges euertendas, aut confirmandas valent, tradidisse: prima autem ratio faciendae fidei artis expers, illa fuit: qua absoluta, alteram eiusdem generis probationem aggreditur: quae in testium dictis posita est.

Περὶ δὲ μαρτύρων: μάρτυρές εἰσι διττοί, οἱ μὲν, παλαιοί: οἱ δὲ, πρόσφατοι: καὶ τούτων, οἱ μὲν μετέχοντες τοῦ κινδύνου: οἱ δ', ἐκτός.

De testibus autem; testes sunt duplices, hi quidem prisci: hi vero recentes: atque horum: hi quidem participes periculi; hi vero extra periculum.

QVINTILIANVS, quae de testibus tradiderit, nota sunt: illa autem iudicialis generis propria esse videntur, cum quae hic traduntur, non minus ad deliberatiuum pertineant. testes igitur (inquit) hic Aristoteles, duum generum sunt; alij, prisci: alij, noui. Nouorum autem, partim, periculi participes, quod subit ille, pro quo testimonium dicunt: & qui si mendacij conuicti sint, paenas luunt: hoc enim periculum est, quod subeunt: partim extra positi, & ad quos nihil damni peruenire possit. Hac autem partitione facta, singula exemplis adiunctis explicat.

Λέγω δὲ παλαιοὺς μὲν τούς τε ποιητὰς, καὶ ὅσων ἄλλων γνωρίμων εἰσὶ κρίσεις φανεραί.

Voco autem priscos, poëtasq;, & quorumcunq; aliorum clarorum hominum iudicia de aliqua re facta, sunt valde nota.

APPELLO (inquit) veteres testes (nequis error in nominibus nascatur) poëtas, & quorumcunq; aliorum notorum hominum existimationes sunt illustres. duo igitur concurrant oportet, vt hoc aliquis genere testium recte vti possit; auctores eorum clari viri illustresq; sint: & iudicia ipsa perspicua, idest valde nota, & peruulgata, ne aduersarius id vmquam ab ipsis prolatum dicat: quod si aut personae, quae ita senserint obscurae fuissent, aut quamuis clarae, non tamen omnino constaret ita eos iudicasse, testimonia huiuscemodi nihil, aut parum valerent. Cum vero hi testes non tam frequentes essent, vel inauditi potius multis forent, qui in iudicijs versarentur, qui nam illi sint, exemplis declarat.

Οἷον Ἀθηναῖοι Ὁμήρῳ μάρτυρι ἐχρήσαντο περὶ Σαλαμῖνος.

Veluti Athenienses sunt vsi Homero teste contra Salaminios.

HAEC res a Graecis Latinisq; scriptoribus valde celebrata est. Quintilianus lib. v. Neque est
» ignobile exemplum: Megareos ab Atheniensibus cum de Salamine contenderent, victos Ho-
» meri versu, qui tamen ipse non in omni editione repperiretur: significans Aiacem naues suas
» Atheniensibus iunxisse. Laertius in Solone narrat non nullos affirmare ipsum in catalogũ Ho
» meri versum inseruisse, qui sequitur illum. Αἴας δ' ἐκ σαλαμῖνος ἄγεν δύο καὶ δέκα νῆας. hunc in-
» quam. στῆσε δ' ἄγων ἵν' ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες. Sed etiam Plutarchus in vita eiusdem. Philomelus quoq; Phocensis, concitator sacri appellati belli, cum persuadere ciuibus suis vellet, ne starent iudicio Amphictyonum, a quibus magna pecunia multati fuerant: doceretq; ipsos decreta eorum rescindere, atq; irrita suo iure facere posse, quod superioribus temporibus ipsi Delphici oraculi non participes tantum, sed custodes, ac praesides forent, vsus est testimonio Ho-
» meri, qui cecinit. αὐτὰρ φωκήων Σχέδιος, καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον, οἳ κυπάρισσον ἔχον, πυθῶνά τε πετρήεσσαν.
vnde planũ fieri templi eius curationẽ, principatumq; ad se pertinere: debereq; ipsos patrium ius, iniuria ereptum, repetere. Hoc memoriae prodidit Diodorus in xvj. libro historiarum.

Καὶ Τενέδιοι ἔναγχος Περιάνδρῳ τῷ Κορινθίῳ πρὸς Σιγειεῖς.

Et Tenedij modo Periandro Corinthio contra Sigienses.

EXEMPLVM

EXEMPLVM hoc est obscurius: nullam certe ego huius rei mentionem factam a veteribus alijs scriptoribus inueni. ex verbis his colligo, Tenedi insulae incolas, cum Sigiensibus disceptantes, vsos & ipsos prisco teste Periandro: qui, quamuis multis antea seculis mortuus esset, poëma reliquerat, quo praecepta quaedam ad bene viuendum, ὑποθῆκαι vocatae a Graecis, continebantur. Laërtius, qui vitam ipsius scripsit, hoc narrat: in eo autem, vt suspicari licet, aliquid fuit, quod causam Tenediorum adiuuaret. Iudicium autem illud paulo ante, quam hos libros scriberet Aristoteles, factum est, vt ex verbo ἔναγχος intelligimus: ἔναγχος enim nuper est, & modo. Interpres Apollonij, cum vim huius aduerbij declararet, Menandri comici auctoritate vsus est: cuius haec verba sunt. ἐγήμαμεν ἔναγχος.

Καὶ Κλεόφων κατὰ Κριτίου τοῖς Σόλωνος ἐλεγείοις ἐχρήσατο, λέγων, ὅτι πάλαι ἀσελγὴς ἡ οἰκία· οὐ γὰρ ἄν ποτε ἐποίησε Σόλων, Εἰπεῖν μοι Κριτίᾳ πυῤῥότριχι πατρὸς ἀκούειν.

Et Cleophon contra Critium Solonis elegijs vsus est, dicens, domum eam vetustis iam temporibus petulantem fuisse: numquam enim cecinisset Solon. Dic quaeso Critiae, vt parenti pareat.

CLEOPHON quoq; inquit, in oratione, quam habuit contra Critiam, ostendere volens familiam illam multo tempore antea contumacem improbamq;, siue delicatã, ac mollem fuisse (vtrunq; enim valet, quo vtitur philosophus, verbum ἀσελγὴς) prisco teste vsus est: nisi enim ita se res haberet (inquit) numquam in elegijs suis Solon cecinisset. » εἰπεῖν μοι Κριτίᾳ πυῤῥότριχι πατρὸς ἀκούειν. Critias autem, qui a Cleophonte insimulatus est, vnus è xxx. illis viris fuit, qui impositi a Lacedaemonijs, remp. Atheniensiũ fregerunt. ingenio autem ipsum multum valuisse, magnumq; oratorem, nec malum poëtam fuisse, veteres scriptores tradunt: nam eius etiam multos versus ex elegijs adducit Athenaeus libro x. δειπνοσοφιστῶν: ornasse vero antiquitus Critiae domum multos, ac claros poëtas, testatur Socrates apud Platonem in Charmide: ita enim illic inducitur adolescentẽ, vnde sermo appellatus est, alloquens: qui, & ipse in ea familia ortus erat, affirmansq; domum eius, & ab Anacreonte, & a Solone, & ab alijs multis poëtis, olim dilaudatam fuisse: vt quae inter alias omnes excelleret, & pulchritudine, & virtute, & omnibus alijs, quae vulgo crederentur efficere vitam beatam. Cum igitur Socrates affirmet Solonem celebrasse versibus suis antiquam Critiae stirpem, possessione praeclarorum bonorũ ceteris omnibus praestantem, quomodo eiusdem poëtae testimonio vti potuit accusator iunioris Critiae ad declarandam eiusdem domus improbitatem? Manifesto intelligitur ex verbis Solonis, quaedam peccasse in vita veterem Critiam: cum autem id doleret, Solon mandat illi, ad quem scribit, vt suadeat ipsi obtemperare patri. quod si fecerit Critias, affirmat eum optimum ducẽ, & qui non facile labi posset, secuturum: nihil tamen vetat, quin in familia quoq; honesta quandoq; aliquis existat, qui ad aliquod tempus non satis modeste temperanterq; viuat. Hoc igitur officium Solonis Cleophon, in peiorem partem accipiens, testimonio ipsius iam pridem insolentem, improbamq;, siue libidinibus deditam ostendere voluit praeclaram stirpem: versum vero hunc Solonis, & eum, qui ipsum consequitur, adducit Proclus, eruditissimus Platonis interpres, in Timaeum, sed aliquantum immutatum. Πυῤῥότριχι ne autem, an, vt apud eum legitur, ξανθότριχι legi debeat, non ausim affirmare. Reliqua vero scripturae varietas, sensum (vt opinor) non variat: siue enim εἰπεῖν μοι, siue εἰπέμεναι legatur quamuis indefinitum tempus sit, mandantis est: valetq; dic Critiae, & suade illi: μοι autem, vt hic legitur, quam vim in ea sententia habeat, planũ est: verba sane Procli haec sunt. » Ἐξηκεστίδου παῖδες ἐγένοντο Σόλων, καὶ Δρωπίδης: καὶ Δρωπίδου μὲν Κριτίας: οὗ μνημονεύει καὶ » Σόλων ἐν τῇ ποιήσει λέγων. Εἰπέμεναι Κριτίᾳ ξανθότριχι πατρὸς ἀκούειν. Οὐ γὰρ ἁμαρτινόῳ πείσεται ἡγεμόνι. Antiquissimus codex, quẽ secutus sum, habet Κλεόφων: quamuis Κλεόφρων emendatum illic alia manu sit. in reliquis manu scriptis, quos vidi, libris, legitur Κλεόφρων. Cleophontis cuiusdam magni viri Athenis, mentionem fecit Lysias in oratione contra Agoratum: interfectum autẽ eum publice docet studio illorũ, qui dominatum paucorum constituere volebant, & astute amatores veteris reip. è medio tollebant: Cleophontis vero oratoris, vt improbi, ac turbulenti ciuis, meminerunt, & Isocrates in oratione de pace, & Aeschines contra Ctesiphontem. Qui tenues pilos, eosdemq; rufos haberent, iuncta è duobus nominibus voce, a Graecis πυῤῥότριχες dicebantur. » Aristoteles problematum segmento illo, quo quae ad colorem pertinent disputat. καὶ πάν- » τες δὲ οἱ πρὸς ἄρκτον πυῤῥότριχες. Gratus autem hic capillorum color in pueris erat, quod etiam Theocritus in vij. Idillio declarat: quos enim pueros laudat, huiuscemodi comas habuisse tra- » dit. ἄμφω τὼ δ' ἤτην πυῤῥοτρίχω: ἄμφω δ', ἀνάβω.

Περὶ μὲν οὖν τῶν γενομένων, οἱ τοιοῦτοι μάρτυρες· περὶ δὲ τῶν ἐσομένων καὶ οἱ χρησμολόγοι. οἷον Θεμιστοκλῆς, ὅτι ναυμαχητέον τὸ ξύλινον λέγει τεῖχος.

De rebus igitur praeteritis huiuscemodi testes sunt: de futuris autem, vates etiam.

veluti Themistocles, qui inquit murum ligneum ostendere, classe pugnandum esse.

OSTENDIT se explanasse de rebus praeteritis, qui testes sint è genere eorum testium, quos veteres vocauit. quosdam vero de rebus etiam futuris eiusdem generis esse dicit, vt augures, & qui fundunt oracula: nam Themistocles etiam ipse, cum in naues confugere oportere diceret, testimonio sententiam suam firmauit, oraculumq; testem citauit. Thucydides in primo libro hanc rem narrat. Herodotus vero in Polymnia Pythiae etiam ipsius carmen posuit: etenim, cum de Themistocle antea multa protulisset, addidit. παρασκευάζεσθαι ὧν αὐτοὺς, ὡς ναυμαχήσοντας συνεβούλευε, ὡς τούτου ἐόντος τοῦ ξυλίνου τείχεος. Antiquissimus hic liber, a ceteris omnibus discrepans, λέγων habet, non λέγει.

Ἔτι καὶ αἱ παροιμίαι, ὥσπερ εἴρηται, μαρτύριά ἐστιν.

Amplius & prouerbia, quemadmodum dictum est, testimonia sunt.

SVPRA nusquam dixit, prouerbia testimonij genus esse, quod tradidisse se his verbis affirmare videtur. Sensus igitur huius loci, & quid intellexerit, diligenter attendendum. An significare voluit eius generis, cuius antea ostendimus: idest prouerbia quoq; sunt testimonia prisca: huiuscemodi enim illa esse planum est.

Οἷον, εἴ τις συμβουλεύει μὴ ποιεῖσθαι φίλον γέροντα, τούτῳ μαρτυρεῖ ἡ παροιμία: μήποτ᾽ εὖ ἔρδειν γέροντα.

Veluti, si quis suadet non parare sibi amicum senem, huic seruit, tamquam testimonium, prouerbium illud, non oportere beneficium conferre in senem.

SIQVIS (inquit) suadet cuipiam ne studeat amicum sibi senem hominem facere: confirmare consilium suum, tamquam teste, perulgata voce potest, quae est. cauere sibi quemq; debere, ne collocet beneficium apud senem.

Καὶ τὸ, τοὺς υἱεῖς ἀναιρεῖν, ὧν καὶ τοὺς πατέρας. Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείποι.

Et eodem pacto si quis auctor est cuipiam, vt filios interimat, quorum parentes necauit. Stultus, qui cum patrem interfecerit, filios viuos relinquat.

PRAETEREA si quis hortatur quempiam, vt liberos eorum tollat, quorum patres iam necarit, & ipse tamquam testem, producere prouerbium potest: saeua enim haec etiam, scelerataq; sententia, peruulgata voce, tamquam teste aliquo incorrupto, firmari poterat: ac tritum prouerbium Graecis erat, quod stultitiae illum damnabat, qui cum patrem interemisset, filios viuos relinqueret: illud autem antiquarum rerum auctores tradunt Philippum, Macedonum regem, in ore semper habuisse: cum enim multos (inquiunt) vita priuasset, post caedem factam adiungere hunc versum solebat. Falso autem putat Maioragius, Philippum hunc fuisse Alexandri patrem: nihil enim huiuscemodi de ipso memoriae proditum est: fuit enim magnanimus ac generosus rex: nec vmquam necesse habuit, cum rebus suis prosperis vsus esset, tam feram sententiam amare, & factis etiam exprimere. Persei vero pater, cum quo bellum gesserunt Romani, saeuus admodum fuit: multaq; gessit, quae significant id, quod saepe fecit, ipsum etiam animo probasse: &, vt accommodatum regno suo tuendo, laudasse. nam praeter quam quod T. Liuius quaedam de illo narrauit, quae conueniunt tali consilio ac voluntati, non longe etiam a principio x. libri de bello Macedon. & Asiat. hoc ipsum eum dicere solitum commemora-
» uit. verba eius haec sunt. His ferox animus omnes homines, omnia loca temporaq; suspecta
» habebat, postremo negare propalam coepit, satis tutum sibi quicquam esse, nisi liberos eorum,
» quos interfecisset, comprehensos in custodia haberet, & tempore alium alio tolleret. Herodotus etiam in sermone, quem fecit habuisse Cyrum, Persarum regem, cum Croeso, audita defe-
» ctione Lydorum, id posuit. ὁμοίως γάρ μοι νῦν γε φαίνομαι πεποιηκέναι, ὡς εἴ τις πατέρα ἀποκτείνας, τῶν
» παίδων αὐτοῦ φείσαιτο, ostendens veterem suam clementiam eorum malorum causam fuisse, qua si vsus non esset, Lydi deficere tunc non potuissent. merito igitur omnia euenire sibi affirmat, qui veteri prouerbio non paruerit. Νήπιος in hexametro, quo prouerbium exponitur, non aetate puerum, sed imbecillitate consilij, significat. quo intellectu παῖδα etiam capere optimi scriptores consuerunt: παῖδα enim ἀποδεῖξαι dicunt, cum significare volunt aliquem fecisse sapientia sua, vt qui antea valere aliqua in re existimabatur, ab omnibus ignarus eius, rudisque intelligatur.

Πρόσφατοι δ᾽, ὅσοι γνώριμοι κεκρίκασι τι: χρήσιμοι γὰρ αἱ τούτων κρίσεις τοῖς περὶ τῶν αὐτῶν ἀμφισβητοῦσιν.

Recentes autem ſunt, quicunque noti homines exiſtimarunt de aliqua re: fructum enim ferunt huiuſcemodi iudicia illis, qui de iiſdem rebus controuerſantur.

CVM omnia genera veterum teſtium explicaſſet, de recentibus nunc agit: illos autem ſupra partitus fuerat: & alteros ipſorum, expertes periculi: alteros vero, participes, dixerat. prius igitur genus nunc tractat: hi autem ſunt, qui aliquanto antea, non magno tamen interuallo, quid in animo haberent de aliqua re, ediderunt: non putantes ei, qui poſtea vtitur ipſo, iudicium illud ſuum profuturum. Noui autem (inquit) teſtes ſunt: qui & noti illuſtresq; ſunt: & antea, quid de aliqua re ſentirent, aperuerunt: vtiles enim ipſorum exiſtimationes iudiciaq; ſunt, ijs, qui de ijſdem rebus ambigunt.

Οἷον Εὔβουλος ἐν τοῖς δικαστηρίοις, ἐχρήσατο κατὰ Χάρητος, ὃ Πλάτων εἶπε πρὸς Ἀρχίβιον.

Veluti Eubulus in iudicijs, vſus eſt in Charetem illo, quod Plato dixit in Archibiũ.

HOC alibi a me lectum non eſt: quod ſi in hiſtoriam incideremus, nullus ſcrupulus reſtaret. Vocem, qua prius vſus fuerat Plato aduerſus Archibium, arripuit Eubulus, cum in iudicio contra Charetem diceret: atque ipſum accuſaret: habuit autem illa vim teſtimonij: intelligitur enim Plato, auctor ipſius, ita ſenſiſſe: qui, cum adhuc viueret: quamuis antea id protuliſſet, merito, vt noui recentisq; exemplum adfertur: clarum autem & illuſtrem ſapientia, quod in primis requirebatur, fuiſſe Platonem, viuum etiam, dubitare non poſſumus. Cur vero multitudinis numero ἐν δικαστηρίοις dixerit, quaerendum: videtur enim ſignificare voluiſſe Eubulum in foro iudicioque ſententiam Platonis protuliſſe, quam ille in diſputatione colloquioq; aliquo edidiſſet. In tertio horum librorum vnitatis numero vſus eſt, cum quod in Pitholaum, & Lycophronem in foro iactum ab inimico eſſet, narraret. Eubulum autem (vt arbitror) intelligit oratorem, cuius ſaepe Demoſthenes mentionem fecit: cum eodem tempore in rep. Athenis adminiſtranda verſati ſint.

Ὅτι ἐπιδέδωκεν ἐν τῇ πόλει τὸ ὁμολογεῖν πονηροὺς εἶναι.

Creuiſſe in ciuitate numerum eorum, qui ſe faterentur improbos eſſe.

QVOD increbreſcit haec res, ac vires ſumit: cotidieq; plures repperiuntur, qui confiteantur ac prae ſe ferant, ſe improbos eſſe: exiſtimentq; id ſibi laudi futurum: quia autem ſententia admirabilis eſt, debuit teſtimonio grauis alicuius viri confirmari, qui de eadem re eodem pacto ſenſiſſet. Ab Ariſtophane Equitibus inducuntur Cleon Agoracritusq; huius gloriae cupidi: concertantes enim inter ſe de plurimis alijs rebus, de hoc etiam in contentionem veniunt. Probationem, quam appellauit Quintilianus rumorem, ac famam, Graeci autem oratores ἠχὼν vocant, huc referri arbitror oportere: & eſſe ſpeciem noui illius teſtimonij, quod extra periculum conſtitutum eſt: auctores namq; huius vulgo diſſeminatae opinionis incerti ſunt: nec videntur, quamuis falſum protulerint, poſſe plecti. In recentibus autem potius, quam priſcis teſtimonijs numerari debere videtur, quia plerunq; paulo antea illa excitata eſt, non vt prouerbia, multis antea ſeculis frequentata. Quomodo autem illa temptari debeat: & eidem quoque fides comparari, oſtendit Quintilianus. Ille, cui Demoſthenes ſcripſit orationem, qua prouocaret ad iudices, a popularibus ſuis è tribu ſententijs ipſorum eiectus, cum premeretur hoc rumore ac fama, diligenter contra eã diſputauit: ac nullã ipſi auctoritatẽ habendam multis argumentis docuit: initio autẽ illa eius orationis poſita ſunt, quae inſcripta eſt ἔφεσις πρὸς Εὐβουλίδην.

Καὶ οἱ μετέχοντες τοῦ κινδύνου, ἂν δόξωσι ψεύδεσθαι.

Et qui participes periculi ſunt, ſi viſi fuerint vſi mendacio.

PRAETEREA, qui periculi participes ſunt, ſi in mendacio deprehendantur, teſtes noui ſunt. non ſunt autem ita appellati, quia interſit eorum, quid de cauſa iudicetur: neq; enim res ipſorum agitur, ſed quia, ſi dixerint rem factam eſſe, quae facta non ſit: ſiue contra, aut mercede corrupti, aut gratificantes alicui: idq; intellectum fuerit, ſupplicio afficiuntur, cum ſuperiores extra omnem aleam periculi ſint: quomodo enim in priſcos aliquis teſtes animaduertat? ſed nec illis etiam, qui paulo antea, quid ſui iudicij de aliqua re foret, protulerunt, ſi forte quiſpiam eorum praeiudicio poſtea vtitur, ea res fraudi eſſe poteſt: neque enim ipſi ei auctores fuere, vt exiſtimatione ſua vteretur: neque ſponte reum premunt: aut eundem iudicio illo ſuo

sublevant. quare ne si ipsorum quoque postea iudicium probatum non fuerit, expositi periculo, aut paenae ulli sunt. Animaduertenda autem verba, quibus vsus est: non enim omnino (inquit) participes periculi, sed tunc cum visi fuerint mentiri. δόξωσιν autem, quia, si credantur etiam mendaces falsiq; , non tantum si fuerint, plectuntur.

Οἱ μὲν οὖν τοιοῦτοι τῶν τοιούτων μόνον μάρτυρές εἰσι: γέγονεν, ἢ μή: ἔστιν, ἢ μή: περὶ δὲ τοῦ ποῖον, οὐ μάρτυρες. οἷον, εἰ δίκαιον, ἢ ἄδικον, ἢ συμφέρον, ἢ ἀσύμφορον.

Huiuscemodi igitur rerum huiuscemodi solum testes sunt, factum sit, vel non sit, est, vel non est: qualis autem res sit: minime testes sunt. veluti si iusta, vel iniusta, vtilis, vel inutilis.

A QVIBVS si quicquam mentiti fuerint, periculum non abest, de ijs tantum rebus testes sunt: intelligit autem, quos paulo ante μετέχοντας κινδύνου appellauit: ijs enim tantum fides habetur, cum quaeritur factum ne aliquid, an non factum sit: &, vt de praeteritis rebus, ita etiam de instantibus: non tamen in testimonio ipsorum tantum pondus est, vt quales res esse dixerint, tales omnino habeantur: neque enim audirentur, si praeterea aliquid afferrent, quo id, quod factum est, aequum, aut iniquum fuisse: emolumentum, aut detrimentum importasse dicerent: suspecti enim merito sunt: existimariq; facile possunt, aut reo, aut accusatori studio suo satisfacere voluisse. quare, quidquid praeter hoc proferunt, respuitur: nec auctoritatem vllam habet: hoc enim arbitror valere, ipsos non esse harum rerum testes. Quod autem ab excusis aberat: in scriptis vero omnibus a me inuentum verbum est, μόνον, restitui: id autem non parum sententiam hanc adiuuat: docet enim quibus solis quaestionibus confirmandis haec testimonia fidem adhibeant. Sed in hoc etiam restituto verbo, qui illud custodierunt, concordes non reperi scriptos codices: quidam enim multitudinis numero, patrio casu, μόνων: quidam vero μόνοι, vi aduerbij assumpta, habent.

Οἱ δ' ἄπωθεν, καὶ περὶ τούτων πιστότατοι.

Illis autem, qui remoti sunt, de his quoque maxima fides habetur.

QVI remoti sunt tempore (ita autem vocat: neq; enim tunc ipsum proferunt, quod causam adiuuet, aut laedat: sed ante quam lis illa exorta esset, ediderunt, quod eo nunc traducitur) qui igitur remoti sunt, non de illis tantum, verum etiam de ijs idonei sunt testes: ac si quid suae sententiae sit, de aequitate, aut iniquitate rei, quae versatur in iudicio, protulerint: siue conducat re illa, an noceat, eorum dictis non parua fides habebitur: neq; enim ipsi, aut spe, aut metu rerum suarum, vt superiores, corrumpi potuerunt, quae periculum nullum subeunt. Discrimen hoc etiam antiquissimi libri non reticebo, quod hic ille τοιούτων: supra autem τούτων, contra, atq; in reliquis scriptis, non excusis modo, legatur.

Πιστότατοι δὲ οἱ παλαιοί: ἀδιάφθοροι γάρ.

Maxime autem digni, quibus credatur, sunt veteres: corrumpi enim non possunt.

PRISCI in primis testes summam auctoritatem habent: quia procul ab omni suspicione corruptelae sunt, cum multis antea temporibus vixerint: sed illi etiam, qui extra discrimen omne, ac periculum collocati sunt: quamuis propinqui tempore sint: nec multo antea de simili re iudicia fecerint, cum cogitare non potuerint, quo sententia ipsorum traduci aliquando debebat, fide digni merito habentur: illisq; credere facile homines consuerunt: multum enim retinent eius, quod fidem adiungit veteribus. Cum vero in excusis hic antea, & non nullis scriptis particula γάρ, qua causa redditur, ter posita in continentibus tribus membris foret: idq; durum videretur: nec satis belle sententiae conuenire, secutus fidem antiquissimi exemplaris, ita locum restitui: πιστότατοι δὲ οἱ παλαιοί: ἀδιάφθοροι γάρ: πιστώματα δέ. Sed vetus quoque tralatio hanc lectionem reddit.

Πιστώματα δὲ παρὰ μαρτυριῶν.

Auctoritas autem fidesq; requiritur a testimonijs.

DVCVNTVR (inquit) a testimonijs auctoritates, & qui parum fidei habent, non valde causam adiuuare possunt: huiuscemodi autem sunt, qui mercede corrumpi potuerunt, quod a veteribus abest.

Μάρτυρας μὲν μὴ ἔχοντι, ὅτι ἐκ τῶν εἰκότων δεῖ κρίνειν: καὶ τοῦτ' ἐστὶ τὸ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ.

Testes

Testes autem non habenti, dicendum est è verisimilibus oportere de rebus existimare, atque hoc esse, optima sententia vti.

CVM quot genera testium sint: & quibus rebus probandis singuli vtiles, aut inutiles, accurate docuerit, quibus nunc argumentis, & augeri possit auctoritas ipsorum, & minui, ostendit: in vtramq; enim partem disputat: primumque, quid adferre debeat, destitutus illis, declarat, vt tempori illi suo, inopiaeq; testium seruiat. poterit igitur (inquit) dicere officium esse iudicum ex verisimilibus de litibus existimare. quod si fecerint, optima sententia, menteq; causam iudicaturos: verisimilia enim signaq; perpendere, est ἀρίστῃ γνώμῃ iudicare. Hoc vero fecit Cicero pro M. Caelio, cum copiam testium non haberet, causaque aduersariorum ipsis niteretur: eripere enim testibus auctoritatem, & argumentationibus adiungere studuit. Equidem vos abducam a testibus: neq; huius iudicij veritatem, quae mutari nullo modo potest, in voluntate testium collocari sinam: quae facillime effingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri potest. Argumentis agemus: signis, omni luce clarioribus, crimina refellemus: & quae sequuntur.

Καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν ἐξαπατῆσαι τὰ εἰκότα ἐπ' ἀργυρίῳ.

Et nemini licere verisimilia pecunia deprauare.

CONTERET etiam fidem testium: argumentationumq; augebit, qui dicet non posse adumbrari: a veroq; abduci verisimilia, pecunia, vt passim testes mercede corrupti inueniuntur: in hac autem sententia, verbis Graecis expressa, est animaduertenda vis verbi ἐξαπατῆσαι: neque enim ita accipi debet, quasi verisimilibus imponatur, ac fraus aliqua ipsis adhibeatur, sed valet, non possunt deprauari: est enim aliquo modo decipere quempiam, persuadere illi muneribus, vt falsum in iudicio proferat.

Καὶ ὅτι οὐχ ἁλίσκεται ψευδομαρτυριῶν τὰ εἰκότα.

Et non damnari solita verisimilia falsi testimonij crimine.

ARGVMENTIS quoq; auctoritatem ac pondus affert, quod sententijs iudicum numquam illa damnata sunt, quemadmodum multi, qui testimonium dixerunt conuicti, paenaq; affecti sunt: inde autem id prouenit, quod non mentiuntur: nec fallunt.

Ἔχοντι δὲ, πρὸς μὴ ἔχοντα, ὅτι οὐχ ὑπόδικα τὰ εἰκότα.

Illi vero, qui habet, aduersus non habentem, non posse in iudicium rapi verisimilia.

HAEC pro testibus contra argumenta: alteram enim partem nunc ornat. Oportere magis credi testibus, quam argumentis: testes enim metu paenae, quam subirent, si falsi aliquid proferrent, in officio contineri: verisimilia & signa non posse in iudicium vocari, nec legibus tradi. Licenter igitur impuneq; mentiuntur. ὑπόδικος vocatur, qui legibus tenetur, qui in ius rapi potest. in rhetorica ad Alexandrum. Καὶ ὁ νομοθέτης οὐκ ἀφῆκε τοὺς ἐξαμαρτάνοντας, ἀλλ' ὑποδίκους ἐποίησε: ὅπως μὴ πάλιν τις ἐξαμαρτάνωνται. sed iudicibus tradidit, ac legibus subiectos esse voluit.

Καὶ ὅτι οὐδὲν ἂν ἔδει μαρτυριῶν, εἰ ἐκ τῶν λόγων ἱκανὸν ἦν θεωρῆσαι.

Et nihil opus fuisse testium dictis, si satis in argumentis fuisset ad veritatem perspiciendam.

ALTERVM argumentum, confirmans auctoritatem ac fidem testium: argumentationum vero frangens, a consuetudine hominum ductum: quod enim vsu receptum est, id vtilitatem habere credi debet. postquam igitur prudentes viri iudicarunt testes audiendos esse, non tantam vim esse statuerunt in argumentis, vt ex illis solis alicuius facti veritas intelligeretur. Non variaui hic lectionem: quamuis in multo maiore parte scriptorum codicum μαρτύρων legatur: & vetus quoq; tralatio eam vocem reddat: quia in antiquissimo omnium μαρτυριῶν inueni: id tamen notum esse volui.

Εἰσὶ δὲ αἱ μαρτυρίαι, αἱ μὲν περὶ αὐτοῦ: αἱ δὲ, περὶ τοῦ ἀμφισβητοῦντος: καὶ αἱ μὲν, περὶ τοῦ πράγματος: αἱ δὲ, περὶ τοῦ ἤθους.

Sunt autem testimonia partim quidem de se met ipso: partim autem de aduersario: & haec quidem de re: haec autem de moribus.

VTILITATEM testimoniorum ostendit, & quemadmodum nemo fere in iudicio vllo illis vti

non

non possit: nam aut de se ipso, aut de aduersario: siue de facto, siue de vita & moribus testimonium proferendi facultatem habebit.

Ὥστε φανερὸν, ὅτι οὐδέποτε ἐστὶν ἀπορῆσαι μαρτυρίας χρησίμης.

Quare perspicuum est, numquam futurum, vt aliquis egeat testimonio vtili.

CVM supra praecepta dedit illis, qui testes non haberent, manifesto indicauit contingere aliquando posse, vt alicui testes desint: nunc vero affirmat tam male numquam nobiscum agi posse, vt destituamur μαρτυρίας χρησίμης: ac vacui omnino simus a testimonio, quod ad causam nostram subleuandam aliquantum valeat: nec tamen locus hic illi aduersatur: aliud enim testis est: aliud testimonium. testimonia, praeter testium dicta, vocauit & auctoritates sapientum, & praeiudicia, & prouerbia: quae cum tot sint, & tam multis modis causam nostram adiuuent (aut enim personam nostram constituunt, aut premunt aduersarij, aut de re, aut de vita & moribus sunt) vere narrat fieri numquam posse, vt quispiam omnibus simul careat. testes non esse alicui intellexit, cum homines, qui praesentes fuerint, quum res gesta est, aut ab illis, qui aderant, acceperint, illi desint. Μαρτυρίας vero non ἀπορίας, vt in excusis antea erat, scribi debere, & antiqui codices, & res ipsa, diligenter spectata, declarant.

Εἰ μὴ γὰρ κατὰ τοῦ πράγματος, ἢ αὐτῷ ὁμολογουμένης, ἢ τῷ ἀμφισβητοῦντι ἐναντίας, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἤθους, ἢ αὐτοῦ εἰς ἐπιείκειαν, ἢ τοῦ ἀμφισβητοῦντος εἰς φαυλότητα.

Nisi enim de re, siue quod prosit causae ipsius, siue, quod obsit aduersarij, de moribus tamen, siue ipsius ad modestiam, siue aduersarij ad improbitatem indicandam.

NISI testimonium (inquit) quod rem, de qua in iudicio agitur, tangat, habebimus, de indole naturaq; nobis deesse non poterit: quod scilicet, aut mores nostros commendet, aut aduersarij criminetur: nam, quod ad rem ipsam pertinet, duobus modis adiuuare potest: aut si rem factam docet, vt ipse oratione ostendit: aut si contra atque aduersarius demonstret.

Τὰ δ' ἄλλα περὶ μάρτυρος, ἢ φίλου, ἢ ἐχθροῦ, ἢ μεταξὺ, ἢ εὐδοκιμοῦντος, ἢ ἀδοξοῦντος, ἢ μεταξὺ: καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται διαφοραὶ ἐκ τῶν αὐτῶν τόπων λεκτέον, ἐξ οἵων περ καὶ τὰ ἐνθυμήματα λέγομεν.

Cetera autem de teste, vel amico, vel inimico, vel interiecto inter hos, siue probato viro, siue infami, siue medio: & quaecunque alia discrimina huiuscemodi sunt, sumere debemus ex ijsdem locis, ex quibus argumenta ducimus.

RELIQVA (inquit) quae in testis persona considerari possunt, ac fidem ipsius variant, ex ijsdem locis sumenda sunt, vnde enthymemata duci ostendimus, cum quidpiam esse, aut non esse probare volumus: si testis scilicet, aut amicus, aut inimicus, aut neuter: si spectatae fidei, aut improbatae, aut neutrius: vocat autem εὐδοκιμοῦντας, qui bonae existimationis sunt: ἀδοξοῦντας vero infames, & de quibus cuncti male sentiunt: medios inter hos, qui non sunt insignes, aut turpitudine vitae, aut dignitate. Si qui pro nobis testimonium dicit, improbus existimatur, dicemus è medio illo hominum genere esse: si pro aduersario stat, qui mediam naturam habeat, eum esse deterrimae notae: pessimeq; de illo omnes existimare affirmabimus.

Περὶ δὲ τῶν συνθηκῶν, τοσαύτη τοῦ λόγου χρῆσίς ἐστιν, ὅσον αὔξειν, ἢ καθαιρεῖν, ἢ πιστὰς ποιεῖν, ἢ ἀπίστους: ἂν μὲν αὐτῷ ὑπάρχωσι, πιστὰς καὶ κυρίας: ἐπὶ δὲ τοῦ ἀμφισβητοῦντος, τοὐναντίον.

De pactis autem tantus orationis vsus est, quantum licet augere, vel extenuare, vel digna, quibus credatur, efficere, vel indigna: si namque ipsi fuerint, quibus credatur, digna esse dicere & rata: si pro aduersario, contra.

QVOD ad pacta (inquit) & conuenta pertinet, nulla alia in re locum habet oratoris industria facultasq;, nisi vt augeat illa, aut conterat: fidem illis adiungat, aut eripiat: idest dicendo probet pacta illa, quae feruntur, facta fuisse, atque ita inter eos olim conuenisse, siue ficta nunc, & commenticia esse: hoc enim est reddere pactiones πιστὰς, & ἀπίστους: argumentando autem hoc praeclare efficere orator potest. Reliqua vero ad eum deferantur necesse est: nec enim artificio suo illas gignere valet. Tempora autem statim ostendit, quibus hoc, aut illud fieri debeat: si enim (inquit) ipsi adsint, & causae, quam suscepit prosint, omnia facere ipsum oportet, vt certa rataq; habeantur.

habeantur. Si pro aduersarijs sunt, omnem fidem illis auferre, ac dicere falso prolata ab aduersarijs esse, atq; inania. Antiquissimus vero liber a reliquis omnibus discrepat, quod multitudinis numero, τῶν λόγων habet.

Πρὸς μὲν οὖν τὸ πιστὰς, ἢ ἀπίστους κατασκευάζειν, οὐδὲν διαφέρει τῆς περὶ τοὺς μάρτυρας πραγματείας: ὁποῖοι γὰρ ἄν τινες ὦσιν οἱ ἐπιγεγραμμένοι, ἢ φυλάττοντες, τούτοις αἱ συνθῆκαι πισταί εἰσιν.

Ad reddendas igitur tabulas fidas, vel infidas, non discrepat ratio haec a praeceptione circa testes: quales enim fuerint, qui signarunt tabulas, aut qui seruant, his rebus fides ipsis habetur.

QVOMODO illae tractari debeant nunc docet: quod ad fidem dicens pactionibus acquirendam, aut eripiendam pertinet, huic rei praecepta illa omnia vtilia sunt, quae testibus, aut firmandis, aut infirmandis, valent: nec discriminis aliquid est, hoc ne, an illud agatur: ex ijsdem enim locis argumenta promuntur: quales enim ait, fama, & existimatione fuerint, qui tabulas obsignarunt, aut custodierunt, quibus pacta continentur, talis opinio de tabulis erit: si obsignatores earum custodesq; honesti viri, pacta quoq; facta credentur: si contra improbi, ficta illa falsaque habebuntur: pendet enim inde omnis ipsarum auctoritas, & fides: ἐπιγεγραμμένους vero cum vocet, intelligit, quos Quintilianus signatores appellat, vbi de tabulis disputat: tabulas enim vocat, quas Aristoteles συνθήκας. Cicero easdem pacta, & conuenta. sed etiam, cum de testibus ageret, eadem voce vsus est: nam per tabulas quoq; testimonia tunc dicebantur. Quod ad custodes pertinet, infamari tabulas ipsorum improbitate: innocentia autem commendari,
» testatur etiam Cicero pro Archia poëta. Nam cum Appij tabulae negligentius asseruatae dice-
» rentur: Gabinij quam diu incolumis fuit leuitas: post damnationem calamitas, omnium tabu-
» larum fidem resignasset: & quae sequuntur.

Ὁμολογουμένης δ' εἶναι τῆς συνθήκης, οἰκείας μὲν οὔσης, αὐξητέον: ἡ γὰρ συνθήκη, νόμος ἐστὶν ἴδιος, καὶ κατὰ μέρος.

Cum ambo concedunt tabulas extare, si causae suae accommodatae sunt, augere ipsas opus est: pactum enim lex est propria, & singularis.

CVM in disceptationem non venit confectae ne sint tabulae, an non, sed constant pacta illa, & conuenta, officium vnum restat oratoris, vt eas augeat, aut conterat: augeat, si secum faciunt: deprimat, si pro aduersario stant: quomodo vero illae verbis augeri possint, primum ostendit: atque id multis argumentis: quorum primum est pactionem esse legem propriam, vt cum vim habeat legis apud personas illas, quae ita inter se pepigerunt, non minus, ac lex, rata haberi debeat.

Καὶ αἱ μὲν συνθῆκαι οὐ ποιοῦσι τὸν νόμον κύριον: οἱ δὲ νόμοι τὰς κατὰ τὸν νόμον συνθήκας.

Et pacta quidem non reddunt legem ratam: leges autem pacta, quae ex lege confecta sint.

PACTA non reddunt legem firmam ratamque, quia quod pepigerunt duo pluresue inter se non astringit reliquos: leges vero, pactiones, quae legibus non repugnant, firmant: conuenerunt enim omnes legibus seruandis: pactionesq; illae communes singulos etiam ciues astringunt. quare, cum a legibus corroborentur, validae rataeq; haberi debent.

Καὶ ὅλως αὐτὸς ὁ νόμος συνθήκη τίς ἐστιν. ὥστε ὅστις ἀπιστεῖ, καὶ ἀναιρεῖ συνθήκην, τοὺς νόμους ἀναιρεῖ.

Et demum ipsa lex pactio quaedam est. quapropter quicunque non credit ipsi, & interimit pactum, leges interimit.

AB auctoritate legum, auctoritatem pactis acquirit hoc argumentum: vult enim pacta genus esse legum, cum leges etiam ipsae scriptae, ex pacto & conuentu seruentur. quare inquit, quicunque fide digna non putat pacta: ipsaq; euertit, leges simul euertit, ac delet: sublato enim genere species quoq; ipsius auferuntur: nemo autem diceret omnes leges abrogandas.

Ἔτι δὲ πράττεται τὰ πολλὰ τῶν συναλλαγμάτων, καὶ τὰ ἑκούσια, κατὰ συνθήκας: ὥστε ἀκύρων γιγνομένων, ἀναιρεῖται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων.

Amplius

Amplius autem fiunt multi contractus, & quae sponte homines gerunt, per pacta, quapropter redditis illis inualidis, interimitur omne commercium hominum inter se.

QVID συναλλάγματα sint, & quomodo Latine appellentur, docet Vlpianus iurisconsultus de verborum significatione. Contractum autem vltro citroque obligationem esse, quod Graeci συνάλλαγμα vocant, veluti emptionem, venditionem, locationem, societatem. Cum doceat autem, quod incommodum sequeretur, si ratae pactiones non haberentur, & omnis auctoritas earum conuelleretur, non parum ita quoq; auget ipsarum fidem. incommodum autem magnum est: tolleretur enim (inquit) omne commercium hominum, sublatis illis: & nihil fere amplius ipsi inter se contrahere possent: maior enim pars rerũ, quas illi gerunt: sponteq;, non coacti administrant, pactis ac conuentis continetur.

Καὶ τ' ἄλλα δὲ, ὅσα ἁρμόττει, ἐπιπολῆς ἰδεῖν ἐστιν.

Et cetera, quaecunque congruunt, in promptu est videre.

FINEM imponit explicationi eorum, quae pro pactionibus afferuntur: non, quod sola haec sint, sed quia a quolibet reliqua perspici facile excogitariq; possint: cum autem ἐπὶ πολλοῖς antea in excusis mendose legeretur, secutus testimonium antiquissimi libri, & rem ipsam, maculam deleui: vt orationem vero distingueret, ac variaret, quae hic ἐπιπολῆς dixit, infra δῆλα ἐστι appellauit: nam idem exprimere eum voluisse verbis ipsius cognosci potest: nullum autem negotium (inquit) est alia, quae congruere huic quaestioni possunt, inde cognoscere. τὰ ἐπιπολῆς (nisi fal-
» lor) Cicero eminentia, & prompta appellauit in iij. de Oratore. Discutienda sunt ea, quae ob-
» scurant: & ea, quae sunt eminentia, & prompta sumenda. In proaemio vero primi libri ma-
» nifesto hunc sermonem expressit, cũ inquit. Sed cum illa pateant: in promptuq; sint omnibus.

Ἂν δ' ἐναντία ᾖ, καὶ μετὰ τῶν ἀμφισβητούντων, πρῶτον μὲν, ἅπερ ἄν τις πρὸς νόμον ἐναντίον μαχέσαιτο, ταῦθ' ἁρμόττει.

Si vero pactio contraria fuerit, & pro aduersarijs steterit, primum quidem, quibus aliquis pugnaret aduersus legem oppositam, haec congruunt.

QVOMODO pactio conuelli, fideq; spoliari possit, docet. si opposita nobis erit (inquit) ac partes aduersariorum adiuuerit, primum quaecunq; supra ostendimus contra legem, nobis aduersam, dici posse, eadẽ accommodata erunt ad auctoritatem pactionis minuendam: quae autem illa sint, quomodoq; ratio haec tractari possit, ostendit.

Ἄτοπον γὰρ, εἰ τοῖς μὲν νόμοις, ἂν μὴ ὀρθῶς κείμενοι ὦσιν, ἀλλ' ἐξαπατῶσιν οἱ τιθέμενοι, οὐκ οἰόμεθα δεῖν πείθεσθαι: ταῖς δὲ συνθήκαις, ἀναγκαῖον.

Absurdum namque est, si legibus quidem, nisi recte scriptae fuerint, sed qui tulerunt, eas deceperint, non putamus obtemperare oportere: paucis autem necesse nobis esse censemus.

VIS huius argumenti haec est. Si consueuimus inutiles leges abrogare: nulloq; pacto censemus parere illis oportere, cur dubitemus iniqua pacta rescindere? esset enim res prorsus absurda, tantum sibi permittere in legibus extinguendis: putare autem necessario sibi quaecunq; pacta fuerint, si fraus etiã adhibita sit, seruanda: minore enim periculo pacta rescinduntur, quam leges negliguntur. legum vero latores ἐξαπατᾶν dicuntur, cum iniustas leges scribunt: pollicentur enim se iustas laturos. cum igitur contra faciunt, decipiunt eos, qui tantam ipsis potestatem dederunt. infra quoq;, cum de aequis iniquisq; pactionibus disputaret, eodem verbo vsus est: pactiones enim quoque fallaces sunt, in quibus fraus adhibita est. sed etiam, vt hic leges ὀρθῶς scriptas dixit, ita illic quoq; ὀρθὰς, veras pactiones appellauit: vidi tamen scriptum librum, omnium antiquissimum, in quo ἐξαμαρτῶσιν legatur: quod potius lapsos illos fuisse quam malitia doloque fecisse, significaret.

Εἶτα ὅτι τοῦ δικαίου βραβευτής ἐστιν ὁ δικαστής. οὐκ οὖν τοῦτο σκεπτέον, ἀλλ' ὡς δικαιότερον.

Deinde eius, quod iustum est, dispensator est iudex. non igitur hoc attendendum est, sed vti iustius existimetur.

EXPLICANDO etiam officio iudicis pro causae nostrae vtilitate, pacta eluduntur: disputabimus enim

enim iusti aequiq; ipsum, tamquam dispensatorem, esse debere: nec, quid in pactis conuentisq; contineatur, ab eo spectari oportere, sed vt, quod iustius est, id fiat.

Καὶ τὸ μὲν δίκαιον οὐκ ἔστι μεταστρέψαι, οὔτ' ἀπάτῃ, οὔτ' ἀνάγκῃ: πεφυκὸς γάρ ἐστι: συνθῆκαι δὲ γίγνονται, καὶ ἐξ ἀπατηθέντων, καὶ ἀναγκασθέντων.

Et iustum quidem non licet peruertere, neque malitia, neque vi adhibita: constat enim natura: paciscuntur autem, & decepti, & coacti.

Alivd, quod idem probat, argumentum: cum enim iam ostendisset iudicem esse rei iustae administratorem quendam, docet ipsum sapientius multo facturum, si ius ipsum sequatur, pacta contemnat: neque enim illic fraudis periculum est, nec facultas vlla datur ius distorquendi: siue dolo adhibito, sine necessitate imposita: natura enim tale est: pacta autem saepe fiunt deceptis hominibus, aut coactis.

Πρὸς δὲ τούτοις σκοπεῖν, εἰ ἐναντία τινί ἐστιν, ἢ τῶν γεγραμμένων νόμων, ἢ τῶν κοινῶν, καὶ τοῖς δικαίοις, ἢ καλοῖς.

Amplius videre oportet. si aduersatur alicui scriptarum legum, aut communium: & rebus iustis, atque honestis.

Animadvertere etiam debemus, an pactio ipsa aduersetur alicui, siue scriptarũ, siue communium legum, aut rebus iustis honestisq;. Communes leges partes naturalis iuris videtur appellare. Quae autem repugnat rebus iustis & honestis, quomodo probari pactio, aut vim aliquam habere potest? quod enim huiuscemodi est, & iniquum, ac turpe sit, necesse est. Cum autem καὶ τοῖς δικαίοις καὶ καλοῖς, vt in excusis, in scriptis quoque pluribus libris inuenerim: & hanc quoque lectionem vetus tralatio sequatur, vidi tamen scriptum codicem, omnium antiquissimum, in quo longe aliter legatur: ita enim in illo scriptũ offendi. τῶν γεγραμμένων νόμων, ἢ τῶν κοινῶν: καὶ τῶν γεγραμμένων, ἢ τοῖς οἰκείοις, ἢ τοῖς ἀλλοτρίοις, ἔπειτα: & quae sequuntur. Sensus autem huius lectionis hic esset. Et scriptarum legum, aut proprijs illius ciuitatis ac loci: aut quae alijs in terris seruentur.

Ἔτι τε ἢ ἄλλαις συνθήκαις ὑστέραις, ἢ προτέραις: ἢ γὰρ αἱ ὕστεραι κύριαι: ἄκυροι δ' αἱ πρότεραι, ἢ αἱ πρότεραι ὀρθαί: αἱ δ' ὕστεραι ἠπατήκασιν, ὁποτέρως ἂν ᾖ χρήσιμον.

Adhuc alijs pactis posterioribus, siue prioribus: siue namq; posteriores valent, infirmae sunt priores: vel si priores rectae sunt, posteriores fallaces erunt: vtro modo fuerit nobis vtile.

Praeterea attendendum, an pactio illa contraria sit, repugnetq; alijs pactionibus, quae aut postea factae ab ijsdem, aut prius sint: quae autem vtilitas inde capi possit, statim exponit: si enim (inquit) posteriores, ratae: priores, irritae erunt, & omnem auctoritatem amittent: si priores, sanctae rectaeque, posteriores, fraudem in se continebunt: cum enim aduersentur sibi ipsis, vitium in alterutris sit necesse est: vtrum autem causae nostrae accommodatum erit (inquit) arripiemus.

Ἔτι δὲ τὸ συμφέρον ὁρᾶν, ἔαν πῃ ἐναντιοῦται τοῖς κριταῖς, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα: καὶ γὰρ ταῦτα εὐθεώρητα ὁμοίως.

Deinde vtilitatem videre oportet, si aliqua parte repugnant iudicibus, & quaecunq; alia huiuscemodi; etenim haec non magno negotio similiter videri possunt.

Qvi contra tabulas pactaque disputat, vtilitatem quoque spectare debet: si forte enim aliqua in re aduersentur iudicibus, id aperire, ac planum facere debet: illi enim, ne incommodentur, aequo animo ipsas deleri patientur. In non nullis autem scriptis codicibus, & ijs melioribus, non multitudinis numero ἐναντιοῦνται, vt in excusis antea, sed vnitatis ἐναντιοῦται, legitur: quos libenter secutus sum; supra enim quoque eodem numero pactionem appellauit. vt haec autem, quae explanauit, ita non nulla alia videre, inuestigareq; animo oportere tradit: tamen, quia cognitu facilia putat, non explicat.

Αἱ δὲ βάσανοι, μαρτυρίαι τινές εἰσιν.

Quaestiones

Quaestiones autem testimonia quaedam sunt.

QVAESTIONES Cicero has: Quintilianus tormenta, vt nos quoq; vulgo facimus, appellauit. βασανίζειν quaestionem habere de aliqua re significat, quo verbo Aristophanes in ranis suis vsus est, vbi multa quaestionum genera commemorauit. Καὶ πῶς βασανίζω, πάντα τρόπον ἐν κλίμακι δήσας: & quae sequuntur. Testimonium autem quoddam esse quaestionem dicit: quod scilicet ab inuito aliquo, & dolore coacto exprimatur: vrgente enim illo, cogitur testari, atque aperire, quae scit.

Ἔχειν δὲ δοκοῦσι τὸ πιστὸν, ὅτι ἀνάγκη τις πρόσεστιν.

Videntur autem dignae, quibus credatur, quia necessitas quaedam admota est.

VIDENTVR (inquit) dignae, quibus credatur, quia necessitas quaedam ipsis inest: qui enim coguntur, vrgenturq; necessitate illa, existimantur verum reticere non posse: intelligitur autem necessitatem hanc non esse absolutam, eum voluisse: qui enim auctoritatem quaestionibus comparant, hoc posse ipsas efficere aiunt: contra, qui infirmare cupiunt, negant: vt Quintilianus quoq; ostendit: inquit enim. Cum pars altera, quaestionem, vera fatendi necessitatem vocet: altera, saepe etiam causam falsa dicendi. genus quoddam necessitatis in illis inesse negari non potest: neque enim facile repperitur, qui dolori resistat, & quae tacere noluisset, vrgente illo, non prodat. In antiquissimo libro, non πίστιν, sed pro illo verbo, τὸ πιστὸν legi: quam lectionem, veram putans, recepi: in ix. quoque de moribus ad Nicomachum eodem pacto locutus est. ἀποδεῖται δὲ εἰκότως ποτέροις χρεὼν ἕπεσθαι, ἀμφοῖν ἐχόντοιν τὸ πιστόν. cum ambae rationes hae in se habeant, cui fides habenda videatur.

Οὐκοῦν χαλεπὸν οὐδὲν περὶ τούτων ἰδεῖν, καὶ τὰ ἐνδεχόμενα εἰπεῖν: ἐξ ὧν, ἄν τε ὑπάρχωσιν οἰκεῖαι, αὔξειν ἔστιν, ὅτι ἀληθεῖς μόναι τῶν μαρτυριῶν εἰσὶν αὗται.

Nulla igitur difficultas est de his videre, & quae res patitur dicere, è quibus, si fuerint rebus nostris accommodatae, ipsas amplificamus dicendo, sola haec ex his testimonijs esse vera.

NVLLVM igitur (inquit) negotium est videre vim ipsarum: & quae de ipsis dici possunt, excogitare, ac proferre: illis enim cognitis licebit, si cuipiam adsint, causaeq; ipsius opitulentur, quaestiones augere: atque auctoritatem illis oratione comparare: dicendo ipsas ex omni testimoniorum genere, solas veras. In antiquissimo libro hoc varietatis inueni, quod duobus minus verbis illic superior sententia exponitur. περὶ τούτων εἰπεῖν τὰ ἐνδεχόμενα. Alijs vero cunctis cum excusis conuenit.

Ἐάν τε ὑπεναντίαι ὦσι, καὶ μετὰ τοῦ ἀμφισβητοῦντος, διαλύοι ἄν τις τἀληθῆ, λέγων καθ' ὅλου τοῦ γένους τῶν βασάνων.

Et si contrariae fuerint, causamque aduersarij adiuuerint, dissoluat aliquis veras etiam, dicens in vniuersum contra genus ipsum quaestionum.

DOCET, quomodo aliquis, qui quaestionibus premitur, causam suam tueatur: ac possit, quae vera contra se in illis prolata sunt, discutere: relictis enim illis, in vniuersum de quaestionibus dicit disputandum, & omnem ipsis fidem, auctoritatemq; eripiendam. vt M. Cicero pro P. Sylla fecit. Quaestiones nobis seruorum, ac tormenta accusator minitatur: in quibus, quamquam nil periculi suspicamur: tamen illa tormenta gubernat dolor: moderatur natura cuiusque, tum animi, tum corporis; regit quaesitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, vt in tot rerum angustijs nihil veritati loci relinquatur. Idem tamen in Partitionibus docet, quomodo haec disputatio contra quaestiones negligi, frangiq; possit.

Οὐδὲν γὰρ ἧττον ἀναγκαζόμενοι τὰ ψευδῆ λέγουσιν, ἢ τἀληθῆ, καὶ διακαρτεροῦντες μὴ λέγειν τἀληθῆ: καὶ ῥᾳδίως καταψευδόμενοι, ὡς παυσόμενοι θᾶττον.

Nihilo enim minus, quibus necessitas admouetur, quae falsa sunt, dicunt, quam quae vera, cum affirmati animo fuerint vera non dicendi: & facile etiam mentientes, vt finem cito adepturi dolori suo.

ILLOS, quibus necessitas adhibetur, ac tormentis vrgentur, vt verum prodant, dicit non minus falsa, quam

falsa, quam vera dicere consuesse. Duobus autem modis ostendit ipsos mentiri solitos: aut vim tormentorum tolerantes, & in occultanda veritate perdurantes: aut falsa proferentes, quo citius corporis cruciatu liberentur. ἀναγκαζόμενοι, quamuis necessitas ipsis imponatur: cruciatuq; cogi videantur verum fateri: quod autem inquit, ὡς παυσόμενοι θᾶττον, Lysias in oratione ὑπὲρ τοῦ σηκοῦ, cum de quaestionibus seruorum in dominos disputaret: illisq; fidem haberi oportere diceret, idem his verbis protulit. Ἢ κατειπόντες, ἀπηλλάχθαι τῶν παρόντων κακῶν.

Δεῖ δὲ ἔχειν ἐπαναφέρειν ἐπὶ τοιαῦτα γεγενημένα παραδείγματα, ἃ ἴσασιν οἱ κρίνοντες.

Est autem opus parata exempla habere ad haec constituenda, quae nouerint, qui de causa existimant.

VT magis argumenta haec valeant, notis exemplis dicit esse confirmanda: oportereque instructum etiam illis in iudicium venire, ac posse ostendere praeteritis temporibus, hoc aut illud contigisse: quod quaestionibus omnem auctoritatem eriperet: certos scilicet homines acerbissimos cruciatus sustinuisse, & in abdenda veritate alicuius facti perseuerasse: vt Zeno Eleates, qui perpessus est omnia, nec tamen conscios delendae tyrannidis indicauit. Par huius simileq; exemplum est Athenodori Syracusani, qui cum in Hieronymum Hieronis filium coniurasset, indicatus tortoriq; traditus, conscios primum constanter celauit: postea omnibus cruciatibus laceratus, victum malis se simulans, auertit a conscijs in insontes indicium. Addit T. Liuius, qui hoc diligenter narrauit, id, quod omnem admirationem superat, tantam fuisse in socijs ipsius opinionem, de fortitudine ac fide Theodori, vt cum socius consilij diu torqueretur, nemo illorum, aut latuerit, aut fugerit: tantumq; ipsi Theodoro roboris ad arcana reticenda, aut ementitos esse aliquid, vt praesentem dolorem a se depellerent, quod ipsis etiam maius malũ, aut mortem denique allaturũ esset: quia ob animi mollitiem resistere illi nullo modo possent. Nec non etiam contra, si causa postulet, vt haec fides augeatur, exempla afferre, quibus declaretur, quod nulla alia ratione indagari potuerit, quaestionibus habitis facile erutũ ac patefactum. Plures vero hinc versus sustuli, qui cum ab Aldino exemplari abessent, in libro postea Venetijs excuso accreuerant. Deleui autem, quia adulterinos putaui: aut enim ex alio scriptore artis haec pars sumpta est, aut scholion olim fuit: quod importune post in contextum verborum Aristotelis translatum sit: vidi namq; scriptos quoq; libros, in quibus legeretur: in vetere tamen tralatione vestigium eius nullum. Qui accurate, quae supra a philosopho iam tradita erant, perpendet, ipsius haec non esse, manifesto intelliget: cuncta enim ille, quae ad quaestiones pertinentia dicere voluerat, iam explicauerat: nec aliquid desiderari videbatur: sententia vero, quae his verbis exponitur, superioribus continetur: vox etiam iuncta illic est, quae sermonem Aristotelis non redolet: & omnis deniq; haec locutio, locutionis ipsius dissimilis videtur. Quibus omnibus de causis alijsque, spero consilium meum probatum iri, qui ea hinc sustulerim.

Περὶ δὲ ὅρκων τετραχῶς ἐστι διελεῖν.

De omni genere iuris iurandi quattuor modis licet diuidere.

QVID iusiurandum sit, non expressit hic philosophus. auctor rhetorices ad Alexandrum naturam illius his verbis definijt. Ὅρκος ἐστὶ μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος. priorem partem, cum & ipse iusiurandum definiret, ab eo videtur accepisse Cicero: sic enim in iij. libro de officijs. Est enim iusiurandum, affirmatio religiosa: cum scilicet ita se rem habere, testatus deos immortales, aliquis affirmat: addidit autem ille ἀναπόδεικτος, quia ratio eius, quod pronuntiatur, non affertur: nec id verum esse, argumento vllo probatur.

Ἢ γὰρ δίδωσι, καὶ λαμβάνει, ἢ οὐδέτερον: ἢ τὸ μέν: τὸ δ᾽ οὔ.

Siue enim dat, & capit, siue neutrum facit: siue vnum horum: alterum minime.

QVOD ad iusiurandum pertinet, non negligenter Quintilianus pertractat: nam & ipse totam rem partitus est, ac diuisionem quadripartitam facit: nec tamen illa omnino huic philosophi respondet, vt qui diligenter cogitare voluerit, facile animaduertet: Aristoteles namque hanc rem copulauit, quod non facit Quintilianus: qui de altera tantum litigatorum parte separatim agit: omninoq; exquisitiorem huius rei, quam ille, diuisionem fecit: inquit autem: aut enim aduersario dat, & capit ipse iusiurandum, aut neutrum facit, aut alterum horum gerit, altero supersedet.

Καὶ τοῦτον, ἢ δίδωσιν, οὐ λαμβάνει δέ: ἢ λαμβάνει μέν, οὐ δίδωσι δέ.

Atque horum siue dat, non capit autem: siue capit, non autem dat.

HAEC est declaratio eius, quod dixerat, ἢ τὸ μὲν· τὸ δ᾽ οὔ: ostendit enim id duobus modis fieri posse, qui superioribus duobus adiuncti, quadripartitam diuisionem gignunt: aut enim ait, iusiurandum dat: non tamen capit: aut capit ipse: nec tamen aduersario dat.

Ἔτι ἄλλως παρὰ ταῦτα, εἰ ὀμώμοσται οὗτος, ἢ ὑπ᾽ αὐτοῦ, ἢ ὑπ᾽ ἐκείνου.

Et aliter praeter haec, si hoc conceptum fuerit, vel a se, vel ab illo.

ALIVD etiam (inquit) praeter ea, quae tradita iam sunt, accurate videndum. Si praeteritis temporibus idem iusiurandum conceptum est: quod & ipsum simplex non est, sed bifariam diuiditur: siue ipse iurauerit: siue aduersarius. Particulam copulantem partes orationis, quae in excusos libros irrepserat, cum a scriptis melioribus abesse viderim, hinc sustuli. οὗτος autem nominandi casu, vt referat verbum ὅρκος, quemadmodum in scriptis omnibus inueni, omnino puto legendum: quamuis in margine quorundam excusorum, οὕτως repositum sit.

Οὐ δίδωσι μὲν οὖν, ὅτι ῥαδίως ἐπιορκοῦσι.

Non dat igitur, quia facile homines peierant.

NVNC quattuor illa prima membra pertractat: docetq; quomodo consilium suum probare possit, qui aduersarij iureiurando, ac fidei totam causam non committit. non do iusiurandum (aliter autem dare iusiurandum accipio, ac Terentius fecit in Adelphis, cum inquit. Noui ego vestra haec: nollem factum, iusiurandum dabitur te esse indignum iniuria hac: illic enim iusiurandum dabitur, iurabo manifesto significat) ingenium enim ac mores hominum cognitos habeo: quibus saepe ludus iocusq; est peierare. cur igitur tam temerarius sim, vt hoc faciam? Quod hic valet διδόναι ὅρκον, Quintilianus deferre iusiurandum vocat.

Καὶ διότι ὁ μὲν, ὀμόσας, οὐκ ἀποδίδωσι: τούτους δὲ, μὴ ὀμόσαντος οἴεται καταδικάσειν.

Et quia hic quidem, si iurauerit, non reddit: hos autem, nisi iurauerit, sperat ipsum damnaturos.

PRAETEREA nunc hoc sine causa non facio: lucrum enim atque ingens vtilitas, quae proposita est, ad scelus ipsum hortari potest: spreta enim religione hic alienam pecuniam suam faciet: causae autem meae ita confido, vt arbitrer iudices omnino, nisi periurio suam adiuuerit, ipsum condemnaturos. Hanc huius loci sententiam esse puto, quae facile a quo vis inde elici potuit, postquam mendum, quod eam peruertebat, sublatum est: ὀμόσαντος enim generandi casu, singulari numero, non multitudinis accusandi, vt prius legebatur, corrigi debet. Μὴ ὀμόσαντος autem, nisi facultas ipsi facta fuerit, vt iuret: significat enim personā aduersarij: casum vero hunc postulari a verbo, quod sequitur, apertum est: vt autem in excusis & scriptis omnibus inueni, probari nullo modo potest. Praeterea in manu scriptis, χρήματα non legitur: quod in excusis antea erat: intelligiq; auctor voluit, quod desideratur.

Καὶ ὡς οὗτος ὁ κίνδυνος κρείττων, ὁ ἐν τοῖς δικασταῖς: τοῖς μὲν γὰρ πιστεύει: τῷ δ᾽, οὔ.

Et esse periculum hoc melius, quod subit in iudicibus: his enim fidit: illi vero minime.

POSTQVAM iuratorum hominum periculum subeundum est: postquam totam causam occultae hominum fidei committere ipsum oportet, se malle iudicum religioni, quam aduersarij stare: horum enim fidem perspectam habet: huius vero non probat. iudices autem iuratos sententiam ferre solitos, notum est. Cum autem periculum hoc aequius esse altero: securioreq; animo subeundum dixisset: nec expressisset dilucide, quod intelligeret, addens, ὁ ἐν τοῖς δικασταῖς, aperuit quid significaret: intelligo enim (inquit) quod, fidei religionique iudicum causam committendo, subitur.

Οὐ λαμβάνει δ᾽, ὅτι ἀντὶ χρημάτων ὅρκος.

Non capit autem, quia pro pecunia iusiurandum.

QVI non capit, ita factum suū tuebitur: non possum adduci, vt iurem pro pecunia acquirenda: putoq; flagitium esse capere iusiurandum, vt aut retineantur nummi, aut comparentur.

Καὶ ὅτι εἰ ἦν φαῦλος κατωμόσατο ἄν: κρεῖττον γὰρ ἕνεκά του φαῦλον εἶναι ἢ μηδενός: ὀμόσας μὲν γὰρ, ἕξει: μὴ ὀμόσας δ᾽, οὔ.

Et quia

Et quia si fuisset improbus, peierasset vtiq; praestat enim ob aliquod premium improbum esse, quam ob nullum: si namque iurarit, se habiturum: nisi vero iurarit, minime.

DICET etiam habere hoc posse iudices argumentum suae probitatis: si enim impurus fuisset, nullo metu iurasset: praestat enim ob aliquam vtilitatem improbum esse, quam ob nullam: nam si iurauero dubium nullum est, quin pecuniam habiturus sim: contra autem, nisi iurauero. Hoc autem pacto factum ipsius videbitur a virtute animi proficisci, non a periurij metu. Improbus vero sine emolumento vllo fuisset, si, vt aduersarij aiebant, non sibi debitam pecuniam petens, iniuratus ipsam non obtinuisset: qui enim, quod suum non est, sciens, petit, vir probus esse non potest. In antiquissimo libro varietatis hoc est, quod ὀμόσας μὲν ἔν, non γὰρ, vt reliqui, habet, quod confirmantis est.

Οὕτω δὲ δι' ἀρετὴν ἂν εἴη, ἀλλ' οὐ διὰ ἐπιορκίαν, τὸ μή.

Ita autem ob virtutem erit, non ob scientiam peierandi nolle iurare.

ITA locum restitui, secutus fidem antiquissimi exemplaris: quam lectionem etiam vetus tralatio sequitur: sed illius etiam vestigia in reliquis scriptis. antea in excusis ὥσει δι' ἀρετὴν legebatur. Qui ita aget, inquit, & si res hoc modo tractata fuerit, a bonitate proficiscetur, non a studio fallendi: timoreq; peierandi, nolle iurare.

Καὶ τὸ τοῦ Ξενοφάνους ἁρμόττει, ὅτι οὐκ ἴση πρόκλησις αὕτη ἀσεβεῖ πρὸς εὐσεβῆ, ἀλλ' ὁμοία, καὶ εἰ ἰσχυρὸς ἀσθενῆ πατάξαι, ἢ πληγῆναι προκαλέσαιτο.

Illudq; Xenophanis hic quadrat, non esse aequalem prouocationem hanc impio, aduersus pium, sed parem, atque si robustus homo imbecillum prouocasset, vt caederet ipse, vel pateretur se caedi.

ILLVD Xenophanis valde accommodatum est, mirificeq; huic loco congruit: aiebat enim Xenophanes, vetus ille physicus, non esse aequam prouocationem impij aduersum pium, sed par consimilisq;, ac si robustus aliquis infirmo corpore hominem prouocaret, vt vel verberaret, vel vapularet: valens enim imbecilli hominis plagas contemnit: viriumq; suarum gnarus, videt a se illum verberibus caesum iri: ideoque securo animo prouocat: imbecillus vero sibi diffidens, hanc pugnam recusabit: ita qui pie deos colit, ad hanc concertationem timidus est: contra, qui improbe de ipsis sentit, audax: cur enim vereatur illos, quos aut non esse, aut humana non curare iudicat? Πρόκλησις autem legi debet, vt in melioribus scriptis legitur: excusi enim libri πρόσκλησις mendose habebant: est autem πρόκλησις prouocatio, & quasi inuitatio quaedam pollicitatioque. In iiij. libro de rep. ipse. ἔτι δ' οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἐγκαλοῦντες, τὸν δῆμον φασὶ δεῖν κρίνειν: ὁ δὲ ἀσμένως δέχεται τὴν πρόκλησιν. multitudo (inquit) tam benignam inuitationem non repudiat, sed libenter, quod praebetur, arripit. Lysias quoq; in oratiuncula de vulnere, consulto imposito. οὐ γὰρ δήπου τινὰ τούτων πρόκλησιν πιστοτέραν ὑμᾶς νομίζειν δεῖ τῆς ἡμετέρας: neque enim vllo pacto puto vos maiore fide dignam existimaturos pollicitationem aduersariorum, quam nostram.

Εἰ δὲ λαμβάνει, ὅτι πιστεύει αὑτῷ: ἐκείνῳ δ', οὔ.

Si autem capit, hoc facere, quia credit sibi ipsi: illi vero minime.

QVOD si non respuit, hac oratione vti debet: se confidere sibi ipsi, vitamq; ac mores suos cognitos habere: quia autem illius ignoret, aut dissimiles suorum esse putet, ideo illi optionem huius rei non dare.

Καὶ τὸ τοῦ Ξενοφάνους μεταστρέψαντα, φατέον οὕτως, ἴσον εἶναι, ἐὰν μὲν ὁ ἀσεβὴς διδῷ: ὁ εὐσεβὴς δ' ὀμνύῃ.

Et Xenophanis illo conuerso, dicendum sic, aequale esse, si impius dederit: pius autem iurarit.

ITA (vt arbitror) Xenophanis vox conuertetur. Si aduersarius, qui in hoc certamine imbecillus est, me prouocat, quomodo ipse, qui in eo valens sum, detrectare pugnam possum: impius vero ita imbecillus in hoc negotio est: contemnit enim iusiurandũ: eiq; parũ tribuit: qui tamen

cum sponte id certamen subeat, in quo facile superetur: pius, qui cum deos colat, ac iusiurandum magnam vim habere putet, valens in eo est, non debet recusare, quin eo totum negotium transigatur.

Δεινόν τε τὸ μὴ θέλειν αὐτόν, ὑπὲρ ὧν ἐκείνους ἀξιοῖ ὀμόσαντας δικάζειν.

Nec ferendum esse, nolle ipsum, pro quibus postulat iuratos sententiam ferre.

PRAETEREA indignum est pro re sua nolle subire onus, quod alijs pro aliena imponi vult. Quomodo enim quispiam honeste potest iusiurandum recusare de rebus illis, de quibus postulat, vt iurati iudices sententiam ferant? non ferendus esset, siquis hanc condicionem repudiaret. Aliud autem hoc argumentum est, quo, qui non abnuit iurare, factum suum probat.

Εἰ δὲ δίδωσιν, ὅτι εὐσεβὲς τὸ θέλειν τοῖς θεοῖς ἐπιτρέπειν.

Si autem dat, quia pium est, velle dijs causam committere.

SI vero defert, sic factum suum ornare debet. sanctum ac pium esse, velle dijs immortalibus rem mandare: atq; confidere, siquid fraudis initum fuerit, illos grauiter vltum ituros.

Καὶ ὅτι οὐδὲν δεῖ αὐτὸν ἄλλων κριτῶν δεῖσθαι· αὐτῷ γὰρ δίδωσι κρίνειν.

Et quia nihil opus est ipsum alijs iudicibus egere: ipsi namque permittit, vt existimet de re.

HVNC paene locum expressit Quintilianus, cum inquit. At is, qui defert, alioquin agere mode-
» ste videtur, cum litis aduersarium iudicem faciat: &, cuius cognitio est, onere liberet. Sensus vero Aristotelis hic est. Non opus esse aduersario, vt ad iudices accedat: precibusq; etiam adhibitis cum illis diligenter agat, vt velint causam iudicare: liberare enim se eum omni illa cura, ac molestia, cum ipsi existimationem totius rei permittit. Docet igitur se liberaliter cum eo agere, in cuius arbitrio totam rem ponat, quem cognitorem litis faciat. In antiquissimo libro, non κρίνειν, vt in excusis, sed κρίσιν legitur: quam lectionem vetus quoq; tralatio sequitur. Aliae quoq;, nullius ponderis, varietates in paucis his verbis apud eum repperiuntur: nam & δικαστῶν habet, non κριτῶν: & τούτῳ, non αὐτῷ, vt reliqui omnes: nihil tamen immutaui.

Καὶ ὅτι ἄτοπον τὸ μὴ θέλειν ὀμνύναι, περὶ ὧν ἄλλους ἀξιοῖ ὀμνύναι.

Et absurdum esse, nolle iurare, de quibus alios postulat iurare.

QVO argumento supra docuit, qui iusiurandum non respueret, posse factum suum probare, eodem nunc, ostendit, qui illud offert, vrgere posse abnuentem aduersarium: rem scilicet indignam absurdamq; esse dicendo, nolle eum, cuius res agitur, in ea re iurare, in qua, quorum nihil interest, postulet iurare.

Ἐπεὶ δὲ καθ᾽ ἕκαστον δῆλον πῶς λεκτέον, καὶ συνδυαζομένου πῶς λεκτέον, δῆλον. οἷον εἰ αὐτὸς μὲν θέλει λαμβάνειν: διδόναι δὲ μή: καὶ εἰ δίδωσι μέν, λαμβάνειν δὲ μὴ θέλει: καὶ εἰ λαμβάνειν, καὶ διδόναι ἐθέλει, εἴτε μηδέτερον.

Quia autem singillatim perspicuum, quomodo dicendum sit, & copulatum etiam quomodo dicendum, perspicuum. veluti si ipse quidem vult capere: dare autem minime: & si dat quidem, capere autem non vult: & si capere, & dare vult, siue neutrum facere.

EXPLICATIS omnibus simplicibus modis, aperit, quae via tenenda sit, cum res geminatur: quattuor autem modos esse coniungendi supra quoque docuerat, quos nunc persequitur: nec tamen rationes ipsas, quas explicauerat, repetit: nimis enim longum fuisset: nec nouam aliquam vtilitatem in se res haberet. inquit igitur. Quia planum iam factum est singillatim, quid dicendum sit, patet etiam, si copulare duos modos oporteat, quid afferendum sit: antequam tamen quid faciendum sit doceat, quo pacto modi illi copulentur, explanat: ceu enim (ait) si ipse sane non abnuit iusiurandum sumere: deferre autem recusat, aut contra deferre paratus est, vt sumat vero induci non potest, aut vtrunq; simul facere non abnuit: sumere scilicet, ac deferre, siue neutrum facere vllo modo vult.

Ἐκ γὰρ τῶν εἰρημένων ἀνάγκη συγκεῖσθαι. ὥστε καὶ τοὺς λόγους ἀνάγκη συγκεῖσθαι ἐκ τῶν εἰρημένων.

Ex ijs enim, quae tradita sunt, necesse est componi. quare & rationes necesse est componi ex ijs, quae tradita sunt.

VT res ipsae copulantur, ita argumenta quoq; copulanda esse tradit: copulae enim fiunt ex modis traditis. quare rationes eorum etiam ex ijsdem rationibus constituentur, & quae separatim dicerentur, si seorsum facta illa comprobarentur, aut oppugnarentur, coniunctim dicenda ostendit, cum facta quoque coniungantur.

Ἐὰν δὲ ᾖ γεγενημένος ὑφ' αὐτοῦ καὶ ἐναντίος, ὅτι οὐκ ἐπιορκία.

Si autem ab ipso conceptum fuerit, atque id contrarium, non esse illud periurium.

PRIORE parte absoluta, posteriorem aggreditur: supra enim docuerat oportere etiam cogitare, si iuratum antea foret: quod & ipsum duobus modis considerari posset: aut enim ab ipso, aut ab aduersario: iusiurandum autem iuratum intelligit aduersum repugnansque praesenti: primo eum instruit, qui sibi ipsi contrarius esse arguitur: docetq;, quomodo se a periurij crimine tueri debeat: excusatio autē est, declarare se, quod olim fecit, aut coactū metu, aut deceptum dolo fecisse: qui autem aliquid committunt, quod iniustum prauumq; sit, si id faciunt sponte scientesq;, iniuste praueq; fecisse existimandi sunt. Cum vero antea hic in excusis legeretur, Δῆλον δὲ ἂν ᾖ ἀπατημένος ὑπ' αὐτοῦ, secutus fidem antiquissimi codicis, ἐὰν δὲ ᾖ γεγενημένος emendaui: vetus quoq; tralatio hanc scripturam confirmat: ita enim reddit rudis ille interpres: si autem sit factum: nam pertinere hanc partem ad illud, quod supra dixerat, posse aliter quoque praeter ea, quae iam indicata fuerant, hanc rem tractari, apertum est. cum autem diuisione illa quadripartita demonstrata id admonuisset, nunc quoque ipsa expleta, hoc, quod restabat, aggreditur.

Ἑκούσιον γὰρ τὸ ἀδικεῖν ἐστί: τὸ δὲ ἐπιορκεῖν, ἀδικεῖν ἐστί: τὰ δὲ βίᾳ, καὶ ἀπάτῃ, ἀκούσια.

A sponte enim facientibus iniuria nascitur: peierare autem est iniuriam facere: quae autem vi ipsis adhibita ab hominibus geruntur, vel deceptis, ab inuitis geruntur.

ARGVMENTVM texit, quomodo periurij crimine se ille liberare queat, dicens, iniuria sponte ab aliquo fit: peierare est iniuriam facere: vnde intelligitur ac ratione concluditur, periurium esse, quod sponte ab aliquo concipitur: contraq;, cum vis adhibita est: aut aliquis inductus, deceptusq;, non dici debere iniuste fecisse: neque esse illud periurium.

Ἐνταῦθα οὖν συνακτέον καὶ τὸ ἐπιορκεῖν, ὅτι ἐστὶ τὸ τῇ διανοίᾳ, ἀλλ' οὐ τῷ στόματι.

Huc igitur comportandum est peierare, dicendumque esse ipsum mente, non ore.

HVC igitur nos referre (inquit) periurium oportet: idest dicere, quod olim fecimus, non sponte nos, aut malitiose fecisse, sed aut necessitatem nobis impositam esse, aut fraudem adhibitam ostendere: quare lingua non mente iurauimus. Illi autem peierant, qui fallendi consilio, quae vera non esse sciunt, religiose affirmant. Idem etiam Cicero in iij. libro de officijs docet.
» Non enim falsum iurare, peierare est, sed quod ex animi tui sententia iuraris, sicut verbis con-
» cipitur more nostro, id non facere, periurium est.

Ἐὰν δὲ τῷ ἀντιδίκῳ ᾖ ὀμωμοσμένος, ὅτι πάντα ἀναιρεῖ, ὁ μὴ ἐμμένων οἷς ὤμοσε: διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τοῖς νόμοις χρῶνται ὀμόσαντες.

Si autem ab aduersario iuratum fuerit, dicendum est omnia euertere illum, qui non stat ijs, quae iurauit: hac enim de causa vtuntur legibus, cum prius iurarint.

QVOMODO aduersarium in crimen vocare, atq; exagitare debeamus, docet. Si iusiurandum, quod ab ipso nunc concipitur, veteri iureiurando repugnat: intelligi enim hic debet ὅρκος ἐναντίος. Dicendum igitur est, omnem vitam ac rationes hominum peruertere ac permiscere eum, qui his, quae iurauerit, non stat: nullam enim aliam ob causam institutum est, vt leges non, nisi ab iuratis iudicibus tractentur, nisi quia, quae aliquis iurauerit, ea illum rata habere oportere consuerunt. Cum autem ostenderim intelligi hic extra debere, ὅρκος ἐναντίος, in antiquissimo tamen libro ita scriptū offendi, ἐὰν δὲ τῷ ἀντιδίκῳ ᾖ ὑπεναντίος καὶ ὀμωμοσμένος. lectionem

autem non variaui, quia suspicatus sum illam declarationem quondam fuisse: ad confirmandam autem opinionem meam id indicasse, valeat.

Καὶ ὑμᾶς μὲν ἀξιοῦμεν ἐμμένειν, οἷς ἂν ὀμόσαντες δικάζητε: αὐτοὶ δὲ οὐκ ἐμμένομεν: καὶ ὅσα ἄλλα ἂν αὔξων τις εἴποι.

Et vos quidem postulamus stare illis, quae iudicaueritis, cum prius iuraueritis: nos vero non stamus: & quaecunque alia amplificans aliquis diceret.

Vt acrius insimularet aduersarium, se (consuetudine quadam loquendi) quasi culpae socium facit: a qua tamen longe animo abhorrere videri vult, dicens, adeo impudentes sumus, vt postulemus vos manere illis, quae iureiurando concepto, iudicaueritis: ipsi autem non manebimus: nec rata illa habebimus? In antiquissimo tamen libro ex persona eorum tantum, quos increpat, & ἀξιοῦσιν & ἐμμένουσιν, scriptum est: sed in hoc etiam discrepat idem a reliquis, quod δικάζετε, indicandi modo habet: significat autem verbis, quae adiungit, se non omnia, quae excogitari possent, collegisse: quaedam enim adhuc restare, quae idem efficerent, ac totam rem amplificarent.

Περὶ μὲν οὖν τῶν ἀτέχνων πίστεων, εἰρήσθω τοσαῦτα.

De probationibus igitur, expertibus artis, tot dicta sint.

Ostendit se, quae dicenda erant de probationibus, expertibus artificij, absoluisse: quamuis enim (quod indicat dicendo τοσαῦτα) huiuscemodi alia inueniri fortasse queant, & ad confirmandas, & ed euertendas illas apta: tamen haec satis putauit: verba vero haec extrema huius libri, quibus id exponitur, absunt ab antiquissimo codice: ac fortasse etiam non sine causa: initio enim consequentis libri repetit generatim, quaecunque primo hoc tradita sunt: dicitque se ostendisse, quae opiniones propositionesque valeant ad fidem faciendam in singulis tribus generibus: nisi fortasse aliquis illa tantum pertinere ad probationes, artis participes, putat.



PETRI VICTORII DECLARATIONES IN ARISTOTELIS RHETORICES

LIBRUM SECUNDUM.

Ἐκ τίνων μὲν οὖν δεῖ, καὶ προτρέπειν, καὶ ἀποτρέπειν: καὶ ψέγειν, καὶ ἐπαινεῖν: καὶ κατηγορεῖν, καὶ ἀπολογεῖσθαι: καὶ ποῖαι δόξαι, καὶ προτάσεις χρήσιμοι πρὸς τὰς τούτων πίστεις, ταῦτ᾽ ἐστί.

Ope quorum igitur opus est suadere, & dissuadere: & vituperare, & laudare: & accusare, & defendere: & quales opiniones, & propositiones vtiles sunt ad horum probationes, haec sunt.



REVI repetit, quid primo libro confectum sit: ac narrat se huc vsq; indicasse proprios locos singulorum generum, quo respicere oporteat, qui in illis probare quippiam volunt: in generibus vero enumerandis eundem ordinem seruat, quem in ipsis explicandis tenuerat: significat autem illa a partibus, & muneribus ipsorum. Haec igitur sunt (inquit) quorum ope possumus aliquid suadere, aut dissuadere, quod est deliberatiui: vituperare & laudare, quod demonstratiui: accusare, & defendere, quod iudicialis: nec non, quae opiniones propositionesq; his rebus aptae sunt: demonstrauit enim seorsum, vnde duci argumenta possent ad impellendum aliquem, aut reuocandum: & qui loci continerent proprias huius generis propositiones. quod in reliquis etiam duobus generibus factum est: δόξας autem vocat opiniones, & quasi syluam, ex quibus postea conflantur propositiones: eaedem enim postea, cum, vt partes enthymematis considerantur, προτάσεις vocantur. Eodem pacto infra hoc ipso in libro locutus est, atque ambo haec nomina, vt hic, coniunxit. Sed in
» primo quoq; Topicorum: vnde, quid significare hic voluerit, aperte elicitur. Δῆλον δ᾽ ὅτι καὶ ὅσαι
» δόξαι κατὰ τέχνας εἰσί, διαλεκτικαὶ προτάσεις εἰσίν, quod cunctae opiniones, quae de rebus ab ipsis tractatis, in singulis artibus sunt, propositiones sunt dialecticae: illis namque vti potest dialecticus ad aliquid ratione concludendum.

Περὶ γὰρ τούτων, καὶ ἐκ τούτων τὰ ἐνθυμήματα λέγεται, ὡς περὶ ἕκαστον εἰπεῖν ἰδίᾳ τὸ γένος τῶν λόγων.

De his enim, & ex his argumenta ducuntur, vt aliquis differere posit seorsum de vno quoque genere dicendi.

CVM ostendisset se primo libro locos explicasse, vnde promi argumenta deberent, singulis generibus tractandis accommodata: nec non, quae opiniones propositionesq; vtiles forent ad probationes de illis ipsis rebus conficiendas, rationem eius rei reddit, ne cui mirum videretur, ex rebus ipsis, quae probarentur, sumi propositiones ad illas confirmandas: existimarentq; aliunde illa constitui oportere: & affirmat enthymemata de illis ipsis rebus dici, ex quibus sumuntur ad ea constituenda propositiones, vt ex eadem materia conflentur argumenta, quae probatur, ac rationibus his oratorijs confirmatur, in singulis separatim generibus dicendi.

Ἐπεὶ δὲ ἕνεκα κρίσεώς ἐστιν ἡ ῥητορική.

Quia autem, vt existimetur de aliqua re verba fiunt, finisq; hic est artis dicendi.

QVIA dicendi ars finem habet audientium existimationem: cunctaque, quae orator facit, illuc referre debet, officium ipsius oratoris est, non in oratione tantum componenda occupatum esse, verum in se ipso quoque quodam modo conformando: nec non in existimatore etiam,

& qui sententia sua studium ipsius, aut probaturus est, aut condemnaturus, fingendo: Omnis enim oratoris labor industriaq; illuc tendere debet, vt iudicia eorum apud quos agit, consequatur: ac nihil ipsum praetermittere oportet, ad id adipiscendum accommodatum: vt hoc autem ab ipsis impetretur, non solum orationi fides acquirenda, argumentisq; tota res firmanda ac comprobanda: sed opera etiam danda est, vt talis, qualem esse oportet, ijs, qui audiunt, videatur: nec tantum in se ipso, sed etiam in illis, apud quos agit, vt ipsi commodum est, fingendis, studium ponere debet. Nec tamen, quod finem hic esse vult rationis dicendi, existimationem: cum alibi propositum sibi habere illam dixerit persuasionem, a se ipso dissentit: persuasio enim ab existimatione proficiscitur: is enim persuadetur, qui de re illa ita existimat, vt orator vult. Personam vero eorum, qui audiunt, quae suae partes erant ex oratione habita aliquid statuentium, existimatio referre videtur: cum persuasio oratorium opus, qui oratione effecerint, quod volebant, in animis auditorum, significet.

Καὶ γὰρ τὰς συμβουλὰς κρίνουσι, καὶ ἡ δίκη κρίσις ἐστίν.

Nam & de deliberationibus existimant, & forenses causae existimatio sunt.

NE quis miraretur, quod dixerat rationem dicendi pendere totam ab existimatione eorum, qui audirent: quam ipse κρίσιν appellat, enumeratione duorum generum, probat ita se rem habere. tertium quoq; addere potuisset: quod enim in duobus illis verum est, in tertio quoque verum esse repperietur. In tractandis vero generibus dicendi saepe deliberandi tantum, ac iudicandi nominauit, quae potiora, vtilioraque sunt: demonstrandi autem reliquit. Quod autem hunc finem habeant, planum est. Nam & de consilijs deliberationibusq; statuunt atq; existimant, & iudicia etiam, quae in foro fiunt, existimationes quaedam sunt. Quis enim nescit senatores sententias eorum, qui dixerunt, accurate perpendere, & aut recipere, aut improbare? iudices quoq; cum accusatorem reumq; audiuerunt, vtra eorum causa melior sit, secum, antequam aliquid pronuntient, statuunt. Vt hic autem laborare hanc artem, vt gignat existimationem in animis eorum, qui audiunt dicens, id explicatione partium ipsius confirmauit, ita idem multo infra hoc ipso in libro repetens, noua ratione comprobauit.

Ανάγκη μὴ μόνον πρὸς τὸν λόγον ὁρᾶν, ὅπως ἀποδεικτικὸς ἔσται καὶ πιστός, ἀλλὰ καὶ αὑτὸν ποιόν τινα, καὶ τὸν κριτὴν κατασκευάζειν.

Necesse est non solum ad orationem respicere, vt vim habeat demonstrandi, accommodataque sit ad fidem faciendam, verum etiam semetipsum qualem facere, atque existimatorem.

HAEC ἀνταπόδοσις est redditioq; illius ἐπεὶ, quod paulo supra posuit. cum res ita se habeat, necesse (inquit) est non solum attendere orationem: oculosq; ad eam intentos habere, vt vim probandi argumentis, quod vult, habeat ac fidem ita facere possit, verum etiam se ipsum qualem, & eum, qui audit existimaturusq; de ea est, conformare: quod vero necessarium hoc esse ait, his moribus intelligendum est: & vt nunc homines sunt: si enim integre sancteque iudicaretur, id non tantum non necessarium fuisset, sed vsurpatum etiam, fructum oratori nullum tulisset, & relinqui omnino, abijciq; potuisset.

Πολὺ γὰρ διαφέρει πρὸς πίστιν, μάλιστα μὲν ἐν ταῖς συμβουλαῖς: εἶτα δὲ καὶ ἐν ταῖς δίκαις, τό, τε ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα, καὶ τὸ πρὸς αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν ἔχειν πως αὐτόν. πρὸς δὲ τούτοις, ἐὰν καὶ αὐτοὶ διακείμενοί πως τυγχάνωσι.

Magni enim interest ad fidem faciendam: in primis quidem in deliberationibus: deinde etiam in causis forensibus, & qualem videri eum, qui dicit: & putare erga ipsos aliquo modo se habere. additur autem his, si & ipsi aliquo modo affecti sint.

MAGNI enim (inquit) refert ad faciendam fidem, oratorem haberi virum bonum, ac prudentem: crediq; ipsum diligere commoda eorum, apud quos agit: in hoc etiam magna vis est, si ipsi illi, qui diiudicant, bene erga ipsum animati sunt: nec non erga aduersarium male: atque ijs demum omnibus animi affectionibus praediti, quas aut ipsius tempus illud, aut eius, pro quo dicit, requirit. In antiquissimo libro pusilla haec scripturae varietas est, quod πῶς διακεῖσθαι, non ἔχειν πῶς habet.

Τὸ μὲν οὖν ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα, χρησιμώτερον εἰς τὰς συμβουλάς ἐστι. τὸ δὲ διακεῖσθαί πως τὸν ἀκροατὴν, εἰς τὰς δίκας.

Qualem

Qualem igitur videri esse, qui dicit, vtilius est ad deliberationes. affectum autem esse aliquo modo, qui audit, ad causas forenses.

ET cum haec (ait) in omni dicendi genere plurimum valeant, non dici potest, quantum adiuuent in sententijs dicendis: vt autem hanc rem accuratius explicemus: bene de te, qui audiunt existimare, maiorem in consilijs dandis vtilitatem habet: eosdem autem illos bene animo erga te affectos esse, in litibus causisq; forensibus iudicandis, multum prodest.

Οὐ γὰρ ταὐτὰ φαίνεται φιλοῦσι, καὶ μισοῦσιν· οὐδ' ὀργιζομένοις, καὶ πράως ἔχουσιν, ἀλλ' ἢ τὸ παράπαν ἕτερα, ἢ κατὰ μέγεθος ἕτερα.

Non enim eadem videntur de rebus, ijs, qui diligunt, & ijs, qui oderunt: neque ira commotis, & mitibus, sed vel penitus diuersa, vel magnitudine discrepantia.

ID verum esse probans, inquit: neque enim eodem modo sentit de ijsdem rebus, qui diligit, & odit: neq;, qui irato animo, aut placato est: sed aut omnino penitusq; diuersae illae ambobus videntur: aut magnitudine saltem inter se discrepare: tanta enim vis est horum animi motuũ, atque ita nos afficiunt, vt varient mirum in modum iudicia nostra.

Τῷ μὲν γὰρ φιλοῦντι, περὶ οὗ ποιεῖται τὴν κρίσιν, ἢ οὐκ ἀδικεῖν, ἢ μικρὰ δοκεῖ ἀδικεῖν· τῷ δὲ μισοῦντι, τοὐναντίον.

Homini enim, qui diligit, de quo existimat, siue nihil iniuriae facere, siue parum iniuriae videtur: ei vero, qui odio habet, contrarium.

CONFIRMAT exemplis, quod dixerat, tradens: qui enim quempiam diligit, si de eius aliquo improbo facto iudicium facturus, atque existimaturus est, aut non iniuste ille fecisse, aut exiguam culpam admisisse videtur. Contra si eum odio prosequatur, aut iuste res ab eo factae, iniustae videntur, aut magis iniustae, quam vere sint, existimantur. Cum igitur dicat, ei, qui amat, insimulatum alicuius criminis amicum, videri nihil inique fecisse, exemplum affert eius, quod tradiderat, commoti animi iudicia ita immutari, vt res omnino diuersae videantur: cum vero eundem parum peccasse, alterius, cum seruata qualitate earum, augentur illae, aut minuuntur.

Καὶ τῷ μὲν ἐπιθυμοῦντι, καὶ εὐέλπιδι ὄντι, ἐὰν ᾖ τὸ ἐσόμενον ἡδύ, καὶ ἔσεσθαι, καὶ ἀγαθὸν ἔσεσθαι, φαίνεται· τῷ δ' ἀπαθεῖ, καὶ δυσχεραίνοντι, τοὐναντίον.

Et illi, qui concupiscit, & plenus spei est, si quod expectatur, iucundum fuerit, & fore illud, & bono sibi futurum putat: ei autem, qui sine motu hoc est, & stomachatur illud, contrarium.

PROBAT alijs exemplis motus animorum, vehementer variare iudicia hominum, & qui diuersa etiam natura indoleque sunt, longe aliter de ijsdem rebus sentire: si forte enim (inquit) aliqua cupiditate tenentur, naturaque bene sperant de rebus futuris, & fore id, quod expectatur, cum iucundum est, & commodo bonoq; ipsis fore putant: si contra desiderio illius non tenentur: haesitantq; animo semper in rebus aggrediendis, vix aliquid fieri posse putant. Secutus autem fidem antiquissimi libri, emendaui ἀπαθεῖ, cum antea in excusis, & reliquis etiam scriptis, foret, ἀπειθεῖ: hoc enim mihi magis visum est conuenire, & sententiae auctoris, & locutioni: infra quoque hoc ipso in libro ἀπαθεῖς vocat, qui commoti non sunt, ac nihil metuunt, vt ἀπάθειαν etiam huiuscemodi statum animi appellauit: ordo quoq; ita magis custoditur: respondet enim hoc verbo ἐπιθυμοῦντι: cum vero supra affirmasset longe aliter sentire de factis alicuius, & qui diligunt, & qui odio habent: nec non qui irati sunt, aut sedato animo: iamque priores duas contrarias inter se res, exemplis confirmasset, videtur nunc posteriores velle eodem pacto explanare, quamuis non de cupiditate tantum vlciscendi inimicum agat, verum omnem cupiditatem complectatur: quemadmodum etiam non de illo tantum, qui vacuus ab ira sit, sed omni turbido motu liber: addat autem eodem pacto se rem habere in eo, qui bona spe praeditus sit, contrarioq; ipsius statu, qui aegre omne effici posse: multumq; difficultatis in rebus positũ esse putat: hoc enim quoq; valere δυσχεραίνειν adnotauit Budaeus, & testimonijs huius scriptoris confirmauit.

Τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας τρία ἐστὶ τὰ αἴτια· τοσαῦτα γάρ ἐστι, δι' ἃ πιστεύομεν, ἔξω τῶν ἀποδείξεων.

Quare

Quare igitur ipsi oratores fide digni habeantur, tres sunt causae: tot enim sunt, quibus impulsi, fidem aliquibus habemus, praeter argumenta.

CVM docuisset, qui facti quodammodo erunt oratores, fide numquam carituros apud eos, qui audiunt, sed magnum pondus semper in animis eorum verba prolata ab ipsis habitura (hos enim intellexit, cum πιστοὺς ipsos vocauit: πιστοὺς enim nunc homines appellat, non multo antea orationem πιστὴν vocauerat) quid in illis requiratur, vt fide digni sint, nunc ostendit, ac potissimum tria illa esse affirmat, quod nulla alia res praeter ipsa ad auctoritatem, fidemq; dicenti acquirendam quicquam valeat, exceptis argumentis.

Ἔστι δὲ ταῦτα, φρόνησις, καὶ ἀρετὴ, καὶ εὔνοια.

Sunt autem haec prudentia, & virtus, & beneuolentia.

SVNT autem illa, prudentia, virtus, & beneuolentia. Virtutem vero, probitatem appellat, quod ex contrario manifestum est: μοχθηρίαν enim, idest prauitatem, contrarium animi habitum vocat.

Διαψεύδονται γὰρ περὶ ὧν λέγουσιν, ἢ συμβουλεύουσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα, ἢ διὰ τούτων τι.

Verum enim non attingunt, de quibus dicunt, aut deliberant, siue propter haec omnia, siue propter quodpiam horum.

A CONTRARIO tria sola esse confirmat, quae verbis oratoris auctoritatem, aut fidem addunt: falluntur enim (inquit) a veroq; deijciuntur in rebus, quas narrant, aut quas in consilijs dandis afferunt, siue contrarijs omnibus rebus, siue illarum aliqua inducti, vt ipse statim tradit. διαψεύδονται vero valere, labuntur, decipiuntur, testimonio quoque ipsius comprobatur, qui in iij. libro de moribus ad Eudemum dicens timidos, audacesq; falso sentire de rebus, quae periculum in se habent ob animi habitus, qui in ipsis vigent, hoc verbo vsus est. » Οἱ μὲν δειλοὶ, καὶ θρασεῖς, διαψεύδονται διὰ τὰς ἕξεις.

Ἢ γὰρ δι' ἀφροσύνην, οὐκ ὀρθῶς τοῦτο δοξάζουσιν: ἢ δοξάζοντες ὀρθῶς, διὰ μοχθηρίαν οὐ τὰ δοκοῦντα λέγουσιν: ἢ φρόνιμοι μὲν καὶ ἐπιεικεῖς εἰσιν, ἀλλ' οὐκ εὖνοι.

Siue enim propter stultitiam non rectas de hoc opiniones habent, siue rectas opiniones habentes, ob animum prauum, quae videntur ipsis, non dicunt: siue prudentes sane sunt, & probi viri, verumtamen non beneuoli.

QVAE sint tria illa contraria superiorum, ostendit: simulq;, quomodo causa sint, vt consilium, quod dant ipsis praediti, inutile malumq; sit, explicat: aut enim ob stultitiam bene de ea re non sentiunt: neq; vim ipsius perceptam, ac cognitam habent: quodq; vtile arbitrantur, detrimentosum est: aut natura melius intelligentes, ob prauum ingenium, atque improbitatem, quae in animo habent, non proferunt, sed contra, ac secum sentiant, loquuntur: aut prudentes, probiq; viri sunt, quod neq; in rebus iudicandis fallantur, neque natura praui sint, non tamen ijs, quibus consilium dant, beneuoli: qui enim auerso animo ab aliquibus sunt, student omni ratione, qua possunt, ipsis incommodare, nec rectum illis, vtileque consilium vnquam darent. Nec tamen hoc probitatem animi eorum aliquando contaminat, impeditue, quin ijdem boni viri sint: non tantum enim hoc sine reprehensione, verum etiam cum laude faciunt, vt si quis iniusto viro, qui seruitute patriam oppressam teneat, huiuscemodi consilium det: vel ex moribus institutisq; suorum temporum locutus est, quibus gloriam afferebat, ac virtutem significabat, vlcisci acriter inimicum: nec viam vllam labefactandi eum omittere: vt alias in his libris declaratum est: hic autem ἐπιεικεῖς probi: non enim de aequo & bono, quod ἐπιεικὲς vocant, sermo nunc est: consuerant autem Graeci hoc nomen ad alia etiam transferre, vt Aristoteles ipse in v. libro de moribus ad Nicomachum docet: ac multis praeterea veterum scriptorum testimonijs confirmari posset. In antiquiss. libro legitur, οὐκ ὀρθῶς δοξάζουσιν: & sane τοῦτο, quod in medio horum verborum excusi habent, illinc videtur sine damno abesse posse.

Διόπερ ἐνδέχεται μὴ τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν γιγνώσκοντας: καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν.

Quibus de causis contingit, vt aliqui non bona consilia dent, intelligentes: exceptis autem his, nihil est.

QVARE

QVARE (inquit) contingit consilia, quae nec bono, nec vtilitati sint, dare: atque hoc scientes intelligentesq; aliquos facere: non nulli enim tam prauo animo sunt, vt incommodis aliorum gaudeant. Alij autem, aliqua in re laesi, aut etiam laesos se falso existimantes, dolent: nec aequo animo pati possunt eos, aut bonum aliquod adipisci, aut malum declinare. quare ea suadent, quae minime illis conducere sentiunt. Aut igitur ignoratio rerum: aut malitia, prauitasq; ingenij, aut iusta quaedam ira facere possunt, vt mala consilia dentur: quamuis autem quodlibet horum satis sit: fieri etiã potest, vt omnia haec vitia in consultore coniuncta sint: praeter enim haec nihil inueniri, excogitarique potest, vt ipse statim addidit.

Ἀνάγκη ἄρα, τὸν ἅπαντα δοκοῦντα ταῦτ' ἔχειν, εἶναι τοῖς ἀκροωμένοις πιστόν.

Necesse igitur est, eum, qui videtur omnia haec habere, esse apud eos, qui audiunt, dignum, cui credant.

INTELLIGIT tria illa, quae supra causam esse inquit, vt crederetur dicenti, aut suadenti, non quae nuper enumerauerat: concluditque omnem hanc, quae a contrario ducta est, argumentationem: si namque & prudens, & probus vir, & beneuolus ijs, qui audiunt, videbitur: hisq; omnibus rebus praeditus existimabitur, non tantum erit: fieri non poterit, quin ab ipsis fide dignus habeatur: isq;, cuius orationem nullo modo suspectam habere debeant.

Ὅθεν μὲν τοίνυν φρόνιμοι καὶ σπουδαῖοι φανεῖεν ἄν, ἐκ τῶν περὶ τὰς ἀρετὰς διῃρημένων ληπτέον.

Unde igitur prudentes & probi viri videantur, ex ijs, quae de virtute tradita sunt, sumendum est.

CVM in consilijs dandis tantopere vtile esse docuerimus, videri prudentem virum, ac studiosum virtutis, qui dicit: sint autem ab ipso oratione sua in se ipso virtutes hae adfingendae: ac dicendo ita afficiendi, qui audiunt, vt credant eum & prudentem, & probum virum esse, non poterit haerere orator, quomodo hoc faciat: nec tamen me (inquit) quae semel explicata sunt, repetere inutiliter oportet.

Ἐκ τῶν αὐτῶν γάρ, κἂν ἕτερόν τις, κἂν ἑαυτὸν κατασκευάσειε τοιοῦτον.

Ex ijsdem enim aliquis & alium quempiam, & semetipsum poterit fingere talem.

LOCI enim supra a nobis monstrati (inquit) in genere demonstratiuo, vnde argumenta ad alios exornandos duci possunt, ijdem nobis ad nosmetipsos honestandos, vtiles erunt: vt enim praesidio illorum ostendimus quempiam praeclaras virtutes habuisse, ita etiam nosmetipsos fingere ac conformare poterimus: vt & prudentes & probi viri, studiosique virtutis, videamur.

Περὶ δὲ εὐνοίας καὶ φιλίας ἐν τοῖς περὶ τὰ πάθη λεκτέον νῦν.

De beneuolentia autem & amicitia, in his, quae faciunt ad motus turbidos animorum, dicendum modo a nobis est.

HAEC ad reliquam rem pertinent, quae requiritur in oratoribus, vt bene scilicet animati erga eos, apud quos agunt, videantur: vnde enim se bene velle illis, ac diligere ipsos ostendere queant, vbi de virtutibus egit, non indicauit. narrat igitur se nunc id explicaturum, cum de motibus animi disputare aggrediatur: quid enim amicitia prosequi aliquos sit, & quae ad eã pertinent, copiose illic tractabit. Ab antiquissimo libro abest aduerbium νῦν: id tamen vetus quoq; tralatio exprimit.

Ἔστι δὲ τὰ πάθη, δι' ὅσα μεταβάλλοντες διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονή.

Sunt autem motus hi cuncta, ob quae immutati, discrepant a semetipsis in rebus existimandis, quibus motibus comitatur aegritudo, ac voluptas.

NON perfecte nunc exprimit naturam perturbationũ, sed vnde intelligi possint, exponit. Sunt igitur (inquit) omnes illae perturbationes: quae faciunt, vt nos immutati, non eodem modo de ijsdem rebus sentiamus, sed saepe a nobis metipsis, praeteritisq; nostris iudicijs, discrepemus: nec male Terentius Eunucho sua hoc expressit, cum Parmenoné, ingentem varietatem morũ in " animo vitaque adolescentis ob amorem factam, admirantem inducit. Di boni. Quid hoc

morbi'st?

» morbi'st? adeon homines immutarier ex amore, vt non cognoscas eundem esse: & quae sequuntur: μεταβάλλειν autem est mutationem in se suscipere: quomodo etiam boni Latini sermonis auctores aliquando verbo mutare vtuntur, vt M. Varro in quinto de lingua Latina.
» In denario numero hoc mutat: quod primum est a decem assibus decussis: secundum a duo-
» bus decussibus bicessis, &c. reliqua conueniunt: & ij. rerum rusticarum. Reliquae pastio-
» nes hiberno, ac verno tempore hoc mutant: immutamur enim manifesto, & ex eo animi statu, in quo prius eramus, discedimus: exempli gratia, cum antea tranquillo animo essemus, si alicui repente irascimur, aut conspicantes quempiam aduersis rebus conflictari, indignum illa fortuna virum; si antea neminem miseraremur, subito dolemus. Nec tamen πάθη cunctae, quae in animis nostris mutationes fiunt, vocantur: vt si forte ex alia in aliam cogitationem traducimur: vnde tamen appetitio nulla, commotioue grauior existat, sed illae tantum, quas consequitur voluptas, & egritudo: his namque correpti homines, secus atque antea faciebant, de rebus existimant. Hoc etiam addidit in ij. libro de moribus ad Nicomachum, cum, quae
» πάθη essent, illic quoq; explicaret: multis enim enumeratis, inquit. ὅλως οἷς ἕπεται ἡδονὴ καὶ λύπη: sunt autem illae eius animi partis, quae est expers rationis: & ὀρεκτικὸν, quod ea appetamus, vocatur.

Οἷον ὀργὴ, ἔλεος, φόβος, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, καὶ τὰ τούτοις ἐναντία.

Ceu ira, misericordia, metus, & quaecunque alia huiuscemodi sunt, contrariaq; iidem his.

Cvm descripsisset vim earum, vt melius illae intelligantur, exemplo appellationeq; non nullarum reliquas cognosci voluit. Cuius igitur generis sunt (inquit) ira, misericordia, metus, & quae huiuscemodi sunt: nec non, quae nunc appellatis contrariae sunt: vt irae mansuetudo: misericordiae, animi indignatio: metui, fidentem esse: illae enim quoque animi commotiones sunt.

Δεῖ δὲ διαιρεῖν τὰ περὶ ἕκαστον εἰς τρία: λέγω δ' οἷον περὶ ὀργῆς, πῶς τε διακείμενοι ὀργίλοι εἰσὶ, καὶ τίσιν εἰώθασιν ὀργίζεσθαι, καὶ ἐπὶ ποίοις.

Opus est autem diuidere, quae ad singulos pertinent, in tria: intelligo autem, exempli causa de ira, quomodo affecti iracundi sunt: & quibus irasci consuerunt: & ob quas res.

Si vim perturbationum exprimere volumus, & rationem illarum tractandarum docere: quae circa singulas fiunt, in tres partes diuidamus oportet: tota res apertior erit, si quod dicimus, in vna ostenderimus: sit autem reliquarum nunc exemplum, ira. Explanare igitur oportet, quomodo affecti facile irascuntur, & quibus irasci consueuerunt, & quas nam ob res.

Εἰ γὰρ τὸ μὲν ἓν, ἢ τὰ δύο ἔχοιμεν τούτων: ἅπαντα δὲ μὴ, ἀδύνατον ἂν εἴη τὴν ὀργὴν ἐμποιεῖν: ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Si namque vnum quidem, vel duo, teneremus horum: cuncta autem minime, fieri non posset, vt in pectora eorum, qui audiunt, insereremus iram. eodem autem pacto se res habet de alijs motibus.

A Contrario probat tria illa, quae dixit, necessaria esse: si enim (inquit) vnum, aut alterum etiam horum habeamus: cuncta autem non tenemus, effici nihil a nobis poterit: nec facultatem habebimus, cum volemus, commouendi ad iram eos, qui audiunt: significat autem hoc (nisi fallor) si cognitum habuerimus, qui sunt proni ad iram, ac praeterea, quibus irasci homines consueuerunt: nec tamen didicerimus, ob quas potissimum res irascantur, non poterimus excitare in animis auditorum hunc motum, quamuis ipsi nullo negotio commoueri possint, & ij etiam, quibus irasci ipsos cupimus, eius generis hominum sint, cui irasci solent: afferemus enim ob ignorationem huius rei, quae aliena sunt hoc motu excitando, ac fortasse etiam magis illi sedando apta sunt: eodem etiam pacto frustra laborabimus, si primum horum nescierimus, reliqua autem duo teneamus: quamuis enim sciamus, quibus irascuntur, & ob quas res, si qui valde remoti sunt ab hoc affectu, ita commouere conabimur, nihil proficiemus. Idem ac multo facilius continget, si vnum tantum tenebimus: duo vero ignorabimus. Addit autem idem vsu venire in ceteris animi perturbationibus. Τὴν ὀργὴν ἐμποιεῖν valet, ita commouere animos eorum, qui audiunt, vt irascantur. In iiij. de moribus ad Nicomachum eodem

pacto

pacto locutus est. τὸ μὲν γὰρ πάθος ἐστὶν ὀργή: τὰ δὲ ἐμποιοῦντα, πολλὰ καὶ διαφέροντα: Cum Aristoteles in μεταφ. dixerit. καὶ ὁ ἄλλοις ἐμποιητικὸς τῶν τοιούτων λόγων, Cicero, eandem sententiam enuntians in Oratore, inquit. Inserit nouas opiniones, euellit insitas: verbum tamen Latinum, translatum. In primo autem de Oratore Cicero vim huius sermonis (vt arbitror) expressit, cum inquit. Cum iratum aduersario iudicem facere vult.

Ὥσπερ οὖν καὶ ἐπὶ τῶν προειρημένων διεγράψαμεν τὰς προτάσεις, οὕτω καὶ ἐπὶ τούτων ποιήσωμεν καὶ διέλωμεν τὸν εἰρημένον τρόπον.

Quemadmodum igitur, & in ijs, quae prius dicta sunt, descripsimus propositiones, ita & in his faciamus, & diuidamus eodem pacto.

Vt igitur (inquit) in rebus iam traditis propositiones descripsimus, sic in his nunc faciamus, distinguamusq; ipsas, modo antea a nobis vsurpato. Intelligit autem, quae superiore libro pertractauit: res scilicet vtiles, honestas, aequas, ceteraq;, quorum locos exposuit: quam rationem nunc in commotionibus animi explicandis pollicetur se seruaturum: προτάσεις, vt illic fecit, vocans proprias illorum generum explicatas propositiones: quae proprij loci sunt, vnde & ad illa probanda, & ad haec excitanda, proficiscamur.

Ἔστω δὴ ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης, τιμωρίας φαινομένης.

Sit igitur ira appetitus cum aegritudine eius rei gerendae, quae speciem habeat vltionis.

Sic etiam Stoici postea iram definierunt, paulum immutatis verbis. ὀργὴ ἐστιν ἐπιθυμία τιμωρίας, τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι, οὐ προσηκόντως. His autem verbis Cicero definitionem eorum expressit. Ira est libido puniendi eius, qui videatur laesisse iniuria. Quam autem nunc satis commodam ducit irae definitionem Aristoteles, criminatur in primo libro de animo, vt dialecticam atque inanem, quod formam absq; materie complectatur: vt autem ei, qui vim ipsius exquisite vellet exprimere, satis haec esse non potest, ita illi, qui dicendi artem tradat, idonea est: neque enim hic irae natura perfecte quaeritur, sed hactenus illa explicatur, vt quomodo verbis eam commouere orator debeat, non ignoret. Huic autem rei praestandae, quae a forma ducitur, aptissima est: quae vero materiem contineret, nihil prodesset: illa namque physici est, vt ipse illic accurate docet: in hac autem esse ostendit, quod supra in cunctis animi affectionibus inueniri testatus est: comitari scilicet ipsis voluptatem atque aegritudinem: iracundia enim cum appetitio sit, vacare non potest voluptate, sed adiunctam illam habere aegritudinem docet: aegritudo namque ex praeterita, qua se laesum putat, iniuria gignitur: voluptas, ex spe, qua tenetur, futurae vltionis.

Διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν.

Atque id, quia visus est parui nos duxisse.

Non solum cum re uera sunt, qui nos parui faciant, irascimur: verum etiam cum, quamuis falso, esse tamen arbitramur: falluntur enim saepe homines, & de rebus longe aliter, ac sunt, existimant. vt igitur, quae speciem habet iniuriae, quamuis iniuria non sit, nos commouet, ita quoque adumbrata vltio, nos explet.

Τῶν εἰς αὐτόν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινὰ, μὴ προσηκόντως.

In ijs rebus, quae pertinent ad nos, siue ad nostrorum quempiam, cũ minime deceret.

Ob eas res, quae ad ipsum referuntur, aut ad aliquem suorum: sua enim interesse arbitrantur honesti viri, non solum se ipsos, verum etiam caras sibi personas ab omni iniuria tueri: cumq; hoc praestare nequeunt, non paruum dedecus se admittere putant. Hoc etiam in iiij. libro de moribus ad Nicomachum tradit, vbi aequo animo se contemni sinere suosq; ludibrio haberi, pati, seruile esse dicit: ac potius mancipij alicuius, quam liberi hominis officium. Addit autem hic, immerito, ac contra id, quod oportebat: aliter enim iniuria non foret: nec irasci vllo modo possemus, si intelligeremus nos esse dignos, qui despiceremur.

Εἰ δὴ τοῦτ' ἐστὶν ἡ ὀργὴ, ἀνάγκη τὸν ὀργιζόμενον ὀργίζεσθαι ἀεὶ τῶν καθέκαστον τινί. οἷον Κλέωνι, ἀλλ' οὐκ ἀνθρώπῳ: καὶ ὅτι αὐτὸν, ἢ τῶν αὐτοῦ τι πεποίηκεν, ἢ ἔμελλε.

Si iam ira est hoc, necesse est eum, qui irascitur, irasci semper certo alicui homini.

veluti Cleoni: non enim homini: & quod in ipsum, vel suorum quempiam aliquid fecit, vel facere in animo habuit.

Si hoc vtiq;, quod ostendimus, ira est (inquit) necesse est eum, qui irascitur, irasci semper singulis hominibus, vt Cleoni exempli gratia, non humanae naturae, vniuersaeq; speciei: & quod aut ipsum, aut quempiam è caris ipsi personis, aut contempsit, aut facere id cogitauit. non multo post, vbi tradit discrimina inter odium, & iram, idem repetit. Cur autem singulis tantum, & non eodem tempore vniuersis hominibus irascantur, causa videtur, quod ita ex contemptione, ac despicientia nascitur: despicientia autem actus quidam est, aut ex actu certe proficiscitur: actum vero esse singularum rerum, non vniuersarum, constat: hoc, vt ipse docuit, ex definitione colligitur. Cum in excusis antea hic legeretur, ἔλη δὲ τοῦτ᾽ ἐστιν, emendaui, secutus fidem antiquissimi libri, ἔστω: qui attendet autem, videbit singulis perturbationibus definitis, ipsum hoc addere solitum: neque enim descriptiones has veras omnino firmasq; esse intelligit, sed tamen his rebus explanandis accommodatas: quod declarat etiam dicens ἔστω. quasi pro tempore ita res illas accipi velit. Praeterea τινὰ hic sustuli, cum ἢ τῶν αὐτοῦ τινὰ prius formis excusi haberent: ab omnibus enim scriptis id abesse verbum animaduerti.

Καὶ πάσῃ ὀργῇ ἕπεσθαί τινα ἡδονήν, τὴν ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ τιμωρήσασθαι.

Et omni irae comitari quandam voluptatem, illam inquam, quae oritur a spe vlciscendi.

Repeti debet hic, vt commune huic quoq; parti, ἀνάγκη. Si satis expressa est a nobis natura iracundiae, necesse est etiam voluptatem quampiam comitari omni iracundiae: illam (inquam) quae proficiscitur a spe puniendi eum, qui antea laesit: hoc autem necessario consequi definitionem illam inquit, quia iram esse dixerat appetitionem: non simpliciter autem voluptatem irae comitari, dicit: id enim aduersaretur ei, quod antea protulerat: iram appetitionem esse, coniunctam cum aegritudine, sed certam quandam: idque magis adhuc explanans, inquit, quae proficiscitur a spe puniendi eum, qui laesit: angitur itaq; animo iratus, quia iniuria laesum se, contemptumue putat: voluptatem eodem tempore sentit ex vltione, quam spe, & animo concepit: non sunt autem haec inter se pugnantia.

Ἡδὺ μὲν γὰρ τὸ οἴεσθαι τεύξεσθαι, ὧν ἐφίεται.

Iucundum enim est, putare se consequuturum ea, quorum cupiditate incensus est.

Dvobvs argumentis probat comitari iracundiae voluptatem: primum ducitur a spe, quam, qui iratus est, concepit animo potiendi re, cuius acri desiderio tenetur. inquit igitur: iucundum autem vnicuiq; est arbitrari se consecuturum, quae vehementer optat: hoc vero ita certum est, vt confirmatione non putet indigere, & Deliaci etiam carminis posteriore versiculo comprobatur.

Οὐδεὶς δὲ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων ἐφίεται αὐτῷ.

Nemo autem concupiscit, quae videntur effici non posse ab ipso.

Addit, quod generatim verum esse vult: nemo vero appetit, quae nullo modo sperat se consequi posse: desiderio sane non nulli tenentur rerum obtinendarum efficiendarumq;, quas nec adipisci: nec praestare queunt: verum errore quodam ducuntur, ac putant illa effici a se posse. quod si omnino crederent ipsas eiusmodi esse, non earũ cupiditate exarsissent: sed etiam quae effici ab ipsis possunt, cum speciem contrariarum habeant, & existimentur ab illis fieri non posse, minime commouent. Quod aberat ab excusis libris, extremum superiorum verborum, hic restitui, inuentũ a me in pluribus scriptis codicibus: & a vetere quoq; tralatione expressum.

Ὁ δὲ ὀργιζόμενος ἐφίεται αὐτῷ δυνατῶν.

Qui vero iratus est concupiscit, quae fieri ab ipso possunt.

Qvi autem iratus alicui est, appetit, quae fieri ab ipso possunt: idest toto animo cupit capere paenas ab eo, qui iniuria lacessiuit, quod arbitratur se posse aliquando obtinere: si enim aliter sentiret: nec parem se esse putaret vlciscendo inimico, ira commotus non foret: neque enim irascimur illis, quibus longo interuallo minores nos esse intelligimus, & in quos effundere

stram non valemus. Quare intelligitur, quod non explicauit ipse, iratum opinari se adepturum, quae acriter appetit: vnde voluptas efficitur.

Διὸ καλῶς εἴρηται περὶ θυμοῦ. Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται.

Quapropter recte dictum est de excandescentia. Quae multo dulcior melle destillante, augescit in pectoribus hominum.

Et sententiam hanc ijsdem paene verbis, & locum Homeri in primo quoq; libro protulit, vbi de rebus, quae voluptatem gignunt, disputat: hic autem valet ad confirmandum, quod argumento probauerat, auctoritas poëtae: vel potius corollarij vim habet.

Ἀκολουθεῖ γὰρ καὶ ἡδονή τις διά τε τοῦτο: καὶ διότι διατρίβουσιν ἐν τῷ τιμωρεῖσθαι τῇ διανοίᾳ.

Comitatur enim voluptas quaedam, & propter hoc, & quia occupati sunt toto animo in vlciscendo.

Non vnum tantum ortum habet voluptas, quae numquam deserit iratos, sed duplici stirpe surgit: nam efficitur etiam, quia tota mente occupati sunt in vlciscendo inimico. Illa igitur quoque cogitatio, & tamquam rei ipsius imago, gignit voluptatem: videntur enim sibi, quas volunt paenas, capere ab inimico: ac tamquam male ipsum mulcare, vt eum poeniteat suae petulantiae. Superior voluptas in spe tota fundata erat: posterior vero haec, quia, quod futurum sperat, ita firmiter credit, vt collocet sibi rem ipsam ante oculos, & quasi praesenti illo gaudio fruatur.

Ἡ οὖν τότε ἐγγινομένη φαντασία ἡδονὴν ποιεῖ, ὥσπερ ἡ τῶν ἐνυπνίων.

Quae igitur surgit tunc phantasia parit voluptatē, quemadmodū, quae somniorū est.

Cogitatio igitur illa speciesq;, quae nobis obuersatur ante oculos, laetitiam parit: vt somniorum scilicet phantasia voluptatem efficit: mirificas namque suauitates gignere nobis saepe somnia, notum est: simili namq; hoc rem explanare voluit. φαντασίαν autem Cicero visionem vocare consueuit: Aristoteli vero hic, vt superiore quoq; in libro, phantasia est cogitatio quaedam vehemens alicuius rei, cum ita in ea occupati sumus, vt non animo ipsam versare, sed manu tractare, & tunc ipsum gerere eam nobis videamur. Discedit a communi lectione antiquissimus liber hac parte, quod γινομένη habet, & ἐμποιεῖ, remota praepositione a nomine, & ad verbum translata: haec tamen scripturae varietas parum, aut nihil, sententiam variat.

Ἐπεὶ δ᾽ ἡ ὀλιγωρία ἐστὶν ἐνέργεια δόξης περὶ τὸ μηδενὸς ἄξιον φαινόμενον.

Quia autem parui ducere quempiam, est opinionis functio circa id, quod nullius pretij esse videtur.

Cvm supra in euoluenda natura irae, docuisset illam excitari, cum aliquis sibi visus est parui habitus, aut etiam existimauit quempiam suorum eodem pacto iniuria tractatum, & ob simulatam deniq; adumbratamq; oligoriam, nunc ex partibus ipsius, quae causae irae sint, ostendit: quot enim illae sunt, tot erunt origines principiaq; irae: huiuscemodi autem esse oligoriam, tamquam exploratum sumit, non rationibus vllis confirmat. quare ἐπεὶ, inquit: vt facere consueuit, cum res aut notas apertasq;, aut iam explanatas affert: consequens autem est, clauditq; totam sententiam, τρία δ᾽ ἐστίν: & quae sequuntur: opinionis autem functionem oligoriam esse dicit, vt nomen ipsum declarat, qua parui ducimus ea etiam, quae dignitatem aliquam in se habent, nec omnino abijcienda sunt: si tamen huiuscemodi speciem illa prae se tulerint, vt nullius pretij digna esse videantur. naturam illius nunc exprimit Aristoteles: nec scrupulum aliquem res haberet, si par Graeco Latinum verbum haberemus: paruipensio enim nouum est, nec a vetere vllo, bono auctore, vsurpatum.

Καὶ γὰρ τὰ κακὰ, καὶ τ᾽ ἀγαθὰ, ἄξια οἰόμεθα σπουδῆς εἶναι, καὶ τὰ συντείνοντα πρὸς ταῦτα.

Et mala enim, & bona digna putamus esse, quae curemus, & etiam, quae referuntur ad haec.

PROBAT actum hunc versari circa res, quae nullius pretij dignae videntur, a contrario: mala enim (inquit) & bona, digna ducimus, de quibus curas suscipiamus, & in quibus studij multum collocemus: illa, vt euitemus: haec, vt consequamur: ea autem parui facere solemus, ex quibus nec boni aliquid, nec mali ad nos peruenire posse putamus: nec in rebus bonis, ac malis tantum studium ponimus, sed in illis etiam, quae eo referuntur, & ad bonas malasue res perducunt: quamuis ipsae huiuscemodi non sint.

Ὅσα δὲ μηδὲν, ἢ πάνυ μικρὰ, οὐδενὸς ἄξια ὑπολαμβάνομεν.

Quaecunq; autem nihili sunt, aut valde pusilla, nullius pretij esse arbitramur.

VT illa nullo modo parui ducimus, ita contra haec, quae aut nihili sunt, aut valde pusilla, idest quae nullum pondus habent, aut exiguum admodum ad emolumentum nobis, aut damnum, importandum, nullo in numero habemus: nec pretio vllo digna arbitramur. Antiquissimus liber discrepat a reliquis omnibus, quod habet: ὅσα δὲ μηδέντι, ἢ μικρὸν. vt hic videatur esse sensus eius lectionis, nulla paene re a superiore diuersus. Quae vero, aut nihil omnino, aut exiguum quippiam valent.

Τρία δ' ἐστὶν εἴδη ὀλιγωρίας, καταφρόνησίς τε, καὶ ἐπηρεασμὸς, καὶ ὕβρις.

Tres autem sunt species, quibus intelligitur aliquis parui ducere, contemptio, & ludibrium, & contumelia.

HAEC est redditio illius ἐπεὶ: exponit enim, quid inde nascatur. Quia (inquit) res ita se habet, vt ostendimus, patet tres vtiq; species esse oligoriae, quod tres viae, ac rationes sint, quibus aliquis quempiam parui faciat: illas autem, quibus nominibus a suis vocarentur, appellat: idest despicientiam, & (vt ita loquar) incommodationem, & contumeliam: statimque quomodo tribus his modis exerceri hic actus animi possit, ipse accurate docet, & ratione etiam concludit: particulam autem δὲ, acceptam ex antiquissimo libro, & expressam quoq; a vetere tralatione restitui, quamuis sententiam non multum adiuuet, sed potius otiosa hic illa superuacaneaq; videatur, quia integritatem scripturae seruare, quantum possum, studeo: in primo etiam libro admonui ornatus gratia illic eam assumptam esse, simili huic loco. Δῆλον δ' ὅτι ὁ μάλιστα τοῦτο δυνάμενος θεωρεῖν.

Ὅ,τε γὰρ καταφρονῶν, ὀλιγωρεῖ: ἃ γὰρ οἴονται μηδενὸς ἄξια εἶναι, τούτων καταφρονοῦσι.

Qui enim contemnit, parui ducit: quae namque putant nullius pretij esse, ea contemnunt.

PARTEM oligoriae, actusq; animi, parui quaedam pendentis, probat esse despicientiam: qui enim (inquit) despicit, parui ducit: moris enim hominum est despicere, quae nullo pretio digna putant: actum autem hunc opinionis circa haec versari, planum factum est. Immutatus est aliquantum in antiquissimo libro hic locus, manente sententia: sic enim in eo legitur. ὅσα γὰρ οἴονται μηδενὸς ἄξια, τούτων καταφρονοῦσι.

Τῶν δὲ μηδενὸς ἀξίων, ὀλιγωροῦσι.

Quae vero nullius pretij sunt, parui ducunt.

VT in exprimenda natura, ac vi huius rei declaratum est. Ex ijs igitur verbis in definitione positis, explanat nunc contemptionem genus suum habere ὀλιγωρίαν, atque illi, vt partem ipsius, subesse: quae enim homines nullius pretij digna existimant, despiciunt: id autem, quod nullius pretij dignum est, parui fieri diximus. concludit igitur hoc pacto rationem. quod siquis syllogismum explicari vult, ita ille in prima figura confirmatur: quae nullius pretij apud ipsos sunt, ea parui homines ducunt: quae despiciunt, nullius pretij apud ipsos sunt. quae despiciunt igitur parui ducunt.

Καὶ ὁ ἐπηρεάζων, φαίνεται καταφρονεῖν.

Et qui sine causa incommodat alicui, perspicitur eum contemnere.

VEL hic καταφρονεῖν valet ὀλιγωρεῖν, ac nullo loco habere: in euoluenda enim quoq; vi, ac natura partis huius speciei ue, videtur nomen generis ponere debuisse: quod in reliquis seruauit: vel, cum ἐπηρεάζοντα tradat καταφρονεῖν, ac contemnere: quia, qui contemnit, is etiam parui facit, ἐπηρεάζοντα ita paruifacere declarat. vsus hoc, quasi medio quodam, ad probandum, quod vult.

Ἔστι γὰρ ὁ ἐπηρεασμὸς, ἐμποδισμὸς ταῖς βουλήσεσιν: οὐχ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλ' ἵνα μὴ ἐκείνῳ.

Est enim huiuscemodi incommodatio, impedimentum allatum alicuius voluntatibus, non vt aliquid sibi sit, sed, vt non illi.

Est enim (inquit) ἐπηρεασμὸς (neque enim fortasse, quo Graecum penitus exprimamus, Latinum verbum habemus) alicuius studium alij aduersandi: ac conatus desideriaq; illius impediendi: non vt commodum aliquod ex ea re ipse nanciscatur, verum vt eius commoda corrumpat. in ἐπηρεασμῷ hoc intelligitur impedimentum, moraque alicui importata, & voluptas eius, qui, nullum suum commodum secutus studet disturbare illum: voluntatique ipsius ac conatibus aduersatur. ἐπήρειαν saepe appellauit Demosthenes, cum improbitatem hanc significare vellet: & animú, qui captus esset studio laedendi quempiam, voluptatis suae causa. vt pro Ctesiphonte, vbi cum alijs nominibus, quae simile ingenium indolemq; indicarent, coniungit. Ἐχθρῶ μὲν ἐπήρειαν ἔχει, καὶ ὕβριν, καὶ λοιδορίαν, καὶ προπηλακισμόν: & post. ἀλλ' ἐν ἐπηρείας τάξει τοῦτο ποιεῖν.

Ἐπεὶ οὖν οὐχ ἵνα αὐτῷ τι, ὀλιγωρεῖ: δῆλον γὰρ ὅτι οὔτε βλάψειν ὑπολαμβάνει: ἐφοβεῖτο γὰρ, καὶ οὐκ ὠλιγώρει: οὔτ' ὠφελῆσαι ἂν οὐδὲν ἄξιον λόγου: ἐφρόντισε γὰρ ἂν, ὥστε φίλος εἶναι.

Qui autem, non vt aliquid sibi, parui ducit: planum enim est neque obfuturum eum esse existimare: timuisset enim, & non parui duxisset: neque emolumenti aliquid adlaturum in re alicuius aestimationis: curasset enim, vt sibi amicus fieret.

Probat ex definitione ἐπηρεασμοῦ, qui ita se gerit, vt alicui improbe obuiam eat, ac repugnet, ob nullum suum fructum, parui ducere, dicens. quia igitur dat operam, vt alij incommodet sine vlla sua vtilitate, parui illum ducit: planum enim est ipsum firmiter credere, se ab eo laedi non posse: metuisset enim, non parui duxisset: nec vlla etiam in re adiuuari: quae momenti aliquid habeat: nam exiguas vtilitates negligimus atque abijcimus saepe: fieri namque illi amicus studuisset: diligentiam enim adhibemus, vt eos, vnde emolumenti aliquid capere posse speramus, nobis conciliemus.

Καὶ ὁ ὑβρίζων δὲ, ὀλιγωρεῖ: ἔστι γὰρ ὕβρις τὸ βλάπτειν, καὶ λυπεῖν, ἐφ' οἷς αἰσχύνη ἐστὶ τῷ πάσχοντι.

Et qui contumeliam imponit, parui ducit: est enim contumelia obesse, & inurere dolorem, in ijs rebus, vnde venit dedecus in eum qui perpetitur.

Declarat eum etiam, qui contumelia quempiam vexat, parui ducere: recte igitur contumeliam partem esse dixit ὀλιγωρίας: proficiscitur autem a definitione contumeliae: quam esse dicit detrimentum importare, ac dolorem inurere in rebus: e quibus dedecus gignitur illi, qui contumeliam perpetitur: non tamen eo consilio, vt aliquid lucri fiat ei, qui contumelia insequitur, verum vt solum oblectetur, & ex ea re laetitiam capiat. In antiquissimo libro aliter legi animaduerti verba illa, quae naturam contumeliae euoluunt: nolui autem, quamuis lectionem non immutarim, varietatem eam ignorari. ita igitur in vno illo exemplari scriptum offendi. Ἔστι γὰρ ὕβρις τὸ πράττειν, καὶ λέγειν. & quae sequuntur: significatur vero manifesto his verbis, duobus modis improbitatem hanc exerceri: factis scilicet, ac verbis, quae alicui molesta sint. sed id intelligi etiam è superioribus illis poterat: verbo namque βλάπτειν, facta contineri videntur, quae obsint: posteriore vero λυπεῖν, animi dolor inustus: quamuis aegritudine etiam afficiantur homines ob damna, non verba tantum, quae existimationem laedant, vt expressius illis declarari videantur damna quaedam in re familiari accepta, quae his aperte non traduntur. Animaduertendum tamen ipsa huiuscemodi esse debere, vt turpitudinis aliquid potius, ignominiaeq; importent, quam graue aliquod incommodum patrimonio: aut si magnum etiam damnum contineant, non tamen cogitare, qui infert, rem suam inde meliorem facere: tantum enim ipsi propositum est, notam inurere illi, aduersus quem se ita gerit.

Μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ ἄλλο, ἢ ὅτι ἐγένετο, ἀλλ' ὅπως ἡσθῇ.

Non, vt aliquid ipsi aliud adiungatur, praeter quã quod iam aderat, sed vt laetetur.

In quodã scripto lib. ita húc locú legi animaduerti: μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ, τῷ δρῶντι ἄλλο, ἀλλ' ὅπως ἡσθῇ.

abundat igitur a communi lectione in eo aliquid: non nulla etiam deficiunt. ipse receptam hanc, peruulgatamq; veram puto: quam etiam in antiquissimo exemplari inueni. Sensus verborum hic est, non vt inde quidpiam sibi commodi comparet, siue quia aliquid antea gestum ab eo sit, quod nollet. prior pars ad quaestum, bonumq; aliquod adipiscendum pertinet: posterior ad vlciscendum, antea inustum ipsi, dolorem. nisi particula ἢ, aliter capi debet: ac significat hic quam, non, vel: hoc intellectu. non vt noui quippiam ipsi acquiratur praeter illud, quod iam partum erat: non, vt noui aliud, quam quod iam aderat, ipsi comparetur.

Οἱ γὰρ ἀντιποιοῦντες, οὐχ ὑβρίζουσιν, ἀλλὰ τιμωροῦνται.

Qui enim quippiam contra moliuntur, non contumeliam imponunt, sed vlciscuntur.

RESPONDET hoc posteriori parti: qui enim iniuria accepta, aut damnum inferunt, aut dignitatem alicui eripiunt, non ὑβρίζουσι, contumeliosiue sunt, sed vlciscuntur: &, pro malo accepto, malum reddunt. ἀντιποιεῖν significat respondere studijs ac factis alicuius, & tamquam par pari referre: ac de rebus bonis malisq; dici consueuit. In v. libro de moribus ad Nicomachum ipse.
» Τῷ ἀντιποιεῖν γὰρ ἀνάλογον συμμένει ἡ πόλις: ἢ γὰρ τὸ κακῶς ζητοῦσι: εἰ δὲ μὴ, δουλεία δοκεῖ εἶναι, εἰ μὴ ἀντι-
» ποιήσει, ἢ τὸ εὖ: εἰ δὲ μὴ, μετάδοσις οὐ γίνεται. Euripides Andromacha, cum idem significare vellet,
» pari huic verbo vsus est. Τοὺς παθόντας ἀντιδρᾶν. licere illis, qui iniuste laesi sint, malo afficere auctores iniuriae. Planum igitur factum est, eos, qui ob depellendum ex animo suo dolorem, aliquibus detrimentum important, non posse dici contumelia afficere.

Αἴτιον δὲ τῆς ἡδονῆς τοῖς ὑβρίζουσιν, ὅτι οἴονται κακῶς δρῶντες αὐτοὺς, ὑπερέχειν, μᾶλλον.

Causa autem voluptatis ijs, qui contumeliam imponunt, est, quia arbitrantur se, damnum importantes ipsis, magis praestare.

QVIA dixerat contumeliosos homines, non ob vtilitatem aliquam ignominia ceteros afficere, sed animi tantum causa prauo illo fungi munere, exponit quid nam sit in ea re, quod voluptatem gignat: absurdum enim videbatur quempiam alijs molestum esse velle sine suo aliquo commodo, & ex ea etiam re voluptatem sentire. Causa igitur (inquit) voluptatis illius, quae nascitur in animis quorumdam improborum ex contumelia illata, est, quia arbitrantur se, dum volentes ipsis incommodant, aut dolorem aliquem inurunt, magis praestaturos: erat enim aliquid, quamuis obscurum, & abditum, quod ad eos referebatur: vt sunt enim hominum ingenia, repperiuntur non nulli, qui videri volunt ceteris omnibus antistare, ac secum etiam inani hac opinione gaudent: arbitrantur enim se magis eos dignitate superare, si ipsis aliquid incommodi intulerint: vel quod eos abiectiores ea iniuria reddunt, vt facilius dignitate vinci illi possint: vel quod inde etiam se meliores ac potentiores esse intelligunt, cum iniurias, a se illatas, qui pares esse putabantur, propulsare non potuerint.

Διὸ οἱ νέοι, καὶ οἱ πλούσιοι, ὑβρισταί: ὑπερέχειν γὰρ οἴονται ὑβρίζοντες.

Quapropter adolescentes, & locupletes, sunt contumeliosi: putant enim se praestare, dum imponunt contumeliam.

VNDE videmus (inquit) adolescentes, ac diuites, contumeliosos esse: cum enim laudis praeter modum auidi sint, inanem etiam hanc, falsamq; gloriam sequuntur: ac putant se antecellere ceteris, cum contumelias inferunt. Qui ingenium huiuscemodi esse adolescentium nouerat, non inelegans scriptor Aelianus, in hac re lusit: ac vinum, quod ne dum ad vetustatem, & quasi senium peruenisset, nouum adhuc erat, contumeliosum, & ipsum esse ob aetatem tradidit. In
» epistola autem Oporae ad Dercyllem amatorem verba haec posita sunt. Καὶ οἶνος ὑβριστὴς διὰ νεότητα: cum vetus vinum, & quod certo quodam tempore antea diffusum sit, ab huiuscemodi contumelijs, & iniurijs, vt senes etiam homines, & qui mediam aetatem habent, faciunt, sibi temperare soleat.

Ὕβρεως δὲ, ἀτιμία: ὁ δ' ἀτιμάζων, ὀλιγωρεῖ.

Contumeliae autem ignominia: qui autem ignominia notat; parui ducit.

PROPOSITVM erat Aristoteli docere, eum, qui quempiam contumelia afficit, ipsum parui pendere, vnde partem ὀλιγωρίας esse probet contumeliam. confirmat igitur id explicata natura, & vi contumeliae: ex ea namque percipitur, contumeliam versari in ignominia turpitudineque illi inurenda,

iniurenda, in quem iacitur: ante quam tamen id, quod volebat, absolueret, non nullis rebus interiectis, eodem postea redijt: inquitq; proprium contumeliae esse, dignitatem, atque existimationem alicui eripere: id enim significare arbitror, ὕβρεως δὲ ἀτιμία. quod qui facit, parui omnino pendit: quia, quod nullius pretij est, nullam habet aestimationem: neq; ratio illius haberi potest, siue vt boni, siue vt mali. Hic totius huius loci sensus videtur: in verbis tamen Graecis vis ipsius argumentationis magis perspicitur: cum enim ostendisset ἀτιμίαν esse rem, quam sibi propositam haberet contumelia, rationem illius nominis sequitur, atque inde, quod vult, confirmat.

Τὸ γὰρ μηδενὸς ἄξιον, οὐδεμίαν ἔχει τιμήν: οὔτε κακοῦ: οὔτε ἀγαθοῦ.

Quod enim nullius pretij est, nullam aestimationem habet neque mali, neq; boni.

PROBAT eum, qui ἀτιμάζει, ac nulla in aestimatione aliquid habet, parui ducere. & honorem vero, & aestimationem pretiumq; significare Graecis τιμὴν, notum etiam pueris est, qui primas litteras didicerunt. hic, si accurate animaduertimus, aestimationem valet: vt sit. τὸ γὰρ μηδενὸς ἄξιον οὐδεμίαν ἔχει τιμὴν: id scilicet, quod nullius pretij est, in nulla aestimatione habetur: verba enim, quae sequuntur, hoc declarare videntur: οὔτε κακοῦ, οὔτε ἀγαθοῦ: ad honorem namque illa (nisi fallor) referri non possunt.

Διὸ λέγει ὀργιζόμενος ὁ Ἀχιλλεύς. Ἠτίμησεν: ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας, αὐτὸς ἀπούρας: καὶ Ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην, ὡς διὰ ταῦτα ὀργιζόμενος.

Quapropter dicit iratus Achilles. Nullius pretij me putauit: habet enim munus mihi ademptum, quo ipse me spoliauit: & Vt abiectum quendam, & qui crebro sedes mutet, vt propter haec iratus.

EXEMPLIS Homeri hoc confirmat, ac vocibus, quae a fortissimo ac generosi spiritus viro prolatae apud eum sunt: nec enim poterat aequo animo pati Achilles contumeliam Agamemnonis. cum igitur de iniuria illius cum matre in primo Iliadis queritur, inquit: nullo pretio me dignũ aestimauit: nullum pondus habere, siue ad bonum, siue ad malum, me iudicauit. quod satis certo argumento intelligi posse declarat, cum praemio sibi ab exercitu ob virtutem tributo, ipsum spoliasset. Idemq; postea, cum orationi Aiacis, legati in nono eiusdem operis responderet, atque iniuriam Agamemnonis verbis augeret, inquit se ab eo tractatum fuisse, vt abiectum aliquem, & nullius pretij hominem, & qui crebro sedes mutaret. In iij. tamen libro de rep. Aristoteles honoris vacuitatem censet significari voce ἀτίμητον, eundem versum citans: aperteque hoc declarans: eum enim in primis ciuem appellari tradit, qui particeps est honorum: cum contra, qui ciuitatis honorum expers est, tamquam conuena quidam ac peregrinus haberi debeat: & sane ἀτιμῶσαι valebat ignominia afficere: publicis honoribus ac muneribus quempiam orbare: & quasi è ciuium numero pellere. quo sensu cepit Demosthenes pro Ctesiphonte, dicens: » παύσῃ δ' οὐδέποτε, ἐὰν μή σ' οὗτοι παύσωσιν, ἀτιμώσαντες τήμερον. quod exprimere fortasse Cicero voluit, cum in iij. libro de Oratore ad Q. fratrem, de Aeschine ipso loquens, inquit. » Qui cum propter ignominiam iudicij cessisset Athenis.

Προσήκειν δ' οἴονται πολυωρεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἡττόνων, κατὰ γένος, κατὰ δύναμιν, κατ' ἀρετήν.

Putant autem decere se magni duci ab inferioribus genere, potestate, virtute.

CVM homines tã iniquo animo ferant se parui duci, ac vehementer cupiant magni fieri: aequum in primis esse putant magni duci ab ijs, qui inferiores sunt genere, opibus, virtute: demumq; hac in re honorari se postulant, in qua valde illi praestant, a quo sibi honorem deferri volunt: πολυωρεῖν autem, verbum, & ipsum iunctum, oppositum esse verbo, quo saepe iam vsus est, ὀλιγωρεῖν, patet: quod pars, quae extremo adhaesit, contrarium significet, cum ipsum idem in ambobus maneat.

Καὶ ὅλως, ἐν ᾧ ἂν ταὐτῷ ὑπερέχῃ πολύ.

Et demum, in quo multum praestat.

QVOD a numero multitudinis ad vnitatis numerum hic transit, mirari non debemus: quos enim supra complexus dixerat, arbitrantur decere se duci magni ab inferioribus, genere, opibus, virtute,

virtute, nunc diuidit, ac seorsum de singulis loquitur. demumq; inquit, quacunque in re quispiam alij praestiterit, ea ipsa in re censet se pendi magni debere, vt in pecunia diues a paupere: & quae sequuntur.

Οἷον ἐν χρήμασιν ὁ πλούσιος, πένητος: καὶ ἐν τῷ λέγειν ῥητορικὸς, ἀδυνάτου εἰπεῖν.

Veluti in pecunia, diues a paupere: & in dicendo, facundus ab infante.

Cum diues pauperem superet pecunia, & amplitudine patrimonij, eloquens infantem facultate dicendi, & locuples in diuitijs se magni haberi a paupere decere putat, & orator ab infante homine in agendo. ῥητορικοὶ vocantur, diserti & eloquentes homines. Isocrates quoq; in ijsdem
» significandis hoc ipso verbo vsus est: eius namque haec verba sunt in Nicocle. Καὶ ῥητορικοὺς μὲν
» καλοῦμεν, τοὺς ἐν τῷ πλήθει λέγειν δυναμένους.

Καὶ ἄρχων, ἀρχομένου.

Et qui imperium habet, ab eo, qui paret imperio.

Nec non, qui regnat aliqua in gente, ac summam auctoritatem illic habet, postulat se magni pendi ab illis, qui imperio ipsius tenentur, in dominatu ipso: nam alijs fortasse rebus aequiore animo paterentur se despici: nec tam excellentes haberi. non debitum vero sibi honorem deferri, in principatu ipso ac rebus, quae eo referuntur, nullo modo ferunt.

Καὶ ἄρχειν ἄξιος οἰόμενος τοῦ ἄρχεσθαι ἀξίου. Διὸ εἴρηται, Θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων: καὶ. Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον.

Et creditus dignus, qui imperet, ab eo, qui putatur dignus, qui pareat imperio. Unde dictum est. Excandescentia autem magna est regum a Ioue altorum. & Sed etiam postea retinet iracundiam.

Nec tantum, qui principatum obtinent, verum illi etiam, qui se dignos eo gradu honoris putant, aequum censent se magni fieri ab ijs, qui digni sunt, quibus imperetur: quod cum ab illis non non praestatur, grauiter irascuntur: id autem confirmat auctoritate Homeri, apud quem in ij. libro Iliadis sapientissimus vir Vlysses magnam existere iram regum, inquit aduersus eos, quibus praesunt, nisi illi in officio manserint. & in primo eiusdem operis optimus augur Chalcas, reformidans iracundiam Agamemnonis, affirmat eosdem, quamuis bilem concoxerint, multum tamen simultatis in animo retinere, si laesos se existimarint ab ijs, qui minores ipsis fortuna sunt, ac parere debent. cum posterior etiam versus integer in excusis esset, mutilatum illum, vt in scriptis omnibus inueni, posui.

Ἀγανακτοῦσι γὰρ διὰ τὴν ὑπεροχήν.

Stomachantur enim ob praestantiam.

Haec causa est, cur non reges tantum humilioris condicionis hominibus irascantur, si illi improbe se gesserint, ac simultatem etiam non facile ex animo dimittant, verum etiam, cur ceteri omnes, qui aliquibus praestant, iniquo animo ferant sibi non concedi ab ipsis in ea ipsa re, in qua inferiores sunt: inquit enim eos stomachari, & aegre ferre, quia intelligunt se antecellere ipsis: qui autem antecellunt, postulant sibi honores deferri ac concedi in studio contentioneq; illius rei, in qua superiores sunt, ab illis, quibus praestant. quod si aliter fit, tamquam debito fraudentur, indignantur.

Ἔτι ὑφ᾽ ὧν τις οἴεται εὖ πάσχειν δεῖν.

Amplius a quibus putat quispiam se boni aliquid accipere oportere.

Praeterea aequum esse censent se magni fieri ab his, a quibus putant se commodis beneficijsq; affici oportere: postulant enim hoc tamquam vnum ex ijs bonis, quae si grati illi esse volunt, cumulate reddere pro veteribus, aut nouis in ipsos collatis beneficijs, debent: honorem namque sibi deferendum, vt maioribus intelligunt, qui fuerunt aliquibus auctores magnorum commodorum.

Οὗτοι δέ εἰσιν, οὓς εὖ πεποίηκεν, ἢ ποιεῖ.

Hi autem sunt, in quos beneficium contulit, vel confert ipse.

Ostendit,

OSTENDIT, quae ſint perſonae, a quibus quiſpiam arbitratur ſe commodis augeri oportere: eſſe autem (inquit) eos, quibus, aut praeteritis temporibus, aut tunc ipſum benigne fecit, aut facit: non ſine cauſa autem ita vulgo ſentimus: boniq; aliquid ſemper inde expectamus: iure enim naturae praecipitur, vt beneficia beneficijs compenſentur.

Η τῶν αὐτοῦ τις, ἢ διὶ αὐτοῦ.

Siue aliquis ſuorum, vel alius eius gratia.

AVT ipſe, aut cognatus, & affinis ipſius aliquis, aut ſi alienus etiam, opera ac ſtudio eiuſdem: niſi enim illius gratia, officiumq; interceſſiſſet, qui beneficium accepit, eo commodo caruiſſet. Qui igitur ab aliquo adiuuatur, ſi eum parui poſtea facit, iuſto dolore contra ſe illum accendit. Aliquantulum autem variatus eſt hic locus in antiquiſſimo libro, immutato etiam ordine perſonarum: ita enim illic legitur. αὐτὸς, ἢ δὶ αὐτόν τις, ἢ τῶν αὐτοῦ τις.

Η βούλεται, ἢ ἐβουλήθη.

Siue vult, ſiue voluit.

NEC tantum ab ijs, quibus bene fecit, facitue, aut ipſe, aut ſuorum aliquis: ſed etiam, quibus aut tunc vult, aut antea voluit, bono eſſe: putat enim quilibet animum illum ſuum, ac voluntatem opitulandi, debere compenſari: conſciusq; praeclarae ſuae voluntatis erga illos, ſe obſeruari ab ipſis debere exiſtimat.

Φανερὸν οὖν ἐκ τούτων ἤδη, πῶς τ' ἔχοντες ὀργίζονται αὐτοί, καὶ τίσι, καὶ διὰ ποῖα.

Perſpicuum igitur iam ex his, & quomodo affecti iraſcuntur, & quibus, & ob qualia.

TOTVM fere negotium tranſactum eſt, inquit: nam ſi, quae ſupra tradita ſunt, ſubtiliter, accurateq; conſiderentur, perſpicua iam cuncta, quae propoſueramus: ideſt, & quomodo affecti iraſcuntur ipſi, & quibus hominibus, & quas ob res: leuandi tamen laboris gratia, &, vt infirmiores adiuuemus, vberius apertiusq; totam rem explicabimus.

Αὐτοὶ μὲν γὰρ, ὅταν λυπῶνται.

Ipſi namque, cum animus eorum aeger fuerit.

TVNC facile iraſcuntur, cum animo dolent: procliues ad iram ſunt homines, quos aegritudo aliqua conficit. Cum autem omnia, quae nunc tradit, perſpici potuiſſe dixerit ex rebus iam explicatis, primum hoc inde ita eliciebatur, quia pars eſt oligoriae, impedimento eſſe deſiderijs alicuius. qui vero aegro animo ſunt, appetunt aliquid. cunctos igitur illi obuiam ire ſuis voluntatibus putant, quos appellat. quare exiſtimantes ſe parui pendi, iraſcuntur.

Ἐφίεται γάρ τινος ὁ λυπούμενος: ἐάν τε κατ' εὐθυωρίαν οὖν ἀντικρούῃ τις, οἷον τῷ διψῶντι πρὸς τὸ πιεῖν: ἐάν τε μὴ, ὅμως ταὐτὸ φαίνεται ποιεῖν.

Concupiſcit enim aliquid ille, cui aegre eſt. ſiue igitur recto curſu aliquis aduerſatus fuerit, veluti ſitienti in ſiti explenda: ſiue non, tamen idem facere videtur.

RATIONEM affert, cur facile commoueantur, qui dolent: quicunq; enim (inquit) aegritudine laborat, idem deſiderio alicuius rei tenetur. ſiquis igitur cupidini ipſius aduerſatus fuerit, iraſcitur: ſiue per rectum quaſi curſum: vt ſiquis ſiti affecto in ea re moleſtus ſit, nec ſinat ipſum ſitim explere, aut aquam turbans, aut poculum è manu extorquens: ſiue non ita obſtiterit: quamuis enim aliter ipſum laeſerit, idem facere videtur: cunctae autem morae impedimentaq;, quae inferuntur, eo referuntur, & conatū illius impedire videntur: minimis. n. rebus ita affectus, vehementer commouetur. Veluti Chaerea Terentianus valde iratus factus eſt Archimenidi, qui ipſum remoratus eſt, virginem, quā aſpexerat, eximia forma ſectantē: neq; tamen ſenex ille vmquam cogitauit amorem ipſius impedire, aut aliquid moleſtiae eidem exhibere: opera tamen illius importuna idem effectum eſt, ac ſi ſtuduiſſet diſturbare eius cupiditatem. nam Chaeream vehementer commotum fuiſſe erga Archimenidem, ipſemet declarauit. Κατ' εὐθυωρίαν autem valet directo: &, vt Cicero, tranſlato ſermone vſus, aliquando inquit, per curſum rectum. Terentius certe, cum ἑαυτὸν τιμωρούμενον inquit, Immo vt recta via rem narret, hoc expreſſit. ita quoq; locutus eſt auctor in ij. libro de partib. animantiū: τὴν δὲ φύσιν ἔχει τῆς σαρκὸς, οὐ κατ' εὐθυωρίαν,

» εὐθυωρίαν, ἀλλὰ κατὰ κύκλους διαιρετέον. Idem valet Demetrio, ἐξ εὐθείας (nisi fallor) Παραινοῦντες αὐτοῖς μὴ ἁμαρτάνειν, οὐκ ἐξ εὐθείας ἐροῦμεν: non rem directo aperteq;, sed clam, & obscure dicemus. Antiquissimus liber, a reliquis hac parte dissentiens, ita habet. ἐάν τι οὖν κατ' εὐθυωρίαν ὅτι οὖν ἀντικρούσῃ τις: quod notum esse volui, cum communem lectionem non immutarim.

Καὶ ἄν τε ἀντιπράττῃ τις, ἄν τε μὴ συμπράττῃ.

Et siue contra quispiam aliquid gesserit, siue non adiuuerit.

Qui perturbatum aegritudine animum habent, irascuntur illis, qui studijs ipsorum aduersantur: nec non ijs etiam, qui causam ipsorum, cum possint, non adiuuant: commoti enim animo non bene res existimant: atq; oportere putant cunctos ad desideria sua subleuanda se conuertere.
» In xi. Epist. ad Atticum Cicero, de Pompeianis loquens, inquit. Omnes enim, qui in Italia
» remanserunt hostium numero habebuntur: infensi enim erant illis, quod communem causam deseruissent: nec, quemadmodum ipsi facerent, remp. enixe defenderent.

Ἐάν τε ἄλλο τι ἐνοχλῇ, οὕτως ἔχοντα, τοῖς πᾶσιν ὀργίζεται.

Siue etiam alia quapiam in re molestus fuerit, ita affecto, cunctis irascitur.

In excusis antea libris, & non nullis quoque scriptis legitur, οὕτως ἔχον, vitiose omnino. quare emendaui, auctoritatem secutus antiquissimi codicis, & rem ipsam, οὕτως ἔχοντα. sensus autem ita apertus est: qui ex ea lectione nullus erat, nisi virili genere quispiam ἔχων castigasset: siue alia vlla in re aliquis interpellarit, ac molestia affecerit, sic animo affectum, omnibus ille irascitur, ac leuiusculas iniurias summas putat: seque ab ipsis studiose laedi, atque interpellari existimat.

Διὸ κάμνοντες, πενόμενοι, ἐρῶντες, διψῶντες, ὅλως ἐπιθυμοῦντες, καὶ μὴ κατορθοῦντες, ὀργίλοι εἰσὶ, καὶ εὐπαρόρμητοι.

Quare aegrotantes, paupertate grauati, amantes, sitientes, ad summam concupiscentes, & in illis rebus parum felices, iracundi sunt, & facile incurrunt in quoslibet.

Et haec causa est (inquit) cur, qui graui morbo laborant, qui paupertate premuntur, qui amant, qui sitiunt, demumq;, qui vehementiore aliqua cupiditate tenentur, nec desiderijs illis suis, aliqua re impediti, frui possunt, procliues ad iram sunt, & nullo negotio concitantur: morbum vero esse, tamquam segetem, ac materiem irae: quiq; aegrotant procliuius irasci, ac vehementius solere, quamuis satis planum sit, confirmari tamen potest testimonio Isocratis, qui in Aeginetico, difficilis naturae hominem, morosiorem morbo factum dicens, his verbis vsus est: καὶ γὰρ, φύσει χαλεπὸς ὤν, ἔτι δυσκολώτερον διὰ τὴν νόσον διέκειτο. Significat autem ὅλως, vno nomine: ad summam (inquit) quicunq; cupiditate aliqua incensi sunt: ne singulos enumerem, vniuersum genus eorum, qui vehementi cuiusvis rei desiderio affecti sunt: hi namque generatim ad iram proni, cum ad exitum perducere nequeunt suas voluptates, cum desideria ipsorum rectum cursum non tenent: hoc enim valere arbitror, μὴ κατορθοῦντες. In antiquissimo libro ἐπιθυμοῦντές τι legitur. reliqui scripti cum excusis faciunt.

Μάλιστα μὲν πρὸς τοὺς τοῦ παρόντος ὀλιγωροῦντας.

Maxime in illos commouentur, qui malum, quod tunc ipsos premit, despiciunt.

Omnibus irascuntur, qui conflictantur his malis: potissimum autem ijs, qui miserum illum statum, in quo tunc sunt, non subleuant, aut magis eos illis incommodis vexari faciunt parui. nam amatores facile commoueri, & poëtae quoq; & graues auctores, tradunt. In ἑαυτὸν τιμω-
» ρουμένῳ senex, filium corrigens, inquit. Noui ego amantium animum. aduortunt grauiter,
» quae non censeas: animum enim θυμὸν, & excandescentiam appellauit. Cicero ad Trebatium.
» Quam sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest.

Οἷον, κάμνων μὲν, τοῖς πρὸς τὴν νόσον: πενόμενος δὲ, τοῖς πρὸς τὴν πενίαν: πολεμῶν δὲ, τοῖς πρὸς τὸν πόλεμον: ἐρῶν δὲ, τοῖς πρὸς τὸν ἔρωτα.

Veluti, aegrotans illis irascitur, qui aduersus morbum auxilium non ferunt: pauper autem ijs, qui aduersus paupertatem: bellum gerens ijs, qui aduersus mala belli: amore incensus ijs, qui aduersus amorem.

Exemplis

EXEMPLIS docet, multo acerbiores esse maioribus malis affectos homines, aduersus eos, qui aut augere mala illa videntur, aut cum possint, non minuunt: neq; depellunt: vt aegrotans (inquit, irascitur illis, qui in rebus ijs molesti sunt, quae ad morbum pertinent: patrimonij egestate laborans, in ijs, quae ad paupertatem: bellum gerens, in ijs, quae ad administrationem belli attinent: amore captus, in ijs, quae ad ardorem illum animi quo flagrat, extinguendum faciunt. Quod ad posterius exemplum pertinet, animaduertendus est Virgilij locus in ij. libro de rebus rusticis: hoc enim, quod nunc Aristoteles tradit, videtur intellexisse, cum inquit. Aut vnde iratus syluam deuexit arator. Et nemora euertit, multos ignaua per annos. Agricola namq;, penuria omnium rerum grauatus, quod ex angusto agello suo fructus ad vitam necessarios non capiebat, syluis irascebatur: videbantur enim eum in tanta egestate tenere, quod magnam partem agri occuparent. Nisi forte poëta, cum iratum eum appellauit, non ira commotum intellexit, sed impetum illius eo verbo exprimere voluit: studiumque vehemens in sylua excidenda: quae enim irato animo aggredimur, maiore impetu conatuq; facimus.

Ὁμοίως δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις.

Similiter autem & alijs.

HAEC (vt opinor) redditio est illius, μάλιστα μὲν: cum enim potissimum irasci mortales docuisset ijs, qui obuersantur ipsis, & aliquid impedimenti afferunt in rebus, in quibus toto animo occupantur, tradit nunc commoueri facile etiam aduersus reliquos, qui ita affectis, aliquo modo molesti sunt: neq; enim, cum ὁμοίως dixerit, arbitror eum significare voluisse, ipsos irasci, vt superioribus, ita etiam reliquis omnibus, qui non ita quoque ipsis aduersantur, ac non minus his inferioribus, quam illis. sed, cum ipsis potissimum irascantur, irasci etiam his, non pari tamen simiiq; ira, vt tantam vim habet perturbatio, qua tenentur, in animis eorum ad iram praeparandis, vt in omnes, qui quocunq; modo molesti sunt, bilé illam suam effundant. Quod si hoc non respondet superiori illi parti, quá indicaui, non dispicio, quod sit consequens ipsius: nec tamen reticere volo in antiquissimo libro particulam μὲν non legi: quam sane vetus tralatio exprimit.

Προωδοποίηται γὰρ ἕκαστος πρὸς τὴν ἑκάστου ὀργὴν ὑπὸ τοῦ ὑπάρχοντος πάθους.

Factus est enim instructusq; vnus quisq; horum ad iram exercendum aduersus singulos, a motu, qui adest iam in animis illorum.

VNDE existat hic furor, docet: omnes enim hi (inquit) praeparantur ab insito iam in animum dolore, ad nouas animi commotiones, contra eos, qui molesti sunt ipsis: siue ad iram, quae ex singulis rebus excitatur, quae speciem habeant iniuriae: vt ἑκάστου non auctorem contumeliae significet, sed rem ipsam, quae aduersa desiderijs eorum cecidit. Angor igitur, quo antea premebantur, pronos homines reddit ad ea, quae contingunt postea ipsis, animaduertenda & grauiter accipienda.

Ἔτι δὲ, ἐὰν τἀναντία τύχῃ προσδεχόμενος: λυπεῖ γὰρ μᾶλλον τὸ πολὺ παρὰ δόξαν.

Amplius autem, si contraria inde expectarit: vrit enim magis, quod multum est praeter expectationem.

MVLTO etiam facilius, grauiusq; irascitur, qui his malis premitur, si impediri se intelligit ab eo, vnde opem praesidiumq; expectabat. Rationem huius rei affert, atq; inquit: maiorem enim dolorem importat incommodum, quod & magnum, & insperatum est: quod autem mali ab amicis proficiscitur, atque ijs, a quibus bona expectabamus, praeter spem venit: πολὺ vero videtur addidisse ad id, quod est παρὰ δόξαν, ac praeter spem contingit: in grauioribus maiorisq; ponderis malis hoc euenire significans: leuiora namque, quia minus non tangunt: parumque animaduertuntur, non magnum aliquem dolorem inurunt: quamuis repentina expectataque veniant.

Ὥσπερ καὶ τέρπει τὸ πολὺ παρὰ δόξαν.

Quemadmodum & oblectat multum praeter expectationem.

A CONTRARIO hoc firmat. eodem pacto, quemadmodum videmus, & sua vi magnum, & insperatum aliquod bonũ, magis oblectare, quam si id antea peruenturum ad nos vidissemus, & tamquam spe iam, opinioneq; ipsum deuorassemus.

Ex

Ἐὰν γίνηται, ὃ βούλεται.

Si factum fuerit, quod vult.

ITA emendaui, secutus fidem antiquissimi libri: sunt enim plures scripti, & excusi, in quibus mendose, ἐὰν γὰρ γίνηται, legatur. alij vero excusi ἐὰν γίνηται, habent. Huius, quam probo, lectionis, vestigium etiam in vetere tralatione extat: neque enim in ea expressa est, quae causam reddit, coniunctio. sensus vero, qui inde elicitur, planus. Si id, quod repente extitit, ex sententia, voluntateq; illius prouenit: aliter enim nullo modo oblectaret: superioribus auté verbis explanatum non erat id, quod subito inexpectatoq; nascitur, bonum esse debere.

Διὸ καὶ ὧραι, καὶ χρόνοι, καὶ διαθέσεις, καὶ ἡλικίαι ἐκ τούτων φανεραί, ποῖαι εὐκίνητοι πρὸς ὀργήν.

Quapropter & anni tempestates, & tempora, & habitus, & aetates ex his perspicuae sunt, quales procliues ad iram.

SIQVIS diligenter animaduertet (inquit) ex his, quae explicata sunt perspicuum est, quae tempestates anni, quae tempora, quae affectiones, quae aetates, facile ad iram commoueantur. Nam quod ad tempora pertinet, apud Theocritum pastor nefas esse dicit meridie canere, ne deum Pana a somno excitarent, qui venatione defatigatus, tunc requietem caperet: cum enim ille omnibus horis, ac temporibus paulo momento ad iram impellatur, tunc facilius irasci posse ei, qui ipsi molestus esset, ac somnum turbaret: tempora etiam intelligi arbitror dies tristiores, & quibus aliquae res aduersae, odiosaeq; nobis contigerunt, atque obuersantur: quod inde etiam intelligitur: vbi enim infra ostendit, quando facile placari irati homines possint, ludos appellat, dies festos, ac tempora laetiora: quibusq; aliquid prosperum consecuti simus. contrarijs igitur manifesto temporibus procliuius incitamur ad iram. Quod vero διαθέσεις ait, & quae animi corporisq; affectiones sunt, significauit: ita enim aliquando affecti sumus, & quasi conformati factiq;, vt leues etiam res nos commouere queant. Hoc igitur valere hic arbitror διάθεσιν, vt infra, vbi, quos misereat calamitosorum exponit, locutus est: inquit enim μήτε ἐν ὑβριστικῇ διαθέσει: illi enim, qui affectione tenentur, quae delectatur contumelijs iaciendis, quanto magis aliquos afflictos miserosq; viderint, tanto magis insultant eorum malis: dispositionem nos patrio sermone, verbo Graeco expresso, vocamus, cum Latini scriptores dispositionem, partium collocationem appellent: huiuscemodi autem plerunq; sunt, quorum res malae sunt: qui plagam aliquam a fortuna acceperunt: qui nihil, quod cupiant, consequi: nec ad exitum, quod volunt, perducere, semper in aliqua re offendentes, possunt: ij enim omnes ita affecti esse consuerunt, vt facile irascantur. Quod aetates addidit, senectutem intellexit: quis enim nescit senes morosos esse? quod vitium Telamoni patri, confecto iam aetate, Teucer apud Sophoclem tribuit, cum iracundiam ipsius, si se in conspectum vmquam ei dedisset, valde reformidaret: ac iam, quae iratus ille ob necem Aiacis, conuicia in se effusurus esset, animo atq; mente prouideret. Τοιαῦτ' ἀνὴρ δύσοργος ἐν γήρᾳ βαρὺς ἐρεῖ πρὸς οὐδὲν εἰς ἔριν θυμούμενος: non parum etiam adolescentia huic culpae obnoxia est: cum enim adolescentes inflammato animo ad omnia, quae iucunda sunt, captanda rapiantur, & ipsi nullo negotio ad iram impelluntur.

Καὶ πότε, καὶ ποῦ.

Et quando, & vbi.

QVANDO intelligit, vt cum in maiorem aliquam curam incumbunt, quae valde ipsos solicitos habet: cum tempus locumq; ad aliquid gerendum, cogitandumue accommodatum sumpserunt: tunc enim homines interpellari se molestius ferunt: & illis, qui id commiserint, vehementius irascuntur: huiuscemodique alijs temporibus, ac locis: nam loca quoq; ad hoc vim non paruam habent.

Καὶ ὅτι ὅτε μᾶλλον ἐν τούτοις εἰσί, μᾶλλον καὶ εὐκίνητοι.

Nec non perspicuum est magis eos procliues esse, quando magis in his rebus sunt.

CVM omnes, qui in his rebus sunt, facile irascantur, magis ipsos irasci, cum magis in ipsis sunt, perspicuum esse inquit: ἀπὸ κοινοῦ namque φανερὸν intelligendum. Planum igitur praeterea est (inquit) tunc magis pronos esse ad iram, cum magis his rebus tenentur: significat autem, quae modo enumerauit, tempestates anni, tempora, aetates: alias enim magis: alias minus ipsis opprimuntur: suntq; gradus quidam manifesto illorum omnium.

Αὐτοὶ μὲν οὖν οὕτως ἔχοντες, εὐκίνητοι πρὸς ὀργήν.

Ipsi igitur ita se habentes, procliues sunt ad iram.

HAC parte iam absoluta, antequam alteram aggrediatur, quid adhuc fecerit, admonet: significatque se ostendisse, ipsi, qui impellendi sunt, quomodo affecti, proni sint ad iram, ac nullo negotio commoueantur.

Ὀργίζονται δὲ τοῖς τε καταγελῶσι, καὶ χλευάζουσι, καὶ σκώπτουσιν: ὑβρίζουσι γάρ.

Irascuntur autem ijs, qui derident ipsos, aut ludibrio habent, aut dictis laedunt, cuncti enim hi contumelia vexant.

PARTES non nullas contumeliae enumerat: iam enim, non qui irascantur, sed cui hominum generi, supra explicatis modis affecti, irascantur, exponit. Cum contumelia se vexari homines nullo pacto velint, ijs irascuntur, qui aut derident, aut ludibrio habent, aut aculeatis quibusdã dictis eos laedunt: haec enim omnia (inquit) committere, contumelia est. Quod ad primam partem pertinet, C. Cassius in epistola ad Ciceronem de Cn. Pompeio Cn. Magni F. loquens,
» inquit. Scis quam se semper a nobis derisum putet: vereor ne nos rustice gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι. è quibus verbis percipitur reformidasse Cnei rude saeuumq; ingenium Cassium, si ille vicisset: qui tamen nullam iustam causam inimicitiarum aduersus ipsos haberet: sed tantum putaret se ab illis derisum, vnde ira exorta erat. Ludibrio vero quempiam afficere χλευάζειν est: id autem (vt opinor) manet in conformatione oris, gestuq; quodam corporis, ad notam turpitudinemq; alicui inurendam, apto: cum vultu scilicet, aliaue huiuscemodi ratione personam alicuius dehonestamus: χλεύην enim, siue χλευασίαν, siue χλευασμὸν (his enim verbis in eadem re exprimenda boni auctores vtuntur) esse speciem contumeliae, testatur aperte ipse in vj. libro Topicorum, vbi docet vitiosam esse definitioné eam, quae loco differentiae, speciem
» ponit: inquit. n. Καθάπερ οἱ τὸν προπηλακισμόν, ὕβριν μετὰ χλευασίας, ὁριζόμενοι: ἡ γὰρ χλευασία ὕβρις τίς.

Καὶ τοῖς τὰ τοιαῦτα βλάπτουσιν, ὅσα ὕβρεως σημεῖα.

Et ijs, qui detrimentum adferunt in his rebus, quae contumeliae signa sunt.

QVIA aequo animo pati non possunt homines se paruipendi, statimque, vt aliquid huiuscemodi sentiunt parari contra se, commouentur, irascuntur (inquit) etiam illis, qui laedunt in his rebus, quae speciem habent contumeliae: ac notae indiciaq; ipsius sunt: cum enim aperta adhuc contumelia non sit, è signis illis intelligitur non aliunde iniurias eas prouenire: quae autem illa sint, exponit. vel potius ex ijs, quae supra explicata sunt, illa necessario elici declarat.

Ἀνάγκη δὲ τοιαῦτα εἶναι, ἃ μήτε ἀντί τινος, μήτ᾽ ὠφέλιμα τοῖς ποιοῦσιν: ἤδη γὰρ δοκεῖ διὰ ὕβριν.

Necesse autem est huiuscemodi esse, quae neq; vt par pro pari reddant: neq; vt emolumentum consequantur, faciunt: iam enim videntur ea gesta ob contumeliam.

NECESSE est (inquit) huiuscemodi sint, quae agunt, non vt acceptum dolorem vlciscantur, neque quod meliores res suas inde se facturos putent. Quod inquit, μὴ ἀντί τινος, respondet superiori parti, cum contumeliae naturam explicans, ait: ἢ ὅτι ἐγένετο, & ad vltionem pertinet: qui enim molesti sunt aliquibus, illisue quippiam detrimenti afferunt, a quibus antea laesi sunt, non existimari possunt ob contumeliam facere, sed vt vlciscantur: ipse enim eodem illo in loco hoc addidit.

Καὶ τοῖς κακῶς λέγουσι, καὶ καταφρονοῦσι περὶ ἃ αὐτοὶ μάλιστα σπουδάζουσιν. οἷον οἱ ἐπὶ φιλοσοφίᾳ φιλοτιμούμενοι, ἐάν τις εἰς τὴν φιλοσοφίαν: οἱ δ᾽ ἐπὶ τῇ ἰδέᾳ, ἐάν τις εἰς τὴν ἰδέαν: ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Et ijs, qui maledictis insectantur, & despicatui habent in his rebus, quibus ipsi maxime dant operã. ceu qui ob studiũ sapientiae sibi placet, si aliquis in philosophiã dixerit. qui autẽ ob speciem corporis, si quis in speciẽ corporis. eodem autẽ pacto & in alijs.

ILLIS etiam irascuntur, qui verbis ipsos insectantur, ac despicatui ducunt in ijs rebus, in quibus multum studij adhibent: multumq; se posse volunt: qui enim hoc committunt, spoliare ipsos conantur ijs bonis, quae praecipue cara habent, & quae magno sibi ornamento fore putant:

vt qui existimant (inquit) se in studijs sapientiae multum profecisse, ac magnum nomen in philosophis habere, si quis ea ipsa in re maledixerit ipsis, aut eos spreuerit: quiq; ob speciem corporis multum sibi tribuunt, seq; formosos esse credunt, si quis nullam partem pulchritudinis tenere eos dixerit: eadem ratio est aliorum bonorum, quibus se praeditos esse videri volebant.

Ταῦτα δὲ πολλῷ μᾶλλον, ἐὰν ὑποπτεύωσι μὴ ὑπάρχειν αὑτοῖς.

Atque haec multo magis, si suspicati fuerint, se illa non tenere.

ET si (inquit) omnes dolent se, vt imperitos earum, insimulari, quibus diu incubuerint: & vt expertes eorum bonorum argui, ob quae se antea multum amabant: illi tamen aegrius ferunt, qui non confidunt ea se firmiter tenere, sed verentur ne, aut artium illarum, ornamentorumq; expertes sint, aut saltem, ne ab alijs huiuscemodi esse existimentur.

Ἢ ὅλως, ἢ μὴ ἰσχυρῶς, ἢ μὴ δοκεῖν.

Vel penitus, vel non firmiter, aut non videri ab alijs.

AVT nullam penitus se earum partem tenere, aut si ipsarum omnino rudes non sint, non firmiter se eas percepisse putent: aut si totam scientiam perceptam habeant, atque ita etiam, vt non facile amitti possit, aliter tamen de se existimari, ac nullos credere illius disciplinae ipsos peritos esse, arbitrentur.

Ἐπειδὰν δὲ σφόδρα οἴωνται ὑπάρχειν ἐν τούτοις, ἐν οἷς σκώπτονται, οὐ φροντίζουσι.

Postquam autem se valde putarint in his bonis manere, in quibus inimicis vocibus laeduntur, nihil curant.

RESPONDET primae illi parti: quemadmodum enim aegre ferunt, se vt earum rerum imperitos insimulari, quas ne bene perceperint dubitant, ita cum compertum habent se plene, perfecteq; illas artes nosse, quamuis ipsas nescire, ab aduersarijs dicantur, nihil ad se pertinere existimant: ipsi enim se aliter rem habere sibi ipsis conscij sunt: nec non intelligunt etiam falsam illam opinionem de ipsorum inscitia, mentibus aliorum haerere non posse: ita enim testatam esse, ac confirmatā scientiā suā, vt non facile erui, ac labefactari possit. In vno, antiquiss. tamen illo, libro, hic legitur, non ἐπειδὰν δὲ, sed ἐπειδὰν γὰρ: receptam tamen lectionē non immutaui.

Καὶ τοῖς φίλοις μᾶλλον, ἢ τοῖς μὴ φίλοις· οἴονται γὰρ προσήκειν μᾶλλον ὑπ' αὐτῶν εὖ πάσχειν, ἢ μή.

Et amicis magis quam non amicis: arbitrantur enim conuenire magis se ab ipsis boni aliquid accipere, quam non accipere.

CVMQVE omnibus irascantur, qui ita se aduersus ipsos gerant, multo adhuc magis amicis, si huiuscemodi quicquam fecerint, irascuntur: cuius rei statim causam attulit: videri enim fortasse quibusdam res se aliter habere potuisset, quod amicorum iniuriae leuius, quam non amicorum, videantur ferendae. Arbitrantur enim (inquit) partes fuisse illorum, ipsos potius ornare, & nouis commodis augere, quam partis iam ornamentis: bonisq; spoliare: quod ab illis, qui secum amicitiae iure coniuncti non sunt, non possunt expectare.

Καὶ τοῖς εἰθισμένοις τιμᾶν, ἢ φροντίζειν, ἐὰν πάλιν μὴ οὕτως ὁμιλῶσιν· καὶ γὰρ ὑπὸ τούτων οἴονται καταφρονεῖσθαι· ταῦτα γὰρ ἂν ποιεῖν.

Et illis, qui soliti erant honorare eos, vel de ipsis curam suscipere, si postea cum ipsis non ita se gesserint: ab his enim se putant despici: eadem namque fecissent.

ILLIS quoq; irascuntur, qui praeteritis temporibus consuerant ipsis honorem habere, aut de ipsis curam suscipere, si postea idem non faciunt: existimant enim se ab illis contemni tunc, ac despici: & haec causa est, cur tam moleste id ferant: quo autē signo illi vtantur exponens: nec sine causa omnino ipsos ita sentire docens, addidit: nisi enim hoc esset, eosdem sibi illos honores habituros fuisse. Putant igitur hi, se honore illo fraudari: eumq; sibi, vt iustum iam, ac debitum eripi. Ὁμιλεῖν significat degere vitam cum aliquo, ac familiariter cum eo versari. vnde ὁμιλίαι etiam consuetudines victus: ipse in iiij. de morib. ad Nicomachum. Ἐν δὲ ταῖς ὁμιλίαις, καὶ τῷ συζῆν, καὶ λόγων, καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν. valet igitur hic, nisi cū vna fuerint, vt solebant aduersus

illos legesserint, ac consuetum honorem ipsis habuerint. Cum vero hic locus antea in omnibus excusis libris ita legeretur. Καὶ τοῖς ἠθισμένοις τιμᾶν μᾶλλον, ἢ φροντίζειν, aduerbium μᾶλλον, quod a manuscriptis, quos vidi, abest, nec in vetere tralatione expressum est, sustuli: importune enim illuc coniectum erat, & omnem sensum turbabat: quod ex consequentibus verbis manifesto percipitur.

Καὶ τοῖς μὴ ἀντιποιοῦσιν εὖ: μηδὲ τὴν ἴσην ἀνταποδιδοῦσι.

Et illis, qui non retribuunt a se collata in eos beneficia: neque par pro pari reddunt.

Illis quoq; irascuntur, qui pro acceptis beneficijs beneficia non reddunt: aut si etiam remunerari incoeperint, non pari officio commodoq; remunerantur. Emendaui autem hic, vt in melioribus scriptis libris inueni, μηδὲ τὴν ἴσην ἀνταποδιδοῦσιν, cum sine praepositione antea excusi ἀποδιδοῦσιν, haberent: arbitror autem muliebri genere τὴν ἴσην cum dicat, intelligi χάριν: aequalem gratiam: idest par beneficium.

Καὶ τοῖς τἀναντία ποιοῦσιν αὐτοῖς, ἐὰν ἥττους ὦσι: καταφρονεῖν γὰρ πάντες οἱ τοιοῦτοι φαίνονται.

Et illis, qui contrarias res faciunt rebus, quas ipsi faciunt, si inferiores fuerint: despicere enim cuncti tales videntur.

Atqve illis etiam, qui contrarijs rebus student, si fortunis opibusq; inferiores fuerint. causam duarum harum rerum eandem affert, dicens: hi enim omnes despicatui habere videntur.

Καὶ οἱ μὲν, ὡς ἡττόνων: οἱ δ' ὡς παρ' ἡττόνων.

Atque hi quidem, vt inferiores minoresque: hi vero, vt ab inferioribus.

Qvamvis conueniat omnibus in hoc, vt contemnere videantur, non eodem tamen modo contemptui habere existimantur, sed duobus, quos exponit: & sane ipsorum alteri, vt inferiores, humilioresq;: nisi enim huiuscemodi esse crederent, ipsis non aduersarentur: quis enim contra potentiores sponte contendit, proeliaturq;? alteri vero, vt a tenuioribus ornati, ac commodis aucti, & qui hoc facere tenebantur, ac sine culpa officia illa praetermittere non poterant. quare ipsi omni onere soluti sunt: nec laborare debent, vt paria officia in eos conferant.

Καὶ τοῖς ἐν μηδενὶ λόγῳ οὖσιν, ἄν τι ὀλιγωρῶσι, μᾶλλον: ὑπόκειται γὰρ ἡ ὀργὴ τῆς ὀλιγωρίας πρὸς τοὺς μὴ προσήκοντας: προσήκει δὲ τοῖς ἥττοσι, μὴ ὀλιγωρεῖν.

Et his, qui nullius existimationis sunt, si qua in re parui duxerint, magis: statuimus enim iram excitari propter contemptum aduersus eos, quos minime decet: decet autem minores non contemnere.

Illis autem magis irascuntur, qui in nulla hominum existimatione sunt, si visi fuerint & ipsi aliqua in re parui ducere: nec enim decet abiectos homines, vilesq; admodum personas, eos contemnere, qui ipsos longe superant dignitate: in explicanda autem vi iracundiae, & hoc quoque traditum, gigni iram aduersus eos, qui aliter se, atq; ipsos oporteret, gerunt: est enim tenuiorum officium, non parui facere meliores se, sed colere, & obseruare. Cum in excusis libris hic antea πρὸς τοὺς προσήκοντας, legeretur, negandi particulam, quae desiderari videbatur, addidi: illam enim & in melioribus scriptis exemplaribus offendi, & in vetere quoq; tralatione expressam animaduerti: sed etiam id magis respondere videtur iracundiae definitioni: in qua positum est μὴ προσηκόντως.

Τοῖς δὲ φίλοις, ἐάν τε μὴ εὖ λέγωσιν, ἢ ποιῶσι, καὶ ἔτι μᾶλλον, ἐὰν τἀναντία.

Et amicis, nisi aut verbis eos ornarint: aut re iuuerint, atque adhuc magis, si contraria fecerint.

Amicis etiam irascuntur, si in ipsis, aut verbis, aut commodis ornandis paulo negligentiores illi fuerint: nam hi quoq; aliter, atq; ipsos deceat, facere videntur: decet enim amicos testimonio suo laudem amicorum augere: nec non etiam opibus suis ipsos adiuuare: qui autem hoc non faciunt, negligere videntur: & iusta contra illos ira excitatur: haec enim officia, vt debita, ab illis postulantur. Addit autem multo magis ipsos irasci, si contraria fecerint: idest si maledixerint ipsis, aut etiam incommodis affecerint.

Καὶ ἐὰν μὴ αἰσθάνωνται δεομένων. ὥσπερ ὁ Ἀντιφῶντος Πλήξιππος τῷ Μελεάγρῳ: ὀλιγωρίας γὰρ τὸ μὴ αἰσθάνεσθαι, σημεῖον: ὧν γὰρ φροντίζομεν, οὐ λανθάνει.

Et nisi senserint eos egere. veluti Antiphontis Plexippus Meleagro: signum enim est, quod parui ducantur, non sentire ipsos: quae namque curamus, nos minime fallunt.

AMICIS etiam, sodalibusq; homines irascuntur, nisi illi, quibus in angustijs ipsi versantur, quibusq; rebus egeant, intellexerint: non sine causa autem hoc fieri exponit: &, vnde merito existat haec ira, docet: hoc enim argumentum faciunt, quod parui ab illis ducantur: non sentire namq;, neq; animaduertere, parui ducentis est: quae enim curamus, nos non fallunt. Exemplo hoc etiam firmauit veteris tragici, quod, vt tunc notum omnibus, apertumq; erat, ita nunc fabulis Antiphontis vetustate amissis, obscurum ignotumq; est: hanc enim vnam ob causam tradit Plexippum ab ipso poëta inductum, iratum Meleagro fuisse, quod, quibus ille rebus egeret, non sensit. vnde ipse iudicium fecit se ab eo parui pendi, indeq; simultas illa exorta est. Plexippus autem Althaeae, Meleagri matris, frater fuit, qui postea cum Toxeo fratre ab ipso Meleagro necatus est, cum, Calydonio apro interfecto, illi aegre tulissent praemiũ eius certaminis virgini ab amatore datum: nec ignominiam eam tolerantes, munus Atalantae eripuissent: ira enim tunc commotus Meleager auunculos morte affecit. An hoc ipsum tempus Antipho significauit? Plexippum scilicet iniquo animo accepisse, coniunctum sibi sanguine Meleagrum, non intellexisse cupiditatem animi ipsius, & quantopere flagraret desiderio eius laudis. Apud Athenaeum quoq; in xv. libro mentio est Plexippi, inducti ab Antiphonte tragico in fabula.

Καὶ τοῖς ἐπιχαίρουσι ταῖς ἀτυχίαις, καὶ ὅλως εὐθυμουμένοις ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἀτυχίαις: ἢ γὰρ ἐχθροῦ, ἢ ὀλιγωροῦντος σημεῖον.

Et illis, qui laetantur nostris infortunijs: & demum securo animo sunt in nostris rebus aduersis: siue enim inimici hominis, siue parui ducentis, signum hoc est.

ILLIS etiam irascuntur, qui incommodis ipsorum, infortunijsq; laetantur: demumq; omnibus, qui in malis ipsorum rebus securo tranquilloq; animo sunt: qui enim alterutrũ horum committunt, aut hostes sunt, aut parui ducunt. Laetitiam capere ex aduersis alicuius rebus, hostis est: securo animo esse, parui ducentis: qui enim non dolent, sed hilares sunt in alicuius malis, quidquid illis fiat, se sua nihil interesse putare, declarant.

Καὶ τοῖς μὴ φροντίζουσιν, ἐὰν λυπήσωσι. διὸ καὶ τοῖς κακὰ ἀγγέλλουσιν ὀργίζονται.

Et ijs, qui sua nihil interesse putant, si dolorem inusserint. quae causa est, vt nuntiantibus incommoda aliqua irascantur.

ILLIS etiam irascuntur, qui ipsis dolorem inurere non reformidant, nec metuunt quicquam facere, dicereq;, quod ipsis molestum sit, aegritudinemq; afferat: & haec causa est (inquit) cur detrimenta aliqua accepta, aut in bello, aut in re familiari renuntiantibus, homines irascuntur: Byrthia Terentianus hoc non ignorabat, cum Charino ero suo rem odiosam narraturus esset. Idem etiam cognitũ habuit apud Sophoclem in Antigona nuntius, qui regi rem odiosam narrare coactus est: inquit enim, videns in quem locũ venisset. Στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν.

Καὶ τοῖς ἢ ἀκούουσι περὶ αὐτῶν, ἢ θεωμένοις τὰ αὐτῶν φαῦλα: ὅμοιοι γάρ εἰσιν, ἢ ὀλιγωροῦσιν, ἢ ἐχθροῖς: οἱ γὰρ φίλοι συναλγοῦσι: θεώμενοι δὲ τὰ οἰκεῖα φαῦλα, πάντες ἀλγοῦσιν.

Et siue auscultantibus de ipsis, siue res malas ipsorum spectantibus: similes enim hi sunt, vel parui ducentibus, vel inimicis: amici enim vna cum illis dolent: spectantes autem suas propriasq; res malas, cuncti dolent.

ILLIS etiam irascuntur, qui, aut audiunt, quae ipsorũ existimationẽ laedunt, aut res suas malas spectant: qui.n. hoc faciunt (inquit) reddunt, aut hostes, aut parui ducentes: hostis.n. inimicusq; eius haberi potest, qui libenter alicuius facta, moresq; vituperari audit: quemadmodum etiam speciẽ habent parui pendentiũ, qui contemplantur aduersas alicuius res: amici.n. cũ huiuscemodi aliquid vident, anguntur, nec spectare possunt, eodemq; pacto animo afficiuntur, atq; illi affecti sunt, qui in ipsis malis versantur: nemo autẽ vmquã sua mala spectauit, quin doleret.

Ἔτι τοῖς ὀλιγωροῦσι πρὸς πέντε, πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται: πρὸς οὓς θαυμάζουσιν: ὑφ' ὧν βούλονται θαυμάζεσθαι: πρὸς οὓς αἰσχύνονται, ἢ ἐν τοῖς αἰσχυνομένοις αὐτούς. ἐν τούτοις, ἐάν τις ὀλιγωρῇ, ὀργίζονται μᾶλλον.

Adhuc parui ducentibus ipsos apud quinque genera hominum, apud illos, cum quibus de honore contendunt: apud eos, quos admirantur: apud quos volunt se admirationi esse: apud eos, quos verecundantur: vel apud eos, qui verecundantur ipsos: coram enim his, siquis eos parui duxerit, irascuntur magis.

CVM iniquo animo semper ferant homines se parui duci, nullo pacto pati possunt se negligi, ac contemni apud quinq; hominum genera: sed cum hoc fit, grauiter irascuntur: idest apud illos, cum quibus de honore ac gloria contendunt: apud eos, quos admirantur: apud eos in quorum animis sui admirationem gignere cupiunt: apud eos, quos verecundantur: aut in ijs (quod vltimum genus erit) qui verentur ipsos: diuersae autem causae faciunt, vt aegre admodum ferant, cum vident se parui pendi coram ijs: quomodo enim non grauiter ferre possunt, cum parui penduntur apud illos, quibus pares dignitate esse student, ac cum quibus de primis contendunt: non dignos enim, qui secum in certamen de honore veniant, illi iudicabunt, si viderint negligi: aut eos, quos admirantur: cum enim suspiciant illos, existimationem ipsorum acquirere vellent, nec vlla in re apud ipsos offendere: nec non eos quoq;, qui admirantur ipsos: neq; enim vellent extingui, aut minui hanc opinionem de ipsorũ praestantia in animis eorum. Quos vero verentur, quomodo pati possunt videre, aut audire, quae ipsorũ dignitatem laedant? cauere enim studiose solemus, ne, quos verecundamur, videant nobis notam inuri: quos autem nostri pudet, non facile ferimus intelligere quosdam nullius pretij homines nos putare: cum enim cultu illorum obseruationeq; delectemur, metuimus ne ita iudicium illorũ amittamus.

Καὶ τοῖς εἰς τὰ τοιαῦτα ὀλιγωροῦσιν, ὑπὲρ ὧν αὐτοῖς αἰσχρὸν μὴ βοηθεῖν. οἷον γονεῖς, τέκνα, γυναῖκας, ἀρχομένους.

Et ijs, qui parui ducunt eos in huiuscemodi personis, super quibus, nisi auxilium tulerint, turpe est ipsis. ceu parentes, liberos, vxores, ijs, qui parent ipsis.

ILLIS quoq; irascuntur, qui parui ipsos ducunt, laedendo personas illas, quas nisi ipsi tutati fuerint, dedecus admittunt: qui sint, quos nisi praesidio suo ab omni iniuria tutos custodierint, ignominiam subeunt, exponit. vt parentes, filios, vxores, quibus praesunt: non paruam enim maculam suscipiunt filij, nisi subueniunt parentibus: vt parentes quoq;, nisi liberos tutati fuerint: viri, nisi vxores ab iniuria defenderint: reges, nisi quibus praesunt, integros ab impetu aliorum conseruarint: qui autem liberis viuis valentibusq; parentes laedit, parui ducit filios: nisi enim ita se res haberet, personas, quas illos tueri oportet, non violaret. Eadem ratio reliquorum est. Cum autem hic, & in excusis antea, & in non nullis manu scriptis legatur, μὴ βοηθοῦσιν, secutus fidem antiquissimi codicis, restitui μὴ βοηθεῖν: huius quoq; lectionis vestigia sunt in vetere tralatione: membra praeterea, tã festiue elaborata, vt posterius priori numero syllabarũ responderet: eundemq; ambo referrent in cadendo sonũ, huic loco non conueniebant.

Καὶ τοῖς χάριν μὴ ἀποδιδοῦσι: παρὰ τὸ προσῆκον γὰρ ἡ ὀλιγωρία.

Et ijs, qui beneficium non reddunt: praeter enim id, quod decet est parui ducere.

ET acceptum beneficium non compensantibus, ingratisq; irascuntur: cuius rei causam afferens, inquit. parui pendere eos, a quibus adiuti sunt nullo modo conuenire hominibus: quod manifesto faciunt, cum beneficijs ipsis non respondeant. Differre autem hic locus videtur a superiore, quo docuit irasci vulgo illis homines, qui ipsos commodis conferendis non subleuant, vt illi ab ipsis quondam subleuati sunt, aut par beneficium pro illo non referunt: quia ab illis, vtilitas spectabatur: ab his, indignitas honorisq; diminutio consideratur: illic, de compensatione beneficiorum agebatur: hic, de honorandi rationibus, aut contra, disputatur.

Καὶ τοῖς εἰρωνευομένοις, πρὸς σπουδάζοντας: καταφρονητικὸν γὰρ ἡ εἰρωνεία.

Et illis, qui dissimulatione vtuntur, cum serio agit: dissimulatio enim speciem habet contemptionis.

Illis etiam, qui dissimulatione ea vtuntur, quae εἰρωνία appellata est, cum ipsi serio agant, irascuntur: ludere enim videntur: & sane dissimulatio haec a contemptu proficiscitur: nisi enim eos despicerent, aperte cum illis agerent, nec aliquid tegerent: nunc autem de se detrahentes, ac bona sua, aut prorsus inficiantes, aut valde minuentes, manifesto cum quibus disputant, contemnunt.

Καὶ τοῖς τῶν ἄλλων εὖ ποιητικοῖς, ἂν μὴ καὶ αὐτῶν: καὶ γὰρ τοῦτο καταφρονητικὸν, τὸ μὴ ἀξιοῦν, ὧν πάντας, καὶ αὐτούς.

Et illis, qui sunt proni in alios iuuandos, nisi & in se benefici fuerint: speciem enim & hoc habet contemptionis, non existimare dignum, quibus ceteros omnes, ipsum quoq;.

Illis quoq; irascuntur, qui in alios benefici, ac liberales sunt: nisi benigne quoq; ipsis faciant: nec tamen iactura vlla, amissioq; alicuius commodi ipsos male habet: sed quod existimant se ab illis contemni: nec ijsdem beneficijs, quibus alios ornant, dignos existimari: hoc enim ipsos vrit: nisi autem id esset, non ex tanto comitatu honestorum virorum vni illi abstraherentur.

Ποιητικὸν δ᾽ ὀργῆς καὶ ἡ λήθη. οἷον, καὶ τῶν ὀνομάτων οὕτως παρὰ μικρόν: ὀλιγωρίας γὰρ δοκεῖ καὶ ἡ λήθη σημεῖον εἶναι.

Efficiens autem est iracundiae etiam obliuio. veluti, quae paene nominum ipsorum est: parui enim duci aliquem declarare videtur etiam obliuio.

Oblivio quoq; iram commouet. vt si paene nomen alicuius obliti fuerimus: quamuis enim ab aetate saepe proficiscatur, & a multis occupationibus, & vitio etiam naturae fiat, tamen videtur, & ipsa signum argumentumque esse, quod is, qui è memoria elabitur, parui a nobis ducatur. Dissentit a reliquis antiquissimus liber, quod habet. Οἷον καὶ ἡ τῶν ὀνομάτων οὕτως οὖσα παρὰ μικρόν.

Διʹ ἀμέλειαν μὲν γὰρ ἡ λήθη γίγνεται: ἡ δ᾽ ἀμέλεια ὀλιγωρία τίς ἐστιν.

Ob incuriam enim nascitur obliuio: non curae autem quempiam esse, parui duci eum est.

Non omnino falli probare volens illos, qui tamquam signo vtuntur, quod parui ab aliquibus ducantur, obliuione, quae ipsos sui cepit, inquit: ex incuria enim nascitur obliuio: qui enim sua nihil interesse putant, quidquid illo fiat, obliuisci solent: non curare autem aliquid, est illud parui ducere: quae namq; in pretio aliquo apud nos sunt, ex animo funditus non dimittimus.

Οἷς μὲν οὖν ὀργίζονται, καὶ ὡς ἔχοντες, καὶ διὰ ποῖα, ἅμα εἴρηται.

Quibus igitur irascuntur, & quomodo affecti, & ob qualia, simul dictum est.

Qvibvs autem personis homines irascuntur, & quomodo ipsi affecti, & quas nam ob res, vna traditum est, inquit: quod enim primum hic ponit, extremum pertractauit. secundum vero ante hoc tradidit, & in his duobus explicandis, tertium quoque notum fecit: quas scilicet ob causas animo commoueantur: quod simul se praestitisse declarauit aduerbio ἅμα: id autem, valde huic loco aptum, vel necessarium potius, cum in ceteris omnibus defecisset, ex antiquissimo libro erutum, restitui.

Δῆλον δ᾽, ὡς δέοι ἂν, αὐτὸν κατασκευάζειν τῷ λόγῳ τοιούτους, οἷοι ὄντες ὀργίλως ἔχουσι, καὶ τοὺς ἐναντίους τούτοις ἐνόχους ὄντας, ἐφ᾽ οἷς ὀργίζονται, καὶ τοιούτους, οἵοις ὀργίζονται.

Perspicuum autem est oportere ipsum oratione sua tales efficere, quales qui sunt, ad iracundiam procliues sunt, & aduersarios, his rebus obnoxios, ob quas irascuntur, & tales, qualibus irascuntur.

Qvam vtilitatem afferat oratori longa haec, & accurata disputatio, exponit: si enim sua sponte iudices irati essent aduersarijs, aut aduersarij ipsi ira digni existimarentur, nihil ipsum laborare oporteret: nec praecepta haec requirerentur: hoc autem officium est boni oratoris, ipsum oratione sua efficere iudices tales, quales existunt, qui in iram procliues sunt: ostendereq; aduersarios ijs rebus, culpisque affines esse, quae iustam iram contra se commouere solent: siue

huiusmodi

huiusmodi ipsos esse, cuiusmodi sunt, quibus irasci homines consueuerunt. Τούτοις igitur ἐνέχους, valet ea admisisse, ob quae homines irascuntur: ad culpas enim factaq; ipsorum videtur pertinere: ac demum eam partem refert, quam διὰ ποῖα appellauit: τοιούτους vero, natura, ac moribus tales: patefaciendum enim eos eiusmodi esse, cuiusmodi sunt, qui iram aduersus se in animis aliorum moueant.

Ἐπεὶ δὲ τὸ ὀργίζεσθαι ἐναντίον τῷ πραΰνεσθαι, καὶ ὀργὴ πραότητι, ληπτέον πῶς ἔχοντες πρᾷοί εἰσι, καὶ πρὸς τίνας πράως ἔχουσι, καὶ διὰ τίνων πραΰνονται.

Quia autem incitari ad iram, & deliniri contrariae res sunt, & ira lenitati, captandum est, quomodo affecti lenes sunt, atque erga quos leni sunt animo, & quibus rebus leniuntur.

ORATOR causas omnes vtiliter tractare debet, diligenterq; videre, quid illae requirant: postulat enim haec, vt animi iudicum, eorumq;, qui audiunt, commoueantur: haec contra vt sedentur, ac leniantur. Postquam igitur quomodo ad iram incitarentur, docuit, quomodo placentur etiam narrat: vtrumque incredibilem vim habere, & summa arte tractari a diserto oratore
» debere, declarat etiam M. Cicero his verbis. Quis enim nescit maximam vim existere orato-
» ris in hominum mentibus, vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hisce per-
» motionibus ad lenitatem, misericordiamq; reuocandis? Ideo autem, quia progressio ad iram, progressioni ad lenitatem contraria sit: & ira lenitati, de ijs nunc dicit agendum, quae lenitatis sunt, traditis illis, quae ad iram pertinebant: quod scilicet contrariarum rerum eadem disciplina est: & alterius natura cognita, ad alterius naturam percipiendam multum adiuuat.

Ἔστω δὴ πράϋνσις, κατάστασις, καὶ ἠρέμησις ὀργῆς.

Sit igitur studium in leniendo positum compositio, & traquillatio irae.

EST motus is πράϋνσις, quo ad πραότητα, quae lenitas est, qui commoto iratoq; animo sunt, feruntur. κατάστασις autem sedatio, constitutioq; eius motus esse videtur: ἠρέμησις vero hic valet requietis, & cessationis quasi inductio: cum, qui ante perturbato animo erant, studio atque opera oratoris tranquillantur, & motus illi turbidi, qui tamquã tempestates, ac procellae ipsos agitabant, componuntur, ac sedantur. Res ipsa facile intelligitur. Latinum nomen, par Graeco, quo vim ipsius exprimamus, non repperitur. Aliud igitur esse ἠρεμίαν: aliud ἠρέμησιν, apertum est. In v. lib. naturalis auscultationis valet Aristoteli ἠρέμησις, via progressusq; ad quietem.

Εἰ οὖν ὀργίζονται τοῖς ὀλιγωροῦσιν: ὀλιγωρία δὲ ἐστὶν ἑκούσιον, φανερὸν ὅτι καὶ τοῖς μηδὲν τούτων ποιοῦσιν, ἢ ἀκουσίως ποιοῦσιν, ἢ φαινομένοις τοιούτοις, πρᾷοί εἰσιν.

Si igitur irascuntur parui ducentibus: parui autem ducere sponte fit, apertum est esse homines lenes erga illos, qui nihil horum faciunt, vel inuiti faciunt, vel videntur esse tales.

QVIA ira lenitati contraria, vbi, quae iram efficiunt, in ea re non inueniuntur, sed aduersa contrariaq;, mitescunt. Cum igitur irascantur parui ducentibus: qui autem parui ducunt sponte id faciant, perspicuum est lenes, placatosq; fore omnibus, qui nihil horum commiserint: id est nec parui fecerint, nec despicatui duxerint, vel quod fecerint, inuiti fecerint, aut si forte etiam ob contemptum sponteq; fecerint, neq; ob id, neq; sponte videntur fecisse: non enim tantũ in ijs rebus veritatem ipsam, quantum speciem rei quaerimus: contentiq; saepe sumus, si illi ita nobis visi fuerint.

Καὶ τοῖς τἀναντία, ὧν ἐποίησαν, βουλομένοις.

Et illis, qui contraria eorum, quae fecerunt, volunt.

AVT, siquid commiserint, quod ipsos laeserit, cognorint eos deceptos, aut lapsos fecisse: si enim eo facto illis, qui sensum eorum non cognoscerent, videri potuerunt parui duxisse, patefactum autem fuerit eos contraria voluisse, intelligentur magni potius duxisse, nec dignitatem eorum minuere vnquam cogitasse.

Καὶ ὅσοι, καὶ αὐτοὶ εἰς αὐτοὺς τοιοῦτοι: οὐδεὶς γὰρ αὐτὸς αὑτοῦ δοκεῖ ὀλιγωρεῖν.

Et ijs, quicunq; erga semetipsos sunt tales: nemo enim ipse semet ipsum videtur parui ducere.

LENES etiam fient illis, qui, si quid, quod contumeliae speciem habeat, commiserint, intelliguntur erga semetipsos quoq; tales saepe esse, quales tunc aduersus illos fuerint: tunc enim nullo pacto parui faciendi consilio illos fecisse cognoscetur: nemo enim creditur se ipsum parui ducere. Cum id exploratum fuerit, existimari illi nullo modo poterunt despiciendi animo, quod fecerunt, fecisse, ea de causa quam exponit: illa vero opinione sublata, ira discutitur, ac placamur: intelligimusq; nos nullam causam irascendi iustam habuisse.

Καὶ τοῖς ὁμολογοῦσι, καὶ μεταμελομένοις.

Et ijs, qui non inficiantur: quosque paenitet.

LENES etiam, mitesq; fiunt in illos, qui se fecisse fatentur: quosq; paenitet fecisse: neq; enim confiteri solum sat est ad iram sedandam: indicant enim se quoq;, qui explere iram cupiunt: voluntq; intelligi se fecisse: sed cum coniunctus est cum confessione facti, dolor atque immutatio voluntatis: & dolor quidē non breuis modicusq;, sed diuturnus, ac vehemens: is enim μεταμέλεια est. In iij. quoq; libro de moribus ad Nicomachum, cum doceret, quomodo ab inuito gestum aliquid accipi deberet, docuit oportere id factum, non tantum molestum esse: aegritudinemq; afferre auctori ipsius, verum ita illum afficere, vt doleat ipsum, quod egerit, paeniteatq;: inquit enim. Ἀκούσιον δὲ τὸ ἐπίλυπον καὶ ἐν μεταμελείᾳ.

Ὡς γὰρ ἔχοντες δίκην τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ τοῖς πεποιημένοις, παύονται τῆς ὀργῆς.

Tamquam enim paenas acceperint, dolere illos ob ea, quae commiserint, cessant ab ira.

QVI vehementer etiam irati alicui fuerunt, cum vident illum paenas dedisse, qui ipsos iniuria laesit, placantur. Hi quoq; igitur, quos paenitet petulantes, ac contumeliosos fuisse, paenas pendunt, cum aegritudine conficiuntur: nam maerere supplicium est. Quod igitur ab iratis toto animo peti solet, cum iam habeant, cur amplius iram contineant, ac non potius placentur?

Σημεῖον δὲ ἐπὶ τῆς τῶν οἰκετῶν κολάσεως: τοὺς μὲν γὰρ ἀρνουμένους, καὶ ἀντιλέγοντας, μᾶλλον κολάζομεν: πρὸς δὲ τοὺς ὁμολογοῦντας δικαίως κολάζεσθαι, παυόμεθα θυμούμενοι.

Signum autem huius rei est, quod vsu venit in seruis puniendis: qui negant enim & repugnant, magis punimus: aduersus autem eos, qui fatentur iure se plecti, desinimus excandescere.

A CONTRARIO intelligi potest homines placari solere confitentibus se peccasse: qui enim aliquid certi flagitij se admisisse pernegant, atrocius a nobis plectuntur. In caedendis igitur seruis (neque enim liberis hominibus manus afferre licebat) saeuiores (inquit) sumus in pernegantes, verbisq; nobis aduersantes: contraque cito iram, furoremq; animi abijcimus, cum illi se merito plecti confitentur. Vnde Dauus Terentianus, vt iustā in se irā erilis filij sedaret: saeuamq; aliquā paenā declinaret, intertogatus ab eo quid meritus esset, respondit, crucem.

Αἴτιον δ᾽, ὅτι ἀναισχυντία, τὸ τὰ φανερὰ ἀρνεῖσθαι: ἡ δ᾽ ἀναισχυντία, ὀλιγωρία, καὶ καταφρόνησις. ὧν γοῦν πολὺ καταφρονοῦμεν, οὐκ αἰσχυνόμεθα.

Causa huius rei est, quia inuerecundia est inficiari, quae perspicua sunt: inuerecundum vero esse aduersus aliquem est parui ducere hominem. quos igitur valde despicimus non verecundamur.

CVR implacabiliores simus seruis hominibus, cum in manifestis delictis inficiantur se culpam meruisse, ostendit: totiusq; huius rei causam affert. ea, quae plana, & aperta sunt inficiari, vacare est pudore: quos autem nihil pudet, parui ducere, & despicatui habere videntur, apud quos tam impudenter mentiuntur: inde autem hoc intelligi liquido potest, quod, quos valde despicimus, non veremur: nec aliquid, aut facere, aut loqui coram illis non pudet. Explanatum igitur est subtiliter, accurateq;, cur magis animaduertimus in improbe inficiantes.

Καὶ τοῖς ταπεινουμένοις πρὸς αὐτούς, καὶ μὴ ἀντιλέγουσι: φαίνονται γὰρ ὁμολογεῖν ἥττους εἶναι: οἱ δ᾽ ἥττους, φοβοῦνται: φοβούμενος δὲ οὐδεὶς ὀλιγωρεῖ.

Et ijs, qui se demisse gerunt erga ipsos, & non verbis repugnant: speciem enim ha-

bent

bent confitentium se inferiores esse: inferiores autem metuunt: nemo autem, qui metuit parui ducit.

Iis etiam placamur, qui se abijciunt, cunctaq; faciunt, quae humiliores potentioribus facere consuerunt: & siquid etiam audierint, quod male ipsos vrat, non verbis aduersantur: hi enim (inquit) videntur fateri se inferiores esse: inferiores autem, imbecilliioresq; metuunt: nemo autem qui metuat, parui ducit: si parui namque faceret id, non metueret: metuimus enim, quae incommodi aliquid nobis importare posse arbitramur. Hoc quoq; remediũ hostilis irae mortisq; vitandae temptasse fortissimũ iuuenem, narrat Virgilius, cum de Turno cecinit, Ille humilis supplexq; oculos dextramq; protendens. nec frustra sane temptasse, nisi noua res, obiecta oculis Aeneae, incipientem ipsum flecti mitigariq;, a misericordia reuocasset.

Ὅτι δὲ πρὸς τοὺς ταπεινουμένους παύεται ἡ ὀργὴ, καὶ οἱ κύνες δηλοῦσιν, οὐ δάκνοντες τοὺς καθίζοντας.

Extingui vero iram, in eos, qui se demittunt, canes etiam declarant, qui non mordent prostratos.

Qvod ratione iam probauerat, tamquam signo quodam nunc confirmat: addit enim declarare etiam, quod a se traditum est, canes, qui prostratos non mordeant: nam inde etiam intelligi posse extingui iram aduersus eos, qui ad pedes accidunt, & reliqua signa, quibus se humiles esse, ac demissos declarent, edunt. Quod vero hic cani Aristoteles, Plinius libro viij. leoni tribuit. Leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit. Canum autem exemplo vsus est, vt notiore: pauci enim loca, syluasq; penetrant, quas leones incolunt: quod autem numquam, aut raro spectatum est: ob idq; obscurum, ad alterius rei declarationem non valde est accommodatum. siue igitur hac de causa se ad ingenium canum contulit, par in hoc naturae leonum: siue testimonium auctoritatemq; Homeri secutus est, quem poëtam in primis philosophus amabat: ille namque cani hoc tribuit. Locus autem est, vbi narrat in Vlyssem, cum post longos errores domum redijsset, a canibus impetum factum esse. quod periculum vitauit, sternens se humi. verba poëtae haec sunt. Ἐξαπίνης δ' Ὀδυσῆα ἴδον κύνες ὑλακόμωροι, Οἱ μὲν κεκλήγοντες ἐπέδραμον, αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἕζετο κερδοσύνῃ. Vidit hoc probus, nobilisq; adolescens, Aloisius Alamannius, Petri filius, quem spero ob magnitudinem ingenij, assiduumq; studium in omni polita doctrina, adaequaturum esse gloriam gentilis cognominisq; sui in arte poëtarũ, quam magna cum laude colit. Καθίζοντας valere prostratos humiq; iacentes, apertum est. Aristoteles in ij. libro μεγάλων ἠθικῶν, Empedoclis vocem exponens, qui, quum quaesitum esset ex eo, cur semper canis in eodem fictili vase iaceret, respondit id fieri ab ea ob similitudinẽ, quam cum illo haberet, hoc verbo vsus est. Sed etiam in vij. ad Eudemum, idem tradens, inquit. Διὸ καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ τὴν κύν' ἔφη καθεύδειν ἐπὶ τῆς κεραμίδος, διὰ τὸ ἔχειν πλεῖστον ὅμοιον: hic autem erat habitus corporis eorum, qui misericordiam implorabant. Sophocles initio Oedipodis tyranni, & Aristophanes Πλούτῳ, id ostendunt. Demosthenes quoq; pro Ctesiphonte, vbi commemorat merita sua in rempublicam, dicens, cum omni tempore, quo bellum durauit, classes ex lege ipsius ornarentur, nauigarentq;, neminem vmquam trierarchum, tamquam iniuria affectum ea in re, signum, quo ad misericordiam sui populum excitare solebant, sustulisse: neq; etiam in Munychia supplicem iacuisse, ita locutus est. Οὐκ ἐν Μουνυχίᾳ ἐκαθίζετο: idest non supplex prostratus in templo iacuit. Idem etiam confirmant verba haec Lysiae, quae apud Halicarnasseum in vita ipsius, leguntur. ἱκέται μὲν αὐτοὶ τῶν θεῶν καθίζοντες.

Καὶ τοῖς σπουδάζουσι πρὸς τοὺς σπουδάζοντας: δοκεῖ γὰρ σπουδάζεσθαι, ἀλλ' οὐ καταφρονεῖσθαι.

Et ijs, qui serio agunt cum ipsis serio agentibus: videtur enim studio dignus haberi, non despicatui duci.

Iis quoque placamur, qui serio nobiscum agunt, cum ipsi serio agimus: cum enim id fit, quod ei contrarium est, quod iram commouet, nos etiam contrario modo affici aequum est. Irascimur autem illis, qui dissimulatione nobiscum vtuntur: iocari enim ludereq; videntur. Necesse igitur est, placemur eis, qui serio agunt: apparet enim nos studio, non contemptu dignos existimari.

Καὶ τοῖς μείζω κεχαρισμένοις.

Et ijs, qui maioribus in rebus gratum nobis fecerunt.

Et

Et illis, qui, siquid antea negarint, facereque nostra causa abnuerint, atque ea re nobis iram commouerint, maiora nobis postea tribuunt, ac gratificantur: quorumq; demum maiora beneficia fuerint, quam iniuriae: hunc enim sensum esse horum verborum puto: obscure autem, conciseque hic locutus est.

Καὶ τοῖς δεομένοις, καὶ παραιτουμένοις: ταπεινότεροι γάρ.

Et ijs, qui rogant nos & deprecantur: humiliores enim.

Placamur quoque rogantibus, ac deprecantibus: qui enim supplices sunt, orantq;, ne poenis eos afficere pergamus, humiles demissiq; fiunt, quibus solere non homines solum, sed beluas etiam non nullas parcere, supra demonstratum est. In v. Philippica Cicero, nisi hanc fortunam subijsset, pacem non posse dari Antonio affirmans, inquit. » Pacem vult Antonius: arma » ponat, roget, deprecetur.

Καὶ τοῖς μὴ ὑβρισταῖς, μηδὲ χλευασταῖς, μὴ δ' ὀλιγώροις, ἢ εἰς μηδένα, ἢ μὴ εἰς χρηστοὺς, ἢ μὴ εἰς τοιούτους, οἷοι περ αὐτοί.

Et ijs, qui non sunt contumeliosi, neque irrisores, neque morem habent parui ducere, in neminemq; tales sunt, vel non in probos viros, vel in non tales, quales ipsi sunt.

Quemadmodum iusta ira digni sunt contumeliosi non nulli homines, & qui ceteros ludibrio habent, ac parui omnino ducunt: ita, qui longe ab his moribus absunt, clementia nostra digni videntur: facileq; solemus huiuscemodi ingenijs placari, si qua etiã in re laeserint, quae aut nullos, aut non bonos, aut non quales ipsi sumus, contumelia afficere, aut despicatui habere consuerunt: quod enim contra nos fecerunt, non eo animo fecisse credimus, vt nos probris vexarent: quippe cum nullos soleant, indignos illis iniurijs, petulanter laedere.

Ὅλως δ' ἐκ τῶν ἐναντίων δεῖ σκοπεῖν τὰ πραϋντικά.

Ad summamque è contrarijs opus est attendere, quae vim habent deliniendi.

Quia hic, quem proxime exposuit, locus contrarias naturas hominum perscrutatus est, illis, quae iustam iram excitabant, generatim praecipit. Siquis percipere velit, quid nos lenes, mansuetosq; reddat, spectet, quae ad iram nos impellunt: contraria enim illis rem contrariam efficient: idest animos nostros placabunt, & omnem simultatem discutient. In antiquissimo libro, τὰ πραΰνοντα legitur.

Καὶ οὓς φοβοῦνται, καὶ αἰσχύνονται: ἕως γὰρ ἂν οὕτως ἔχωσιν, οὐκ ὀργίζονται.

Et ijs, quos metuunt, ac verentur: donec enim ita affecti fuerint, non irascuntur.

In illos quoque lenes sunt, quos timent, quosq; verentur: donec enim (inquit) ita animo affecti sunt, vt metuant ipsos, aut vereantur, non possunt ijsdem illis irasci.

Ἀδύνατον γὰρ ἅμα φοβεῖσθαι, καὶ ὀργίζεσθαι.

Fieri enim non potest, vt aliquis simul metuat, & irascatur.

Fieri nullo modo posse, inquit, vt quempiam metuamus: eidemq; eodem tempore irascamur: excitariq; hos motus in animo alicuius simul ab eadem persona non vult: nec tamen causam huius rei attulit: ea vero videtur esse, quod ira sine spe vlciscendi non constat: quem autem timemus, vltum ire nos posse non speramus.

Καὶ τοῖς δι' ὀργὴν ποιήσασιν, ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον ὀργίζονται: οὐ γὰρ δι' ὀλιγωρίαν φαίνονται πρᾶξαι: οὐδεὶς γὰρ ὀργιζόμενος ὀλιγωρεῖ.

Et ijs, qui ira incensi fecerunt, vel non irascuntur, vel minus irascuntur: non enim, quod parui ducant, videntur fecisse: nemo enim iratus parui ducit.

Illis etiam, qui ira perciti fecerunt, quod ipsos laeserit, aut non irascuntur, aut leuius irascuntur: huius rei rationem reddens, inquit: ira enim in illos magna excitatur, quos, quia parui ducunt, apparet fecisse: hi nullo modo ob contemptum videri possunt fecisse: nemo enim iratus parui facit.

Ἡ μὲν γὰρ ὀλιγωρία, ἄλυπον: ἡ δ' ὀργὴ, μετὰ λύπης.

Animus enim parui ducens, vacuus est ab aegritudine: ira autem secum habet aegritudinem.

CAVSAM cur haec res vna non maneant, vult esse, diuersam vtriusq; naturam: qui namq; parui ducit, despectuiq; habet, aegritudine vacat. ira semper aegritudinem coniunctam habet: nemo autem eodem tempore perturbatum, & securum animum habere potest. Qui parui quempiam ducit, sine vlla animi sui commotione, toto illo antea diligenter perlustrato, nihil ipsum in se habere, quod pretio vllo dignum esset, existimauit. quod iudicium, de eo semel factum, in animo seruans, parui postea semper ipsum ducit. Eodem argumento in iij. de moribus ad Nicomachum distinxit προαίρεσιν a cupiditate: cupiditas enim (inquit) appetitio est rei iucundae, atque aegritudinem admixtam habet: contra electio non fit cum dolore; nec est rerum, quae iucundae sunt. nam fideliores codices eo loco habent, ἐπίλυπος & λυπηρὰ, non ἐπιλύπου & λυπηροῦ, vt excusi omnes. Illa vero lectio certior apertiorq; est. Hic in antiquissimo libro, genere tantum mutato, sententia non variata, legitur. ἡ μὲν γὰρ ὀλιγωρία, ἄλυπον. vt res, quae vacet aegritudine accipi debeat: nec aliquid impediat haec varietas generum.

Καὶ τοῖς αἰσχυνομένοις αὐτούς.

Et ijs, qui verentur ipsos.

LENES etiam in illos sunt, qui ipsos verentur. causam huius rei non affert: planum enim, apertumq; est, vnde hoc fiat: quos namque intelligimus nos vereri, quomodo suspicari possumus, nos parui ducere? quippe cum eos reuereri soleamus, quos magno pretio, honoreque dignos existimamus.

Καὶ ἔχοντες δὲ ἐναντίως τῷ ὀργίζεσθαι, δῆλον ὅτι πρᾶοί εἰσιν. οἷον ἐν παιδιᾷ, ἐν γέλωτι, ἐν ἑορτῇ, ἐν εὐημερίᾳ, ἐν κατορθώσει, ἐν πληρώσει.

Et cum contrario modo affecti sunt, atque illi, qui irascuntur, planum est lenes eos esse. veluti in lusu, in risu, diebus festis, in rebus ipsorum secundis, cum res bene gesta est, cum expleti sunt.

PERSONAM eorum nunc perscrutatur, qui in lenitatem procliues sunt: quomodoq; affecti facile ignoscant, considerat: cum enim (inquit) contrario modo afficimur, atque affecti sumus, cum irascimur, lenes tunc, mitesq; sumus: tunc autem omnibus facile irascimur, cum animo dolemus. quando igitur omni aegritudine vacabimus, leniores erga cunctos, clementioresque erimus, vel potius cum laetitia efferimur, gaudiumq; sentimus. Vt sumus (inquit) cum ludimus: cum in iocis, risuq; versamur: vt ludis etiam, ac festis diebus, vt in secundis nostris rebus, vt cum aliquid ex sententia confecimus: εὐημερία autem hic valet, cum in aliqua re administranda eximie nos gessimus: magnamque eo facto laudem adepti sumus: cum aliquis dies nobis pulcher illuxit: inde enim nomen hoc ductum est. Cicero in epistola quadam ad Atticum neutro genere hoc verbum vsurpauit, idem significare volens: inquit enim de Parthis loquens.
» Recesserant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli aduentum, sed nullo nostro εὐημερήματι: idest
» non virtute nostra, aut praeclaro aliquo Cassij facinore coacti, sed suum aliquod commodum
» sequuti. Plutarchus in vita Demosthenis. Εὐημερήσαντος δὲ τοῦ Καλλιστράτου καὶ θαυμασθέντος ὑπερφυῶς: in causa enim illa agenda mirifice Callistratus probatus fuerat. quibus vero haec contigerunt ob animi laetitiam facile omnibus omnia concedunt. Ἐν πληρώσει vero, quod inquit, cum expleti cibo sunt, & humido, & arido significat: desiderium enim alimenti, cum acriter angat, exacuit ad iram, vt reliquae omnes vehementiores appetitiones. quod etiam ostendit Horatius in epistola ad Valam, de aspera natura Menij scurrae disputans. qui cum dicax semper esset, impransus multo acerbissimus foret, & ciuem hoste non dignosceret. contra tamen Diogenem, qui cognomento canis vocatus est, cum ex eo quaereretur, vnde oriundus esset, dixisse aiunt, se fame laborantem, Melitaeum, esse: saturum vero, Molossum. Melitaei autem catuli blandi erant: in delicijsq; a veteribus habebantur: Molossi vero, acres ac feri. Id autem (vt arbitror) secutus est Diogenes, & indicauit penuriam cibi: necessitatemq;, naturam suam immutare: pulsa autem fame subito se ad ingenium redire, & in omnes, qui aliqua re sibi molesti essent, impetum facere.

Ὅλως ἐν ἀλυπίᾳ, καὶ ἡδονῇ, μὴ ὑβριστικῇ.

Ad summā in aegritudinis vacuitate, ac voluptate, non tamen versa in contumeliam.

DEMVM-

DEMVMQVE (inquit) ne singula enumeremus: generatimq; potius loquamur, in doloris vacuitate, ac voluptate: non tamen, quae nimis exultet, atque contumelia efferatur: gestiens enim voluptas sibi temperare nequit, & ne dum efficiat eos, quos occupauit, placabiliores, insolentiores illos reddit. Excepta igitur laetitia animi contumeliosiore, qui hilares sunt gaudentque, sunt mitiores. Cum vero in excusis hic antea legeretur ὑβριστικῶς, emendaui, vt in antiquissimo libro inueni, ὑβριστικῇ. quam lectionem sequitur quoque vetus tralatio.

Καὶ ἐν ἐλπίδι ἐπιεικεῖ.

Et in spe bona rerum suarum.

NON solum, quorum prosperae res iam sunt, sed etiam, qui bona spe sunt, placari facilius solent.

Ἔτι κεχρονικότες, καὶ μὴ ὑπόγυιοι τῇ ὀργῇ ὄντες: παύει γὰρ ὀργὴν ὁ χρόνος.

Et in quorum animis diu mansit ira, nec propinquum tempus habent, quo commoti sunt: sedat enim iram tempus.

ILLI quoq; (inquit) qui multo antea tempore iniuriam acceperunt, nec statim iram explere potuerunt: hanc enim naturam tempus habet, vt iram concoquat, atque extinguat: quod aperte etiam significauit Virgilius, cum acerbam Iunonis iram in Troianos declarare vellet. Iunonis » grauis ira, & inexaturabile pectus, Quam nec longa dies, pietas nec mitigat vlla.

Παύει δὲ καὶ ἑτέρου ὀργὴν μείζω, ἡ παρ' ἄλλου ληφθεῖσα τιμωρία πρότερον.

Sedat autem & in alterum iram maiorem sumpta prius paena ab alio.

ALIVD etiam est, quod iram sedat: siquis enim duobus eodem tempore iratus est, ab altero tamen eorum magis se laesum putans, forteq;, occasionem nactus, paenas ab illo cepit, cui minus iratus erat, mansuetior fit etiam erga illum, cum quo grauiores inimicitias gerebat: nam sumptum antea ab altero supplicium maiorem etiam aduersus alterum iram minuit, atque sedat. Animaduertendum autem quomodo dixerit ἑτέρου ὀργὴν: non enim intellexit iram, qua incensus ille ipse, sed quae contra eum excitata est.

Διὸ εὖ Φιλοκράτης, εἰπόντος τινός, ὀργιζομένου τοῦ δήμου, τί οὐκ ἀπολογῇ; οὔπω γε ἔφη, ἀλλὰ πότε; ὅταν ἄλλον ἴδω διαβεβλημένον.

Quapropter recte Philocrates, cum quidam dixisset, irato illi populo, quid cessaret factum suum defendere, nondum inquit, sed cum alium videro in crimen coniectum.

HOC pulchre cognitum habuisse Philocratem quendam demonstrat: qui, cum apud populum Atheniensem offendisset, amicusq; ei homo, sed parum sapiens acutusq;, ira adhuc ardente populo interrogaret, cur non causam suam diceret, respondit, nondum tempus esse: cum, quid expectaret, ille iterum percunctaretur, inquit. cum alium videro eiusdem culpae reum: & falso crimine, vt me, in iudicium vocatum. Id etiam in oratione, cuius index est ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων, Lysias scripsit, cum de natura calumniae disputaret, & quot inde incommoda nascerentur, doceret: atrocissimum enim omnium in ea esse, quemquam propter tempus plecti, & quod primus causam dicat, condemnari: cum postremi plerunq;, insimulati falso eiusdem criminis, absoluantur: eandem autem causam eius rei reddidit, quam hic facit Aristoteles: in» quit enim πεπαυμένοι γὰρ τῆς ὀργῆς αὐτῶν ἀκροᾶσθαι: sedata namque ira, & cum eam iam ex animis vestris eieceritis, defensionem ipsorum auditis. Voce autem illa Philocrates, & se innocentem esse, & innocentiam sibi non satis esse posse ad salutem suam, ab impetu iratorum ciuium defendendam, & se tempus ei rei idoneum expectare, significauit.

Πρᾶοι γὰρ γίγνονται, ὅταν εἰς ἄλλον τὴν ὀργὴν ἀναλώσωσιν.

Lenes enim fiunt, cum in alium iram effuderint.

TANTO odio feruntur in primos, vt omnem iracundiae suae vim effundant, consumantq; in illis plectendis. quomodo igitur possunt non alijs placabiliores esse, si quod animos illorum exedebat, omne eiecerunt? Hoc etiam sibi malo fuisse ostendit Demosthenes in epistola, quam ad populum Atheniensem de suo reditu scripsit, non culpam, crimenue vllum: quod primus in iudicium arreptus esset, iraeq;, quam aduersus omnes eius culpae affines, populus habebat,

habebat, obiectus: Nihil enim (inquit) in dicenda causa a se relictum esse eorum, quae postea saluti multis fuerunt. Hoc itidem saluti fuisse Atheniensibus narrat Plutarchus, cum Alexander Macedo captis direptisq; Thebis, non minus ipsis infensus esset: nam & ante excidium eius vrbis, & postea cuncta gesserant, quae multum valerent ad animum potentissimi iuuenis exacerbandũ. inquit igitur Alexandrum, cum iram iam suam explesset, satiatum tanta caede, tamquam leones, omni culpa liberasse Athenienses: nec tamen non aliud indicat honestius consilium tanto regi, quod potuit esse causa, vt parceret dignitati eius vrbis.

Οἷον συνέβη ἐπὶ Ἐργοφίλου: μᾶλλον γὰρ χαλεπαίνοντες, ἢ Καλλισθένει, ἀφῆσαν: διὰ τὸ Καλλισθένους τῇ προτεραίᾳ καταγνῶναι θάνατον.

Veluti contigit in Ergophili facto: magis enim ipsi, quam Callistheni irati, hominem dimiserunt: quia priore die Callisthenem capitis damnauerant.

In historiam hanc numquam incidi. legi tantum Ergophilum Atheniensium copiarum ducem fuisse. Cum populus igitur & ipsi & Callistheni iratus foret: ac magis adhuc infensus Ergophilo esset, omni periculo ipsum liberauit, quia pridie Callisthenem capitis damnauerat: atque ita omnem in alium etiam iustam iram eiecerat. In antiquissimo libro, quod parui momenti est, ὃ συνέβη, legitur.

Καὶ ἐὰν ἕλωσι.

Et si iudicio damnauerint,

Et si in iudicium vocatũ, ipsum vicerint: studioq; suo, vt ab iudicibus condemnaretur, effecerint: discutitur enim tunc omnis simultas, & placari incipiunt simulac in ea contentione superiores extitere. ἑλεῖν conuincere alicuius criminis significat, ac condemnare, vt initio orationis pro
» Ctesiphonte Demosthenes eo verbo vsus est. καὶ τοῦτο μὴ ἑλεῖν γραφῶν. Hoc autem potius hic arbitror significare, quam si vicerint bello, in potestatemq; ipsi eorum venerint.

Καὶ ἐὰν μεῖζον κακὸν πεπονθότες ὦσιν, ἢ οἱ ὀργιζόμενοι ἔδρασαν ἄν: ὥσπερ γὰρ εἰληφέναι τιμωρίαν οἴονται.

Et si maius incommodum acceperint, quam ipsi attulissent illi irati: quasi enim se accepisse paenas ab eo arbitrantur.

Mitiores etiam, mansuetioresq; fiunt illis, quibus vehementer irati erant, si maius aliquod incommodum acceperunt, quam ipsi illis irati fecissent: quamuis id opera, consilioq; ipsorum factum non sit: videntur enim quasi sibi paenas, quas cupiebant, sumpsisse, cum ipsos male habitos vident: putantq; illos sibi, detrimentis acceptis, satisfecisse: maxime cum in maiora inciderint, quam ipsi illis vmquam optauerint.

Καὶ ἐὰν ἀδικεῖν οἴωνται αὐτοὶ, καὶ δικαίως πάσχειν: οὐ γίγνεται γὰρ ἡ ὀργὴ πρὸς τὸ δίκαιον: οὐ γὰρ ἔτι παρὰ τὸ προσῆκον οἴονται πάσχειν: ἡ δ' ὀργὴ τοῦτο ἦν.

Et si ipsi putarint se iniuste facere, ac merito plecti: non enim exoritur ira aduersum id, quod iuste gestum est: neque enim amplius foret, praeter id, quod decet: ira vero hoc ipsum est.

Mitigantur etiam erga illos, qui tunc laeserunt, si ipsi, qui iniuriam acceperunt, cogitarint, se improbe antea quippiam in illos fecisse, meritoq; plecti. Huius rei causam hanc reddens, inquit: neque enim excitatur ira contra id, quod iure factum est: non enim amplius putant, se iniuria laesos: ira autem, vt supra declaratum est, hinc commouetur.

Διὸ τῷ λόγῳ δεῖ προκολάζειν, ἀγανακτοῦσι γὰρ ἧττον κολαζόμενοι, καὶ οἱ δοῦλοι.

Quare ratione opus est praecastigare: stomachantur enim minus, cum animaduertitur in eos, etiam serui.

Ne facile irascamur, & ex tenui quaque, ac saepe iniusta causa accendamur animo, qua ex re magna saepe mala exoriuntur, praecipit, quomodo nos gerere debeamus. Ne temere igitur

(inquit) in alios irruamus, non est cunctandum ratione animum praeparare, & quasi ante motum illum castigare: haec enim causa est, cur serui male mulcati, aequo animo ferunt, nec valde indignantur: antea enim, iniquam suam condicionem cogitantes, tolerandis miserijs se praepararunt: id autem apud Plautum in milite seruum decere Periplectomenus tradit. Nam ho-
» mini seruo suos domitos habere oportet oculos, & manus, orationemq;.

Καὶ ἐὰν μὴ αἰσθήσεσθαι οἴωνται, ὅτι δι' αὐτούς, καὶ ἀνθ' ὧν ἔπαθον: ἡ γὰρ ὀργὴ τῶν καθέκαστόν ἐστι: δῆλον δ' ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ.

Et si non sensuros putarint, quibus malum infertur, sua opera id fieri, & ob iniurias, quas acceperunt: iracundia enim vnum eorum est, quae singillatim fiunt: planum autem hoc est e definitione.

MITIGANTVR etiam erga illos, quos, quamuis multis malis vexarint, existimant, non intellecturos se ab ipsis incommodis illis affici, & pro quibus ipsi antea in eos petulantes, iniuriosiq; fuerant. Discutitur ex animis ipsorum ira (verius enim hoc est, quam dicere illos placari) cum sibi ereptam potestatem vident, iram explendi: vltionemq; ad exitum perducendi: in hoc autem illa posita est, non si malum illi acceperint, doloremq; senserint: nec tamen auctorem eius ignorent, sed si iniustum sibi illum ab ipsis, qui iniuria laesi sint, intelligant, & pro compensanda eorum improbitate: non enim irae aliter satisfacere possunt, nisi ob eam ipsam rem: & ab eo ipso, qui iniuria laesus est, paena venisse in eos, qui plectuntur, ab ipsis intelligatur: qui enim vlciscitur, ei, qui iniuriam fecerit: & vltio neglectui, atque iniuriae, respondere debet. Id autem ex definitione iracundiae planum esse tradit: quae supra, initio huius disputationis posita est: certa enim definitaq; persona: nec non certa iniuria significatur. Antiquissimus liber, a reliquis discrepans, habet. πρὸς τὸν καθέκαστον.

Διὸ ὀρθῶς πεποίηται. φάσθαι Ὀδυσσῆα πολιπόρθιον.

Quare recte a poëta dictum est. affirma Vlyssem expugnatorem vrbium.

ELEGANTI exemplo docet, quod tradiderat, verum esse: & hoc sensisse sapientem, vel potius diuinum poëtam, cum in ix. Odysseae induxit Vlyssem, postquam oculum illum vnicum Cyclopi effoderat, vt necem sociorum vlcisceretur, tam graui Polyphemi damno contentum non fuisse: nec enim sciebat adhuc Polyphemus, cuius opera caecus factus esset. quare, vt irã suam expleret, cum periculo etiam sui capitis comitumq;, voluit illi omnia aperire: atque ita ipsum allocutus est. Siquis te mortalis Cyclops, a quo tam acerba, turpiq; paena affectus sis, percunctatus fuerit, respondeto Vlyssem, illum euersorem Troiae, hanc tibi cladem importasse: nam & patriam, & parentes, & omnia, quae callide antea texerat, breui illi exposuit.

Ὡς οὐ τετιμωρημένος, εἰ μὴ ᾔσθετο, καὶ ὑφ' οὗ, καὶ ἀνθ' ὅτου.

Tamquam acceptam iniuriam vltus non foret, nisi sensisset, & a quo, & pro quo.

CONSILIVM poëtae aperit, qui ita in carmine suo induxit Vlyssem. vt qui (inquit) tantas iniurias sibi vlcisci visus non fuisset, nisi Polyphemus, & a quo tam male tractatus foret: & pro quo ipsius facto, accepisset.

Ὥστε οὔτε τοῖς ἄλλοις, ὅσοι μὴ αἰσθάνονται, ὀργίζονται.

Quapropter neque alijs vllis, quicunque non sentiunt, irascuntur.

CVM abijcere iram soleant homines, aut non irasci illis, quos non putarint intellecturos, se ab illis ipsis plecti, quos improbe laeserint, ac pro illis iniurijs, quas antea ipsis fecerint (cuius rei causam attulit: idemq; exemplo Homerici Vlyssis confirmauit) fit, vt neque alijs quoq; irascantur, qui nihil omnino sentiunt: auget enim hoc, quod nunc ab Aristotele adiungitur: superiores namq; intelligebant se detrimento affici, sed ab illis malum in se prouenisse, quos iniuria laeserant, non sentiebant. remota igitur nunc omni persona inquit, Minime irasci etiam illis, quicunque sint, qui omnino nihil sentiunt.

Οὔτε τοῖς τεθνεῶσιν, ἔτι: ὡς πεπονθόσι τε τὸ ἔσχατον, καὶ οὐκ ἀλγήσουσιν, οὐδ' αἰσθησομένοις, οὗ οἱ ὀργιζόμενοι ἐφίενται.

Neque

Neque mortuis amplius, tamquam perpessis vltimum malorum: & qui dolere non possint, neque sentire: cuius rei, qui irati sunt, desiderio magno tenentur.

QVIBVS etiam viuentibus vehementer irati fuerunt, iisdem morte obita placantur, nec amplius irati sunt. Cur statim tanta ira extinguatur, exponit: vident enim ipsos extremum omnium malorum perpessos: supra autem docuerat, nos mitigari erga illos, quos intelligimus maiora detrimenta accepisse, quam nos illis vmquam importassemus. Aliud etiam iram dissipat, ac frangit, quod dolere mortui nequeunt, neq; sentire paenam, quae ipsis ab inimicis inferatur: cuius rei desiderio tenentur irati. Vt autem hic mortem vltimum omnium malorum vocat, ita in iij. de moribus ad Nicomachum extremum ipsam terminumq; dixit eorum, quae contingunt in vita mortalibus, quod nihil vltra secundi, aut aduersi, putetur in hominem cadere posse.

Διὸ εὖ περὶ τοῦ Ἕκτορος ὁ ποιητής, παῦσαι βουλόμενος τὸν Ἀχιλλέα τῆς ὀργῆς τεθνεῶτος: Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων.

Quare bene de Hectore poeta, extinguere volens iram Achillis in eum mortuum. Surdam enim iam terram lacerat furens.

MIRIFICE hicquoq; Homerum laudat, atq; hoc etiam ipsum praeclare vidisse declarat: cum enim furorem, rabiemq; Achillis contra mortuum Hectorem sedare vellet, ita induxit Apollinem illum accusantem. Surdam iam, nihilq; sentientem, terram insaniens vexat: nec enim satiari poterat Achilles paena Hectoris, nec modum tenuit in ira illa sua exercenda, vt ab omnibus merito poetis stultitiae insimulatus sit. Accius, vt Cicero in prima quaestione Tusculana, ostendit, contra reliquorum iudicium poëtarum, ipsum in hac re non omnia sine consilio fecis-
» se voluit. Melius Accius, & aliquando sapiens Achilles. Immo enimuero corpus Priamo red-
» didi, Hectorem abstuli. Qui tamen eo nomine fortasse potius reprehendendus quam laudandus fuit, cum a consensu veterum poëtarum discesserit: nec satis, quid conueniat personae Achillis spectarit. Videtur igitur magis prudentiam facti, quam officium poetae probasse Cicero. Plato quoq;, grandi plerunq; oratione vtens, qui sermo erat illius aetatis, surdum caput in Timaeo appellauit, quod multa carne tectum foret: quamuis statim, quasi verbum interpretans, ac quomodo accipi voluerit aperiens, addiderit, quod sensu carentem partem illam si-
» gnificat. Οὐδ' αὖ ξυσκιάσειαν, κωφὸν καὶ ἀναίσθητον.

Δῆλον οὖν ὅτι τοῖς καταπραΰνειν βουλομένοις, ἐκ τούτων τῶν τόπων λεκτέον.

Perspicuum igitur est iis, qui lenire volunt, ex his locis argumenta ducenda esse.

HAEC clausula est huius partis: locis enim demonstratis, vnde promi argumenta possint, rationem perspicuam esse dicit, qua vti debent, qui incitatos aliquos mitigare volunt, & animum ipsorum componere: planum enim est (inquit) ducenda ex his locis esse argumenta, ab illis, qui student lenire iudices iratos.

Αὐτοὺς μὲν παρασκευάζουσι τοιούτους.

Semet ipsos facientibus tales.

IPSOS enim illos, quos mitigare volunt, oratione ita conformare debent: ostendereq; huiuscemodi esse, vt non debeant vllo pacto amplius illis irasci: qui autem iram facile abiiciant, & quomodo facti, paulo ante declarauit: siue enim longitudo temporis ipsam extinguit, siue cogitatio, quod priores ipsi lacessierint: meritoq; ab illis postea laesi sint: aliaq; cuncta, quae accurate supra tradidit. affines igitur his rebus esse significandi. παρασκευάζουσιν autem dandi casus est: pendetq; ab aduerbio λεκτέον, quo significatur, quam viam tenere ipsos oporteat, vt efficiant, quod volunt.

Οἷς δ' ὀργίζονται, ἢ φοβεροὺς, ἢ αἰσχύνης ἀξίους, ἢ κεχαρισμένους, ἢ ἄκοντας, ἢ ὑπεραλγοῦντας τοῖς πεποιημένοις.

Quibus autem irascuntur, siue tales, vt metui debeant, siue dignos, quos vereantur, siue gratum sibi quondam fecisse, siue inuitos fecisse, siue mirum in modum dolere ob ea, quae fecerunt.

NON enim in illis tantum laborandum, è quorum animis iram discutere volumus, verum eos

quoque, quibus cum simultatem gerunt, oportet fingere, ac summo artificio ostendere, aut esse horribiles: non enim irascimur illis, quos valde metuimus, aut verecundia dignos: illis enim, quos vereri debemus, non possumus irasci: aut praeteritis temporibus beneficijs erga ipsos vsos, vt hanc iniuriam cum commodis illis compensare debeant: aut non sponte fecisse, sed coactos, inuitosq;: aut incredibilem animo dolorem sentire, quod ea, quae fecerint, paeniteat ipsos fecisse.

Τίνας δὲ φιλοῦσι, καὶ μισοῦσι, καὶ διατί, τὴν φιλίαν, καὶ τὸ φιλεῖν ὁρισάμενοι, λέγωμεν.

Quos autem diligunt, quosque odio habent, & cur, cum definierimus amicitiam, & diligere, dicamus.

MOTVM animi alium nunc aggreditur, illis, quae ad iram, contrariamq; ipsius lenitatem pertinebant, explicatis: qui enim diligant, quiq; odio prosequantur, ac quos homines, ostendere parat. vt autem id commode facere queat, antea necessarium putat amicitiae naturam euoluere: ac, quid amare sit, docere: his enim declaratis, reliqua melius intelligentur.

Ἔστω δὴ τὸ φιλεῖν τὸ βούλεσθαί τινι, ἃ οἴεται ἀγαθὰ, ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὑτοῦ: καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων: φίλος δ' ἐστὶν, ὁ φιλῶν, καὶ ἀντιφιλούμενος.

Sit iam diligere velle alicui, quae putat ipsi bona esse, illius causa, sed non sui, & pro viribus paratum esse ad ipsa gerenda: amicus autem est, qui diligit, mutuoq; diligitur.

IN ij. libro de Inuentione M. Cicero, cum definitionem amicitiae attulit, paene hanc sententiam
» expressit. Amicitia voluntas erga aliquem rerum bonarum: illius ipsius causa, quem diligit,
» cum eius pari voluntate: extremam tamen partem ille reliquit (censet enim Aristoteles, amici officium esse non tantum cupere commoda amicis, sed etiam, quoad per ipsum fieri potest, procuratorem effectoremq; eorum esse) ac pro illa sumpsit, quod philosophus amico infra tribuit: amicum enim inquit, esse, qui, vt amat, ita etiam amatur: vim enim amicitiae, naturamq; exprimere voluit, non quid amare sit, sibi docere proposuit, vt Aristoteles primo fecit. Potest autem, quispiam amare, nec ab eo, quem amat, redamari: quod cum intelligeret hic, definitioni amici reseruauit. Aliud praeterea ex definitione Aristotelea elicitur, quod Ciceronis verba non ostendunt. diligere quoq; eum, qui non vera bona, sed quae speciem eorum tantum habeant, alicui optet, ac pro viribus etiam comparet: in quo tamen ipse fallatur: nec vim eorum intelligat, qui bona putet, speciem tantum bonorum retinentia: si enim illorum naturam bene cognitam haberet: simulataq; esse sciret, non ex eorum voluntate erga aliquem, amare illum, sed contemnere potius, aut odio habere, intelligeretur.

Οἰόνται δὲ φίλοι εἶναι, οἱ οὕτως ἔχειν οἰόμενοι πρὸς ἀλλήλους.

Putantur autem amici esse, qui ita inter se affecti creduntur.

HIC (nisi fallor) sensus est horum verborum. Illi se amicos inter se esse putant: qui arbitrantur se mutuo animis inter se sic affectos esse: idest cum eorum alter alterum arbitratur se diligere: sibiq; bonas res velle, sui ipsius causa: quae opinio etiam vigeat in animo alterius de illo: ita autem locutus est, quia sunt etiam non paucae fucatae fictaeq; amicitiae: nec raro contingit vitio hominum, vt quispiam eum diligat, cunctaq; ipsi commoda, & cupiat, & studio etiã suo procuret, quia erga se illum ita quoq; affectum putat: in quo tamen longe fallitur, falsisq; signis amoris ducitur: opinio enim in hac re maiorem, quam veritas, vim habet.

Τούτων δὲ ὑποκειμένων, ἀνάγκη φίλον εἶναι, τὸν συνηδόμενον τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ συναλγοῦντα τοῖς λυπηροῖς: μὴ διά τι ἕτερον, ἀλλὰ δι' ἐκεῖνον.

His autem positis, necesse est, amicum esse, qui vna cum aliquo voluptatem capit è rebus ipsius bonis: & dolet vna cum eodem rebus ipsius malis: non ob aliquid aliud, sed illius ipsius causa.

NISI haec definitio vitium habet: ac donec stant ea, quae posita in ipsa sunt, necesse est, eum, qui gaudet alicuius rebus bonis, doletq; malis, ac paene eodem modo animo afficitur, vt ille, amicum esse. Non tamen quod aliquid inde commodi, aut incommodi expectet, sed illius tantum ipsius causa.

Γιγνομένων

Γιγνομένων γὰρ, ὧν βούλονται, χαίρουσι πάντες: τῶν ἐναντίων δὲ, λυποῦνται. ὥστε τῆς βουλήσεως σημεῖον αἱ λῦπαι, καὶ αἱ ἡδοναί.

Cum enim vsu veniunt, quae volunt, cuncti gaudent: cum vero contraria, dolent. quare voluntatis indicium sunt aegritudines ac voluptates.

DECLARAT homines amicos eorum esse, quorum rebus secundis gaudeant, aduersisq; angantur: cuncti enim (inquit) laetitia afficiuntur, cum res eueniunt, vt voluntas ipsis ferebat: cum autē contrariae, dolent. quare ex laetitia illa, aut dolore, quam animo capiunt, ex bonis malisue amicorum, voluntas ipsorum intelligitur: cum enim laetentur rebus bonis eorum, significant res cecidisse, vt volebant: & cum dolore conficiuntur, contra ac volebant: laetitia enim, dolorq;, quid in animo habeamus, indicant. Qui autem res bonas volunt, amici sunt: ex definitione. Velle vero illos, perspicitur ex voluptate, quam ob eam rem ceperunt: itemque nolle, ex dolore.

Καὶ οἷς ἤδη ταυτὰ ἀγαθὰ, καὶ κακά.

Et quibus iam eadem bona, & mala.

ILLI quoq; mutuo se amant, quibus eadem iam bona, ac mala sunt: id est, qui eandem fortunam subiere, & in eum statum, ac condicionem vitae venere, vt quod alijs molestum sit, ipsis quoq; incommodet: & quod alios iuuet, eodem pacto ipsos quoque subleuet: fieri enim non potest, quin amici inter se sint: causam vero huius rei nunc non reddidit: infra tamen, vnde id fieret, declarauit, cum inquit. Ταυτὰ γὰρ τούτοις βούλεσθαι ἀνάγκη: coniunctio enim voluntatum facit, vt aut amici hi inter se sint, aut saltem videantur: communis autem ea est trium horum locorum: quibus enim eadem bona, ac mala: qui eosdem habent amicos: nec non quibus ijdem sunt inimici, se mutuo amare putantur, quia necesse est idem velint, ac nolint. In antiquissimo libro pusilla haec scripturae varietas est, sententia non immutata: habet enim καὶ οἷς δή.

Καὶ οἱ τοῖς αὐτοῖς φίλοι, καὶ οἱ τοῖς αὐτοῖς ἐχθροί: ταυτὰ γὰρ τούτοις βούλεσθαι ἀνάγκη.

Et qui ijsdem amici, & qui ijsdem inimici: vt velint enim eadē, quae hi, necesse est.

QVI eosdem quoq; amicos, & eosdem inimicos habent, se mutuo amant: eadem enim, quae alter eorum vult, alter velit, necesse est: quibus autem inter se conuenit de voluntatibus, amici putantur. Qui inter se consentiunt in hoc, quod eidem homini amici sunt, pares habent voluntates: ambo enim optant eum incolumen fortunatumq; esse. Simili ratione, qui eidem inimici existunt, cum ambo cupiant illi res malas, eisdem desiderijs tenentur: haec autem coniunctio voluntatum prae se fert amicitiam quandam: quorum enim concurrunt voluntates, amici videntur.

Ὥστε ἅπερ αὑτῷ, καὶ ἄλλῳ βουλόμενος, τούτῳ φαίνεται φίλος εἶναι.

Quapropter qui vult eadem sibi, quae alij, huic videtur amicus esse.

HOC confirmat superiores tres locos: quorum vnam eandemque causam attulit, ac clausula est rationis ipsius, quam reddidit: quapropter enim (inquit) cum alij optet velitq;, quae sibi met ipsi, speciem habet amici: ita autem locutus est, quia non verus, sed adumbratus amicus est: forte enim euenit, vt voluntates eorum copularentur.

Καὶ τοὺς πεποιηκότας εὖ φιλοῦσιν, ἢ αὐτοὺς, ἢ ὧν κήδονται.

Et eos, qui beneficijs affecerunt, diligunt, vel se, vel quos curant.

QVI ita amant, redamentur non necesse est: hic enim amor mutuus necessario non est. amant igitur, omniaq; bona optant illis, qui ipsos beneficijs affecerunt, aut si non ipsos, quos tamen diligunt, carosq; habent.

Ἢ εἰ μεγάλα, ἢ εἰ προθύμως, ἢ ἐν τοιούτοις καιροῖς.

Vel si magna illa fuerint, vel si prompto animo, vel si opportunis temporibus.

QVOMODO animi hominum obligentur, ac beneficia vehementer grata, acceptaq; sint, docet: aut enim magna sint, oportet, aut a prompto, alacrique animo proficiscantur, aut tempore fiant: nam tempus quoque magnam vim habere, perspicuum est. Significat autem cum ipsorum res erant malae, durioreq; illi fortuna conflictabantur: ita enim saepe res etiam sua vi

pusillae ac minutae magnopere homines deuinciunt: sine ipsis namque statum vitamque suam tueri vix poterant.

Καὶ αὐτῶν ἕνεκα, ἢ οὓς ἂν οἴωνται βούλεσθαι ποιεῖν εὖ.

Atque ipsorum causa, vel eorum, quos putauerint velle ijs benefacere.

Et ipsorum causa, aut eorum, quos arbitrati fuerint sibi cupere, ac bene velle. Personas autem primum, quae beneficium accepissent, perpendit: deinde magnitudinem commodorum, aut animum benefactorum, aut opportunitatem temporis: nunc vero finem eorum, qui benigne fecerint: quid enim illi sibi propositum habuerint, cum commoda contulerunt, spectandum: hoc enim quoq; non parum refert ad animos hominum capiendos: nisi namque ipsorum causa fecerint, quos adiuuerunt, siue, vt voluntati desiderioq; satisfacerent aliquorum, quos, qui adiuti subleuatique sunt, existimarint sibi bene velle, sed sua quaedam commoda secuti, aut alia quapiam huiuscemodi re illecti fuerint, ob id non diligerentur. in fine autem spectando non tantum eos diligimus, qui nostra ipsorum causa primo excitati sunt: erectiq; ad nos adiuuandos, sed eos etiam, qui ad id impulsi sunt, vt gratum facerent amicis nostris: ijsque, quos bene nobis velle suspicamur.

Καὶ τοὺς τῶν φίλων φίλους, καὶ φιλοῦντας, οὓς αὐτοὶ φιλοῦσι.

Et amicorum amicos, & diligentes, quos ipsi diligunt.

Amicos quoq; (inquit) amicorum diligunt: nec enim eos tantum, diligimus, qui amicitiae iure nobiscum coniuncti sunt, verum illos etiam, cum quibus amici ipsi nostri eodem iure, quo nobiscum, tenentur. Diuersus autem est hic locus ab eo, qui consequitur, quo tradit, diligere quoque homines eos, qui diligunt, quos & ipsi diligunt: discrimenq; in eo positum videtur, quod non omnes, qui amant, amici eorum, quos amant, dicendi sunt: amant enim non nulli, nec tamen redamantur: & contra amantur, & non amant. De his vero infra seorsum egit: quosque hic vno loco, illic duobus complexus est. Sed cum absit articulus, qui in alijs praepositus est verbo φιλοῦντας, ab antiquissimo libro (quam lectionem probaui, quia animaduerti infra in locis, qui his respondent, idem ipsum fecisse: inquit enim, καὶ τοὺς τοῖς αὐτοῖς ἐχθροὺς καὶ μισοῦντας) videndum est, an inde intelligi debeat vnum tantum locum hunc esse voluisse, quia si, vt duo, accipiantur, valde similes inter se sunt, ac quod addidit, fuisse explicationem, vt vna se posteriores hos capere docuerit, ac superioribus applicare.

Καὶ τοὺς φιλουμένους ὑπὸ τῶν φιλουμένων ἑαυτοῖς.

Et eos, qui diliguntur ab illis, qui diliguntur ab ipsis.

Diligunt quoq; eos, qui ab ijs, quos ipsi diligunt, diliguntur: in proximo superiore loco, cuius vim expressi, cum antecedentem illi explicarem, spectabant animum voluntatemq; eorum, qui diligerent eos, quos & ipsi diligerent: delectabanturq; hac coniunctione animorum, & ad eos amandos ob similitudinem voluntatum inducebantur: in hoc vero voluntatem perspiciunt eorum, quos diligunt: & quia dissentire ab ipsis nulla re volunt, comites se ipsis hac quoq; in re praebent, & diligere incipiunt eos, qui ab ipsis diliguntur.

Καὶ τοὺς τοῖς αὐτοῖς ἐχθροὺς, καὶ μισοῦντας, οὓς αὐτοὶ μισοῦσι: καὶ τοὺς μισουμένους ὑπὸ τῶν ἑαυτοῖς μισουμένων.

Et eos, qui ijsdem, quibus ipsi, inimici sunt: & eos, qui persequuntur odio illos, quos ipsi oderunt: & eos, qui in odio sunt illis, qui sibi in odio sunt.

Eadem ratio est trium horum, qui consequuntur, locorum: inimicitiae namq;, vt amicitia, constare non possunt, nisi odium inter aliquos mutuum sit. quare primus locus tradit amare homines eos, qui eosdem habeant inimicos: secundus, tertiusq; sunt, cum odium mutuum non est: secundus scilicet, quo docet diligere etiam homines illos, qui eosdem quos ipsi, odio prosequuntur: tertius, quo diligere ostendit eos, qui odio habentur ab illis, qui odio ab ipsis habentur: quibus omnibus locis traditis, causam communem omnium reddit.

Πᾶσι γὰρ τούτοις τὰ αὐτὰ ἀγαθὰ φαίνεται εἶναι, καὶ ἑαυτοῖς, ὥστε βούλεσθαι τὰ αὐτοῖς ἀγαθὰ, ὅπερ ἦν τοῦ φίλου.

Cunctis

Cunctis enim his eadem bona videntur esse, quae sibi ipsis: ita vt velint, quae ipsis bona sunt. quod requiritur in amicitia.

QVAE enim (inquit) res conducunt illis omnibus, & ipsis quoq; bono esse, ac conducere videntur, vt cogantur illis res bonas velle. quod amici proprium esse declaratum supra est: optant vero illi res, quae sane ipsos adiuuant, non tamen, vt ipsis prosint: hoc enim fortuito fit.

Ἔτι τοὺς εὖ ποιητικοὺς, εἰς χρήματα, καὶ εἰς σωτηρίαν. διὸ τοὺς ἐλευθερίους, καὶ ἀνδρείους τιμῶσι.

Praeterea eos, qui amicos iuuant in re familiari, & in salute danda. quare liberales & fortes honorant.

NEC tantum eos, qui in ipsos beneficium contulerunt, amant: verum illos etiam, qui alijs praesidio esse consuerunt, siue ad inopiam propulsandam, siue ad salutem defendendam: & haec causa est (inquit) cur liberales, fortesq; vulgo honorant. In iiij. autem libro de moribus ad Nicomachum tradit liberales supra ceteros omnes amari, qui ex virtute aliquid gerant: neque sine causa id fieri: emolumento enim (inquit) mortalibus sunt: nam in iij. summos honores consequi apud omnes reges, populosq; fortes viros, merito affirmarat.

Καὶ τοὺς δικαίους: τοιούτους δ' ὑπολαμβάνουσι τοὺς μὴ ἀφ' ἑτέρων ζῶντας.

Et iustos: tales autem esse arbitrantur eos, qui non viuunt pecunia alijs quouis modo extorta.

AEQVOS etiam, iustosq; viros amant. verum, quia non facile est hos cognoscere (non pauci enim improbi homines, vt ceteros fallant, se iustos esse simulant) iustos putant eos, qui non ab alijs viuunt: idest non aliorum damno rem suam, ac commodum augent.

Τοιοῦτοι δ' οἱ ἀπὸ τοῦ ἐργάζεσθαι: καὶ τούτων οἱ ἀπὸ γεωργίας: καὶ τῶν ἄλλων οἱ αὐτουργοὶ μάλιστα.

Huiuscemodi autem sunt, qui ex opere faciendo viuunt: in quibus sunt agricolae: & e numero aliorum, qui maxime manu victum quaerunt.

HI autem sunt (inquit) qui suo ex labore sibi victum quaerunt: quos omnes vincere probitate existimentur, qui terram colunt. sed aliorum etiam opificum, qui ipsimet opus faciunt: nam quod agricolae pium quaestum sequantur, & in studio occupati sint, quod male cogitare non sinit, sapientissimus etiam vir M. Cato in libro suo de re rustica affirmauit: qui locus, si ille Graecas litteras, artesq; magis amasset, ab Aristotele sumptus videri potuit: in primo enim libro de tuenda re familiari, cum agriculturam ornaret, sic inquit. „ Ἡ δὲ γεωργικὴ μάλιστα, ὅτι δικαία: „ οὐ γὰρ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδ' ἑκόντων: ὥσπερ καπηλεῖαι, καὶ αἱ μισθαρνίαι: οὔτ' ἀκόντων, ὥσπερ αἱ πολεμικαί. Quid autem supra hic intellexerit, cum inquit. τοὺς μὴ ἀφ' ἑτέρων ζῶντας, ope huius loci facilius percipi potest: hic enim quoq; eodem pacto locutus est: nam eam ob causam iustum esse cultorem agri docet, quia alijs non eripit, quibus ipse vtatur: duobus autem modis extorqueri pecuniae ab hominibus solent, aut scientibus volentibusq;, voluptate aliqua delinitis: aut inuitis, vt bello, furto: & huiuscemodi iniurijs.

Καὶ τοὺς σώφρονας, ὅτι οὐκ ἄδικοι.

Et temperantes, quia non sunt iniusti.

TEMPERANTES etiam amant, non quod commodū vllum inde expectent, sed quia se ab iniurijs illi abstinent: vt enim hominum mores sunt, a quibus non laeduntur, putant se adiuuari: delectanturque vita illa ab omnibus delicijs remota: contrarijs autem his, intemperantes, deditiq; corporis voluptatibus, vt libidines suas expleant, iniuste multa faciunt: ac multis modis ceteris obsunt.

Καὶ τοὺς ἀπράγμονας, διὰ τὸ αὐτό.

Atque eadem de causa, qui vitam degunt remotam a negotijs.

AMANT quoque eos, qui tranquillam, ab omniq; negotio alienam vitam ducunt: eandemque ob rem, vt ipse inquit, id est, quia iniusti illi non sunt. Hoc quoq;, quod talis haberetur, saluti

fuisse

fuisse Epaminondae, forti illi ac docto viro, tradit Plutarchus: cum enim studijs sapientiae delectaretur: idemq; angustam domi rem haberet, nihil mali ipsi intulerunt, qui dominatum Thebis occuparant: putarunt enim philosophiam ipsum inertem, rebusq; gerendis minus idoneum, effecisse: paupertatem vero potestatem etiam moliendi aliquid, si vellet, eidem eripuisse. relictus igitur ille est vnus è multis, inquit, διὰ μὲν φιλοσοφίαν, ὡς ἀπράγμων: διὰ δὲ πενίαν, ὡς ἀδύνατος.

Καὶ, οἷς βουλόμεθα φίλοι εἶναι, ἐὰν φαίνωνται βουλόμενοι.

Et eos, quibus amici fieri volumus, si visi nobis fuerint idem velle.

Eos etiam diligimus, quibus amici fieri volumus, si parem in illis voluntatem perspexerimus. aut si illos studium nostrum non aspernari animaduerterimus: qui autem sint, quorum amicitiae cupidi sumus, exponit.

Εἰσὶ δὲ τοιοῦτοι, οἵ τ' ἀγαθοὶ κατ' ἀρετὴν, καὶ οἱ εὐδόκιμοι, ἢ ἐν πᾶσιν, ἢ ἐν τοῖς βελτίστοις, ἢ ἐν τοῖς θαυμαζομένοις ὑφ' αὐτῶν, ἢ ἐν τοῖς θαυμάζουσιν αὐτούς.

Sunt autem huiusce modi, qui probi viri sunt, commendatione virtutis: & qui probati, bonaeq; sunt existimationis, vel apud omnes, vel apud optimos viros, vel apud eos, quos admirantur, vel apud eos, qui admirantur ipsos.

Avt enim (inquit) hi sunt, qui eximiam aliquam virtutem habent: aut qui spectati, ac probati sunt: probati autem, aut omnibus, aut optimis viris, aut ijs, quos admiramur, aut qui nos ipsos admirantur: ἐν πᾶσιν enim (quae ratio sermonis in omni hac re exponenda retinetur) valere puto apud omnes homines, non in cunctis artibus, quomodo ipse sexcentis locis locutus est: vt in iiij. libro de moribus ad Nicomachum. Διοίσει δὲ καὶ τῷ ἐν τοῖς τοιούτοις λέγειν. vt in v. etiam Ἔστι δὲ τὰ δίκαια ἐν τούτοις, οἷς μέτεστιν ἁπλῶς ἀγαθῶν. Praeterea hoc ipso in libro infra. Καὶ ἐν οἷς μὴ δύνανται ἀποτυχεῖν: numquam enim in his personas non intelligit. Omnis autem huius loci sententia haec est: tenemur desiderio comparandi nobis amicitiam eorum, qui praeclara aliqua virtute florent, aut quorum vita factaq; probata sunt illis, quorum iudicium magni facimus: nec enim cuncti homines, si consentiunt, existimari a nobis possunt falli: nec optimi viri: & quae sequuntur. Extrema verba correxi, quae deprauata duobus modis erant, desiderabatur enim particula ἢ, quae necessaria est, & a vetere tralatione exprimitur: & οἷς, pro τοῖς perperam legebatur. Animaduertendum autem est saepe Aristotelem ita loqui, ac dicere homines iudicium libenter sequi, atque existimationem caram habere, eorum, quos ipsi admirantur, aut apud quos in admiratione sunt: infra enim λόγον δ' ἔχει τῶν θαυμαζόντων, καὶ οὓς θαυμάζουσι: nec multo postea. Ἤσαν δὲ οὗτοι, ἢ θαυμαζόμενοι, ἢ θαυμάζοντες. Non vnam autem, eandemq; ob caussam vtrorumq; amicitiae cupidi sumus: eorum enim, quos suspicimus, amicitiam expetimus, quia capimur artibus, ac studijs ipsorum: quorum vero admirationi ipsi sumus, quia propensi in nos illi esse videntur, & nobiscum in amore erga nos metipsos, conuenire.

Ἔτι τοὺς ἡδεῖς συνδιαγαγεῖν, καὶ συνδιημερεῦσαι.

Adhuc autem eos, qui iucundi sunt ijs, quibus cum familiariter viuunt, & totos dies vna consumunt.

Diligvnt etiam eos, quibus cum libenter iucundeq;, quod suauibus moribus sint, viui potest: totusq; dies simul traduci. In viij. quoq; libro de moribus ad Nicomachum non valde diuersam sententiam ijsdem paene verbis exposuit. οὐδεὶς δὲ δύναται συνημερεύειν τῷ λυπηρῷ, οὐδὲ τῷ μὴ ἡδεῖ. Cuius etiam rei caussam illic accurate reddidit.

Τοιοῦτοι δ' οἱ εὔκολοι, καὶ μὴ ἐλεγκτικοὶ τῶν ἁμαρτανομένων.

Huiuscemodi autem homines sunt ingenio leni, & qui non proni sunt ad alios redarguendos, si qua in re peccarint.

Qvi suaues, dulcesq; conuictu sint, exponit: in primisque ingenio placidos huiuscemodi esse inquit, & qui, siquid inconsiderate a quopiam factum sit, aliquaq; in re peccatum, non studiose redarguant: sunt enim non nulli, qui libenter errata aliorum detegunt, ac conuincunt ipsos peccasse, qui amicitiae colendae prorsus parum idonei sunt. Εὔκολοι qui sint, a contrarijs facile intelligitur; illa namq; vox magis frequens notaque est: qui enim omnibus aduersantur,

cunctisque

cunctisque in rebus difficiles morosiq; sunt, δύσκολοι vocantur: de omni autem hac re accuratius egit in iiij. libro de moribus ad Nicomachum.

Καὶ μὴ φιλόνεικοι, μηδὲ δυσέριδες.

Et qui non sunt controuersi, neque cupidi contentionum.

CONCERTATIONVM etiam studiosi, quiq; numquam, aut aegre in omni disputatione, negotioq; in sententiam aliorum veniunt, non possunt ab alijs diligi. contrarij igitur horum cari habebuntur, & in oculis ferentur. quale ingenium fuisse in filio, quem liberto laudabat, narrat
» Terentianus Simo. Facile omnes perferre, ac pati, cum quibus erat cunq;, ijs sese dedere, Eorum
» obsequi studijs, aduersus nemini.

Πάντες γὰρ οἱ τοιοῦτοι μαχητικοί: οἱ δὲ μαχόμενοι, τἀναντία φαίνονται βούλεσθαι.

Cuncti namque hi sunt pugnaces: qui autem pugnant, contraria velle videntur.

VNA autem, & eadem de causa hi omnes voluptatem nullam ijs, qui secum vitam degunt, praebere possunt: pugnant enim hi, aduersanturque omnibus: qui autem pugnant, contraria velle, non tantum sentire, videntur: illi vero, vt supra declaratum est, diliguntur, qui idem velle existimantur.

Καὶ οἱ ἐπιδέξιοι, καὶ τῷ τωθάσαι, καὶ τῷ ὑπομεῖναι: ἐπὶ ταυτὸ γὰρ ἀμφότεροι σπεύδουσι τῷ πλησίον, δυνάμενοί τε σκώπτεσθαι, καὶ ἐμμελῶς σκώπτοντες.

Et qui sunt natura, vel arte facti ad dicendum in alios, & aliorum in se dicta patienter ferendum: ad eadem enim ambo festinant, ad quae fertur alter, cum valeant dicta in se ferre: & lepide ipsi iocoseque mordeant.

ILLI etiam conuictui apti sunt: plurimosq; inueniunt, qui cum ipsis libenter totos dies terant, qui in alios dicere possunt, ac siquid in ipsos dictum sit, patienter ferunt: rationem huius rei reddens, inquit: eodem enim studio tenentur, eundemq; vitae cursum petunt, atque ij, quos proximos habent, cum quibusq; viuunt: nam possunt leuiter ipsos facetis dictis mordere, & eorum etiam morsus aequo animo sustinent: hoc vero verbo vsus etiam est in iiij. libro de moribus ad Nicomachum, & ἐπιδέξιον esse inquit, qui nomine alio εὐτράπελος vocaretur: cum virtutem ipsam mediocritatemq;, quae in iocis facetijsq; esset, ἐπιδεξιότητα non incommode appellari posse diceret. ἀμφότεροι autem hic inquit, cum de vnis ijsdemq; loquatur, quia ipsos, vt alios, atq; alios considerat: diuersa enim praestant, duplicemq; naturam, ac potestatem in se habent: dicendi scilicet in alios, & aliorum dicta aequo animo tolerandi. quod vero adiunxit ἐμμελῶς: & lepide eleganterq; valet, significat dicta omni acerbitate vacare debere, vel potius leporis plena esse, vt grata esse possint. Quia igitur illi quoq; ijsdē studijs tenentur, & valde delectantur, cum vident suas in illos voces aequo animo accipi, ideo σπεύδειν εἰς ταυτὰ τῷ πλησίον, hic
» nunc dicti sunt. eodē vero aduerbio in eadē re exponenda illic vsus est, οἱ δ' ἐμμελῶς παίζοντες, εὐ-
» τράπελοι προσαγορεύονται. Quod hic in excusis legitur τῷ τωθάσαι, in antiquissimo libro est τῷ παῖσαι: sed in alijs etiam scriptis non integer omnino locus est, in quibus vestigia non parua sunt huius lectionis. Παίζειν autem, cum in omni lusionum genere versari significet, capi quoq; pro iocari, ac facete dicere, proxime citati loci testimonio intelligitur, quo docuit, qui concinne lepideque luderent, ac iocarentur, vocari eutrapelos.

Καὶ τοὺς ἐπαινοῦντας τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθά, καὶ τούτων μάλιστα, ἃ φοβοῦνται μὴ ὑπάρχειν αὐτοῖς.

Et eos, qui laudant bona, quae in ipsis sunt, & horum maxime, quae metuunt, ne ipsi teneant.

EOS quoq; diligunt, qui laudant bona, quae in ipsis sunt: praedicatione namq; suarum opum, virtutumq; homines delectantur: cumq; omnia, quae tenent, celebrari gaudeant, illa maxime in se laudari gestiunt, quae ne plene perfecteq; possideant, verentur: eorum enim iudicio, confirmationeq; se magis illorum compotes esse credunt, & alijs etiam, ipsis illis bonis eos abundare, hoc pacto fides fit: nec enim tantopere gaudent, cum commendari audiunt, quae certo se firmiterq; possidere arbitrantur, quia testimonio illa egere non putant.

Καὶ τοὺς καθαρείους, περὶ ὄψιν, περὶ ἀμπεχόνην, περὶ ὅλον τὸν βίον.

Et eos,

Et eos, qui mundi sunt aspectu, vestitu, omni sua vita.

MVNDOS etiam, elegantesque homines amant: & qui cunctis in rebus, omnique in vita lauti sunt: siue illi corpore, facieq; mundi sint, siue vestimentis, siue alia quapiam re: munditijs enim, » vbicunq; eas viderint, delectantur: hoc etiam significauit, qui inquit. Decore nihil breuius, » nec melius.

Καὶ τοὺς μὴ ὀνειδιστάς, μήτε τῶν ἁμαρτημάτων, μήτε τῶν εὐεργετημάτων: ἀμφότεροι γὰρ ἐλεγκτικοί.

Et eos, qui morem non habent obijcere alijs, siue peccata, siue beneficia: ambo enim hi procliues sunt ad alios redarguendos.

DILIGVNT etiam illos, qui longe ab his moribus absunt, vt exprobrent, siue peccata, siue beneficia: cuius rei ratio aperta est: nam & qui beneficia exprobrant, & qui vetera etiam peccata obijciunt, redarguunt: quod qui committunt, odio digni videntur, nec amari vllo pacto possunt: quin, cui peccatum aliquid obiectũ est, redarguatur, dubitari non potest: sed ille quoq;, cui beneficium exprobratur, conuincitur quondam eguisse, nec sine liberalitate alicuius potuisse incolumis esse: quod molestum esse solet, videri eguisse auxilio alterius.

Καὶ τοὺς μὴ μνησικάκους: μηδὲ φυλακτικοὺς τῶν ἐγκλημάτων, ἀλλ' εὐκαταλλάκτους: οἵους γὰρ ἂν ὑπολάβωσιν εἶν πρὸς τοὺς ἄλλους, καὶ πρὸς αὑτοὺς οἴονται.

Et qui non seruant in animo improba facta aliorum, neque recordantur acceptas iniurias, sed sunt placabiles: quales enim existimarint esse erga alios, tales erga se futuros arbitrantur.

DILIGVNT praeterea eos, quos vident praeterita mala non valde recordari: neque iniurias acceptas animo custodire, sed placabiles esse: quales enim aduersus alios eos intellexerint, tales erga se sperant futuros. Antiquissimus liber, μὴ μνησικακοῦντας habet, sensu fere nihil variato: peruulgatam tamen lectionem non damno: μνησικακῆσαι vero valere firmas in memoria veteres iniurias tenere, notum est. Id autem verbum intellexit Cicero, cum in prima Philippica in- » quit. Graecum etiam verbum vsurpaui, quo tum in sedandis discordijs vsa erat ciuitas illa: » Aeschines enim, de eadem re loquens contra Ctesiphontem, inquit. Νῦν δὲ ἐκεῖνοι μὲν μεγάλων κα- » κῶν συμβάντων, ἔσωσαν τὴν πόλιν, τὸ κάλλιστον ἐκ παιδείας ῥῆμα φθεγξάμενοι, μὴ μνησικακῆσαι.

Καὶ τοὺς μὴ κακολόγους: μηδὲ εἰδότας, μήτε τὰ τῶν πλησίον κακά: μήτε τὰ αὑτῶν. ἀλλὰ τὰ ἀγαθά: ὁ γὰρ ἀγαθὸς τοῦτο δρᾷ.

Et eos, qui maledici non sunt: neq; nouerunt, siue res malas propinquorum, siue ipsorum illorum, sed bonas solum: probus enim vir hoc facit.

NEC non eos etiam, qui maledici non sunt, nec norunt res aduersas, aut propinquorum, aut ipsorum, sed bonas tantum: probi enim viri hoc faciunt: probi autem merito amantur. Non indagare vero curiose bonos viros incommoda, maculasq; aliorum, sed potius, siquid huiuscemodi ad aures eorum peruenerit, statim abijcere, atque occulere, certum est: vt contra res secundas eorundem, firmiter animo tenere, ac libenter praedicare, proprium ipsorum est. Plato in Theaeteto, cum ingenium eorum effingere, qui sapientiae operam darent, hoc elegantissimis » verbis persecutus est: Εὖ δὲ ἢ κακῶς τις γέγονεν ἐν πόλει, ἤ τί τῳ κακόν ἐστιν ἐκ προγόνων γεγονός, ἢ πρὸς ἀνδρῶν, » ἢ γυναικῶν, μᾶλλον αὐτὸν λέληθεν, ἢ οἱ τῆς θαλάττης λεγόμενοι χόες: nec tamen eos rerum malarum tantum, quae alijs euenerint, sed bonarum etiam ignaros esse vult: quod toto animo in contemplatione rerum maximarum occupati, reliqua omnia sua nihil interesse putent. In antiquissimo libro numero multitudinis legitur, ταῦτα δρᾷ.

Καὶ τοὺς μὴ ἀντιτείνοντας τοῖς ὀργιζομένοις, ἢ σπουδάζουσι: μαχητικοὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι.

Et eos, qui non aduersantur ipsis, ira commotis, siue sedulo aliquid agentibus: huiuscemodi namque omnes pugnaces sunt.

ITEM eos, qui non aduersantur iratis, neq; contra studia illorũ tendunt: & quemadmodum iratis, ita etiã serio aliquid agentibus: qui enim toto animo in aliquo negotio occupati sunt, pati non possunt studia illa sua impediri, aegreque ferunt, cum vident alios contra niti: quodque

in superio-

in superioribus illis ira efficit, id in his vehemens animi adplicatio ad aliquid efficiendum gignit: qui autem resistunt, quasi concertare cum ipsis velle videntur. Quod aperte expressit, cum huiuscemodi homines μαχητικοὺς esse, & pugnare de omni re velle, dixit. Animaduertendum autem, cum τοῖς ὀργιζομένοις inquit, illis ne ipsis intelligat, qui eo facto delectati, diligere ipsos incipiunt, siue potius erga omnes, qui commoto animo sunt, ita se gerunt: vt reperere hic quoq; oporteat, quod supra inquit, hoc fieri, quia sperent erga se quoq; tales ipsos futuros: hic enim de his loqui videtur, qui naturas aliorum obseruant: attenduntq; quomodo se illi cum alijs gerant: supra namq; non diligere homines eos, qui studijs ipsorum repugnent, indicarat: ac si id significare nunc voluisset, videbatur αὐτοῖς ὀργιζομένοις dicere debuisse: vt vero hoc capitur, ita quoq;, quod de serio aliquid, summaq; contentione agentibus, capi debere, planũ est. Qui antecedebat vero consequens verbum, articulus a me sublatus est, quia in optimo exemplari non legitur.

Καὶ τοὺς πρὸς αὐτοὺς σπουδαίως πως ἔχοντας. οἷον θαυμάζοντας αὐτοὺς, καὶ σπουδαίους ὑπολαμβάνοντας, καὶ χαίροντας αὐτοῖς.

Et eos, qui erga ipsos studiose, beneuoleque se aliquo modo habent. veluti admirantes ipsos, putantesq; esse studiosos virtutis, & consuetudine ipsorum laetantes.

DIV multumque me hic locus sollicitum habuit, cum in excusis antea legeretur ὡς αὐτοὺς ἔχοντας: nec sententiam vllam idoneam inde elicere possem, nisi aliquis vellet verba ipsa distorquere, aut extra multa intelligere. animaduerti postea in antiquissimo libro ita legi: quae lectio valde plana, & aperta est, atque huic loco aptissima: diligunt enim (inquit) etiam illos, qui erga ipsos aliquo modo, studiose atque inclinato animo se habent: statim autem ipse exponit, quid significarit verbis illis: aperitq; se intelligere, exempli causa, qui aut admirentur ipsos, aut studiosos virtutis existiment, aut ipsorum consuetudine gaudeant: hi enim omnes affecti sunt aliquo modo aduersus ipsos: idest praeclare, & cum propensione quadam animi. Halicarnasseus quoq;, magister summus dicendi: nec inelegans scriptor, eodem pacto locutus est, vbi in arte
» tradenda de vitijs agit, in quae multi passim inciderent in meditando. Οἱ δὲ περὶ τὴν κρᾶσιν τῶν
» ἠθῶν οὐ σπουδαίως ἔχουσιν: quamuis illic curam, ac diligentiam significet.

Καὶ ταῦτα μάλιστα πεπονθότας, περὶ ἃ μάλιστα βούλονται αὐτοὶ, ἢ θαυμάζεσθαι, ἢ σπουδαῖοι δοκεῖν εἶναι, ἢ ἡδεῖς.

Et maxime cum ita sunt animo affecti in illis rebus, in quibus ipsi maxime volunt, siue admirationem sui gignere, siue studiosi, praestantesque videri esse, siue iucundi.

ET in primis eos diligunt, qui ita animo affecti sunt erga ipsos, in rebus, quarũ laudis auidi sunt: cum enim semper, omnibusq; in rebus homines gaudeant, aliquos admiratione sui captos esse, tunc praecipue laetantur, cum vident quospiam ob eas res se admirari, propter quas in primis cupiunt admirabiles videri, aut putare se eximios, ac studiosos in ijs rebus, in quibus tales volunt haberi: aut oblectantur ipsis illis, in quibus iucundi cupiunt videri: vt si quis esset, qui optimis artibus valde deditus foret, atque in earum cognitione eximius haberi vellet: idemque bonis alijs, & corporis, & externis abundaret: cum enim aequo animo ferret se formosum, diuitem, nobilem haberi, praecipue illis delectaretur, qui ipsum in doctrinarum studijs suspicerent, atque celebrarent.

Καὶ τοὺς ὁμοίους, καὶ ταὐτὰ ἐπιτηδεύοντας: ἂν μὴ παρενοχλῶσι, μηδὲ ἀπὸ ταὐτοῦ ᾖ ὁ βίος: γίγνεται γὰρ οὕτω, τὸ, κεραμεὺς κεραμεῖ.

Et pares sibi, ijsdemque studijs deditos, nisi turbarint, impedierintque cursum ipsorum, neque ab eodem studio, arteue victum duxerint: ita enim existit illud, & figulus figulo.

ITEM pares, atq; ijsdem studijs deditos: neque tamen hoc sempiternum est: nam vincit interdum naturam vtilitas: quod declarauit ipse dicens: nisi pares illi tibi rationes tuas turbarint, & molesti fuerint, neque ex eadem arte, studioque victum quaerant: tunc enim, nedum diligi possint, & inuidia, & odium contra illos excitatur. Quod optime cognouit sapiens poëta Hesiodus, cum in primo libro rerum rusticarum inquit. & figulum figulo, & fabrum fabro inuidere, nec non mendicum hominem mendico, ac poëtam quoq;, poëtae. Naturae autem vi diligi ijsdem studijs praeditos, manifestum est: & hoc etiam Plato in Lyside affirmauit, cum

parem

parem pari necessario amicum esse tradidit, & illi quoq; acutissimi homines, ac naturae rerum valde periti, qui amicitiam similitudinem esse dicebant, & assimiles semper amicos. Iure igitur M. Cicero morte Q. Hortensij oratoris grauiter doluit: & multi etiam non sine causa hoc mirabantur, cur tam aegre ferret, se aduersarium, & obtrectatorem laudum suarum, amisisse: Nam Cicero ipse, qui totam hanc rem narrat, quod magnam vim habet ad amicitiam conseruandam, docet omnem causam simultatis procul ab ipsis fuisse: quoniam numquam, aut illius cursus ab ipso impeditus fuerit, aut ab illo suus.

Καὶ τοὺς τῶν αὐτῶν ἐπιθυμοῦντας, ὧν ἐνδέχεται ἅμα μετέχειν αὐτούς.

Et eos, qui earundem rerum cupiditate inflammati sunt, quarum contingit vna, simulque ipsos participes fieri.

ITEM eos, qui earundem rerum cupiditate tenentur: si fieri potest, & illarum rerum hoc natura patitur, vt ambo simul desiderij compotes fiant, nec alterius adeptio, alterum inde excludat: sunt enim res multae, quae eodem tempore a multis obtineri possunt: cuncti autem tunc, qui in eodem cursu sunt, se mutuo adiuuare consuerunt: res vero longe aliter se habet, si alterius generis res sunt, & quae vnum tantum recipiant: vt regna, & taedae peruulgato prouerbio esse creduntur: tunc enim odio, & acerbis inimicitijs inter se flagrant.

Εἰ δὲ μή, ταὐτὸ καὶ οὕτω συμβαίνει.

Si non, ita quoque idem vsu venit.

SIN vero hoc non fit, idem quoque hoc pacto vsu venit, idest inuidia, & odium inter ipsos excitatur, ne dum se amare possint: vt illis scilicet contingebat, qui cum ijsdem studijs dediti essent, commoda aemulorum impediebant: ταὐτὸ enim manifesto refertur ad illud, κεραμεὺς κεραμεῖ: quod vero inquit, εἰ δὲ μή, In epistola quadam ad Atticum libri ij. Cicero, cum eundem sen-
» sum proferre vellet, Graeca verba vsurpauit. Si possunt discedere, ne causa optima in Senatu
» pereat, ego satisfaciam publicanis. εἰ δὲ μή: & quae sequuntur: cum eius gentis hic modus loquendi proprius esset: crebroque in Graeco sermone vsurparetur: nec tam tritus Latinis hominibus, Latinis verbis expositus, adhuc foret. Plinius alioqui reddidit, cum Theophrasti lo-
» cum hunc ex viij. libro de stirpibus exprimeret. Τὸ δὲ τρίτον προβάτοις ἐπαφιᾶσιν: ἔτι γὰρ φύει πλὴν
» καυλίον: εἰ δὲ μή, φυλλομανεῖ. Tertio depascunt, alioqui folia tantum fierent. Non indisertus poëta, quicunq; ille fuit, cuius hoc carmen est inter lusus in custodem hortorum, sin dixit, vt arbi-
» tror. Donec proterua nil mei manu carpes, Licebit ipsa sis pudicior Vesta, Sin: haec
» te mei ventris arma laxabunt. Horatius in epistola prima primi libri, Si non. Is ne tibi
» melius suadet, qui rem facias, rem Si possis recte: si non, quocunque modo rem. Item in
» epistola ad Numicium. Si non, his vtere mecum.

Καὶ πρὸς οὓς οὕτως ἔχουσιν, ὥστε μὴ αἰσχύνεσθαι τὰ πρὸς δόξαν, μὴ καταφρονοῦντες.

Et eos, erga quos ita se habent, vt non verecundentur ea facere, quae ad opiniones referuntur, non tamen, quod despiciant ipsos.

EOS quoque diligant necesse est, & in amicorum loco habeant, erga quos ita animo affecti sunt, vt ipsos non pudeat coram illis ea facere, quae vulgo turpia habentur, quamuis in illis verae turpitudinis nihil sit: alia enim ad veritatem turpia sunt, quae nemo vmquam vir probus facere debet: alia ad opiniones, quae potest sine culpa aliquando gerere, quamuis praesentes aliqui adsint: cum enim familiares illi sint, ac probitatem dignitatemq; hominis perspectam habeant, periculum non est, ne rem illam ei vitio dent. Huiuscemodi quiddam significare voluit Mar-
» tialis, cum inquit. Nil aliud video, quo te credamus amicum, Quam quod me coram pe-
» dere Crispe soles. Quod enim flagitium alias esse existimatur, coram amicis non magnopere reprehenditur: liceat enim nobis, rei declarandae causa, foediore exemplo vsos esse. Animaduertendum tamen, ne coram quibus ea, quae turpiora habentur, gerimus, abiecti quidam homines, & nullius pretij sint, & quorum omnino existimationem contemnamus (hoc enim significare voluit, excepto tantum dicens siquando a contemptu personarum id nascitur) tunc enim amici illi nobis esse ea ratione non intelliguntur. nam ea, quae ad opiniones hominum foeda, flagitiosaq; sunt, gerimus libere, & coram amicis, quos censemus in bonam partem illa accepturos, & coram abiectissimis personis, quorum laudem iudiciumq; omnino despicimus. Cum igitur huius generis non sint, quos spernimus: alterius sint, quos amicos, ac beneuolos nobis ducimus necesse est.

Καὶ πρὸς

Καὶ πρὸς οὓς αἰσχύνονται τὰ πρὸς ἀλήθειαν.

Et ad quos verecundantur illa, quae ad veritatem.

ILLOS quoque diligunt, apud quos verentur ea facere, quae ad veritatem improba sunt: cum enim probi, ac prudentes viri velint omnes de se bene existimare, bonam de se in primis amicorum opinionem retinere, ac conseruare cupiunt. Quare cum libere, audacterq;, spectantibus illis gerant, quae ad opiniones hominum turpia sunt, nullo modo volunt illos esse testes suorum flagitiorum, conspectumq; eorum, cum aliquid, quod ad veritatem, non ad opinionem solum turpe est, commissuri sunt, fugiunt. In primo quoque libro de ijs rebus, quae aut ad opinionem, aut ad veritatem existimantur, meminit: eodemq; pacto ipsas appellauit: vt alijs etiã non nullis in locis fecit. In priore tamen libro Priorum Analyticorum, vbi de ijs, quae comitantur & haerent alicui rei, disputat, docere volens, quaedam opinione tantum: quaedam vero ad
» veritatem comitari, & vtriusq; generis consequentia inueniri, inquit. Καὶ τοῦτον ποῖα δοξαστικῶς,
» καὶ ποῖα κατ' ἀλήθειαν: quam varietatem sermonis adnotare libuit, cum supra a Latinis quoque scriptoribus expressum hunc modum loquendi, docuerim.

Καὶ πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται.

Et eos, apud quos contendunt in honore & dignitate aliqua esse.

NEC non eos, apud quos in pretio & honore esse cupiunt, quibus se probare student: quibus omni ratione, qua possunt, placere conantur: id enim hic valere arbitror φιλοτιμοῦνται.

Η ὑφ' ὧν ζηλοῦσθαι βούλονται, καὶ μὴ φθονεῖσθαι, τούτους, ἢ φιλοῦσιν, ἢ βούλονται φίλοι εἶναι.

Et quos optant se aemulari, & non sibi inuideri, hos vel diligunt, vel volunt ipsis amici esse.

EOS quoque, quos fortunatos se existimare volunt, quosq; cupiunt habere aemulos, atq; imitatores rerum suarum, non tamen obtrectatores fieri laudum, aut inuidia flagrare incipere, aut amant, aut amici illis fieri cupiunt: vt autem merito cuncti optare debent, multos extare, qui fortunam suam admirentur, ipsosq; beatos iudicent, ita nemo sanus cupere debet, se inuidos parare: aut si forte sint, diligere illos potest: quia tamen aemuli communia quaedam cum inuidis habent, distinxit illos, atque hos diligi solere: illos nullo modo amari, neq; amicitiam eorum expeti posse, tradit.

Καὶ οἷς ἂν τἀγαθὰ συμπράττωσιν, ἐὰν μὴ μέλλῃ αὐτοῖς ἔσεσθαι μείζω κακά.

Et eos, quibus socios se praebuerint in bono aliquo consequendo, nisi inde maiora mala in se peruentura sint.

QVOS etiam studio suo adiuuerint, vt aliquod bonum adipiscerentur, amant: nisi forte ex eo officio grauiora quaedam mala in ipsos casura sunt: tunc enim nullo modo ipsos diligere possunt, cum vident, eos sibi maximi incommodi causam fore: hoc autem remoto, cupiunt illos saluos esse, ac vehementer diligunt: apud eos enim beneficium collocarunt, intelliguntq; ipsos sua ipsorum opera abundare, atq; officio suo delectantur.

Καὶ τοῖς ὁμοίως, καὶ τοὺς ἀπόντας, καὶ τοὺς παρόντας, φιλοῦσι.

Et illis, qui pariter, & absentes, & praesentes diligunt.

DILIGVNT quoq; illos, vel potius amici ipsis fieri cupiunt (ita enim hic locutus est, vt superiorum duorum posteriori loco videatur respondisse: dixerat enim. Η φιλοῦσιν, ἢ βούλονται φίλοι εἶναι.) Eorum igitur amicitiã expetunt, quos vident non minus diligere absentes amicos, quam praesentes, & qui adsint: hi enim firmi amici esse intelliguntur, quorum amorem loci distantia non minuit: dijuncta autem esse consilia studiosorum ab existimationibus improborum, quemadmodum alijs multis rebus ita etiã hoc: quod alteri illorũ amicos praesentes solum honorant: alteri vero magno spatio terrarũ remotos, caros etiam habent, affirmauit disertus scriptor Isocrates, initio orationis ad Demonicũ. Qui igitur eodé pacto affecti sunt erga absentes amicos, ac praesentes, probi sunt, & amore digni: & iure optimo amicitia horũ expetitur, ac probatur.

Διὸ καὶ τοὺς περὶ τοὺς τεθνεῶτας τοιούτους, πάντες φιλοῦσι.

Qua de causa eos, qui erga mortuos tales sunt, cuncti diligunt.

HOC ad expositum iam locum corollarium addit. Atq; haec est causa, inquit, cur omnes mortales, eos, qui mortuorum quoque amicitiam tuentur, diligunt: absunt enim illi longissime, ac diuisi a nobis sunt maximo interuallo. τοιούτους autem, idest, qui mortuos ipsos diligunt, vt viuos dilexerunt: cum enim amicitia illa, ne morte quidem dirimi labefactariq; potuerit, firma stabilisque fuisse cognoscitur. Quales autem erga illos fuerint, tales quoque erga se ipsos sperant futuros.

Καὶ ὅλως τοὺς σφόδρα φιλοφίλους.

Et eos demum, qui valde sunt amici amicis.

OMNINOQVE, qui acriter commodis amicorum inseruiunt, ac vehementer amico amici sunt, diligunt: ij enim a Graecis φιλόφιλοι vocantur. Quo verbo etiam vsus est in viij. libro de moribus ad Nicomachum, cum amicitiam ornaret, nec solum ipsam necessariam, sed honestam etiam, & dignitatis plenam esse diceret: hoc enim argumento vtitur: τοὺς γὰρ φιλοφίλους ἐπαινοῦμεν: qui enim acres sunt in amicitia colenda, ardenterq; haec munera obeunt, laudamus. Terentius in Phormione hoc expressit (vt puto), cum inquit. Solus est homo amico amicus: nam vetus interpres tradit, haec Apollodori verba fuisse, vnde totam fabulam transtulit poeta. Μόνος γε ἐπίσαται φιλεῖν τοὺς φίλους.

Καὶ μὴ ἐγκαταλείποντας: μάλιστα γὰρ φιλοῦσι τῶν ἀγαθῶν, τοὺς φιλεῖν ἀγαθούς.

Et qui non deserunt in malis rebus: praecipue enim diligunt ex omni numero bonorum virorum eos, qui boni sunt in amicitia colenda.

ET, qui cum res aduersae premunt: aut pericula ipsis impendent, non deserunt eos, quibus se amicos videri volebant: cum enim (inquit) homines bonos viros omnis generis diligant, eos, qui boni amici sunt, praecipue amant: quiq; praeclare munia amicitiae implent: nullo autem modo probari possunt, qui amicos, cum malis vrgentur, aut cum vicinum ipsis malum est, destituunt. In antiquissimo libro ita scriptum offendi. καὶ μὴ ἐγκαταλιπόντας: μάλισα δὲ φιλοῦσι τῶν ἀγαθῶν τοὺς φιλαγάθους. Tribus igitur modis a reliquis discrepat: quas varietates, cum immutarim nihil, silentio praeterire non debui.

Καὶ τοὺς μὴ πλαττομένους πρὸς αὐτούς: τοιοῦτοι δὲ καὶ οἱ τὰ φαῦλα τὰ ἑαυτῶν λέγοντες.

Et qui nihil secum fingunt: huiuscemodi autem sunt, qui incommoda quoque, & suas res malas ipsis narrant.

EOS quoque diligunt, qui nihil secum fingunt: ij autem sunt, inquit, vt alij etiam, ita qui res quoque suas malas, & quae ipsos vehementer sollicitant, aperiunt, & nihil dissimulant, aut obtegunt. Huiuscemodi autem homines debere diligi, si vera sunt ea, quae supra tradidit, videntur.

Εἴρηται γὰρ, ὅτι πρὸς τοὺς φίλους τὰ πρὸς δόξαν οὐκ αἰσχυνόμεθα. εἰ οὖν ὁ αἰσχυνόμενος, μὴ φιλεῖ: ὁ μὴ αἰσχυνόμενος, φιλοῦντι ἔοικεν.

Dictum enim est, non solere eos verecundari amicos in his, quae ad opinionem sunt. si igitur, qui verecundatur, non diligit, qui verecundatur similis est ei, qui diligit.

CAVSAM eius rei affert, addens: Dictum est enim, homines non solere vereri amicos in rebus, quae ad opiniones sunt. A contrario igitur, si qui veretur, ac metuit, non diligit, qui non reformidat, ac suas res aduersas detegit, diligere, probabiliter quidem: minime tamen certa argumentandi ratione intelligitur: quod etiam indicauit, qui non esse illum amicum, sed φιλοῦντι ἐοικέναι, ac speciem retinere amici, dixit: multi enim domestica mala: quae, quamuis veram maculam ipsis non inurant, diuulgari tamen non oportet, ob stultitiam etiam alienis aperiunt. Huiuscemodi autem illa sunt, vt si quis narret alicui incommodum, quod in re familiari acceperit: impudicitiam vxoris, aut sororis: quae quamuis turpia vulgo habeantur, ipsius tamen culpa commissa non sunt: nec ei, nisi ipsius incuria euenerint, turpitudinem vllam iustam afferunt: haec enim quoque vulnera amicis aperire, quibus valde fidunt, non dubitant.

Καὶ τοὺς μὴ φοβεροὺς· καὶ οἷς θαῤῥοῦμεν· οὐδεὶς γὰρ, ὃν φοβεῖται, φιλεῖ.

Et eos, qui non sunt e genere eorum hominum, qui metuuntur, & quibus confidimus: nemo enim, quem diligit, metuit.

ITEM eos, qui horribiles non sunt, neque formidolosi, diligunt: quamuis enim Cicero in epistola quadam ad Atticum Graecum verbum posuerit: inquit enim, Me vero etiam cauendũ, φοβερὸν ὄν, tamen Latino etiam eosdem nunc terribiles, nunc formidolosos, nunc horribiles vocat. Qui igitur magnas opes habent, non tamen metuendas: quibusq; confidimus, auxilioq; nobis speramus esse posse, propter amplitudinem, & potentiam, diligimus. nam si opes illas suspectas habemus, & ne detrimento nobis sint, reformidamus, nullo modo amamus: nemo enim (inquit) quem metuit, diligit. Si ita legatur, vt in excusis, ac scriptis pluribus legi, quin hic sensus sit horum verborum, dubitari non potest. In antiquissimo tamen libro aliter scriptum offendi: est enim illic, εἰς θαῤῥοῦμεν, accusandi casu: cuius etiam lectionis vestigia in vetere tralatione apparent, vt fortasse intelligendum sit. quos superare posse confidimus, si illi vim facere conentur: ij enim quoque metum nobis inijcere non debent.

Εἴδη δὲ φιλίας ἑταιρεία, οἰκειότης, συγγένεια, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Species autem amicitiae sunt, sodalitas, necessitudo, cognatio, & quaecunque talia sunt.

QVOT partes, formaeq; sint amicitiae nunc exponit: quem tamen locum plenius, accuratiusq; pertractauit in viij. libro de moribus ad Nicomachum: plures enim illic traduntur. Sodalitatem hic solum, necessitudinem, siue familiaritatem voces, affinitatemq; numerat: nam inter sodales amicitia quaedam versatur, & inter necessarios, nec non inter eos, qui eiusdem gentis, familiaeq; sunt. Non nullas autem hic a se relinqui docet aperte, cum inquit, aut quaecunque alia huiuscemodi sunt. Ἑταῖροι, qui a Latinis sodales, sunt, qui arcta quadam societate mutuo tenentur: fereq; simul viuunt, atque ijsdem studijs dediti sunt: plerunq; leuioribus, & quae animi causa tractentur. Οἰκεῖοι, ac necessarij, qui coniuncti inter se longo vsu, atq; egregia quadam familiaritate. Συγγενεῖς, qui eiusdem stirpis, ac generis sunt: hi enim quoq;, quamuis vna multum non degant, communione quadam coniuncti sunt, quod socij sint eiusdẽ sanguinis.

Ποιητικὰ δὲ φιλίας, χάρις, καὶ τὸ, μὴ δεηθέντος ποιῆσαι, καὶ τὸ, ποιήσαντα, μὴ δηλῶσαι.

Efficientia autem amicitiae sunt, beneficium, & bene alicui facere, antequam rogetur, & cum fecerit, non patefacere.

QVAE possint efficere amicitiam, ex quibusq; initijs illa oriatur, narrat: plura namq; haec sunt. Beneficium igitur, in aliquem collatum, patefacit aditum ad amicitiam: certum enim est χάριν hic ipsum appellare beneficium: quo intellectu passim capitur: neque tamen omnis, qui alicui benigne facit, animum sibi illius penitus obligat: oportet enim, si cuius tibi amorem conciliare vis, commoda vltro deferre, nec preces ipsius expectare, & cum feceris, alijs non indicare: conficientia etiam amicitiae sunt facilitas morum, consuetudo, ac frequens congressus: haec enim maxime copulare animos solent: vt ipse quoque in ix. libro de moribus ad Nicomachum testatus est.

Αὐτοῦ γὰρ οὕτως ἕνεκα φαίνεται, καὶ οὐ δι' ἕτερον.

Ipsius enim causa ita videtur, & non aliam ob rem.

CVR haec requirantur ostendit, addens: cum enim hoc seruatur, intelligitur, eius gratia factum esse, nullamq; aliam ob causam: nam praeclaras saepe gratias corrumpit, quae ob ingenij vanitatem nascitur, beneficiorum commemoratio: illa enim meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit. In antiquissimo libro pusillum hoc discrimen scripturae est: legitur enim in eo. οὐ διά τι ἕτερον.

Περὶ δὲ ἔχθρας, καὶ τοῦ μισεῖν φανερὸν, ὡς ἐκ τῶν ἐναντίων δεῖ θεωρεῖν.

De inimicitijs, & odio planum est, e contrarijs oportere videre.

DE inimicitijs, & odio (inquit) vnde sumendi loci sint, non indicabo: inanis namq; omnis hic labor esset: quis enim non videat rerum contrariarum a contrarijs locis argumenta ducenda esse? In antiquissimo libro, non δεῖ θεωρεῖν, sed ἔστι legitur: vt non oportere praecepisse videatur, sed tantum licere, cum vsus venerit, inde praesidium petere.

Ποιητικὰ δὲ ἔχθρας ὀργή, ἐπηρεασμός, διαβολή.

Efficientia autem inimicitiarum sunt, ira, ludibrium, criminatio.

CVM supra, quae amicitiam efficiant, tradidisset, nunc, quae inimicitias gignant, docet: tria autem sunt, ira, incommodatio, ludibrij causa importata, quem ἐπηρεασμὸν Graeci vocant, criminatio.

Ὀργὴ μὲν οὖν ἐστιν ἐκ τῶν πρὸς ἑαυτόν: ἔχθρα δὲ καὶ ἄνευ τῶν πρὸς ἑαυτόν.

Ira igitur existit, ex rebus, quae ad ipsum referuntur: inimicitiae autem ex ijs quoq; quae ad ipsum non referuntur.

QVAMVIS ira inimicitias efficiat, tamen non parum interest inter illam, & inimicitias: fons enim est, vna cum reliquis duabus, origoq; inimicitiarum, ira: multa tamen inter eas, magnaq; discrimina versantur: accurate autem ipse ostendit, quibus inter se illae rebus discrepent. Prima igitut differentia est, quod ira excitatur ex rebus, quae ad ipsum, suosq; referuntur: contra inimicitiae ex non nullis etiam, quae ad eos ipsos minime pertinent. Quomodo hoc fieri possit, indicat.

Ἐὰν γὰρ ὑπολάβωμεν εἶναι τοιόνδε, μισοῦμεν.

Si namque putauerimus esse talem, odio prosequimur.

SAEPE enim (inquit) quamuis nihil ab eo incommodi acceperimus, si huiuscemodi esse suspicamur, odio quempiam habemus: exempli gratia, si furem, si adulterum, si proditorem, quamuis neque fur aliquid nostri sustulerit, neque improbi illi, ac conscelerati vlla in re, nos violarint.

Καὶ ἡ μὲν ὀργὴ ἀεὶ περὶ τὰ καθέκαστα, οἷον Καλλίᾳ, ἢ Σωκράτῃ: τὸ δὲ μῖσος καὶ πρὸς τὰ γένη: τὸν γὰρ κλέπτην μισεῖ καὶ τὸν συκοφάντην ἕκαστος.

Et ira semper in singularibus rebus versatur, veluti Calliae, vel Socrati: odium autem contra genera quoque: furem enim & delatorem vnusquisque odio habet.

ALTERVM discrimen. Ira contra singulos homines semper excitatur: qui enim irascitur, aut Calliae, aut Socrati, aut certo cuidam homini, irascitur: odium non aduersus singulos tantum, sed contra genera quoque hominum quaedam, ac nationes: nam & furem, & delatorem quisque odit.

Καὶ τὸ μὲν, ἰατὸν χρόνῳ: τὸ δ', ἀνίατον.

Et alterum quidem tempore sanari potest: alterum autem insanabile est.

TERTIVM discrimen: ira tempore sanari potest: odium, non potest: longinquitas iram minuit: odium tempore non conteritur. Eruditus tamen, ingeniosusq; poëta Sophocles in Oedipode Coloneo, nullum senium iracundiae inueniri tradit, praeter mortem: tuncq; extingui
» affirmat, quia mortuum nullus dolor temptare potest: ita autem ille locutus. Θυμοῦ γὰρ οὐδὲν
» γῆράς ἐστιν ἄλλο, πλὴν θανεῖν: θανόντων δ' οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται. Cicero quoque in oratione post reditum ad Quirites, odium vetustate sedari narrat: quod item repugnat praeceptis Aristote-
» lis. verba ipsius haec sunt. Odium vel precibus mitigari potest, vel temporibus reipublicae,
» communique vtilitate deponi, vel difficultate vlciscendi teneri, vel vetustate sedari. Videtur igitur Cicero odium pro iracundia cepisse: cuncta enim, quae odio tribuit, mirifice conueniunt iracundiae.

Καὶ ἡ μὲν, τῷ λυπῆσαι ἐφίεται: ἡ δὲ, τῷ κακῶσαι μᾶλλον.

Et haec quidem dolorem inurere cupit: inimicitiae autem potius detrimentum importare.

DIFFERVNT praeterea inter se, quod ira dolorem inurere cupit: ac si aegre illi, in quem commota est, fecerit, satisfecit animo suo: inimicitiae damnum importare, ac perniciem magis gestiunt: nam quem odit quis, etiam dolere iniquo animo non feret, sed tamen maiore paena illum affici vellet: qui enim odit, prorsus extingui illum, quem odit, e vitaq; tolli, vult, nec mediocri aliquo malo contentus est: vtile enim esse putat, eius generis homines non inueniri. Plutarchus, qui in commentariolo suo longius disputauit, quibus nam rebus discrepent inter se odium, & inuidia, quod hic tradit Aristoteles, confirmat, optare eum, qui odit, detrimento

afficere: cum hanc etiam vim, vt ipſe appellat, ſic definiant, affectionem quandam animi, atque electionem, quae diligenter tempus laedendi ſeruat. Cum reliquos hic ſcriptos codices concordes inuenerim, longe diuerſam lectionem repperi in antiquiſſimo libro: quae tamen varietas potius in verbis manet, quam ſententiam huius loci immutet: ita autem in eo legitur. καὶ τὸ μὲν, λύπης ἔφεσις: τὸ δὲ, κακοῦ. mira quadam breuitate: & non mediocri elegantia, eadem ſententia prolata: quae propriae laudes huius ſcriptoris ſunt: nam ἔφεσις pro appetitione, vſitatum ipſi verbum eſt. in iij. libro de moribus ad Nicomachum, ἡ δὲ τοῦ τέλους ἔφεσις, οὐκ αὐθαίρετος.

Αἰσθέσθαι γὰρ βούλεται ὁ ὀργιζόμενος: τῷ δὲ, οὐδὲν διαφέρει.

Sentire enim vult, qui iratus eſt: alter ſua nihil intereſſe putat.

RATIONEM reddit, cur ira, vnum: alterum vero, odium appetat: ſentire enim (inquit) malum vult, qui alicui iratus eſt, cum eum vlciſcitur: intelligereq; ſe detrimento, aut ignominia affici: inimicus & hoſtis ſua nihil intereſſe putat, ſentiat ne ille, an non ſentiat: dum modo deterior fiat, & grauem aliquam plagam accipiat. Cum vero in excuſis antea αἰσθάνεσθαι legeretur, αἰσθέσθαι ſcripſi, ſecutus antiquiſſimum librum: in primo quoque de arte poëtica, vbi de cognitionibus agit, eodem pacto locutus eſt. τρίτη δ' ἡ διὰ μνήμης, τῷ αἰσθέσθαι τι ἰδόντα. Demoſthenes etiam pro Cteſiphonte, καὶ εἰ μὴ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου, τὸ πρᾶγμα αἰσθομένη.

Ἔστι δὲ τὰ μὲν λυπηρὰ, αἰσθητὰ πάντα: τὰ δὲ μάλιστα κακὰ, ἥκιστα αἰσθητὰ, ἀδικία καὶ ἀφροσύνη: οὐδὲν γὰρ λυπεῖ ἡ παρουσία τῆς κακίας.

Quae autem dolorem inurunt, cuncta ſenſu percipiuntur: quae vero in primis mala ſunt, minime ſentiuntur, iniuſtitia, & dementia: nullum enim dolorem inurit vitium, cum praeſens adeſt.

QVAE huic: quae illi ſint idonea, docet: cum enim ſentire velle iratum dixiſſet malum, quod afferret, tradit non ſine cauſa eum facere, qui quaerat, quae dolorem inurunt: quae enim dolorem faciunt, cuncta ſenſum mouent: complura autem mala ſunt, quae cum maxime laedant, nullum ſenſum doloris habent: quae irato accommodata non ſunt: optari autem poſſunt illis, quos odio proſequuntur, ab inimicis: huiuſcemodi autem ſunt (vt ipſe narrat) iniuſtitia, ac dementia: prauitas quoque praeſentia ſua dolorem nullum inurit. Inſaniam, peſſimum omnium malorum, dolorem non afferre, manifeſtum eſt. vnde illa ab acutis viris χιλιάδων κακῶν appellata eſt. Quandoq; etiam non nulli reperti ſunt, qui ope diligentiaq; medicorum curati, male ſecum actum dixerunt, quod multis laetitijs priuati ſint. vt ille apud Horatium, qui non tantum dolore vacabat, cum ſanus non erat, ſed magnas ſuauitates deguſtabat: improbos etiam flagitioſoſque non male habere, neque cruciare, prauitates animi conſtat: cum potius illi ſaepe glorientur facinoribus ſuis, ac ſe meliores eſſe putent, quod alijs malitia ſua imponere poſſint.

Καὶ τὸ μὲν, μετὰ λύπης: τὸ δ', οὐ μετὰ λύπης: ὁ μὲν γὰρ ὀργιζόμενος, λυπεῖται: ὁ δὲ μισῶν, οὔ.

Et hoc quidem coniunctum habet dolorem: hoc autem non habet: qui enim iratus alicui eſt, ſentit dolorem: qui odio habet, minime.

IRA etiam adiunctam aegritudinem habet: contra odium aegritudine vacat: quomodo hoc fiat, accuratius explicat. Qui enim (inquit) alicui iratus eſt, moerore conficitur: qui odit, non moeret. Ipſe ſic interpretor. Nemo vmquam alicui iratus factus eſt, quin ſe iniuria laeſum putarit, quae iniuria in animo eius reſidens, angit ipſum, ex recordationeq; moleſtiam ei affert: odio autem ſaepe habemus, qui nullo nos incommodo affecerunt. Quare cum laeſi nulla in re ſimus, aegritudine non conficimur, ſed ob ſcelera, atque impuritates ipſorum perditos illos cupimus.

Καὶ ὁ μὲν, πολλῶν ἂν γενομένων, ἐλεήσειεν: ὁ δὲ, οὐδενός.

Et hic quidem, cum multa iam in illum facta ſunt, miſericordia commoueretur: hic autem, nullo facto.

QVI iratus alicui eſt, ſi multis malis obrutum eum videret, miſereret ipſum: in animo eius, qui odit, quamuis omnibus aerumnis eum oppreſſum videat, miſericordia non excitatur. Vlyſſes quoq; apud Sophoclem in Aiace fabula, ſe miſericordiam cepiſſe, narrat, malorum Aiacis,

quamuis infensi hominis: sic enim loquitur. ἐποικτείρω δέ νιν Δύστηνον ἔμπης καίπερ ὄντα δυσμενῆ: erat enim illa simultas, quae inter Vlyssem, & Aiacē flagrabat, orta ex contentione de armis Achillis, non odium vetus: neque enim fortissimum virum, & in eo bello maxime vtilem, odio prosequi Vlysses potuit: nec ante id tempus inimicitias cum eo vllas gerebat.

Ὁ μὲν γὰρ ἀντιπαθεῖν βούλεται, ᾧ ὀργίζεται: ὁ δὲ, μὴ εἶναι.

Hic enim vult mutuo dolorem inurere illi, cui iratus est: hic autem non esse eum, ac tolli.

ALTER enim (inquit) quem ipsi improbe inussit, & illi dolorem importare cupit: ac mutuo angi, cui irascitur: alter vero non esse vult, atq; extingui: pulchre autem hoc expressit Terentius
» Eunucho, cum Pythiam ancillam, Parmenoni iratam, induxit ita loquentem. Quid? quid ve-
» nire in mentem nunc possit mihi. Quid nam? qui referam sacrilego illi gratiam, qui hunc
» supposuit nobis. Statimq; addit. Ibo, atq; hunc perterrebo sacrilegum. Referre enim gratiam μεταφορικῶς intellexit, ἀντιλυπῆσαι: & cuncta, quae huic sententiae respondent.

Φανερὸν οὖν ἐκ τούτων, ὅτι ἐνδέχεται ἐχθρούς, καὶ φίλους, καὶ ὄντας, ἀποδεικνύναι: καὶ μὴ ὄντας, ποιεῖν: καὶ φάσκοντας, διαλύειν, καὶ ἢ δι᾽ ὀργὴν, ἢ δι᾽ ἔχθραν ἀμφισβητοῦντας, ἐφ᾽ ὁπότερ᾽ ἂν προαιρῆταί τις ἄγειν.

Perspicuum igitur est ex his, fieri posse, vt inimici, atque amici, & qui sunt, ostendantur esse: & qui non sunt, efficiantur: & qui affirmant se esse, dissoluantur: & qui ambigunt, siue per iram, siue per inimicitias aliquid gestum sit, ad vtrumlibet aliquis voluerit, traducere.

DE vtilitate, quae ex his locis capi possit, loquitur: & cur ipse tam accurate cuncta supra disseruerit, docet: qui enim (inquit) haec perceperint, quod causae saepe poscunt, facultatem habebunt declarandi inimicos, atque amicos esse, qui sint, cum antea non intelligerentur: & quando etiam non sint, oratione sua & inimicos & amicos illos efficiendi: efficere autem amicos & inimicos non significat conciliare inter se animos eorum, aut serere inter ipsos discordias, ac simultates, sed ita illos fingere, ac conformare oratione, vt aut amici, aut inimici, habeantur: nec non etiam, cum inimicos se, amicosue esse affirment, inimicitias amicitiamq; disturbandi: idest tollere omnia signa, quibus illi, ij esse, quos aiunt, credantur: cumq; etiam controuersia quandoq; sit, propter iram ne, an odium aliquid factum sit, in quam partem ei, qui dicit, commodum sit, rem deducere. In antiquissimo libro non accusandi casu, multitudinis numero, vt in excusis, sed generandi vnitatis, legitur, ἀμφισβητοῦντος.

Ποῖα δὲ φοβοῦνται, καὶ τίνας, καὶ πῶς ἔχοντες, ὧδ᾽ ἔσται φανερόν.

Qualia autem metuunt, & quos, & quomodo affecti, hoc pacto erit apertum.

AD aliam nunc animi perturbationem transit: metum inquam, in eaque pertractanda eundem ordinem tenet. dubitari non poterit (inquit) quas nam res metuant, quosq; homines, quomodoq; animo affecti sint, qui metuunt, cum sic egerimus: statimq; naturam metus exponit. Duo autem hinc menda sustuli, quae & excusos omnes libros, & non nullos scriptos occuparant: τίνας enim virili genere legi debet, & ἔχοντες: non, vt antea, τίνα: aut neutro genere, multitudinis numero: aut virili, vnitatis: & ἔχοντες nominandi casu, non ἔχοντας accusandi.

Ἔστω δὴ φόβος λύπη τις, ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ: ἢ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ.

Sit igitur metus aegritudo quaedam, vel perturbatio e phantasia mali, quod aduentet, quod malum vim habeat, siue interimendi, siue dolorem inurendi.

PONAMVS, inquit (non enim haec scriptio poscit, vt haec exquisite pertractentur) ponamus igitur, metum esse aegritudinem quandam, & tamquam tumultum animi, ortum ex obseruatione specieq; quadam futuri mali: quod aut interitum nobis, aut dolorem afferre possit. φόβον Cicero, nunc metum, nunc reformidationem, appellauit: cum enim Stoici ita definirent (vel potius definitione hac, accepta a veteribus, vterentur: meminit enim eius philosophus in iij. de moribus ad Nicomachum) φόβος ἐστὶ προσδοκία κακοῦ, ipse in iiij. Tusculana inquit. Metus,

opinio

» opinio impendentis mali: quod intolerabile esse videatur. In Partitionibus. In suasione
» autem spem, aut reformidationem deliberantis. In Problematibus etiam Aristoteles dixit, metum aegritudinem quandam, ac dolorem esse: addidit autem nunc oportere hoc malum vim habere perdendi, aut aegritudinem importandi: φθορὰ enim dissolutio obitusq; est: vnde φθαρτικὸν, quod interimere valet. λύπη dolor animi aegritudoq;: quamuis metuamus etiam mala, quae corpori dolorem inurunt: qui dolor ἀλγηδὼν vocatur: timorem autem eorum quoq; esse, & planum, & proxime citato Aristotelis testimonio, confirmatur.

Οὐ γὰρ πάντα τὰ κακὰ φοβεῖται. οἷον εἰ ἔσται ἄδικος, ἢ βραδὺς: ἀλλ᾽ ὅσα, ἢ λύπας μεγάλας, ἢ φθορὰς δύναται.

Non enim cuncta mala metuuntur. veluti si erit iniustus, vel tardus, sed quaecunq;, vel graues dolores, vel interitus ostentant.

NON sine causa, cuius mali esset, se aperuisse ostendit: multa enim mala sunt, quae non metuuntur, inquit: non enim reformidant homines, ne iniusti fiant, aut mente, ingenioq; tardi, cum tamen haec sint grauissima omnium malorum, sed ea tantum, quae aut magnos dolores inurunt, aut interitum minantur. In iij. vero de moribus ad Nicomachum ea dicit, quae, cum his, quae hic traduntur, repugnare videantur, mirifice concinunt: nam paupertatem, & morbos non metuenda esse, inquit: quae tamen & acerrimos dolores, & obitum deniq; afferunt: verum illic de officio hominum agit, quomodoq; in omni vita se gerere deberent, docet: hic mores imperitorum, & opiniones exponit, qui & hac in re, & in multis alijs contraria faciunt illis, quae ipsos gerere oporteret. Sed etiam eodem in loco cuncta mala timeri dicit, cum hic aperte non omnia reformidari tradat: quo nihil repugnantius edi posse videtur. Illic tamen κακὰ vocauit, quae hic φοβερὰ appellat: idest non vitia, aut labem aliquam animi: factaq; inde proficiscentia, sed quae aliunde incommoda importantur: quae vero intelligat, exemplis declarauit, vt (inquit) dedecus, egestatem, morbum, vacuitatem amicorum, mortem: voluit enim intelligi, quae mala significaret: sunt autem haec eius generis, quod aut interitum affert, aut aegritudinem: quae a multitudine hominum, & imperitis sola mala existimantur. Praeterea hic, suo magis ac proprio loco, exquisitius rem explicauit.

Καὶ ταῦτα, ἂν μὴ πόῤῥω, ἀλλὰ σύνεγγυς φαίνηται, ὥστε μέλλειν: τὰ γὰρ πόῤῥω σφόδρα, οὐ φοβοῦνται.

Atque haec, si non fuerint longinqua, sed prope visa fuerint, ita vt instent: quae namque valde longinqua sunt, nec metuunt.

ALIA etiam requiruntur, vt metu aliquis perterreatur: mala namque illa propinqua sint necesse est, & ita propinqua, vt impendant, ac paulo post in eum casura videantur: quae enim valde remota sunt, homines non metuunt. Hoc etiam in iij. libro de moribus ad Nicomachum intellexit, affirmans vere fortem eum esse, qui morte honesta proposita: ijsq; omnibus, quae
» obitum afferunt, non pauet, cum vicina illa sunt: iam iamque imminent: inquit autem. Καὶ
» ὅσα θάνατον ἐπιφέρει, ὑπόγγυα ὄντα. Graecus tamen interpres in eius loci declaratione, labitur.

Ἴσασι γὰρ πάντες, ὅτι ἀποθανοῦνται, ἀλλ᾽ ὅτι οὐκ ἐγγὺς, οὐδὲν φροντίζουσιν.

Nouerunt enim omnes sibi esse moriendum, sed quia non prope est, sua nihil interesse putant.

EXEMPLO satis certo huius rei vsus est: quis enim nescit, inquit, se morti obnoxium esse? ac futurum omnino tempus, vt mori debeat (quo nihil merito magis perturbare, ac perterrere homines potest) verum, quia id non prope adest, nullam de hac re curam suscipiunt: aut si vicinum id est, non ita illi putant: sperantq; se vlterius vitam producturos.

Εἰ δὴ ὁ φόβος τοῦτ᾽ ἐστὶν, ἀνάγκη τὰ τοιαῦτα φοβερὰ εἶναι, ὅσα φαίνεται δύναμιν ἔχειν μεγάλην τοῦ φθείρειν, ἢ βλάπτειν βλάβας, εἰς λύπην μεγάλην συντεινούσας.

Si iam metus hoc est, necesse est huiuscemodi res esse terribiles, quaecunque videntur potestatem habere magnam interimendi, vel detrimenta importandi, eius generis detrimentorum, quae tendunt ad grauissimos dolores.

Si vere expressimus, inquit, metus naturam, eiusq; vim explanare potuimus, necessario sequitur, huiuscemodi res horribiles esse, ac metum incutere, quae videntur vim habere magnam nos perdendi, aut detrimenta importandi: quae acerrimos animi dolores pariunt, ac speciem denique huiuscemodi prae se ferunt: id autem e definitione manifesto elicitur, vbi etiam huius generis mala collegit, quae aut interitum, aut aegritudinem afferrent.

Διὸ καὶ τὰ σημεῖα τῶν τοιούτων φοβερά.

Quapropter & signa huiuscemodi rerum sunt terribilia.

Qvare (inquit) indicia etiam, notasq; harum ipsarum rerum reformidamus: quae necem scilicet afferunt, aut acerrimos dolores secum vehunt: significant enim adesse iam terribile illud, quod nos sua vi perterret. Vt sunt nauigantibus signa tempestatum, ac procellarum: nam φοβερὰ ipsa intellexit eruditissimus poëta, cum inquit. Praesentemq; viris intemptant omnia mortem. Et quae apud Terentium Chremetem, probum, ingenuumq; adolescentem, perterruerunt, e primo item illo genere terribilium fuere. » Viden tu illum Thais? militem secum » ad te quantas copias adducere. Quod cum cognouisset vafra mulier, ait. Num formidolo- » sus obsecro es mi homo?

Ἐγγὺς γὰρ φαίνεται τὸ φοβερόν: τοῦτο γάρ ἐστι κίνδυνος, φοβεροῦ πλησιασμός.

Prope enim videtur esse ipsum terribile: hoc enim periculum est, appropinquatio rei terribilis.

Cvr signa etiam ipsa rerum horribilium aliquo modo metuenda sint, declarat: probat autem id, natura periculi euoluta, & a definitione ipsius: apparet enim (inquit) ex notis illis, atque indicijs prope esse, quod ipsum iam terribile, ac metuendum sua vi est. Hoc vero ipsum periculum est: cum enim intelligimus paulo post necessario nos in certamen venturos de vita, ac statu nostro, perhorrescimus. Tota autem haec res periculum appellata est: vt enim ipse docet, periculum est rei terribilis aduentus appropinquatioque.

Τοιαῦτα δὲ, ἔχθρα τε καὶ ὀργὴ δυναμένων ποιεῖν τι.

Huiuscemodi autem sunt inimicitiae, atque ira eorum, qui valent moliri aliquid.

Qvae sint prioris generis terribilia, docet: quaeq; non vt signa nos perterrere debent, sed quod habeant in se, quod nos iam vexet: haec enim sibi indicanda proposuit: illa autem, tamquam corollarium, interiecta sunt: quod intelligitur etiam ex aduerbio διὸ: quomodo saepe loqui consueuit: cum aliquid, aut vulgo notum, aut ex rebus iam explicatis planum, narrat. Huiuscemodi igitur (inquit) sunt simultates, iraeq; eorum, qui facultatem habent magnam nocendi: ij autem sunt, vt arbitror, qui magnis opibus praediti sunt: eloquentia valent, florent amicitia potentissimorum, ac fortunatissimorum virorum: qui praeclaras corporis vires habent, & huiuscemodi rebus abundant, quae ad faciendam iniuriam vtiles sunt: quae omnia cum complecti vellet, vt opinor, inquit, δυναμένων ποιεῖν τι: idest, qui mali aliquid importare possunt: ac facere, quod nobis quauis ratione molestum sit, vt non multo infra iterum locutus est. καὶ φόβος τῶν δυναμένων τι ποιῆσαι.

Δῆλον γὰρ ὅτι βούλονταί τε καὶ δύνανται. ὥστ᾽ ἐγγύς εἰσι τοῦ ποιεῖν.

Perspicuum enim est velle ipsos ac posse. quare propinqui sunt rei efficiendae.

Inanem hunc timorem non esse, declarat. Perspicuum est enim (inquit) eos velle, ac posse nocere. Quare non longe abesse tempus potest, quo aggrediantur: cum enim facultas, ac voluntas nocendi coniungitur, malum propinquum est. voluntas, cum irati nobis, aut inimici sint, adest: de facultate etiam planum est.

Καὶ ἀδικία, δύναμιν ἔχουσα: τῷ προαιρεῖσθαι γὰρ ὁ ἄδικος, ἄδικος.

Et iniustitia, quae potestatem nacta est: qui enim iniustus est, quia elegit, iniustus est.

Terribilis praeterea est, ac formidolosa prauitas animi, & iniustitia, si vires nacta est. Nam de voluntate dubitari non potest: iniustus enim vocatur, non omnis, qui contra leges aliquid facit, sed qui studium id habet, & iudicio peccat: iniquumq; aequo semper anteponit: animus autem, quamuis deprauatus, ac maleficus, si facultatem nocendi non habet, non metui recte potest; ambo autem coniuncta, quemuis merito perterrere debent.

Καὶ ἀρετὴ

Καὶ ἀρετὴ ὑβριζομένη, δύναμιν ἔχουσα: δῆλον γὰρ ὅτι προαιρεῖται μὲν, ὅταν ὑβρίζηται ἀεί: δύναται δὲ νῦν.

Virtus quoq; contumeliose tractata, cum potestatem habet: planum enim est ipsam velle semper, cum laesa est, ludibrioque habita: potest autem nunc.

VIRTVS quoque ludibrio habita, ac contumelia vexata, horribilis est: si ipsa etiam a viribus potestateque nocendi destituta non sit. Perspicuum enim est, animi fortitudinem semper metuendam esse, cum contumelias perpessa est: neque enim virtutis est, demisse, ignauiterq;, iniurias tolerare. Cum autem semper certum illi sit, ludibrio non esse inimicis: nunc quoque, cum scilicet vires adepta est, potest eos facile vlcisci. Non sine causa igitur metuebat M. Cicero, ne Pompeius ludibrio habitus ab inimicis, aliquid faceret, quod summae reipublicae obesset. Ad
» Atticum libro ij. Et timeo, tam vehemens vir, tamque acer in ferro, & tam insuetus contume-
» liae, ne omni animi impetu dolori, & iracundiae pareat.

Καὶ φόβος, τῶν δυναμένων τι ποιῆσαι: ἐν παρασκευῇ γὰρ ἀνάγκη εἶναι καὶ τὸν τοιοῦτον.

Et metus eorum, qui possunt aliquid efficere: promptum enim paratumque necesse quoque est hunc esse.

METVS quoque eorum, qui opes, ac facultatem habent nocendi, terribilis est: idest, qui ipsi timent, ac magnas vires habent, timorem etiam alijs non sine causa inferre possunt. Rationem huius rei reddens: qui enim inquit, metuunt, necesse est, omnia comparata, & ipsi habeant, quibus salutem suam custodiant: illis autem periculum quoque alijs creare possunt.

Ἐπεὶ δ' οἱ πολλοὶ χείρους καὶ ἥττους τοῦ κερδαίνειν, καὶ δειλοὶ ἐν τοῖς κινδύνοις, φοβερὸν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὸ ἐπ' ἄλλῳ αὐτὸν εἶναι.

Et quia multi mortales sunt deterioris ingenij, patiunturque se vinci a lucro, & timidi in subeundis periculis, reformidationis plenum est plerunque in alio ipsum esse.

QVAM merito timere debeant, in quantoq; periculo versentur, qui salutem suam in manu aliquorum positam habent, quod ea ipsis commiserint, quae, si fidem illi fefellerint, cognita perdere eos possint, hinc etiam intelligitur: multis enim de causis homines ab officio desciscunt, & naturae namque prauitate, & spe lucri, & timore: idest, vt se extra periculum ponant, aut commodi quippiam consequantur, produnt consilia aliorum: multos autem ingenio prauos esse: quaestusq;, ac lucri cupiditatem in plurimis dominari: nec non timiditatem etiam multorum animis innatam esse, compertum habet: ita enim hic loquitur, vt de rebus certis loqui consueuit. Quia (inquit) non parua hominum pars deterioris notae est: nec quaestui resistit, sed ab lucro vincitur: nec non quia in periculis ipsis timidi pleriq; omnes sunt, horribile est, ac periculi plenum, in aliorum potestate, ac fide vitam suam collocatam habere. Quod vero ad verba pertinet, ex quibus hoc sensisse Aristotelem elicio, χείρους peiores moribus, & ingenio significat. ἥττους κερδαίνειν, inquit, vt lepidissimus comicus, & Attici sermonis norma, ἥττονας κέρδους appellauit: idem enim locus, & sententiae huius, & sermonis testis erit: quamuis peius adhuc existimarit de hominibus poëta ille: nec multos (vt noster hic auctor) sed omnes ὑπερβολικῶς affirmarit esse inferiores quaestus: nec posse fortiter ipsi resistere. versiculi ipsius, satis noti, hi sunt. Ὡς οὐδὲν ἀτεχνῶς ὑγιές ἐστιν οὐδενός. Ἀλλ' εἰσὶ τοῦ κέρδους ἅπαντες ἥττους. Reliqua planissima sunt, nec dubitari de ipsis a quopiam potest.

Ὥστε οἱ συνειδότες πεποιηκότι τι δεινὸν, φοβεροὶ, ἢ κατειπεῖν, ἢ ἐγκαταλιπεῖν.

Quapropter qui nouerunt quempiam admisisse aliquam grauem culpam, metui magnopere debent, ne indicent, aut deserant.

QVARE (inquit) quoniam declaratum est periculi plenam rem esse, in alio vitam, ac fortunas suas constitutas habere, qui testes alicui sunt atrocioris alicuius facti, metuendi sunt: nec securo animo de illis auctor sceleris esse vmquam potest: is enim manifesto salutem suam in arbitrio illorum positam habet. Periculum autem duplex est, ne aut spe lucri capti, occulti criminis indices sint: aut, si tantam vim in animis eorum auaritia non habeat, nec propter timiditatem ab officio recedant, ac socios deserant: qui enim conscius alicui esset caedis, aut socius in facinore obeundo fuisset, duabus de causis induci potest, vt prodat salutem illius, abditam rem

aperiendo. Si praemium forte propositum sit indici, aut si socius etiam flagitij fuisset, impunitas. Ἐξκαταλιπεῖν, inquit, de illis, qui obiecto metu, vitae suae, incolumitatiq; prospicientes, aliorum salutem produnt. κατειπεῖν vero de illis, qui sponte detegunt patefaciuntq;, quod occultum erat facinus, praemij spe ducti. κατειπεῖν verbis aperire, indicareq;, quod tectum est, valet. vt Lysias quoq; in defensione, quam scripsit Euphileto, qui Eratosthenem, deprehensum cum vxore, necauerat, locutus est. Cum Euphiletus ancillae, cuius ministerio vxor in stupro exercendo vsa erat, condiciones fert, vt aut omnia, quae ipsum diu latuerant, patefaciens, se
» extra noxam ponat, aut magnis supplicijs affici expectet: inquit enim. Ἢ κατειποῦσαν ἅπαντα
» τἀληθῆ, μηδὲν παθεῖν κακόν. Sed in eadem oratione aliud est, quod vehementer ad hunc locum facit, cum idem post cuncta enumerat, quae suadere hominibus videntur, vt iniusti quicquam aggrediantur: vt se nullam aliam causam interficiendi Eratosthenem habuisse ostenderet: hoc enim quoq; non praetermisit, & inquit sibi illum conscium alicuius sceleris non fuisse, vt metuens, ne illud emanaret, tollere indicem debuerit: quidam enim inquit, has ob res struere in-
» teritum sibi mutuo consueuerunt. verba ipsius haec sunt. Οὔτε συνῄδειν κακὸν ἐδέν: ὃ ἐγὼ δεδιὼς
» μήτις πύθηται, ἐπεθύμουν αὐτὸν ἀπολέσαι. & quae sequuntur.

Καὶ οἱ δυνάμενοι ἀδικεῖν, ἀεὶ τοῖς δυναμένοις ἀδικεῖσθαι: ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ, ἀδικοῦσιν οἱ ἄνθρωποι: ὅταν δύνωνται.

Et qui potestatem habent aliquid iniuste faciendi, semper metuendi sunt ab illis, qui accipere iniuriam possunt: vt enim plerunque fit, homines iniuste se gerunt, cum potestatem eius rei nacti sunt.

ILLI quoque, qui facile iniuriam facere possunt, formidolosi semper sunt illis, qui expositi ad iniurias sunt, & malis perpetiendis facti videntur. Plerunque enim (inquit) iniuriosi homines sunt, ac iura violant, cum facultatem eius rei, occasionemque nacti sunt. Discrepat vero hic locus a superiore illo, quo tradidit, iniustitiam, potestatem adeptam, reformidari oportere: illic enim de ijs, qui volunt, possuntq;, locutus est: iniusti enim viri numquam non volunt res prauas facere: hic de illis, quos occasio potius inuitat ad scelus: nec praeparato semper animo sunt, qui cum comparata habeant, quae ad nocendum alij vtilia sunt, & occasio aliqua se offert, eam fere non dimittunt.

Καὶ οἱ ἠδικημένοι, ἢ νομίζοντες ἀδικεῖσθαι: ἀεὶ γὰρ τηροῦσι καιρούς.

Et qui iniuriam acceperunt, siue putant se accepisse: semper enim seruant tempus.

II quoque, qui aut iniuriam acceperunt, aut se accepisse, quamuis falso, arbitrantur, auctoribus illius merito metum afferunt: ij enim (inquit) semper vlciscendi tempus seruant: adumbratas autem non minus, quam veras iniurias exacuere animos hominum, nisi intelligantur, apertum est. Quantum valeat vetus odium in animis quorundam: iniuriaq;, falso etiam putata accepta, declarat id, quod commemorauit Plutarchus de Nicagora Messenio in vita Cleomenis, qui Cleomenes, magno proelio victus ab Antigono Macedone, cum in Aegyptum, tamquam in tutum portum se contulisset, sperans futurum, vt aliquando adiutus ab amico eius telluris rege, regnum suum Spartiatarum recuperaret, mortuo illo, summaque ea potestate ad filium ipsius delata, perditum iuuenem, totoq; corpore deditum voluptatibus, vna cum socijs eius fortunae, fortissimis viris, amissa omni spe, tristisq; illic manebat. contigit autem, vt tunc in littore ambularet, cum Nicagoras, quem dixi, naui Alexandriam vectus est: mercaturae namque operam dabat. e quo Cleomenes, cum domi esset, praedium emerat: nec tamen pretium adhuc soluerat, sumptibus magnis, quos faciebat in continentibus bellis, impeditus. quaesiuit igitur ex ipso Cleomenes, quas potissimum merces eo portasset: cumq; accepisset militares equos eum vexisse, respondit, mallem te sambucistrijs potius & cinaedis nauem onerasse. quo audito narrat auctor illum, quasi libera ea voce facetaq; delectatum, risisse: postea tamen appellato illic quoque de nomine illo frustra exule rege, cum angustias suas exposuisset, aperuit custodi regni, quod dixerat in Aegyptium regem contumeliose Spartiates. quare Sosibius (ita enim vocabatur) suspectam aliter quoque habens magnitudinem animi, spiritusq; ingentes virorum eorum, persuasit regi, vt eos in custodia haberet, inita quoq; fraude, crimineq; ficto, qua in re opera fallaciaq; Nicagorae vsus est, auari hominis: & qui, occasione eam nactus, odium non satis iustum, in clarissimum regem effudit. factum igitur est, vt non multo postea, indignitatem illam cum ferre non possent, fortissimi Spartiatae, re noua incassum temptata, mutuis vulneribus conciderent. Quod autem nunc, seiunctis vocibus, inquit, τηρεῖν καιρὸν, idest tem-
» pus diligenter seruare, alibi coniunctis, καιροφυλακεῖν inquit. vt in viij. libro de rep. Διὰ τοῦτο δεῖ

παιδιὰς

» παιδιὰς εἰσάγεσθαι, καιροφυλακοῦντας τὴν χρῆσιν: neq; enim dare operam semper ludis debemus: sed cum tempus postulat, & relaxari e magnis laboribus necesse habemus. Demosthenes quoq;
» aduersus Aristocratem. Καὶ ἔργῳ ἑαυτὸν ἐξήλεγξεν ὅτι καιροφυλακεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν. Et re ipsa planum fecit, se tempus idoneum nocendi nostrae reip. expectare, atque vni illi curae intentum esse.

Καὶ οἱ ἠδικηκότες, ἐὰν δύναμιν ἔχωσιν, φοβεροὶ, δεδιότες τὸ ἀντιπαθεῖν.

Et qui iniuriam fecerunt, si potestatem habuerint, metui debent, cum timeant, ne malum pro malo accipiant.

NON solum, qui iniuriam acceperunt, verum etiam, qui fecerunt, metuendi sunt, si vires, ac facultatem nocendi habent: cum timeant, ne paenas petulantiae dent, & quod malum alijs importarunt, in ipsos reuertatur. Cum igitur hi paenas expectent pro his, quae iniuste fecerunt, & hoc metu semper teneantur, quaerunt omni ratione, qua possunt eisdem incommodare, vt ipsos infirmiores reddant, atq; hoc ipsi securius viuant. Consueuimus etiam nos sermone nostro patrio, quae hanc sententiam probat, peruulgatam vocem vsurpare: affirmamus enim, qui laedunt, numquam ignoscere.

Ὑπέκειτο γὰρ τὸ τοιοῦτο φοβερὸν.

Positum enim fuerat huiuscemodi esse, quod reformidandum est.

VNDE intelligi possit, qui timeant, ne, quod alijs malum dederunt, ipsi ab illis perpetiantur, metuendos esse indicat: affirmatq; id liquido percipi ex ijs, quae iam explicata sunt: positũ enim fuit, hoc ipsum esse terribile, atq; metuendum: id autem factum est, cum inquit, metum etiam eorum, qui vires habent, suspectum esse, ac reformidari debere.

Καὶ οἱ τῶν αὐτῶν ἀνταγωνισταὶ, ὅσα μὴ ἐνδέχεται ἅμα ὑπάρχειν ἀμφοῖν: ἀεὶ γὰρ πολεμοῦσι πρὸς τοιούτους.

Et qui sunt aemuli, riualesque earundem rerum, quae vsu non venit, vt ab ambobus possideantur: semper enim bellum gerunt aduersus huiuscemodi.

QVI cum aliquo etiam in eodem stadio curriculoq; versantur, ac de ijsdem honoribus, aut praemijs certant, reformidari ab eo debent: cum tamen earum rerum, de quibus pugnant, ambo simul compotes esse non possunt: vt enim homines, quod vehementer cupiunt, consequantur, saepe nihil sceleris praetermittunt, & aduersarium, quacunq; ratione possunt, tollere temptant. Tamquam hostes igitur, & ij quoque implacabiles, metui debent: donec enim contentio illa manet, hostilis animus in illis viget.

Καὶ οἱ τοῖς κρείττοσιν αὐτῶν φοβεροὶ, καὶ αὐτοῖς φοβεροὶ: μᾶλλον γὰρ ἂν δύναιντο βλάπτειν αὐτοὺς, ἢ τοὺς κρείττους.

Et qui a melioribus, quam ipsi sint, digni sunt, qui metuantur, & ipsis metuendi sunt: magis enim obesse possent ipsis, quam firmioribus.

QVI melioribus etiam quam ipsi sint, formidolosi sunt, ipsis quoq; formidolosi, qui imbecilliores sunt: nam meliores quoq; firmiores, potentioresq; quandoq; Cicero appellauit, vt in viij.
» Philippica, cum Fufium Calenum criminaretur. An hoc negare potes, qui omnes moras inter-
» ponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat Antonius? Causam vero huius rei afferens, inquit: si enim meliores laedere queunt, infirmiores multo facilius detrimento afficere possunt.

Καὶ οὓς φοβοῦνται οἱ κρείττους αὐτῶν, διὰ ταὐτό.

Et ijs, quos metuunt, firmiores ipsis, eandem ob causam.

ILLI quoque, quos firmiores metuunt, infirmioribus metuendi sunt, eandem ob causam, inquit. Superioris loci sententia non valde ab hac discrepat, eadem tamen omnino non est: nam cum superiores illos φοβεροὺς manifesto vocarit, ea in se habere ipsos declarauit, quae iure optimo metui possunt, & intelliguntur horribilia esse. Hic (nisi fallor) loquitur de his, quorum vires, opesq; obscuriores sunt, nec formidolosi esse creduntur: qui tamen cum a firmioribus, quam nos simus, reformidentur, a nobis quoque, iudicium eorum sequentibus, reformidari debent:

debent: ac tanto magis debent, quanto magis nos imbecilliores sumus. Supra de illis locutus est, quos constaret etiam nobis formidolosos esse: hic de illis, quos formidolosos nobis esse ex iudicio, & opinione aliorum cognosceremus.

Καὶ οἱ τοὺς κρείττους αὐτῶν ἀνῃρηκότες.

Et qui firmiores, quam ipsi sint, sustulerunt.

QVI etiam necem firmioribus, quam ipsi sint, attulerunt, metui merito debent: cuius causam statim non attulit: vt enim paulo ante vna eademq; causa duorum locorum communis fuit, ita etiam hic fiet.

Καὶ οἱ τοῖς ἥττοσιν αὐτῶν ἐπιτιθέμενοι: ἢ γὰρ ἤδη φοβεροί, ἢ αὐξηθέντες.

Et qui infirmioribus, quam ipsi sint, periculum creant: siue enim iam metuendi sunt, siue auctis suis opibus.

PRAETEREA, qui aggrediuntur minores, quam nos simus, infirmioresq;, metuendi nobis sunt: cuius rei rationem reddens, inquit: aut enim, cum videamus eos impetũ facere in alios, quamuis minores vires habentes, metum nobis inferre possunt, ne se putent nos quoq; superare, ac conficere posse: aut aucti iam animo ac viribus, quas victis illis acquisiuerint, reformidare debemus, ne pares nobis, aut superiores iam sint. Hic (vt opinor) non parum aptus sensus ex hac lectione elicitur: cui scripti quoque codices adstipulantur: quamuis alia etiam scriptura circumferatur, quae est. καὶ οἱ τοῖς κρείττοσιν αὐτῶν: & quae sequuntur. eam autem vetus quoq; tralatio sequitur.

Καὶ τῶν ἠδικημένων, καὶ ἐχθρῶν, ἢ ἀντιπάλων, οὐχ οἱ ὀξύθυμοι, καὶ παῤῥησιαστικοί, ἀλλ' οἱ πρᾶοι, καὶ εἴρωνες, καὶ πανοῦργοι.

Et ex omni numero illorum, qui iniuste tractati sunt, siue inimicorum, siue aemulorum, non qui acutae bilis sunt, & libere loquuntur, sed qui lenes sunt, & simulant: quique versuti sunt.

SIC scriptum offendi in omnibus calamo notatis exemplaribus: sed in ijs etiam, quae olim formis excusa fuerant, eodem pacto legitur: addiderunt postea non nulli, malo consilio vsi, οἱ φίλοι, legentes, καὶ οἱ φίλοι τῶν ἠδικημένων, & quae sequuntur: illud autem, nedum adiuuet, potius omnem huius loci sensum perturbat, qui ex hac lectione hic erit, apertus sane, atq; elegans. Cum & ab his, quos iniuria affecimus, & ab hostibus, siue aduersarijs, quique nobiscum de quapiam re contendunt, periculum nobis impendat, omnium horum metuendi maxime sunt: non cerebrosi, nec qui libere loquuntur, quodque animo versant, in ore habent: sed sedati, ac dissimulatores, qui aliud dicunt, atque sentiunt, & callidi deniq; sunt, ac vafri homines: qui iram cohibere queunt, Ὀξύθυμοι a Graecis appellantur, quod acutae bilis sint, ac nullo negotio excandescant: eosdem ὀξυχόλους & ἀκροχόλους vocant. Horatius cerebrosos vertit. » Donec cerebrosus prosilit vnus. idem etiam verbum expressit, cum inquit. » O te Bollane cerebri Felicem. Nam veteres etiam interpretes eius poëtae tradunt, Bollanum oxycholum eum intellexisse: hos autem apertos esse, minusq; metui debere, manifestum est: impetum enim illorum prouisum, facile ceteri euitare possunt: quos quidem nihil tegere, sed contra palam omnia facere, vt hic, etiam declarauit in iiij. libro de moribus ad Nicomachum.

Ἄδηλοι γὰρ ἢ ἐγγύς.

Incerti namque obscurique sunt, an prope adsint.

CAVSAM reddit, cur magis ij, quos extremos hic appellauit, metuendi sint: idest tecti magis, quam aperti: incertum enim est (inquit) & obscurum, an prope sint: idest cum hi consilia sua tegere morem habeant, nemo vmquam scire potest, an prope iam sint, ac paulo post impetum in ipsum facturi: videtur enim intelligi debere ἐγγὺς τοῦ τιμωρήσασθαι: hoc autem, quia nullis signis percipiuntur cogitationes eorum, cum astute ipsas occulant: vel hoc hominum genus, cum etiam adest, fallit, nec cerni, aut intelligi potest: quomodo accipi videretur debere, si legeretur οἱ ἐγγύς, vt in excusis scriptum est, & non nullis etiam scriptis: ipse tamen eam lectionem probaui, quam inueni in antiquissimo libro: cuiusq; vestigia extant in vetere tralatione. Vidi etiam quendam, in quo est, εἰ ἐγγύς: vt tam diuersa lectio valde molesta sit, ac merito perturbet.

Ὡς δ' ἁπλῶς

Ὥς' οὐδέποτε φανεροί, ὅτι πόῤῥω.

Quapropter numquam planum apertumque eſt, eos eſſe remotos.

LOCVS hic antea corruptus erat: neq; enim commodus vllus ſenſus inde elici poterat, & ſcrupulum non paruum inijciebat, quomodo hanc ſententiam concluderet, & vnde illud ὥςε penderet: legebatur enim ὥς' οὐδέποτε φοβερόν: nec in excuſis tantum, ſed in non nullis etiam ſcriptis codicibus ita legebatur. Antiquiſſimus igitur liber hic etiam auxilio fuit: ac, quomodo locus reſtitui deberet, indicauit: in eo namque ſcriptum eſt. ὥς' οὐδέποτε φανεροί: ſed etiam animaduerti veterem tralationem hanc lectionem ſequi. Senſus, ſi ita legatur, apertus eſt: qui omnino huius loci hic eſſe debere videtur. Cum pericula longinqua: malaq; metui non ſoleant, numquam ſecuro animo de ijs eſſe poſſumus: in tutoque nos poſitos eſſe arbitrari, quod remota ſint damna, quae nobis ab his importari queant: cum enim incertum ſit, ac lateat, propinqui ne illi, an remoti ſint, ſemper propinquos illos eſſe exiſtimare debemus, ac perpetuo ipſos timere. Contra ſe res habet in apertis, & qui fronte indicant, quae conſilia in animo habent: acutaeque demum bilis ſunt: nullo enim negotio intelligimus, cum aggredi nos cogitant.

Πάντα δὲ τὰ φοβερὰ, φοβερώτερα, ὅσα, ἂν ἁμάρτωσιν, ἐπανορθώσασθαι μὴ ἐνδέχεται: ἀλλ', ἢ ὅλως ἀδύνατα, ἢ μὴ ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις.

Cuncta autem terribilia terribiliora ſunt, quaecunque ſi ſuſtinuerint, corrigere, atq; emendare non licet: ſed vel omnino non poſſunt, vel minime in ipſorum, ſed in aduerſariorum arbitrio remedium poſitum eſt.

CONTENDIT nunc inter ſe horribilia ipſa: & quae horribiliora ſint, docet: omnium enim (inquit) formidoloſorum, illa maiorem vim habent, maioremq; merito metum incutiunt, quae ſiquid peccauerint, in illis tractandis, lapſiq; ſint, corrigi non poſſunt: ſed aut penitus emendari nequeunt, aut remedia, non in noſtra, ſed in aduerſariorum manu conſtituta ſunt. Varietatis hoc eſt in antiquiſſimo libro (quod tamen ſententiam non immutat) cum reliquis ſcriptis cum excuſis conueniat: habet enim ὅσα ἁμαρτάνουσιν, ἐπανορθώσασθαι, & quae ſequuntur. Haec autem lectio reijci non debet: quamuis in eo exemplari contaminata a recentiore homine ſit, & ad formam peruulgatae, communisq; redacta.

Καὶ, ὧν βοήθειαι μὴ εἰσὶν, ἢ μὴ ῥᾴδιαι.

Et illa, quorum auxilia nulla ſunt, aut non facilia.

QVORVMQVE auxilia, aut nulla exiſtunt, aut valde ardua ſunt. Cum multum ſimilitudinis hic locus cum ſuperiore habeat, hoc tantum diſcrimen inter eos eſt, quod remedium, ac correctio accepto detrimento adhibentur: auxilia quaeruntur, vt malum euitetur.

Ὡς δ' ἁπλῶς εἰπεῖν, φοβερά ἐστιν, ὅσα ἐφ' ἑτέρων γιγνόμενα, ἢ μέλλοντα, ἐλεεινά ἐστιν.

Vt autem ſummatim dicam, terribilia ſunt cuncta illa, quae cum in alijs extitere, ſiue ipſis inſtant, miſericordiam excitant.

ITA enim legitur in calamo exaratis exemplaribus: nam δὲ particula, quam reſtitui, deſiderari videbatur: non enim de collatione amplius formidolosorum inter ſe agit, ſed ad ſimplicem explicationem illorum redit: quomodoq; natura ipſorum intelligi, quibusq; ſignis ea percipi generatim poſſint, docet. Vt autem vno verbo dicamus, formidoloſa illa ſunt, quae cum alijs euenerunt, aut impendent, miſericordia digna videntur: eandem autem hanc ſententiam infra, vbi de his, quos aliquorum miſeret, agit, ijſdem paene verbis repetiuit.

Τὰ μὲν οὖν φοβερὰ, καὶ ἃ φοβοῦνται, σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, τὰ μέγιστα ταῦτά ἐστι.

Quae igitur terribilia ſunt, & quae metuunt, ferme maxima ſunt haec.

REPETIT breui, quid nuper effecerit: ac commemorat ſe eorum, quae metuenda ſunt, & quae metuunt, maxima explicaſſe, ſic autem locutus eſt, vt arbitror, quia non pauca homines metuunt, quae fortaſſe iuſtum timorem non habent: quemadmodum quaedam etiam ſpernunt, audacterque ſuſtinent, quae grauiora, acerbioraque ſunt, quaeque magis reformidari oporteret. Diſſeruimus igitur de formidoloſis rebus, inquit: ideſt de ijs, quae vulgo homines metuunt, quamuis ſaepe non ſapienter: maxima autem ſe ferme tradidiſſe ait: non enim omnia

complexus est, sed quae maiorem vim haberent, ac primum locum inter horribilia obtinerent: ex quibus etiam reliqua, minoraq; facile percipi possint.

Ὡς δὲ διακείμενοι αὐτοὶ φοβοῦνται, νῦν λέγωμεν.

Ut autem affecti ipsi metuunt, nunc dicamus.

SED tempus iam est (inquit) nos docere, quomodo affecti animo sint, qui timent.

Εἰ δὴ ἐστὶν ὁ φόβος μετὰ προσδοκίας τοῦ πείσεσθαί τι φθαρτικὸν πάθος, φανερὸν ὅτι οὐδεὶς φοβεῖται τῶν οἰομένων μηδὲν ἂν παθεῖν.

Si iam metus est, cum expectatione perpetiendi alicuius mali, quod vim habeat perdendi, perspicuum est neminem eorum metuere, qui putant se nihil mali accipere posse.

QVI hac perturbatione vacui sint, nec aliquid mali timeant, exponit: locis enim, a contrario sumptis, qui metuant planum postea erit. A definitione autem timoris proficiscitur: in quos enim non cadunt ea, quae illa continentur, ij ab omni periculo tuti sibi esse videntur. Si igitur (inquit) metus adiunctam habet expectationem mali: & mali, quod perdere valeat, nemo dubitare potest, quin ij, qui arbitrantur se nihil damni sustinere posse, nullo modo timeant. Sunt autem plures scripti libri, in quibus legatur μηδὲν ἀντιπαθεῖν, cui etiam scripturae astipulatur vetus tralatio: neque tamen eam probo, aut communi lectioni antepono, quam confirmat auctoritate sua antiquissimus liber: nisi forte illa corrigatur, ἀντιπαθεῖν: vt intra, vbi, qui misericordia commoueri possit, docet, mutato tamen ordine verborum, inquit. οἷον οἴεσθαι παθεῖν ἀντι κακόν. antiquissimo libro hic non conuenit cum excusis non magna in re, quod μετὰ προσδοκίας τινὸς ipse habet.

Οὐδὲ ταῦτα, ἃ μὴ οἴονται παθεῖν: οὐδὲ τούτους, ὑφ᾽ ὧν μὴ οἴονται: οὐδὲ τότε, ὅτε μὴ οἴονται.

Neque haec mala, quae non putant in se cadere posse: neque hos homines, a quibus non putant: neque tunc, quando non putant.

AVT si non contra omnem iniuriam se tectum putat, sed contra aliquas tantum, non metuet illas ipsas res: sunt enim, qui se a quibusdam casibus, ac malis liberos esse putant, nec periculum sibi etiam vllum impendere ab aliquibus personis, aut certis temporibus existimant. Nam, quod ad personas pertinet, accommodatum exemplum est, & valde etiam elegans Polyphemi, qui in fraudem incidit, & maximum detrimentum accepit, quod sibi noceri non posse putabat a pusillo, & tenuissimarum virium homine: sed, cum ab augure maximam ipsi calamitatem instare ab externo viro praedictum esset, ingentem aliquem tantum, & robustum reformidabat. Locus est in ix. libro Odysseae.

Ἀνάγκη τοίνυν φοβεῖσθαι, τοὺς οἰομένους τι παθεῖν ἄν: καὶ τοὺς ὑπὸ τούτων: καὶ ταῦτα, καὶ τότε.

Necesse igitur est illos metuere, qui putant se aliquid mali accipere posse: & eos, qui ab his: & haec, & tunc.

RESTAT igitur, vt hi timeant, qui superioribus illis contrarij sunt: idest, qui arbitrantur se perpeti posse aliquod malum, & has personas timeant, a quibus incommodum sibi instare putant: aut haec mala, si non omnia, quibus obnoxios se iudicant: & illis temporibus, quae suspecta in primis habent, & cum se incidere posse in malum existimant.

Οὐκ οἴονται δὲ παθεῖν ἄν, ὅτε οἱ ἐν εὐτυχίαις μεγάλαις ὄντες, καὶ δοκοῦντες.

Non putant autem se aliquid mali accipere posse, quibus secundae admodum res sunt, ac videntur ipsis adesse.

CVM supra a timore vacuos dixisset eos omnes, qui se nihil detrimenti accipere posse crederent, qui nam ij sint, qui tantopere sibi confidant, quibusque de causis, exponit. Extra igitur omnem periculi aleam se esse putant, qui in summa fortuna sunt, ac florentes suas res intelligunt: repperiuntur enim non nulli aliquando, qui opes suas non sentiunt: quantumque alijs potentia excellant, non vident: qui, si timidi non sunt, non tamen tantum sibi tribuunt,

vt se

vt se prorsus ab omni iniuria procul esse putent. Restitui vero hic, quae in excusis non legebantur, καὶ δοκοῦντες: illa autem ex veteribus fidelibusq; libris verba hausi: sententiae autem ea valde quadrare planum est.

Διὸ ὑβρισταὶ, καὶ ὀλίγωροι, καὶ θρασεῖς.

Vnde sunt contumeliosi, & parui ducunt ceteros mortales, audacesq; sunt.

OSTENDIT quantopere prosperae res, sensusq; illarum, nec non opinio de firmitate suarum opum, deprauare animos hominum soleant: videmus enim (inquit) plerunque huiuscemodi homines contumeliosos esse, & reliquos parui ducere, atq; audaces in periculis subeundis esse: quae omnes res ingens vitiũ in se habent: inde autẽ oriuntur, quod putant sibi noceri non posse: supra quoque, cum qui mitescerent, exponeret: atque illos etiam facile placari ostenderet, quorum venti valde secundi essent, atq; in magna omnium bonorum vbertate viuerent, illos tamen exclusit, quos bona fortuna corrumperet, atq; insolentiores redderet.

Ποιεῖ δὲ τοιούτους πλοῦτος, ἰσχὺς, πολυφιλία, δύναμις.

Reddunt autem homines tales diuitiae, vires corporis, multitudo amicorum, opes.

VNDE existat tanta confidentia explanat, & quae maximae res improbos quosdam, ac contemptores aliorum faciant: homines enim (inquit) deprauant, & his vitijs animos eorum imbuunt, diuitiae, eximiae corporis vires, multitudo amicorum, ciuilis potentia & opes: quae enim sua vi bona sunt, ac praeclara quidem, malo sunt illis, qui ipsis recte vti nesciunt.

Οὔτε οἱ ἤδη πεπονθέναι νομίζοντες τὰ δεινά.

Neque, qui existimant se iam perpessos esse grauia mala.

II quoque se nihil detrimenti accipere posse existimant, qui se iam acerbissimos quosque casus subijsse putant: quidquid enim incommodi eueniat, vt iam deplorati, & tamquam morte obita negligunt: hinc pendet sententia illa, quam profert Dido, cum iam se omnibus malis functam arbitraretur. Quid metui moritura? & Vsque adeo ne mori miserum est?

Καὶ ἀπεψυγμένοι πρὸς τὸ μέλλον.

Et obdurueruntad id, quod postea casurum in ipsos esset.

ET qui torpent iam, & quasi frigore dissoluti sunt, atq; ita omnem spem rerum bonarum abiecerunt, vt perpetuas miserias illas, quibus premuntur, futuras putent: qui enim ita affecti sunt nihil amplius mali expectant: nec locum in se putant esse vllum nouis miserijs. Ἀπεψυγμένοι, qui corpore iam, & quasi animo frigent. Hoc quoque verbo vsus est in maxime celebrato illo problemate de atra bile, cum de vini natura ageret: inquit enim. παραλαβὼν γὰρ ἀπεψυγμένους ἐκ τῶν νηφόντων, καὶ σιωπηλούς: μικρῷ μὲν πλείω ποθεὶς, λαλιστέρους ποιεῖ: vt enim vinum calfacit membra, ita, qui sibi diu ab eo temperarunt, frigidiores sunt.

Ὥσπερ οἱ ἀποτυμπανιζόμενοι ἤδη.

Quemadmodum, qui iam supplicio afficiuntur.

IN quorum numero sunt, qui ad supplicium ducuntur: id enim valere ἀποτυμπανίζεσθαι notum est: quo verbo infra quoque vtitur, vbi de pudore agit: & acutam vocem Antiphontis in misero illo suo, & aliorum, comitum eiusdem fortunae, casu refert. Demosthenes quoque in oratione, quae inscribitur περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ, eo verbo vsus est: vbi docet oportere Athenienses, impios illos ciues, qui se mercede accepta emancipauerant Philippo, odio prosequi, ac mortis denique hoc genere afficere.

Ἀλλὰ δεῖ τινα ἐλπίδα ὑπεῖναι σωτηρίας, περὶ οὗ ἀγωνιῶσι.

Sed oportet aliquam spem salutis subesse, de quo solliciti sunt.

NON loquitur nunc de illis, qui se nihil sustinere mali amplius posse putant, sed redit ad eos, qui metuunt: admonetq; in animis eorum necessario subesse debere non nihil spei de salute, de qua omni re solliciti sunt, & anguntur.

Σημεῖον δέ· ὁ γὰρ φόβος βουλευτικοὺς ποιεῖ. καίτοι οὐδεὶς βουλεύεται περὶ τῶν ἀνελπίστων.

Signum autem huius rei est: metus enim reddit homines procliues ad consultandum de suis rebus: atqui nemo consultat de his, quae sunt extra omnem spem.

ARGVMENTO esse potest hoc (inquit) quod spei aliquid necessarium sit, vt aliquis metuat: timor enim reddit homines diligentes deliberatores, & accuratos ipsos in rebus perpendendis facit: vt enim reformidare aliquam rem coeperunt, confugiunt ad consilia capienda, vt qui putant repperiri posse viam, qua mala illa vitent. quod si salutis nullam esse rationem putarent, non in ea frustra indaganda studium ponerent: de rebus autem, ait, quae se efficere nullo modo posse arbitratur, quaeq; omnem spem vincunt, nemo in deliberationem venit: vt vero hic metum ita afficere homines dicit, vt reddat ipsos accuratos deliberatores, ita, quod cum hac sententia conuenit, in problemate quodam xiij. segmenti tradit, qui timent magis, quam qui confidunt sibi, animo quaerere, ac versare secum diuersa consilia: qui vero freti sunt rebus suis, nulla alia praesidia prouidere student: nec valde in his cogitationibus occupantur.

Ὥστε δεῖ τοιούτους παρασκευάζειν, ὅταν ᾖ βέλτιον τὸ φοβεῖσθαι αὐτούς, ὅτι τοιοῦτοί εἰσιν οἷοι παθεῖν.

Quapropter oportet huiuscemodi conformare, quando accommodatius nobis fuerit, ipsos metuere, tales eos esse, quales qui sunt, non sunt liberi a malis.

DE vtilitate, quae ex harum rerum cognitione ab oratoribus capitur, disserit: quomodoq; haec praecepta causae suae accommodare queant, docet. Cuius igitur ratio poscit, vt ij, apud quos dicit, timeant: is eos ita oratione conformare debet, vt doceat, huiuscemodi ipsos esse, quales sunt ij, in quos aduersa multa, incommodaq; cadere possunt: ac si forte ipsi putarint extra omnem periculi aleam se positos esse, ostendere ipsos falli, praesidio superiorum locorum.

Καὶ γὰρ ἄλλοι, μείζους, ἔπαθον· καὶ τοὺς ὁμοίους δεικνύναι πάσχοντας, ἢ πεπονθότας, καὶ ὑπὸ τούτων, ὑφ' ὧν οὐκ ᾤοντο, καὶ ταῦτα, καὶ τότε, ὅτε οὐκ ᾤοντο.

Alij namque, maiores ipsis, mala perpessi sunt: & pares illis ostendere mala tunc accipere, aut olim accepisse: atque ab his, a quibus minime putabant: & haec: & eo tempore, quo non putabant.

APERIT nunc, quomodo inducere ipsos dicendo in eam opinionem possint, vt malis se expositos putent: pluresq; vias huius rei esse docet: & planum enim illis faciendo, maiores, amplioresq;, quam illi sint, olim damna perpessos esse: tuncq; ipsum pares, aequalesq; mala multa sustinere, aut praeteritis temporibus, sustinuisse. Nam, quod fieri non posse putent, vt ab his sibi noceri possit, non huic rei confidere ipsos oportere: non pauci enim inuenti sunt, qui ab his, a quibus nihil periculi sibi impendere putabant, grauia damna acceperunt. Quod autem de personis diximus, id quoque de genere malorum, ac temporibus dici potest: & quae enim numquam putassent, mala perpessi sunt, & quibus temporibus tutos se ab omni huiuscemodi periculo esse arbitrabantur. Nihil autem maioris ponderis ad incutiendum alicui timorem excogitari potest, quam docere pares, similesq; illi in ea mala, quae ipsi imminere affirmamus, incidisse: metus enim circa pares, similesque versatur, vt ipse tradit in primo de arte poëtarum: cum enim de misericordia, metuque dissereret, alteram harum permotionum excitari tradit, cum videmus indignum illa fortuna virum rebus aduersis oppressum: alteram, cum parem, similemque nobis: adiungit autem, priorem earum, misericordiam esse: posteriorem vero, metum.

Ἐπεὶ δὲ περὶ φόβου φανερὸν τί ἐστι, καὶ τῶν φοβερῶν, καὶ ὡς ἕκαστοι ἔχοντες δεδίασι, φανερὸν ἐκ τούτων, καὶ τὸ θαῤῥεῖν τί ἐστι, καὶ περὶ ποῖα θαῤῥαλέοι, καὶ πῶς διακείμενοι θαῤῥαλέοι εἰσί.

Quia autem de metu manifestum est, quid est, & de rebus, quae metum incutere solent, & vt singuli affecti metuunt, manifestum est ex his, & quid est fidere, & circa quales res fidentes sunt, & quomodo affecti fidentes.

EXPLICATIONEM eorum, quae repugnant timori ceterisq;, quae paulo ante exposuit, non magnopere necessariã esse, inquit: Ex his enim, quae accurate disseruit, de metu, de rebus formidolosis,

dolosis, de affectu animi eorum, qui in hunc motum procliues ſunt, planum eſſe, quid confidere ſit, & circa quas res fidentes aliqui ſunt, quomodoq; animo affecti confidunt. Cum autem enumerationi eorum, quae iam patefacta ſunt, praepoſuiſſet particulam ἐπεὶ, redditio ipſius ἀνταπόδοσιςq; eſt, φανερὸν, & quae ſequuntur.

Τότε γὰρ θάρσος ἐναντίον τῷ φόβῳ: καὶ τὸ θαῤῥαλέον τῷ φοβερῷ. ὥστε μετὰ φαντασίας ἡ ἐλπὶς τῶν σωτηρίων, ὡς ἐγγὺς ὄντων: τῶν δὲ φοβερῶν, ἢ μὴ ὄντων, ἢ πόῤῥω ὄντων.

Fidentia enim contraria eſt metui: & quod fidere nos faciat ei, quod metum adfert. quapropter ſpes & cum phantaſia rerum, quae ſalutem dant, tamquam illae prope ſint: quae autem metum adferunt, vel non ſint, vel longe ſint.

QVOMODO ex rebus iam explicatis intelligi poſſint, quae ſeries huius ſcriptionis requirit: quaeque ipſe tradere inſtituit, oſtendit: fidentia enim, inquit, contraria timori: & contraria quoque ſunt, quae confidere nos iubent, illis, quae metuere cogunt: haec autem eſt natura rerum contrariarum, vt cognitis alteris, reliqua ſimul cognoſcantur. Quare (inquit) cum contrariam timori naturam habeat, fidentia ſpes eſt cum huiuſcemodi quadam cogitatione, ſpecieue, quod res, quae ſaluti nobis eſſe poſſunt, prope iam adſint: contra autem, quae perterrere merito debent, aut nulla inueniantur, aut admodum remota ſint: quamuis tamen ea ſatis perſpicua forent, rebus] contrarijs cognitis, vt tota res melius percipiatur, non nulla tradit, quae hoc labore quaerendi alios leuare poſſunt, & reliqua omnia aperire.

Ἔστι δὲ θαῤῥαλέα τά τε δεινὰ, πόῤῥω ὄντα: καὶ τὰ θαῤῥαλέα, ἐγγύς.

Fidere autem nos faciunt, & grauia mala, remota: & quae animum addunt, propinqua.

FIDENTES nos reddunt, beneq; ſperare iubent haec res: cum periculorum pleni, atrocesq; caſus, ac res denique vehementius timendae, longe ſunt: quae vero animos addunt, prope: non nullaq; item alia, quae ſtatim ipſe addit: illa autem contraria ſunt ijs, quae ſupra metum inijcere docuit: Δεινὰ autem mala vertit Cicero in primo libro de finibus, cum Epicuri ſententiam
» exprimeret. Epicuri ipſius verba haec ſunt. Ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν, ὑπὲρ τοῦ μηθὲν αἰώνιον
» εἶναι δεινὸν, μηδὲ πολυχρόνιον. Vna autem eſt ex illis, quas κυρίας δόξας ille appellabat: & apud
» Laërtium legitur, qui Epicuri vitam diligenter ſcripſit. Ciceronis vero haec. Eadem ſcientia
» confirmauit animum, ne quod aut ſempiternum, aut diuturnum timeret malum. Nam quomodo etiam, de quo hic agitur, θαῤῥεῖν eleganter, diſerteq; Latinis verbis dici poſſit, ex horum locorum collatione, vt alia nunc praetermittamus, cognoſci poteſt.

Καὶ ἐπανορθώσεις ἐὰν ὦσι: καὶ βοήθειαι, ἢ πολλαὶ, ἢ μεγάλαι, ἢ ἄμφω.

Et ſi correctiones praeſto fuerint: & auxilia, ſiue multa, ſiue magna, ſiue vtraq;.

VT grauiora mala iudicantur, quae ſuſcepta corrigi ſanariq; nequeunt, ita contra incommoda, quae eam naturam habeant, vt reſarciri reſtituiq; poſſint, minus perturbant: & cum deniq; remedium medicinamq; mali videmus, confidimus: aut ſi auxilia nobis praeſto ſunt, quibus incommodum illud a nobis arceamus: & ea quidem, aut multa, aut magna, aut quae vtraque re coniuncta, & vi & multitudine valeant.

Καὶ μήτε ἠδικημένοι, μήτε ἠδικηκότες ὦσιν, ἀνταγωνισταί τε, ἢ μὴ ὦσιν ὅλως, ἢ μὴ ἔχωσι δύναμιν, ἢ δύναμιν ἔχοντες, ὦσι φίλοι.

Et ſi neque iniuriam acceperint, neque fecerint: aduerſarijque ſiue omnino non fuerint, ſiue infirmi fuerint: ſi vero vires habent, amici fuerint.

CONTRARIOS locos ſuperioribus exponit: vt enim, ſi haec forent, metuere nos oporteret, ita cum abſint, ſecuro fidentique animo eſſe poſſumus: ideſt ſi non ſint, qui aut iniuriam a nobis acceperint, aut qui nobis intulerint, & aduerſarij item aemuliq; noſtrorũ, aut penitus nulli fuerint: aut ſi fuerint, vires nocendi non habuerint: aut ſi opibus praediti ſunt, amici extiterint.

Ἢ πεποιηκότες ὦσιν εὖ, ἢ πεπονθότες.

Siue nos iuuerint, ſiue aliquid commodi a nobis acceperint.

DE aemulis adhuc, & tamquam riualibus, loquitur. Aut ſi beneficia non nulla ij, aut in nos

contulerint, aut a nobis acceperint, tunc securo animo fidentiq; ab ijs esse debemus: nolunt enim homines, aut beneficia sua corrumpere: quod facerent, si, quibus antea benigne fecerunt, postea ijsdem incommodarent: aut ingrati videri: quo crimine non carerent, si eos laederent, qui antea ipsos adiuuissent.

Ἢ ἐὰν πλείους ὦσιν, οἷς ταῦτα συμφέρει, ἢ κρείττους, ἢ ἄμφω.

Siue plures extiterint, quibus haec prosunt, siue meliores, siue ambo.

HANC ingenuam, veramq; lectionem esse puto: in calamo namq; exaratis libris ita legi animaduerti: & ipsius quoque vestigia in vetere tralatione apparent. antea in cunctis excusis mendose legebatur εἰς ταῦτα συμφερόμενοι. Aut si plures (inquit) fuerint, quibus haec, quae nobis, conducunt, quam ij sint, vnde periculũ nobis impendet: consueuerunt enim homines illis, qui eosdem inimicos habent, ad eos propulsandos sedulo subuenire: aut si numero non vincant, si viribus praestant, aut vtraq; re superiores sunt: cur enim valde confidere nos oporteret, quamuis socios eius periculi haberemus, si illi, aut numero, aut robore animi ac corporis, ab hostibus vincerentur?

Αὐτοὶ δὲ οὕτως ἔχοντες, θαῤῥαλέοι εἰσὶν, ἐὰν πολλὰ κατωρθωκέναι οἴωνται: καὶ μὴ πεπονθέναι.

Ipsi autem ita affecti, pleni animi sunt, si multis in rebus putarint se felices fuisse, & nihil incommodi vnquam acceperint.

CVM quae animum nostrum confirment, exposuerit, nunc quo modo animo affecti sint, qui sibi confidunt, ostendit: primum huiuscemodi est. Si existimant, se plura recte effecisse, & ad eum, quem optabant, exitum perduxisse: nihilq; incommodi in rebus illis agendis sustinuisse, animo confidunt, ac secunda omnia sibi pollicentur: κατορθώματα, recta, vel recte facta a Cicerone appellari, notum est. κατορθῶσαι fortunatum in aliquo negotio esse significat: &, quem aliquis sibi proponit, finem adipisci. Sic etiam optimus Attici sermonis auctor Aristophanes locutus est. Ἢν μὴν κατορθώσωμεν, εὖ πράττειν ἀεί. Si, quo volumus, rem perduxerimus, perpetuo fortunati erimus.

Ἢ ἐὰν πολλάκις ἐληλυθότες ὦσιν εἰς τὰ δεινὰ, καὶ διαπεφευγότες.

Vel si saepe peruenerunt in graues casus, atque ex ipsis euaserunt.

AVT si saepenumero deuenerint in grauiora pericula, ac paene in acerbissimos casus inciderint, incolumesq; inde euaserint. Hinc sumpto argumento Aeneas apud nostrum poëtam fractos » animos Troianorum confirmauit: ac bene sperare iussit. Neq; enim ignari sumus ante ma- » lorum dicens, &, Vos & Scyllaeam rabiem, penitusq; sonantis Accestis scopulos, & quae sequuntur.

Διχῶς γὰρ ἀπαθεῖς γίγνονται οἱ ἄνθρωποι, ἢ τῷ μὴ πεπειρᾶσθαι, ἢ τῷ βοηθείας ἔχειν.

Duobus enim modis mortales metu non commouentur, vel quia experti mala numquam sunt, vel quia praesidia illorum habent.

DVOBVS modis homines non perturbantur in magnis periculis (quamuis autem πάθος, vnde ἀπαθὴς conformatum est, omnem turbidum animi motum significet, hic tamen metum valere constat) aut quod praeteritis temporibus mala illa experti numquam sint, aut quod auxilia, remediaque habeant, quibus freti, mala illa a se depulsuros sperant: eamq; ob causam non perterrentur. Tritum apud Graecos prouerbium a priore horum modorum pendet, quo affirmatur suaue esse bellum inexperto. Γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος. Nam si tam saeua, capitalisq; res affert aliquid delectationis ei, qui acerbitatem ipsius antea non gustauit, periculi etiam ignoratio rudem illarum rerum, statu animi non commouet. Esse autem postremum quoddam genus simulatae fortitudinis ab errore animi ductum, & ignoratione eius mali, quod sustinetur; neque id dissimile admodum esse illi, quod spe & fiducia fretum impellitur ad periculum subeundum, quamuis aliquanto deterius sit, tradidit ipse eodem in loco, vnde paulo post exemplum ducemus.

Ὥσπερ ἐν τοῖς κατὰ θάλατταν κινδύνοις, οἵ τε ἄπειροι χειμῶνος θαῤῥοῦσι τὰ μέλλοντα, καὶ οἱ βοηθείας ἔχοντες, διὰ τὴν ἐμπειρίαν.

Veluti

Veluti in periculis maris, qui tempestatum expertes sunt, bene sperant de exitu eorum malorum: & qui praesidia ipsorum habent, propter vsum magnum.

SIMILI hoc probat. Idem enim in his rebus euenire tradit, quod in iactatione maris, ac procellis vsu venit: nam & qui vim tempestatis experti antea non sunt, se incolumes e periculis illis euasuros confidunt, firmoq; animo sunt: & qui auxilia, praesidiaq; in se habent propter longum vsum rerum maritimarum. Rudes igitur tempestatum, peritique: diuersis tamen de caussis bene sperant. In iij. quoq; libro de moribus ad Nicomachum nautas, eosq;, qui mare incolunt, in maximis tempestatibus non perterreri eandem ob caussam tradit: cum enim de fortibus viris ageret, qui ipsi etiam in saeua tempestate maris intrepidi sunt, alia tamen de caussa, quam peritos procellarum, ac nautas ipsos, non perterreri docet: ij enim firmo animo sunt, quod remedia multa horum malorum esse intelligunt: fortes omnem spem salutis abiecerunt: sed etiam mortem illam stomachantur, iniquoq; animo ferunt virtutem suam contra impetum ventorum, fluctusq; nihil valere: nautae autem bonam spem habent ob vsum: sciunt enim quo modo haec mala euitari possint, frequenterq; alias in ijsdem periculis versati sunt.

Καὶ ὅταν τοῖς ὁμοίοις μὴ ᾖ φοβερόν.

Et quando paribus, similibusq; id metum non incusserit.

SCILICET θαῤῥαλέοι εἰσί. Tunc etiam animo confirmantur, cum intelligunt rem illam metum paribus, similibusq; non afferre: freti enim iudicio eorum, quidquid periculi illa importare possit, contemnunt.

Μηδὲ τοῖς ἥττοσι, καὶ ὧν κρείττους οἴονται εἶναι.

Neque infirmioribus, & quibus meliores se putant esse.

NEQVE minoribus, & qui ipsis inferiores sint. Sed etiam cum vident eam non reformidari ab ijs, quibus se potentiores putant. ostendit autem, quibus de caussis homines ita existiment: & quae res in animis ipsorum huiuscemodi opinionem gignant.

Οἴονται δέ, ὧν κεκρατήκασιν ἢ αὐτῶν, ἢ τῶν κρειττόνων, ἢ τῶν ὁμοίων.

Putant autem illis, quos ipsos vicerunt, vel meliores ipsis, vel pares.

PVTANT vero (inquit) se praestare viribus opibusq; illis, quos antea vicerunt, atque in aliqua contentione superarunt: aut si illos ipsos non vicerunt, eos tamen, qui ipsis viribus praestabant, superarunt, siue pares ipsis ac similes.

Καὶ ἐὰν ὑπάρχειν αὐτοῖς οἴωνται πλείω, καὶ μείζω, οἷς ὑπερέχοντες, φοβεροί εἰσι.

Et si putauerint adesse sibi plura, & maiora, quam illa sint, quibus aliqui praestantes metuuntur.

CONFIDVNT etiam, si arbitrati fuerint, plura maioraque se possidere, quam illa sint, quibus non nulli reliquis praestantes, formidolosi sunt: cum enim intelligunt, se illos vincere copia eorum bonorum, quae metum infirmioribus afferunt, tuto possunt impetum eorum contemnere: quae autem ea sint, exponit.

Ταῦτα δ' ἐστί, πλῆθος χρημάτων, καὶ ἰσχὺς σωμάτων, καὶ φίλων, καὶ χώρας, καὶ τῶν πρὸς πόλεμον παρασκευῶν, ἢ πασῶν, ἢ τῶν μεγίστων.

Haec autem sunt, vis magna pecuniae, robur militum, & amicorum, & regionis, & apparatuum ad bellum, siue omnium, siue maximorum.

ITA hic loquitur, vt de fortunato homine, & qui regnum alicubi obtineat, manifesto eum loqui appareat: non nullae enim res ex his, quas enumerat, dynastae potius alicuius, quam priuati hominis, propriae sunt: appellantur autem magnitudo pecuniae: robur militum: firmitas amicorum, & regionis: nec non apparatuum belli, aut omnium, aut maximorum: nam σωμάτων hic militum omnino valere puto: quo sensu saepe hoc verbum Demosthenes quoque vsurpauit, vt in iij. Philippica, cum inquit. » Ἐπεὶ καὶ τριήρεις καὶ σωμάτων πλῆθος, καὶ χρημάτων πρόσοδοι, καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς ἀφθονία: nec non in oratione pro Ctesiphonte: » Οἳ πόλεμον συνεχῆ καὶ μακρὸν πολεμούντων ὑμῶν, καὶ τοῦτον ὑπὲρ τῶν κοινῇ πᾶσι συμφερόντων, οὔτε χρήμασιν, οὔτε σώμασιν, οὐδ' ἄλλῳ οὐδενὶ τῶν πάντων, συνελάμβανον ὑμῖν. vbi queritur Athenienses a reliquis ciuitatibus Graeciae destitutos,

destitutos, cum pro communi salute diu contra Macedonum regem bellum gessissent: & in
» eadem post, vbi maiores laudat, & vetus institutum ciuitatis. Καὶ πλείω σώματα, καὶ χρήματα ἀνα-
» λωκέναι ὑπὲρ φιλοτιμίας. & quae sequuntur.

Καὶ ἐὰν μὴ ἠδικηκότες ὦσιν, ἢ μηδένα, ἢ μὴ πολλούς, ἢ μὴ τοιούτους, περὶ ὧν φοβοῦνται.

Et si iniuria affecerint seu nullum, seu non multos, seu non tales, quales sunt, a quibus metuunt.

Fidentes etiam sunt, & in magna perturbatione rerum nullo metu sollicitantur, qui iniuria affecerunt, aut neminem, aut non sane multos: facilius enim paucorum quam plurimorum impetus, & insidiae declinantur, aut non huius generis homines, quales sunt, a quibus pericula omnibus impendere videntur. Cum supra quoque doceret, quae confirmant animos, in reliquis rebus posuit, si nulli a nobis iniuria lacessiti sunt, quos nunc repetit: verum illic, quae θαῤῥαλέα essent, tradebat: hic quomodo affecti homines animo, θαῤῥαλέοι sint, & in periculis confidant, exponit: vt absurdum non fuerit eosdem rursus appellare.

Καὶ ὅλως ἂν τὰ πρὸς θεοὺς αὐτοῖς καλῶς ἔχῃ.

Et demum si quae referuntur ad deos, belle se habuerint.

Demvmqve (inquit) ij bene sperant, qui deos secum esse, ac partes suas adiuuare credunt, quod vident ea, quae ad eos pertinent, secunda sibi esse, & boni aliquid portendere: multis autem modis cognoscere homines, propicij ne sibi, an irati dij forent, veteres existimabant, quos omnes hic intellexit: quantam vero afferat animis hominum spem haec existimatio, manife-
» stum est: & poëtae quoque saepe hoc declarant. vt Virgilius in xij. Primusq; Tolumnius
» augur Hoc erat, hoc votis (inquit) quod saepe petiui Accipio, agnoscoq; deos: me, me du-
» ce, ferrum Corripite o Rutuli. In eodem etiam libro. Ne qua meis esto dictis mora,
Iuppiter hac stat.

Τά τε ἄλλα καὶ τὰ ἀπὸ σημείων, καὶ λογίων.

Et cetera omnia, & quae proficiscuntur a signis, & responsis.

Et alia, quae vulgo hoc posse creduntur, & quamuis non enumerentur, nota sunt: & ea, quae a signis non nullis, & oraculis proficiscuntur: ijs enim quoq; rebus intelligi potest mens deorum immortalium. Signa autem sunt, vt quod augur Tolumnius vidit: nec non, quod An-
» chises in ij. Aeneidos. Vix ea fatus erat senior, subitoq; fragore Intonuit laeuum, & de cae-
» lo lapsa per vmbras Stella: & quae sequuntur. Nam quantopere confirment nos, eodem
hoc exemplo facile cognosci potest, cum repente tanta commutatio in animo Anchisis facta sit.
» Iam iam nulla mora est, sequor, & quae sequuntur. Cicero σημεῖα haec quoque, nunc notas,
» nunc signa vocauit in ij. de diuinatione, vt cum inquit. Quam scite per notas nos certiores
» facit Iuppiter: & post. Hoc igitur per gallinas Iuppiter tantae ciuitati signum dabat. Eodem
aute in libro multa huiuscemodi narrat, vt ostenta illa tristia, quae Lacedaemonijs acciderunt
ante Leuctricam calamitatem. Λόγια oracula esse, ac responsa deorum, constat. Plutarchus in
» Pelopida. Χρησμοὶ δὲ, καὶ λόγια τοῖς Σπαρτιάταις ἀεὶ προὔφερον εὐλαβεῖσθαι, καὶ φυλάττεσθαι τὸ λευκτρικὸν
» μήνιμα: narrat enim vndique vocibus deorum admonitos Lacedaemonios, vt cauerent Leuctricam iram, quam contra se commorant, non animaduertentes seuere in auctores, eo loco patrati sceleris in virgines. In vita quoque Niciae, cum docuisset sapientem illum virum vsum auctoritate sacerdotum in dissuadendo bello, quod parabatur in Siciliam, tradit Alcibiadem contra, qui & ipse augures quosdã habebat, qui fauerent studio suo, protulisse e veteribus qui-
» busdam oraculis ingentem laudem inde reportaturos Athenienses. Ἀλλ᾽ ἑτέρους ἔχων μάντεις ὁ Αλ-
» κιβιάδης, ἔκ δή τινων λογίων προὔφερε παλαιῶν, μέγα κλέος τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ Σικελίας ἔσεσθαι. Nec multo
etiam infra commemorat multa signa, quae significabant nihil secundi expectare Athenienses debere ex eo bello.

Θαῤῥαλέον γὰρ ἡ ὀργή: τὸ δὲ μὴ ἀδικεῖν, ἀλλ᾽ ἀδικεῖσθαι, ὀργῆς ποιητικόν: τὸ δὲ θεῖον ὑπολαμβάνεται βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις.

Ira namque facit, vt audentiores simus: iniuriam autem non facere, sed accipere, gignit iram: firma autem opinio est in pectoribus hominum diuinam naturam ferre auxilium ijs, qui iniuriam accipiunt.

Iracvndia

IRACVNDIA enim (inquit) fidentiores facit: vtilem autem in pugna saepe iracundiam esse: iratosq; fidentiore animo subire pericula: nec non, quamuis fortes honestatis causa ad agendum impellantur, subsidio tamen ipsis animum hunc esse: conatumq; eorum adiuuare, Aristoteles voluit. Quod etiam in Academicis Cicero, de Peripateticis loquens, tradit. Ipsam iracundiam fortitudinis, quasi cotem esse dicebant: plenius tamen in iiij. Tusculana. Causam autem nunc affert, cur, qui, cognita mente deorum erga se propensa, fidentiores in turbidis rebus sint: Cum enim (inquit) e signis quibusdam, & oraculis deos sibi fauere intelligant, causam suam bonam esse liquido cognoscunt: seque iniuriam pati, non facere. quod si aliter se res haberet, dij propicij ipsis non forent: ex opinione vero illa, quod iniuriam acceperint, confirmata auctoritate deorum, existit ira, quae fidentiores ipsos reddit: iniquo enim animo semper ferunt homines, se iniuria affici, & iniuste aliqua in re laedi, & cum id factum intelligunt, subito irascuntur: contra autem, cum iniuriam a se ortam existimant. Quia igitur insitum est in animis mortalium diuinam omnem naturam opitulari hominibus iniuria affectis, notis illis vocibusq; cognoscunt facta illa ipsa dijs non probari, ac praesto sibi eos fore: vnde veritate rei explorata, improbitateque aduersariorum, vt iusti homines improbeque tractati, ad iram accenduntur.

Καὶ ὅταν προεπιχειρήσαντες, ἢ μηδὲν ἂν παθεῖν, μηδὲ πείσεσθαι, ἢ κατορθώσειν οἴωνται.

Et quando, si priores aggressi fuerint, aut nihil se detrimenti accipere: neque accepturos esse: aut prosperum exitum eorum malorum putauerint se consecuturos.

ALIVD etiam est, quod animos auget, & in periculis subeundis fidentiores reddit, cum si incursum hostium praeuenire potuerint, prioresq; ipsos aggredi, arbitrantur se omne malum declinaturos, & aut nihil incommodi ex ea pugna, concertationeq; se reportaturos, aut si aliquid damni, vt in proelio fit, acceperint, tamen se, quod volunt, confecturos.

Καὶ περὶ μὲν τῶν φοβερῶν, καὶ θαρραλέων, εἴρηται.

Et de rebus quidem, quae metum incutiunt, atque animum addunt, dictum sit.

DOCET se hunc sermonem absoluisse, atq; ea, quae metum hominibus incutiant: contraq; quae confidere eos faciant, atque animum ipsis addant, ostendisse: cum tamen supra rebus terribilibus explicatis, vsum eius cognitionis declarauerit: breuiq; dixerit quomodo metus excitandus sit, poscente id causa, in animis eorum, qui audiunt, idem nunc non facit, traditis rebus, quae animos augent: a contrarijs autem locis id fieri debere manifestum est: oportereq; oratorem indicare tales eos esse, vt vexari malis illis nequeant, quod inferiores ipsis ea facile euitarint: paresq; ipsis ostendere ipsa negligere: & ipso illo tempore nullam ea vim habere ipsis nocendi: omniaq; demum, quae minuant ea mala, aut illos ita instructos doceant, vt nullo negotio ea propulsare possint.

Ποῖα δ' αἰσχύνονται, καὶ ἀναισχυντοῦσι, καὶ πρὸς τίνας, καὶ πῶς ἔχοντες, ἐκ τῶνδε δῆλον.

Qualia autem verecundantur, vel minime verecundantur, & erga quos, & quomodo affecti, ex his manifestum erit.

DE verecundia nunc, inuerecundiaq; agere incipit, eundemque in his explicandis ordinem sequitur: nam & cuiusmodi facta verecundantur, & ob quae pudor ipsi non exprimitur, & erga quos excitatur, & quomodo affecti ipsi ita afficiuntur, declarat. Quod autem inter animi perturbationes pudorem hunc, seu verecundiam ponit, non discedit ab iudicio suo: qui semper potius referre motum animi, quam habitum, pudorem censuit: erat enim res anceps, contraque eruditi non nulli, ac docti viri, virtutem esse pudorem existimabant. Alexander autem Aphrodisiensis, qui omnibus sententijs Aristotelis valde addictus fuit, paene ab eo in hac re desciuit: nam elegantissimam de hac re quaestionem confecit: sed haec nunc copiosius hic pertractare minime necesse est.

Ἔστω δὴ αἰσχύνη λύπη τις, καὶ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν, ἢ παρόντων, ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων.

Sit iam verecundia aegritudo quaedam, & conturbatio circa illa mala, quae videntur referri ad existimationem, dignitatemque violandam, siue ea iam sint, siue fuerint, siue futura sint.

PONAMVS

PONAMVS igitur verecundiam aegritudinem quandam esse, & tamquam tumultum quendam animi trepidationemque, circa mala illa, quae in ignominiam, ac dedecus ferre videntur, cum aut sunt, aut fuere, aut futura sunt: excitari autem hunc affectum, inquit, malis, quae turpitudinis aliquid inustura videantur: neque enim erubescimus, cum metuimus, quod, aut dolorem, aut interitum prae se fert: neque tantum verecundamur cum eo ipso tempore nobis adsunt, verum etiam, cum antea nos oppresserunt (pudet enim homines veterum flagitiorum) aut postea incisura in nos sunt: quod ipse in primo quoque libro tradidit.

Ἡ δ' ἀναισχυντία, ὀλιγωρία τις, καὶ ἀπάθεια περὶ τὰ αὐτὰ ταῦτα.

Inuerecundia autem, parui ducere quoddam, & non affici circa eadem haec.

INVERECVNDIAM contra contemptum earundem rerum esse teneamus, cum aliquis parui ducit, nec commouetur animo, si in huius generis mala incidat: crimini autem dari inuerecundiam perspicuum est: qui enim bonam existimationem negligit, eaq; facit, quae turpia ducuntur, vituperari iure potest. In iij. libro de moribus ad Nicomachum non nulla (inquit) metuere & oportet, & honestum est, contraq; non metuere turpe, vt ignominiam, οἷον ἀδοξίαν: eodem enim, quo hic, verbo illic quoque vtitur.

Εἰ δή ἐστιν αἰσχύνη ἡ ὁρισθεῖσα, ἀνάγκη αἰσχύνεσθαι μὲν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις τῶν κακῶν, ἃ δοκεῖ αἰσχρὰ εἶναι αὐτῷ, ἢ ὧν φροντίζει.

Si iam est verecundia, quae definita est, necesse est verecundari ob huiuscemodi mala, quae videntur turpia esse sibi, vel eis, qui curae ipsi sunt.

SI in exprimenda natura verecundiae lapsi non sumus (inquit) vimq; ipsius commode explicauimus, qui verecundatur necesse est, ob huiuscemodi mala verecundetur, quae turpitudinem importare credantur, vel ipsi, vel ijs, quos curae habet. Animaduertendum vero cum verecundia, & ipsa metus quidam mali sit, excitari tamen illam longe diuersis malis, ac proprie vocatus, siue potius generis nomine, metus: oritur enim, cum quispiam timet, ne bonam existimationem amittat, quae res culpa illius factisq; improbis, qui verecundatur, nascitur: contra autem metum aduentu malorũ, quae aut dolorem, aut interitũ afferant, & extra posita sint, commoueri.

Τοιαῦτα δ' ἐστὶν, ὅσα ἀπὸ κακίας ἔργα ἐστίν. οἷον ἀποβαλεῖν ἀσπίδα, ἢ φυγεῖν: ἀπὸ δειλίας γάρ, καὶ τὸ ἀποστερῆσαι παρακαταθήκην: ἀπ' ἀδικίας γάρ.

Huiuscemodi autem sunt, quaecunque facta a vitio proficiscuntur, veluti abijcere clypeum, aut fugere: a timiditate enim nascitur: aut non reddere depositum: ab iniustitia enim.

QVAE mala sint, de quibus supra locutus est, exponit: quaecunq; enim ab animi vitio proficiscuntur facta, huiuscemodi sunt: vt in proelio abijcere clypeum, aut fuga salutẽ quaerere, quod a timiditate oritur: non reddere depositum, quod ab iniustitia, & quae sequuntur. Cicero in iij. quaestione Tusculana eandem sententiam Latinis verbis eleganter expressit. Sed quia nec qui propter metum praesidium relinquit, quod est ignauiae: nec qui propter auaritiam clam depositum non reddidit, quod est iniustitiae. Antiquissimus liber a reliquis omnibus discrepat, quod τὸ ἀποβαλεῖν habet, diuerso tempore, sed etiam duo verba infra addit. ἀποστερῆσαι παρακαταθήκην, ἢ ἀδικῆσαι: ἀπ' ἀδικίας γάρ: nihil tamen variaui.

Καὶ τὸ συγγενέσθαι, οἷς οὐ δεῖ, ἢ ὅπου οὐ δεῖ: ἢ ὅτε μὴ δεῖ: ἀπὸ ἀκολασίας γάρ.

Et rem habere quibus cum non licet, siue vbi non licet, siue quando non licet: ab intemperantia enim.

ET corpus miscere cum quibus nefas, vel vbi, vel quando: nam, quae etiam sine culpa alias possumus, certis temporibus, ac locis facere prohibemur, vt concumbere: quo ipse exemplo vsus est: συγγενέσθαι enim quandoq; concumbere. Vt in v. etiam libro de moribus ad Nicomachum καὶ γὰρ ἂν συγγένοιτο γυναικὶ, εἰδὼς τὸ ᾗ, cum huius verbi vis sit cũ aliquo versari, ac colloqui: quod enim a Socrate in Platonis apologia dictũ fuit, ἢ αὖ Ὀρφεῖ ξυγγενέσθαι, καὶ Μουσαίῳ, καὶ Ἡσιόδῳ, καὶ Ὁμήρῳ, Cicero, qui locum illum expressit, reddidit colloqui: seruat autem mirifice verecundiam in scribendo Aristoteles. In antiquissimo libro, quod sententiam nihil variat, non ὅπου, sed οὗ, legitur:

legitur: exemplum vero erit in Bucolico carmine pastor, qui cum alteri crimina obijceret, a loco etiam culpam auxit, quamuis per se etiam crimen ipsum exagitari posset. Nouimus (inquit) & qui te, transuersa tuentibus hirquis. Et quo, sed faciles nymphae risere, sacello.

Καὶ τὸ κερδαίνειν ἀπὸ μικρῶν, ἢ ἀπὸ αἰσχρῶν, ἢ ἀπ' ἀδυνάτων. οἷον πενήτων, ἢ τεθνεώτων.

Et quaestum facere a rebus minutis, siue a turpibus, seu a quibus minime potest. veluti pauperibus, aut mortuis.

QVAESTVM etiam facere ex pusillis, minutisq; rebus, aut turpibus, aut quae fieri non posse videantur, indecorum est, & verecundiam his, qui haec gerunt, gignit. vt a pauperibus, tenuibusq; hominibus lucrum extorquere: nec non etiam mortuis: haec enim postrema admirabilia sunt, & e genere eorum, quae fieri non possint, esse creduntur.

Ὅθεν καὶ ἡ παροιμία τὸ, κἂν ἀπὸ νεκροῦ φέρειν.

Unde & prouerbium, E cadaueribus etiam vectigal exigere.

TRITVM enim prouerbium hoc significabat. A cadauere etiam fructum capere: quod contra auaros, ac sordidas artes exercentes, dicebatur. Ab hac nota, ignominiaque vacui omnino non erant, qui corpora occisorum hostium pecunia accepta parentibus, suisq; reddebant: qui mos apud priscos frequens erat. vt in ix. Aeneid. Sit, qui me raptum pugna, pretioue redemptum Mandet humo solita. Quare Aeneas in x. vt magnanimus, hoc facere neglexit, immensamq; vim auri repudiauit. Argenti, atque auri memoras, quae multa talenta Natis parce tuis. Magis tamen haec culpa haerebat in auaris praetoribus, qui parentes pretium pro sepultura liberorum poscerent: quod Cicero Verri obiecit.

Ἀπὸ αἰσχροκερδίας γὰρ, καὶ ἀνελευθερίας.

A sordibus enim, & illiberalitate.

ANTE quam indicaret, a quo vitio animi haec improba facta nascerentur, turpitudinem rei, peruulgata voce notatam, docet: statimq; originem ipsius significat, dicens: a sordibus enim & illiberalitate nascitur.

Καὶ τὸ μὴ βοηθεῖν, δυνάμενον, εἰς χρήματα, ἢ ἧττον βοηθεῖν.

Vel non opitulari egentibus pecunia, cum possis, siue minus quam necesse est opitulari.

HAEC etiam pudorem afferunt, quae ab eodem animo, abiecto ac minuto, proficiscuntur: & cum ab aliquo fiunt, indicio nobis sunt auaritiae illius, ac turpissimorum etiam quaestuum cupiditatis: non opitulari alicui, cum facultatem eius rei habeas, angustia patrimonij laboranti: neque illius tenuitatem copia tua subleuare: aut minus parciusque, quam oporteat, pecunia subuenire.

Καὶ τὸ βοηθεῖσθαι παρὰ τῶν ἧττον εὐπόρων.

Et pati sibi subueniri a minus locupletibus.

AVT contra, pecuniam capere a tenuioribus, quiq; minus rei familiaris habeant, & ipsum turpitudinem affert. de hoc autem apud Terentium quoq; Phormione, queritur seruus: cum enim dedecori sit opulentioribus, si quis vere cogitet: graue non minus est, durumq; tenuioribus, vt ipse eleganter, accurateque exponit. Quam inique comparatum est, ij, qui minus habent, Vt semper aliquid addant ditioribus: & quae sequuntur.

Καὶ δανείζεσθαι, ὅτε δόξει αἰτεῖν.

Aut faenore sumere pecuniam, quando aliquis suspectus est, ne poscat.

HAEC etiam humilem abiectumq; animum arguunt: nec paruum dedecus important, quaerere latebras suae illiberalitatis: existimareq;, se posse calliditate hac auaritiam suam tegere: mutuam scilicet pecuniam capere, cum existimatur aliquis nummos a te petituros esse. Huiuscemodi ingenium carpit in Gellio Martialis, qui, vt facilius denegare posset, semper in expolitionibus aedificiorum occupatus erat: omnibus enim notum, studium illud magnos sumptus postulare. Arbitrabatur igitur, se hac ratione posse sine culpa denegare. Gellius

aedificat:

» aedificat: & quae sequuntur. Oranti nummos, vt possit dicere amico, Vnum illud ver-
» bum Gellius, aedifico.

Καὶ αἰτεῖν, ὅτε ἀπαιτεῖν.

Et petere, quando putatur repetiturus.

Hoc fit a tenuioribus, & qui liberalitate alicuius vsi antea sunt: cum enim vident eos nummos suos repetituros esse, rursus se ope illorum egere dicunt: & ne reddant, quam acceperunt, nouam pecuniam petunt.

Καὶ ἀπαιτεῖν, ὅτε αἰτεῖν.

Et repetere, quando petiturus.

Contra hoc faciunt ditiores, & qui semel patrimonio suo egestatē alicuius sustentarunt: cum enim intelligunt, eosdem iterum petituros esse, suum repetunt, non sane, vt auferant, sed vt quod habent, retineant: faciliusq; illos a se dimittant.

Καὶ ἐπαινεῖν, ἵνα δόξῃ αἰτεῖν.

Et laudare, vt intelligatur petere.

Hanc etiam artem habent multi, non tam egentes, quam improbi, qui aliquid alicui laudant: vt id ab eo statim auferant: solent enim ingenui, ac liberales homines, cum vident quempiam aliqua re, cuius ipsi domini sint, valde delectari, vltro illi eam dilargiri: eo autem tendebat tanta illius, & tam accurata exornatio: & erat occulta quaedam petitio: humilis tamen illa, & honesto viro indigna.

Καὶ τὸ ἀποτετυχηκότα, μηδὲν ἧττον· πάντα γὰρ ἀνελευθερίας ταῦτα σημεῖα.

Et cum reiectus sis, nihilominus: cuncta namque haec signa sunt illiberalitatis.

Is quoque ingens dedecus admittit, qui cum semel eiectus ab aliquo est, ac repulsam passus, nihilominus inde petit, ac molestus eidem est: vt reliqua namque omnia (quod statim docet) ita extremum hoc sordium, illiberalitatisq; indicium est: est enim quoque humile, abiectumque negotium ad eundem confugere, eiq; supplicem se praebere, a quo semel repudiatus sis.

Τὸ δὲ ἐπαινεῖν παρόντα, κολακείας.

Et eum, qui praesens adest, laudare, assentationis enim.

Praesentem praeterea aliquem laudare, dedecus in se habet, a vitioq; animi proficiscitur: est enim assentatoris. Hoc egregie expressit Terentius Adelphis, cum Ctesiphontem induxit fratris operam laudantem, qui omnia sibi posthabenda putarat prae ipsius commodo: indicat enim probus adolescens se pudore impediri, ne laudes ipsius praesentis copiosius prosequatur.
» Ah vereor coram in os te laudare amplius, Ne id assentandi magis, quam quod gratum ha-
» beam, facere existimes.

Καὶ τὰ ἀγαθὰ μὲν ὑπερεπαινεῖν· τὰ δὲ φαῦλα συναλείφειν.

Et res bonas alicuius supra modum laudare: malas autem delere atq; extinguere.

Vt etiam res bonas alicuius supra quam vere fieri possit, laudare atque extollere: contra autem malas, conterere & obscurare: ac modum denique in neutra re non tenere: id enim quoque assentandi studio fieri videtur. συναλείφειν interlinire significat, ac facere ne aliquid appareat, cognoscique possit. Lysias in Apologia de nece Eratosthenis, νόμους ἐξαλείφειν dixit, idest delere, atque abrogare.

Καὶ τὸ ὑπεραλγεῖν ἐπ' ἀλγοῦντι.

Et dolorem alienum ob ipsius aduersas res dolore suo proprioque vincere.

Et cum quempiam dolere vides, quod re aliqua aduersa conflictetur, praeter modum, & plusquam fieri oporteat, dolere: id enim valet ὑπεραλγεῖν: vt supra. καὶ ὑπεραλγοῦντας τοῖς πεποιημένοις: & immensum quendam dolorem suscipere ex rebus a se improbe factis: tantopere autem angi mala fortuna alterius, suspectum merito est: & dolorem eum simulatum esse, facile intelligi potest. Quod ad verba pertinet, hoc varietatis inueni in antiquissimo libro (scriptis enim reliquis conuenit cum excusis) quod ille habet. καὶ τὸ ὑπεραλγεῖν, ἀλγοῦντι παρόντα. cuius lectionis hic sensus erit: & cum adsis dolenti, superare ipsum dolendo.

Καὶ πάλιν

Καὶ τἆλλα πάντα, ὅσα τοιαῦτα: κολακείας γὰρ σημεῖα.

Et cetera omnia, quaecunque huiuscemodi sunt: assentationis enim signa.

CVNCTAQVE alia, quae huiuscemodi sunt inquit, dedecus in se habent: indicia enim sunt assentationis. Si quis exempla harum rerum requirit, apud Athenaeum inueniet in vj. libro δειπνοσοφιστῶν: locum enim adducit Satyri Graecarum rerum auctoris, qui vitam quoque Philippi regis Macedonum, Alexandri patris, diligenter scripsit, in quo narrantur, quae Clisophus, diuinus quidam assentator, vt Philippo placeret, gerere solitus esset.

Καὶ τὸ μὴ ὑπομένειν πόνους, οὓς οἱ πρεσβύτεροι, ἢ τρυφῶντες, ἢ ἐν ἐξουσίᾳ μᾶλλον ὄντες, ἢ ὅλως οἱ ἀδυνατώτεροι: πάντα γὰρ μαλακείας σημεῖα.

Et non ferre labores, quos seniores ferunt, vel delicati homines, vel qui potestatem, & imperium magis habent: demumque infirmiores: cuncta enim mollitudinis signa.

DEDECVS etiam adfert, idq; iustum, non posse tolerare labores, quos seniores sustinent: nec ij tantum, qui senio confecti sunt, sed vel delicati homines, vel in maiore potestate, & dignitatis gradu collocati: vel (vt vno verbo complectar) infirmiores: siue imbecillitate corporis, siue instituus vitae illi infirmiores sint: haec enim omnia mollitudinis signa sunt, & languidi, atque eneruati animi, ac corporis. Mollitudinem autem Cicero μαλακίαν videtur appellasse, cum in
» iij. Tusculana inquit. Sed videamus, ne haec oratio sit hominum assentantium nostrae im-
» becillitati, & indulgentium mollitudini.

Καὶ τὸ ὑφ᾽ ἑτέρου εὖ πάσχειν, καὶ τὸ πολλάκις: καὶ ἃ εὖ ἐποίησεν ὀνειδίζειν: μικροψυχίας γὰρ πάντα, καὶ ταπεινότητος, σημεῖα.

Et commoda beneficiaque ab aliquo accipere, atque id saepe: & quibus rebus profuit alijs ipsis obijcere: angusti enim animi cuncta haec & minuti signa.

NVLLAM praeterea dignitatem habet, sed contra pudorem aliquem affert, commodis ab aliquo augeri: maiorem autem, si crebro ope alterius egeas, ac te bonis ab eo cumulari sinas: nec non etiam vetera beneficia exprobrare: haec enim omnia pusilli animi & angusti notae sunt. Primi duo loci turpitudinem declarant eius, qui audacter confugit ad opem alterius: tertius maculam eius, qui gratificatus est, si quod benigne fecit, postea exprobrat: quamuis autem diuersa haec hominum genera sint, quippe cum alteri quaerant: alteri largiantur, vna tamen eandemq; omnium causam attulit: magno vero animo praeditus vir non facile patitur se ab alio adiuuari: declararet enim id ipsum, quam illum, inferiorem esse. quod si semel alicuius subsidio subleuatus est, iniquo loco, aut tempore, indignum se putat cogi saepe alterius auxilium supplicem implorare. exprobrare beneficia eius est, quia ipsa magni faciat, & aequum putet ob ea sibi homines perpetuo deuinctos esse debere: cum contra benignus gaudeat officio suo, ac maioribus commodis afficere alios gestiat. Non alienum autem est hic exponere, quod memoriae prodidit Plutarchus de Solone in vita ipsius: narrat enim eum tenue patrimonium habuisse, cum esset natus e patre benigno homine, quiq; grandem pecuniam consumpserat in pauperibus iuuandis. cum autem non deessent, qui subleuare ipsum vellent, suppeditareque ipsi large, numqam tamen passum eum esse, vt excelso animo praeditum, ab alio quippiam sumere. quare, vt ad exitum perduceret consilium suum, longinquasq; terras, & ciuitates visere posset, statuit tantum rei mercaturis faciendis quaerere, quantum satis esset ad peregrinationes illas obeundas: quibus peritior fieret, & mores, institutaq; plurimarum gentium cognosceret.

Καὶ τὸ περὶ αὑτοῦ λέγειν, καὶ ἐπαγγέλλεσθαι.

Et de semetipso loqui, & magna polliceri.

PVDOREM etiam affert, suas res libenter praedicare: ac de se magna quaedam polliceri. Commemorare, quae sibi laudi sint, inuerecundi hominis esse, ostendit etiam eleganter Cicero in epistola ad Lucceium: qua, desiderio huius culpae vitandae, petijt ab eo, vt ipse onus scribendi
» res, honeste a se gestas, susciperet: inquit enim. Cogar fortasse facere, quod non nulli repre-
» hendunt. scribam ipse de me: & infra. Multi deniq; reprehendant, & dicant verecundiores esse praecones ludorum gymnicorum: & quae sequuntur.

Καὶ τὸ τὰ ἀλλότρια αὑτοῦ φάσκειν: ἀλαζονείας γάρ.

Et res alienas suas esse affirmare: gloriosi enim hominis est.

Nec non recte facta aliorum sibi adiudicare: quod vitium etiam adnotauit, lusitq; in Thrasone » vafer, impurusq; homo Gnatho. Labore alieno magno partã gloriam Verbis saepe in se trans» mouet, qui habet salem, Quod in te est. Acute autem Terentius, qui mores hominum effingendi primas ferebat, hoc Thrasoni tribuit, qui gloriosus erat: nam hoc gloriosi proprium, vt superiora duo, esse docet Aristoteles: ἀλαζὼν enim gloriosus est. Ab eadem vanitate naturae proficiscitur, quod non nulli, qui haberi diuites volunt, & cupiditate huius gloriae tenentur, faciunt: affirmant enim vicini fundum suum esse, si forte hospes quaesiuerit.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἑκάστης τῶν τοῦ ἤθους κακιῶν, τὰ ἔργα, καὶ τὰ σημεῖα, καὶ τὰ ὅμοια: αἰσχρὰ γὰρ, καὶ αἰσχυντηλά.

Similiter autem in singulis alijs morum vitijs, facta, & signa, & similia: turpia enim, & verecundiae affinia.

Vt, quae supra exposuimus, improbã facta, indiciaq;, quae morum labes ac vitia declarant, ita reliqua, inquit, seu opera, quae ab alijs vitijs profecta sint, seu notae, indiciaq; abditorum illorum vitiorum, & quae his rebus similia sunt, ac parem vim habent, pudorem gignunt, atque erubescere faciunt, qui ea committunt: (nec enim nunc omnia singillatim enumerare oportet) meritoq; hoc fieri docet: turpia enim (inquit) sunt, & verecundiam necessario exprimunt: αἰσχυντηλὰ enim, quae vulgo homines verecundantur: quae violare pudorem, dignitatemque existimantur: vt infra. αἰσχυνοῦνται δὲ οὐ μόνον αὐτὰ τὰ ῥηθέντα αἰσχυντηλά: quamuis hic antiquissimus liber habeat ἀναίσχυντα: nec tamen non receptam lectionem probo, sed idem etiam alia re discrepat a ceteris, quod ἀπὸ τῶν ἄλλων habet, vt supra saepe locutus est, non ἐπὶ.

Καὶ ἐπὶ τούτοις, τὸ τῶν καλῶν, ὧν πάντες μετέχουσιν, ἢ οἱ ὅμοιοι πάντες, ἢ οἱ πλεῖστοι, μὴ μετέχειν.

Et praeter haec, rerum honestarum, quarum omnes participes sunt, vel similes omnes, vel plurimi, minime participes esse.

Vt flagitia illa admittere, quae supra commemorauit, non nullaq; alia, quae eius generis sunt, ignominiam affert, ita rerum honestarum, quarum alij omnes participes sunt, aut pares omnes, siue plurimi, expertem esse, dedecus in se habet. Intelligi sane affinem esse alicui culpae, foedum in primis est. Sed etiam vacuum esse ab rebus honestis, & quae dignitatem important ijs, qui ipsis ornati sunt, maculam in se habet, cum praesertim ea obtinuerint, quos appellat. Superiores loci, de ijs, qui inquinati erant aliqua labe, agebant: hic de ijs, qui ornare se, ac decorare non potuerunt.

Ὁμοίους δὲ λέγω ὁμοεθνεῖς, πολίτας, ἥλικας, συγγενεῖς.

Voco autem similes, qui sunt eiusdem gentis, ciuitatis, aetatis, familiae.

Qvos pares similesq; ipse supra vocarit, ne quis scrupulus oriatur, exponit: neq; enim hi omnino vereq; similes sunt: passimq; tot discrimina in ipsis inueniuntur, vt vix similes dici posse videantur: quos tamen ipse nunc, quod ita coniuncti simul sint, similes vocat: pares igitur (inquit) nunc intelligo, qui sunt eiusdem nationis, ciuitatis, aetatis, familiae: inter hos enim praecipue haec cupiditas flagrare consueuit: studentque omnes non relinqui ab alijs in via honorum: nec inferiores esse, si possint, dignitate. Antiquissimus liber, non ἥλικας, vt reliqui, sed ἡλικιώτας habet.

Ὅλως δὲ τοὺς ἐξ ἴσου.

Ad summam autem, qui sunt aequales, aliquo modo.

Demvmqve (inquit) ne singula enumeremus, qui pares aliquo modo sunt: nec longo interuallo separati, sed propinqui, & aliqua re coniuncti, similes appello. Ἐξ ἴσου Demostheni valet aequo iure in oratione de restituendis Rhodijs in libertatem, vbi docet ipsos sua culpa incidisse in ea mala: cum enim liceret illis scoire societatem cum Graecis, ac multo melioribus se ni» hilo deteriore condicione, barbaris se addixerant in seruitutem. Καὶ παρὸν αὐτοῖς Ἕλλησι, καὶ βελ» τίοσιν ὑμῖν αὐτῶν ἐξ ἴσου συμμαχεῖν, & quae sequuntur.

Αἰσχρὸν γὰρ ἤδη τὸ μὴ μετέχειν.

Turpe namque iam est non communicare illis bonis.

Qvod

QVOD enim sua sponte turpitudinem nullam habuisset, turpe incipit fieri, cum e choro aliquis aliorum excluditur, ac rudis earum artium est, quae communes ac peruulgatae sunt: nam Themistocles quoque, vt ait Cicero, cum in epulis recusasset lyram (musicae autem artis studio omnes tunc tenebantur, ac praeclare fidibus canebant) habitus est indoctior: nec non Agoracritus apud Aristophanem in Equitibus queritur, seq; negligentiae damnat, quod ingenuis artibus excultus non sit, vixq; primas litteras didicerit, cum reliqui omnes ciues, qui reipublicae regendae nati erant, optimis studijs operam dedissent: multumq; in omni elegantiore disciplina profecissent. Idem significare voluit Cicero, cum in oratione pro L. Flacco contra improbum, ineptumq; hominem Heraclidem Temnitem dicens, inquit. » Et qui, ita sit ambitiosus, vt » omnes vos, nosque cotidiae persalutet, Temni vsq; ad illam aetatem, in Senatum venire non potuit: non posse enim peruulgatos honores, cum cupidus eorum sis, in patria obtinere, turpitudinem non paruam in se habet.

Οἷον παιδεύσεως ἐπὶ τοσοῦτον, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως.

Veluti eruditione ad partem aliquam, & alijs rebus simili ratione.

TVRPE cum esse dixisset participem non esse quarundam rerum pulchrarum, & quae honori sunt possessoribus, exemplo, cuiusmodi bona intelligeret, indicauit, vt eruditionis: expertem enim penitus esse omnis disciplinae, non est homine ingenuo dignum: qui enim liberaliter educati sunt, primoribus saltem labris bonas artes degustarunt: quod significauit, cum inquit, ἐπὶ τοσοῦτον: neq; enim multis tantum otij est, vt plene potuerint ipsas percepisse: nudum autem omnino earum esse, ignominia est. Et huiuscemodi etiam aliarum rerum, inquit, simili ratione expertem esse, dedecus in se habet. Quod vero in excusis hic antea legebatur, κἂν, deleui: ab omnibus enim scriptis libris abesse animaduerti: nec vetus tralatio expressit.

Πάντα δὲ ταῦτα μᾶλλον, ἂν δι' ἑαυτὸν φαίνηται.

Cuncta autem haec magis, si ipsius culpa visum fuerit, factum esse.

CVM haec omnia sua vi dedecori sint, meritoq; vituperentur, dedecus augetur, si ipse sibi ipsi aliquis harum turpitudinum causa extiterit, nec culpam in alium reicere possit. Nam saepe aliquis angustijs patrimonij, aut inopia magistri, aut molestis quibusdam occupationibus, excusatur. Inquit igitur, cuncta autem haec magis turpia sunt. foedioremq; maculam inurunt, si ipsius culpa euenisse visa fuerint. cuius rei statim rationem reddit. Locum autem hunc, in omnibus excusis ac reliquis scriptis mancum, restitui, auxilio antiquissimi libri: in quo leguntur, quae in alijs defecerunt. Affertur vero verbis illis causa, cur ita fiat: puto enim olim librarium aliquem in exscribendo hoc loco lapsum, quod idem verbum repetitur interiecto fere versu: cumq; superiorem partem scribere deberet, relicta illa, inferiorem scripsisse, atq; inde errorem disseminatum, in multos codices manasse. qui in conferendis veteribus exemplaribus aliquando versati sunt, videre potuerunt oculorum hoc erratum causam fuisse multorum, in antiquis scriptoribus, fragmentorum.

Οὕτω γὰρ ἤδη ἀπὸ κακίας μᾶλλον, ἂν αὐτὸς ᾖ αἴτιος τῶν ὑπαρξάντων, ἢ ὑπαρχόντων, ἢ μελλόντων.

Ita enim iam a vitio magis, si ipse fuerit causa macularum, quae illi haeserunt, vel haerent, vel, vt haereant, futurum est.

SI ita se habuerit, eo iam deducta res est inquit, vt a vitio animi proficisci intelligatur: non iniquitate fortunae, aut aliorum culpa euenisse. cum scilicet ipse ille causa extiterit siue sua negligentia, siue tarditate ingenij, macularum illarum, quas aut olim suscepit, aut tum sustinet, aut quae in eum futuris temporibus casurae sunt.

Πάσχοντες δὲ, ἢ πεπονθότες, ἢ πεισόμενοι, τὰ τοιαῦτα αἰσχύνονται, ὅσα εἰς ἀτιμίαν φέρει, καὶ ὀνείδη.

Verecundantur autem, cum patiuntur, aut passi sunt, aut patientur huiuscemodi quaedam, quae ad ignominiam faciunt, & dedecus.

VERECVNDANTVR (inquit) cum aut tunc perpetiuntur, aut iam perpessi sunt, aut se perpessuros intelligunt, quae ad ignominiam, aut opprobria spectant: pudet enim homines eorum, quae praeteritis temporibus sustinuerunt, si eius generis sint, aut tunc ipsum sustinent: sed illorum etiam, in quae vident postea necessario se incisuros: haec enim quoque, quamuis

adhuc non adsint, tamen erubescere nos cogunt, cum videmus euitari non posse: quae autem sint, explicat.

Ταῦτα δ' ἐστίν, ὅσα εἰς ὑπηρετήσεις, ἢ σώματος, ἢ ἔργων αἰσχρῶν: ὧν ἐστι τὸ ὑβρίζεσθαι.

Haec autem sunt cuncta illa, quae ad ministeria, siue corporis, siue operum turpium, quorum vnum est contumelia imposita.

CVM aliquis, aut corpore, aut foedis muneribus ac ministerijs alicui seruit, ac morigeratur. Quae intelligat, apertum est: nam ὑπηρετεῖν quoq;, quae voluptates corporis efficiunt, suppeditare, & vndiq; conquirere, significat, & obscena deniq; ministeria hoc quoque verbo declarantur. vt in viij. libro de moribus ad Nicomachum, de probis amicis loquens. Καὶ ὅτι δέονται φαύλων, οὐδ' ὑπηρετοῦσι τοιαῦτα.

Καὶ τὰ μὲν εἰς ἀκολασίαν, καὶ ἑκόντα, καὶ ἄκοντα: τὰ δὲ εἰς βίαν, ἄκοντα.

Et quae quidem pertinent ad intemperantiam, & sponte patientem, & inuitum, quae autem ad vim adhibitam, inuitum.

QVID interfit inter ea, quae ad obscenas voluptates referuntur, mala: & quae ad vim adhibitam, docet: quae namque sustinet aliquis ad intemperantiam tendentia, siue volens libensq;, siue inuitus perpetitur, infamiam afferunt: quae ad violentiam pertinent, sustinere inuitum tantum, ignominiae turpitudiniq; affine est: non recusantem sponteq;, maculam dedecusq; non habet: ludentes enim saepe ab amicis, atq; sodalibus caedi nos patimur: nec ob eam rem timidi animi esse existimamur: turpe autem putari, ac dedecoris plenum, inuitum etiam, quae ad libidinem alicuius explendam pertinent, sustinuisse, illustribus exemplis confirmari potest: Pausanias enim, magni animi adolescens, qui adhibita vi turpiter perpessus erat, cum in ignominiam nihilominus se incidisse intelligeret, nec tantam illam contumeliam pati posset, Philippo regi manus attulit: ille enim iniuriam, quam acceperat, vt debebat, vltus non est.

Ἀπὸ ἀνανδρείας γὰρ, ἢ δειλίας ἡ ὑπομονή.

Ab ignauia enim, & timiditate proficiscitur huiuscemodi res perpeti.

REDDIT rationem cur, qui iniquo animo fert, quae a violentia gignuntur, & tamen tolerat, ignominiam subeat: perpeti enim (inquit) inuitum plagas, & huiuscemodi iniurias, ab ignauia, & timiditate proficiscitur: quae scilicet animi humilitas, & ipsa vitium est.

Καὶ τὸ μὴ ἀμύνεσθαι.

Et non dare operam, vt vlciscaris.

ET non vlcisci inquit: contingit enim aliquando eum, cui iniuria infertur, paratum non esse ad vim vi depellendam: nec posse tunc a se impetum aduersarij depellere. Restat igitur, vt ab improbo illo paenas postea capiat sui doloris, si existimationem suam tueri vult, & faciat, vt illum paeniteat suae petulantiae: non vlcisci enim ignaui hominis, & timidi officium est.

Ἃ μὲν οὖν αἰσχύνονται, ταῦτά ἐστι, καὶ τὰ τοιαῦτα.

Quae igitur verecundantur, haec sunt, & huiuscemodi alia.

OSTENDIT se hanc partem absoluisse: & quae mala verecundantur homines, explicauisse, si non omnia: quae maioris certe ponderis sint: posse enim quoque alia huiuscemodi excogitari fatetur.

Ἐπεὶ δὲ περὶ ἀδοξίας φαντασία ἐστὶν ἡ αἰσχύνη: καὶ ταύτης αὐτῆς χάριν, ἀλλὰ μὴ τῶν ἀποβαινόντων.

Quia autem de violata sua existimatione phantasia quaedam est verecundia, atque hac, ipsius gratia, & non eorum, quae inde in nos cadere possunt.

QVORVM hominum pudeat, quos pudet, ostendere vult, nec valde dubitari de his posse tradit, si cognitum bene fuerit, circa quas res verecundia gignatur: nec non alterum etiam quoddam intellectum fuerit, quod affert: nec tamen constituit ipsum, aut probat, sed vt planum certumq; sumit. Quia (inquit) verecundia obuersatio quaedam animi est speciesque,

de igno-

de ignominia: veretur enim, qui ita afficitur, ne apud quempiam existimationem perdat, & affinis alicui flagitio habeatur, & hac ipsa (inquit) ignominia, ipsius tantum causa, non incommodorum eorum, quae inde proueniunt: si quis enim damna existimaret, quae ex ea oriri possunt, alia re sollicitaretur: verecundia tantum molesta est, quod cogitat, in quod dedecus inciderit. Praeterea inquit, quia nemo bonae existimationis, laudisq; studiosus est, nisi ob eos, qui existimant, necesse est homines horum pudere, quorum rationem habent: idest quos magnifaciunt, nec omnino contemnunt.

Οὐδεὶς δὲ τῆς δόξης φροντίζει, ἀλλ' ἢ διὰ τοὺς δοξάζοντας.

Nemo autem curat existimationem, nisi causa illorum, qui existimant.

Hoc alterum illud est, quo egebat, vt concluderet, quod iam expressi, atque indicaui, & ipse statim necessario ex ijs nasci testatur: inquit enim, Nemo autem caram habet bonam existimationem: curamue de ipsa vllam suscipit, nisi propter illos, qui de se existimant: cur enim aliter ipsam quicquam faciat, aut quid illa omnino est sine ijs, qui ita opinantur? neque enim constare sola potest, cum sit opinio excitata in animis aliquorum de alicuius praeclaris factis ac meritis.

Ἀνάγκη τούτους αἰσχύνεσθαι, ὧν λόγον ἔχει.

Necesse est verecundia moueri horum, quos in aliquo honore habet.

Haec est ἀπόδοσις, redditioq; illius ἐπεὶ: positis enim illis, consequitur hoc necessario: vt scilicet verecundia capiat homines eorum tantum hominum, quos in pretio aliquo habeant, quorumq; rationem ducant. nam si excitaretur pudor ob ea, quae inde proueniunt, cum a pueris etiam aliquid boni nobis, aut mali venire possit, quos despicimus: nec existimationem eorum quicquam curamus, verecundia etiam nos eorum tangeret.

Λόγον δὲ ἔχει τῶν θαυμαζόντων, καὶ οὓς θαυμάζει, καὶ ὑφ' ὧν βούλεται θαυμάζεσθαι, καὶ πρὸς οὓς φιλοτιμεῖται, καὶ ὧν μὴ καταφρονεῖ τῆς δόξης.

In honore autem habet eos, qui se admirantur, & quos ipse admiratur, atque illos, quos vult in admirationem sui venire: & cum quibus de honore contendit, quorumq; opinionem non despicit.

Vt omnia explanet, docet, quorum rationem habere homines solent, quorumq; existimationem caram habent, atq; omnino retinere volunt. Rationem igitur habent eorum, qui sui admiratione capti sunt: quod habere aliquid in se eximium putent: & eorum, quos admirantur ipsi, quosq; optant in admirationem sui venire. Illorum etiam, cum quibus de honore, ac dignitate concertant: demumq; omnium, quorum existimationem, ac iudicium non contemnunt.

Θαυμάζεσθαι μὲν οὖν βούλονται ὑπὸ τούτων, καὶ θαυμάζουσι τούτους, οἳ ἔχουσι τι ἀγαθὸν τῶν τιμίων.

Admirationem igitur sui parere volunt in animis horum, & admirantur hos, qui habent aliquod eorum bonorum, quae honore compensantur.

Cvm homines rationem ducere dixerit eorum, qui ipsos, nec non eorum etiam, quos ipsi, admirantur: qui nam ij sint, docet. Admirationem igitur sui apud hos mouere volunt: nec non eosdem ipsi admirantur, qui bonum quodpiam in se habent eorum, quae honore digna iudicantur. Plura autem bonorum genera sunt: nam quaedam τίμια dicunt: alia ἐπαινετὰ, quod laus ipsis tribuitur: tertium genus δυνάμεις vocantur: quartum etiam quoddam extat, quod ὠφελίμων nomine indicatur, quia inde emolumenta capiantur, vtilitatiq; illa nobis in primis sint. Alexander etiam in quaestionibus, quas de moribus scripsit, cum quaereret, ad quod maxime bonorum genus referre voluptatem oporteret, cuncta bona, & ipse complexus est.

Ἢ παρ' ὧν τυγχάνουσι δεόμενοι σφόδρα τινὸς, ὧν ἐκεῖνοι κύριοι. οἷον οἱ ἐρῶντες.

Siue vnde se iuuari posse putent vno quopiam eorum bonorum, quorum valde egentes sunt, quod bonum in ipsorum potestate situm est, veluti amore incensi.

Eos quoque admirantur, a quibus rem aliquam impetrare volunt, quod vehementer egere se illa putant, quae res in eorum manu & arbitrio est. A quibus impertiri sibi ardenter quippiam

cupiunt, cuius illi domini, vt amatores (inquit) ſunt: ipſi enim indigent ad extinguendam flammam amoris, qua flagrant, egregia illa forma: potiriq; ipſa optant, & ab ijs ſolis eam obtinere queunt, quorum in poteſtate eſt: quiq; eius copiam, quibus ipſis viſum fuerit, faciunt: nam colere ſolere amatores amores, ac delicias ſuas, manifeſtum eſt: vnde ſapientum quoq; voces, quae multum tribuerent pulchritudini, celebrantur: Ariſtoteles enim fertur dixiſſe, formam corporis maiorem vim habere ad tradendum alicui commendandumq; hominem, quam accurate ſcripta epiſtola. Socrates vero exigui temporis tyrannidem eandem appellauit. Carneades, & ipſe ſummi ingenij vir, regnum, quod nullis ſpiculatoribus, cuſtodibuſque corporis egeret.

Φιλοτιμοῦνται δὲ πρὸς τοὺς ὁμοίους.

Certant autem de honore cum paribus.

QVIA ſtudia, & concertationes honorum gignuntur inter pares, cum paribus, & ipſi, ſibiq; ſimilibus, de dignitate contendunt.

Φροντίζουσι δὲ, ὡς ἀληθευόντων, τῶν φρονίμων.

Curant autem, vt verum dicentium, ſententiam prudentium.

DVCERE etiam rationem ſupra inquit, eorum, quorũ exiſtimationem non contemnerent: qui igitur hi ſint, quorum iudicium non ſolum non ſpernunt, ſed magni faciunt, exponit. Prudentium igitur, vt vera praedicantium, iudicium ſententiamq; attendunt.

Τοιοῦτοι δὲ οἵ τε πρεσβύτεροι, καὶ οἱ πεπαιδευμένοι.

Huiuſcemodi autem ſunt ſenes, & qui diſciplina imbuti ſunt.

NON piget etiam ipſum, quos prudentes eſſe vulgo arbitrentur, narrare: huiuſcemodi enim (inquit) ſunt ſenes, aut qui bonas artes primoribus ſaltem labris deguſtarint: hi enim πεπαιδευμένοι vocantur: poſſuntq; recte exiſtimare de rebus, cum aut in aliquibus ipſas ſitas vident, aut audiunt quoſpiam de ijſdem diſputantes. quare, quibus fides habeatur, digni ſunt: aut enim aetas, vſusq; multarum rerum, aut diſciplinarum cognitio prudentes homines efficit. Idem
» Cicero tradidit in ij. de Oratore. Qui eſt verſatus in rebus, vel vſu: quem aetas deniq; affert,
» vel auditione & cogitatione: quae ſtudio ac diligentia praecurrit aetatem: videtur enim, cum verſatum in rebus dixit, φρόνιμον intellexiſſe.

Καὶ τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς, καὶ τὰ ἐν φανερῷ.

Et quae ante oculos, & claro loco fiunt.

HIS omnibus explicatis, redit ad ea, quae feciſſe nos, quibusq; in locis pudeat. Ea autem pudorem monere dicit, quae in oculis omnium, ac propalam fiant: cauſa vero huius rei eſſe videtur, quod intelligimus nos plurimos eorum factorum, quorum nos pudet, teſtes ac conſcios habituros. Cum in excuſis hic antea, vnitatis numero, ἐν ὀφθαλμῷ legeretur, vt in antiquiſſimo libro ſcriptum inueni, ad multitudinis reuocaui: quam lectionem confirmat etiam vetus tralatio: hoc praeterea in eodem optimo exemplari varietatis inueni, quod ἐν φανερῷ μᾶλλον, illic eſt: nec tamen extremum, quod in eo additum eſt, verbum exprimit ea tralatio.

Ὅθεν καὶ ἡ παροιμία. τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ.

Unde prouerbium quoque. In oculis ſitum eſſe pudorem.

HINC natum eſt prouerbium, inquit, vt cum maxime nos pudeat eorum, quae fiunt in publico, atque omnibus inſpectantibus, in oculis pudor habitare dicatur. Ad hoc prouerbium reſpexit Apollonius Rhodius, cum Venerem cum Iunone, ac Pallade loquentem ita induceret (querebatur autem illa de inuerecundo ingenio filij, dolebatq;, ſe apud eum parum, aut nihil,
» auctoritatis habere: quare hortatur, vt ipſe munere illo apud eum fungantur.) Ὑμείων γὰρ,
» ἀναιδείτῳ περ ἰόντι Τυτθήν αἰδῶς ἴσσιτ' ἐν ὄμμασιν, αὐτὰρ ἐμοῖο Οὐκ ὄθεται.

Διὰ τοῦτο τοὺς ἀεὶ παρεσομένους μᾶλλον αἰσχύνονται, καὶ τοὺς προσέχοντας αὐτοῖς: διὰ τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς ἀμφότερα.

Et hanc ob cauſam eos, qui perpetuo cum ipſis in ijſdem locis manſuri ſunt, magis verentur, atque illos, qui attendunt ipſos, quia ambo haec ante oculos ſunt.

QVIA

QVIA (inquit) ea, quae ante oculos omnium fiunt & in illustri loco: luceq; demum, non tenebris, veremur, inde fit vt eos, qui nusquam discessuri sint: nobiscumq; semper in ijsdem locis futuri, magis vereamur: omnibus enim temporibus, atque horis aspectu suo, quasi obijciunt nobis, quod flagitij admisimus: quod metui non potest de ijs, qui alio profecturi postea sunt: ad tempus enim tantum molesti nobis sunt, cum obuersantur nobis, conscij nostrae turpitudinis: nec semper, vt illi, exprobrare nobis veterem maculam queunt: nec non pudore etiam eorum magis corripiamur, qui diligenter attendunt quidquid a nobis fiat: qui enim, quamuis non longe abessent, alio oculos conuerterent: nec magnopere, quid a nobis fieret, curarent, vereri non oporteret: sunt autem ambo haec, vt ipse tradit, eius generis, quod iam docuit pudorem exprimere: idest sunt sita ante oculos.

Καὶ τοὺς μὴ περὶ ταῦτα ἐνόχους· δῆλον γὰρ ὅτι τἀναντία δοκεῖ τούτοις.

Et eos, qui eisdem rebus affines non sunt: perspicuum enim est eos contrario modo, atque hi faciant, sentire.

PVDET etiam homines eorum, quos sciunt ijsdem culpis minime obnoxios esse: cuius rei rationem reddens, inquit: perspicuum enim est, eadem studia ipsos non sequi ac probare, neque de rebus illis eodem pacto sentire. Omnis autem hic locus valde deprauatus erat: ipse secutus auctoritatem plurium scriptorum codicum: eiusq; in primis, quem omnium fidelissimum expertus sum, ita emendaui: idest verba illa, quae omnem sententiam corrumpebant, ex eo loco, in quem importune irrepserant: sustuli &, in quo desiderari videbantur, paululum immutata, collocaui: cum enim antea in cunctis excusis legeretur: Δῆλον γὰρ τοῖς φαινομένοις ἁμαρτάνειν τἀναντία δοκεῖν τούτοις, καὶ τοὺς μὴ συγγνωμονικούς: ἃ γὰρ: & quae sequuntur, ita scribi volui: restituta autem haec a me lectio, testimonio quoque veteris tralationis confirmatur, in qua est idem ordo verborum.

Καὶ τοὺς μὴ συγγνωμονικοὺς τοῖς φαινομένοις ἁμαρτάνειν.

Et eos, qui non sunt propensi ad ignoscendum illis, qui visi fuerint peccare.

CVM diuersa hominum ingenia sint: quidam enim lenes facilesq;: quidam autem asperi ac duri, eos praecipue verentur, qui vix vmquam cuiusquam delicto ignoscere consuerunt: & minime procliues ad ignoscendum sunt. μὴ συγγνωμονικὸν, vel συγγνώμονα potius significauit Cicero, cum in oratione pro L. Muraena, de decretis Stoicorum loquens: quomodoque illi sapientem
» suum fingerent, declarans, inquit. Neque cuiusquam delicto ignoscere. Virgilius, cum faciles nymphas appellauit, συγγνωμονικὰς intellexit.

Ἃ γάρ τις αὐτὸς ποιεῖ, ταῦτα λέγεται τοῖς πέλας οὐ νεμεσᾶν· ὥστε ἃ μὴ ποιεῖ, δῆλον ὅτι νεμεσᾷ.

Quae namque aliquis ipse facit, haec fertur in alijs minime accusare: quare, quae non facit, planum est in alijs reprehendere.

HAEC ad superiorem locum pertinere videntur: causamq; reddere, cur homines vereantur illos, qui ijsdem flagitijs affines minime sunt: vt enim (inquit) vulgo fertur, nemo ea, in quibus ipse volutatur, alij crimini dare consueuit. quare a contrario, cum ipse nihil eorum gerat, manifestum est in alijs ea grauiter reprehensurum: peruulgatam vero vocem hanc fuisse puto, & prouerbij loco celebrari solitam: testimonio enim eius confirmat, quod vult Aristoteles: est autem duriusculum, antequam rationem prioris reddiderit, alium huc locum inculcasse: non nulla etiam hic variaui: οὐ νεμεσᾶν enim, consensu omnium scriptorum librorum, restitui, cum μὴ νεμεσᾶν, excusi antea haberent: quamuis autem eadem notio vtriusq; particulae sit, exiguum tamen hoc scripturae discrimen non neglexi, si forte ita celebris illa vox proferebatur: & paulo post. ἃ μὴ ποιεῖ, easdem auctoritates secutus: cum ἂν μὴ ποιῇ antea excusi haberent.

Καὶ τοὺς ἐξαγγελτικοὺς πολλοῖς· οὐδὲν γὰρ διαφέρει μὴ δοκεῖν, ἢ μὴ ἐξαγγέλλειν.

Et eos, qui procliues sunt ad aperienda narrandaque, quae nouerint, multis: nullum enim discrimen est inter non videri sibi, & non indicare.

EOS etiam verentur, qui, quod viderunt, parum ipsis probatum, libenter commemorare solent, ac multis prodere. a contrario hoc quoque probat, dicens: peccata namque flagitiaq; aliorum

occulere ac reticere, perinde est atque iudicare illa peccata non esse: parum enim, aut nihil refert illorum, qui in aliquo facinore deprehensi sunt, non videri sua illa, existimariq; peccata, aut alijs non enuntiari: intelligunt enim, nisi diuulgata illa fuerint, se non existimationem perdituros: neq; periculum legum magistratuumq; subituros.

Ἐξαγγελτικοὶ δὲ, οἵ τε ἠδικημένοι, διὰ τὸ παρατηρεῖν.

Facti autem sunt ad indicandum illi, qui iniuriam acceperunt, quia semper seruant.

Qui libenter commemorent, quae turpitudinem alijs, aut periculum adlatura sint, exponit. huiuscemodi igitur sunt, qui ab ijs iniuriam acceperunt, quia semper eos adseruare solent, &, quid ab ipsis fiat, animaduertere. quare cum ipsos nihil fallat, multum hac in re nocere possunt: de animo enim ipsorum, cum iniuria laesi a nobis sint, dubitari non potest.

Καὶ οἱ κακολόγοι: εἴπερ γὰρ καὶ τοὺς μὴ ἁμαρτάνοντας, ἔτι μᾶλλον τοὺς ἁμαρτάνοντας.

Et maledici: si namque qui nihil peccarunt, maledictis incessunt, adhuc magis eos, qui peccant.

Maledici etiam hoc faciunt: comprobat autem hos edere in vulgus, quae acceperint, argumentatione ex minore. Cum enim morem habeant, eos quoq;, qui nihil peccarunt, ob vitium animi, ac maleuolentiam infamia respergere: quanto magis eos, qui aliquid flagitij admiserunt, insectabuntur? Hoc autem genus hominum solere probos quoq; & honestos viros maledictis lacessere, nomen ipsum declarat: si improbos enim tantum, ac sontes verbis vexarent, non ita vocarentur: neque maledici forent: vitium enim id nomen significat.

Καὶ οἷς ἡ διατριβὴ ἐπὶ ταῖς τῶν πέλας ἁμαρτίαις. οἷον χλευασταῖς, καὶ κωμῳδοποιοῖς.

Et illis, qui studium hoc habent: tempusq; terunt in perscrutandis proximorum peccatis. quales sunt derisores, & comici poëtae.

Ii etiam peccata aliorum proferunt, ac libenter narrant, qui diligentiam ponere solent, in colligendis peccatis proximorum, ac paene in hoc studio totum diem consumunt. vt sunt derisores hominum, & qui hanc artem habent, vt risum scurrilibus dictis moueant: nec non comici poëtae: nam ij quoq; (inquit) maledici quodammodo sunt, ac flagitia hominum peruulgant. Veteris autem appellatae comaediae, poëtas intelligit: hi enim in insectandis peccatis, sceleribusq; aliorum toti occupati erant, ac fabulas plenas probrorum in innocentissimos etiam homines docebant, vt Horatius quoq; noto carmine testatur.

Κακολόγοι γάρ πως οὗτοι, καὶ ἐξαγγελτικοί.

Maledici enim aliquo modo hi sunt, & facti ad alijs indicandum.

Maledici enim ij quoque aliquo modo sunt, inquit, ac flagitia hominum peruulgant: & derisores (inquam) & comici poëtae multum retinent eius naturae, qua qui praediti sunt, maledici vocantur: nec tamen illi ipsi omnino sunt: maledici enim vnum illum finem habent infamandi alios: & ob ingenij prauitatem eo studio tenentur: hi risum alijs mouere, atque ipsos oblectare volunt: &, quia in quibus aliqui lapsi sint, audire, culpasq; ipsorum, ac flagitia detegere, non paucos capit, ideo & ipsi in ijsdem rebus volutantur.

Καὶ ἐν οἷς μηδὲν ἀποτετυχήκασιν: ὥσπερ γὰρ θαυμαζόμενοι διάκεινται.

Et coram quibus nullo vmquam suo fine deiecti sunt: tamquam enim in admiratione apud hos sunt.

Eos quoque verentur, inquit (postquam enim exposuit, qui sint ἐξαγγελτικοί, redit ad hos indicandos, quos vereri maxime homines solent) apud quos numquam antea lapsi sunt, sed contra, quidquid voluerunt, facile obtinuere. Huius rei causam reddens, inquit: ij enim in admiratione apud hos sint, necesse est, cum ab ijs omnia sua desideria impetrare potuerint, ac repulsam numquam passi sint: nollent enim eos, quod de se praeclarum iudicium fecerunt, mutare: &, contra sentire, incipere. quare horum etiam homines ipsos pudet.

Διὸ καὶ τοὺς πρῶτον δεηθέντας αἰσχύνονται.

Qua

Qua de causa illos quoque, qui primum ab ipsis aliquod petierunt, verentur.

ET haec causa est, inquit, cur vulgo verentur, ac pudet homines denegare ijs, qui primum quippiam postularunt: vnde enim id fiat, intelligitur, euoluta superiori re, causaq; ipsius explicata: habet enim hoc quoque eundem fontem: quod scilicet existimationem amittere homines aegre ferunt: est autem hoc tamquam corollarium quoddam.

Ὡς οὐδὲν πω ἠδοξηκότες ἐν αὐτοῖς.

Quasi numquam partem vllam suae bonae existimationis apud eos amiserint.

OMNIS hic locus aliquid in se obscuritatis habet: augetur autem difficultas, verum inde sensum eliciendi, quia non eodem modo in omnibus libris legitur. antiquissimus, quem, vt certiorem ducem, secutus sum, ἠδοξηκότες habet: apertior enim notio haec videtur, & egregie respondet superiori sententiae, vt dixerit. Vt qui adhuc nihil commiserint, vnde voluntatem eorum a se abalienarint, atq; existimationem apud ipsos perdiderint: ac notam denique atque infamiam vllam subierint, vt necessario facerent, nisi, quod illi petunt, concederent: auari enim & parum eorum amantes ab illis iudicarentur. Quod si ἠξιωκότες, vt in excusis, & maiore parte scriptorum legitur: hic (vt arbitror) sensus, non omnino incommodus, durior tamen, hinc ducetur. Vt qui nihil adhuc effecerint, vnde sibi eorum animum gratiamq; conciliare potuerint: vel nihil gesserint, vnde se studiosos viros esse, atq; eorum cupidos, ostenderint.

Τοιοῦτοι δὲ, οἵ τε ἄρτι βουλόμενοι φίλοι εἶναι.

Huiuscemodi autem sunt, qui modo nobis amici fieri volunt.

HVIVSCEMODI sunt, & qui modo cupiunt, requiruntq; amici nobis fieri: idest, quibus paulo ante innatum desiderium est amicitiam nostram aucupandi: huiuscemodi autem, vt scilicet existimationem apud illos nulla in re amiserimus.

Τὰ γὰρ βέλτιστα τεθέανται.

Spectarunt enim, quae optima in nobis sunt.

CONSPEXERVNT enim, quae optima in nobis sunt: indeq; in animis eorum cupiditas illa excitata est, vt siqua forte habeamus, quae vitio non careant, aut turpia sint, non cognorint. Damus igitur operam, ne ipsi quicquam nos intelligant facere, vt tam bona existimatio de nobis, immutetur.

Διὸ εὖ ἔχει ἡ τοῦ Εὐριπίδου ἀπόκρισις πρὸς τοὺς Συρακουσίους.

Quapropter verum est, meritoq; probatur responsum Euripidis ad Syracusanos.

IN hanc historiam numquam incidi: quae autem a Graeco interprete traduntur, ficta (vt arbitror) & commenticia sunt: consueuit enim, cum aliquid ignorat, audacter fingere: nedum enim ille, quod abditum est, aliunde, studio & diligentia eruere possit: ea etiam, quae satis nota & peruulgata sunt, saepe ignorat: minutas vero quasdam huiuscemodi res ab auctoribus, qui supersunt rerum, non narrari, mirum videri non debet. Syracusanos, reliquosq; Siculos fabulis Euripidis valde delectatos esse, ac carmen ipsius studiose conquirere, ac perdiscere solitos, ostendit Plutarchus in Nicia. Quare ingenio suo elegantissimus poëta absens multis saluti fuit, post res aduersas Atheniensium in Sicilia: qui enim in manus hostium viui venerunt, siquid Euripidis recitare potuissent, liberaliter tractabantur, ac salui etiam domum dimittebantur: alij etiam, qui e proelio aufugerant, cum in insula errarent, quo vitam perducerent, carmina Euripidis canendo, sibi feruntur comparasse.

Καὶ τῶν πάλαι γνωρίμων, οἱ μηδὲν συνειδότες.

Et veterum familiarium, qui nullius nostrae culpae conscij sunt.

INTELLIGI hic ἀπὸ κοινοῦ debet, τοιοῦτοι εἰσί: respondetq; manifesto pars haec superiori illi, cum inquit, οἵ τε: quis enim non videt sententiam illam imperfectam esse, atque aliud membrum requiri. Nec solum tenemus animos voluntatesq; eorum, qui cum vsu nullo coniuncti antea nobiscum forent, nuper amicitiam nostram expetere coeperunt, sed veterum etiam familiarium, qui nullius rei, quae iure optimo reprehendi possit, nobis conscij sunt: nihilque a nobis geri viderunt, quod improbum haberi debeat: partam enim horum quoque opinionem cupimus retinere.

Αἰσχύνονται δ' οὐ μόνον αὐτά, τὰ ῥηθέντα αἰσχυντηλά, ἀλλὰ καὶ τὰ σημεῖα. οἷον οὐ μόνον ἀφροδισιάζοντες, ἀλλὰ καὶ τὰ σημεῖα αὐτοῦ.

Verecundantur autem non solum ob ea, quae dicta sunt esse verecundiae affinia, verum etiam ob signa eorum. ceu non solum concumbentes, verum etiam deprehensi in signis ipsius.

VERECVNDANTVR autem non solum ea, quae tradita a nobis sunt, obscena ac pudorem mouentia, verum etiam signa, atque indicia eorum. Exempli causa (inquit) non tantum concumbentes, sed etiam, quae notae, signaq; huius rei sint, facientes. Vt apud Terentium Adelphis Aeschinus erubuit, cum vidit patrem, hostium impudicae domus pulsasse ipsum, intellexisse: culpamq; inficiando a se remouere conatus est: nec tamen fores pulsasse crimen fuit, sed quia indicium erat meretriciae consuetudinis. quod etiam Micio expressit, cum simulans se id credere, inquit. » Ita: nam mirabar, quid hic negotij esset tibi. Cum vero in excusis hic antea σημεῖα αὐτῶν legeretur, secutus fidem antiquissimi libri, vnitatis numero, αὐτοῦ emendaui.

Καὶ οὐ μόνον ποιοῦντες τὰ αἰσχρά, ἀλλὰ καὶ λέγοντες.

Et non solum facientes, quae turpia sunt, verum etiam dicentes.

NEC solum (inquit) pudore corripiuntur, cum obscena ac turpia faciunt, sed etiam cum loquuntur. an quia obsceni sermones indicia inquinatae mentis ac turpis vitae sunt? & qui turpiter loquuntur, ijdem etiam turpiter plerunq; faciunt? quod intelligens Isocrates in commen » tario ad Demonicum, in quo multa praecepta ad vitam vtilia scripsit, inquit, ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, ταῦ » τα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν: suasit enim disertus vir, vt ab illis quoque dicendis se abstineret, quae factu turpia esse duceret.

Ὁμοίως δὲ οὐδὲ τοὺς εἰρημένους αἰσχύνονται μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς δηλώσοντας αὐτοῖς. οἷον θεράποντας, καὶ φίλους τούτων.

Similiter autem neque solum dictos homines verecundantur, verum etiam illos, qui valeant ipsis aperire. veluti famulos, & amicos horum.

QVEMADMODVM non flagitiorum tantum homines pudet, sed etiam signorum, quae indicent ipsa flagitia, ita etiam inquit, non hominum tantum, qui supra appellati sunt, ipsos pudet, sed etiam eorum, qui rem, quemadmodum facta sit, ijsdem illis aperire, & ostendere possint. vt serui illorum ac famuli sunt: demumq; amici omnes ac familiares: quod enim in rebus seruatur, id etiam in personis custoditur: res enim quoq; non nullae detegere multa, & aperire solent, vt, quae supra signa, & indicia appellauit. quod si res cauendae sunt, multo magis homines, qui exquisite cuncta narrare, singillatimq; possunt. Cum autem hic antea legeretur in omnibus excusis, & quibusdam scriptis codicibus, δηλώσοντας αὐτῶν, emendaui dandi casu αὐτοῖς: ita enim habet antiquissimus liber: sed huius quoque lectionis vestigium retinet vetus tralatio.

Ὅλως δ' οὐκ αἰσχύνονται, ὧν πολὺ καταφρονοῦσι τῆς δόξης τοῦ ἀληθεύειν.

Ad summam autem non verecundantur, neque eos, quorum valde contemnunt opinionem, ne verum dixisse putentur.

CVM, quos verentur, exposuerit, quorum etiam homines minime pudet, docet. Non pudet igitur, inquit, neq; eorum, quorum opinionem valde despiciunt, quod ad veritatem attinet: nec fieri posse putant, vt verbis ipsorum fides habeatur: cur enim spectantibus ijs res etiam obscenissimas facere timeant, quorũ testimonium nihil sibi nocere posse putant? gignitur enim pudor ob metum infamiae: securo autem animo ab ijs sunt, quos fide apud omnes carere sciunt. Cum autem in excusis codicibus antea πολλοὶ legeretur, πολύ, secutus fidem antiquissimi libri, emendaui: castigationem autem hanc multum adiuuat, quod in primo libro, vbi de rebus iucundis disserit, & ijsdem prope verbis totam rem explicat, πολύ & scriptum est, & scribi necessario debet.

Οὐδεὶς γὰρ παιδία καὶ θηρία αἰσχύνεται.

Nemo enim puerulos & beluas verecundatur.

VSVS est ad rem docendam exemplo satis certo: & quod dubitationem nullam habet: neque tamen puerulorum tantum, beluarumque praesentia negligitur; cum aliquid turpitudinis admittitur, sed etiam hominum non nullorum, qui nullius existimationis sunt: & mendaces vulgo putantur.

Οὔτε τὰ αὐτὰ τοὺς γνωρίμους, καὶ τοὺς ἀγνῶτας: ἀλλὰ τοὺς μὲν γνωρίμους, τὰ πρὸς ἀλήθειαν δοκοῦντα: τοὺς δὲ ἄπωθεν, τὰ πρὸς τὸν νόμον.

Neque ob easdem res notos sibi homines, & ignotos: sed notos ob eas, quae videntur ad veritatem: alienos autem ob illas, quae ad institutum, & opinionem.

SVNT quaedam res, quas se facere, nollent familiares, notosq; scire: sunt aliae contra, quas caelare cupiunt ignotos, externosq;: nam, quae ad veritatem turpia sunt, iniquo animo ferunt, cognosci ab suis, amicisq;: ab externis autem hominibus, quae ad opinionem sunt: quid intelligat, facile percipi potest. sed de hoc etiam supra accuratius disputatum est. Appellat vero hic πρὸς νόμον, quae antea πρὸς δόξαν vocarat: νόμος namque Graecis existimatio etiam est, & iudicium, quo intellectu sumebatur ab illis, qui aiebant. νόμῳ χροιὴν εἶναι: νόμῳ γλυκύ, idest colores ex opinionibus, ac iudicijs hominum: itidem etiam sapores, non ex veritate, quae nulla est in his rebus, perpendi debere: cuius in primis sententiae Democritus fuit: id autem expressit Cicero in primo libro Academicarum ad Varronem, cum, de illo ipso loquens, inquit, » Opinionibus & institutis omnia teneri. Eodem pacto locutus est Laërtius in Pyrrhone, cum ita quoque illum de humanis rebus omnibus sensisse ostenderet. Καὶ ὁμοίως ἐπὶ πάντων μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ: νόμῳ δὲ καὶ ἔθει πάντα τοὺς ἀνθρώπους πράττειν. Quia igitur visum non nullis est, quaedam turpia & foeda habentur, quae huiuscemodi non sunt, vt ipsemet docet in iiij. libro de moribus ad Nicomachum: quamuis illic πρὸς δόξαν appellet, quae hic πρὸς νόμον. Idem tamen eodem verbo alijs in locis eodem intellectu vsus est, vt in v. eorum librorum, vbi de vi huius vocabuli νόμισμα disputat. ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί: totam autem rem aperit in libro σοφιστικῶν ἐλέγχων: declaratq; νόμον valere morem institutumq;: quod ex hominum iudicijs, opinionibusq; pendet: ὁ γὰρ νόμος δόξα τῶν πολλῶν.

Αὐτοὶ δὲ, ὧδε διακείμενοι, αἰσχυνθεῖεν ἄν: πρῶτον μὲν, εἰ ὑπάρχοιεν πρὸς αὐτοὺς ἔχοντες οὕτω τινὲς, οἵους ἔφαμεν εἶναι, οὓς αἰσχύνονται.

Ipsi autem, ita affecti, erubescerent: primum quidem, si non desunt ipsis aliqui, qui erga ipsos, ita affecti sint, quales diximus esse, quos verentur.

CVM & quas res, & quos homines vereantur, narrauerit, qui sint ij, qui pudore corripiuntur, exponit. Verecundari igitur (inquit) primum quidem, si forte aliqui se habuerint erga ipsos sic: qui huiuscemodi sint, quales diximus supra esse, quorum verecundia mouentur.

Ἦσαν δὲ οὗτοι, ἢ θαυμαζόμενοι, ἢ θαυμάζοντες, ἢ ὑφ' ὧν βούλονται θαυμάζεσθαι, ἢ ὧν δέονται τινα χρείαν, ὧν μὴ τεύξονται, ἄδοξοι ὄντες.

Fuere autem hi, siue qui admirationi apud ipsos sunt, siue qui admirantur ipsos, siue apud quos student in admirationem venire: siue quorum opera egent in vsu quarundam rerum, quas non impetrarent, si existimationem amisissent.

QVAMVIS non multo antea hos indicarit, vt ipse met testatus est, tamen repetit, qui sint: quattuor autem hic genera hominum appellat: aut qui in admiratione eorum sunt: aut qui ipsos admirantur: aut quos optant admiratione sui capi: aut a quibus volunt praeberi sibi, quae non obtinerent, si existimationem amisissent, atque infames ab ipsis haberentur. Supra, cum explicaret, qui nam potissimum forent, quos vellent admiratione sui capi: quosq; admirarentur, hos etiam enumerauit, quos hic quartos appellat: quartum autem illic expositum genus hominum, cum hic omittat, infra ponit.

Καὶ οὗτοι, ἢ ὁρῶντες.

Atque hi quidem, siue praesentes adsint, ac cernant.

HI quoque, inquit (intelligit autem, quos appellauit) aut cernant oportet, aut prope sint: tunc enim pudor in nobis excitatur. quod si magnis interuallis locorum a nobis ijdem diiuncti forent, illorum nos minime puderet: hanc enim veram lectionem puto: vt inferiori parti respondeat.

respondeat. ἢ ἂν πλησίον ὦσιν οἱ τοιοῦτοι, cum tamen in excusis antea perperam legeretur. καὶ ἔτι οἱ ὁρῶντες: scripti quoque libri, & vetus tralatio, ita legendum confirmant.

Ὥσπερ Κυδίας περὶ τῆς Σάμου κληρουχίας ἐδημηγόρησεν: ἠξίου γὰρ ὑπολαβεῖν τοὺς Ἀθηναίους περιεστάναι κύκλῳ τοὺς Ἕλληνας, ὡς ὁρῶντας, καὶ μὴ μόνον ἀκουσομένους, ἃ ἂν ψηφίσωνται.

Veluti Cydias de Sami diuisione verba fecit: postulauit enim ab Atheniensibus, vt proponerent sibi vniuersos Graecos pro corona stare, ita vt spectarent, & non solum audituri essent, quae decreuerint.

CYDIAS, nobilis orator, cum persuadere vellet Atheniensibus, ne Samiorum agros ciuibus suis diuiderent, doceretq; rem illam turpem esse, ac ciuitati perpetuam maculam inusturam, vt facilius pudorem ipsis exprimeret, postulauit, vt mentibus suis cogitarent, vniuersos Graecos pro corona stare, vt qui non solum audituri forent, quae ab ipsis decernerentur, sed etiam praesentes spectaturi: ita enim facilius putauit, ipsos ab incepto se reuocaturum. Κληροῦχοι appellabantur, quos Athenienses mittebant in victas vrbes: locaque bello capta, tamquam colonos, quod singulis certus modus agri diuideretur, atque assignaretur, vocati: κληρουχία vero res ipsa dicebatur. κληροῦχοι a Cicerone agripetae, vel agrarij vocantur, in primo de natura deorum, cum de Epicuro loqueretur, & hanc ipsam, de qua orationem habuit Cydias, diuisionem agrorum intelligeret, inquit. Pamphilum quendam, Platonis auditorem, ait a se Sami auditum: ibi enim adolescens habitabat cum patre, & fratribus, quod in eam pater eius Neocles agripeta venerat. Laërtius in Epicuro eandem historiam prodidit. τοῦτον φασὶν ἄλλοι τε καὶ Ἡρακλείδης ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ, κληρουχησάντων Ἀθηναίων τὴν Σάμον, ἐκεῖ τραφῆναι. Rem autem hanc odiosam, valdeq; exagitatam fuisse, atque ipsis non parum dedecoris afferre solitam, declaratur etiam testimonio Isocratis, qui in panaegyrico ciues suos de hoc purgat, & tamquam crimine ingenti liberat: docet enim populos, quo mittebantur agrarij, debuisse potius gratias ob eam rem agere Atheniensibus, quam κληρουχίας has ipsis exprobrare, quod in deserta oppida: vacuaq; ab hominibus, eos mitterent, ob custodiam eorum locorum, non studio augendi imperij, aut suorum vllorum commodorum causa.

Ἢ ἂν πλησίον ὦσιν οἱ τοιοῦτοι, ἢ μέλλωσιν αἰσθήσεσθαι.

Vel si prope fuerint huiuscemodi, aut sentire debeant.

AVT si (inquit) hi propinqui sint: demumq; percipere rem ac sentire debeant: neque enim verecundia tantum afficimur ob eos, qui adsunt ac praesentes sunt, sed ob remotos etiam, nisi illi magno spatio terrarum dijuncti sint, atque in ijs locis positi, vt res ad eorum aures peruentura non videatur: tunc enim non erubescimus.

Διὸ καὶ ὁρᾶσθαι ἀτυχοῦντες ὑπὸ τῶν ζηλούντων ποτὲ, οὐ βούλονται: θαυμασταὶ γὰρ οἱ ζηλωταί.

Quae causa est, vt aspici nolint, qui aduersis rebus premuntur, ab illis, qui aliquando ipsos suspexerunt, ac fortunatos iudicarunt: qui enim tam praeclare de aliquo sentiunt, ijdem eum admirantur.

VNDE videmus (inquit) homines, qui aduersis rebus premuntur, ac miseri facti sunt, conspici nolle ab ijs, qui quondam ipsos fortunatos iudicarunt: qui enim tam praeclare de aliquo sentiunt (rationem enim hanc eius rei affert) ijdem eum admirantur: in tam mala autem fortuna collocatum admirari amplius non possunt. nollent igitur immutari in animis aliorum egregiam, praestantemq; de se opinionem. Hecuba apud Euripidem, cum Polymestore, Thracum rege, loquens, consilium suum vlciscendi Polydorum, ope huius sententiae, texit: cum enim rectis oculis eum, vt interfectorem filij, spectare non posset, finxit, se pudore ac verecundia impeditam, humi oculos tenere: quod nollet, se ab eo, qui ipsam beatam quondam vidisset, in tanta miseria constitutam aspectari. Idem etiam egregie expressit Cicero in peroratione pro L. Muraena. Ibit igitur in exilium miser. quo? ad Orientis ne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit? at habet magnum dolorem, vnde cum honore decesserit, eodem cum ignominia reuerti.

Καὶ ὅταν ἔχωσιν ἃ καταισχύνουσιν, ἔργα καὶ πράγματα, ἢ ἑαυτῶν, ἢ προγόνων.

Et quando habuerint, quae dedecorant, opera & res in semet ipsis, siue in maioribus.

Nec non pudeat homines necesse est, cum habent, quae dedecorant, labemque aspergunt: aut in sua, aut in parentum, maiorumque suorum, ac propinquorum persona: nam magnum ruborem filijs afferre, ac paene omnem libertatem ipsis eripere, quamuis fidenti animo, vel audaci potius, praediti sint, improba foedaq; parentum facta, testata etiam est Phaedra, non omnino pura atq; integra mulier, apud Euripidem in Hippolyto coronato his verbis. » δουλοῖ γὰρ ἄνδρα, κἂν » θρασύσπλαγχνός τις ᾖ, Οταν συνειδῇ μητρὸς, ἢ πατρὸς κακά. Animaduertendum autem accurate, quid intersit inter ἔργα, & πράγματα: non enim arbitror idem omnino vtrunq; verbum significare. an ἔργα praeterita opera, ac facta vocauit, quae ex ipsorum turpi vita, sceleratisq; facinoribus in memoria hominum restiterint: πράγματα vero res, negotiaq;, quae ab ipsis gerantur, ac tunc ipsum administrentur. Antiquissimus liber idem verbum diuerso modo ac tempore habet: non enim καταισχύνουσιν, vt excusi, sed καταισχύνωσιν in eo legitur.

Ἢ ἄλλων τινῶν, πρὸς οὓς ὑπάρχει τις αὐτοῖς ἀγχιστεία.

Siue in alijs quibusdam, cum quibus ipsis sit propinquitas quaedam.

Aut aliorum quorundam, quicunque illi sint, quibus cum necessitudine aliqua coniuncti sunt: quique, si flagitium aliquod admiserint, redundat etiam in ipsos, cum arcta coniunctio illa sit, aliquid maculae, atq; infamiae. ἀγχιστεία propinquitas est.

Καὶ ὅλως ὑπὲρ ὧν αἰσχύνονται αὐτοί.

Demumque super quibus erubescunt ipsi.

Et, vt breuiter omnes complectamur, cum has maculas in ijs vident, quorum infamiam putant ad se pertinere, quos cum turpitudinis aliquid admittere sciunt, ipsi etiam pudore afficiuntur.

Εἰσὶ δὲ οὗτοι, οἱ εἰρημένοι, καὶ οἱ εἰς αὐτοὺς ἀναφερόμενοι, ὧν διδάσκαλοι, ἢ σύμβουλοι γεγόνασι.

Sunt autem hi, qui dicti sunt, & qui ad ipsos referuntur: quorum magistri, vel consiliarij extitere.

Hi autem sunt, scilicet, ὑπὲρ ὧν αἰσχύνονται, qui supra explicati sunt, vt maiores, cognatique, nec non ij quoque, qui ex ipsis pendent: idest, quorum magistri, consiliarijque fuere: si enim qui disciplinam & artem ab aliquo accepit, aliquid sceleris molitur, ea res non eum tantum, verum etiam auctorem disciplinae illius, & qui artem tradidit, deturpat: vnde non defuere, qui Platonem insimularent, quod ex ipsius schola prodijsset interfector hospitis, summi viri, Calippus: quamuis ipse, se purgans, docuerit aliunde in familiaritatem Dionis venisse impurum illum, & nefarium hominem, nec vmquam in familia sua fuisse: Polycrates quoque sophistes accusationem Socratis scribens, ipsi, vt probrum obiecit, quod Alcibiadem, turbulentum & inutilem reipublicae ciuem, auditorem habuisset. Eadem ratio est consiliariorum: ipsi enim quoque praestare debent, quae a consultoribus gerantur. Varietatis hoc est in antiquissimo libro, quod particulam, quae dijungit, interiectam etiam habet, inter ἀναφερόμενοι, & consequens verbum: vt ita illic legatur. ἢ ὧν διδάσκαλοι, ἢ σύμβουλοι γεγόνασι.

Καὶ ἐὰν ὦσιν ἕτεροι ὅμοιοι, πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται.

Et si fuerint alij similes, cum quibus de dignitate contendunt.

Ii etiam facile pudore corripiuntur, qui pares aliquos similesq; habent, cum quibus de honore, ac dignitate contendunt: metus enim, qui numquam ipsos relinquit, ne dignitate superentur ab ijs, qui in eodem cursu sunt, vigilantiores ipsos facit, & ad omnem infamiae opinionem fugiendam accuratiores. Quartum autem hoc genus est eorum, quae appellauit, cum supra, qui forent, quorum rationem homines ducerent, enumerauit: quod genus hominum paulo ante reliquit, cum cetera repetiuit. Initio quoque huius loci eadem, quae dijungit, particula est, non quae vincit ac copulat, in eodem exemplari.

Πολλὰ γὰρ αἰσχυνόμενοι διὰ τούτους, καὶ ποιοῦσι, καὶ οὐ ποιοῦσι.

 Multa

Multa namque pudore correpti propter huiuſcemodi homines, & faciunt, & minime faciunt.

MVLTA enim faciunt (inquit) propter hos: verecundia eorum commoti: multaq; eadem de cauſa, quae feciſſent, niſi illi fuiſſent, non faciunt. Bono igitur eſt hominibus honeſta haec aemulatio, atq; honorum contentio: qui enim in nobis gignitur ob hos pudor, reuocat nos ſaepe ab improbis factis, ad honeſtaq; ac recta impellit.

Καὶ μέλλοντες ὁρᾶσθαι, καὶ ἐν φανερῷ ἀναστρέφεσθαι τοῖς συνειδόσιν, αἰσχυντηλοὶ μᾶλλον εἰσίν.

Et cum aſpici debent, & in aperto loco cum illis verſari, qui conſcij ipſis ſint, magis procliues & propenſi ad verecundiam ſunt.

CVMQVE ſubire ignominiam aliquam nos ſemper pudeat, augeatur amplificaturq; pudor, cum viſum iri poſt acceptam maculam debemus: & in oculis ſemper futuri ſumus eorum, qui teſtes ignominiae illius noſtrae, ac turpitudinis ſunt. quod ſi conſpectum illorum fugere, & aut ſedes mutare, aut in abdito aliquo loco viuere poſſemus, minus verecundi eſſemus, nec tantopere nos puderet.

Ὅθεν καὶ Ἀντιφῶν ὁ ποιητής, μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίου, εἶπεν, ἰδὼν τοὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας, ἐγκαλυπτομένους, ὡς ᾔεσαν διὰ τῶν πυλῶν. τί ἐγκαλύπτεσθε ἔφη; ἢ μὴ αὔριόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τούτων;

Unde & Antipho poëta, cum a Dionyſio ad ſupplicium mitteretur, aſpiciens, qui ſecum interfici debebant, operire caput, cum e carceris foribus prodiere, inquit. Quid operitis vos? numquid veremini, ne cras vos aliquis horum aſpiciat?

HOC etiam Antipho poëta ſciebat: illius enim vox id ſignificauit, ac naturam pudoris expreſſit: cum enim ad ſupplicium vna cum multis alijs duceretur, cerneretq; ipſos, caput ſibi, cum e publica cuſtodia exirent, diligenter obuoluere. Quid veremini (inquit) ne quis horum cras vos videat? cum enim paulo poſt mori deberent, nec vllo modo ſupereſſe poſſent, quis facultatem obijciendi ipſis calamitatem illam habiturus fuerat? Poëtam autem appellat Ariſtoteles Antiphontem, quem alij auctores inter oratores ponunt, & in illis etiam non parui nominis fuiſſe tradunt. Sed nec ipſe falſum protulit, nec alij ſcriptores mentiuntur: nam & poëta, & orator fuit, & primis ſane temporibus aetatis poëticae operam dedit, ac tragoedias docuit: poſtea cauſas dicere coepit, & in republica verſatus eſt: ſic autem locum accipiendum puto, quamuis ita locutus ſit, vt videatur hunc poëtam ab alio Antiphonte diſtinxiſſe: particulam tamen ὁ addere conſueuit, aut viri nomini, aut alij, quando vim ſeparandi non habet. vt in
» priore ἠθικῶν μεγάλων, dicens. εἶδ᾽ ὁ Σωκράτης. itidem in j. ad Eudemum. Σωκράτης μὲν οὖν ὁ
» πρεσβύτης. nec non in vij. ad eundem. ὥσπερ Σωκράτης ὁ γέρων. Philoſtratus, qui vitas Sophiſtarum ſcripſit: nec non Plutarchus, qui & ipſe vitas decem oratorum confecit, huius etiam accurate vitam exponunt. Cur etiam apud Dionyſium offenderit, & quid ipſi cum Syracuſanorum tyranno, Athenienſi exiſtenti, fuerit, narrant: id, quod a me quoque in primum librum commemoratum fuit, & ſi alij tradunt, ei iratum factum eſſe, quod ipſius tragoedias damnaret: ſtudioſe enim quoq; Dionyſius fabellas factitauit: bonusq; haberi poëta mirum in modum cupiebat. Quod ad conſuetudinem tegendi capitis pertinet, qui mortem quoque ferro, ab inimicis illatam, expectabant, ne quid dedecoris extremo illo tempore admitterent, caput obducebant: quod Plutarchus de Cn. Pompeio memoriae prodidit, qui hoc ipſo etiam verbo in ea re exponenda vſus eſt. Sed etiam, qui mortem ſibi conſciſcebant: vt Horatij te-
» ſtimonio cognoſcimus, qui in ſatyra inquit, Cum vellem mittere operto Me capite in flumen. Verumtamen diuerſa de cauſa hi, atq; illi, qui a Dionyſio ad mortem tradebantur, caput obuoluebant. Optimos autem auctores ἐγκαλύπτομαι, pro αἰσχύνομαι, & pudore afficior poſuiſſe, apertum eſt. Διὰ πυλῶν ſignificare puto cum e carcere exirent: cum e porta praetorij foras pedes ponerent, vt iam conſpici ab omnibus poſſent. Quomodo etiam M. Cicero locutus
» eſt in vij. libro in Verrem. Itaq; alij ciues Romani, ne cognoſcerentur, capitibus obuolutis e
» carcere ad palum, atq; ad necem rapiebantur. Quod autem ad ſuperiorem locum pertinet hi caput ſibi non obducebant, ſed ne intelligerentur, qui eſſent, iuſſu praetoris velabantur.

Περὶ μὲν οὖν αἰσχύνης, ταῦτα: περὶ δὲ ἀναισχυντίας, δῆλον, ὡς ἐκ τῶν ἐναντίων εὐπορήσομεν.

De

De verecundia igitur, haec : de inuerecundia autem, & ex contrarijs suppetet nobis copia.

DOCET his verbis se, quae ad verecundiam pertinebant, explicasse: simulq;, cur, quae ad inuerecundiam faciunt non persequatur, ostendit: illa enim (inquit) e contrarijs plana erunt: indeq;, si causa nostra postulabit, magnam copiam nobis eorum comparabimus.

Τίσι δὲ χάριν ἔχουσι, καὶ ἐπὶ τίσιν, ἢ πῶς αὐτοὶ ἔχοντες, ὁρισαμένοις τὴν χάριν, δῆλον ἔσται.

Quibus autem hominibus gratiam habent, & ob quas res, siue quomodo ipsi affecti, planum erit, cum gratiam definiuerimus.

AGGREDITVR dicere de beneficijs: eandemq; rationem sequitur, quam in singularum affectionum natura explicanda seruari debere, ostendit: idest quibus personis: quas nam ob res: quomodo ipsi affecti: quae omnia plana, ac perspicua fore tradit, cum explicatum fuerit, quid gratia, beneficiumque sit.

Ἔστω δὴ χάρις, καθ᾽ ἣν ὁ ἔχων, λέγεται χάριν ὑπουργεῖν τῷ δεομένῳ.

Sit iam gratia, per quam, qui habet, dicitur gratiam suppeditare egenti.

PONAMVS (inquit) nunc gratiam esse, ob quam, qui rem tenet, dicitur suppeditare egenti, quo caret. ὁ ἔχων autem, qui id possidet, quo quis eget: qui rei illius dominus est, cuius aliquis penuria laborat: neq; enim vndique copiosum, & abundantem hominem significat: nam tenues quoq;, & inopes homines quandoque promerendi beneficij occasionem habent: quamuis plerunq; diuitem significare videatur, & amplitudine patrimonij ornatum, vt infra hoc ipso in libro, cum inquit. πολλοὶ γάρ εἰσιν, οἱ δεόμενοι τῶν ἐχόντων. Quod si fortunatum hic intellexit, ita locutus est, quia plerunque ij suppeditant, quo egent, pauperibus: & facultatem magnam habent conciliandi sibi benignitate sua, animos tenuiorum.

Μὴ ἀντί τινος: μηδ᾽ ἵνα τι αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι, ἀλλ᾽ ἵνα ἐκείνῳ τι.

Non pro aliquo inde accepto, neq; vt quippiam ipsi, qui praebet, comparetur, sed vt illi aliquid.

EXCLVDIT gratiae relationem, & tamquam foenerationem beneficij: qui enim aliquid commodi in quempiam conferret, quod ipse antea ab illo adiutus foret, is beneficium redderet, non daret: vt etiam, qui vtilitatis aliquid se inde capturum sperans, ob eam rem alicui commodaret. Primam partem hoc valere intelligitur, quod infra, vbi de eo loquitur, qui beneficium reddit, siue debuisse se sciat, siue nesciat, inquit: ἀμφοτέρως γὰρ τὶ ἀντί τινος. Neutra igitur de causa moueatur oportet, qui beneficio quempiam afficere vult, sed tantum, vt illi quidpiam boni, cui benigne facit, gignatur: quod significauit dicens, ἀλλ᾽ ἵνα ἐκείνῳ τί.

Μεγάλη δ᾽ ἂν, ἢ σφόδρα δεομένων, ἢ μεγάλων, καὶ χαλεπῶν, ἢ ἐν καιροῖς τοιούτοις, ἢ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μάλιστα.

Magna autem, quae valde egentibus, siue quae magnarum rerum est, atque arduarum, siue in huiuscemodi temporibus: siue solus, siue primus, siue supra ceteros.

BENEFICIVM multis modis amplificatur: aut enim fortuna penuriaque eorum, in quos confertur, ponderatur, ac saepe sua vi pusillum pro magno habetur, quia sine eo statum suum tueri illi non poterant: aut cum magna tribuuntur, arduaque, aut cum temporibus quibusdam benigne fit: opportunitas enim hic quoque multum valet. aut, si qui adiuuit, solus id fecit, cum qui graui fortuna premebatur, a reliquis destitutus esset: aut, quamuis socios aliquos habuerit, ante omnes tamen id praestitit, princepsque opera, ac pecunia sua eum, qui beneficio affectus est, subleuauit: aut si tempore illos non vicit, studio tamen ac liberalitate superauit. quare aut sua vi magnum collatum beneficium est, aut fit, explicatis modis ac rationibus, magnum. In antiquissimo libro hic legitur δεομένῳ, dandi casu, vt supra quoque locutus est: quod si recipitur haec lectio, planior sententia, sermoque vsitatior erit: significabiturque, quae ὑπουργεῖται, ac suppeditatur valde laboranti, atque indigenti: spectabiturque persona illius, qui beneficium accipit. quod si manet haec, patrioque casu, diuerso numero

legitur δεομένῳ, intelligentur itidem personae eorum, qui adiuuantur: quamuis non satis apte videatur χάρις beneficiumq; eorum appellari: potiusq; vocari debeat ab eo, a quo proficiscitur, quam ab eo, qui accipit. Nisi aliquis putet intelligi hoc verbo debere, res, quibus ille eget: quorumq; penuria conficitur: quod tamen (nisi fallor) duriusculum est, id prolatum fuisse παθητικῶς: quamuis auctor veteris tralationis ita arbitratus sit, qui opportunorum reddidit: quod etiam non verum esse inde intelligitur, quia infra de beneficijs, quae tempore fiunt, agit. Primo autem hoc modo manifesto beneficium augetur a persona eius, qui accipit, cum ijs, quae adiunguntur, accessio fiat, ab animo factoq; eius, qui suppeditat.

Δεήσεις δέ εἰσιν αἱ ὀρέξεις: καὶ τούτων μάλιστα αἱ μετὰ λύπης τοῦ μὴ γιγνομένου.

Egestates autem sunt appetitiones: & harum maxime illae, quae sunt cum dolore, nisi gestum id fuerit.

CVM supra δεομένῳ dixerit, quid eo verbo contineatur, explanat: & quae sint res, sine quibus commode se viuere posse non putent: saepe autem his rebus mortales aliqui egere se dicunt, quibus sine vllo incommodo carerent: nam intemperantes etiam libidinibus, ac turpibus voluptatibus indigent, quae malo illis sunt. Vsus est sane pluribus locis auctor, ita hoc verbo, vt necesse non videatur id exemplis confirmare: libet tamen indicare quendam Plutarchi, satis accommodatum ad rem declarandam: atque ipsum etiam ob rem, quam commemorat, amandum: in vita enim Cleomenis narrat hunc regem Spartiatarum, cum magnas praedas egisset ex hostili agro: totamq; eorum regionem vastasset, cepisse gregem histrionum, forte illac transeuntem. quare venisse illi in mentem struere illic theatrum. quod fecit: spectauitque integrum diem, proposito praemio actoribus, vt mos est, insultans in hostes: ostendensq; se nullo negotio vincere posse, quos tantopere despiceret. in hoc igitur inquit, οὐ δεόμενος θέας, significare volens, non studio spectandi, id eum gessisse, cui deditus non erat, sed roboris suarum copiarum virtutisq; declarandae. Sunt igitur δεήσεις, appetitiones: idest tunc dicuntur homines aliqua re egere, cum eam valde volunt: vt etiam effrenatae cupiditates, & ardores animorum, praecipueq; appetitiones illae huiusce modi sunt: atq; hoc nomine vocari debent, quae angunt animum, si id, quod concupierunt, factum non est. Nam in pluribus scriptis libris, & ijs quidem melioribus, τοῦ μὴ γιγνομένου legitur: quam lectionem sequitur quoque vetus tralatio, cum in excusis antea omnibus, & non nullis etiam scriptis, τοῦ μετὰ γιγνομένου, legeretur. Cum autem ex his verbis manifesto eliciatur, velle philosophum appetitiones quasdam esse, quibus non haereat aegritudo: quamuis illo potitae non sint, quod ardenter concupierint, cuius generis appetitiones intelligat, accurate quaerendum: animi enim dolor semper gigni videbatur, cum id, cuius desiderio aliquis teneretur, obtinere non posset, siue ratione ad id impellente, cupijsset, siue ira inflammante, aut libidine aliqua stimulante. Suspicor igitur hunc sensum ipsius fuisse: saepe namq; homines desiderio aliquarum rerũ tenentur, quibus quamuis depellantur, cũ leuiores illae sint, non afficiuntur aegritudine: neque contrahunt animum. maluissent sane illas explere, & ad exitum perducere: frustratio tamen earum non gignit tantum in animo dolorem, vt λύπη, aegritudoq; merito ille appellari debeat, quae contractio animi dicta est esse: neque enim momenti aliquid habent ad bene, beateq; viuendum.

Τοιαῦται δὲ αἱ ἐπιθυμίαι. οἷον ὁ ἔρως.

Huiusce modi autem sunt cupiditates. veluti amor.

QVAE sint huius generis appetitiones, quae si sitim suam explere non potuerint, vrant ac male habeant, docet: cupiditates enim (inquit) huiusce modi sunt, vt amor: amoris namque exemplo vim, & naturam acriorum cupiditatum explanat, quae, vt in libris de moribus ad Nicomachum multis locis, ita in his quoque de ratione dicendi, dictae sunt esse ὀρέξεις τοῦ ἡδέος. cum autem voluptati molestia, dolorq; aduersetur, quando illae id, quod ardenter appetunt, adipisci non possunt, necessario dolorem important.

Καὶ ἐν ταῖς τοῦ σώματος κακώσεσι, καὶ ἐν κινδύνοις: καὶ γὰρ ὁ κινδυνεύων ἐπιθυμεῖ, καὶ ὁ λυπούμενος.

Et in malis acceptis in corpore, & in periculis: etenim is, cui periculum instat, cupit, & qui dolore premitur.

QVI etiam corpus vexatum, maleq; affectum habent: in magnoq; aliquo periculo sunt, acriter concupiscunt: huius vero rei causam afferens, inquit: cui enim periculum impendet, cupit: incolumis

incolumis scilicet ex illo euadere: nec non cuius animo aegre est: cupit enim is quoq; a se dolorem depellere: huiuscemodi autem necessario est, qui grauiore morbo laborat.

Διὸ οἱ ἐν πενίᾳ παρεστάμενοι, καὶ φυγαῖς, κἂν μικρὰ ὑπηρετήσωσι, διὰ τὸ μέγεθος τῆς δεήσεως, καὶ τὸν καιρὸν, κεχαρισμένοι.

Quapropter, qui opem ferunt paupertate pressis, & exulantibus, & si pusilla quaedam subministrarint, ob magnitudinem egestatis eorum, & tempus, beneficium dederunt.

Et haec causa est (inquit) cur qui subueniunt hominibus, paupertate oppressis, patriaq; eiectis, quamuis parua ac minuta quaedam suppeditarint, quia in ea fortuna constituti magnopere egent, nec non ob tempus ipsum, magnum beneficium dedisse existimantur: praecipue autem grata esse solere commoda, quae hominibus tribuuntur graui fortuna vtentibus, nec facile e memoria illa deleri, testatur etiam Isocrates, cum suaderet Philippo regi, vt Graeciae ciuitatibus auctoritate sua consuleret, diuturno bello conflictatis. ἀλλὰ μὴν κἀκεῖνο φανερὸν, ὅτι πάντες ἄνθρωποι τούτων πλείστην μνείαν ἔχουσιν, ὧν ἂν ἐν ταῖς συμφοραῖς εὖ πάθωσιν: non tamen si sedasset eorum discordias, paruum id beneficium fuisset. Quod vero δεήσεως restitui, hanc huius loci veram lectionem esse puto: nam, quod in cunctis excusis codicibus, & manu quoque scriptis non paucis, αἰτήσεως antea legebatur, mendosum prorsus & absurdum est: vt illud quoque non probo, quod Graecus interpres sequitur, ἀθλήσεως: in vno autem tantum, antiquissimo tamen illo, libro δεήσεως offendi: sed huius etiam a me restitutae vocis vestigia in vetere tralatione apparent: in ea namque propter magnitudinem indigentiae legitur: quo Latino verbo semper ipsius auctor in Graeca voce reddenda vtitur: est autem illud hic saepe repetitum. Sed praecipue mihi illam comprobauit sententia ipsa, quae hic mirifice quadrat.

Οἷον ὁ ἐν Λυκείῳ τὸν φορμὸν δούς.

Veluti, qui in Lyceo stoream dedit.

Historia mihi ignota est: φορμὸν autem talari genus esse constat. Theophrastus in ij. libro de historia stirpium, cum de ignobiliore palma loqueretur, tradens habere ipsam latum ac molle folium, addidit. διὸ καὶ πλέκουσιν ἐξ αὐτοῦ τάς τε σπυρίδας, καὶ τοὺς φορμούς. Fuerunt etiam docti viri, qui affirmarunt ab hoc vase, fiscinaq;, impositum fuisse nomen parasito, qui Terentianae fabellae nomen indidit: vt erudita sane declaratio in optimo, ac vetustissimo exemplari docet. Phormon dicunt Graece saccum sparteum, ab hoc parasito nomen est. Aristophanes πλούτῳ, vbi inducit Chremylum orationem paupertatis, quam illa de suis laudibus habuerat, refellentem, dicentemq;, καὶ φορμὸν ἔχειν ἀντὶ τάπητος σαπρόν, videtur φορμὸν cepisse pro storia, quam pauperes homines pro lectulo sternerent, cum diuites mollibus tapetibus incubarent.

Ἀνάγκη οὖν μάλιστα μὲν εἰς τοιαῦτα ἔχειν τὴν ὑπουργίαν: εἰ δὲ μή, εἰς ἴσα, ἢ μείζω.

Necesse igitur est maxime in huiuscemodi res benignitatem exercere: si non, in paria, aut maiora.

Qui igitur aliquos sibi, commodis in eos conferendis, deuincire volunt, haec praecipue seruent necesse est: idest his temporibus ipsis, & cum in malis versantur, suppeditent: cum scilicet, aut acerrimis desiderijs tenentur, aut corpus vexatum habent, siue morbis, siue vulneribus, siue alia huiuscemodi labe affectum: aut cum in periculis versantur. Quod si non omnino aduersus huiuscemodi mala, contra paria aequaliaque his, aut maiora etiam grandioraque.

Ὥστ', ἐπεὶ φανερὸν, καὶ ὅτε, καὶ ἐφ' οἷς γίνεται χάρις, καὶ πῶς ἔχουσι, δῆλον ὅτι ἐκ τούτων παρασκευαστέον.

Quapropter quoniam perspicuum est, & quando, & propter quas res gignitur gratia, & quomodo affecti sunt, constat ope horum parandam conficiendamque rem esse.

Indicat nunc, qui fructus ex harum rerum explicatione percipiatur ab oratoribus: nam superioribus rebus patefactis, vtilitates etiam facile perspici posse affirmat, omnemque horum tractandorum rationem tradit: intelligere autem ex his verbis licet, non omne commodum in

aliquem collatum, χάριν recte vocari, sed quod has condiciones habuerit: idest quod huiusmodi fuerit, vt animi hominum eo deuinciantur.

Τοὺς μὲν, δεικνύντας, ἢ ὄντας, ἢ γεγενημένους ἐν τοιαύτῃ λύπῃ, καὶ δεήσει.

Hos quidem, ostendendo, siue esse, siue fuisse in huiuscemodi dolore, atq; egestate.

Si quos ad referendam gratiam excitare volumus, ita cum illis agere debemus, ostendere, aut tunc ipsum illos esse: aut saltem quondam in eo statu fuisse, vt ope aliorum indiguerint: quod ijs rebus carerent, sine quibus commode esse non possent, aut in magna animi aegritudine vixerint.

Τοὺς δὲ, ὑπηρετῆσαι ἐν τοιαύτῃ χρείᾳ, τοιοῦτον τι ὑπηρετοῦντας.

Hos autem suppeditasse in huiuscemodi penuria, huiuscemodi aliquid, quod eam subleuaret.

Quibus autem ipsos debere affirmamus, eos ostendere suppeditasse, auxiliumq; tulisse, in huiuscemodi tempore, ac necessitate: nec non huiuscemodi quippiam suppeditasse, quod ipsos subleuare potuit, e tantaq; inopia, ac maerore recreare.

Φανερὸν δὲ καὶ ὅθεν ἀφαιρεῖσθαι ἐνδέχεται τὴν χάριν, καὶ ποιεῖν ἀχαρίστους.

Perspicuum autem est, & vnde licet nobis demere gratiam, & facere, vt minime digni habeantur, quibus gratia referenda sit.

Ex ijs etiam, quae explicata sunt, facile perspici potest, vnde promendo argumenta, & quorum locorum ope, a quibusdam remouere gratiam contingit, itaque illos conformare, vt gratia his nulla pro commodis in alios collatis, habeatur: ἀχαρίστους enim hic appellat, quibus gratia non habetur: non ingratos, & qui in alios grati non sint: quo sensu nomen hoc passim capitur. ποιεῖν ἀχαρίστους spoliare illos gratia, qui videri volunt beneficium dedisse: idest efficere oratione nostra, ne id praestitisse credantur.

Ἢ γὰρ ὅτι αὑτῶν ἕνεκα ὑπηρετοῦσιν, ἢ ὑπηρέτησαν: τοῦτο δ᾽ οὐκ ἦν χάρις.

Siue enim eos sua de causa subministrare, vel subministrasse: hoc autē non est gratia.

Aut enim ipsos commodum suū spectare, suaq; causa benigne nunc facere, siue olim fecisse, non illorum, in quos liberales videntur, dicemus. quod vere beneficium appellari non posse, ex definitione quoque patet: cum enim supra vis, naturaq; beneficij explanaretur, declaratum est, non vt aliquid commodi ei, qui benigne facit, acquireretur, beneficium fieri oportere, sed vt ille ipse, qui premitur aduersis rebus, adiuuetur.

Ἢ ὅτι ἀπὸ τύχης συνέπεσεν, ἢ ἠναγκάσθησαν.

Siue casu cecidisse, siue necessitate ipsis imposita, benigne fecisse.

Aut casu, fortuitoq; id factum ostendemus, siue etiam imposita illis necessitate: voluntas enim in his rebus spectanda est: propositumque animi eorum, qui suppeditant. quod nisi studio opitulandi id fit, non astringimur: quomodo autem gratiam nos habituros illis, aut etiam relaturos fatebimur, qui aut fortuito nobis, aut coacti bene fecerunt? Cum autem συνέπεσον hic antea perperā legeretur, emendaui συνέπεσεν, & antiquissimi codicis fidē, & rem ipsam secutus.

Ἢ ὅτι ἀπέδωκαν, ἀλλ᾽ οὐκ ἔδωκαν, εἴτε εἰδότες, εἴτε μή: ἀμφοτέρως γὰρ τὶ ἀντί τινος. ὥστ᾽ οὐδ᾽ οὕτως ἂν εἴη χάρις.

Siue beneficium reddidisse, non dedisse: siue scientes fecerint, siue non: ambobus enim modis aliquid pro aliquo. quapropter neque ita quoque esset gratia.

Aut reddidisse illos, non dedisse arguemus, siue illi se debuisse sciebant, siue ignorabant: ambobus enim his modis beneficium beneficio compensatur, aliquidq; pro aliquo redditur. Quare hoc etiam pacto beneficium destruitur, gratiamq; illam habendam non esse intelligitur. Nam in explicanda natura gratiae illud etiam adnotatum est, excludi id quoque, neque hoc nomine appellandum, cum pro vetere beneficio beneficium redditur. Inter Macedonum

autem regem, Athenienſesq; magna quondam lis de his nominibus fuit, cum ſe Philippus Halonneſum Athenienſibus δοῦναι, ideſt muneri dare, ac largiri paratum eſſe diceret: illi autem ſibi regem inſulam hanc ἀποδοῦναι, ideſt reddere ac reſtituere, vellent: tanta vis in duabus ſyllabis erat, vt non verbis de hoc tantum, ſed armis quoque certatum ſit. Demoſthenes autem ciuibus ſuis auctor fuerat, ne acciperent, ſi δοῦναι, ἀλλὰ μὴ ἀποδοῦναι pergeret: vnde & ab Aeſchine, acerrimo ipſius aduerſario, & ab comicis poëtis, non parum eo nomine exagitatus eſt: maioris tamen ponderis res erat, quam videbatur, vt ex hoc quoque loco intelligitur.

Καὶ περὶ ἁπάσας τὰς κατηγορίας σκεπτέον: ἢ γὰρ χάρις ἐστίν, ἢ ὅτι τοδί, ἢ τοσονδί, ἢ τοιονδί, ἢ ποτέ, ἢ ποῦ.

Et in omnibus praedicamentis vocatis, ſpectandum: gratia namq; eſt, vel quod hoc, vel quod tantum, vel quod tale, vel tempore, vel loco.

QVEMADMODVM, qui beneficium augere volunt, naturam rei conſiderant, nec non quanta, qualisq; ſit, ac tempus denique, locumq; ſpectant, ſic, horum veſtigia perſequentes, qui conterunt extinguuntq;, eadem omnia diligenter ponderare debent: docereq; non eſſe id eius generis, vt ita vocari debeat, aut puſillum illud, minutumq; fuiſſe, nec tantum, vt eo nomine appellandum ſit: aut ſi magnum, non tale: non denique tempore eo, aut loco factum, vt beneficium reputandum ſit, nosq; ob id teneri, & tamquam aſtrictos eſſe, oporteat: atq;, vt ipſe aperte narrat, per omnia prima illa decem genera percurrendum, quas ipſe κατηγορίας vocat.

Σημεῖον δέ, εἰ ἔλαττον μὴ ὑπηρέτησαν.

Signum huius rei eſt, ſi minus non ſubminiſtrarunt.

QVIBVS indicijs, notisq; animus eorum, qui dederunt, minime in nos propenſus, beneuolusq; fuiſſe cognoſcatur, exponit: ſi enim, qui benigne nobis antea fecerunt: magnumque etiam adiumentum adtulerunt, poſtea minus nobis non ſuppeditarunt, cum in eadem penuria verſaremur: auxilioque ipſorum egeremus, argumento id eſt, noſtrum commodum olim eos in ea re minime ſecutos, ſed alijs de cauſis adductos, tunc nos adiuuiſſe: qui enim maius beneficium dedit, minus etiam daret eidem, ſi diligeret.

Καὶ εἰ τοῖς ἐχθροῖς, ἢ ταῦτα, ἢ ἴσα, ἢ μείζω: δῆλον γὰρ ὅτι οὐδὲ ταῦτα ἡμῶν ἕνεκα.

Et ſi inimicis eadem, vel paria, vel maiora: non enim eſt dubium, quin neque haec noſtra de cauſa.

SI in inimicos quoq; eadem commoda, quae in nos, contulerunt, aut aequalia, maioraque, documento nobis eſſe poteſt, non liberali animo illos erga nos fuiſſe, & quamuis nobis opitulati ſint, minime illam gratiam vocandam: neque enim noſtri cauſa in nos effuſi fuerunt, neq; nos diligunt: ſi enim res illas caras haberent, magniq; ducerent, aut exiſtimarent emolumento eſſe ijs, quibus eas impertirent, non in inimicos profunderent: quis enim foueat ſanus, melioremq; faciat opibus ſuis inimicum?

Ἢ εἰ φαῦλα εἰδώς: οὐδεὶς γὰρ ὁμολογεῖ δεῖσθαι φαύλων.

Vel ſi cum intelligeret res malas, & viles eſſe: nemo enim fatetur ſe rebus vilibus egere.

HOC etiam gratiam extinguit, cum qui largiuntur, vitium illarum rerum, quarum liberales ſunt, ſciunt: potiusq;, vt ipſi abijciant, quam vt alios ipſis ornent, adiuuentq;, dilargiuntur. Non igitur ijs debere prae nobis ferre debemus, aut gratiam quandoque relaturos eſſe: cum enim gratia exiſtimanda ſit, cum commodum confertur in egentes, inopiaq; eius rei laborantes, quis vmquam (inquit Ariſtoteles) ſe viliſſimis, deterrimisq; rebus indigere fateatur?

Καὶ περὶ μὲν τοῦ χαρίζεσθαι, καὶ ἀχαριστεῖν, εἴρηται.

Et de gratijs quidem firmandis, ſiue non gratijs eſſe docendis, dictum eſt.

TESTATVR ſe ad exitum huius quaeſtionis perueniſſe: &, vnde argumenta in vtranq; partem ſumi poſſint, indicaſſe. χαρίζεσθαι ſignificat beneficium in aliquem conferre, ideſt huiuſcemodi adiumentum illi afferre, quod ſuperiores condiciones habeat: ἀχαριστεῖν autem eſt illi

contrarium : opponitur vero κατὰ στέρησιν : neq; enim detrimentum importare valet, sed beneficium non tribuere: vt commoda illa, eo animo in aliquos collata, vim naturamq; beneficij non habeant. Qui id committunt supra ἀχαρίστους vocauit: vt, qui omnes numeros huius rei retinent, κεχαρισμένους: cum dixit, eum, qui idoneo tempore pusilla donauerit, beneficium contulisse.

Ποῖα δ' ἐλεεινά, καὶ τίνας ἐλεοῦσι, καὶ πῶς αὐτοὶ ἔχοντες, λέγωμεν.

Quales autem res miserabiles sunt, & quorum hominum misericordia moueantur, & quomodo ipsi affecti, tradamus.

QVAE res, quiq; casus miserabiles sint, quas personas misereantur, quomodoq; ipsi affecti, nunc pertractemus: miserabiles autem res appello, quae misericordiam excitare possunt: cum enim de motu animi, qui misericordia vocatur, agere instituat, tria illa proponit, quae in cunctis commotionibus diligenter spectanda docuerat: ac, quod semper seruauit, naturam vimq; huius rei statim euoluit: vnde cuncta, si quis subtiliter attendat, plana fiunt.

Ἔστω δὴ ἔλεος λύπη τις ἐπὶ φαινομένῳ κακῷ, φθαρτικῷ, καὶ λυπηρῷ, τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν.

Sit iam misericordia aegritudo quaedam ob aliquod malum putatum, eius generis, quod interitum adfert, vel dolorem inurit, hominis indigni visi, qui ita tractaretur.

DICAMVS igitur misericordiam aegritudinem quandam esse, exortam ex eo, quod malum esse videatur, atq; eorum generum malum, quae aut ad interitum perducant, aut dolorem, cruciatumq; afferant: in eoq; positum sit, qui illa fortuna indignus videbatur: reliqua, quibus naturam misericordiae expressit, infra a me declarabuntur. Stoici homines, illiusq; familiae principes, ita misericordiam definierunt, vt a sententia Aristotelis non discreparent. Eam definitionem posuit Laërtius in Zenone. ἔλεος δ' ἐστὶ λύπη ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι. Cicero autem in iiij. quaestione Tusculana ita expressit. Misericordia est aegritudo ex miseria alterius, iniuria laborantis. φαινόμενον κακὸν appellat, quod nobis malum videatur: possemus enim in hoc falli, atq; eam miseriam esse iudicare, quae minime sit: nec non ob eundem animi nostri errorem eos quandoq; misereri, qui fortunati sint, quod ea in se habeant, quae nos falso mala iudicemus: adiungens vero φθαρτικὸν καὶ λυπηρὸν, cuius generis mala esse debeant, ostendit: sunt enim diuersae naturae plura, & atrocia mala, quae, quamuis aliquem oppresserint, non miseret nos illius: si quis enim iniustus est, si timidus, si intemperans, si illiberalis, & si magnis grauibusque vitijs premitur, misericordia illius non mouemur: oportet, vt aut mortem, aut dolorem magnum afferant. Iisdem igitur malis, in probo viro positis, misericordia in animo alicuius commouetur, quibus imminentibus illi ipsi, ac propinquis, timet. Quod autem addidit τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, vitam etiam, moresq; eius, qui aduersa fortuna vtitur, multum valere ostendit, vt misericordia excitetur: quamuis enim nihil eorum, quae supra tradita sunt, requiratur: si improbus ipse, flagitijsq; inquinatus fuerit, quamuis eius etiam generis malis prematur, miserque omni ex parte sit, misericordia nos illius non capit. Quod si probum, innocentemque virum, paupertate laborantem, aut acerrimis corporis doloribus oppressum videmus, miseret nos illius: indignus enim erat his malis, proculq; ab ipsis ob animi virtutes esse debebat.

Ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειεν ἂν παθεῖν, ἢ τῶν αὑτοῦ τινά.

Quod malum & ipse metuere possit, ne aliquando accipiat, aut suorum aliquis.

ALIVD adiungit, quod ad commouendam misericordiam plurimum valet, & sine quo, ne calamitosissimorum quidem hominum vmquam nos misereret. vt inquam in fortunam illam, statumq; acerbum, in quo alios honestos viros constitutos videmus, vt nos quoq; incidamus, fieri posse putemus, vel nobis carae personae, & quorum malis perinde ac nostris, dolemus.

Καὶ τοῦτο, ὅταν πλησίον φαίνηται.

Atque hoc, quando vicinum visum fuerit.

NON dici potest, quam accurate totam hanc rem pertractet, & vt singula perquirat, quae in hoc motu animi requirantur: post multa enim sagaciter indagata, addit malum illud, quod superiores omnes numeros habeat, non remotum distansq;, sed propinquum esse debere, aut si remotum sit, saltem longinquum non videri. In antiquissimo libro τινῶν, patrio casu, numero multitudinis legitur: quam scripturam sequitur etiam vetus tralatio. Sententia sane, vtro modo legas, non variatur. locus vero hic (nisi fallor) huic quoq; lectioni esse posset.

Δῆλον

Δῆλον γὰρ, ὅτι ἀνάγκη τὸν μέλλοντα ἐλεήσειν, ὑπάρχειν τοιοῦτον. οἷον οἴεσθαι παθεῖν ἄν τι κακὸν, ἢ αὐτὸν, ἢ τῶν αὑτοῦ τινά: καὶ τοιοῦτον κακὸν, οἷον εἴρηται ἐν τῷ ὅρῳ, ἢ ὅμοιον, ἢ παραπλήσιον.

Apertum enim est, oportere eum, qui misericordia moueri debet, huiuscemodi esse, qualis est, qui putat accipere posse aliquid mali, siue se, siue quempiam suorum: atque huiuscemodi malum, quale dictum est in definitione, vel simile, vel propinquum.

NIHIL sumptum esse in declaranda natura eius, quem quandoque malorum alterius misereat, quod supersit, planum esse dicit: neminemq; dubitare posse affirmat, quin, quem misericordia captura sit, huiuscemodi futurus sit, vt fieri posse putet, vt sustineat aliquid mali, aut ipse, aut aliquis suorum, qui sanguine scilicet, necessitudineq; aliqua coniunctus ei sit: & huiuscemodi malum, quale in definitione misericordiae demonstratum est, idest, quod, aut interitum afferat, aut dolorem inurat, aut simile illi propinquumq;.

Διὸ οὔτε οἱ παντελῶς ἀπολωλότες, ἐλεοῦσιν: οὐδὲν γὰρ ἂν ἔτι παθεῖν οἴονται: πεπόνθασι γάρ.

Quapropter neque qui penitus periere, misericordia mouentur: nihil enim mali restare putant, quod patiantur: perpessi enim iam sunt.

HINC fit (inquit) vt duae, maxime oppositae inter se, hominum condiciones: vndequaque (inquam) miseri, ac perbeati, numquam misericordia moueantur: cum enim omnes, quos misericordia capere quandoq; potest, hac mente, animoque esse debeant, vt in mala illa se etiam incidere posse putent, diuersis de causis hi hoc metu non sollicitantur: qui enim ad extremum iam casum deuenerunt ac penitus perditi sunt (hos enim primos duros esse immisericordesque docet) nihil amplius se mali sustinere posse putant: perpessi enim sunt suo iudicio omnia: causam enim hanc affert, cur illi ita sentiant. Non sunt autem hi loci traditi ad declarandos, qui soluti sint ab hoc dolore animi, sed cum supra qualem esse oporteret eum, qui hoc motu corripi aliquando posset, ostendisset, inde hoc eruit, & tamquam corollarium addit. cum hi timori illi, ne incidant in infortunium malumue, obnoxij non sint, misericordia aliquorum ipsos numquam capi.

Οὔτε οἱ ὑπερευδαιμονεῖν οἰόμενοι, ἀλλ' ὑβρίζουσιν: εἰ γὰρ ἅπαντα οἴονται ὑπάρχειν τἀγαθὰ, δῆλον ὅτι, καὶ τὸ μὴ ἐνδέχεσθαι παθεῖν τι κακόν: καὶ γὰρ τοῦτο τῶν ἀγαθῶν.

Neq; illi, qui se mirifice beatos esse arbitrantur, sed contumelias imponunt: si namq; cuncta sibi adesse bona putant, planum est, & non vsu sibi venire posse, vt aliquid mali sustineant: est enim hoc vnum bonorum.

SED neq; qui beatos se supra modum, ac valde fortunatos putant, miserentur, sed contra contumelijs afficiunt calamitosos. cuius rei rationem reddens, inquit. Si enim cunctis bonis se abundare arbitrantur, planum est ipsos hoc etiam se auctos ornatosq; existimare (est namq; & ipsum non paruum bonum) quod vsu venire non posse putant, vt aliquid mali sustineant, sed extra omnem aleam periculi se esse ducunt. Antiquissimus liber in hoc a reliquis discrepat, quod non τι κακὸν, sed μηδὲν κακὸν habet. Res parui ponderis, & quae sententiam non variet. Hoc quoque, quod supra tradidit Aristoteles, Atheniensibus quandoq; Isocrates, paucorum dominatione oppressis, vsu venisse in Panegyrico ostendit: cum enim natura misericordes essent, vi malorum saeui immitesque facti erant, & omnem humanitatem exuerant: aliam tamen causam, quod omnem misericordiam abiecissent, esse credidit insignis ac politus scriptor: vnumquemq; enim suis proprijsq; malis grauatum tempus non habuisse ad alterius mala spectanda: quem enim suae res angunt, alienae non perturbant. Quod autē ipsos, cum beati erant, valde misericordes fuisse eodem loco dicit, non repugnat hoc a sententia Aristotelis: ipse enim perbeatos hoc vitio teneri putat, quiq; praeter modum fortunati sint: in quos dij, hominesq; cuncta bona congesserint: nam beati, siue potius, qui se beatos falso putant, opulentique, fortunae iniurijs expositi sunt: nimia autem illa fortuna alios insolentes facit.

Εἰσὶ δὲ τοιοῦτοι, οἷοι νομίζειν παθεῖν ἄν, οἵ τε πεπονθότες ἤδη, καὶ διαπεφευγότες.

Sunt autem huiuscemodi, qui putant inquam se malum accipere posse, & qui iam acceperunt, atque inde euaserunt.

QVI sint, qui facillime se in aliquem acerbum casum cadere posse putent, exponit: primosque appellat, qui praeteritis temporibus aliquid mali perpessi sunt, e quo tamen incolumes euaserunt: nihil enim nos tã certiores reddit, quid futuris temporibus nobis contingere possit, quã cogitare, quid praeteritis euenerit: quae namque semel sustinuimus, quis nobis praestat, ne iterum, ac tertium mala perpetiamur? Cum autem, εἰσὶ δὲ τοιοῦτοι, dixisset: intelligeretq; existimare se aliquid incommodi perpeti posse huiuscemodi homines, quales infra narrat, vt rem magis explanaret, quid eo verbo significaretur, expressit, addens tamquam declarationem quandam, οἵοι νομίζειν παθεῖν ἄν. Quare, qui sequuntur loci, vsq; ad eum, καὶ μήτε ἐν ἀνδρείας πάθει, indicant, quae genera hominum ita animo affecta sint, vt putent se posse in malum incidere: quod inde etiam (nisi fallor) intelligi potest: qui enim nunc exponunt, atque ostendunt οἵους νομίζειν παθεῖν, affirmandi modo traduntur: ille autem, quem indicaui: quiq; eum sequitur, contra negandi particulam habentes, qui non moueantur misericordia ostendunt: vt loquebatur ante quam ad hos, qui putarent se nihil mali perpeti posse, explicandos accederet.

Καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ διὰ τὸ φρονεῖν, καὶ δι' ἐμπειρίαν.

Et senes, & quia sapiunt, & quia vsum multarum rerum habent.

SENES etiam, confectiq; homines aetate huiuscemodi sunt: nam & prudentia, quae illi aetati comitatur, & vsus multarum rerum infirmitatem humanarum rerum ipsos docuit, ac nihil mali esse, quod hominibus non impendeat, aperte demonstrauit.

Καὶ οἱ ἀσθενεῖς, καὶ οἱ δειλότεροι μᾶλλον.

Et imbecilli homines, & formidolosiores magis.

IMBECILLI quoq; putant se in malum incidere posse, ac magis natura timidiores: imbecilli, quod iniuriam, impetumq; violentorum, ob infirmitatem virium se depellere non posse intelligunt: resq; aliorum aduersas intuentes, se ijsdem casibus expositos esse vident: quod si ijdem timidiores sunt, magis adhuc ipsos aliorum miseret, cum ad infirmitatem corporis adiungitur imbecillitas animi. Nam, qui etiam robusti forent, atque opibus abundarent, si timidi forent, cum viribus suis non confiderent, ad misericordiam procliues essent. Aut igitur intelligit, qui timidiores natura sint e senibus, atque imbecilli corporis hominibus, magis suspicari se expositos esse multis casibus, & posse incidere in grauia mala, aut μᾶλλον δειλότεροι inquit, vt in primo libro locutus videtur, cum ait, καὶ τὸ φιλέταιρον εἶναι, τοῦ φιλοχρήματον, μᾶλλον κάλλιον: hunc enim modum loquendi saepe vsurpatum fuisse a veteribus Graecis scriptoribus multis exemplis collectis illic docui. Testatur autem Simplicius in librum κατηγοριῶν eodem pacto locutum
» hunc fuisse, de his, quae cum aliquo conferuntur, agentem. καὶ τὸ ἀνισώτερον μᾶλλον, καὶ ἧττον: ita enim tunc legebatur: qui tamen locus postea a recentioribus, mendosum ipsum falso opinantibus, deprauatus est: ἄνισον enim illic nunc legitur. Sed huius locutionis, doctissimus interpres rationem reddit, declarans haec, ceteraque huiusmodi, posse intendi ac remitti. Videtur itaq; μᾶλλον, secundae collationis nominibus adiunctum, praestantiam eius, quod confertur, ad illud, cum quo confertur, augere.

Καὶ οἱ πεπαιδευμένοι· εὐλόγιστοι γάρ.

Et doctrina perpoliti: bene enim cognitas res humanas habent.

QVI etiam optimis artibus animum aliquantum excultum habent, se malis expositos putant: nam vere res reputant: quod enim senes a longa vita, vsuque multarum rerum habent, hi ab auditionibus doctrinisq;, quibus aliquam operam dederunt. Εὐλόγιστοι sunt, qui accurate ducunt rationem rerum humanarum: nec plus ipsis tribuunt, quam vere tribuendum sit: quos autem infra ἀλογίστους vocauit, his respondere puto, contrariosq; significare.

Καὶ οἷς ὑπάρχουσι γονεῖς, ἢ τέκνα, ἢ γυναῖκες· αὐτοῦ τε γὰρ ταῦτα· καὶ οἷα παθεῖν τὰ εἰρημένα.

Et quibus sunt parentes, vel filij, vel vxores: suae namque ipsorum hae personae sunt: factaeque ad mala, quae dicta sunt, perpetienda.

ILLI quoque, malis infortunijsq; se obnoxios putant, quibus parentes sunt: quibus liberi: quibus vxores: nam praeter quam, quod ipsi a periculo vacui non sunt, nisi solliciti de se sint, timent saluti, vitaeq; suorum: hi enim omnes ipsorum sunt: ac, quae mala patiuntur, ipsi aliquo modo sustinent. Cum in excusis hic antea διὰ τὰ εἰρημένα legeretur, secutus auctoritatem

antiquissimi libri, praepositionem deleui : hanc enim veram huius loci lectionem esse puto: εἰρημένα autem dicens, mala intellexit, quae in definitione declarata sunt: idest, quae interitum afferant, aut aegritudinem animo importent: personae autem, quas appellat, manifesto huiuscemodi malis expositae sunt: cum enim docuisset quaecunq; personas has mala tangunt, ipsos etiam violare, addidit, quae requirebantur adhuc ad misericordiam excitandam, affirmans posse perpeti dicta antea mala: vt paulo supra locutus est, cum, qualem esse oporteret eum, qui misericordia commoueri aliquando posset, ostendit: altera enim iam condicione exposita addidit. καὶ τοιοῦτον κακὸν, οἷον εἴρηται ἐν τῷ ὅρῳ, vtens eodem verbo, vnde conformatum nomen hic vsurpauit. quod autem ad refellendam alteram illam lectionem pertinet, non video, vbi supra causas explicarit, cur aetas illa, ac sexus non possit longe ab infortunio abesse.

Καὶ μήτε ἐν ἀνδρείας πάθει ὄντες, οἷον ἐν ὀργῇ, καὶ θάῤῥει: ἀλόγιστα γὰρ τοῦ ἐσομένου ταῦτα.

Et qui non sunt in affectu fortitudinis, veluti in ira, & confidentia: nullam enim rationem ducunt hi eius, quod futurum est.

QVI ad misericordiam nunc procliues sint, docet, ostendens, quos numquam malorum alterius misereat: hi autem sunt, qui animum occupatum habent motibus illis, qui fortitudinem adiuuant: hi enim minime mente versant, quid futurum sit: nec cogitant, se aliquid detrimenti accipere posse. Iracundiam autem, fortitudini stimulum adhibere Peripatetici aiebant, iratosq; audentius in hostem ituros, & omnia pericula contempturos putabant: vt eos etiam, qui sibi multum, viribusq; suis confiderent: hoc enim quoque fortitudinem adiuuare manifestum est: vnde genus etiam ipsius simulatae erat, habitus animi eorum, qui freti aliqua spe magno animo subirent pericula. Qui igitur ita animo affecti sunt, cum quid futurum sit non cogitent, animoseq; omnia pericula expectent, aliorum misereri non possunt: atrocia enim mala, in alijs animaduersa, ita nos commouere demonstratum est, cum posse fieri arbitramur, vt in illa ipsi quoque incidamus. Cum θάῤῥος vero hic, vt πάθος, ponat, intelligere videtur motum animi eum, qui fit, cum aliquis, pugnam cum inimico commissurus, perpendit vires suas: videtque se longe superiorem esse: alacriq; animo ac plenus spei, congreditur cum aduersario: si quis enim multo antea, viribus suis examinatis, id fecisset, ac securo animo, quia intelligeret se meliorem potentioremq;, cum hoste congrederetur, πάθος illud non esset.

Μήτ᾽ ἐν ὑβριστικῇ διαθέσει: καὶ γὰρ οὗτοι ἀλόγιστοι τοῦ πείσεσθαί τι.

Neque in animi statu, facto paratoque ad contumeliam: hi namque non reputant se aliquid mali vmquam accepturos.

QVI etiam secundis valde rebus contumeliosi facti sunt, duri sunt, nec misericordia mouentur: non enim cadit in hos haec cogitatio, vt putent, se aliquid incommodi in se recipere posse: nec enim se tam insolenter gererent: nam supra quoq; docuit, perbeatos, praeterq; modum fortunatos, cum misereri deberent, illudere miseris, atq; omnibus contumelijs improbe ipsos vexare consuesse.

Ἀλλ᾽ οἱ μεταξὺ τούτων.

Sed qui in medio horum siti sunt.

QVI remoti sint ab ijs extremis, vt puto, & tamquam in medio collocati ipsorum, ac contrariorum: quamuis e regione positos non appellet: idest, qui neq; in motu fortitudinis sint: neq; in affectu contumeliarum alijs imponendarum: neque enim docet, qui sint, indicans, quid illi in se habeant, sed quibus careant.

Μήτ᾽ αὖ φοβούμενοι σφόδρα: οὐ γὰρ ἐλεοῦσιν οἱ ἐκπεπληγμένοι, διὰ τὸ εἶναι πρὸς τῷ οἰκείῳ πάθει.

Neq; rursus metuentes valde: non enim existit misericordiae aliquid in animis hominum, qui consternati sunt, quia sunt in suo proprioque affectu.

PRAETEREA, qui vehementer timent, minime miserentur aliorum: cum enim metus malorum, quibus alios oppressos videmus, commouere nos soleat, ad misericordiamque excitare, si acrior ille metus fuerit, terribiliterq; nos vexare coeperit, obliuiscimur malorum alterius, ac de

nobis

nobis ipsis cogitamus, totiq; in salute nostra procuranda occupati sumus. nimius igitur metus eijcit, exturbatq; misericordiam. Accommodatum hic valde exemplum est de nece Cn. Magni, quo in primo libro vsus sum: vbi enim locos ostendit, vnde duci argumenta possint ad magnitudinem iniusti alicuius facti comprobandam, docet id quoque maius esse, quod qui audiunt potius sibi timent, quam misericordia eius, qui iniuria illa afficitur, commouentur: ἐκπεπληγμένους autem intelligit metu perculsos: pauore consternatos: qui enim ob ingentem vim metus quasi ad stuporem rediguntur, ἐκπεπληγμένοι vocantur.

Κἂν οἴωνταί τινας εἶναι ἐπιεικεῖς· ὁ γὰρ μηδένα οἰόμενος, πάντας οἰήσεται ἀξίους εἶναι κακοῦ.

Et si putauerint aliquos esse probos ac moderatos viros: qui enim neminem putat, omnes arbitrabitur dignos esse malo.

NECESSE etiam est, vt non male omnino de genere humano sentiant, quibus aliquorum vicem dolendum est: arbitrenturq; aliquos aequos bonosq; esse: nam si improbos omnes, iniustosq; esse crederent, nullius misereri possent: is enim misericordia alicuius mouetur, qui indignum illum eo casu putat: qui neminem innocentem iudicat, is arbitrabitur, vniuersos malo dignos esse, ac merito plecti. a contrario igitur rem ita se habere probat. Quod vero inquit: qui namque neminem probum virum arbitraretur, huiuscemodi fuit Athenis Timon ille, qui propter odium humani generis μισάνθρωπος est appellatus. Non reticebo etiam, qua in re discrepet antiquissimus liber a reliquis, quamuis id sententiam non variet, sed potius elegantiam orationis declaret: non enim ἐπιεικεῖς habet, sed patrio casu, numero multitudinis, τῶν ἐπιεικῶν.

Ὅλως δή, ὅταν ἔχῃ οὕτως, ὥστ' ἀναμνησθῆναι τοιαῦτα συμβεβηκότα, ἢ αὑτῷ, ἢ τῶν αὑτοῦ· ἢ ἐλπίσαι γενέσθαι, ἢ αὑτῷ, ἢ τῶν αὑτοῦ.

Omnino iam, quando ita se habuerit, vt reminiscatur huiuscemodi mala euenisse, siue ipsi, siue cuipiam suorum: aut speret contingere posse, vt in semet ipsum, aut in suorum aliquem cadant.

CONCLVDIT, quae requirantur, vt misericordia excitetur. Qua ex parte animaduerti potest, duo tempora, praeteritum, ac futurum, necessaria esse, ac sine alterutro eorum cum instanti coniuncto, nihil fieri posse: cum enim honestum ac bonum virum, aliquo incommodo premi videmus, recordamurq; nos in eundem casum, assimilemq; quondam incidisse, aut posse fieri putamus, vt sequenti tempore incidamus, misericordia mouemur: nam, quae nostris eueniunt, aut euentura speramus, ita nos afficiunt, vt si nobis metipsis, aut euenissent, aut euentura forent. quod ad recordationem veterum incommodorum pertinet, vimque, quam habent ad nos misericordes efficiendos, cum eadem, aut paria in alijs spectamus, Virgilius ex persona Didonis hoc significauit, cum ita illam, cum Troianis loquentem, inducit.
» Non ignara mali, miseris succurrere disco. Theseus quoque, rex Athenarum, apud Sophoclem in Oedipode Coloneo hanc rationem sui facti attulit: affirmauitq; se vsu ac re doctum, libenter illum expulsum domo, peregrinantemque recipere, cum ipse quoque grauia mala in aliena terra perpessus sit: plurimisq; periculis caput suum obiecerit: & nullo modo induci possit, externum hominem, multis incommodis affectum (quo loco tunc erat calamitosissimus ille senex) non totis opibus subleuare. Animaduertendum autem hic ἐλπίσαι de rebus malis dixisse Aristotelem. vt Virgilius quoque fecit, cum eandem reginam, ita loquentem, induxit.
» Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Idem quoque poëta in Oedipode tyranno ἐλπίδας appellauit opinionem futurorum malorum, cum regem ipsum vxori Iocastae ita induceret respondentem. optabat
» autem illa intelligere, quae res ipsum tantopere angeret. Κὰ μὴ στερηθῇς γ' ἐς τοσοῦτον ἐλπίδων
» Ἐμοῦ βεβῶτος: consuetudo tamen sermonis sperare, rebus secundis: metuere autem, aduersis, tribuit.

Ὡς μὲν οὖν ἔχοντες ἐλεοῦσιν, εἴρηται.

Vt igitur se habentes misericordia mouentur, traditum est.

NARRAT se ad exitum primae huius partis peruenisse: ac, quomodo animo affecti homines misereantur, exposuisse.

Ἃ δ' ἐλεοῦσιν, ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ δῆλον· ὅσα τε γὰρ τῶν λυπηρῶν, καὶ ὀδυνηρῶν φθαρτικά, πάντα ἐλεεινά.

Quorum

Quorum autem malorum misereantur, ex definitione patet: quaecunque enim e numero rerum adferentium aegritudinem aut dolorem, interimunt, cuncta miserabilia sunt.

QVI casus maxime luctuosi sint, misericordiamq; moueant, nunc docet: quamuis ex definitione omnia plana, apertaq; esse affirmet: omnia enim (inquit) miserabilia sunt, quae ad interitum perducunt, e genera eorum malorum, quae aut aegritudinem animo, aut dolorem corpori adferunt: λύπη enim dolor est, qui animum angit: ὀδύνη, qui corpus torquet, laceratq;. Particulam ἐκ, cum absit ab antiquissimo libro, nec expressa sit a vetere tralatione, deleui: ἐκ τῶν λυπηρῶν enim antea legebatur: nec tamen non, siquis velit, eam quoque lectionem tueri potest.

Καὶ ὅσα ἀναιρετικά.

Et quaecunque perdendi vim habent.

QVID discriminis sit inter ea, quae paulo ante φθαρτικά, & ea, quae nunc ἀναιρετικά vocat, quaerendum: idem enim vtraque voce videtur significari. Nisi fallor, cum supra inquit, ὅσα τῶν λυπηρῶν, καὶ ὀδυνηρῶν φθαρτικά, non dixit res omnes, quae interimunt, esse miserabiles, sed docere voluit, quae mala e genere malorum, aegritudinem animo, & cruciatum corpori importantium, miserabilia forent: affirmauitq; huiuscemodi tantum illa esse, quae interitum afferrent: sunt enim non paucae res, quae animum sollicitant, & corpus vexant, quae misericordiam alijs non mouent. vt si leuiora etiam illa sint. nunc vero generatim, non ad ea, quae dolorem tantum faciunt, sermonẽ referens inquit, Cuncta mala, quaecunq; illa sint, quae perdendi vim habent, & ἀναιρετικά sunt, misericordiam excitare.

Καὶ ὅσων ἡ τύχη αἰτία κακῶν, μέγεθος ἐχόντων.

Et quorum malorum fortuna causa est, si magnitudinem in se continuerint.

EA etiam mala, quae a fortuna inuehuntur, miserabilia sunt. nam culpa nostra facta non sunt: nemo enim potest fortunae impetum euitare: debent tamen illa pondus habere: nam leuiores aduersae res, a fortuna etiam importatae, ac pusillae deniq; ipsius iniuriae, misericordiam alijs non mouerent.

Ἔστι δὲ ὀδυνηρὰ μὲν καὶ φθαρτικά, θάνατοι, καὶ αἰκίαι, καὶ σωμάτων κακώσεις, καὶ γῆρας, καὶ νόσοι.

Sunt autem, quae dolorem inurunt atque interimunt mortes, plagae, & corporum vexationes, & senectus, & morbi.

QVAE res saeuos cruciatus afferunt: eaedemq; perdunt atque interimunt, narrat: cum enim supra mala, quae nos angunt & cruciant, dixerit esse miserabilia, si eadem mortem adferre possint: & cuncta demũ, quae perdendi vim habent: nec non, quae a fortuna incommoda inuehuntur, illa nunc, vt mos ipsius est, accurate explicat: aperit enim, quae nos perdunt mala: nec non, quae incommoda fortuna nobis comportare soleat. In priore autem parte explicanda animaduertendum ipsum concisius locutum: & cum appellasset antea λυπηρά & ὀδυνηρά, altero horum verborum nunc contentum fuisse: eodemque consilio, cum φθαρτικά & ἀναιρετικά supra posuisset, communius nomen, & quod cuncta, quae perdendi naturam habent, complecteretur, repetisse. Enumerans igitur illa inquit, interitus, & verbera, & corporum vexationes: idest res, quae ipsum deprauarint, & senectus, ac morbi. In antiquiss. vero libro hoc varietatis inueni. quod σωμάτων antecedenti parti adnexum est: neq; enim ante, sed post, copula illic collocata est, vt αἰκίαι σωμάτων καὶ κακώσεις illic legatur: vetus quoque tralatio lectionem illam sequitur: nihil tamen immutaui: nam supra etiam hoc ipso in libro, vbi docet, quae res beneficia augeant, ita locutus est. καὶ ἐν ταῖς τοῦ σώματος κακώσεσι: erant autem Athenis (vt a veteribus scriptoribus memoriae proditum est) iudicia, & αἰκίας, & κακώσεως: iudicium αἰκίας, cum quis plagas corpore accepisset: κακίας vero (vt opinor) cum in re familiari damnum aliquis passus esset. vt, exempli gratia, cum pupillus tutorem male administrati patrimonij in iudicium vocabat: hic tamen intelligere labem acceptam in corpore, vexatumq; aliquod membrum, videtur.

Καὶ τροφῆς ἔνδεια.

Et alimenti egestas.

PENVRIA etiam cibi malum est, quod & dolorem inurit, & interitum denique affert: vnde, quemadmodum si alijs, quae appellata sunt, malis affectum, ita etiam si quem inopia laborare

videmus, in tantamq; egestatem incidisse, vt quo se alat, sustentetq;, non habeat, misericordia mouemur: vnumq; hoc est eorum malorum, quod facillime misericordiam mouet: necessarioque ab omnibus grauiter accipi debet, vt Virgilius quoque declarauit. Nec doluit miserans inopem: ex decretis enim Stoicorum loquitur, qui sapientem misericordem esse nolebant.

Ὧν δὲ ἡ τύχη αἰτία κακῶν, ἀφιλία, ὀλιγοφιλία.

Mala autem, quorum fortuna causa est, sunt sine amicis in vita restare: aut magna parte eorum orbari.

QVAE a fortuna inuehuntur, mala enumerat: primumque spoliari penitus amicis, aut cum paucis relinqui, ponit, quia id incommodum atrox sane est, & fortunae iniquitate saepe nascitur: qui enim antea floruerunt copia amicorum, repente siue morte, siue aliquo huiuscemodi casu, orbati, aut omnibus, aut maiore illorum parte sunt: quod fortunae acceptum referri merito debet.

Διὸ καὶ τὸ διασπᾶσθαι ἀπὸ τῶν φίλων καὶ συνήθων, ἐλεεινόν.

Quare abstrahi etiam ab amicis, & familiaribus, miserabile est.

VNDE (inquit) videmus homines magno dolore affici, cum distrahuntur diuelluntur q; ab amicis & familiaribus: atq; existimare id malum graue admodum ac luctuosum esse: quod tamen iniuria non minus hominum, quam iniquitate fortunae, fieri consueuit. Cicero quoque pro Milone hoc acerbum esse declarauit, qui in peroratione inquit. Sed quo est illa magis diuina virtus, eo maiore a te dolore diuellor: nam diuelli διασπᾶσθαι significare apertum est. Isocrates in Busiride de Orpheo. καὶ διασπασθεὶς, τὸν βίον ἐτελεύτησεν. Cicero quandoque etiam distrahi dixit, vt in eadem peroratione, cum idem malum deploraret. Nam qui possum putare, me restitutum esse, si distrahor ab ijs, per quos restitutus sum? In medio autem hoc enumerationis malorum, quae fortuna iniungit, interiectum est, vt quod planum omnibus esset, & ad id, quod dixerat, confirmandum, non parum valeret: si enim distrahi ab illis interuallo loci acerbum est, quanto magis morte perpetuoq; dissidio disiungi? ab antiquissimo tamen libro abest διὸ, quamuis a vetere tralatione id expressum sit: quae lectio, si vera esset, hoc quoq;, tamquam vnum eorum malorum, exposuisset.

Αἶσχος, ἀσθένεια, ἀναπηρία.

Deformitas, infirmitas virium, mancum ac mutilatum corpus habere.

DEFORMITAS quoq;, & imbecillitas corporis, miserabiles sunt: nec non mancum esse, & aliquo membro captum ac debilem. Easdem has corporis labes coniunxit, & ijsdem verbis appellauit in iij. libro de moribus ad Nicomachum, quo etiam in loco misericordiam excitare ipsas dixit: neq; esse e genere eorum malorum, quae obijci cuiquam recte possint: si a natura profectae sint, aut a fortuna inuectae: non vitio ac culpa ipsius illius partae.

Καὶ τὸ, ὅθεν προσῆκεν ἀγαθόν τι πρᾶξαι, κακόν τι συμβῆναι.

Et vnde decebat quippiam boni capere, mali aliquid inde prouenisse.

FRVSTRATIO etiam, ac parum meritis nostris respondens euentus aliquis, successusq;, res est miserabilis, & e genere eorum malorum, quae a fortuna importantur: male enim prorsus nobiscum agitur, fortunaque in nos potestatem suam exercet, si, cum ea facimus, quae alijs fructus ferre consueurunt, ne dum inde boni aliquid ceperimus, malo potius aucti sumus. Hinc autem docte eleganterq; misericordiam expressit Catullus, cum Ariadnam infelicem casum suum ita deplorantem induxit, ac merita sua ingrato, infidoq; amatori obijcientem. Certe ego te in medio versantem turbine leti Eripui, ac potius germanum amittere creui, Quam tibi fallaci supremo in tempore dessem: Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusq; Praeda, neq; iniecta tumulabor mortua terra: quamuis enim ab homine iniuria illa profecta sit, habuit tamen in ea re fortuna potestatem: si enim, quae beneficia contulit in Theseum, perfidum amatorem, Ariadna, in memorem gratumq; hominem contulisset, fortunata semper extitisset. A fortuna igitur & ipsa iniuriam accepit, quod eius ingenij hominem illa ipsi obiecit.

Καὶ τὸ πολλάκις τοιοῦτο.

Saepeque huiuscemodi aliquid factum esse.

MISERVM etiam, ac luctuoſum eſt, crebro in hos caſus incidiſſe: vt vnde commodum aliquod te ſublaturum putaris, damnum, paenamque reportes.

Καὶ τὸ, πεπονθότος γενέσθαι τι ἀγαθόν. οἷον Διοπείθει τὰ παρὰ βασιλέως τεθνεῶτι κατεπέμφθη.

Et bonum aliquod proſperumque alicui contigiſſe, cum iam malum acceperit. veluti Diopithi munera miſſa a rege ſunt, cum iam mortuus eſſet.

HOC quoque valde acerbum ac miſerum eſt, aliquid boni auxilijq; alicui eueniſſe, cum tam male iam acceptus ſit, vt nihil inde commodi capere poſſit: videtur enim in hoc vim ſuam fortuna exercuiſſe. In hiſtoriam vero hanc numquam incidi: vt ex hoc loco autem conijcio, Diopithes hic in egeſtate diu fuit: cum autem tempus appropinquaret copioſius viuendi, quod a rege Perſarum munera ei ampliſſima mittebantur: in itinereq; iam erant, antequam illa peruenirent, mortuus eſt, vt frui non potuerit liberalitate tanti regis: declarauit autem id iniquitatem fortunae, quae, cum omni tempore inimica commodis eius fuiſſet, extremo etiam die, truculenta in eum fuit: nam cum e malis emergere paulo poſt deberet, ante ipſum ſuſtulit: nec bona illa degustare ſiuit. Diopithis cuiuſdam, Athenienſium copiarum ducis, mentionem fecit Demoſthenes in iij. Philippica. Plutarchus in Lyſandro ita vocatum oſtendit vatem magnae auctoritatis, cuius Ariſtophanes quoque Equitibus, vt manci ac debilis manu meminit: eo autem Nicias plurimum vtebatur. quod in ipſius vita, ſuppreſſo tamen nomine, traditum eſt. Cum antea hic excuſi haberent ὅτι τεθνεῶτι, deleui illud ὅτι, quia a melioribus ſcriptis libris abeſſe vidi: nec vetus tralatio exprimit.

Καὶ τὸ, ἢ μηδὲν γεγενῆσθαι ἀγαθὸν, ἢ γενομένων μὴ εἶναι ἀπόλαυσιν.

Et ſiue numquam aliquid boni alicui contigiſſe, ſiue illis, quae ad eum peruenerunt, frui non poſſe.

HOC etiam perpetuo aduerſa fortuna effecerit neceſſe eſt: vnde miſericordia facillime excitari poteſt: in omni vita te expertem omnium bonorum fuiſſe: nec aliquid proſperum tibi vmquam contigiſſe, aut, ſi qua euenerunt, frui illis nullo modo potuiſſe, aut quod morte praeuentus ſis, aut morbis moleſtisq; occupationibus impeditus: male enim cum hoc agitur: condicioq; ipſius multo quam aliorum omnium miſerior eſt, qui ſaepe aliquibus commodis augentur, & ex ijs, quae a Dijs immortalibus, aut hominibus etiam euenerunt, magnos fructus, plurimasq; voluptates capiunt.

Ἐφ᾽ οἷς μὲν οὖν ἐλεοῦσι, ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτά ἐστιν.

Ob quas igitur res miſeret homines aliquorum, haec atque huiuſcemodi ſunt.

INDICAT ſe partem ſecundam abſoluiſſe: ac, propter quas res miſericordia commouentur, explanaſſe: eſſe namque miſerabilia haec, quae expoſuit, & alia etiam huiuſcemodi: fatetur enim huius generis aliqua reſtare: quae tamen exemplo horum facile intelligi poſſint.

Ἐλεοῦσι δὲ τούς τε γνωρίμους, ἐὰν μὴ σφόδρα ἐγγὺς ὦσιν οἰκειότητι: περὶ δὲ τούτους, ὥσπερ περὶ αὐτοὺς μέλλοντας, ἔχουσι.

Miſeret autem ipſos notorum, niſi valde propinqui fuerint neceſſitudine: in horum enim malis ita afficiuntur, vt ſi illa ipſi perpeſſuri eſſent.

DVABVS partibus abſolutis ad tertiam aggreditur: quorumq; homines miſericordia capiat, exponit. Miſerentur igitur (inquit) familiarium, notorumque, niſi ij propinqui admodum ipſis, ſanguineq; valde coniuncti fuerint: nam ſi hos inſigni aliqua miſeria oppreſſos vident, ita afficiuntur, vt ſi ipſi malis illis premerentur, aut premi paulo poſt deberent: ipſi enim aliquo modo laeduntur, quamuis illa mala eos non oppreſſerint, cum vexant, qui valde cum ipſis neceſſitudine coniuncti ſunt: magis autem nos dolere, cum accepimus notos nobis, quam ignotos, malum habere, conſtat: quia non omnino alieno animo ab illis ſumus, quos nouimus, quamuis laxa admodum haec coniunctio ſit: dandi autem caſu οἰκειότητι, vt eſt in antiquiſſimo libro, emendaui: cum generandi prius legeretur: declarauit autem hoc verbo, cum ἐγγὺς dixiſſet, ſe illos proximos, non interuallo loci, ſed neceſſitudine, intelligere.

Διὸ καὶ Ἄμασις ἐπὶ μὲν τῷ υἱεῖ ἀγομένῳ ἐπὶ τὸ ἀποθανεῖν, οὐκ ἐδάκρυσεν, ὥς φασιν: ἐπὶ δὲ τῷ φίλῳ προσαιτοῦντι.

Quapropter Amasis, cum videret filium ad supplicium duci, non fleuit, vt aiunt: cum aspexit autem amicum mendicantem, fleuit.

HIC lapsus memoria Aristoteles videtur: ea namque Amasidi tribuit, quae Psammenito, ipsius filio euenerunt: Psammenitus enim fuit, qui cum, amisso regno, in potestatem hostium venisset, filiumq; ad supplicium duci cerneret, cum Aegyptij ceteri lugerent, lacrimas non effudit: nec tamen, quod nimis durus, immanisq; natura esset, id fecisse existimari potuit: idem enim in misera illa fortuna constitutus, cum veterem sodalem videret, senem atque omni patrimonio exutum, stipem petere, &, vt mendici faciunt, ad singulos accedere, grauiter ingemuit, frontemque prae dolore ferijt. Totam rem Herodotus in Thalia narrat. Amasis sane antea mortuus erat. Quare, aut μνημονικὸν ἁμάρτημα est, aut alios rerum gestarum auctores, ab Herodoto dissentientes, secutus Aristoteles, diuersa prodidit.

Τοῦτο μὲν γὰρ, ἐλεεινόν: ἐκεῖνο δὲ, δεινόν.

Hoc enim, miserabile est: illud autem, acerbum.

VIDERE amicum, opulentum quondam, cibum nunc, inopia coactum, mendicantem, miserabile: spectare filium ad necem rapi, atrox ac saeuum malum est. Psammenitus quoque, cum a victore rege causam huius rei reddere cogeretur, eandem protulit: affirmauitq; domesticum dolorem maiorem esse, quam vt lacrimas exprimeret. Verba ipsius apud Herodotum haec sunt. ὦ παῖ Κύρου τὰ μὲν οἰκήια ἦν μέζω κακὰ, ἢ ὥστε ἀνακλαίειν: τὸ δὲ τοῦ ἑταίρου πάθος, ἄξιον ἦν δακρύων. ὃς ἂν πολλῶν, καὶ εὐδαιμόνων ἐκπεσὼν, ἐς πτωχίην ἀπῖκται ἐπὶ γήραος οὐδῷ.

Τὸ γὰρ δεινὸν, ἕτερον τοῦ ἐλεεινοῦ, καὶ ἐκκρουστικὸν τοῦ ἐλέου.

Acerbum enim, & valde graue malum diuersum est a casu miserabili: & factum est ad eijciendam ex animo misericordiam.

ACERBVM & atrox omne malum, plurimum distat ab eo, quod miserabile vocatur: & nedum misericordiam gignat, potius eijcit atque extinguit, si forte prius illa aliquem ob vsitatius facinus ceperat: ἐκκρουστικὸν, quod facultatem exturbandi aliunde quippiam, eijciendiq; habet, appellatur: cum enim Cicero in iiij. Tusculana inquit, Etiam nouo quodam amore veterem amorem, tamquam clauo clauum, eijciendum putant, hoc verbum expressit: in ea enim sententia exponenda Graeci eo vti consuerant. Plutarchus in commentario, quo docet vitam ab Epicuro laudatam, ne iucundam quidem esse, de dolore loquens, inquit. μόλις ὑπ' ἄλλων πόνων, ὥσπερ ἥλων σφοδροτέρον, ἐκκρουόμενος ἀπαλλάττεται. Sic etiam ipse locutus est in extremo iij. libro de moribus ad Nicomachum, cum, accusans effrenatas cupiditates, inquit. Si magnae ille vehementesque fuerint, dimouere etiam exturbareq; sua sede rationem. κἂν μεγάλαι, καὶ σφοδραὶ ὦσι, καὶ τὸν λογισμὸν ἐκκρούουσι.

Καὶ πολλάκις τῷ ἐναντίῳ χρήσιμον.

Ac saepe aduersario prodest.

DOCET, oratores, non satis acutos, posse quandoque in hoc labi, si forte, cum misericordiam mouere vellent, immane aliquod, nefariumq; facinus recitarent: eo namque percepto animi eorum, qui audierunt, duriores statim fierent. Quare illi causae, quam suscepissent, stultitia sua nocerent: saepe enim, nedum misericordiam concitet atrox malum, & quod valde auditores terreat, potius sedandae extinguendaeq; illi aptum est, & ad contrariam rem valet: idest ad animos eorum, qui audiunt, duros immisericordesq; reddendos.

Ἔτι ἐλεοῦσιν, ἐγγὺς αὐτοῦ τοῦ δεινοῦ ὄντος.

Amplius misericordia mouentur, cum malum ipsum vicinum est.

APPELLAT δεινὸν nunc, malum etiam e genere eorum, quae misericordiam excitant: non enim solum commouentur, cum praesens iam malum adest, eosque, quos nollent, vexat, sed cum vicinum est, & appropinquat. Vicinum malum, vt nos perturbat, cogitq; metuere, quod non facit, vt supra docuit, longinquum ac valde remotum, ita, cum appropinquat hominibus probis, indignisque illa fortuna, facit, vt nos misereat illorum. M. Ciceronis verba sunt haec ex epistola quadam ad Atticum, quibus significatur, vt opinor, vim hanc & potestatem tantam habere appropinquationem mali in animis nostris, vt non sinat laetitiam capere e rebus secundis. Populum vero praeclarum, quod propter malum vicinum, ne victoriae quidem plauditur.

In antiquissimo libro legi ἐγγὺς αὐτοῖς: cuius lectionis haec videtur sententia: praeterea misereantur, cum malum, quod oppressit alium, ipsis iam propinquum est: nec tamen receptam scripturam, quam alij scripti habent, variaui.

Καὶ τοὺς ὁμοίους ἐλεοῦσι: κατὰ ἡλικίαν, κατὰ ἤθη, κατὰ ἕξεις, κατὰ ἀξιώματα, κατὰ γένη.

Et parium similiumque misericordia homines capit: parium autem, aetate, moribus, habitibus, dignitate, genere.

QVORVM hominum maxime nos misericordia capiat, docet: nam parium, assimiliumque nos miseret: multis autem modis nobis similes aliqui sunt, quos omnes accurate, aperteq; enumerat: aut enim aetate, aut vita & moribus, aut habitibus animi, aut dignitate honoribusq; partis: aut stirpe ac familia similes sunt. Infra, cum inuidere eos, qui inuident, paribus dixisset: & qui pares essent, illic quoque declararet, eosdem paene appellauit: supra etiam, quos similes vocaret, diligenter ostendit, vbi inquit dedecus hominibus, maculamq; afferre, expertem esse rerum earum pulchrarum, quas aut cuncti mortales, aut similes omnes, tenerent.

Ἐν πᾶσι γὰρ τούτοις μᾶλλον φαίνεται, καὶ αὐτῷ ἂν ὑπάρξαι.

Cunctis namque in his magis perspicitur, & sibi quoque euenire posse.

SVPRA, cum exprimeret naturam misericordiae, docuit ipsam excitari, cum quis malum, quo videat alium vrgeri, existimat in se posse cadere: nunc rationem reddens, cur maxime misereat homines similium, inde id nasci inquit, quia magis certo intelligunt se expositos illis incommodis, postquam similes ipsis paresque illa oppresserunt. quare non confidere possunt, aut aetatem, aut indolem moresque, aut habitus animi, aut vitae dignitatem, aut splendorem familiae ipsos ab illis malis liberatura: similes enim, quibus cum ipsis in his rebus conueniret, dicebantur.

Ὅλως γὰρ καὶ ἐνταῦθα δεῖ λαβεῖν, ὅτι ὅσα ἐφ' αὑτῶν φοβοῦνται, ταῦτα ἐπ' ἄλλων γιγνόμενα, ἐλεοῦσιν.

Omnino enim & hic sumere oportet, quaecunque in semet ipsis timent: haec in alijs cum facta vident, misericordia ipsos moueri.

HOC antea quoque tradidit, vbi, quae metum incutiant hominibus, docuit: cuncta enim (inquit) horribilia sunt, quae cum in alijs, aut iam sunt, aut paulo post futura sunt, misericordiam excitant. Hic instantis tantum temporis mentionem fecit: locum autem illum significare voluit, cum hic inquit, καὶ ἐνταῦθα: quae verba a me restituta sunt, cum ab excusis omnibus abessent: inueni autem ipsa in antiquissimo libro: sed a vetere quoque tralatione illa exprimuntur, vt dubitari non possit, quin hic reponi debuerint.

Ἐπεὶ δ' ἐγγὺς φαινόμενα τὰ πάθη, ἐλεεινά ἐστι: τὰ δὲ μυριοστὸν ἔτος γενόμενα, ἢ ἐσόμενα, οὔτ' ἐλπίζοντες, οὔτε μεμνημένοι, ἢ ὅλως οὐκ ἐλεοῦσιν, ἢ οὐχ ὁμοίως.

Quia autem, cum prope videntur esse graues casus, miserabiles sunt: quae vero magno interuallo temporis praeterito gesta sunt, aut putantur futura, cum ea neque sperent, neque recordentur, siue funditus non mouent misericordiam, siue non pariter.

REM aggreditur docere magni ponderis ad miserationem excitandam, & quae mirum in modum concitat animos multitudinis: ante quam autem praecipiat, quid gerendum sit, de vtilitate huius loci disserit, & cur sine hoc artificio saepe orator frigidior non sine causa videri possit, ostendit. Quia igitur (inquit) mala, resque omnes acerbae, cum prope esse videntur, miserationem gignunt: longinquo autem tempore a nobis remota, vt ea, quae centum milibus antea annis facta, aut post futura sunt, cum nec expectent, neque recordentur, qui audiunt, aut omnino misericordia illorum non mouentur, aut non pari modo, necesse est eos, qui repraesententur, formis, vocibus, vestitu, actione deniq;, miserabiliores esse: & ea, quae sequuntur. Πάθη autem vocat hic, non motus animi, de quibus nunc accurate copioseq; agit, sed casus quosdam saeuos & atroces: cuiusmodi in tragoedijs tractari consuerunt: ipse enim quoq; in primo libro de arte poetarum hoc valere πάθος affirmauit, dicens esse factum, quod perdendi vim habeat, aut dolorem corpori magnum inurat: vt sunt (inquit) neces in aperto, acerrimi corporis cruciatus, vulnera, huiuscemodique alia. Quod vero μυριοστὸν ἔτος inquit, finitum tempus pro infinito posuit: est autem vsitatus modus loquendi: quamuis autem alium longe

numerum μυριοστὸν significet, centum milibus dixi, Ciceronem imitatus, qui peruulgatam apud
» Graecos vocem, εἷς ἐμοὶ μυρίοι: quam tamen ipse quandoq; in epistolis ad Atticum Graecis ver-
» bis exposuit, in ijsdem epistolis sic expressit. Qui mihi vnus est pro centum milibus.

Ἀνάγκη τοὺς συναπεργαζομένους σχήμασι, καὶ φωναῖς, καὶ ἐσθῆτι, καὶ ὅλως τῇ ὑποκρίσει, ἐλεεινοτέρους εἶναι.

Necesse est repraesentatas personas illas figuris, & vocibus, & vestimentis, demumq; actione, miserabiliores esse.

HAEC manifesto est ἀπόδοσις illius ἐπεὶ: positis enim illis, necessario, quod nunc narrat, consequitur. Non potest fieri (inquit) quin illi, quorũ acerbi casus exponuntur, expressi repraesentatiq; ijsdem corporis gestibus, quibus in malo sustinendo vsi fuerunt, ac vocibus, & vestitu: ad summamq; omnibus rebus, quibus actores fabularum vtuntur: studiumq; illud proprium ipsorum, requirit, miserabiliores sint: ac maiorem luctum afferant ijs, qui cernunt. Συναπεργάζεσθαι valere, quod ostendi, manifestum est: eodem autem verbo vsus est in primo de arte poëtica, cum inquit, officium esse diligentium tragicorum, antequam poëma conficiant, fabulam coagmentare, & verbis quoq; illam conficere ac repraesentare, quanta maxime diligentia fieri potest, cuncta ante oculos sibi constituentes: in ea enim re exponenda hoc verbo vsus est, vt paulo quoque post, cum inquit, non debere quoque omittere, quin omnia, quae res patitur, gesti-
» bus quoque figurisq;, de quibus etiam hic loquitur, exprimat ac referat. ὅσα δὲ δυνατὸν καὶ τοῖς
» σχήμασι συναπεργαζόμενον. Antiquissimus liber, discrepans a reliquis omnibus, habet, καὶ ὅλως ἐν ὑποκρίσει: quam lectionem sequitur etiam vetus tralatio.

Ἐγγὺς γὰρ ποιοῦσι φαίνεσθαι, τὸ κακὸν πρὸ ὀμμάτων ποιοῦντες, ἢ ὡς μέλλον, ἢ ὡς γεγονός.

Faciunt enim, vt prope videantur esse, malum ante oculos constituentes, siue vt futurum, siue, vt iam factum.

HANC enim artem adhibentes, imponunt auditoribus: & quod longe est, vt prope videatur, efficiunt: acerbum enim illum casum ante oculos collocant, vt quod aut paulo post futurum sit, aut paulo ante gestum fuerit. Hoc quoq; fuerat consilium T. Labieni, accusatoris C. Rabirij, quem arguebat necasse L. Saturninum, cum in contione Saturnini imaginem attulit: de qua Cicero in defensione ipsius: quaerebat enim reo inuidiam facere, & animos multitudinis misericordia commouere, refricans ita veterem plagam.

Καὶ τὰ γεγονότα ἄρτι, ἢ μέλλοντα διὰ ταχέων, ἐλεεινότερα διὰ τὸ αὐτό.

Et quae modo facta sunt, aut fieri cito debent, miserabiliora sunt eandẽ ob causam.

HOC ad declarandum valet, quantam vim habeat rem ante oculos constituere. Necesse est ea etiam (inquit) quae modo gesta sunt, aut breuissimo temporis spatio interposito fieri debent, quae certe miserabiliora videntur, nulla alia de causa miserabiliora sint, nisi quia tunc fieri videntur: nec enim, vt, aut recenti tempore facta, aut, vt mox futura, illa cogitantur, sed vt praesentia, & quae tunc ipsis spectantibus gerantur: omnino enim misericordiam exprimunt, quae tunc ipsum grauia mala sustinentur: videreq; aliquem vexari, hunc dolorem gignit: reliqua autem, aut praeterita, aut futura, vt magis instanti tempori vicina sunt: haec autem tam illi propinqua, vt praesentia videantur. Antiquissimus liber, discrepans a reliquis, non διὰ τὸ αὐτό, sed διὰ τοῦτο, habet.

Καὶ τὰ σημεῖα, καὶ τὰς πράξεις.

Praeterea signa, & facta.

INDICIA quoque prolata rerum illarum, ac denique facta ipsa repraesentata, miserabiliora necesse est esse. Hoc etiam nostri contionatores seruant, qui cum Christi necem certo die deplorant, ad miserationem excitandam, inuidiamque in nefariam ac sceleratam gentem, ea omnia, quae in acerbissima illa caede facta sunt, repraesentant, cum in crucem actus est. Adeo duri sumus, ergaque conseruatorem nostrum ingrati, vt sine his tragoedijs, prope suppliciorum, quae pro nostra salute sustinuit, obliuiscamur.

Οἷον ἐσθῆτάς τε τῶν πεπονθότων, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Veluti vestimenta illorum, qui caesi sunt, ceteraque omnia huiuscemodi.

Vt vestimenta (inquit) eorum, qui acerbos illos casus tulere: & huiuscemodi quaedam alia: quod Antonius fecit, cum in funere C. Caesaris res, gestas ab eo magnifice explicasset: non enim omnibus vndiq; laudibus in eum congestis contentus fuit, sed vestem etiam pugionibus, gladijsq; perforatam, contioni ostendit: ea autem spectata in furorem, insaniamque paene plebem adegit, & omnem causam M. Bruti, sociorumq; euertit: quod periculum cum illi intelligerent, declinare aut non potuerunt, aut neglexerunt. vt Cicero ad Atticum scribens, ostendit. Meministi ne te clamare, causam perijsse, si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus, laudatusque miserabiliter.

Καὶ λόγους τῶν ἐν τῷ πάθει ὄντων. οἷον ἤδη τελευτώντων.

Et orationem, quam extremo illo tempore habuerunt. ceu cum iam morerentur.

Et verba, vocesq; aliquas, editas ab ijs extremo tempore, qui perpessi sunt, vt ab animam iam efflantibus. Hoc etiam, & huiuscemodi multa fecerunt, qui periculum interfectoribus Caesaris creare volebant, vt Suetonius quoque ostendit. verba ipsa adponere, quia satis nota sunt, superuacaneum putaui. In antiquissimo libro non nulla praeterea verba leguntur, quae cum a vetere quoque tralatione expressa sint, nota testataq; esse volui: ita autem illic legitur, καὶ λόγους, καὶ ὅσα ἄλλα τῶν ἐν τῷ πάθει ὄντων. Exemplũ, valde clarum, huius animi, constantiaeq; in extremo vitae adhibitae, est, quod commemorat Plutarchus de M. Bruto: cum enim victus in acie, cum familiaribus paucis relictus esset, narrat eum versus duos pronuntiasse, accommodatos magnitudini animi, fortunaeq; illi suae: quorum vnus Euripidis est e Medea: illo autem significare voluit, se praestitisse patriae, quod potuit: rogauitq; Iouem, vt quod ei concessum non fuit, absolueret: iustasq; paenas caperet ab auctore capiteq; eorum malorum: nam alterum Volumnius, cum superiorem notasset, qui praesens aderat, dixit se oblitum fuisse. Sed non minus conuenit huic loco, quod & M. Cicero in j. Tusculana, & Graeci non nulli scriptores de viro, itidem forti, sed non tanti nominis, Theodoro Cyrenaeo memoriae prodiderunt.

Καὶ μάλιστα τὸ σπουδαίους εἶναι ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ὄντας, ἐλεεινόν: ἅπαντα γὰρ ταῦτα, διὰ τὸ ἐγγὺς φαίνεσθαι, μᾶλλον ποιεῖ τὸν ἔλεον.

Et maxime, si ostendatur fortes illos his temporibus ac virtutis memores extitisse: cuncta enim haec, quia vicina videntur, magis pariunt misericordiam.

Praesertim vero, inquit, misericordiam mouet, si eos, qui crudeliter interfecti sunt, oratores ostenderint, in ipsis illis acerbissimis casibus fortes fuisse, constantique animo mortem tulisse: cum enim (vt Cicero inquit, qui prorsus hoc significare voluit) singuli casus humanarum miseriarum grauiter accipiantur, tamen afflicta ac prostrata virtus maxime luctuosa est: afflictam enim intelligit, quae fortunae impetu perculsa vexataq; sit, & grauem aliquam ab ea plagam acceperit, non quae imbecillo animo casum illum ferat, ac demisse tunc se gerat. Quod in excusis desiderabatur, ἐλεεινὸν restitui, ex antiquissimo libro erutum: confirmatur quoque haec lectio a vetere tralatione. Reddit autem statim, hoc tradito, rationem, cur, quae exposuit, facilius excitent misericordiam: nascitur enim id, inquit, quia propinqua mala illa videntur, ac modo contigisse.

Καὶ ὡς ἀναξίου τε ὄντος, καὶ ἐν ὀφθαλμοῖς φαινομένου τοῦ πάθους.

Et vt minime digno illo, qui ita tractaretur: & quia casus ante oculos constituitur.

In extremo enim hoc loco duo, quorum vtrunq; per se magnam vim habet, coniunguntur: nam indignus illa fortuna male tractatus ab hominibus inducitur, & res tota, tamquam tunc ageretur, ante oculos constituitur. Cum hic antea excusi, accusandi casu, multitudinis numero ἀναξίους τε ὄντας haberent, emendaui, vt in melioribus scriptis inueni, ἀναξίου τε ὄντος, mutato numero ac casu: hanc quoque lectionem secuta est vetus tralatio: non satis autem elegans locutio illa videbatur, vel nimis dura potius, quae diuersam structuram verborum in eodem membro haberet: indignus vero est, quia fortis vir ac studiosus virtutis incommodis conflictatur.

Ἀντίκειται δὲ τῷ ἐλεεῖν, μάλιστα μὲν, ὃ καλοῦσι νεμεσᾶν.

Opponitur autem motui misericordiae maxime motus, qui vocatur indignatio.

Cum iam, quae ad misericordiam pertinebant, exposuerit, de contrario animi affectu loquitur, cui a Latinis nomen inditum non est: Graeci νέμεσιν vocarunt: quo verbo & Latini poëtae, & alij etiam optimi auctores vsi sunt. Quia vero misericordiae plures animi motus aduersantur,

docet maxime omnium nemesin ipsi repugnare: ea scilicet de causa, quod harum altera, secundis aliorum rebus: altera vero, aduersis immerito quosdam prementibus, doleat: nec non quod eiusdem indolis sunt, cuius videtur esse, vt contrario modo aduersus res contrarias se habeat. Id autem inuidiae, quae, & ipsa similiter ipsi repugnat, non ita contigit: illa namque non erga fortunatum, indignum rebus illis secundis, verum aduersus parem similemque excitatur: inuidia vero opponitur misericordiae, quia, vt illa malis rebus, ita haec bonis aliorum angitur, verum & eodem pacto repugnat illi nemesis: & praeterea, quia aduersus eos, qui se contrario modo habent, atque hi, quorum nos miseret, exercetur. Quare vere dicta est misericordiae magis quam inuidia, aduersari.

Τῷ γὰρ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίοις κακοπραγίαις, ἀντικείμενόν ἐστι τρόπον τινὰ, καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἤθους, τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίοις εὐπραγίαις.

Aegritudini enim, quae oritur ex indignis alicuius rebus malis, aduersatur aliquo modo, atq; eiusdem indolis est aegritudo, quae existit ex indignis alicuius rebus bonis.

QVO modo contrarij inter se affectus hi sint, docet: in misericordia namque obseruantur res aduersae alicuius: in nemesi secundae: nam hic etiam τρόπον τινὰ, inquit, vt qui intelligeret, non plene, perfecteq; ipsas sibi aduersari: re vera namque minime inter se contrariae possunt esse, quae ab eadem natura ac moribus proficiscuntur: vt enim in ij. libro Topicorũ ab eo traditum est, quae ab eadem indole nascuntur, ἐποίει ἐναντιῶσιν. Animaduertendum tamen quamuis a contrarijs moribus proficiscantur, misericordia, & inuidia, magis aduersari misericordiae nemesin, quam inuidiam: vt enim Alexander inquit, seiungere ac diiudicare velle res contrarias ab indolis, vnde proficiscantur, contrarietate, probabile est: valetq; non parum in disputationibus, non tamen firmum ac verum: sed quia a sensu opinionibusq; hominum non alienum, alicuius & ipsum contrarietatis indicium est.

Καὶ ἄμφω τὰ πάθη ἤθους χρηστοῦ.

Atque ambo hi motus sunt indolis probae.

AMBOQVE (inquit) hi affectus bonae indolis, ac naturae sunt: ex quo aperte colligitur, quantopere discreparit a sententia, iudicioque Stoicorum, qui misericordiam vituperabant: nam omnem Peripateticorum familiam laudasse, quod hic princeps ipsius facit, hos affectus, tradit etiam Plutarchus in Homeri vita: quem locum cum valde hic accommodatus sit, vtranq; enim rem definit, conuersum adponam. Rursus autem (inquit) cum sodales Aristotelis, auctoritatem doctoris sequuti, commotiones animi probas esse velint, nemesin & misericordiam: bonos namque viros vri cum proximos quospiam vident, secus ac digni erant, prospera fortuna vti, nemesis vocatur: angi vero, si ijdem illi aduersis rebus premuntur contra merita sua, misericordia dicitur: eiusdem iudicij Homerus fuit: conuenireq; hoc honestis hominibus censuit: & ea, quae sequuntur.

Δεῖ γὰρ ἐπὶ μὲν τοῖς ἀναξίως πράττουσι κακῶς, συνάχθεσθαι καὶ ἐλεεῖν: τοῖς δὲ εὖ, νεμεσᾶν: ἄδικον γὰρ τὸ παρὰ τὴν ἀξίαν γιγνόμενον.

Oportet enim propter eos, qui indigne male rem gerunt, vna cum ipsis angi, & misereri ipsos: propter eos autem, qui bene, indignari: iniustum enim est quidquid fit praeter dignitatem.

NON est cunctandum inquit, cum videmus aliquos contra ipsorum merita miseros, malis eorum angi, nec iustam vmquam reprehensionem res habet: quemadmodum etiam stomachari, cum fortunatos quospiam, indignos illo statu, videmus: quod enim contra dignitatem fit, iniquum semper, improbumq; est, ac iustum dolorem gignit: iniustum autem est, malis, bene esse: bonis autem, male. Non nulla hic addidi, secutus in primis auctoritatem antiquissimi libri: in quibus καὶ ἐλεεῖν, expressa etiam verba a vetere tralatione: puto autem ipsa tamquam declarationem posita hic fuisse antecedentis verbi: illo enim vti videbatur debuisse, vt statim in contrario motu indicando, contrario facit. εὖ etiam, quod restitui, cur non recipi debuerit, non video: vt hic sensus sit totius partis: illis vero, qui bene rem gerunt indigne, decet nemesi affici: repeti enim ἀπὸ κοινοῦ debet ἀναξίως πράττουσι.

Διὸ καὶ τοῖς θεοῖς ἀποδίδομεν τὸ νεμεσᾶν.

Quare dijs tribuimus indignationem.

VNDE

VNDE (inquit) nos hoc intelligentes: a bona ſcilicet indole proficiſci nemeſin: & eſſe aequum hunc dolorem, dijs immortalibus tribuimus hunc affectum: quod Homerus ſaepe fecit, vt accurate illic exemplis poſitis declarat Plutarchus: neque enim, ſi improbum iniquumq; foret libere indignari, dijs illud aſſignaremus: nihil enim ab illis geri, quod iuſtum ſanctumque non ſit, arbitrari poſſumus.

Δόξειε δ' ἂν καὶ ὁ φθόνος τῷ ἐλεεῖν τὸν αὐτὸν ἀντικεῖσθαι τρόπον, ὡς σύνεγγυς ὂν, καὶ ταὐτὸν τῷ νεμεσᾶν: ἔστι δ' ἕτερον.

Videri autem poſſet inuidia quoque miſericordiae eodem modo oppoſita eſſe, vt quae propinqua ſit, & idem quod indignatio haec: eſt autem diuerſum quoddam.

DISCRIMEN, quod eſt inter nemeſin, inuidiamq; ponit: ſuccurritque imbecillitati multorum, qui magnopere in hoc labi poſſent, nulla in re inter ſe diſcrepare putantes hos affectus. Niſi igitur (inquit) tota res accuratius declaretur, videri potuit non nullis inuidia eodem pacto miſericordiae opponi, vt nemeſin oppoſitam eſſe diximus: nam multi falſo credunt, inuidiam aut eandem, aut parum omnino diuerſam eſſe a nemeſi, quae tamen longe alia eſt. M. Cicero in hoc errore non verſabatur, ſed vim vtriuſque nominis tenebat: cum enim ſe in epiſtola quadam ad Atticum ſcribens, gaudere oſtendiſſet ignominia aduerſarij, declarat, ſe ſine culpa hoc facere poſſe: erat enim ille indignus eo honore, quem quaerebat. quare repulſam illum tuliſſe, merito potuit gaudere: Hirrum autem intelligit, quondam competitorem ſuum. De eadem autem re in epiſtola ad M. Caelium. Sed plane gaudeo (inquit) quoniam τὸ νεμεσητὸν intereſt τοῦ φθονητοῦ. Quaſi dicens, ſi inuidia mea foret, iure optimo reprehenderer: verum quia nemeſis eſt, poſſum ſine vllo metu fateri, me gauiſum eſſe: qui autem indignantur ac fremunt, valde diſtant ab ijs, qui inuident. Iſocrates, qui cum Ariſtotele ſentit de natura harum commotionum, intelligitq; alteram vitioſam eſſe: alteram vero, non tantum culpa vacare, ſed laudi etiam tribui ſolere, diſtinctis nominibus non vtitur, verum, quam νέμεσιν philoſophus vocat, communi vocabulo, cum ea, quae iure reprehenditur, φθόνον appellat: in Panegyrico enim cum Graecos accenderet ad bellum contra Perſas ſuſcipiendum: affirmaretq; illis bellum inferre officium eſſe eorum, qui non propria commoda ſequerentur, ſed, quod aequum eſſet, ſpectarent, cum alijs antea rationibus id eiuſmodi eſſe docuiſſet, addidit. Quibus magis oportet inuidere, & eximias ipſorum fortunas ſtomachari, eos, qui non omnino humili abiectoque animo ſunt, ſed moderate hac re vtuntur, non ne illis, qui maiores opes, quam mortalis condicio ferat, tenent? minore autem copia bonorum digni ſint, quam qui apud nos miſeram vitam ducunt? In hac enim ſententia exponenda inquit. Τίσι δὲ φθονεῖν εἰκός ἐστι: cognouit tamen, cum inuidere commodis alicuius improbum eſſe intelligeret, ſi in eo genere praeſcriptio quaedam, moderatioque adhiberetur, id virtuti aſſignari debere, quae a Peripateticis νέμεσις vocatur: ipſa enim eſt, quae mediocritatem in hac re cuſtodit: inuidia vero nimium ſequitur, & exuperantia eſt. Particula δὲ reſpondet ſuperiori illi μὲν, cum inquit. μάλιστα μὲν ὁ χαλεπαίνειν νεμεσᾶν: multa autem in medium inſerta ſunt: intelligitur autem nunc manifeſto, cur ibi μάλιστα addiderit: inprimisq; miſericordiae aduerſari nemeſin dixerit: aliae namque animi motiones ipſi etiam aduerſantur, verum non ſimili modo. Quare, quin inuidia miſericordiae repugnet, non negat: ſed eodem pacto, quo nemeſis eſt, oppoſitam illi non eſſe, contendit.

Λύπη γὰρ ταραχώδης, καὶ ὁ φθόνος ἐστὶ, καὶ εἰς εὐπραγίαν.

Aegritudo namque, vim habens conturbandi, inuidia quoque eſt, & excitatur ob res alicuius ſecundas.

QVIBVS in rebus conueniat his affectibus inter ſe, exponit: habent igitur (inquit) hoc commune: vt enim nemeſis, ita inuidia aegritudo eſt, quae animum perturbat, ac ſollicitat: ambaeque aegritudines hae excitantur ob res aliorum ſecundas. quare venia dari poteſt imperitis, ſi haec ſpectantes, reliqua autem non perſpicientes, in fraudem inducti ſunt, ac diuerſas res pro eadem ceperunt.

Ἀλλ' οὐ τοῦ ἀναξίου, ἀλλὰ τοῦ ἴσου καὶ ὁμοίου.

Non tamen indigni, ſed aequalis ac ſimilis.

NEMESIS oriebatur ex bonis valde rebus turpis alicuius & improbi hominis: inuidia, honeſti etiam & probi viri, ac denique paris omnis & aequalis: inuidia enim inter aequales maxime viget: ἴσον autem, ὅμοιονque inquit, vt veteres Graeci auctores in foederibus faciendis

loqui solebant: nec non, vt Cicero quoque in libro xiij. epistolarum ad Atticum de litteris ad » Caesarem dictatorem missis, dixit. Nec mehercule scripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον, ὅμοιόνque scriberem. Discrimen autem esse inter ἴσον, & ὅμοιον, tradunt veteres grammatici ostendisse etiam Eu» ripidem, cum inquit. οὐδ' ὅμοιον οὐδὲν, οὔτ' ἴσον βροτοῖς. Esse vero ὅμοιον, qualitatis: ἴσον, quantitatis, perspicuum est.

Τὸ δὲ, μὴ ὅτι αὐτῷ τι συμβήσεται ἕτερον, ἀλλὰ διὰ αὐτὸν τὸν πλησίον, ἅπασιν ὁμοίως δεῖ ὑπάρχειν: οὐ γὰρ ἔτι ἔσται, τὸ μὲν, φθόνος: τὸ δὲ, νέμεσις, ἀλλὰ φόβος, ἂν διὰ τοῦτο ὑπάρχῃ ἡ λύπη, καὶ ἡ ταραχὴ, ὅτι αὐτῷ τι ἔσται φαῦλον, ἀπὸ τῆς ἐκείνου εὐπραξίας.

Illud autem, non quod ipsi aliquid noui euenturum sit, sed ob eum, contra quem excitantur, similiter omnibus opus est adesse: non enim amplius erit, hoc quidem, inuidia: hoc autem indignatio, sed metus, si propter hoc extiterit aegritudo, & conturbatio, quod ipsi aliquid incommodi euenturum sit ex illius prosperis rebus.

NON ita affici illos animo, quod ex bonis rebus alterius aliquid ipsi detrimenti accipere possint, aut res ipsorum malae fieri, commune omnium esse vult, qui inuident, aut indignantur: aegritudo tantum gignitur, quod is, quem nollent, adiuuatur. Nam si angerentur, quod putarent, sibi aliquid noui nasci posse, metus esset, non inuidia, aut nemesis: manifesto enim metus est, cum quispiam res suas peiores futuras putat ex melioribus alterius rebus.

Φανερὸν δὲ, ὅτι ἀκολουθήσει καὶ τὰ ἐναντία πάθη τούτοις.

Non est autem dubium, quin contrarij affectus consecuturi sint hos.

PERSPICVVM autem est, contrarios etiam affectus his affectibus, quibus tunc tenentur, qui inuident, aut indignantur, consequuturos esse in animis eorum: quomodo autem hoc fiat, exponit accurate: τούτοις enim intelligo πάθεσιν, potius, quam φθονοῦσι, καὶ νεμεσῶσιν. Declarat autem, quamuis maxime aduersari misericordiae nemesin dixerit, tamen & inuidiam ipsi aliqua ratione opponi, cum contrariae affectiones ei comitentur: sitq; a contraria indole, & natura, vnde ad misericordiam disturbandam & ipsa vtilis sit, vel potius ad viam illi obstruendam, ne in animos eorum, quorum nolumus, irrepat.

Ὁ μὲν γὰρ λυπούμενος ἐπὶ τοῖς ἀναξίοις κακοπραγοῦσιν, ἡσθήσεται, ἢ ἄλυπος ἔσται, ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις κακοπραγοῦσιν.

Qui enim aegritudine conficitur ob indignos malo, rebus aduersis oppressos, laetabitur, aut saltem vacuus ab aegritudine erit, cum contrarios illis aspexerit malis conflictari.

VERVM esse, quod antea tradiderat, ostendit. Qui aegritudine conficitur, inquit, quod spectat indignos illo statu miseros esse, voluptate afficietur, aut saltem omni dolore vacabit, cum viderit dignos malo: contrariosq; superioribus illis, aduersa fortuna vti. In antiquissimo libro non dandi casu nomina sunt, quibus significantur, indignos ea fortuna, & contrarios ipsis, rebus aduersis conflictari, sed aduerbia: & ἀναξίως enim illic, & ἐναντίως, legitur.

Οἷον τοὺς πατραλοίας, καὶ μιαιφόνους, ὅταν τύχωσι τιμωρίας, οὐδεὶς ἂν λυπηθείη χρηστός.

Veluti parricidas, & sicarios, cum supplicio afficiuntur, nemo vir probus dolebit.

QVO modo percipi voluptas possit, aut saltem non angi quempiam, commoueriq; ex malis rebus improborum, docet, declarans, non solere homines, nec debere supplicio parricidarum, aut sicariorum perturbari. Cum vero hic locus antea quoque in excusis ita legeretur, quidam defecisse praepositionem arbitrati, διὰ, ex ingenio (vt opinor) addiderunt: vnde οἷον διὰ τοὺς πατραλοίας in posteriore Veneta editione excusum videmus. Ipse, cum a manuscriptis illam abesse animaduertissem, nec vestigium eius in vetere tralatione inuenissem, non sine causa id esse existimans, cogitare mecum coepi, quomodo recepta lectio locum suum tutari posset: cognouiq; facile nec vitium vllum in eo sermone esse: nec quicquam desiderari, quod non commode illic intelligeretur: Attici enim scriptores, vt alias non nullas praepositiones, ita etiam hanc ipsam passim omittebant: quod multis exemplis optimorum auctorum, si oporteret, nullo negotio confirmaretur: Thucydides enim, Lysias, Aristophanes, alij, crebro ita locuti sunt: Aristotelem

lem autem suauitate eius sermonis atq; argutijs valde delectatum esse, cum homines ipsos non multum amaret, scripta ipsius declarant, quae elegantiarum, & atticismorum plenissima sunt. Sententia igitur ita eadem manet: eandem vero protulit Cicero in iiij. quaestione Tu-
» sculana, cum de natura misericordiae dissereret. Nemo enim (inquit) parricidae, aut prodito-
» ris supplicio misericordia commouetur. Animaduertendum autem τυγχάνειν hic in malam partem accipi: & de rebus incommodis, reijciendisq; dici, vt supra etiam fecit, cum misericor-
» diam definiuit. Terentius quoque, par huic, Latinum verbum eodem intellectu cepit. More
» hominum fit, vt quod siem nactus mali: & quae sequuntur.

Δεῖ γὰρ χαίρειν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις: ὡς δ' αὔτως καὶ ἐπὶ τοῖς εὖ πράττουσι κατ' ἀξίαν: ἄμφω γὰρ δίκαια, καὶ ποιεῖ χαίρειν τὸν ἐπιεικῆ.

Decet enim laetari, cum huiuscemodi aliquid contingit: eodemque pacto, cum aliqui bene rem gerunt pro dignitate: ambo enim iusta sunt, & gignunt gaudium in animo boni viri.

NEDVM aliquis debeat, cum nefarij ac conscelerati homines paenas dant suorum facinorum, dolere, decet (inquit) contra laetari, cum huiuscemodi aliquid euenit: & eodem pacto gaudere oportet, quemadmodum cum aliquis felix fortunatusq; est ex dignitate, & vt vita ac facta ipsius postulant: huius autem rei rationem reddens, ait: vtraeq; enim res ac gaudia iusta sunt: laetitiamque non sine causa afferunt bono viro.

Ἀνάγκη γὰρ ἐλπίζειν ὑπάρξαι ἄν, ἅπερ τῷ ὁμοίῳ, καὶ αὑτῷ.

Necesse namque est speret adfutura aliquando sibi, quae pari ac simili.

AD posteriorem hoc affectum pertinet, qui, cum videt bonum virum bene rem gerere, gaudet: cum enim sibi ipsi cognitus sit, innocentiamque suam intelligat, necesse est speret, ad se quoq; peruentura esse commoda, quae par similisq; consecutus sit.

Καὶ ἔστι τοῦ αὐτοῦ ἤθους ἅπαντα ταῦτα: τὰ δ' ἐναντία, τοῦ ἐναντίου.

Et sunt eiusdem indolis naturaeq; cuncta haec: contraria vero contrariae.

EORVNDEMQVE morum cuncta haec sunt, & in quo vnum inuentum fuerit, alia etiam sint necesse est, vt contraria his, contrariorum morum. verbi causa, qui dolet, cum videt bonos, honestosq; homines fortunatos esse (is enim aduersatur dolorem suscipienti ex rebus aduersis indignorum illa fortuna) is etiam laetabitur, cum eosdem rebus aduersis conflictari intelliget.

Ὁ γὰρ αὐτός ἐστιν ἐπιχαιρέκακος, καὶ φθονερός.

Idem enim homo malis alienis laetatur, & inuidus est.

HOC intellectu narrat, eundem esse ἐπιχαιρέκακον, & φθονερόν: quod, qui inuidi sunt, ij etiam malo alieno laetentur, & qui alterum vitium habent, altero etiam cumulentur: aliter enim verum non esset: quamuis enim finitimae affectiones hae, ac propinquae sint, eaedem tamen existimandae non sunt: sunt enim manifesto aliquo modo contrariae: nam cum moereat inuidus rebus bonis omnium, qui fortunati sunt, tantum abest ἐπιχαιρέκακος ab angore animi, vt gaudeat ac laetitia afficiatur. ipse accurate totam rem aperit, & vim vtriusq; nominis exponit.

Ἐφ' ᾧ γάρ τις λυπεῖται γιγνομένῳ καὶ ὑπάρχοντι, ἀναγκαῖον τοῦτον ἐπὶ τῇ στερήσει, καὶ τῇ φθορᾷ, τῇ τούτου, χαίρειν.

Ob quod enim aliquis aegritudine conficitur, cum exoritur, aut iam adest, necesse est hunc ob priuationem, & interitum huius, gaudere.

IS est inuidus, qui aequo animo ferre non potest, cum probus etiam vir res secundas habet. Ex quo, inquit, quispiam angitur, cum gignitur, aut iam adest, necesse est, hunc gaudere, cum illud videt disijci, perdiq;: qui autem laetitia afficitur, cum intelligit, dignos quoque bonis rebus viros, commoda amittere: ac bonam illorum fortunam disturbari, ἐπιχαιρέκακος est. Stoici homines eodem verbo eandem culpam appellabant. Nam, quo modo vim, naturamque ipsius exprimere soliti essent, docet Laërtius in Zenone, cum, quae partes subijcerentur voluptati, exponeret. ἐπιχαιρεκακία δὲ ἡδονὴ ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς. Sic autem M. Cicero in iiij. Tusculana reddidit.

voluptati,

voluptati, maleuolentia laetans malo alieno: quamuis vetus grammaticus Nonius, lactans legat: quod tamen verbum sententiam non variat: ac fortasse, vt nunc in formis excusis legitur, emendatum ab aliquo importune fuit, quod videbatur id verbum melius Graecae voci respondere. Animaduertendum autem animi affectionem illam, qua rebus secundis bonorum virorum gaudemus: nec non eam quoque, qua rebus aduersis malorum laetamur, apud Graecos etiam nomine carere: cum enim de ijs nunc loquatur, nomine ipsas non appellat. στέρησιν vero, & φθορὰν cum dixerit, respondent (vt opinor) haec verba ijs, quibus proxime vsus erat, γιγνομένῳ & ὑπάρχοντι: orbamur enim spoliamurq; ijs, quae iam tenemus. Interitus manifesto generationi alicuius rei contrarius est.

Διὸ κωλυτικὰ μὲν ἐλέους πάντα ταῦτα ἐστί: διαφέρει δὲ διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας.

Quare haec omnia viam obstruunt misericordiae: discrepant autem inter se ijs de causis, quas diximus.

QVOD διὸ (inquit) id ex omnibus, quae supra explicauit, cogitur: vnde, quae misericordiae aduersentur, manifesto perspicitur: ἅπαντα ταῦτα dicens, cuncta intellexit, quae misericordiae repugnant: illa autem discrepare inter se affirmat, ijs de causis, quae traditae sunt. Aliae namq; ab eadem natura & indole: aliae vero a diuersa proficiscuntur: verumtamen, cum hoc omnium commune sit, quod misericordiae aduersantia sunt, & quasi aditum illi claudunt, in hoc consentiunt inter se, quod cuncta similiter efficiunt, ne res, quae speciem aliquam earum habent, aut ab aduersarijs huiuscemodi esse dicuntur, luctuosae, ac miserabiles ijs, qui audiunt, videantur.

Ὥστε πρὸς τὸ μὴ ἐλεεινὰ ποιεῖν, ἅπαντα ὁμοίως χρήσιμα.

Quapropter ad non reddenda facta aliqua miserabilia, cuncta simili modo valent.

ACCVRATE videndum quomodo nunc ad misericordiam excutiendam, efficiendumq; ne res miserabiles videantur, cunctas has eodem modo valere dicat, cum misericordiae supra nemesin maxime aduersari docuerit. An similiter inquit, quia cunctae, quamuis alia magis alia, id praestent: nec earum vlla sit, quae non in eo vires exerceat suas.

Πρῶτον μὲν οὖν περὶ τοῦ νεμεσᾶν λέγωμεν, τίσιν τε νεμεσῶσι, καὶ ἐπὶ τίσι, καὶ πῶς ἔχοντες αὐτοί: εἶτα μετὰ ταῦτα περὶ τῶν ἄλλων.

Primum igitur de indignatione praecipiamus, contra quos indignari homines solent, & ob quas res, & quomodo affecti ipsi: deinde post haec de alijs.

QVOD Graeco par sit, nostri Latinum verbum non habent: & haec causa est, cur externo saepe vsi illi sint. qui hoc facere noluerunt, indignationem dixerunt: non plene tamen (nisi fallor) vim huius rei Latinum nomen exprimit. Horatius cum in ode in Menam, Sex. Pompeij li-
» bertum, liberrima indignatio inquit, νέμεσιν intellexit. Plinius quoque eo verbo vsus est. Ab
» Antonio proscriptus est Nonius senator, filius Strumae Nonij: quem Catullus in sella curu-
» li visum indigne tulit. Nam intelligi a Plinio epigramma, Quid est Catulle, quod moraris emori, apertum est: vt etiam motum illum animi Catulli a Graecis appellari nemesin, constat. Cum autem propositum ipsi nunc sit explicare motus animi, qui ad misericordiam extinguendam valent, in primis ostendit se nemesin pertractaturum: qua in re aggredienda seruat id, quod in singulis his motibus exponendis, diligenter custodiuit, ac partitur in tria: aduersus quos ita affici homines consuerunt: quas nam ob res, & quomodo ipsi affecti: ijs autem omnibus rebus explicatis, narrat se reliquos motus animi, qui & ipsi disturbandae misericordiae vtiles sunt, expositurum.

Φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων: εἰ γάρ ἐστι τὸ νεμεσᾶν λυπεῖσθαι ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὐπραγεῖν, πρῶτον μὲν δῆλον, ὅτι οὐχ οἷόν τε ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς νεμεσᾶν.

Perspicuum autem est ex iam dictis: si namque indignari est confici aegritudine, ob eum, qui videtur indigne bene rem gerere, primum quidem apertum est fieri non posse, vt propter cuncta bona existat indignatio.

CVNCTA ex ijs, quae iam tradita sunt, plana esse inquit: supra enim, cum vim verbi νεμεσᾶν indicauit, & quae inuoluta esset in eo notio aperuit, haec etiam, quae tamen ipse vberius accuratiusque

ratiusque declarabit, patefecit: primum enim (inquit) si νεμεσᾶν est, vt supra ostendi, angi alicuius causa, qui videatur indigne atque immerito bene rem gerere, perspicuum est non posse hunc motum excitari ob cuncta bona: cuius rei statim rationem reddit.

Οὐδεὶς γὰρ, εἰ δίκαιος, ἢ ἀνδρεῖος, ἢ εἰ ἀρετὴν λήψεται, νεμεσήσει τούτῳ.

Nemo enim, si iustus vel fortis, siue virtutis compos fiet, indignabitur ob hoc.

NON excitatur nemesis, siquis iustus, aut fortis est, aut si virtutem aliquam consequetur: e definitione autem hic quoque nemesis intelligitur: cum enim vulgo homines indignentur, improbos turpesq; honoribus, ac praemijs affici: nec non praeclara quaedam bona adipisci, non sunt virtutes e genere eorum bonorum, quae ad indignos vmquam deueniant: nemo enim eodem tempore improbus, ac studiosus virtutis esse potest: neque a fortuna obtinentur, sed studio ac cura comparantur: iniquo autem animo ferunt, ac iusta de causa, probi homines, quae ad ipsos, suiq; similes pertinebant, ad impuros, facinorososq; deuolui. & hic animi ipsorum dolor, nemesis est. indignos aliquo bono, eo ornari: nemo vero virtute praeditus, indignus illa videri vllo pacto potest.

Οὐδὲ γὰρ οἱ ἔλεοι ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις τούτων εἰσίν.

Neque enim misericordia in contrarijs horum exoritur.

A CONTRARIO hoc confirmat: neq; enim (inquit) misericordia commouemur, cum videmus quempiam iniustum esse ac timidum, quamuis maximis malis prematur: sua enim culpa qui sunt, huiuscemodi sunt: neque in fortunam crimen conferre possunt, nec illis malis indigni vmquam existimari debent.

Ἀλλ᾽ ἐπὶ πλούτῳ, καὶ δυνάμει, καὶ τοῖς τοιούτοις, ὅσων, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἄξιοί εἰσιν οἱ ἀγαθοί.

Sed ob diuitias, & opes, & huiuscemodi bona, quibus, vt simpliciter loquar, digni sunt probi viri.

SED tunc (inquit) indignamur, cum magnas diuitias atque opes, & eius generis bona consecutos videmus nequissimos homines, quibus & illi indigni, & probi, atque innocentes homines digni erant: haec enim huiuscemodiq; commoda in vita saepe obtinentur ab ignauissimis, & qui illa studio laboreq; suo non quaesiuerunt.

Καὶ οἱ τὰ φύσει ἔχοντες ἀγαθά: οἷον εὐγένειαν, καὶ κάλλος, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Et illis, qui instructi sunt bonis suis a natura. veluti nobilitate, & pulchritudine, & ceteris omnibus, quae sunt huius generis.

ET, vt aduersus compotes alicuius virtutis nemo inuenitur, qui libere indignetur, quod eo bono fruantur, ita etiam aduersus eos, qui bona illa habent, quae natura mortalibus dare consueuit: ea autem sunt nobilitas, pulchritudo, ceteraque huiuscemodi: non enim potest quisquam indignus videri his bonis, quae natura suo iure hominibus dilargitur: & in quem illa collata sunt, is ea recte atq; ordine possidere existimatur. Cum autem tradat, neminem stomachari atque indigne ferre, si videt quempiam virtutem eximiam aliquam consecutum: hinc etiam manifesto intelligitur, nemesin ab inuidia discrepare: inuidemus enim sapientibus ac studiosis viris, dolemusq; illos nobis praestare ac meliores haberi, nisi cotidianis beneficijs nos demulceant, ac singularibus commodis in nos collatis, inuitos se amare cogant. Hoc elegans scriptor Isocrates in laudatione Helenae, & alius non malus auctor apud Stobaeum, vbi sententias plurimas veterum scriptorum de pulchritudine collegit, docet.

Ἐπειδὴ δὲ τὸ ἀρχαῖον ἐγγύς τι φαίνεται τοῦ φύσει, ἀνάγκη τοῖς τὸ αὐτὸ ἔχουσιν ἀγαθὸν, ἐὰν νεωστὶ ἔχοντες τυγχάνωσι, καὶ διὰ τοῦτο εὐπραγῶσι, μᾶλλον νεμεσᾶν.

Quia autem, quod antiquum est, propinquum esse videtur eius, quod natura constat, necesse est aduersus eos, qui idem bonum habent, si nouissimo tempore nacti fuerint, ob idque bene rem gesserint, magis indignari.

QVIA (inquit) quod priscum & inueteratum est, parum abest ab naturali, ac paene illud reddit: vidimus autem non excitari nemesin aduersus eos, qui bona, quae in se habent, a natura

Ii habent.

habent, quare necesse est magis excitetur aduersus eos, qui idem bonum modo obtinuerint: eoque ornati atque aucti, in praeclara fortuna viuunt. Varietatis autem hoc inueni in antiquissimo libro, quod ἢ διὰ τοῦτο hic, non, quaemadmodum in excusis, & alijs scriptis legitur, καὶ διὰ τοῦτο, vt diiungat, non copulet: quam scripturam vetus quoque tralatio sequitur.

Μᾶλλον γὰρ λυποῦσιν οἱ νεωστὶ πλουτοῦντες, τῶν πάλαι, καὶ διὰ γένους.

Maiorem enim nobis dolorem inurunt, qui nuper diuites facti sunt, quam qui olim, & quasi proprias res sui generis habent.

HOC saepe inquit (quod ad rem confirmandam valet) animaduertere potuimus: maiorem enim nobis dolorem inurunt: magisque in oculos nostros incurrunt, qui modo diuites facti sunt, quam qui diu in amplo patrimonio vixerunt. subitaeque quorundam ac nouae diuitiae animos etiam bonorum virorum sollicitant, & angunt: causa huius rei est, quia qui veteres possident, quasi naturales illas diuturno vsu habere videntur: bona autem a natura impetrata indignationem non excitant. quod vero διὰ γένους emendaui, haec scriptorum omnium librorum lectio est: itaq; prorsus legi debet: nam in excusis antea mendose διὰ γένος erat: valet autem, quam, qui multo antea tempore copiosi fuere, & hoc a maioribus suis acceperunt: quod in illa familia diuturnae diuitiae floruerunt.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἄρχοντες, καὶ δυνάμενοι, καὶ πολύφιλοι, καὶ εὔτεκνοι, καὶ ὅτιοῦν τῶν τοιούτων.

Similiter autem, & qui vetus imperiū habent, & opes, & abundant amicis, & multos filios habent, eosq; bono ingenio praeditos: & quodcunq; aliud huiuscemodi bonum.

QVOD de nouis diuitijs, de nouis etiam alijs huiuscemodi bonis dici potest: qui enim ad honores, ciuilemq; potentiam repente deuenere, magis vrunt, quam qui & in illis rebus diu versati sunt, & tamquam hereditaria ipsa possident. Eadem ratio est eorum, qui subita alia commoda consecuti sunt: vt qui florent copia amicorum: quibus multi & probi filij paruo temporis spatio contigere.

Κἂν διὰ ταῦτα ἄλλο τι ἀγαθὸν γίγνηται αὐτοῖς, ὡσαύτως.

Et si ob haec aliud quoddam bonum aduenerit ipsis, eodem pacto.

QVAE supra bona exposuit, non solum ipsa iuuant, sed etiam ad alia bona paranda praesto sunt: non pauci enim beneficio diuitiarum honores consequuntur. Cum igitur (inquit) auxilio priorum illorum bonorum quibusdam aliquid boni partum sit, magis haec res pungere consueuit, nisi bona illa antiqua, & quasi propria habuerint.

Καὶ γὰρ ἐνταῦθα μᾶλλον λυποῦσιν οἱ νεόπλουτοι, ἄρχοντες διὰ τὸν πλοῦτον, ἢ οἱ ἀρχαιόπλουτοι: ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Etenim hic magis vrunt noui diuites, qui nacti sunt imperium beneficio diuitiarum, quam qui antiquitus diuites fuerunt: similiter autem, & in alijs rebus.

QVOD paulo supra contingere docuimus (inquit) cum de bonis subito partis ageremus, idem nunc de commodis ope repentinorum bonorum acquisitis, agentes, affirmamus: vt enim illic diuitiae subitae magis vrunt, ita hic, qui paulo antea pauperes erant, repenteq; diuites facti sunt, si beneficio nouarum illarum diuitiarum magistratus, amplissimosque honores consequuntur, magis offendunt animos proborum, quam, qui priscas diuitias possident, si commendatione & ipsi patrimonij, ad eosdem gradus honoris venerint: eandem autem rationem esse aliarum rerum tradit, neq; in hoc solo id verum esse. Delenda autem fuit ex impressis codicibus copula, quae omnem sensum turbabat: quod praeter rationem ipsam, persuasit nobis antiquorum librorum auctoritas: antea enim ἄρχοντες καὶ διὰ τὸν πλοῦτον, mendose legebatur.

Αἴτιον δ' ὅτι, οἱ μὲν δοκοῦσι τὰ αὑτῶν ἔχειν: οἱ δ', οὔ: τὸ γὰρ ἀεὶ οὕτω φαινόμενον ἔχειν, ἀληθὲς δοκεῖ.

Causa autem huius est, quia hi videntur res suas habere: hi vero, minime: quod enim semper hoc pacto visum est se habere, verum putatur.

CAVSAM,

CAVSAM, cur veteres diuitiae minus quam nouae offendant, affert (superiori enim sententiae respondet haec pars.) Hoc igitur fit (inquit) quia alteri videntur res suas habere: alteri vero minime, sed vnde quoq; hoc fiat docens, ait: quod enim semper eodem statu spectatum est, aequum, iustumq; videtur: ἀληθὲς enim appellat aequum, vt alij Graeci scriptores saepe fecerunt, eadem ratione, qua Latini quoque, optimi auctores, crebro verum iustum vocarunt. i sunt Cicero, Virgilius, Horatius.

Ὥστε οἱ ἕτεροι, οὐ τὰ αὐτῶν ἔχειν.

Quapropter illi alteri, non suas res habere existimantur.

QVA de causa (inquit) alteri, idest, qui subito facti sunt diuites, ob rei nouitatem, & quia numquam antea visi sunt aliquid possedisse, res alienas, non suas, habere creduntur: odiosum autem esse, nec ferri vllo modo posse, quempiam res alienas tenere, manifestum est.

Καὶ ἐπεὶ ἕκαστον τῶν ἀγαθῶν οὐ τοῦ τυχόντος ἄξιον, ἀλλά τις ἐστὶν ἀναλογία, καὶ τὸ ἁρμόττον.

Et quia vnumquodque bonum non quolibet dignum est, sed est quaedam proportio, requiriturque, quod personae congruat.

POSSE iustam hanc indignationem saepe etiam excitari aduersus probos & honestos viros, docet, ponens non omne commodum omnem hominem decere, quamuis innocentem ac bonum: hoc enim concesso nullum negotium est, quod vult, probare. quia (inquit) non omne bonum cuiuis homini congruit, verum est proportio quaedam in his rebus, atque hoc huic conuenit, quod illi minime quadrat, & quae sequuntur: ipse enim exemplis rem confirmat: &, quod dixerat, verum esse docet. Nam nouum, falsumq; hoc fortasse multis videri potuit, virtutis compotem virum non omni bono dignum esse.

Οἷον ὅπλων κάλλος, οὐ τῷ δικαίῳ ἁρμόττει, ἀλλὰ τῷ ἀνδρείῳ: καὶ γάμοι διαφέροντες, οὐ τοῖς νεωστὶ πλουτοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς εὐγενέσιν.

Veluti pulchra arma non iusto viro, sed forti congruunt: & virgo lectissima non apte in matrimonio collocatur cum eo, qui modo diues euaserit, sed cum adolescente nobili.

EXEMPLI causa (inquit) speciosa arma, non iusto viro, sed forti, congruunt: atq; eximiae formae, & praestantis sanguinis ac virtutis virgo, cum adolescente nobili potius, quam cum modo diuite facto, matrimonio coniungi debet. vt autem vxorem, summo loco natam: corporisque atq; animi dotibus eximiam, significare volens, γάμον διαφέροντα vocauit, ita etiam Plutarchus in Pelopida, cum ipsum hoc quoque bono cumulatum fuisse significaret, inquit. Πελοπίδᾳ δ᾽ ἦν μὲν γάμος λαμπρός. Obiecit, quod ad arma pertinet, Aiax apud Ouidium Vlyssi, in contentione de armorum iudicio.

Ἐὰν οὖν, ἀγαθὸς ὤν, μὴ τοῦ ἁρμόττοντος τυγχάνει, νεμεσητόν.

Si igitur probus etiam vir, quod minime congruit, consecutus fuerit, potest id indignationem excitare.

HOC igitur plano facto inquit, cum probus etiam vir, quod ei non conuenit, consecutus fuerit, merito potest aduersus eum indignatio excitari.

Καὶ τὸν ἥττω τῷ κρείττονι ἀμφισβητεῖν: μάλιστα μὲν οὖν τοὺς ἐν τῷ αὐτῷ.

Et inferiorem cum superiore contendere: maxime quidem, si in eadem re, studioque ita dispares sunt.

MOVET etiam indignationem, videre inferiorem cum superiore controuersari: hoc enim primo generatim inquit: verum, cum id non vno modo fieri possit, sintque in hac re gradus quidam, adiungit. Praecipue si in eo studio, & artificio dispares inter se sint, de quo lis inter ipsos, & contentio exorta est. quod si in ijsdem rebus dispares illi non sint, sed in diuersis, quocunq; modo inferior cum superiore certamen instituit, indignationem gignit: vt si de summo loco in ciuitate orator cum imperatore concertet: minor enim est ars oratoris, quam ducis publicarum copiarum.

Ὅθεν καὶ τοῦτ᾽ εἴρηται. Αἴαντος δ᾽ ἀλέεινε μάχην Τελαμωνιάδαο: Ζεὺς γάρ οἱ νεμέσαχ᾽, ὅτ᾽ ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο.

Unde hoc dictum est. Aiacis autem, Telamonis filij, congressum in acie declinabat: Iuppiter enim indignabatur, quod cum meliore viro dimicaret.

QVO sensu ait, hoc a summo poëta dictum est: Aiacis autem pugnam declinabat, Telamonis filij: quia Iuppiter ferre non poterat atque stomachabatur, quod cum praestantiore viro congrederetur. Duo autem hi continentes versus apud Homerum nunc minime leguntur: non pauci enim ex eo poëmate olim a criticis sublati sunt: prior sane in xj. Iliadis legitur: nec sequitur ipsum, qui hic ipsi adiunctus est: eum tamen locum arbitror significari: posterioremq; hunc illic defecisse suspicor. eosdem vero Plutarchus in vita eius poëtae adducit, cum significare vellet sensisse illum cum Aristotele, qui & nemesin & misericordiam, motus animi, bonos, ac polito viro dignos, existimauit, cum ambos Ioui tribuat. discrimen hoc tantum est in posteriore versu, quod apud Plutarchum νεμεσᾶθ' ὅτι legitur: hic autem aut νεμέσησ' ὅτι, aut νεμεσσᾶχ' ὅτι, vt in fidelioribus libris.

Εἰ δὲ μή, κἂν ὁπωσοῦν ὁ ἥττων τῷ κρείττονι. οἷον εἰ ὁ μουσικὸς τῷ δικαίῳ: βελτίων γὰρ ἡ δικαιοσύνη τῆς μουσικῆς.

Si vero non, etiam si quouis modo inferior cum superiore certaret. veluti si musicus cum iusto viro contendat: melior enim iustitia, quam musica.

SI non, inquit: idest, si in eodem studio inferior non sit, quocunq; modo inferior sit, qui minor cum superiore certamen instituit, indignationem mouet. Respondent autem haec superioribus illis verbis. μάλιστα μὲν οὖν ἐν τῷ αὐτῷ: illa enim aequior veriorq; erat indignatio: quid enim improbius fingi potest, quam si de ingenio cum aliquo contendat, qui pusillum, aut tardum etiam habet, cum eo, qui excellenti praeditus sit? Sed etiam ferri non potest, qui in diuersis valde illi cedit, si existimat se illis ornatum, parem superiori dote praedito, esse. exemplum ipse attulit: vt si musicus cum iusto viro de dignitate contendat: praestantior enim multo iustitia est arte musica.

Οἷς μὲν οὖν νεμεσῶσι, καὶ δι' ἅ, ἐκ τούτων δῆλον: ταῦτα γὰρ καὶ τὰ τοιαῦτά ἐστιν.

Aduersus quos igitur indignatio commouetur, & propter quae, planum est ex his: haec enim & huiuscemodi sunt.

NARRAT se trium partium duas absoluisse: nam & aduersus quos homines haec indignatio exoriatur, & ob quae maxime commoda, immerito ab ipsis possessa, aut quaesita, ex ijs, quae explicauit, planum esse tradit: quamuis excogitari posse aliqua huius generis fateatur, quae, cognitis ijs, ob similitudinem, subtilem ac diligentem virum fallere non possint.

Αὐτοὶ δὲ νεμεσητικοί εἰσιν, ἐὰν ἄξιοι τυγχάνωσιν ὄντες τῶν μεγίστων ἀγαθῶν, καὶ ταῦτα κεκτημένοι: τὸ γὰρ τῶν ὁμοίων ἠξιῶσθαι τοὺς μὴ ὁμοίους, οὐ δίκαιον.

Ipsi autem propensi ad indignandum sunt, si digni fuerint maximis bonis, atq; haec adepti sane sunt: paribus enim dignos censeri, qui non sunt pares, non iustum est.

QVOD tertium restabat, quorum animi facile indignentur, nec ferre vllo pacto possint has res, exponit. Qui igitur ipsi maximis quibusdam bonis digni existunt, eaque adepti iam sunt, procliues ad hunc motum sunt: ac secum stomachantur, cum vident bona eadem consecutos homines, ipsis indignos: non sine causa autem hoc illos facere ostendit: neque enim (inquit) par, aequumq; est, dissimiles, disparesq; paribus honoribus, ac praemijs auctos esse. Animaduertendum autem hoc primo in loco requiri, vt ornati sint ijs bonis, quibus digni sunt: neq; enim, quamuis digni forent, nisi ipsa possiderent, ea de causa possent ita affici: quod scilicet dissimiles sibi viderent, similibus bonis cumulatos: quemadmodum etiam, si, quamuis adepti forent, illis essent indigni: neq; enim possent stomachari, quod ipsi obtinuere, alios etiam pares ipsis obtinuisse. Cum hic vero antea instanti tempore ἀξιοῦσθαι legeretur, emendaui, vt in antiquissimo codice inueni, ἠξιῶσθαι: quo rem factam esse: dignosq; eos iam habitos, atque ornatos maximis illis bonis declaratur. Sed etiam paulo supra, eandem auctoritatem secutus, ὄντες restitui, quod ab excusis libris aberat, ad elegantiam autem sermonis valet: ita enim Attici loquebantur. vtramque castigationem confirmat, fide ac simplicitate sua, vetus tralatio.

Δεύτερον δ' ἂν ὄντες ἀγαθοὶ καὶ σπουδαῖοι τυγχάνωσι: κρίνουσί τε γὰρ εὖ, καὶ τὰ ἄδικα μισοῦσι.

Secundum

Secundum est, si probi viri, & studiosi virtutis extiterint: existimant enim de rebus recte: & iniusta facta odio prosequuntur.

SECVNDVM genus est, si probi ipsi ac studiosi viri fuerint: neq; enim hi quoque ferre possunt praeclara bona ad indignos homines deferri: nec tamen hi, vt primi illi, se quoque spectant, ac dissimilitudine personarum notata, si paribus muneribus deteriores compensentur, indigne ferunt: probi enim tantum finguntur, non vt superiores, cumulati maximis bonis. causam huius rei afferens, inquit: qui enim huiuscemodi sunt, recte res existimant, & quae iniusta sunt, oderunt: iniustum autem est honoribus ac praemijs improbos cumulari. Quia vero non nulli non poterant distinguere νεμεσητικοὺς ἀπὸ τῶν φθονερῶν, & eosdem esse rebantur, qui libere indignarentur, & qui aliquibus, quod res ipsorum secundae forent, inuiderent: ideo, quos homines hic vere affirmat Aristoteles esse νεμεσητικοὺς, illos ipsi inuidos falso esse putabant: & aiebant studiosum virtutis virum inuidum esse: hanc enim causam illis fuisse puto erroris: quomodo autem tam absurda opinio refelli possit, docuit accurate ipse in ij. libro Topicorum.

Καὶ ἐὰν φιλότιμοι, καὶ ὀρεγόμενοι τινῶν πράξεων, καὶ μάλιστα περὶ ταῦτα φιλότιμοι ὦσιν, ὧν ἕτεροι, ἀνάξιοι ὄντες, τυγχάνουσι.

Et si cupidi honoris sunt: appetuntque facultatem sibi dari rerum gerendarum, & maxime, si desiderio illor. honorum incensi sunt, quos alij, indigni ipsis, adipiscuntur.

TERTIVM genus est eorum, qui cupidi honorum sunt, optantq; mandari sibi aliquam partem reipublicae, in qua regenda virtus ipsorum enitere possit: maxime autem indignantur, si ambitio ipsorum ad ea extenditur, quae qui tractare nesciunt, nec rebus illis gerendis vlla ex parte apti erant, consecuti sunt. In hoc variari inter scriptos libros hic animaduerti, quod non nulli pro πράξεων, habent, πραγμάτων. vetus tralatio cum excusis facit: antiquissimus liber ex altera parte stat: discrimen in verbo tantum est: sententia, vtro modo legatur, eadem est.

Καὶ ὅλως οἱ ἀξιοῦντες αὐτοὶ αὑτοὺς, ὧν ἑτέρους μὴ ἀξιοῦσι, νεμεσητικοὶ τούτοις, καὶ τούτων.

Ad summamque, qui dignos semet ipsos putant ijs bonis, quibus alios dignos non putant, consuerunt indignari aduersus hos, & horum causa.

DEMVMQVE (inquit) illi indignantur, qui praeclara de se iudicia fecerunt, atq; ijs honoribus ac praemijs se dignos putant, quibus alios non putant: quamuis etiam hae ipsorum existimationes rectae non sint: magisq; fortasse sibi tribuant, atq; alijs detrahant, quam vere facere possint: haec enim quoque falsa in animis ipsorum de se, & alijs opinio, eandem vim habet: nam ij etiam indignantur aduersus illos, quos se deteriores iudicant, si ea commoda consecuti fuerint, & ob eas res maxime, quibus se multo digniores, siue vere, siue falso, arbitrantur.

Διὸ καὶ οἱ ἀνδραποδώδεις, καὶ φαῦλοι, καὶ ἀφιλότιμοι, οὐ νεμεσητικοί: οὐδὲν γάρ ἐστι τοιοῦτον, οὗ αὑτοὺς οἴονται ἀξίους εἶναι.

Quapropter homines seruilis ingenij, & inertes, & qui vacui a desiderio honoris sunt, non mouentur ad indignationem: nihil enim tam tenue est, quo semet ipsos dignos arbitrentur.

ET haec causa est (inquit) cur non nulli liberi homines, qui tamen a mancipijs non valde ingenio discrepant: suiq; valde despicientes sunt: nec non alij nequam abiectiq;, vt etiam, qui honoris contemptores sunt, non indignantur, cũ vident, quae ceteri patienter ferre non possunt: nihil enim est, quo se dignos reputent, ac sua ipsi sententia damnati sunt. Tres autem hae naturae hominum tribus illis superioribus, eodem etiam ordine, respondent. Isocrates in Panegyrico, quos hic intelligit Aristoteles, ἀνδραποδώδεις vocans, appellauit ἀνάνδρως διακειμένους, cum solum hoc genus hominum affirmaret posse aequo animo ferre diuitias immensas, & opes Persarum: reliquis enim omnibus, qui viri essent, illae stomachum facerent: locus a me supra expressus est. Sunt vero plures scripti libri, & ij quidem meliores, a quibus τοιοῦτον abest, quod excusi omnes in reddenda eius rei ratione, habent: vetus tamen tralatio id verbum exprimit, & in calamo notatis etiam quibusdam legitur.

Φανερὸν δ' ἐκ τούτων ἐστὶ ποίοις ἀτυχοῦσι, καὶ κακοπραγοῦσιν, ἢ μὴ τυγχάνουσι, χαίρειν ἢ ἀλύπως ἔχειν δεῖ· ἐκ γὰρ τῶν εἰρημένων τὰ ἀντικείμενα δῆλά ἐστιν.

Perspicuum autẽ est ex his, ob quales homines miseros, & male rem gerentes, siue non consequentes, quod volunt, gaudere, aut saltem non dolere, oportet: ex ijs enim, quae dicta sunt, contraria ipsis aperta sunt.

AFFECTIONEM animi, nemesi contrariam: quae tamen ab eadem indole ac moribus proficiscitur: illam scilicet, qua rebus aduersis improborum gaudemus, aut saltem non dolemus, cuiusmodi sit, ex his, quae de nemesi iam dicta sunt, a contrario patere inquit: si enim nemesis angitur rebus bonis eorum, qui digni bono non erant, commendaturq;: recta etiam contraria illi affectio, rebus malis, malo dignorum, gaudebit. Quare (inquit) cum affectiones hae misericordiae repugnent, si quis eas in animis iudicum oratione excitabit contra commoda eorum, qui sui misereri oportere dictitant, atq; id summis precibus contendunt, fieri non potest, vt illi compotes desiderij fiant, ac de se misericordiam in animis iudicum moueant. Conflari autem nemesin, & misericordiam disturbari in iudicibus tradit, si ostendamus eos, vnde misericordiam auferre volumus, indignos esse, qui eam consequantur, cum ea in se non habeant, quae merito illam mouerent: dignos autem qui non obtineant: quorumque neminem misereat, cum his rebus abundent, quae a misericordia aliena sunt.

Ὥστε ἂν τούς τε κριτὰς τοιούτους παρασκευάσῃ ὁ λόγος καὶ τοὺς ἀξιοῦντας ἐλεεῖσθαι, καὶ ἐφ' οἷς ἐλεεῖσθαι, δείξῃ ἀναξίους μὲν ὄντας τυγχάνειν· ἀξίους δὲ μὴ τυγχάνειν, ἀδύνατον ἐλεεῖν.

Quare si iudices tales reddiderit oratio, & eos, qui postulant, vt sui misericordia habeatur, & propter quas res habeatur, ostenderit indignos esse, quorum nos misereat: dignos autem, qui non adipiscantur, fieri non potest, vt nos eorum misereat.

REBVS, quae ad motum animi, quo indignamur pertinent, explicatis, quomodo ipsis vti debeat orator, breui ostendit: si enim (inquit) oratio huiuscemodi eos, qui de rebus illis existimant, confirmarit quales docuerat esse, qui facile stomacharentur: orationis enim praesidio haec ab eo conficienda sunt, & eos, qui implorant illam, ac postulant, vt de se iudices misereat, quibus verbis significauit reos atque aduersarios, indignos, qui obtineant, quod volunt: potiusq; in se habere, quae a misericordia excitanda in alijs remota sunt: nec non res eas, quas ami serunt, aut mala, in quibus versantur, huiuscemodi non esse, vt misericordia ob illa commoueri debeat, efficient, quod conantur: & misericordiae motum ab iudicum animis longe pellent.

Δῆλον δὲ καὶ ἐστὶ τίσι, φθονοῦσι, καὶ τίσι, καὶ πῶς ἔχοντες.

Manifestum etiam est, ob quae inuidere solent, & quibus hominibus, & quomodo ipsi affecti.

COGNITA natura inuidiae (quam tamen Cicero inuidentiam appellari vult, propter ambiguum nomen inuidiae) reliqua perspicua esse tradit, & ob quae bona, ab illis possessa: & quibus homines inuidere soleant, nec non quomodo ipsi affecti: definitionem autem inuidentiae, non dissimilem huius, affert Cicero in iiij. libro Tusculanarum: quam tamen a Stoicis accepit.

Εἴπερ ἐστὶν, ὁ φθόνος λύπη τις ἐστὶ ἐπὶ εὐπραγίᾳ φαινομένῃ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν περὶ τοὺς ὁμοίους.

Siquidem inuidia est aegritudo quaedam, orta e prosperitate putata dictorum bonorum, in similibus personis.

SIQVIDEM haec est natura inuidiae: idest si aegritudo quaedam illa est, qui gignitur ob res aliquorum secundas: aut quae speciem earum habeant: quae tamen eximia fortuna constet ex bonis supra a nobis explicatis: illi autem, quibus ea contigere, similes ijs sint, qui ita animo afficiuntur: nec tamen, vt inde aliquid ipsi expectent, verum illorum tantum causa, quos aegre ferunt ijs bonis cumulatos. Intelligit vero bona, quae supra indicauit, cum de nemesi loqueretur: idest nobilitatem, pulchritudinem, vires, opes, diuitias, honorem, & cetera, quae fortuna, quibus ipsi placet, dilargitur: neq; enim quisquam inuidet forti viro, aut iusto, aut temperanti, nisi quia honos ac gloria his virtutibus paritur.

Μὴ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλὰ δι' ἐκείνους.

Non vt aliquid ipsi, sed propter illos.

NON enim sua commoda respicit, qui inuidet: neq; angitur animo, quod metuat, ne secundae res eius, cui inuidet, sibi obsint: aut speret, si ille forte ijs orbatus fuerit, ad se peruentura esse, sed tantum nollet eum illis bonis frui.

Φθονήσουσι μὲν γὰρ οἱ τοιοῦτοι, οἷς εἰσί τινες ὅμοιοι, ἢ φαίνονται: ὁμοίους δὲ λέγω κατὰ γένος, κατὰ συγγένειαν, καθ' ἡλικίαν, κατὰ ἕξιν, κατὰ δόξαν, κατὰ τὰ ὑπάρχοντα.

Inuidebunt enim huiuscemodi, quibus sunt aliqui similes, aut videntur: similes autem dico genere, cognatione, aetate, habitu animi, existimatione, re familiari.

IN definitione omnia continentur, & qui acute perspiciet, omnia illic adumbrata videbit: primum, quia traditum est, inuidiam versari circa pares, ostendit eos inuidere, quibus aliqui pares sunt, aut videntur: quos autem pares dicat, accurate exponit: quamuis idem supra fecerit: cum enim pares parium misericordia moueri dixisset, quos pares intelligeret, diligenter illic quoq; explanauit: κατὰ ἕξιν autem similes appellat, qui artibus, scientijs, & huiuscemodi rebus pares sunt: κατὰ δόξαν vero gloria, dignitate, & hominum erga ipsos existimatione similes. κατὰ τὰ ὑπάρχοντα patrimonio ac re familiari. Intelligo igitur (inquit) similes, aut genere, aut cognatione, aut aetate, aut habitu animi, aut laude ac gloria, aut fortunis. Antiquissimus liber, dissentiens a reliquis, numero multitudinis habet hic ἡλικίας & ἕξεις.

Καὶ οἷς μικροῦ ἐλλείπει τὸ μὴ πάντα ὑπάρχειν.

Et quibus parum abest, ne cuncta bona teneant.

ET ij etiam inuident, qui paene cuncta commoda, ac bona in vita consequuti sint: qui parum abest, ne omnibus vndique bonis abundent. quod si quis quaerat, cur non inquit, ij, qui cunctis bonis cumulati sunt: quibusq; nihil deest, non inscite fortasse aliquis responderet, quia nulli huiuscemodi repperiuntur: superat enim id mortalem condicionem.

Διὸ οἱ μεγάλα πράττοντες, καὶ εὐτυχοῦντες, φθονεροί εἰσι: πάντας γὰρ οἴονται τὰ αὑτῶν φέρειν.

Quare, qui magnas res gerunt, felicesq; in ipsis sunt, proni ad inuidiam sunt: arbitrantur enim cunctos mortales res suas ferre.

VNDE (inquit) videmus eos, qui praeclaras quasdam res gerunt, ac fortunati sunt, procliues ad inuidiam esse. Eius vero rationem reddens, ait: cunctos enim illi res suas ferre, atque agere putant, & quidquid honoris, praemijq; ad alios peruenit, sibi iniuste eripi. Nisi potius aliquis putet hoc pertinere ad superiorem locum, quo declarauit hoc tamquam morbo laborare, qui paene omnia bona in vita adepti sunt: causamque his verbis eius rei afferat: hi enim in primis ita affici animo possunt, vt existiment quidquid commodi ad alios peruenit, sibi extorqueri, cum ornati sint tanta copia bonorum, nec sit aliquid eius generis, quod ipsorum proprium non videatur: vt quae interiecta sint, corollarij vim habeant, ac tamquam plana certaq; ponantur. ipse sane ab hac sententia non sum alienus. Animaduertendum praeterea, dicat ne inuidere vulgo illos, qui res magnas administrant, si ijdem secunda fortuna vtuntur: an duo genera hominum intelligat, & qui res amplas gerunt, & qui suis in negotijs, quamuis tam ampla illa non sint, fortunati sunt: in antiquissimo enim libro habet etiam articulum οἱ posterior pars, hoc pacto. καὶ οἱ εὐτυχοῦντες.

Καὶ οἱ τιμώμενοι ἐπί τινι διαφερόντως, καὶ μάλιστα ἐπὶ σοφίᾳ, ἢ εὐδαιμονίᾳ.

Et qui honorantur ob aliquam rem eximie: in primisque ob sapientiam, vel beatitudinem.

NEC non, qui in aliqua arte, ac studio eximie honorantur, potissimumq; ob sapientiam, ac vitam beatam, inuidi scilicet sunt: putant enim omnes omnium laudes ad se pertinere, & quidquid alijs tribuitur, sibi auferri: potissimum autem ij huiuscemodi sunt, quibus eximij honores habentur, quod sapientiae compotes esse credantur, vitaeque beatae, quia cum rariora illa sint, iccirco magis propria esse existimantur. Διαφερόντως vero hic eximie valet, ac supra reliquos omnes. In iiij. tamen libro de moribus ad Nicomachum aliter accipi debet: significat

enim

» enim illic non vno modo. Διαφερόντως δ' ὁμιλήσει τοῖς ἐν ἀξιώμασι, καὶ τοῖς τυχοῦσιν. Animaduertet etiam condiciones omnium, nec vno modo se cum tenuis fortunae, & praestantis dignitatis hominibus geret, sed diuerso.

Καὶ οἱ φιλότιμοι φθονερώτεροι τῶν ἀφιλοτίμων.

Et cupidi honoris magis inuidi sunt, quam alieni toto animo ab honore.

POSSVNT etiam, qui non valde honoris cupidi sunt, inuidia laborare angiq;, cum vident aliquorum res secundas: ij tamen si comparentur cum studiosis atq; amantibus honoris, minus illis inuidi esse inuenientur: multo enim magis auidi laudis ac gloriae hoc morbo temptantur.

Καὶ οἱ δοξόσοφοι· φιλότιμοι γὰρ ἐπὶ σοφίᾳ.

Et qui videri volunt sapientes: auidi enim sunt honoris eius, qui conuenit sapientibus.

ET qui non tam esse, quam haberi, cupiunt sapientes: sunt enim hi quoque pars eorum, qui supra expositi sunt, cum & ipsi appetentes honoris sint: honoris autem, qui debetur sapientibus: volunt enim deferri sibi honores ob sapientiae opinionem.

Καὶ ὅλως οἱ φιλόδοξοι περί τι, φθονεροὶ περὶ τοῦτο.

Et ad summam, qui studiosi sunt gloriae in aliqua re, procliues sunt ad inuidiam, aduersus aemulos ipsius.

DEMVMQVE (inquit) & vno nomine, ne singulos enumerem, qui in aliquo studio laudem adipisci cupiunt, omnibus inuident, qui in eodem cursu versantur: nec laudari vllos in ea re aequo animo patiuntur: causa vero huius rei est, quae superiorum, qui tamquam partes huius ipsius loci sunt, fuit.

Καὶ οἱ μικρόψυχοι· πάντα γὰρ αὐτοῖς δοκεῖ μεγάλα εἶναι.

Et qui parui animi sunt: omnia enim ipsis magna videntur esse.

ANGVSTI quoque ac pusilli animi homines inuidi sunt: cuius rei causam affert, dicens: cunctas enim res, vitio quodam sui animi, magnas putant, quas cum vident aliquos adeptos, anguntur: passim vero huiuscemodi multa mortalibus contingunt: illa autem magno animo praeditis, vt etiam non tam humiliter sentientibus, dolorem non afferrent: contemnunt enim ipsa. μικρόψυχες a Graecis appellari minuti atque abiecti animi homines, in j. libro a me traditum est: Graecam vocem expressit Horatius in satyra ij. primi libri. Sordidus atque animi quod parui nollet haberi, cum de asoto loqueretur: qui dum alteram culpam metuebat, in alteram inciderat.

Ἐφ' οἷς δὲ φθονοῦσι, τὰ μὲν ἀγαθὰ εἴρηται· ἐφ' ὅσοις γὰρ φιλοδοξοῦσι, καὶ φιλοτιμοῦνται ἔργοις, καὶ ὀρέγονται δόξης, καὶ ὅσα εὐτυχήματά ἐστι, σχεδὸν περὶ πάντα φθόνος ἐστι.

Propter quae autem inuident, bona dicta sunt: propter illa enim facta, operaque, in quibus sibi valde placent, & de possessione eorum contendunt cum alijs, atque appetunt inde gloriam: & quaecunque ab egregia quadam fortuna proficiscuntur, ferme in his rebus versatur inuidia.

OB quae maxime commoda gignatur inuidia, declaratum iam esse affirmat (id autem supra fecit, cum qui forent inuidi, explanaret) breui tamen nunc quoque illa complectitur: cunctae enim res (inquit) atque opera, in quibus homines se primos haberi volunt, ac studiose cum alijs concertant, nec non summam laudem in illis adipisci cupiunt: quaedam etiam praeclara bona, quae nullo suo labore, sed beneficio fortunae homines consequuntur, inuidiam gignunt. Antiquissimus codex ab alijs, & excusis & scriptis, in hoc discrepat, quod ἔργοις ἢ κτήμασι in eo legitur, cum postremae duae voces ab illis absint: vt non ob opera quaedam tantum, verum etiam agros, reliquasq; res, ab ipsis possessas, inuidiam excitari dixerit.

Καὶ μάλιστα, ὧν αὐτοὶ ἢ ὀρέγονται, ἢ οἴονται δεῖν αὑτοὺς ἔχειν.

Et maxime, quae ipsi vel appetunt, vel oportere se tenere arbitrantur.

POTISSIMVMQVE inuidia gignitur ob eas res, benignitate fortunae subito ab alijs impetratas, quas

quas ipsi, aut appetunt, aut se habere oportere putant, quod sine illis nec honeste, nec commode se viuere posse censeant: quaedam enim optant homines, quod natura eorum desiderio flagrent: quaedam, vt statum suum ornent, ac quod se sine culpa relinquere illa non posse putent.

Ἢ ὧν αὐτοὶ τῇ κτήσει μικρῷ ὑπερέχουσιν, ἢ μικρῷ ἐλλείπουσι.

Vel quorum possessione ipsi ceteris parum praestant, vel parum inferiores sunt.

Ob eas etiam res maxime inuidia excitatur, quas cum & ipsi teneant, nec longe superant earum possessione illos, quos vident easdem consecutos: nec valde inferiores ipsis sunt: si enim alterutrum eorum fuisset, non doluissent: qui enim valde in aliquibus bonis superiores sunt, metuere non debent, ne ab inferioribus copia illorum quandoq; vincantur: qui multo inferiores sunt, existimare non possunt, se pares ipsis aliquando futuros, nec ad laudem eam aspirant. Quare ne in ipsorum quoq; animis ob id inuidia gignitur.

Φανερὸν δὲ καὶ οἷς φθονοῦσιν· ἅμα γὰρ εἴρηται· τοῖς γὰρ ἐγγὺς, καὶ χρόνῳ, καὶ τόπῳ, καὶ ἡλικίᾳ, καὶ δόξῃ, φθονοῦσιν.

Perspicuum autem est, & quibus inuident: simul namque dictum est: illis enim, qui prope accedunt, & tempore, & loco, & aetate, & gloria, inuident.

Nec dubium esse potest (inquit) quibus inuideant: cum enim, qui maxime in hunc morbum procliues sint, traditi sint, simul illud traditum est: docendi tamen gratia, & singulas res accuratius explanandi, narrat, inuidiam excitari aduersus propinquos: propinquos autem, aut tempore, aut loco, aut aetate, aut gloria. Quod ad aetatem pertinet, hoc tamquam fundamento nisus est Fabius Maximus apud T. Liuium ad extinguendum inuidiae crimen, quo flagrare se intelligebat, quia aduersabatur pulcherrimo conatui florentissimi iuuenis: docuit enim si nullae aliae res ab ea culpa ipsum vindicarent, aetatem saltem liberare debere, quod nulla aemulatio seni cum P. Scipione esse posset, qui ne filio quidem ipsius aequalis foret.

Ὅθεν εἴρηται. τὸ συγγενὲς γὰρ καὶ φθονεῖν ἐπίσταται.

Unde dictum est. Quod enim cognatum est, inuidere etiam didicit.

Quod etiam prouerbium declarat, inquit, Inuidiam inter cognatos flagrare: haec enim sententia est peruagatae huius vocis, quae senariolo continetur veteris poëtae: cuius tamen nomen dicere non possum: immutatus autem in eo est ordo duorum verborum apud antiquissimum librum: sic enim habet καὶ γὰρ. In Bruto quoque Cicero hoc eleganter expressit, cum ita loquentem ipsum de se ac Ser. Sulpicio induxit. quorum amicitiam ingens multarum rerum
» similitudo contaminare non potuerat. Simul illud gaudeo, quod & aequalitas vestra, & pares
» honorum gradus, & artium studiorumq;, finitima vicinitas, tantum abest ab obtrectatione in-
» uidiae, quae solet lacerare plerosq;, vti ea non modo non exulcerare vestram gratiam; sed etiam
» conciliare videatur.

Καὶ πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται· φιλοτιμοῦνται μὲν γὰρ πρὸς τοὺς εἰρημένους· πρὸς δὲ μυριοστὸν ἔτος ὄντας, ἢ πρὸς τοὺς ἐσομένους, ἢ τεθνεῶτας, οὐδείς.

Et illis, cum quibus de summo loco contendunt: contendunt enim cum his, qui expositi sunt: cum illis vero, qui immenso annorum spatio antea fuerunt, vel qui futuri sunt, aut cum mortuis iam, nemo.

Praeterea inuident his, cum quibus de honore ac gloria contendunt: contendunt autem de his rebus cum ijs, qui nunc traditi sunt: vt contra non certant (accurate autem hoc docet) cum contrarijs: nemo enim vnquam (ait ipse) de primo loco pugnat cum illis, qui multis antea saeculis vixerint, aut postea nasci debent (respondere autem hoc primae superiori parti, planum est) nec cum his tantum, qui longis temporum interuallis remoti sunt, non certant, sed ne cum his quidem, qui mortui iam sunt, quamuis non multum ipsos tempore antecesserint. Hoc significare voluit vox illius, qui inquit. Cum mortuis non nisi laruas luctari.

Οὐδὲ πρὸς τοὺς ἐφ' Ἡρακλέους στήλαις.

Neque cum his, qui sunt ad Herculis columnas.

NEQVE certant cum valde loco remotis: vt qui iuxta columnas, ab Hercule fixas, habitant, & in extremo margine terrarum: appellari autem mare ἔξω καὶ ἐντὸς στηλῶν ab Aristotele quoque mediterraneum, & oceanum, manifestum est: cui parti hoc respondeat, nemo non videt.

Οὐδ᾽ ὧν πολὺ οἴονται παρ᾽ αὐτοῖς, ἢ παρὰ τοῖς ἄλλοις λείπεσθαι.

Neq; cum his, quibus se valde putant, aut suo, aut aliorum iudicio inferiores esse.

SED nec cum illis quoque contendunt, a quibus putant longo interuallo, aut suo, aut aliorum iudicio, se relinqui: valdeq; dignitate, atq; opibus superari. Videtur autem hoc superiori verbo δόξῃ respondere, atque extremae illi parti, cum inquit, inuidere homines etiam ijs, qui gloria & existimatione reliquorum prope ipsos sunt: nam, quia satis planum erat, nihil hic posuit, quod ἡλικίᾳ, quod tertium illic fuit, responderet. pusillum hic discrimen scripturae est inter antiquissimum librum, ac reliquos scriptos, quod tamen contemnendum non est: in eo enim copulandi particula, non diiungendi separandiq; posita est, in his verbis: παρ᾽ αὐτοῖς, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις: tamquam alterum horum satis non sit, vt parum dignos se aduersarios illos arbitrentur, sed ambo coniungi debeant.

Οὐδ᾽ ὧν πολὺ ὑπερέχειν ὡσαύτως: καὶ πρὸς τούτους, καὶ περὶ τὰ τοιαῦτα.

Neque cum his, quibus se putant valde superiores esse: neque cum his, neque de huiuscemodi rebus.

NEC cum contrario etiam hominum genere: idest cum his, quibus se multum multumq; praestare arbitrantur. Quae sequuntur verba, propria inferioris huius loci non sunt, sed communia ipsi cum superiore: eorum autem sententia haec est. Hoc, vt in personis, ita etiam in rebus, propter quas in contentionem veniunt, verum esse: neq; enim, cum vident se multo inferiores possessione earum, aut longe superiores, de ijs concertant. discedit autem hac etiam in parte antiquissimus liber a cunctis alijs: ita enim habet ὡσαύτως, καὶ πρὸς τοὺς περὶ τὰ τοιαῦτα: quod admonere volui, quamuis vetus etiam tralatio cum reliquis faciat.

Επεὶ δὲ πρὸς τοὺς ἀνταγωνιστὰς, καὶ ἀντεραστὰς, καὶ ὅλως τοὺς τῶν αὐτῶν ἐφιεμένους, φιλοτιμοῦνται, ἀνάγκη τούτοις μάλιστα φθονεῖν.

Quia autem cum aduersarijs, & riualibus, & omnino illis, qui easdem res appetunt, contendunt de summo loco, necesse est, vt his maxime inuideant.

QVIA (inquit) omnia omnes faciunt, vt superent aemulos studiorum suorum, ac riuales: demumque cunctos, qui earundem rerum desiderio tenentur: studioseq; cum illis de primis contendunt, necesse est ijs potissimum eosdem inuidere: supra enim expositum est, cum quibus de honore concertant, ijsdem inuidere: totas autem corporis, animiq; vires contendere passim homines, vt aduersarijs, atq; ijs, qui in eodem stadio ac cursu sunt, praestent, apertum est. Eximius autem hic in animis ipsorum victoriae ardor dolorem ipsis affert, cum res aemulorum bonae sunt: quae manifesto inuidia est. Cum initio vero ἐπεὶ posuisset, ἀπόδοσιν redditionemq; illius esse, ἀνάγκη, & quae sequuntur, perspicuum est.

Οθεν εἴρηται. Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ.

Unde dictum est. Et figulus figulo.

QVO sensu (inquit) illud a sapiente poëta Hesiodo dictum est: & hoc significare ipse voluit, cum peruulgatam sententiam protulit, qua affirmauit figulum figulo inuidere: ac reliquos artifices ijs, qui in ijsdem artibus tractandis occupati sunt. antiquissimus liber, non ὅθεν: sed, quod tamen idem valet, διόπερ, habet.

Καὶ τοῖς ταχὺ, ἢ οἱ μόλις τυχόντες, ἢ μὴ τυχόντες, φθονοῦσι.

Et illis, qui celeriter: aut, qui aegre consecuti sunt, aut ne consecuti quidem sunt, inuident.

IIS etiam, qui celeriter ac nullo negotio quippiam adepti sunt, inuident qui sero, multisque cum laboribus, aut idem obtinere potuerunt, aut ne obtinuerunt quidem: dolent enim se tempore, ac facilitate superatos. Dissentit hic quoque idem liber a reliquis, quod hunc locum infra collocatum habet, exigua etiam in re immutatum: sequitur enim in eo sententiam Hesiodi,

καὶ ἂν

καὶ ὧν ἢ κεκτημένων: extremus autem horum omnium, qui indicant, qui homines inuideant, hic est, ita expositus. καὶ τοῖς ταχὺ, οἱ μόλις τυχόντες, ἢ μὴ τυχόντες, φθονοῦσι: δῆλον δέ. & quae sequuntur.

Καὶ ὧν, ἢ κεκτημένων, ἢ κατορθούντων ὄνειδος αὐτοῖς.

Et hominibus, studentibus illis rebus, quas si possederint, siue recte confecerint, dedecus ad ipsos inde peruenturum est.

INVIDENT quoque quaerentibus id, quod si acquirere illi potuerint, ad exitumq; rem perduxerint, probro ipsis futurum sit: cum enim timore huius turpitudinis sollicitentur, ita afficiuntur animo: & antequam illi adepti sint, quod student, ipsis inuidetur: suscipitur autem macula non parua, si aliqui honorem, aut praemium consequuntur, quod ipsi quoque obtinere potuissent, nisi sibi ipsis defuissent: intelligitur enim id ab inertia, aut tarditate naturae profectum.

Εἰσὶ δὲ, καὶ οὗτοι ἐγγὺς, καὶ ὅμοιοι.

Sunt autem hi, qui prope sunt, ac similes.

INTERIECI copulam inter postrema duo verba: cum enim illa in excusis libris defecisset, non parum ea res sententiam huius loci perturbabat: ita autem legi animaduerti in antiquissimo codice, & alijs etiam scriptis. quod si copula etiam seiunctae hae voces non forent, interpunctione tamen illae distinguendae erant: neq; ita capiendae, tamquam non omnino similes, sed ferme similes significare voluisset: si tamen ita legatur, omnia (vt opinor) planiora. sententia (nisi fallor) haec est. Sunt autem, qui, si quaedam commoda consecuti fuerint, aut praeclarum opus effecerint, ea res dedecori & probro his futura sit; vt superiores illi, de quibus antea differuerat, propinqui ac similes. ἐγγὺς autem, qui prope ipsos sunt, tempore vel loco: ὅμοιοι vero reliquis rebus, quas supra appellauit, similes: neq; enim in vita, studijsq; suis maculam vllam acciperent, si adipisci non possent, quae longe superiores opibus, quique vicissent illos, occasione aliqua consecuti forent: eadem enim diuersis temporibus ac locis, a dissimilibusq; viribus effici praestarique non possunt.

Δῆλον γὰρ, ὅτι παρ' αὐτοὺς οὐ τυγχάνουσι τοῦ ἀγαθοῦ. ὥστε τοῦτο λυποῦν, ποιεῖ τὸν φθόνον.

Non dubium enim est, quin sua ipsorum culpa non adipiscantur. quapropter hoc, dolorem inurens ipsis, inuidiam parit.

QVID inuidiam gignat, exponit. Perspicuum (inquit) est, planumque omnibus, non consequi hos illud bonum sua ipsorum culpa, & quod sibi ipsis desint: neque enim aliud causae esse potest, cum pares similesq; id adepti sint. qua propter, cum hoc dolorem inurat, molestumq; ipsis admodum sit, conficit inuidiam.

Καὶ τοῖς, ἢ ἔχουσι ταῦτα, ἢ κεκτημένοις, ἃ αὐτοῖς προσῆκεν, ἢ ἐκέκτηντό ποτε. Διὸ πρεσβύτεροι γε νεωτέροις.

Et illis, qui habent haec, vel possident, quae ipsis conueniebant: vel ab ipsis quondam possidebantur. quae causa est, vt seniores iunioribus inuideant.

INVIDENT quoque ijs, qui haec habent, possidentq;, quae ipsis conueniebant, ac mirifice apta erant, aut quondam ab ipsis possessa fuerunt: conueniebant autem, siue propter genus, siue propter honoris gradum, factaque in anteacta vita, siue propter aliquam huiuscemodi rem: & haec causa est (inquit) quod adolescentibus senes inuident: tenent enim ea, quae quondam ipsorum fuerunt: quibusq; ipsi a longiore aetate paene exuti, spoliatique sunt. Non sine causa igitur multi suspectam habebant sententiam Q. Fabij de non transportando in Africam exercitu: putabantq; ipsum impedire consilium P. Scipionis obtrectationis magis atque inuidiae causa, quam quod non intelligeret rationem illam belli gerendi vtilissimam esse reipublicae, ac posse liberare Italiam maximis malis, quia non ferret aequo animo crescentem in dies gloriam fortissimi iuuenis: tota enim illa bene gerendae reipublicae laus antea ipsius erat.

Καὶ οἱ πολλὰ δαπανήσαντες εἰς τὸ αὐτὸ, τοῖς ὀλίγα, φθονοῦσι.

Et qui magnos sumptus fecerunt in eandem rem, illis, qui exiguos, inuident.

QVI

Qvi etiam magnos sumptus in re aliqua sibi comparanda fecerunt, inuident illis, qui sine vlla rei familiaris iactura ac paruo denique labore, idem impetrarunt.

Δῆλον δὲ καὶ ἐφ' οἷς χαίρουσιν οἱ τοιοῦτοι, καὶ ἐπὶ τίσι, καὶ πῶς ἔχοντες.

Manifestum etiam est, & propter quas res huiuscemodi laetantur, & propter quos homines, & quomodo ipsi affecti.

Cvm planum factum sit, quae res vrant, atque aegritudines eas gignant, de quibus supra disputatum est, obscurum quoque nobis esse non posse inquit, quas nam ob res, quibusq; in personis huiuscemodi homines gaudeant: nec non quo modo affecti animis: τοιούτους autem intellexit, maleuolos homines, & improbi ingenij, qui aut rebus secundis aliorum dolent, aut aduersis laetantur.

Ὡς γὰρ μὴ ἔχοντες, λυποῦνται: οὕτως ἔχοντες, ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις ἡσθήσονται.

Ut enim non tenentes ea, dolent, ita tenentes ob contrarias res, voluptatem capient.

Servat hic, quod supra in alijs tradendis animi affectionibus custodiuit: explicata namque natura inuidiae, de contrario illi motu animi agit: qui gaudet rebus alicuius aduersis: e contrarijsq; rebus conflari docet ijs, quae inuidiam gignunt. In primisq; ostendit quomodo affecti sint, qui eo morbo laborant: contrario scilicet modo eos affectos declarans, atque affecti erant, cum inuidebant: altera enim affectio, molestia: altera, laetitia est. Quo igitur modo non sunt affecti cum dolent (id enim valet: ὡς γὰρ μὴ ἔχοντες λυποῦνται) idest cum contrario modo affecti sunt, atque affecti sunt, cum dolent: intelligere oportet alienis commodis: id autem perinde est, ac si dixisset, inuident. οὕτως ἔχοντες, ita videlicet affecti contrarijs, hoc est alienis incommodis, gaudebunt: valet vero hoc, ἐπιχαιρεκακίας morbo laborabunt: planum autem est, omnem hunc accuratum de inuidia sermonem ad misericordiam extinguendam tendere. Seruat hic quoque idem fidelissimus liber, quod supra indicaui: neque enim dandi casu ἐναντίοις habet, vt ceteri, sed aduerbium ἐναντίως.

Ὥστε ἂν αὐτοὶ μὲν παρασκευασθῶσιν οὕτως ἔχειν: οἱ δ', ἐλεεῖσθαι, ἢ τυγχάνειν τινὸς ἀγαθοῦ ἀξιούμενοι, ὦσιν οἷοι οἱ εἰρημένοι, δῆλον ὡς οὐ τεύξονται ἐλέου παρὰ τῶν κυρίων.

Quapropter si ipsi ita conformati fuerint: qui autem postulant, vt sui homines misereat, vel vt adipiscantur aliquod bonum, fuerint tales, quales sunt, qui dicti sunt, planum est eos non inuenturos esse misericordiam apud eos, in quorum, manu res est.

Intelligit (vt opinor) existimatores ac iudices, quos κριτὰς vocant. Si oratione igitur & industria oratoris animi iudicum ita conformati fuerint, vt scilicet, aut inuideant eorum bonis, aut laetentur malis: qui autem misericordiam sui excitare volunt, aut aliquod commodum impetrare student, declarati fuerint esse, quales nos supra esse ostendimus illos, quibus aut propter res secundas inuident: aut propter aduersas gaudere debent, planum est ipsos misericordiam numquam consecuturos esse, apud eos, in quorum manu & arbitrio res est.

Πῶς δὲ ἔχοντες ζηλοῦσι, καὶ τὰ ποῖα, καὶ ἐπὶ τίσιν, ἐνθένδ' ἐστὶ δῆλον.

Quomodo autem se habentes aemulantur, & qualia, & in quibus, hinc manifestum est.

Qvae ad nemesin, inuidiamque pertinebant expositis, alium affectum aggreditur: non omnino & ipsum dissimilem duorum illorum superiorum: multis tamen partibus diuersum. nam quibus in rebus discrepet ab inuidia aemulatio haec, accurate docet. Cum vim igitur ipsius rei, naturamque explanauerimus (inquit) cuncta, quae in reliquis quoque affectibus quaerere consueuimus, in hoc quoque perspicua erunt. qui scilicet. quomodoq; animo affecti, aemulentur, & quae commoda ac bona, nec non in quibus hominibus collocata. Cum in excusis autem antea, πῶς δ' ἔχουσιν οἱ ζηλοῦντες perperam legeretur, secutus fidem antiquissimi codicis & rem ipsam, πῶς δὲ ἔχοντες ζηλοῦσιν, emendaui: sequitur quoque hanc lectionem vetus tralatio.

Εἰ γάρ ἐστι ζῆλος λύπη τις, ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων, καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν, περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει.

Si namq; aemulatio est aegritudo quaedam ob putatam praesentiam bonorum, quae

honesta

honesta sunt, & vsu venire potest, vt ille ipse adipiscatur, in paribus, similibusque natura.

AEMVLATIONEM ζῆλον reddidi, vt Cicero in iiij. Tusculana fecit: eundem enim hunc affectum Stoici eodem nomine appellabant: nam ζῆλον ille expressit, cum aemulationem definijt. eam autem principes illius familiae aemulationis definitionem afferebant, quae non valde ab Aristotelea discreparet. Hyperbaton vero hic est: pendetq; omnis sententia vsque ad verba illa, ἀνάγκη δὴ ζηλωτικοὺς. multa autem in medio posita: cuncta scilicet illa, quae post explicatam naturam aemulationis addidit, vt ipsam ab inuidia seiungeret: doceretq; aemulationem motum animi probum esse: inuidiam vero prauum. relictis ijs sensus erit, atque ita cohaerebit. Si aemulatio est, quam describimus, necesse est, animi hoc affectu teneantur: & quae sequuntur. vt tamen ea, quae interiecta sunt explanemus. Si igitur (inquit) aemulatio est aegritudo quaedam, excitata ob aduentum bonorum illorum, quae honore compensantur, & eum quidem, aut verum, aut simulatum specieq; tenus: si adesse enim bona illa credantur, sat est, vt illa excitetur: neq; enim veritas in his rebus quaeritur: quae tamen bona cadere possint in eum, qui ita afficitur, in personisq; maneant, quae pares assimilesq; ipsi sint.

Οὐχ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ᾽ ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐστι.

Non quod alij cupiam, sed quod non ipsi quoque adsint.

NON enim dolet aemulator, quempiam eo bono vti, quod ipse cupit, sed aegre fert se, non minus atq; illum ipso dignum, eo carere. Apud Laërtium in definitione aemulationis mendum habent excusi codices: defecit enim negandi particula, cum sic in illis legatur. ζῆλον λύπην ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ὧν αὐτὸς ἔχει, legi autem debeat. ὧν αὐτὸς μὴ ἔχει. Quod ex verbis quoque his Aristotelis cognosci potest: nec non etiam M. Ciceronis, qui Latinis verbis eam exprimens, in-
» quit. Aemulatio aegritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. Nam idem in
» eodem libro inquit. Cum sit aemulantis angi alieno bono, quod ipse non habeat.

Διὸ καὶ ἐπιεικές ἐστιν ὁ ζῆλος, καὶ ἐπιεικῶν: τὸ δὲ φθονεῖν, φαῦλον, καὶ φαύλων.

Quare bonus affectus est aemulatio, & bonorum virorum: inuidere autem malus, & malorum hominum.

VNDE inquit, perspicitur distinctam esse aemulationem ab inuidia: nec non bonum affectum aemulationem, & bonorum virorum esse: inuidiam autem malum affectum, ac malorum: elicitur autem inde, quod nuper dixit, commoueri illam, cum videt eximio bono quempiam ornatum, non quia nollet ipsi adesse, verum quia se spoliatum illo intelligit: supraque declaratum sit inuidiam angi alienis commodis, quae tamen ipsa non magnopere concupiscat: efficitur namque, quod addit, ex hac re, vt ipsarum altera bono nobis sit: altera vero malo semper alijs, innocentibus atque honestis viris. nam iustam numquam inuidiam esse posse declarat Plutarchus, cum excitari illam ex bonis rebus alterius tradat: nemo autem quemquam iniuria laedat, quia fortunatus ipse sit.

Ὁ μὲν γὰρ αὑτὸν παρασκευάζει, διὰ τὸν ζῆλον, τυγχάνειν τῶν ἀγαθῶν: ὁ δὲ, τὸν πλησίον μὴ ἔχειν, διὰ τὸν φθόνον.

Hic enim se ipsum conformat, vi aemulationis talem, vt adipisci possit bona: hic vero studet, ne proximus habeat propter inuidiam.

AFFERT rationem eius, quod dixerat: bonum scilicet esse aemulationem, inuidiam autem malum, improbumq;: meliorem namq; efficit aemulantem affectus ille: studet enim fieri talis, vt possit bona illa adipisci, quae concupierit: contra, qui inuidet, nulli plerunq; rei parcit, vt, quem nolit, bonum illud non habeat.

Ἀνάγκη δὴ ζηλωτικοὺς μὲν εἶναι, τοὺς ἀξιοῦντας ἑαυτοὺς ἀγαθῶν, ὧν μὴ ἔχουσι.

Necesse iam est procliues ad aemulandum esse homines, qui se dignos censent bonis, quae non habent.

SEPARATA aemulatione ab inuidia, qui procliues in hunc affectum sint, docet: necesse enim est (inquit) ij facile aemulentur, qui bene de se existimant, dignosq; se putant ijs bonis, quae non habeant: iudicant tamen se compotes eorum fieri posse.

Οὐδεὶς γὰρ ἀξιοῖ τὰ φαινόμενα ἀδύνατα.

Nemo enim postulat ea, quae videntur a se non posse obtineri.

NEMO enim (inquit) postulat, quae non posse effici videntur: cuius autem rei hic ratio reddatur, videndum: ipse sane hanc vim horum verborum esse puto: cum enim obnoxios huic motui esse dixisset, qui arbitrantur se dignos rebus bonis, quas non habent: supraque ostendisset oportere, vt ea, quae in alijs vident ornamenta, in ipsos quoq; cadere possint: aliter enim non excitaretur hic affectus in animis eorum. cum hic id non aperte addidisset, quasi docet id contineri verbo illo ἀξιοῦντας: nemo enim tantae stultitiae est, vt postulet impetrare, seq; ijs dignum censeat bonis, quae suscipere nullo modo posse videtur. quae requiruntur igitur huic affectui conflando condiciones, cunctae in his inueniuntur.

Διὸ οἱ νέοι, καὶ οἱ μεγαλόψυχοι τοιοῦτοι.

Quapropter adolescentes, & magno animo praediti, sunt tales.

VNDE & adolescentes (inquit) qui praeclarum semper de se iudicium faciunt: seq; putant omnium bonorum compotes fieri posse, & magnanimi viri, huiuscemodi sunt. Nam magnanimos maximis quibusq; commodis se dignos existimare, ac confidere se posse illa obtinere, nomen ipsum declarat. Hinc fit (inquit) non aliunde, quod ambos hos videmus aemulari: vtriq; enim vtraq; aemulationis proprietate ornati sunt: conformat autem ita hos, aetas: hos vero, excellens praestantia animi.

Καὶ οἷς ὑπάρχει τοιαῦτα ἀγαθά, ἃ τῶν ἐντίμων ἄξια ἐστιν ἀνδρῶν.

Et quibus adsunt huiuscemodi bona, quae digna sunt viris honestis.

HI etiam facile aemulantur, qui possident ea bona, quae honestis viris conueniunt, quae digni sunt, qui obtineant, dotibus ijs praediti, quibus honos tribuitur: qui ea fecerunt, quae laude & honore dignantur: ij enim sunt ἔντιμοι, quamuis illa saepe ad turpes, improbosq; homines deueniant. Quae autem ea sint, narrat.

Ἐστι γὰρ ταῦτα, πλοῦτος, καὶ πολυφιλία, καὶ ἀρχαί, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Sunt enim haec, diuitiae, copia amicorum, magistratus, & quaecunque huiuscemodi sunt.

SVNT autem bona, quae intelligo, diuitiae, copia amicorum, magistratus, huiuscemodiq; alia: qui enim virtute praediti sunt, videbantur etiam debuisse a fortuna his rebus ornari: ijq; praecipue digni erant, qui haec commoda obtinerent: videtur autem hic γὰρ posita pro particula δὲ. quod veteres ipsius interpretes aliquando ipsum fecisse adnotarunt: paulo enim post, simili in loco exponendo, ita locutus est. ἐστι δὲ ταῦτα τὰ εἰρημένα.

Ὡς γὰρ προσῆκον αὐτοῖς ἀγαθοῖς εἶναι, ὅτι προσήκει τοῖς ἀγαθοῖς ἔχουσι, ζηλοῦσι τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν.

Tamquam enim conueniat ipsis bonis viris esse, quia conueniebat illis, qui bene animo informati sunt, aemulantur huiuscemodi bona.

TAMQVAM enim res debita ac necessaria ipsis sit, & qua vacare nullo modo possint, eos probos viros esse, quia ipsa studiosis, beneq; animo conformatis hominibus conueniunt, admirantur haec, atque huiuscemodi bona, in alijs. Quales igitur ipsos esse oportet, tales se faciunt, & vt, qui tales forent, circa rerum harum appetitionem se gererent, ipsi quamuis tales vere non sint, se gerunt: ducti in eam opinionem, quia cum ea bona possideant, existiment omnino se eos esse, quales deceret esse.

Καὶ οὓς οἱ ἄλλοι ἀξιοῦσι.

Et quos alij dignos existimant.

NON hi solum facile aemulantur, qui se ipsos quouis bono dignos putant, sed illi etiam, qui huiuscemodi esse ab alijs creduntur: hoc tantum interest, quod superiores illi, suo de se iudicio stant: hi vero, alieno.

Καὶ ὧν πρόγονοι, ἢ συγγενεῖς, ἢ οἰκεῖοι, ἢ τὸ ἔθνος, ἢ ἡ πόλις ἔντιμοι, ζηλωτικοὶ περὶ ταῦτα.

Et quorum maiores, vel cognati, vel necessarij, vel natio, vel ciuitas pleni honoris fuere, propensi sunt ad aemulandum in huiuscemodi rebus.

ILLI etiam, quorum maiores, aut cognati, aut necessarij, aut natio, aut ciues in aliquo studio, aut arte probati, honoratiq; fuerunt, earundem rerum aemulatores sunt: solere autem homines maxime sectari, quae maiores, propinquiq; cum laude tractarint, docet etiam M. Cicero in primo libro de officijs his verbis. Quorum vero patres, aut maiores in aliqua gloria praestiterunt, eorum pleriq; in hoc genere laudis student excellere: ipsum quoque illum, quem defendebat, idem seruasse magna in re, praeclaraq;, narrat in oratione pro L. Flacco. Quod maxime florere in generis sui gloria viderat, laudem patriae in libertatem vindicandae, Praetor adamarat. Ita autem emendaui, rem ipsam secutus, & auctoritatem calamo scriptorum codicum: ζηλωτοὶ enim antea mendose legebatur: sunt enim ζηλωτοὶ, quibus alij aemulantur: manifesto autem de his nunc loquitur, qui procliues in aemulationem sunt.

Οἰκεῖα γὰρ οἴονται αὐτοῖς εἶναι, καὶ ἄξιοι τούτων.

Sua enim propriaq; putant ea esse: seque dignos his arbitrantur.

CAVSAM eius rei his verbis affert: suas enim inquit, illas putant esse: ac sibi maxime conuenire: nec non se quoq; dignos his esse arbitrantur, quae pares similesq; antea consecuti sint.

Εἰ δ' ἐστὶ ζηλωτὰ τὰ ἔντιμα ἀγαθὰ, ἀνάγκη τάς τε ἀρετὰς εἶναι τοιαύτας.

Si autem pariunt aemulationem bona, quibus honos habetur, necesse est virtutes huiuscemodi esse.

CVM, qui proni ad aemulandum forent, ostendisset, nunc, quae bona huiuscemodi in illis affectum gignunt, aperit. Si bona igitur inquit, quibus honor merito habetur, aemulationem gignunt, necesse est virtutes huiuscemodi esse: virtutibus enim in primis magnus iustusque honor tribuitur.

Καὶ ὅσα τοῖς ἄλλοις ὠφέλιμα, καὶ εὐεργετικά: τιμῶσι γὰρ τοὺς εὐεργετοῦντας, καὶ τοὺς ἀγαθούς.

Et quaecunque alijs fructum ferunt, valentque ad beneficia conferenda: honorant enim homines eos, qui prosunt mortalibus, ac probi viri sunt.

ET quaecunque bona (inquit) alijs vtilia sunt, ac naturam eam habent, vt beneficia ipsis magna adferri possint, sunt scilicet ζηλωτὰ: vimque excitandi aemulationem in animis eorum, qui vident, habent: causam vero eius afferens, ait: passim enim homines honorant beneficos & probos.

Καὶ ὅσων ἀγαθῶν ἀπόλαυσις τοῖς πλησίον ἐστιν, οἷον πλοῦτος, καὶ κάλλος μᾶλλον ὑγιείας.

Et ex omni numero bonorum ea, quibus proximi fruuntur: cuiusmodi sunt diuitiae, & pulchritudo, potius quam bona valetudo.

NEC non cuncta illa bona, quibus propinqui, & qui nobiscum in ijsdem locis viuunt, frui possunt. vt diuitiae ac pulchritudo, potius quam valetudo: corporis enim sanitas ijs, quibus adest, fructus fert. Τοὺς πλησίον autem dicens, intellexit, illo excepto, qui ea possidet, paene cunctos alios, vt infinitis locis locutus est: & quandoq; τοὺς πέλας, cum eosdem significare vult, inquit, vt in iiij. libro de moribus ad Nicomachum, vbi de gloriosis hominibus loquitur: qui cum duorum generum sint, & alteri illorum venti gloriaeque causa tantum plus sibi tribuant, quam vere facere possint: alteros (inquit) qui lucrum spectent, solere sibi arrogare ea bona, ὅσων ἀγαθῶν ἀπόλαυσις τοῖς πέλας: vt hic quoq; locutus est, vno tantum illo aduerbio immutato.

Φανερὸν δὲ καὶ οἱ ζηλωτοὶ τίνες: οἱ γὰρ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα κεκτημένοι, ζηλωτοί.

Perspicuum autem est, qui sint mortales, quos ceteri suspiciunt & aemulantur: qui enim haec, atque huiuscemodi alia possident, mouent de se aemulationem.

VT supra, qui ζηλωτικοὶ forent, accurate ostenderat, ita nunc docet, qui ζηλωτοὶ sint: nam proxime bona, quae in aliquo spectata de se aemulationem hanc gignerent, exposuit. Hoc autem maiore

aliquo studio indagare non oportere declarat, cum res satis aperta sit: qui enim (inquit) haec, quae supra explicauimus, bona, & huiuscemodi alia possident, ij sunt ζηλωτοὶ, idest plurimos, qui ipsis aemulentur, inueniunt.

Εστι δὲ ταῦτα τὰ εἰρημένα. οἷον ἀνδρεία, σοφία, ἀρχή.

Sunt autem haec, quae dicta sunt. veluti fortitudo, sapientia, imperium.

QVI enim haec, huiuscemodiq; bona tenent, in animis aliorum hunc affectum de se gignunt, vt praediti virtutibus, in primisq; fortitudine, sapientia: hae enim praesidio alijs salutiq; in rebus dubijs sunt, aut imperio aucti, potestatemq;, mandatam a ciuibus summam habentes.

Οἱ γὰρ ἄρχοντες πολλοὺς δύνανται εὖ ποιεῖν.

Qui enim imperium habent, multis prodesse possunt.

AFFERT rationem, cur ampliores etiam magistratus in numero eorum bonorum reponi debeant: qui enim (inquit) magistratum gerunt, de plurimis benemerendi facultatem habent.

Στρατηγοὶ, ῥήτορες: πάντες οἱ τὰ τοιαῦτα δυνάμενοι.

Duces quoque exercituum, oratores: cuncti, qui huiuscemodi rerum vim ac potestatem habent.

DVCTORES quoque (inquit) copiarum, & oratores, sunt ζηλωτοὶ: causa huius rei est, quia facultatem magnam habent opitulandi alijs, cum exercituum duces suo consilio aliquando, scientiaq; rei militaris, totam ciuitatem nationemq; conseruent: nam de potentia, & opibus oratorum in liberis populis: tranquillisq; temporibus dubitari non potest. id etiam, cum studium hoc ipsum ornaret in primo libro de oratore M. Cicero ex persona Crassi, magnifice copioseq; declarauit. " Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate: " addidit autem, vt hos, ita etiam reliquos omnes, qui huiuscemodi aliquam vim ac potestatem habent, hunc affectum in animis eorum, qui ipsos vident, de se excitare: δυνάμενοι enim valere hic videtur, qui haec praestare, & efficere possunt.

Καὶ, οἷς πολλοὶ ὅμοιοι βούλονται εἶναι.

Illi quoque, quibus multi similes volunt esse.

ILLI etiam sunt ζηλωτοὶ, quibus plurimi similes esse student: est enim hoc pulchrum ac plenum dignitatis, habere multos, qui sui similes esse cupiant, manifestoque vnum e genere eorum bonorum, quae ἔντιμα vocantur.

Η πολλοὶ γνώριμοι, ἢ φίλοι πολλοί.

Vel quibus multi noti, vel amici multi.

VEL quibus plurimi noti, amiciq; esse cupiunt: nam ex tanto etiam consensu multorum, familiaritate, amicitiamque ipsorum expetentium, non paruus honor ipsis, dignitasq; acquiritur.

Η οὓς πολλοὶ θαυμάζουσι, ἢ οὓς αὐτοὶ θαυμάζουσιν.

Vel quos multi admirantur, vel quos ipsi admirantur.

II quoque sunt ζηλωτοὶ, quos multi admirantur, aut si non multi, quos ipsi illi admirantur: hoc tamen inter hos interest, vt opinor, quod priores illi omnibus erunt ζηλωτοὶ: posteriores vero hijs tantum, qui ipsos admirantur: neque enim vnius, alteriusue iudicium, nisi admirabili sapientia praediti fuerint, facile omnibus probari potest.

Καὶ, ὧν ἔπαινοι, καὶ ἐγκώμια λέγονται, ἢ ὑπὸ ποιητῶν, ἢ λογογράφων.

Et quorum laudes & laudationes celebrantur, siue a poëtis, siue ab his, qui domi orationes scribunt.

IIS quoque aemulari solent, quorum laudes passim praedicantur: nec non quorum laudationes, vel a poëtis canuntur, vel ab oratoribus accurate domi scribuntur: hos enim Graeci λογογράφους appellabant, qui studiose conficiebant orationes, laudem aut vituperationem alicuius continentes: siue etiam causas forenses componebant, quibus alij in iudicijs vterentur: hae

autem

autem plerunque ab oratoribus exagitabantur, vt inanes, & callide fictae. Aeschines contra Timarchum. καίτοι λογογράφος γέ τις φησὶν, ὁ μηχανόμενος αὐτοῖς τὴν ἀπολογίαν, ἐναντία με λέγειν ἐμαυτῷ. Quos hic significat philosophus, manifesto intellexit Cicero, cum in ij. libro de oratore ita induxit Antonium loquentem: Ipsi enim Graeci, magis legendi, & delectationis, aut hominis alicuius ornandi, quam vtilitatis huius forensis causa laudationes scriptitauerunt. quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander, alijq; laudantur. Quin autem hoc ἔντιμον bonum sit, dubitari non potest: summi enim viri eo ornantur: nec aliquid inde vtilitatis capitur.

Καταφρονοῦσι δὲ τῶν ἐναντίων ἐναντίον: γὰρ ζήλῳ καταφρόνησίς ἐστι, καὶ τῷ ζηλοῦν, τὸ καταφρονεῖν.

Despiciunt autem contrarios: contrarium enim aemulationi despectio est: & despicere ipsi aemulari.

Vt autem his bonis cumulatos aemulantur, ita illis destitutos, ac contrarijs vitijs inquinatos, despiciunt: despicientia enim aemulationi contrarium est: & actus, qui verbo despicere significatur, actui, qui verbo aemulari indicatur, contrarius est: vt enim affectui animi illae sunt, ita hi, qui ex ipsis proueniunt, actus.

Ἀνάγκη δὲ τοὺς οὕτως ἔχοντας, ὥστε ζηλῶσαί τινας, ἢ ζηλοῦσθαι, καταφρονητικοὺς εἶναι τούτων τε, καὶ ἐπὶ τούτοις, ὅσοι τὰ ἐναντία κακὰ ἔχουσι τῶν ἀγαθῶν τῶν ζηλωτῶν.

Necesse autem est eos, qui ita affecti sunt, vt aemulentur aliquos, vel ipsi habeant, qui se aemulentur, pronos esse ad contemnendos hos, atque ob haec, quicunque contraria mala in se habent bonorum illorum, quae gignunt aemulationem.

Fieri non potest (inquit) quin ij, qui ita animo affecti sunt, vt aemulentur: aut ijs boni cumulati, vt aemulantes inueniant, non despicatores sint eorum hominum, qui contrarijs malis tenentur, bonorum illorum, quae aemulationem mouent, atq; ob ea ipsa in animum inducant, ipsos despicere.

Διὸ πολλάκις καταφρονοῦσι τῶν εὐτυχούντων, ὅταν ἄνευ τῶν ἐντίμων ἀγαθῶν, ὑπάρχῃ αὐτοῖς ἡ τύχη.

Quare saepe despiciunt fortunatos homines, quando sine ijs bonis, quae mortales honorant, adfuerit ipsis eximia fortuna.

Cvm eos, qui mala in se habent contraria eorum bonorum, quae homines aemulantur, contemni merito ostenderit, vnde nascatur, declarat, vt saepenumero non nulli fortunatos quosdam viros despiciant, cum in secundis rebus ipsorum bona, quibus honos tribuitur, non continentur: cum enim causa nulla vera sit, cur eos suspiciant & admirentur, bonis illis carentes, tamquam contraria mala habeant, contemnunt. Bonis autem illis, quorum fortuna domina est: quibusque ornat temere, quos ipsi visum est, nullus honos habetur. vt sunt vires, diuitiae, pulchritudo, ceteraque huiuscemodi. Gratiam haec tantum conciliant ijs, qui recte ipsis vtuntur: nam siquis vti nesciat, dedecus potius ac turpitudinem inde nancisceretur. vt autem magis adhuc rem aperiam, intelligit, multos nullo loco habere opulentos homines ac nobiles, alijsq; etiam corporis, & externis bonis ornatos, si videant illos animi bonis, virtutibusq; spoliatos: huius autem rei causa ex superiore sententia elicitur.

Δι' ὧν μὲν οὖν τὰ πάθη ἐγγίγνεται, καὶ διαλύεται: ἐξ ὧν αἱ πίστεις γίγνονται, περὶ αὐτῶν εἴρηται.

Per quae igitur motus turbidi in animis gignuntur, & dissoluuntur: e quibus probationes nascuntur, de ipsis dictum est.

Qvibvs modis (inquit) inseri perturbationes, atque excitari in animis possint: nec non insitae, euelli ac dissolui, quae non mala, nec inanis ratio est faciendae fidei, traditum iam explicatumque est.

Τὰ δὲ ἤθη ποῖοί τινες κατὰ τὰ πάθη, καὶ τὰς ἕξεις, καὶ τὰς ἡλικίας, καὶ τὰς τύχας, διέλθωμεν μετὰ ταῦτα.

Moribus autem, quales sunt, secundum motus turbidos, & habitus, & aetates, & fortunas, post haec persequamur.

De moribus nunc, & quasi naturis quibusdam hominum disserit: qui mores, animi affectibus immutatis, nec non habitibus, aetatibus, ac fortunis, ipsi quoque vna variantur: harum enim rerum accuratam cognitionem vtilem, necessariamq; putat esse oratori: quam tamen Quintilianus conuellere conatur, ne quod ipse, cunctiq; simul rhetores praestare non potuissent, ab eruditissimo viro eximie factum, laudem haberet: quaecunque enim excogitare potuit ad hanc partem conterendam, protulit. Ad extremum tamen, vt qui intelligeret, non posse ab vllo diligentius, subtiliusq;, quam ab Aristotele factum erat, tractari, satis se officio suo fecisse existimat, quod a quo petenda haec disputatio esset, indicauit: quasi enim ita loquitur. Qui vero huius rei cupidus est, quam tamen, si auctoritatem meam sequatur, sine vllo damno omittere potest, a quo peteret, ostendi: nam fallitur profecto, quod infinita putat, quae ad certa quaedam capita, & genera rediguntur: & in communi omnium intellectu posita censet, quae nisi cognitis earum causis, nemini satis nota esse possunt: neq; causae ipsae sine exquisita doctrina & magno rerum humanarum vsu, percipiuntur, vt ex accurata hac illarum explicatione manifesto intelligitur. Maius vero eiusdem peccatum est, quod videtur putasse hac de causa susceptam fuisse a philosopho diligentem hanc morum explicationem, vt argumenta inde ad aliquid confirmandum, aut refellendum apta, ducerentur: neq; enim hic fuit finis ipsius, quamuis cogniti mores singularum aetatum, ac fortunarum, suppeditent etiam copiam argumentorum, sed docere voluit, qualis oratio, quomodoq; morata adhiberi debeat, diuersis illis aetatibus, aut hominum fortunis persuadendis: cum (vt ipse infra aperte testatur, vbi propositum consiliumq; suum aperit) omnes homines assentiantur orationi, quae conuenit moribus ac naturae ipsorum: probentq; similes sibi personas atque ijsdem moribus praeditas: moribus enim eorum perspectis, obscurum esse non poterit ijs, qui dicunt, quomodo, oratione vtentes, tales audientibus earum aetatum fortunarumq; videantur: & vt ipsi, ita etiam orationes eorum, vt in primo quoq; libro docuit perceptis moribus, & tamquam naturis singularum rerum publicarum, posse fingi orationes, quae congruant ipsarum moribus, ac sensus earum iu-
» cunde tangant. Quintilianus tamen eodem in loco cum dixisset. Debet etiam nota esse, re-
» cte argumenta tractaturo, vis & natura omnium rerum, & quid quaeq; earum plerunque effi-
» ciat: hinc enim sunt, quae εἰκότα dicuntur, addit statim (tradita tamen antea differentia cre-
» dibilium) ideoq; Aristoteles in ij. de arte rhetorica libro, diligentissime est executus, quid cuiq; rei, & quid cuiq; homini soleat accidere: & quae sequuntur. Vnde liquido percipitur putasse eum falso, ea hic philosophum explanasse, vt vnde duci argumenta possent, sciretur. nam mores etiam diuersarum aetatum, fortunarum, studiorum, nationum, familiarum, generum, praebere copiam argumentorum, planum est: & Cicero quoque hoc ipsum in Partitionibus accurate tradit, vbi coniecturae locos tractat. Haec tamen pertinent ad genus illud probationis, quod ex re ducitur: & orationem, quae vim demonstrandi habeat, conformant: coniecturis enim e diuersis diuersarum harum rerum moribus sumptis, docetur quempiam affinem esse alicui culpae, aut contra personam eam ab illo crimine abhorrere, cum auctor nunc tradat quomodo fides fiat oratione morata: ea vero, quae faciunt ad ἀποδεικτικὸν λόγον, infra exponat. Cum autem Halicarnasseus in libro de arte dicendi, vbi, quae res in errorem inducere imperitos soleant, ostendit, quibusq; in rebus illi labi consuerint, & ipse ἦθος appellet, copioseque de eo loquatur, affirmans vnam e quattuor illis rebus id esse, quae diligenter spectandae sunt in scriptis existimandis perpendendisq;, puto illic ἦθος valere orationem, quae respondeat ac quadret moribus earum personarum: non mediocre namque erratum foret, siquis alicui orationem tribueret, alienam a natura ingenioq; illius: cum autem contra id seruatur, tunc oratio illa ἦθος habere dicitur: quod exprimat mores eius, cui affingitur, ac conueniat illi aetati, aut generi, aut nationi, reliquisq; rebus, quas enumerat: ἦθος namq; hoc ipse partitur in commune ac priuatum: communeq; esse vult, quod ad virtutem impellit: reuocat autem a vitio, idest declinationem mali, & adeptionem boni: priuatum vero (quod ῥητορικὸν vocat, aptum atque accommodatum oratoribus esse significans) dicit esse, orationem habere de eo, quod agitur: quae custodiat id, quod decet, & conueniat personae eius, qui dicit: & eorum, qui audiunt, vt etiam rebus, quae exponuntur, & ad quos etiam oratio dirigitur, ac refertur. Cuius priuati, oratorijq; ἤθους locos tradens, affirmat illos septem esse, diuidiq; demum ipsum in tot res, variariq; ex immutatione ipsarum: diuidi (inquam) vt ipse loquitur, κατὰ ἔθνη, γένη, ἡλικίας, προαιρέσεις, τύχας, ἐπιτηδεύσεις: nationem namque duobus modis spectat: duplicemq; illius rationem esse vult: alteram enim vt Graecos. Barbaros: alteram vero vt Graecos Athenienses. Graecos Lacedaemonios. & Barbaros eadem ratione Persas, Scythas: neq; enim omnino singulae ciuitates, eiusdem etiam nationis, praeditae sunt ijsdem moribus, sed saepe discrepant eorum ingenia ex suis

suis quibusdam proprijsq; institutis. Appellat igitur Halicarnasseus eadem fere, quae Cicero ac Quintilianus in coniecturae locis tradendis, enumerarunt: & ex ijsdem rebus distingui mores hominum docet, quae etiam vim habent non paruam ad declarandum aliquem quippiam fecisse, aut in eum id factum non cadere: cum tamen (vt iam ostensum est) haec diligenter explicet, vt hanc culpam, qui scribunt euitent: & habeant etiam, qui iudicare de aliorum scriptis volunt, tamquam normam aliquam, quam sequantur: quae namque contra hoc, vt tres reliquas res, quas appellat, aliquid commiserunt, nec idoneos suosq; mores hominibus assignarunt, qui mores diuersi sunt immutatis illis rebus, merito reprehendi possint: nec vitio carent. vt etiam culpa non vacant oratores, qui aliquid eorum vsurparint: aliud autem reliquerint. tota res, valde vtilis huic studio, accurate ab eo copioseq; exponitur: cum autem ἤθη moresq; sint: vnde ea sumuntur, inde totum illud (vt ipse tradit) ἦθος vocatur. Non idem igitur ille ἦθος, quod philosophus hic vocat, cum tamen eodem nomine diuersas res, quamuis non penitus discrepantes, appellent. ἦθος vero aliquando mores significare manifestum est, testimonio etiã M. Ci-
» ceronis, qui in libro de fato inquit. Quia pertinet ad mores, quod ἦθος illi appellant. quamuis
» idem etiam indolem ἦθος interpretetur, ac fortasse cum in Bruto inquit. Summa non vitae solũ
» atque naturae, sed orationis etiam comitas, ἦθος reddere voluit. Plinius certe sensus vertit li-
» bro xxxv. Is omnium primus animum pinxit, ac sensus omnes expressit, quos vocant Graeci
ἤθη. Quintilianus huius rei nomine, quae Graeco verbo exprimitur, censet carere sermonem Romanum. Qua autem de causa haec res ita nominata est, exponit in secundo de moribus ad Nicomachum Aristoteles: de vi vero ipsius, & explicatione verbi, Plutarchus in commentario περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς accurate disputauit: ἦθος enim esse vult qualitatem partis illius animi, quae expers est rationis: nominatamq; tradit, quod qualitatem hanc, differentiamq;, consuetudine sumit ratione vacans animi pars, a ratione ita conformata: quae ratio turbidum motum penitus illinc delere non vult (nec enim effici potest, nec praestaret etiam, si posset) sed terminum quendam atque ordinem illi praescribit. Hic autem ἤθη valent indolem atque ingenium, & tamquam hominum proprietates: quae scilicet probent ac damnent, quae sequantur ac fugiant in vita: non videntur enim hic ἤθη pro moribus absolute poni, cum mores habitus sint: habitus vero inter reliqua complura, ex quibus ἤθη considerantur, & quae videlicet consequantur, enumerati sint. quare non ἤθη simpliciter, verum ἤθη κατὰ τὰ πάθη inquit. Hoc quoque intellectu ἦθος ipse, & in libro de arte poëtica, & alijs in libris crebro vsurpauit. Quod tamen hic vocat ἦθος, Cicero mores appellasse videtur in oratione de lege agraria ad Quirites: qui sane locus a
» sententia, quae hic exponitur, non discrepat: inquit enim. Non ingenerantur hominibus mo-
» res, tam a stirpe generis ac seminis, quam ex ijs rebus, quae ab ipsa natura loci, & a vitae consue-
» tudine suppeditantur: quibus alimur & viuimus. Carthaginienses fraudulenti & mendaces, & quae sequuntur.

Λέγω δὲ πάθη μὲν, ὀργὴν, ἐπιθυμίαν, καὶ τὰ τοιαῦτα, περὶ ὧν εἰρήκαμεν πρότερον.

Voco autem motus turbidos, iram, cupiditatem, & ceteros huiuscemodi, de quibus prius praecepimus.

CVM ἤθη κατὰ τὰ πάθη dixisset, quae intelligat πάθη, ostendit: nec tamen eorum vim naturamque nunc explicat: id enim supra suo loco fecit, sed non nullos eius generis motus appellat, vt iram, cupiditatem, & quae huiusmodi sunt. de quibus a se iam accurate disputatum sit superiore in parte huius libri: quid autem eo verbo accipi vellet, declarare (vt opinor) voluit, quia plures variaeq; ipsius notiones sunt: nequis fortasse laberetur.

Ἕξεις δὲ, ἀρετὰς καὶ κακίας: εἴρηται δὲ καὶ περὶ τούτων πρότερον, καὶ ποῖα προαιροῦνται ἕκαστοι, καὶ ποίων πρακτικοί.

Habitus autem, virtutes, ac vitia: dictum autem de his quoque prius, & qualia sibi singuli proponunt: & ad quas res gerendas procliues sunt.

APPELLO (inquit) habitus, virtutes ac vitia: & sane eo nomine non minus vitia, quam virtutes, continentur: sunt enim mali, vt boni, habitus: efficiunt autem hi in nobis, causaq; sunt, vt in commotionibus animi factisq; in vita, aut ex ratione nos, aut contra geramus, pro vt, aut recti, aut vitiosi sunt. De ijs autem quoq; traditum a se esse, vt de affectibus commemorat. quod in primo libro, cum explicaret demonstratiuum genus, fecit: sed etiam affirmat se indicasse, cuiusmodi res sibi singuli gerendas eligunt: & quarum etiam faciendarum studio tenentur. Singuli (inquam) qui hoc, aut illo modo commoti animo sunt: aut his illis ve virtutibus praediti: dum enim motus ipsi animorum habitusq; tractarentur, eodem tempore explicatum est,

quae

quae probent in vita, ceterisq; rebus praeponant, qui eo modo affecti sunt: vt etiam, quibus ijdem se rebus agendis dent. Ex ijs igitur rebus, quae fingunt mores, quas adhuc tradiderit, repetiuit: nunc autem, quae restent explicandae, exponit.

Ἡλικίαι δέ εἰσι νεότης, καὶ ἀκμὴ, καὶ γῆρας.

Aetates autem sunt, iuuentus, & status, & senectus.

SIQVIS subtilius distinguere vellet, plures aetates forent, ipse tamen triplicem ipsarum diuisionem ad hanc rem pertractandam satis esse putat: neq; enim variantur naturae hominum discrimine aliarum aetatum. partitur igitur in adolescentiam: in mediam aetatem, statumq;: & in senectutem.

Τύχην δὲ λέγω, εὐγένειαν, καὶ πλοῦτον, καὶ δυνάμεις, καὶ τἀναντία τούτοις.

Fortunam autem voco, nobilitatem, & diuitias, & opes, & contraria his.

FORTVNAS ac condicionem hominum Latini quoque appellant. Voco autem (inquit) fortunas, nobilitatem, diuitias, ciuilem potentiam: contrariaq; horum, quae manifesto sunt, ignobilitas, paupertas, vacuitas opum, statusq; humilis, atq; abiectus in ciuitate: quae enim tantopere inter se res discrepant, commune nomen habent: distinguuntur autem postea, quia splendens illa fortuna est: haec vero, obscura.

Καὶ ὅλως εὐτυχίαν, καὶ δυστυχίαν.

Et ad summam, egregiam fortunam, & perditam.

NON mediocris bona, aut mala fortuna, εὐτυχία, aut δυστυχία vocata est. sed hoc nomen a Graecis vsurpatur, cum magnitudinem res habet, ac modum superat. Testatur hoc Aristoteles in ij. libro naturalis auscultationis: quo etiam in loco tradit eruditissimus interpres Simplicius, vbicunq; positum fuerit εὖ, magnitudinem ac nouitatem adiungere: nec enim inquit, εὐκλεῆ appellamus, qui mediocrem laudem consecutus est, sed qui eximiam. Eodemq; pacto (inquit) particula δυς, quae illi aduersatur, & ipsa magnitudinem mali, ac miseriarum ostendit.

Οἱ μὲν οὖν νέοι, τὰ ἤθη εἰσὶν ἐπιθυμητικοί.

Iuuenes igitur, quod ad mores facit, inflammati sunt cupiditatibus.

AB aetatibus initium harum rerum explicandarum sumit: quiq; mores quasq; aetates sequantur, docet: aetatumque ipsarum primam adolescentiam aggreditur: Vt autem Aristoteles mores singularum aetatum oratori perdiscendos, ita Horatius poëtae censet. Qua in re praecipienda, quamuis breuius, concisiusq; eam Flaccus exequatur, saepe tamen illi cum hoc nostro conuenit. vt cum hic Aristoteles adolescentes ἐπιθυμητικοὺς esse dicat, ille cupidos eosdem esse, affirmauit.

Καὶ οἷοι ποιεῖν, ὧν ἂν ἐπιθυμήσωσι.

Nec dubitant moliri, quaecunque concupierint.

NEC cupiunt tantum, sed aggrediuntur etiam quaecunq; concupierint: res etiam difficiles praesenti animo temptant, & ad exitum perducere se posse sperant.

Καὶ τῶν περὶ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν, μάλιστα ἀκολουθητικοί εἰσι ταῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια, καὶ ἀκρατεῖς ταύτης.

Et omnium corporis cupiditatum maxime sectantur eas, quae veneri seruiunt; atque incontinentes huius sunt.

CVM voluptates toto animo sectentur, omnibusq; libidinibus inseruiant: amatorijs tamen leuitatibus in primis: veneriq; dediti sunt, atque huic minime resistere queunt. In tertio libro de moribus ad Nicomachum, testimonio Homeri vsus, affirmat hac ipsa cupiditate non adolescentem modo, sed in statu etiam aetatis, viriditateq; constitutum, teneri. Cum in excusis vero hic antea legeretur, τῆς περὶ τὰ ἀφροδίσια, scripsi diuerso numero & casu ταῖς: quamuis statim ad vnitatem redeat, sententia quae huic adiuncta est: secutus autem in primis sum fidem antiquissimi libri, cui vetus etiam tralatio adstipulatur.

Εὐμετάβολοι δὲ καὶ ἁψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας.

Et facile mutantur: citoque capit ipsos fastidium rerum, quas appetiuerunt.

Horatius priorem vocem eleganter expressit: - & mutatur in horas (quamuis puero hoc, non iuueni tribuat) nam posteriorem quoque vertit (vt opinor) cum inquit: - & amata relinquere pernix: de natura iuuenum disserens: is enim est ἀψίκορος, quem cito omnis rei fastidium capit, ac simulatque attigit, satiatus illa expletusq; est.

Καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ παύονται.

Et valde quidem cupiunt: cito autem sedantur.

Et valde sane cupiunt: celeriter tamen quiescunt, ac cessant: omnisq; ille cupiditatis ardor breui extinguitur. Hoc quoque Plato in epistola ad Dionis propinquos scripsit, cum suspectum se Dionysij, tunc adolescentis, ingeniũ habuisse doceret, quamuis bonam indolem praeseferret. αἱ γὰρ ἐπιθυμίαι τῶν τοιούτων, ταχεῖαι.

Ὀξεῖαι γὰρ αἱ βουλήσεις, καὶ οὐ μεγάλαι.

Acutae namque sunt eorum voluntates, & non magnae.

Desideria ipsorum acuta appellat, quasi acria & intenta, & non magna: idest, quae facile discutiantur, nec diuturna sint, quod molem non habeant, nec animis ipsorum penitus haereant: respondet autem haec pars superiori, cum vehementer illos concupiscere: celeriter tamen desinere tradidit. nam non magna hic, nisi fallor, non firma, non perdurantia significat: si quis autem non magna leuia intelligeret, repugnaret id superiori sententiae, cum σφόδρα ἐπιθυμοῦσιν inquit. C. Caesar, quod commune omnium eius aetatis Aristoteles hic esse vult, vni M. Bruto tribuit: acrem enim illum vehementemq; in desiderijs suis esse inquit: fortasse, quod aequales etiam in ea re Brutus superaret: nota autem Caesaris vox de ingenio ipsius. Magni refert quid velit, sed quidquid vult, valde vult. Plutarchus cum his verbis eam exponeret, aetatem addidit. οὗτος ὁ νεανίας οὐκ οἶδα, ὃ μὲν βούλεται: πᾶν δ', ὃ βούλεται, σφόδρα βούλεται.

Ὥσπερ αἱ τῶν καμνόντων δίψαι καὶ πεῖναι.

Cuiusmodi est sitis & fames aegrotantium.

Exemplo aegrotorum, cuiusmodi essent desideria adolescentium, declarauit: scimus enim sitim eorum famemq;, qui morbo laborant, vt tunc acerrimae sunt atque ardentissimae, ita subito cessare, quod naturales non sunt, neque altiores radices habent: aestu enim febris discusso, ac vi morbi diminuta, illae quoque repente euanescunt.

Καὶ θυμικοὶ, καὶ ὀξύθυμοι.

Et proni ad iram, & quasi furorem: & acutae bilis.

Horatius de pueri ingenio - & iram Colligit, ac ponit temere. Θυμικοὶ sunt, qui facile excandescunt: θυμὸν enim Cicero excandescentiam vertit. ὀξύθυμοι, qui leuioribus de causis, & pusilla quaq; iniuria lacessiti, subito irascuntur. Nam Latinos etiam scriptores animum, Graecos imitantes, appellasse iracundiam, apertum est: vt Horatius quoque, cum inquit - animum rege, qui nisi paret, Imperat.

Καὶ οἷοι ἀκολουθεῖν τῇ ὁρμῇ.

Factique ad parendum impetui illi.

Paratique sunt facere quidquid impetus ille animi iusserit: rationiq; non obtemperantes, feruntur quocunq; ira, furorq; ille duxerit.

Καὶ ἥττους εἰσὶ τοῦ θυμοῦ.

Nec possunt resistere iracundiae.

Svnt praeda irae adolescentes: semperq; inferiores ac victi inde discedunt, nec vmquam ex eo certamine victoriam reportant: cuius rei rationem affert.

Διὰ γὰρ φιλοτιμίαν, οὐκ ἀνέχονται ὀλιγωρούμενοι, ἀλλ' ἀγανακτοῦσιν, ἂν οἴωνται ἀδικεῖσθαι.

Ob

Ob studium autem, sitimque honoris, non ferunt se parui duci, sed indignantur, si putauerint se iniuriam accipere.

OB desiderium enim, quo flagrant, honoris, non pati possunt, cum vident se nullo loco haberi ac despicatui duci, verum indigne ferunt ac stomachantur, si arbitrati fuerint se iniuria, aliqua in re, affici: qui motus animi iram gignit.

Καὶ φιλότιμοι μὲν εἰσι, μᾶλλον δὲ φιλόνικοι.

Et studiosi quidem honoris sunt, magis autem studiosi victoriae.

ET honoris quoq; auidi sunt, vel potius studiosi victoriae: φιλόνικοι enim legi debet, non φιλόνεικοι, vt antea mendose in excusis libris legebatur: id autem ex consequentibus verbis Aristotelis percipitur: & auctoritate antiquissimi codicis, quem etiam vetus tralatio sequitur, confirmatur: tamquam enim emendat se ac corrigit, quod dixerat eos studiosos honoris: neque enim honore ipso contenti sunt, nisi etiam aequales in hoc ipso consequendo vicerint, vel potius hoc addit, quod magis apte naturam eorum exprimere putet, quamuis vtrunque in eorum indole conspiciatur.

Ὑπεροχῆς γὰρ ἐπιθυμεῖ ἡ νεότης.

Cupiditate enim praestandi ceteris flagrat iuuentus.

CVPIT enim (inquit) praestare alijs iuuenta: ac primi loci obtinendi incredibiliter studiosa est. Quod M. Cicero etiam in v. libro de finibus declarauit, cum de puerorum ingenio loquens, inquit. Quos illi labores non ferunt, vt aequalium principes habeantur?

Ἡ δὲ νίκη ὑπεροχή τις.

Victoria autem praestantia quaedam est.

VICTORIA autem pars quaedam est exuperantiae: qui enim eam consecuti sunt, superiores manifesto sunt illis, quos vicerunt. Nam victoriae studiosos esse pueros, Cicero quoque in eodem illo loco his verbis docet. Vt illi efferuntur laetitia, cum vicerint? vt pudet, victos?

Καὶ ἄμφω ταῦτα, μᾶλλον ἢ φιλοχρήματοι: φιλοχρήματοι δὲ, ἥκιστα.

Et ambo haec, magis quam cupidi pecuniae: cupidi enim pecuniae minime sunt.

AMBO haec, idest φιλότιμοι, καὶ φιλόνικοι: potiusq; (inquit) dici possunt honoris, & victoriae cupidi, quam pecuniae: nam pecuniae cupidi nullo modo sunt: hoc enim ab eorum natura ac moribus vitium longe abest. Cicero in iij. Tusculana, cum inquit. Quid? qui pecuniae cupiditate feruntur, φιλοχρηματίαν reddidit. Alio loco auaritiam vertit, cum oraculum, editum Lacedaemonijs, exprimens, inquit, Spartam nulla alia re, nisi auaritia, perituram: est enim illud Graece ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ: ἄλλο δὲ οὐδέν.

Διὰ τὸ μήπω ἐνδείας πεπειρᾶσθαι.

Quia nondum experti sunt egestatem.

RATIONEM affert, cur auidi pecuniae non sint adolescentes: contemnunt pecuniam (inquit) minimeq; sunt rei augendae studiosi, quia per aetatem nondum egestatem perpessi sunt: nec intellexerunt, quam dura illorum condicio sit, qui rebus ad vitam necessarijs carent, ac diuitibus supplices esse coguntur.

Ὥσπερ τὸ Πιττακοῦ ἔχει ἀπόφθεγμα εἰς Ἀμφιάραον.

Cuiusmodi est Pittaci vox in Amphiaraum.

GRAECVS interpres nescio quid narrat, quod vereor, ne futile, & commenticium sit: Quae valde celebris est Pittaci vox, quod dixerit χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι, huic loco nullo modo conuenit. Aliam refert eiusdem Plutarchus in commentario περὶ φιλαδελφίας: quam, & si in ea, de pecunia ac re familiari agitur, non significari puto ab Aristotele. Nam quod commode respondisse Lydorum regi Pittacum tradit, Croesum intelligit: docet enim Herodotus in primo libro historiarum, cum rege hoc longum sermonem habuisse Pittacum, & callide eum a bello inferendo Graecis, qui insulas incolebant, reuocasse. Quamuis alij affirmarent, non Pittacum Mitylenaeum, sed Biantem Priennensem, & ipsum sapientem virum, rationem illam deterrendi

deterrendi regis excogitasse. Quid protulerit autem Pittacus in Amphiaraum augurem, non dum repperi.

Καὶ οὐ κακοήθεις, ἀλλ' εὐήθεις, διὰ τὸ μή πω τεθεωρηκέναι πολλὰς πονηρίας.

Nec sunt ingenij mali, sed boni, quia non dum spectarunt multas hominum malitias.

NEC sunt maleuoli, ac praui ingenij, cunctaq; in deteriorem partem accipiunt, sed simplicis potius, ac fatui, beneq; de omnibus existimant: εὐήθεια enim, quamuis bonam indolem praeseferat, tamen vitio tribuitur: εὐήθεις q; a Graecis appellantur, qui antiquorum morum sunt: qui fraudem numquam timent, & quaecunq; vident aut audiunt, in meliorem partem interpretantur. Huius autem rei causam afferens, inquit: quia non dum multa multorum flagitia didicerunt. Plato quoque in iij. libro de rep. adolescentibus, qui melioris postea notae viri sunt, & hos, & qui infra ab Aristotele exponuntur, mores assignat: simplicis enim ingenij eos esse tradit: huiuscemodiq;, vt iniusti homines ipsis imponere nullo negotio possint: cuius etiam rei rationem reddens, inquit: quia in se exempla non habent earum rerum, quas animo versant ac gerunt improbi: quae exempla spectantes cautiores fieri possint: erectioresq; animo ad scelera hominum intelligenda ac declinanda. verba ipsius haec sunt. » Διὸ δὴ καὶ εὐήθεις, νέοι ὄντες, οἱ ἐπιεικεῖς φαίνονται, καὶ εὐεξαπάτητοι ὑπὸ τῶν ἀδίκων: ἅτε οὐκ ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς παραδείγματα ὁμοιοπαθῆ τοῖς πονηροῖς.

Καὶ εὔπιστοι, διὰ τὸ μή πω πολλὰ ἐξηπατῆσθαι.

Et facile credunt, quia non dum multis in rebus decepti sunt.

NEC praeceptum Epicharmi seruant, ac temere credunt: affirmabat enim vafer ille Siculus, neruos atque artus esse sapientiae, non temere credere: tam creduli autem ac liberales sunt, quia non dum multoties decepti sunt: in longa tamen postea vita saepe delusi, mores mutant: quibus enim saepe impositum fuit, stulti prorsus sunt, nisi re docti, ac crebris damnis admoniti, cautiores euadunt, ac verbis omnium fidem habere desinunt.

Καὶ εὐέλπιδες: ὥσπερ γὰρ οἱ οἰνωμένοι, οὕτω διάθερμοί εἰσιν οἱ νέοι ὑπὸ τῆς φύσεως.

Et bene de rebus sperant: quemadmodum enim, qui largius potarunt, ita calidi sunt iuuenes vi naturae ipsius.

PLENI etiam spei sunt, ac quidquid ipsis in mentem venerit optare, id omnino futurũ sibi pollicentur: quo in statu cum temulenti quoque sint, quod illi a vino: hi a natura, feruoreq; aetatis habent: vt hic autem, vbi de adolescentibus disserit, temulentis eos similes facit, ita in problemate de atra bile, vbi sermo de ebrijs est, conuenire illis hac in re cum adolescentibus tradit: rationem enim reddens, cur homines ad large bibendum procliues natura sint, inquit. » ὅτι πάντας ὁ οἶνος, ὁ πολύς, εὐέλπιδας ποιεῖ, καθάπερ ἡ νεότης τοὺς παῖδας, & quae sequuntur. Nam vinum ita conformare animos nostros eleganter quoque docet Horatius in epistola ad Torquatum. » Quid non ebrietas designat? operta recludit. Spes iubet esse ratas.

Ἅμα δὲ καὶ διὰ τὸ μή πω πολλὰ ἀποτετυχέναι.

Simul autem, & quia non dum multis in rebus spe frustrati sunt.

NEQVE hoc solum adolescentes bene semper sperare iubet, sed aliud etiam est, quod in hunc statum animi eos deducit: quod non dum multae res eos frustratae sunt: vt illis, qui in plurimis negotijs versantur, necessario euenit: neq; ἀποτεύγματα reformidant: crebrae enim, tamquam repulsae, animos hominum minuunt, timidioresq; ad magna negotia capessenda faciunt. In antiquissimo autem libro negandi particula simplex est: nec, quod tempus indicet, adiunctum habet: ita enim in eo legitur, διὰ τὸ μὴ πολλά: id autem a vetere quoque tralatione abest.

Καὶ ζῶσι τὰ πλεῖστα ἐλπίδι: ἡ μὲν γὰρ ἐλπὶς, τοῦ μέλλοντός ἐστιν: ἡ δὲ μνήμη, τοῦ παρεληλυθότος: τοῖς δὲ νέοις τὸ μὲν μέλλον, πολύ: τὸ δὲ παρεληλυθὸς, βραχύ.

Et viuunt maiore ex parte spe: spes enim futuri temporis est: memoria autem praeteriti: iuuenibus vero, quod futurum est, multum est: praeteritum autem, breue.

MAGNAQVE ex parte spe viuunt: idest eam sibi propositam habent in vita, ac sequuntur, vt omnium suarum actionum ducem. vt homines inquit in sectione trigesima problematum viuere magnam partem, consilium ac rationem sequentes: beluas autem appetitionem: eodem

» dem enim pacto loquitur. ὁ μὲν ἐν ἄνθρωπος, τῷ νῷ τὰ πλεῖστα ζῇ: τὰ δὲ θηρία, ὀρέξει, θυμῷ, καὶ ἐπιθυμίᾳ. Spe autem viuunt ex magna parte, quia transacta aetas, parua: quae vero restat, longa: memoria autem est rerum praeteritarum, spes vero futurarum. Quare, quae meminerint, non multa esse possunt: quae sperent, plurima atq; infinita.

Τῇ γὰρ πρώτῃ ἡμέρᾳ μεμνῆσθαι μὲν οὐδὲν οἴονται: ἐλπίζειν δὲ, πάντα.

Prima enim die meminisse quidem nihil putant.: sperare autem, cuncta.

PRIMIS temporibus aetatis: non enim prima die, vllo modo accipi debet, qua procreati sunt: vt autem hic πρώτῃ ἡμέρᾳ, sic non multo post, postremum tempus, cum de senibus differeret, τελευταίαν ἡμέραν appellauit. Primis igitur diebus, cum cogitant, quae fecerint, nihil repperiunt: nihilq; fere se memoria tenere putant, ob temporis breuitatem, quo manserunt in vita: neq; enim multa efficiendi potestatem habuerunt: sperant autem omnia ob longam aetatem, quam sibi pollicentur.

Καὶ εὐεξαπάτητοί εἰσι, διὰ τὸ εἰρημένον: ἐλπίζουσι γὰρ ῥᾳδίως.

Et nullum negotium est ipsi imponere, ob id, quod dictum est: sperant enim facile.

NVLLVM praeterea negotium est, hos decipere, atque in laqueos inducere: sperant enim facillime, & quaecunq; audierint, se praestare posse stulte confidunt: illis vero, qui ita animo affecti sunt, ac tam procliuia sibi omnia fore pollicentur, facile imponitur.

Καὶ ἀνδρειότεροι: θυμώδεις γὰρ, καὶ εὐέλπιδες.

Et fortiores: iracundi enim, & spei pleni sunt.

FORTIORES quoque sunt: cuius rei statim rationem reddit: cum enim inquit, (vt supra ostendimus) iracundi sint, ac semper spei pleni, qui ita animo affecti sunt, timere nullo modo possunt. Geminam igitur radicem habet fortitudo, qua praediti sunt adolescentes, iracundiam, ac spem. In iij. vero libro de moribus ad Nicomachum tertium genus adumbratae fortitudinis proficisci ab iracundia furoreq; animi: quartum autem, conceptam animo bonam spem de victoria fundamentum habere, notum est.

Ὧν τὸ μὲν, μὴ φοβεῖσθαι: τὸ δὲ, θαρρεῖν ποιεῖ: οὔτε γὰρ ὀργιζόμενος οὐδεὶς φοβεῖται: τό, τε ἐλπίζειν ἀγαθόν τι, θαρραλέον ἐστίν.

Quorum hoc quidem, vt non timeant: alterum autem, vt fidant sibi facit: nemo enim iratus timet: sperare autem bonum aliquod, audentiores reddit.

ALTERVM enim horum (inquit) omnem metum pellit: alterum autem, confidere facit: docens vero, qua de causa vtrunque fieret, ait: nemo enim vmquam inuentus est, qui dum iratus esset, metueret: cuius rei causa supra a me allata est: cum enim de ijs, quae leniunt iratos ageret, eandem sententiam protulit: sperare autem quippiam boni confirmat animos, audentioresq; ad pericula subeunda reddit.

Καὶ αἰσχυντηλοί: οὐ γάρ πω καλὰ ἕτερα ὑπολαμβάνουσιν, ἀλλὰ πεπαίδευνται ὑπὸ τοῦ νόμου μόνου.

Et verecundi sunt: neque enim adhuc honesta alia esse arbitrantur, sed solum erudiuntur ab instituto, moreque.

VERECVNDI quoque sunt, inquit, atque eius rei causam adfert: non dum enim alia pulchra & honesta facta esse intelligunt: ac se omnem dignitatem retenturos arbitrantur, si nihil gesserint contra ea, quae opinionibus hominum recta esse creduntur: nullum enim magistrum alium per aetatem, nisi puerilem institutionem habuerunt. Verecundos igitur adolescentes esse tradit, quod cum ea, quae vere bona, & honesta sunt, ignorent: neque alia adhuc recta honestaq; percepta habeant, quam, quae in more & institutis hominum posita sunt, facile cum contra illa quippiam admittunt, erubescant: id autem crebro illi aetati contingit: quod non ita fieret, si quae vere honesta sunt intelligentes, quae vere turpitudinem dedecusq; afferunt, cognoscerent: minus enim his, quae iudicijs & opinionibus hominum huiuscemodi sunt, mouerentur. Mirifice autem verecundum induxit Achillem Iphigenia in Aulide Euripides, vt a muliere etiam, quod nimis pudorem seruandum esse censeret, reprehendi potuerit: cum enim

pulcherrimam

» pulcherrimam virginem in conspectu adduci suum recusaret, dixissetq;. μενέτω κατ᾽ οἴκους· σεμνὰ » γὰρ σεμνύνεται, respondit Clytemnestra, ὅμως δ᾽ ὅσον κρύψαι τὶν, αἰδεῖσθαι χρεών. nam antea etiam docuerat, quanti faceret pudorem, cum exclamauerat. ὦ πότνι᾽ αἰδώς.

Καὶ μεγαλόψυχοι· οὔτε γὰρ ὑπὸ τοῦ βίου οὔπω τεταπείνωνται, ἀλλὰ τῶν ἀναγκαίων ἄπειροί εἰσιν.

Et magno animo praediti sunt: neq; enim a vita adhuc humiles redditi fuere, sed rerum necessariarum expertes sunt.

MAGNOS praeterea animos habent: non dum enim vita eos erudiuit, & demisse, humiliterque sentire docuit: sed expertes sunt ipsius necessitatum. Quae autem ad vitam traducendam necessaria sunt, cum sine multis molestijs, assiduisq; curis non comparentur, spiritus eorum, qui ipsa degustarunt, frangunt: ἀναγκαῖα enim vocat, quae ad necessitatem vitae faciunt. vt in iiij. » libro de moribus ad Nicomachum, vbi naturam magnanimi exprimit. καὶ περὶ ἀναγκαίων, ἢ μι» κρῶν, ἥκιστα ὀλοφυρτικὸς καὶ δεητικός.

Καὶ τὸ ἀξιοῦν αὑτὸν μεγάλων, μεγαλοψυχία· τοῦτο δ᾽ εὐέλπιδος.

Et existimare se magnis quibusque rebus dignum esse, magnanimitas est: hoc autem proprium est eius, qui spei plenus est.

PRAETEREA inquit (hoc enim alterum argumentum est, quo ostendit adolescentes esse magnanimos) de se praeclare sentire, ac se magnis quibusq; rebus dignum iudicare, magnanimitas est: hoc autem proprium eius est, qui spe abundat, qualem iuuenem quemq; esse, supra docuimus. In iiij. quoque libro de moribus ad Nicomachum, magnanimum definiens, ijsdem verbis vsus est, quibus nunc habitum ipsum animi describit: δοκεῖ δὲ μεγαλόψυχος εἶναι ὁ μεγάλων ἑαυτὸν ἀξιῶν, ἄξιος ὤν: addidit enim illic, vbi accuratius de hac re disseruit, oportere eum huiuscemodi esse, & non solum tantis rebus se dignum stulte existimare.

Καὶ μᾶλλον αἱροῦνται πράττειν τὰ καλὰ τῶν συμφερόντων.

Et magis sibi gerenda statuunt, quae honesta sunt, quam quae vtilia.

POTIUSQUE in rebus honestis, plenisq; dignitatis, quam in vtilibus occupari volunt: propositisq; ambobus, alterum sequuntur, dignitatem inquam: alterum reijciunt, id est vtilitatem: nam ab omni vtili negotio, & quod rem augeat, abhorrere natura iuuenem docuit etiam Ho» ratius. Vtilium tardus prouisor.

Τῷ γὰρ ἤθει ζῶσι μᾶλλον, ἢ τῷ λογισμῷ· ἔστι δ᾽ ὁ μὲν λογισμὸς, τοῦ συμφέροντος· ἡ δὲ ἀρετὴ, τοῦ καλοῦ.

Indoli enim moribusque magis viuunt, quam ratiocinationi. est autem subducta diligenter rerum ratio eius, quod conducit: virtus autem honesti.

INDOLEM enim potius sequuntur, ac naturam, quam ratiocinationem: subducta enim diligenter ratio, impellit ad vtilitatem: virtus vero, ad dignitatem: viuere autem ἤθει, & λογισμῷ inquit, vt supra ἐλπίδι: scrupulum vero alicui inijcere posset, quod cum ἦθος supra dixisset, pro ea voce posuit, ἀρετή: is euellitur verbis ipsius: infra enim senibus contrariam naturam tribuens, id explanauit. τὸ δὲ ἦθος τῆς ἀρετῆς ἐστιν. virtus autem dignitatem propositam habet: eoque semper spectat.

Καὶ φιλόφιλοι, καὶ φιλέταιροι, μᾶλλον τῶν ἄλλων ἡλικιῶν.

Et amici amicorum, studiosique sodalium magis quam aliae aetates.

VALDE etiam studiosi sunt amicorum, sodaliumq;, & commodis ipsorum libenter obsequuntur, reliquasq; aetates in hoc officio vincunt. Quam hic varietatem inueni in antiquissimo codice indicabo, quamuis receptam lectionem probem: ita enim in eo legitur. καὶ φιλόφιλοι, καὶ φίλοι, καὶ φιλέταιροι. vt non cupidi tantum amatoresq; amicorum, ac sodalium eos dixerit, sed etiam amicos magis esse, quam aliae sint aetates: facit autem cum illo vetus quoq; tralatio: reliquis vero scriptis cum excusis conuenit.

Διὰ τὸ χαίρειν τῷ συζῆν, καὶ μήπω πρὸς τὸ συμφέρον κρίνειν μηδὲν, ὥστε μηδὲ τοὺς φίλους.

Quia gaudent conuictu, & nondum ad emolumentum, quod inde capi posſit, quicquam existimant. quapropter neque amicos.

RATIONEM huius rei reddens, vna contentus non fuit, ſed duplicem cauſam attulit. quia conuictu (inquit) capiuntur: quia tempus traducere cum familiaribus, ſimulque viuere gaudent: nec non, quia cum de aliqua re exiſtimant, vtilitatem non ſpectant. quare idem hoc in negotio faciunt: neq; enim amicos probant ob quaeſtum: nec amicitiam ad vtilitatem referunt, vt in alijs aetatibus conſtituti homines facere conſuerunt: colunt enim plerunque amicos ob fructum, quem ex ipſis capiunt: adoleſcentes vero minime. Vnde ardentiores in hoc munere obeundo ſunt: vehementiusq; ipſos amant. Conuictum dixi, quo verbo Cicero quoq; vſus eſt, non libenter tamen, vt ſuſpicari licet: nam Graeco, cum commode poteſt, vtitur in xiij. epi-
» ſtolarum ad Atticum. Intelligis enim profecto, quo maxime poſita ſit συμβίωσις. & ad Dola-
» bellam. Sed tamen ſuauiſſimum συμβιωτὴν noſtrum, praeſtabo integellum: filius tamen liberius & conuictio, & conuictores dixit in epiſtola ad Tironem: συζῆν autem, quo vtitur hic Ariſtoteles, & συμβιοῦν, idem eſſe apertum eſt.

Καὶ ἅπαντα ἐπὶ τὸ μᾶλλον, καὶ σφοδρότερον ἁμαρτάνουσι, παρὰ τὸ χιλώνειον: πάντα γὰρ ἄγαν πράττουσι.

Et quibuſcunque in rebus labuntur, verſus magis ac vehementius labuntur, contra illud Chilonis: cuncta enim valde gerunt.

CVM mediocritatem pauci ſeruare poſſint, magnaq; hominum pars peccet, quod hi nimium in rebus factisq; ſequuntur: hi vero, parum, iuuenes fines ſemper tranſeunt: contra ac fieri debere ſapientiſſimus vir Chilon cenſebat, qui laudauit hanc ſententiam, vel ipſius potius au-
» ctor fuit, μηδὲν ἄγαν. quam Latinis verbis protulit Terentius. Horum ille nihil egregie praeter
» cetera ſtudebat, Et tamen omnia haec mediocriter. Pamphilus igitur, non congruentes mores aetati habebat, de quo pater haec pronuntiat: adoleſcentes enim omnia praeter modum, vt Ariſtoteles tradit: vehementiores enim ſunt, quam oporteat, & impetu potius, quam ratione feruntur.

Φιλοῦσί τε γὰρ ἄγαν, καὶ μισοῦσιν ἄγαν, καὶ τἄλλα πάντα ὁμοίως.

Diligunt enim valde atque oderunt valde, ceteraque omnia ſimiliter.

HOS mores accuſauit in Minerua Neptunus apud Euripidem Troadibus, cum Graecos maximis detrimentis afficere ſe velle illa demonſtraret, quos antea tueri toto animo conſuerat: Troianos autem oblectare, quorum antea inimiciſſima fuerat, quosq; enixe oppugnarat. tantam
» immutationem in ea factam admirans, increpansq;, inquit Neptunus, Τί δ' ὧδε πηδᾷς ἄλλοτ' εἰς
» ἄλλους τρόπους Μισεῖς τε λίαν, καὶ φιλεῖς, ὃν ἂν τύχῃ. Sunt igitur nimis vehementes in vtramq; partem adoleſcentes, vt Terentianus Chremes locutus eſt, vicinum ſuum inſimulans, qui in re familiari certum modum ſeruare neſciret, peccaretq; aut largitate nimia, aut parſimonia: & diligunt nimis, quos diligunt: quosq; oderunt, nimis odio habent: nec in hoc ſolum modum non ſeruant, verum etiam, omnibus alijs in rebus eodem modo ſe gerunt.

Οἱ καὶ εἰδέναι πάντα οἴονται, καὶ διϊσχυρίζονται: τοῦτο γὰρ αἴτιόν ἐστι καὶ τοῦ, πάντα ἄγαν.

Qui etiam putant ſe omnia intelligere, atque aſſeuerant: haec enim cauſa eſt cur omnia valde.

QVI etiam ſcire ſe cuncta arbitrantur, contenduntq;: ex quo naſcuntur, vt alia non nulla, ita etiam hoc: quod omnia nimis faciunt: cum enim omnia ſibi nota eſſe putent, nec ſe labi poſſe credant, nihil timide tractant. Διϊσχυρίζεσθαι aſſeuerare ſignificat, ac contendere. in vj. de natura animantium. ἔνιοι δὲ διϊσχυρίζονται δέκα μῆνας κύειν ἡμιόνον λέγοντες. Ab antiquiſſimo libro abeſt articulus οἱ, initio huius partis in excuſis poſitus: quam etiam lectionem ſequitur vetus tralatio.

Καὶ τὰ ἀδικήματα ἀδικοῦσιν εἰς ὕβριν, καὶ οὐ κακουργίαν.

Et quas iniurias faciunt, faciunt animo verſo ad contumeliam, non ad malitiam.

CVMQVE iniurioſi ſint, iniuriae, quas faciunt, ad contumeliam, non ad malitiam tendunt: id eſt huiuſcemodi ſunt, vt honorem potius alicuius ac dignitatem violent, quam alia ratione noceant, & detrimentum rei familiari importent. In iij. libro de rep. vitiu, quod hic adoleſcentibus tribuit,

tribuit, comitari tradit illis, qui ampliores diuitias, & ingentes corporis vires possident: contumeliosos enim esse narrat, cum contraria hominum genera, idest valde mendici & imbecilli, fraude nitantur, & astute alijs imponant.

Καὶ ἐλεητικοὶ, διὰ τὸ πάντας χρηστοὺς, καὶ βελτίους ὑπολαμβάνειν.

Et procliues ad misericordiam, quia cunctos mortales probos esse & meliores, quam sunt, arbitrantur.

OB naturae, ingenijq; bonitatem adolescentes, cum bene de omnibus existiment, cunctosq; probos esse, ac meliores, quam vere sint, credant, facile misericordia commouentur: supra enim, cum quales misericordes essent, ostenderet, affirmauit misericordes esse, qui aliquos saltem aequos, bonosque esse putarent. Qui igitur cunctos fere mortales huiuscemodi esse putant, ij in primis misericordes erunt.

Τῇ γὰρ αὑτῶν ἀκακίᾳ τοὺς πέλας μετροῦσιν. ὥστ' ἀνάξια πάσχειν ὑπολαμβάνουσιν αὐτούς.

Sua namque innocentia reliquos metiuntur. quare se indigna pati ipsos arbitrantur.

SVA innocentia ceteros metiuntur, suoq; ex ingenio (vt comicus ait) mores alienos iudicant: cum enim ipsi probi sint, probos quoque ceteros esse credunt. Quare indigne putant, illos his malis conflictari: aegritudo autem, quae suscipitur ex aduersis alicuius rebus, qui illis dignus non sit, misericordia est: omnes, quicunq; boni viri sunt, falli hac de causa possunt, ac misericordia moueri eorum, qui multo maioribus damnis, quam tunc sustineant, digni sint. Nam vt quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur, vt Cicero in epistola quadam ad Q. Fratrem inquit.

Καὶ φιλογέλωτες. διὸ καὶ εὐτράπελοι.

Et studiosi risus sunt. vnde & vrbani sunt ac iocosi.

RISVS quoq; studiosi sunt. quare faceti, & iocosi fiunt: hos enim appellant Graeci εὐτραπέλους. quod cognomen habuit Volumnius mimus, intimus M. Antonij, ad quem etiam sunt epistolae duae Ciceronis, quarum prior de artificio ipsius erudite, eleganterq; scripta est: non sine causa vero appellatum illum eutrapelum fuisse, ex epistola ipsa Ciceronis percipitur, qua docet se antea ab eo litteras accepisse plenissimas omnium suauitatum. Sed Graeco etiam verbo » in ea vtitur. Deinde εὐτραπελίᾳ litterarum fecit, vt intelligerem tuas esse. Hunc autem esse puto, qui nouam, & facetam rationem nocendi alicui inuenerat, & quae multos falleret: beneficium enim iniuria appellabatur, vt inde etiam lepidum ipsius ingenium, & quod risus vndiq;, ludosque captaret, cognosci posset. Totam rem eleganter narrat Horatius in epistola ad Lol» lium. - Eutrapelus cuicunq; nocere volebat, Vestimenta dabat pretiosa: & quae sequuntur. Ex hoc autem ipso Horatij loco, & ex verbis Aristotelis, quibus in explicanda eius vi naturaq; vsus est, intelligere licet εὐτραπελίαν, non in verbis tantum, sed in rebus quoque positam esse: contumelia enim non minus factis, quam oratione constat: inueniuntur autem lepidi quidam & vrbani homines, qui facetis quibusdam rationibus, non stultos etiam viros saepe ludunt: quomodo ab eodem poëta Philippus, celebris orator, Vulteio praeconi imposuisse narratur.

Ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις ἐστίν.

Vrbanitas enim est erudita quaedam & castigata contumelia.

SALES, ioca, facetiae, eruditum conuicium sunt, & quod cum artificio quodam tractatur: nisi enim modus adhibeatur, scurrilitas erit. Hunc autem paene locum expressit M. Cicero pro » M. Caelio dicens. Maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam, quae si petulantius iactatur, conuicium: si facetius, vrbanitas nominatur. Et si, quod culpam in se continet, cuiusmodi foret, vitium inde auferens, declarauit. contra autem noster hic rem, quae probatur, laudeq; digna est, qualis foret, ostendit. quare fortasse magis similis huic est alter ille, » quo vsus est de Oratore, cum ait, Tum admonitio, quasi leuior obiurgatio. Abesse autem debere ab iocis, & omni faceto sermone contumeliam, Apollonius quoque in primo libro ἀργοναυτικῶν docuit, cum de lusionibus delectorum illorum iuuenum ageret, qui morem sequu» ti aliorum eius aetatis, huiuscemodi rebus se oblectarent. - μετὰ πότα δ' ἀμοιβαδὶς ἀλλήλοισι Μυ» θεῦντ', οἷα πολλὰ νέοι παρὰ δαιτὶ καὶ οἴνῳ Τερπνῶς ἑψιόωνται, ὅτ' ἄατος ὕβρις ἀπείη.

Τὸ μὲν οὖν τῶν νέων τοιοῦτον ἦθός ἐστιν: οἱ δὲ πρεσβύτεροι, καὶ παρηκμακότες σχεδὸν ἐκ τῶν ἐναντίων τούτοις τὰ πλεῖστα ἔχουσιν ἤθη.

Indoles igitur iuuenum huiuſcemodi eſt: ſeniores autem, & qui medium aetatis, ſtatumque ſuperarunt, e contrarijs his ferme temperatos mores habent.

INGENIO ac moribus iuuenum explicatis, ad ſenes tranſit: quos magna ex parte mores his contrarios habere tradit: hanc autem cauſam fuiſſe puto, cur ſtatim, relictis, qui in medio ſunt, ad hos acceſſerit. contraria enim, prope collocata, melius intelliguntur.

Διὰ γὰρ τὸ πολλὰ ἔτη βεβιωκέναι, καὶ πλείω ἐξηπατῆσθαι, καὶ ἡμαρτηκέναι, καὶ τὰ πλείω φαῦλα εἶναι τῶν πραγμάτων, οὔτε διαβεβαιοῦνται οὐδέν: ἧττόν τε ἄγαν ἅπαντα, ἢ δεῖ.

Quia enim multos annos vixerunt, pluribusq; in rebus decepti fuere, & lapſi ſpe ſua ſunt: & quia maior pars rerum vitij aliquid in ſe continet, ne confirmant quidem aliquid: minuſque valde, quam deceat, cuncta adminiſtrant.

QVOD breui ſupra in vniuerſum docuerat, nunc pluribus ſingillatim perſequitur. Quia enim (inquit) multos annos vixere: pluribusq; in rebus decepti, lapſiq; ſunt, nec non quia magna pars humanarum rerum magnis vitijs tenetur, nihil confirmant, ac minus quam oporteat valde cuncta tractant. ἐξηπατῆσθαι cum dixit, ſignificauit ipſos aliorum culpa male egiſſe: nam cum decipimur, damnum noſtrum eſt: culpa, aliorum. ἐξημαρτηκέναι vero ſua ipſorum culpa lapſos, ac vitio humani ingenij, noſtraeq; imbecillitatis declarat. quod autem adiungit, καὶ τὸ πλείω φαῦλα εἶναι τῶν πραγμάτων, apertum eſt: nihil enim ſinceri integriq; in rebus noſtris inueniri, valet. ἧττόν τε ἄγαν ἅπαντα ἢ δεῖ, ſignificat, nimis timide ipſos res adminiſtrare, diſtareq; magnopere a natura adoleſcentium, qui cuncta nimis agunt: hi namque non tantum ab ea culpa remoti ſunt, verum etiam in contrarium vitium labuntur, ac lenti in rebus gerendis, gelidique ſunt.

Καὶ οἴονται: ἴσασι δὲ οὐδέν.

Et putant: nouerunt autem nihil.

CONTRA ac iuuenes, qui cuncta ſe noſſe, ac comperta habere affirmant: hi enim ſuſpicari ſe dicunt, ſcire nihil: οἶμαι enim, qui nihil certi de aliqua re habet, dicere conſueuit. Vt apud Ariſtophanem πλούτῳ Chremylus: οἶμαι γὰρ οἶμαι, ξὺν θεῷ δ' εἰρήσεται. Latini homines, arbitror, quo verbo teſtes in iudicio ſemper vtebantur. vt Cicero pro Fonteio docet. Qui primum illud
» verbum conſideratiſſimum noſtrae conſuetudinis, Arbitror, quo nos etiam tum vtimur, cum
» ea dicimus iurati, quae comperta habemus, quae ipſi vidimus, ex toto teſtimonio ſuo ſuſtulit,
» atque omnia ſe ſcire dixit.

Καὶ ἀμφισβητοῦντες, προστιθέασιν ἀεὶ τὸ, ἴσως καὶ τάχα, καὶ πάντα λέγουσιν οὕτω: παγίως δὲ οὐδέν.

Et ambigentes, adiungunt ſemper fortaſſe, ſiue quis ſcit, an: cunctaque praedicant hoc pacto: aſſeueranter autem nihil.

HOC ad ſermonem eorum, modumq; loquendi pertinet, qui anceps incertusq; eſt: ac nihil aſſeueranter edit: cum enim aliquid proferunt, in dubio ſe verſari de ea re oſtendentes, adiungunt ſemper, aut ἴσως, aut τάχα: quibus aduerbijs declarant ſe non magis in hanc, quam in illam, opinionem venire: fortaſſeq; rem ita ſe habituram, ac morem (inquit) ita cuncta pronuntiandi habent, & nihil firmiter aiunt. Diſcrepat hic antiquiſſimus codex ab alijs, quos vidi, & excuſis & ſcriptis, quod ἀμφιδοξοῦντες habet: ſententia eadem nominis diuerſi.

Καὶ κακοήθεις εἰσίν: ἔστι γὰρ κακοήθεια τὸ, ἐπὶ τὸ χεῖρον ὑπολαμβάνειν ἅπαντα.

Et ingenij mali ſunt: malum autem ingenium eſt de omnibus rebus in deteriorem partem exiſtimare.

INGENIO praeterea ſunt maleuolo ac prauo, a quo vitio antea longe abeſſe iuuenes docuerat, cum contrario potius affines ſint: nunc quid κακοήθεια ſit, addit: ea autem patefacta liquido intelligi

intelligi potest quid κακοήθεις valeat: nec non id nomen mirifice conuenire ingenio senum: illi enim cuncta semper in deteriorem partem accipiunt: idest cunctis in rebus existimandis semper eo, quod deterrimum est, animo feruntur, exempli causa. factum alicuius anceps, quod & ob rectum aliquem finem, & ob prauum susceptum videri potest, illi omnino putant gestum malo consilio.

Ἔτι δὲ καχύποπτοί εἰσι διὰ τὴν ἀπιστίαν· ἄπιστοι δὲ δι' ἐμπειρίαν.

Adhuc autem mali semper aliquid suspicantur, qui nulli homini, neque rei fidunt: non credunt autem propter magnum vsum rerum.

CVM in excusis antea παχύποπτοι legeretur, ita emendaui, secutus fidem plurium scriptorum librorum: in quibus etiam est is, quem antiquissimum appello: vetus quoq; tralatio manifesto hanc lectionem sequitur: vis autem huius iuncti nominis, notioq; aperta est: valet enim suspiciosi, & mala semper, damnaq; metuentes, existimantes ex omni semper negotio sermoneque » incommoda quaedam oritura. Plato quoque in iij. libro de rep. verbo hoc vsus est. ὁ δὲ δεινὸς » ἐκεῖνος, καὶ καχύποπτος: ὁ πολλὰ ἠδικηκὼς καὶ πανοῦργος, καὶ σοφὸς οἰόμενος εἶναι: & quae sequuntur: loquitur autem de eo, qui ab adolescentia in multis sceleribus versatus fuerit: plurimosque iniuria affecerit: quem dicit, cum in sui similes, improbos ac nefarios homines inciderit, callidum visum iri, quod possit dolos eorum facile intelligere, ac damna malaq; vitare, cognita improbitare multorum, ad mala semper metuenda expectandaq; factus, cum exempla in moribus suis eorum vitiorum gerat. Vnde autem fiat, vt mala semper aliqua senes suspecta habeant: fraudemq; omnibus in rebus timeant, docet: ostenditq; id proficisci ab eorum indole moribusq;, quod nemini fidem habere secum statuerunt: huiuscemodi autem (inquit) sunt atque increduli, ob longam vitam vsumq; rerum plurimarum.

Καὶ οὔτε φιλοῦσι σφόδρα· οὔτε μισοῦσι, διὰ ταῦτα.

Et neque diligunt vehementer: neque oderunt, easdem ob res.

SENES quoque affirmat, neq; valde diligere: neq; vehemens odium in vllos habere, sed remisse vtrunq; facere ac leniter. Idq; ob easdem res contingere in illis tradit, quas supra appellauit: intelligit autem vsum multarum rerum, ac iudicium, quod in animo suo fecerunt, non habendam fidem esse hominibus, & vitium animi pessime de omnibus existimandi.

Ἀλλὰ κατὰ τὴν Βίαντος ὑποθήκην, καὶ φιλοῦσιν, ὡς μισήσοντες, καὶ μισοῦσιν, ὡς φιλήσοντες.

Verum vt Bias admonuit, & diligunt, vt osuri: & odio habent, vt amaturi.

Ὑποθήκην praeceptum hic significare, atq; vtilem vitae degendae sententiam, manifestum est: nam plures sunt huius verbi intellectus. Hesiodus ita inscriptum librum edidisse diu creditus est: primus autem Aristophanes grammaticus (vt Quintilianus tradit) ὑποθήκας negauit esse huius poetae. Latinis his verbis expressit priorem partem vocis Biantis M. Cicero in Laelio: con» traq; eam accurate disputauit. Negabat vllam vocem inimiciorem amicitiae potuisse repperi» ri, quam eius, qui dixisset, ita amare oportere, vt aliquando esset osurus: vt ex hoc vero Aristotelis loco intelligimus, non amicitiam tantum ille, sed etiam odium remissum ac mediocre esse volebat.

Καὶ μικρόψυχοι, διὰ τὸ τεταπεινῶσθαι ὑπὸ τοῦ βίου· οὐδενὸς γὰρ μεγάλου· οὐδὲ περιττοῦ, ἀλλὰ τῶν πρὸς τὸν βίον ἐπιθυμοῦσιν.

Et parui animi sunt, quia vita humiliter eos sentire docuit: nihil enim amplum, neq; eximium, sed quae ad vitam idonea sunt, cupiunt.

ET parui animi senes esse dicit, & eius rei statim causam affert. quia (inquit) longa aetas spiritus ipsorum fregit, & humiliter sentire docuit: vnde illi nihil amplum, eximiumq; optant, sed res tantum ad vitam necessarias cupiunt.

Καὶ ἀνελεύθεροι· ἓν γάρ τι τῶν ἀναγκαίων ἡ οὐσία.

Et illiberales: vnum enim eorum, quae ad vitam necessaria sunt, res familiaris est.

SORDIDI quoq; atq; illiberales sunt: cum enim ipsos dixisset in rebus tantum, ad vitam pertinentibus, quaerendis occupari, nunc patrimonium vnā ex illis esse ostendit. quare toto animo illi augendo incumbunt: nec partem aliquā eius diminui aequo animo patiuntur. Contempsit

tamen Thebanus Pelopidas amicos, qui cum ei suaderent, vt maiorem in tuenda re familiari diligentiam poneret, dixerant, necessariam illam esse: digito enim claudum, eundemq; caecum monstrans. Sane huic, inquit, Nicodemo: ita enim ille appellabatur.

Ἅμα δὲ καὶ διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἴσασιν, ὡς χαλεπὸν τὸ κτήσασθαι, καὶ ῥᾴδιον τὸ ἀποβαλεῖν.

Simulq; ob periculum saepe de ea re factum, nouerunt, quam arduum sit rem quaerere: facile autem amittere.

ALIVD etiam est, quod hortatur illos suum retinere: minutoq; animo atq; illiberali in hac re vti: nam vsu cognouerunt, quam arduum sit, quaerere pecuniam, & quam facile illa dilabatur.

Καὶ δειλοὶ, καὶ πάντα προφοβητικοί.

Et formidolosi, factique ad omnia praemetuenda.

TIMIDI praeterea sunt: cunctaq; mala, ante quam adueniant, expectant ac metuunt. Ex omnibus rebus nasci sibi posse aliquid incommodi putant. Hoc quoque pulchre expressit Horatius. Vel quod res omnes timide, gelideq; ministrant.

Ἐναντίως γὰρ διάκεινται τοῖς νέοις: κατεψυγμένοι γάρ εἰσιν: οἱ δὲ, θερμοί.

Contrario enim modo affecti sunt, atque iuuenes: gelidi enim, ac refrigerati sunt: hi vero, calidi.

CAVSAM, cur senes tam timido animo sint, afferens, inquit ipsos contrario modo ac iuuenes corpus affectum & temperatum habere: gelidi enim, ac refrigerati aetate sunt: adolescentes contra calidi, ac feruentes. In problemate de atra bile idem de vtraq; aetate dixit.

Ὥστε προωδοπεποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ: καὶ γὰρ ὁ φόβος κατάψυξίς τίς ἐστιν.

Quapropter viā muniyt senectus timiditati: etenim timor refrigeratio quaedam est.

QVARE (inquit) senectus, quae frigida est, viam munijt, aditumq; patefecit timiditati: irrumpere vero facilius penetrareq; res, cum via patefacta est: contra cum obstructa, patet. In eadem re exponenda Aristoteles in diuino illo problemate, eodem, quo hic verbo vsus est. προωδοπεποίηκε γὰρ τῷ φόβῳ; καὶ ὁ φόβος καταψύχει. Cum terribilis aliqua res nuntiata fuerit, si forte frigidioris fuerit temperamenti, timidum ipsa eum reddit: temperamentum enim illud iter patefecit timori: & metus ipse frigus corpori affert: afferens autem huius rei rationem, inquit: nam & metus ipse pars quaedam, speciesq; est refrigerationis. quod Virgilius quoque significauit, cum de fortissimo viro, tempestate ac fluctibus iactato, canens, ait. Extemplo Aeneae soluuntur frigore membra. Cum igitur conueniat in hoc ipsis: tantopereq; similes inter se sint reformidatio ac senectus, mirari non debemus, si timori obnoxia est senilis aetas, ac libenter illum recipit: vt hic autem metum refrigerationem esse dixit, ita in iiij. libro de partibus animantium: a frigore vero metus proficiscitur, vt a materia: forma enim ipsius aegritudo est, ac commotio animi.

Καὶ φιλόζωοι, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ, διὰ τὸ, τοῦ ἀπόντος εἶναι τὴν ἐπιθυμίαν.

Et cupidi vitae, maximeque extrema die: cupiditas enim est eius, quod abest.

VALDE quoque cupidi vitae sunt: quoque magis morti appropinquant, eo magis desiderio vitae tenentur. cuius rei rationem & apertam, & veram reddit: quia cupiditas est (inquit) rerum absentium: nemo enim cupit, quae iam tenet atque in potestate sua habet: a senibus autem, extremo vitae die, vita ipsa quasi abest. quare desiderio ipsius acriore tenentur. In verbis autem his μάλιστα ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ, varietas est: μᾶλλον enim secunda collatione habet antiquissimus codex, cui adstipulatur vetus tralatio.

Καὶ, οὗ δὲ ἐνδεεῖς, τοῦτο μάλιστα ἐπιθυμοῦσι.

Et cuius egentes sunt, hoc maxime cupiunt.

ALTERA, qua idem confirmat, ratio. Hoc etiam facit (inquit) vt vitae in extrema senecta cupidi

pidi sint: cuius enim penuria premuntur, hoc maxime cupiunt omnes: senes autem vitae esse inopes, manifestum est. quare hoc etiam illos ipsius cupidos reddit: explere enim, quod deest, auent. Interest vero inter hanc posteriorem & priorem illam rationem, quod illa vitam, vt absentem ac remotam rem, considerat: haec vero eandem, vt quae paene defecerit ipsos: eosq; vt egestate ipsius inopiaq; laborantes: quod, quamuis non dum illa exuti sint, cito tamen intelligant se ea spoliatum iri.

Καὶ φιλαίτιοι μᾶλλον ἢ δεῖ: μικροψυχία γάρ τις καὶ αὕτη.

Et queruli, pronique ad accusandos familiares magis, quam conueniat: vitium enim parui animi hoc quoque est.

HOC significauit (vt arbitror) Horatius, cum inquit. Difficiles, queruli. Qui, quod officia quaedam illi deseruerint, sine causa saepe insimulant amicos, φιλαίτιοι a Graecis nominantur. quo verbo quoque saepe Cicero vsus est: quod huic Graeco par Latinum non haberet. Non vna hic quoque est omnium scriptorum librorum lectio: antiquissimus enim codex φίλαυτοι, non φιλαίτιοι habet: vetus quoq; tralatio cum eo facit: notio eius nominis, siquis hanc lectionem veriorem putat, plana est: qui enim nimis se ac res suas amant, ita vocantur: & sane causa, quam affert, huius rei, declarat locum commode hic habere & ipsam posse: est enim parui animi ita erga se affectum esse. quod vero paulo post inquit: quoniam se magis quam oporteat, ament, & hoc ipso verbo vtitur, impellere eos, vt ad vtilitatem in vita omnia dirigant, non ad honestatem, videtur veterem scripturam confirmare.

Καὶ πρὸς τὸ συμφέρον ζῶσιν, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ καλὸν μᾶλλον ἢ δεῖ, διὰ τὸ φίλαυτοι εἶναι: τὸ μὲν γὰρ συμφέρον, αὐτῷ ἀγαθόν ἐστι: τὸ δὲ καλὸν, ἁπλῶς.

Et viuunt ad vtilitatem, sed non ad dignitatem, magis quam decet, quia sunt studiosi sui ipsorum: quod enim conducit, sibi ipsi bonum est: honestum autem, simpliciter.

ET in vitae ratione proponunt sibi vtilitatem, non dignitatem: ac plus quam recte fieri possit illam sequuntur: hanc relinquunt. huius autem rei causa est (inquit) quod amici sunt commodorum suorum, ac se ipsos valde diligunt: vtile enim illi ipsi, qui id consecutus est, bono est: honestum, ad alium refertur. συμφέρον nisi fructum, commodumq; afferret, bonum non putaretur: honestum, dignitasq; absolute, & ex sua vi bonum est.

Καὶ ἀναίσχυντοι, μᾶλλον ἢ αἰσχυντηλοί: διὰ γὰρ τὸ μὴ φροντίζειν ὁμοίως τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος, ὀλιγωροῦσι τοῦ δοκεῖν.

Et inuerecundi, potius quam verecundi: quia enim solliciti non sunt eodem pacto de dignitate, & de vtilitate, parui ducunt videri.

INVERECVNDI quoque potius, quam verecundi sunt: non quod res turpes, flagitiosasq; faciant, sed quod parum verecundia moueantur: cum enim aetatis vitio vtilitatis magis, quam dignitatis appetentes sint, existimationem aliorum parui faciunt, nec sua valde interesse putant, qui qualesue habeantur.

Καὶ δυσέλπιδες, διὰ τὴν ἐμπειρίαν.

Et alieni sunt ab omni spe bona, ob vsum magnum rerum.

AEGRE aliquid secundum ex quolibet negotio euenturum sperant: vix induci possunt ad bonum aliquod expectandum: id vero propter vsum multarum rerum. Haerere autem huic vitio senes, Cicero quoque in epistola ad M. Caelium ostendit. Recordor enim desperationes
» eorum, qui senes erant adolescente me: non vnam autem huius rei causam affert.

Τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν πραγμάτων φαῦλά ἐστι.

Magna enim pars humanorum factorum infirma, dubiaque est.

VT supra locutus est, cum ingenium senum aperire coepit: maior namq; pars terrenarum rerum magnis vitijs scatet. a natura igitur infirmitateq; rerum ducitur primum hoc argumentum: quod sequitur autem a moribus ipsorum, animiq; timiditate. Discrepat vero hic quoq; antiquissimus codex a reliquis & excusis & scriptis libris: ita enim in eo legitur. τὰ γὰρ πλείω τῶν γινομένων, non parum variatis verbis; eadem paene sententia: eum autem sequitur vetus tralatio.

Ἀποβαίνει γοῦν τὰ πολλὰ ἐπὶ τὸ χεῖρον, καὶ ἔτι διὰ τὴν δειλίαν.

Desinunt igitur multa in deteriorem partem, & praeterea propter timiditatem.

HVMANAE fere res hanc naturam habent, vt in deteriorem partem cadant: quare non omnino reprehendi possunt senes, quod aegre ad bene sperandum adduci possunt. Verum alia etiam huius rei causa est, inquit: timiditas scilicet, quae propria ipsorum est: timiditas enim auocat a spe rerum secundarum, & impellit ad desperationem. Hoc autem varietatis in eodem antiquissimo libro inueni, quod non ἀποβαίνει γοῦν, sed ἀποβαίνει γὰρ scriptum habet: cum eo autem facit vetus tralatio.

Καὶ ζῶσι τῇ μνήμῃ μᾶλλον, ἢ τῇ ἐλπίδι: τοῦ γὰρ βίου τὸ μὲν λοιπὸν, ὀλίγον: τὸ δὲ παρεληλυθὸς, πολύ.

Et viuunt memoria magis quam spe: quod enim vitae restat, paucum est: quod vero elapsum, multum.

VIVVNTQVE memoria potius quam spe: idest in vita degenda vtuntur magis illa, quam hac: diriguntq; actiones suas magis ad cogitationem rerum praeteritarum, quam ad spem futurarum. Cuius rei rationem afferens, inquit: vitae enim, quae reliqua est pars, exigua est: praeterita vero, multa: quod enim in excusis legebatur. τὸ μὲν μέλλον, elegantius legi putaui, τὸ μὲν λοιπὸν, vt in antiquiss. libro inueni, cui etiam scripturae adstipulatur vetus tralatio. supra sane, vbi de moribus adolescentiũ disputat, qui ex altera parte moribus senum respondent, μέλλον in eadem sententia recte legitur: tempus enim longum est, quo illi victuri sunt: contra de senibus disserens, aptius videtur locutus, λοιπὸν dicens: pars enim vitae, quae restat, non multa est, vt eo pacto vocari debuerit, sed contra potius verbo, quo paucitas ipsius declaretur.

Ἐστι δὲ ἡ μὲν ἐλπὶς, τοῦ μέλλοντος: ἡ δὲ μνήμη, τῶν παροιχομένων.

Spes autem est futuri temporis: memoria vero, praeteritarum rerum.

HOC ipsum quoque supra, vbi mores iuuenum significauit, iisdem verbis exposuit: idem etiam in libro de memoria & reminiscentia protulit, vbi de altero accuratius disputauit.

Ὅπερ αἴτιον καὶ τῆς ἀδολεσχίας αὐτοῖς.

Quae quidem causa est ipsis loquacitatis.

QVAE quidem res causa etiam est loquacitatis in senibus: quia scilicet multa viderunt, multaq; audierunt: quae cum recordentur, loquaciores sunt. A quo vitio non potuit senectutem vindicare, cum laudationem ipsius scriberet, eruditissimus ac politissimus Latinus scriptor.

Διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες: ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται.

Non cessant enim exponere, quae facta sunt: ex recordatione enim ipsorum voluptatem capiunt.

EXPONVNT enim (inquit) narrantq; iunioribus, quae superioribus annis facta sint: quae praeterita sua vita fieri viderint: libenterq; in hoc sermone versantur. cuius rei causam afferens, addit: afficiuntur enim voluptate, res praeteritas reminiscentes. Animaduertenda autem elegans locutio, Atticae consuetudinis propria, διατελοῦσι λέγοντες: idest λέγουσιν, & quasi numquam cessant dicere res olim factas, & in ea oratione perdurant: crebra huiusmodi dicendi exempla sunt apud Atticos scriptores, vt initio statim orationis pro Ctesiphonte.

Καὶ οἱ θυμοὶ ὀξεῖς μὲν εἰσιν: ἀσθενεῖς δέ.

Et iracundiae ipsorum acutae sane sunt: imbecillae autem.

IRAE senum acres, & acutae sunt: imbecillae tamen languidaeq;: vel quod cito dissoluantur, vel potius quod tantam vim non habeant, vt ad agendum impellant, & ad exitum perducant, quod furor ille suadet. ὀξὺν acrem Ciceronem appellare manifestum est, vel ex hoc Platonis loco e Phaedro, ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων: quem sic in ij. libro de finibus expressit. "Oculorum, inquit Plato, est in nobis sensus acerrimus.

Καὶ αἱ ἐπιθυμίαι: αἱ μὲν, ἐκλελοίπασιν: αἱ δὲ, ἀσθενεῖς.

Et

Et cupiditates: hae quidem defecerunt: hae vero imbecillae sunt.

Cupiditates quoque partim discussae sunt (inquit) atque abiere: partim vero iam fractae: quae scilicet adhuc permanserunt, oblanguere. Res aperta, & quae non quaerat exemplis confirmari. Sed tamen luculentissimum exemplum est optimus tragicorum, qui a grauissimis auctoribus ita traditur locutus, cum ex eo quidam, iam confecto aetate, quaereret, vteretur ne » rebus Venereis. Dij meliora: libenter vero istinc, tamquam a domino agresti, ac furioso profugi. Nam accepisse illum hoc beneficium ab aetate, praeterquam quod ipsemet fatetur, ostendunt etiam veteres scriptores, qui narrant, ipsum lasciuiusculum fuisse, & in amore etiam puerorum intemperantem. Testimonia adducit Athenaeus in xiij. libro δειπνοσοφιστῶν.

Ὥσθ᾽ οὔτε ἐπιθυμητικοί: οὔτε πρακτικοὶ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας, ἀλλὰ κατὰ τὸ κέρδος. διὸ σωφρονικοὶ φαίνονται οἱ τηλικοῦτοι.

Quapropter neque sunt procliues ad cupiditates: neque etiam parati ad ea gerenda, quae suaserit cupiditas, sed illa, quae lucrum atque vtilitas. quapropter propensi ad temperantiam videntur homines huius aetatis.

Quapropter (inquit) neque flagrant cupiditatibus, animumque libidinibus vexatum habent: neque gerunt aliquid impulsu cupiditatum: respondet autem (vt opinor) prior pars, ei, quod dixerat, defecisse in illis cupiditates: si enim penitus extinctae sunt, ac dereliquere ipsos, non possunt vllo pacto dediti esse cupiditatibus: posterior vero affirmarat alias esse imbecillas: si enim viribus ac neruis carent, non tantam vim habere possunt apud illos, vt ad efficiendum impellant: quamuis diuersus ordo verborum sit in antiquissimo libro: cuius etiam scripturae certa vestigia sunt in vetere tralatione: ita enim illic legitur. ὥστ᾽ οὔτε πρακτικοί, οὔτε ἐπιθυμητικοὶ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας. quare communem hanc lectionem veriorem duco: addit autem, sed ad vtilitatem se referunt, ac, quae lucrum praecipit, sectantur. Vnde (inquit) natura facti ad temperantiam videntur, qui huius aetatis sunt. Cum tamen, si quis acute attendat, aliter se res saepe habeat, ac necessitate illi, non voluntate, huiuscemodi sint. Σωφρονικοὶ vocantur, qui naturae impulsu disciplinaque a turpibus voluptatibus abhorrent. In vij. libro de moribus ad » Nicomachum ipse eodem verbo vsus est. καὶ γὰρ δίκαιοι, καὶ σωφρονικοί, καὶ ἀνδρεῖοι, καὶ τἆλλα ἔχομεν » εὐθὺς ἐκ γενετῆς. Quod autem inquit οἱ τηλικοῦτοι, senes manifesto intellexit, qui ad hanc aetatem peruenerunt: vt locutus est in viij. eorundem librorum, cum eandem paene sententiam proferret: οὐ γὰρ τὸ ἡδὺ οἱ τηλικοῦτοι διώκουσι.

Αἵ τε γὰρ ἐπιθυμίαι ἀνείκασι, καὶ δουλεύουσι τῷ κέρδει.

Cupiditates enim relanguerunt: & seruiunt quaestui.

Cupiditates enim remiserunt, ac seruiunt lucro. remiserunt (id enim significat ἀνείκασι) » Cicero ad Atticum. Iis ardet furore, nec remittit aliquid, sed in dies ingrauescit: id est oblanguerunt, hebetioresq; factae sunt. Seruire pecuniae Cicero quoq; inquit, vt hic Aristoteles δουλεύειν τῷ κέρδει: & sane crebro a Graecis & Latinis scriptoribus hoc verbum ad alias res transfertur. Dionysius in vita Isocratis, vel Hieronymus potius peripateticus: illius enim, vt sen» tentiam, ita verba quoq; esse arbitror. Δουλεύειν γὰρ αὐτὸν τῇ λειότητι παντελῶς. Cicero in Oratore: seruire numeris, seruire voluptati aurium etiam dixit: valet autem seruire pecuniae, toto pectore augendo patrimonio incumbere, & vni illi rei studere: quo etiam morbo senem mise» rabiliter laborare docet Horatius. Quaerit, & inuentis miser abstinet.

Καὶ μᾶλλον ζῶσι κατὰ λογισμὸν, ἢ κατὰ τὸ ἦθος: ὁ μὲν γὰρ λογισμὸς, τοῦ συμφέροντος: τὸ δὲ ἦθος, τῆς ἀρετῆς ἐστιν.

Et magis viuunt ratiocinatione, quam indole moribusque: ratiocinatio enim est eius, quod conducit: indoles autem ac mos, virtutis.

Et in ea aetate traducenda magis se adplicant ad ratiocinationem, quam ad indolem, & innatos hominibus a natura mores: idest potius faciunt, quae praecipit λογισμὸς, quam quae ἦθος suadet. cuius rei rationem afferens inquit: subducta enim diligenter animo ratio cogitatioq; rerum suarum impellit ad vtilitatem: indoles autem ad virtutem: senes magna ex parte bonum, quod conducit, amplexantur: quod vero in honestate manet, atq; in dignitate retinenda positum est, non valde sectantur.

Καὶ

Καὶ τ' ἀδικήματα ἀδικοῦσιν εἰς κακεργίαν, οὐκ εἰς ὕβριν.

Et iniuriae, quas faciunt ad malitiam, non ad contumeliam.

CVM duobus modis iniuriosi sint homines: aut enim in patrimonium alicuius inuadunt, aut dignitatem violant: iniuriae, quae a senibus inferuntur, eo tendunt, vt damnum rei familiari importent. Cum autem in excusis antea legeretur εἰς ἀδικίαν, emendaui, secutus fidem antiquissimi libri & rem ipsam, εἰς κακεργίαν. vt supra locutus est, cum adolescentes contrarijs moribus praeditos docuit: neque enim locum hic peruulgata lectio habere poterat, nisi quis putaret Aristotelem nomine generis hic abusum, cum speciem significare vellet, quod valde durum foret: est enim contumelia quoque ἀδικία, vt cum genus vtriusq; iniuriae complectatur, pars ipsius proprie esse non possit. In iiij. autem libro de rep. ipse, quae iniustae faciunt homines ita partitus est. τῶν δ' ἀδικημάτων, τὰ μὲν γίγνεται διὰ ὕβριν: τὰ δὲ, διὰ κακεργίαν.

Ἐλεητικοὶ δὲ καὶ οἱ γέροντες εἰσὶν, ἀλλ' οὐ διὰ ταὐτὸ τοῖς νέοις.

Misericordes autem senes quoque sunt, verum non eadem de causa, qua iuuenes.

QVI in alijs moribus tantopere diuersi inter se sunt, in hoc consentiunt: vt enim adolescentes, ita etiam senes misericordes sunt: quod tamen in hoc quoque non omnino conuenire ipsis inter se ostendat, addit: neq; enim vna eademq; causa est, cur ita ambae afficiantur animo aetates, sed duae diuersaeq;. In antiquissimo libro hoc varietatis offendi, quod numero multitudinis ταυτὰ, non ταυτὸ, vt alij, habet: eandem lectionem sequitur quoq; vetus tralatio.

Οἱ μὲν γὰρ, διὰ φιλανθρωπίαν: οἱ δὲ, δι' ἀσθένειαν.

Hi namque, quia humano ingenio sunt: hi vero, propter virium imbecillitatem.

CVM & senes, & adolescentes laude digni sint, quod vtranq; aetatem calamitosorum misereat, magis tamen amandi adolescentes: honestiore enim causa mouentur: vincunt autem iuuenes hac parte senes, vt multis alijs. Incommoda aliorum angunt adolescentes, quia nollent, quemquam malo premi, & humanum genus diligunt: senes, nisi sibi metuerent, non valde aliorum damna curarent. Verum, quia infirmitatem suam norunt, seque omnibus iniurijs expositos putant, sollicitantur animo, cum alios afflictos cernunt: dolentq; ipsos in illis malis versari. Terentianus tamen Chremes non sua causa se moueri docet, sed eadem, quae suadet adolescentibus, vt misericordes sint: inquit enim. Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Cum supra autem docuisset adolescentes misericordes esse, quod cunctos mortales probos esse arbitrentur: ac meliores, quam vere sint, nunc vero ob amorem, quo prosequuntur humanum genus, misericordiam in eorum animis excitari tradat, diuersam a superiore illa causam, vt alicui videri posset, non attulit: de quibus enim tam praeclare existimant, eos diligant carosq; habeant necesse est.

Πάντα γὰρ οἴονται ἐγγὺς εἶναι αὐτοῖς παθεῖν.

Cuncta enim putant propinqua sibi esse incommoda, vt facile cadere in se possint.

CVNCTA enim senes, quibus alios premi vident, propinqua sibi mala esse putant: atque ita instare, vt paulo post ipsos inuasura sint. Theseus optimus ac fortissimus vir, apud Sophoclem in Oedipode Coloneo, vt res erat, fateri voluit, non vt Terentianus ille Chremes fecerat, qui honestiorem causam secutus est: docuit enim se malorum, miserrimi ac calamitosissimi senis misereri, quod suam imbecillitatem nosceret, ac posse fieri intelligeret, vt ipse quoque paulo post in eadem, ac multo maiora mala (si maiora vlla excogitari poterant) incideret: neque tamen hoc senectuti vitio dedit, sed humanis rebus assignauit: quae ita fragiles caducaeq; sunt, vt fulti etiam magnis opibus, ac corpore valentes, polliceri sibi non possint diuturnam fore florentem illam suam fortunam. Ἐπεὶ ἔξοιδ' ἀνὴρ ὢν: χ' ὥτι τῆς ἐς αὔριον Οὐδὲν πλέον μοι σοῦ μέτεστιν ἡμέρας.

Τοῦτο δ' ἦν ἐλεητικοῦ.

Hoc autem proprium eius est, quem misereri oporteat miserorum.

EX definitione hoc constat: propriumque id est misericordis: additum namque illic est, malum aliquod tunc ita nos commouere, cum vicinum visum fuerit: mala enim, quae in alijs spectamus, nos perturbant, cum impendere nobis illa, aut nobis caris personis putamus. Antiquissimus codex nominandi casu, neutro genere, habet ἐλεητικὸν: quem sequitur in hoc vetus tralatio.

Ὅθεν ὀδυρτικοί εἰσι, καὶ οὐκ εὐτράπελοι.

Vnde

Unde proni sunt ad condicionem suam lamentandam: & nullo modo faceti.

HORATIVS querulos, hoc exprimens, ipsos appellauit. Nam, vt alijs omnibus in rebus, ita in hoc (vt Aristoteles aperte declarat) sunt senes adolescentibus contrarij: illi enim vrbani ac faceti: hi queruli, morosique: qui enim multum queruntur, semperq; res suas malas narrant, aduersantur manifesto illis, qui risum sectantur, eumque studiose captant.

Οὐδὲ φιλογέλοιοι: ἐναντίον γὰρ τὸ ὀδυρτικὸν τῷ φιλογέλωτοι.

Neq; studiosi iocorum: contrarium enim est querulum esse, & cupidum risus.

NEQVE iocorum studiosi sunt: γελοῖα enim sales iociq; a Graecis appellantur: unde iunctum nomen φιλογέλοιοι, faceti, & qui delectantur salibus vrbanisq; sermonibus. In antiquissimo tamen libro φιλόγελοι legitur, quasi risus cupidi: quam lectionem videtur etiam sequi vetus tralatio. Duorum autem horum morum, quos a senibus remouet, vnam causam affert, dicens: contrarium enim est quidquid querulum est ei, quod risum captat.

Τῶν μὲν οὖν νέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τὰ ἤθη τοιαῦτα.

Iuuenum igitur & senum huiuscemodi sunt mores.

ITA coniunxit morum explicationem, iuuenum ac senum, quamuis contrarij illi sint, vt communi amborum repetitione vtatur: ostendit enim nunc se totum hunc locum absoluisse. quod si non omnes iuuenum ac senum mores expressit, qui tamen reliqui sunt, cum huiuscemodi sint, indicatis his, facile possunt cognosci.

Ὡς ἐπεὶ ἀποδέχονται πάντες τοὺς τῷ σφετέρῳ ἤθει λεγομένους λόγους, καὶ τοὺς ὁμοίους, οὐκ ἄδηλον πῶς χρώμενοι τοῖς λόγοις, τοιοῦτοι φαίνονται, καὶ αὐτοὶ, καὶ οἱ λόγοι.

Quapropter quia cuncti probant orationes, quae habentur accommodatae suis moribus, & similes, non est dubium quomodo vtentes orationibus, tales videntur esse, & & ipsi, & eorum orationes.

DE fructu, qui capi potest ex accurata explicatione rerum superiorum loquitur, magnumque illum omnino esse docet, si quis, vt oportet, recte orationem tractare sciat: qui enim huius rei peritus erit, & ipse, & oratio ipsius talis videbitur: vt enim homines, ita etiam orationes moratae sunt. Nam, quin cuncti probent orationes, quae ingenio, moribusq; ipsorum conuenientes habentur: nec non similes sibi personas ac pares, dubitare non possumus: est enim hoc perspicuum.

Οἱ δὲ ἀκμάζοντες, φανερὸν ὅτι μεταξὺ τούτων τὸ ἦθος ἔσονται.

Qui media in aetate constituti sunt, satis planum est eos moribus futuros medios inter hos.

QVI vigent aetate (inquit) intelligi hinc potest medios horum indole futuros esse: vt enim interiecti sunt inter iuuenum ac senum aetates, ita etiam inter mores ipsorum interiectos fore: quomodo autem, ipse docet: quid vero ἀκμὴ sit, notum est. Cicero in Catone maiore, cum inquit. Sunt & ineuntis adolescentiae, num ea iam constans desideret aetas? quae dicitur media, ἀκμάζοντες expressit. Nam Plinius verba haec Aristotelis e vj. libro historiae: ἀκμάζει δὲ μάλιστα πεντακαιδεκαέτης ὤν, reddens, robur in quinatu inquit.

Ἑκατέρων ἀφαιροῦντες τὴν ὑπερβολήν.

Ab vtrisque dementes nimium atque exuperantiam.

QVOD nimium in vtraq; aetate erat, abijcientes ac repudiantes: cum enim & adolescentes, & senes medium in rebus seruare non possint, & tamquam contrarijs vitijs addicti sint, hoc qui in viriditate constituti sunt, egregie praestant, & certum modum tenent. Appellauit igitur ὑπερβολὴν, quod subito infra duobus illis aduerbijs significauit, cum neq;, vt adolescentes vehementer confidere sibi eos dicit: neq;, vt senes, valde timere.

Καὶ οὔτε σφόδρα θαῤῥοῦντες: θρασύτης γὰρ τὸ τοιοῦτον: οὔτε λίαν φοβούμενοι: καλῶς δὲ πρὸς ἄμφω ἔχοντες.

Et

Et neque valde fidentes: audacia enim est huiuscemodi omne: neque valde metuentes: belle autem se ad ambo habentes.

MEDIOCRITATEM in hoc quoq; retinet media aetas, nec nimium sequitur: hi enim (inquit) neq; valde fidentes sunt: audacia enim hoc est: neq; valde timentes: verum recte se ac belle in vtroque gerunt: qui enim moderate θαῤῥοῦσιν in rebus terribilibus, virtutem adepti sunt: qui modum non seruant, ac nimis confidunt, peccant, in vitiumq; labuntur. quod θρασύτης Graece, Latine audacia appellatur.

Οὔτε πᾶσι πιστεύοντες: οὔτε πᾶσιν ἀπιστοῦντες, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀληθὲς κρίνοντες μᾶλλον.

Neque omnibus credentes, neque omnibus fidem non habentes, sed potius existimantes de rebus, vt veritas iubet.

DISCRIMINAT etiam mores eorum, qui ipsos cingunt hac in re, ac remotis extremitatibus, medium tenent: quod neq; omnibus temere credunt, vt adolescentes faciunt: neq; diffidenter nimis cunctis fidem derogant, vt senes: sed potius ex veritate res existimant: quibusq; fides habenda est, habent: parum vero fide dignis, non credunt. Quod vero in extrema hac sententia excusi antea μόνον habebant, emendaui μᾶλλον, & re ipsa suadente, & confirmantibus idem scriptis codicibus.

Καὶ οὔτε πρὸς τὸ καλὸν ζῶντες μόνον: οὔτε πρὸς τὸ συμφέρον, ἀλλὰ πρὸς ἄμφω.

Et neque ad dignitatem viuentes, neque ad vtilitatem, sed ad ambas.

HAEC, quae in cunctis excusis libris desiderabantur, verba restitui: inuenta a me in pluribus scriptis exemplaribus, sed a vetere quoque tralatione illa expressa sunt. Neque ad honestatem viuentes solum: ad eamque cunctas actiones suas dirigentes: neque ad vtilitatem, verum ad vtrasque: & partim ad hanc: partim ad illam: cum iuuenes senesque, altera penitus relicta, ad alteram se adplicent.

Καὶ οὔτε πρὸς φειδὼ: οὔτε πρὸς ἀσωτίαν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἁρμόττον.

Et neque ad parsimoniam, neque ad effusionem, sed ad id, quod conuenit.

NEQVE ad parsimoniam: neq; ad largitatem nimiam, effusionemq; se tunc referentes, verum ad id, quod decet, ac congruit & personis & suis & eorum, quibus pecunia opitulantur, & temporibus ac locis, se accommodantes.

Ὁμοίως δὲ καὶ πρὸς θυμὸν, καὶ πρὸς ἐπιθυμίαν: καὶ σώφρονες μετὰ ἀνδρείας: καὶ ἀνδρεῖοι μετὰ σωφροσύνης: ἐν γὰρ τοῖς νέοις, καὶ τοῖς γέρουσι διῄρηται ταῦτα: εἰσὶ γὰρ οἱ μὲν νέοι, ἀνδρεῖοι, καὶ ἀκόλαστοι: οἱ δὲ πρεσβύτεροι σώφρονες, καὶ δειλοί.

Similiter autem, & ad iram, & ad cupiditatem: & temperantes cum fortitudine: & fortes cum temperantia: in iuuenibus enim, & senibus haec diuisa sunt: sunt enim iuuenes fortes, & intemperantes: senes autem temperantes, & formidolosi.

CVM, quibus in rebus labuntur reliquae aetates, & aut nimium, aut parum sectantur, mediocritatem seruare, qui in statu sunt, dixerit: ostendit nunc virtutes & res commodas, quas aetates illae seiunctas habent, easdem coniunctas habere viriditatem: & eodem tempore, qui vigent, compotes esse earum virtutum, quae in diuersis aetatibus repperiuntur, vt nullis vitijs adiunctas eas habeant. Eodem pacto se habent (inquit) in his, quae ad excandescentiam animi, iramque pertinent, & ad cupiditatem: temperantes enim sunt: adnexamq; huic praeclarae virtuti, fortitudinem habent: & fortes simulq; temperantia ornati, quod in aetatibus illis non contingit: sunt enim haec distincta ac separata in adolescentibus ac senibus: neutrique ipsorum praediti sunt vtroque bono: quod aperte ostendit, tradens: adolescentes namque fortes, ijdemq; intemperantes: senes vero temperantes ac timidi.

Ὡς δὲ καθόλου εἰπεῖν, ὅσα μὲν διῄρηται ἡ νεότης, καὶ τὸ γῆρας τῶν ὠφελίμων, ταῦτα ἄμφω ἔχουσιν: ὅσα δ' ὑπερβάλλουσιν, ἢ ἐλλείπουσι, τούτων τὸ μέτριον, καὶ τὸ ἁρμόττον.

Vt in vniuersum autem loquar, quaecunque diuiserunt sibi iuuentus, & senectus e numero rerum vtilium, haec ambo habent: in quibuscunque autem, vel nimium sequuntur, vel parum: horum iustam mensuram, & quantum congruit, habent.

CVNCTA,

CVNCTA, quae supra pluribus exposuerat, nunc breui complectitur. ad summam (inquit) res bonae, quas sibi seorsum vendicarunt adolescentia, & senectus, vt vtraque illarum huius particeps: alterius expers sit, ambas coniunctasq; simul possidet viriditas: respondet autem hoc posteriori membro: res autem, in quibus nihil laude dignum gerebant extremae illae aetates, sed aut lineam transibant: nimiumq; sectabantur, aut ad eam non deueniebant: parumq; earum assequebantur, harum haec retinet mediocritatem quandam, & quantum conuenit ipsarum suscipit: pertinet vero hoc ad priores illos locos, quorum primus fuit, cum adolescentes nimis sibi confidant: senes contra minus, quam oporteat, audeant, medios in hoc modum ac mensuram certam tenere, ac quod decet, facere. Quod igitur inquit: ὅσα μὲν διῄρηται ἡ νεότης, καὶ τὸ γῆρας τῶν ὠφελίμων, valet. Res vtiles, quas adolescentia & senectus sibi diuisit: separatimque altera ab altera assumpsit (vtraq; enim aetas seorsum sua quaedam ac propria bona habet, quibus altera caret) ijs ambabus ornati sunt in media aetate constituti. Quod vero ab excusis antea hic verbum aberat, ἄμφω, restitui, inuentum a me in omnibus scriptis libris.

Ἀκμάζει δὲ τὸ μὲν σῶμα ἀπὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μέχρι τῶν πέντε καὶ τριάκοντα.

Viget autem corpus a triginta annis vsque ad triginta quinque.

INDICATIS iam moribus eorum, qui medij inter adolescentes ac senes sunt, quomodo capi debeat media haec, constansq; aetas, ostendit: distinguit autem ipsam in corporis animiq; statum ac viriditatem: corpusq; primum vigere docet ab anno xxx. aetatis vsque ad xxxv. Cum autem nihil certi de his rebus tradi possit: varieturque manifesto in diuersis stratis hic vigor: nuncq; celerius: nunc tardius accedat, quod maiore in parte vsu venit, praecipit, vt regulam quasi quandam habeant, ad quam se dirigant, orationemque conforment oratores.

Ἡ δὲ ψυχὴ περὶ τὰ ἑνὸς δεῖν πεντήκοντα.

Animus vero anno circiter vno minus quinquaginta.

SOLON, qui leges Atheniensibus condidit, poëta quoq; non malus fuit, ac plures elegias scripsit: in quarum vna vim numeri hebdomadis diligenter exponit: nam quod ad septimam hebdomadam pertinet, cum iudicio huius nostri concordat: tradit enim tunc animum, consi-
» liumq; hominum ad summum venisse, ac iam perfectum esse. Ἑπτὰ δὲ νοῦν, καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδο-
» μάσιν μέγ᾽ ἄριστος. In quarta autem corpus vigere, ac vires firmissimas habere: in quo ei cum Aristotele non valde conuenit: in quinta rectum esse censet vxorem ducere, ac liberis operam dare: adducuntur autem plures ipsius versus in vj. Stromate a Clemente Alexandrino. Vt hic autem, quod ad mentis consilijq; viriditatem pertinet, cum eo sentit, ita iudicium eius in eadem re probat in vij. libro de republica: eum enim manifesto intelligit, quamuis nomine non
» appellet, vbi inquit. Διὸ καὶ τὴν τῆς διανοίας ἀκμήν· αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἐν τοῖς πλείστοις, ἥνπερ τῶν ποιητῶν τινες
» εἰρήκασιν· οἱ μετρεῦντες ταῖς ἑβδομάσι τὴν ἡλικίαν, περὶ τὸν χρόνον τῶν πεντήκοντα ἐτῶν. Idem tamen non multo post in extremo libro eundem damnat, & magna ex parte non bene sensisse in hoc negotio affirmat. Antiquissimus liber, a reliquis dissentiens, habet. ἡ δὲ ψυχὴ ἑνὸς δεῖν πεντήκοντα: quam lectionem etiam vetus tralatio exprimit.

Περὶ μὲν οὖν νεότητος καὶ γήρως, καὶ ἀκμῆς, ποίων ἠθῶν ἐστιν ἕκαστον, εἰρήσθω τοσαῦτα.

De iuuentute igitur & senectute, & media aetate, qualibus moribus vnaquaeque ipsarum est, dicta tot sint.

QVAMVIS supra, indicatis iam moribus iuuenum ac senum, testatus esset partem illam perfectam esse, nunc tamen quoque expositis praeterea moribus eorum, qui vigent aetate, omni iam hac parte absoluta, quae ad mores aetatum declarandos pertinet, cum repetere item vellet, quae explicauisset, rursus commemorat se de moribus eorundem illorum egisse: additq; mores etiam mediorum horum se aperuisse, &, quamuis non omnia explanata sint, tot tamen tradita esse, vt cui vis satis esse debeant.

Περὶ δὲ τῶν ἀπὸ τύχης γιγνομένων ἀγαθῶν, δι᾽ ὅσα αὐτῶν, καὶ τὰ ἤθη ποῖα ἄττα συμβαίνει τοῖς ἀνθρώποις, λέγωμεν ἐφεξῆς.

De bonis autem, quae a fortuna proficiscuntur, non omnibus, sed illis, per quot mores quales contingit fieri, deinceps dicamus.

QVIA bona etiam, quae fortunae appellantur, fingunt mores, si non omnia, quae maius pondus in illis habent, hanc rem (inquit) aggrediamur docere: neq; enim propositum nunc ipsi est, de omnibus, quae beneficio fortunae accipiuntur, bonis disputare, verum de illis tantum quorum aduentu, aut discessu, mores hominum aliter conformantur.

Εὐγενείας μὲν οὖν ἦθος ἐστι, τὸ φιλοτιμότερον εἶναι, τὸν κεκτημένον αὐτήν.

Nobilitatis igitur indoles mosque est, vt qui particeps eius est, sit cupidior honoris.

NOBILITAS, quae & ipsa fortunae munere obtinetur (nemo enim optat, quibus parentibus oriatur) hos mores habet: vt qui nobiles sint, magis quam alij, studiosi sint honoris.

Πάντες γὰρ, ὅταν ὑπάρχῃ τι, πρὸς τοῦτο σωρεύειν εἰώθασιν: ἡ δὲ εὐγένεια, ἐντιμότης προγόνων ἐστι.

Cuncti enim homines consuerunt, cum tenent aliquid, illud ipsum amplificare: nobilitas autem est vetus quaedam honoris possessio in ea familia.

REDDIT rationem eius rei: est enim (inquit) hoc commune omnium hominum, vt bona, quae possident, quaecunque illa sint, augere studeant, & maiorem semper eorum cumulum efficere: est autem nobilitas dignitas maiorum: qui enim maiores habuerunt magnis honoribus vsos, hi sunt nobiles. quare exaggerandi hunc honorem ac dignitatem, semper illi studiosi sunt.

Καὶ καταφρονητικὸν, καὶ τῶν ὁμοίων τοῖς προγόνοις τοῖς αὑτῶν.

Solet autem despicere illos quoque, qui pares sunt maioribus ipsius.

NON solum abiectos homines, & qui nullos honores consecuti sunt, despiciunt, sed eos etiam, qui ad aliquas dignitates peruenerunt, si noui sint: demumq; eos omnes, qui ijsdem honoribus modo vsi sunt, quibus olim maiores ipsorum: quorum illi virtute, gloriaq; clari sunt. cuius rei causam reddit accurate.

Διότι πόῤῥω ταῦτα μᾶλλον, ἢ ἐγγὺς γινόμενα, ἐντιμότερα, καὶ εὐαλαζόνευτα.

Atque hoc, quia eadem longinqua magis, quam propinqua, pleniora honoris sunt, taliaque, vt gloriari ipsis facile possis.

HAEC intelligit, quae honorem gignunt: quae familiam aliquam illustrant. vt consequutum esse amplissimos magistratus in ciuitate: magna imperia gessisse: hoc aut illud pro salute ciuium fortiter fecisse: summum denique virum in sua rep. extitisse: cunctae enim hae res spatio temporis remotae, quam propinquae, honestiores sunt, ac maiorem dignitatem afferunt: & tamquam materia sunt gloriosius se efferendi: gloriamur enim (vt sunt hominum mores) ob eos auorum honores, exempli causa, quos si ipsi primi adepti essemus, non tam insolenter nos efferremus: ij enim ἀλαζόνες sunt, qui inanem laudem ac ventum sequuntur: & de aliquibus rebus gloriantur: εὐαλαζόνευτα ea, quae ita praeclara sunt, vt magnam facultatem, intolerantius nos iactandi, praebere nobis videantur.

Ἔστι δὲ εὐγενὲς μὲν, κατὰ τὴν τοῦ γένους ἀρετήν: γενναῖον δὲ, κατὰ τὸ μὴ ἐξίστασθαι ἐκ τῆς φύσεως.

Constat autem nobile ex virtute generis: generosum autem vocatur, quod non degenerat a natura.

QVOD discrimen inter εὐγενὲς, & γενναῖον sit, docet. Latini (vt opinor) nobile, ac generosum appellant. nobilitas igitur (inquit) in familiae virtute consistit: generositas, cum filij parentum ac posteri deniq; respondent factis maiorum suorum: nec ab ingenio eorum degenerant. illi igitur generosi sunt, qui in nobili familia orti, virtutis & ipsi studiosi sunt: nec inertiae se dant, aut alijs vitijs obruuntur. Iisdem paene verbis in primo libro de historia animalium distinxit duo haec: sententia certe eadem est vtriusque loci. inquit igitur illic. εὐγενὲς μὲν γάρ ἐστιν τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους: γενναῖον δὲ τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἐκ τῆς αὑτοῦ φύσεως. Cum de auibus cohortalibus loqueretur in primo de ortu animantium Aristoteles: nec non in iij. γενναίας ὄρνιθας vocauit, quae essent stirpis ac generis nobilioris, vt Columella quoq; in viij. libro rerum rusticarum, generosas

generosas easdem appellauit. Cum exceperunt oua generosarum, vulgaribus gallinis subijciunt. Virgilium etiam in iij. Georgicorum eodem intellectu dixisse pecoris generosi pullum, apertum est.

Ὅπερ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οὐ συμβαίνει τοῖς εὐγενέσιν, ἀλλ' εἰσὶν οἱ πολλοὶ εὐτελεῖς.

Quod plerunq; non vsu venit nobilibus, verum ipsorum multi sunt humiles.

QVOD fere non contingit nobilibus, vt in ijsdem studijs ac cursu honorum versari videant filios, in quibus ipsi cum honore ac laude floruerunt: magna enim pars eorũ, qui in illustri aliqua, ac clara familia nascuntur, humili animo atq; abiecto sunt. Non sine causa igitur Terentianus Demea gauisus est, cum audisset filium, fratrem obiurgantem, dixisse. Haec te admittere indigna genere nostro? Potuit enim intelligere, eum γενναῖον esse, ac velle industriam, virtutemque maiorum imitari: hoc autem causam sibi tantae laetitiae fuisse indicauit ipse, cum inquit. Spero est similis maiorum suum. Nam ex honestissimis parentibus, & qui praeclaras virtutes habuerint, gigni plerunq; improbos, atq; inertes, Graeco etiam hoc prouerbio declarabatur. ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα.

Φορὰ γάρ τις ἐστὶν ἐν τοῖς γένεσιν ἀνδρῶν, ὥσπερ ἐν τοῖς κατὰ τὰς χώρας γινομένοις.

Est enim prouentus quidam in generibus virorum, quemadmodum in ijs, quae nascuntur in agris.

QVID in rebus rusticis, atq; his, quae oriuntur e terra, φορὰ sit, apertum est. inde autem eruditi atq; elegantes scriptores saepe ad alias res transferunt. vt Demosthenes pro Ctesiphonte: cum in cunctis Graeciae ciuitatibus magnum proditorum, ac nefariorum hominum prouentum extitisse dicit: quae res magnopere adiuuit consilia Philippi: & in eadem etiam oratione multo post, his verbis. πάσῃ δικαιότερον, καὶ ἀληθέστερον τὴν ἁπάντων, ὡς ἔοικεν, ἀνθρώπων τύχην κοινὴν, καὶ φοράν τινα πραγμάτων χαλεπὴν, καὶ οὐχ οἵαν ἔδει, τούτων αἰτίαν ἡγεῖσθαι. Idem quoque Latini fecerunt: eandem enim sententiam exponentes verbis, quae Graeco respondent, & ipsi μεταφορικῶς vsi sunt. Plinius iunior in epistola ad Sossium Senecionem. Magnum prouentum poëtarum annus hic attulit. Non paulo maior etiam scriptor Cicero in Bruto. Nec vlla aetate vberior oratorum foetus fuit. Videtur autem secum ipse pugnare Aristoteles, cum narret plerosq; nobiles humiles esse atque minutos: statimq; adiungat, in familijs quibusdam magnum clarorum virorum prouentum fieri: verumtamen si diligenter attendimus, in verbis ipsius nihil controuersiae est: prouentus namq; in his esse intelligendus, qui sua virtute atq; industria nobilitatem illam pepererunt: neq; enim vnus alterue clarus vir, familiam aliquam illustrat. Quicunq; vero prouentui illi honestorum hominum succedunt, cum eiusmodi non sint, humiles esse dicit. Sunt igitur complures nobiles dicti ab ipso, tenues & abiecti: cum hi omnino nobiles vocentur, qui virtute honoribusq; maiorum suorum decorantur, & sane ex simili ipso, quo vtitur, hunc fuisse sensum illius intelligitur: prouentus enim est, cum fructus alicuius anni magni atque vberes sunt: vt in familijs ad certum tempus gignitur magnus numerus virorum illorum illustrium: tempore autem eo exacto, ac benignitate caeli immutata, vt in agris, ita in familijs sterilitas sequi consueuit.

Καὶ ἐνίοτε, ἂν ᾖ ἀγαθὸν τὸ γένος, ἐγγίγνονται διά τινος χρόνου ἄνδρες περιττοί: κἄπειτα πάλιν ἀναδίδωσιν.

Et aliquando, si genus bonum fuerit, nascuntur illic ad aliquod tempus praestantes viri: & postea rursus retro cedit.

ET aliquando (inquit) si familia bona est, nascuntur in ea ad aliquod tempus eximij ac praestantes viri: posteaq; rursus flaccescit ac retro fertur: hoc enim videtur hic valere ἀναδίδωσιν, simplici verbo addita praepositione ἀνά. Nos quoque patrio sermone eodem pacto loquimur, cum idem ostendere volumus. Virgilius itidem primo Georgicorum - sic omnia fatis In peius ruere ac retro sublapsa referri. significat tamen ἀναδίδωμι quoq; emitto, edo, quemadmodum etiam surgo ac pullulo: ac de ijs, quae oriuntur e terra, dicitur: tunc scilicet, cum iunctum est verbum δίδωμι cum aduerbio ἀνά. Theophrastus sane in v. libro de historia stirpium hoc vsurpauit pro expellere, & tamquam expuere, vt reddidit Theodorus, cum minore labore aridam materiem, quam viridem, terebrari diceret: & eius rei rationes afferret: inquit enim. Ἔστι δὲ καὶ δυστρυπητότερα λίαν χλωρά: βραδέως γὰρ ἀναφέρεται τὰ ἐκτρυπήματα, διὰ τὸ βαρέα εἶναι: τῶν δὲ ξηρῶν, ταχέως καὶ εὐθὺς ὁ ἀὴρ ἀναθερμαινόμενος, ἀναδίδωσιν. Ramenta enim illa, & tamquam scobes, ob leuitatem celerius sursum feruntur: ilicoque aër calefactus

eijcit, ac foras trudit. Si quis igitur idem hic significare vellet ἀναδίδωσιν, ita omnem hunc locum caperet. Posteaq; rursus, interuallo aliquo temporis edit, ac gignit industrios item atque insignes viros: vt intelligere debeamus, medio illo spatio, eam, tamquam effoetam tenuis ingenij homines, & inertes procreasse: quod hic significare omnino vult Aristoteles, vt addiderit praeterea, quemadmodum foecunditas illustrium virorum non manet, ita etiam sterilitatem perpetuam non esse. ἄνδρες περιττοὶ, quod inquit, sic quoq; locutus est initio problematis de atra bile. Διὰ τί πάντες, ὅσοι περιττοὶ γεγόνασιν ἄνδρες, ἢ κατὰ φιλοσοφίαν, ἢ πολιτικὴν, ἢ ποίησιν, ἢ τέχνας, φαίνονται μελαγχολικοὶ ὄντες. Ingeniosos Cicero reddit, quamuis (vt opinor) verbum exprimere non curauit, aut fortasse non potuit. In prima Tusculana. Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse, vt ego me tardiorem esse non moleste feram, & quae sequuntur. A numeris hoc verbum translatum esse, manifestum est: impar enim numerus a Graecis περιττὸς vocatur.

Ἐξίστανται δὲ τὰ μὲν εὐφυᾶ γένη εἰς μανικώτερα ἤθη.

Degenerant autem acuti ingenij familiae in mores insaniores.

NON vnius & eiusdem notae, naturae hominum sunt, sed earum etiam, quae laudari possunt ac debent, sunt plures formae, magnopereq; inter se dissimiles: sunt enim ingenia quaedam acuta, & mirum in modum velocia: sunt solida firmaq; alia: quemadmodum autem dissimiles virtutes inter se ingeniorum sunt, ita etiam labes ac vitia disparia. Cum igitur familiae subtilioris ingenij degenerant, in mores insaniores transire ipsas affirmat: firmioris autem grauiorisq;, in stoliditatem ac tarditatem. quod exemplis confirmat. Nam fieri omnibus in rebus lapsus in res propinquas constat: quamuis autem non parum inter se discrepent, qui ingeniosi a Latinis, εὐφυεῖς a Graecis vocantur: quiq; a Graecis μανικοὶ, non omnino tamen illos disiunctos esse, cognosci etiam potest, quia saepe, cum de alteris loquitur, alteros etiam ponit. In eodem enim problemate, de atra bile loquens, inquit. In quibus autem permulta, calidaq; fuerit, μανικοὶ, καὶ εὐφυεῖς. In primo etiam de arte poëtarum. Διὸ εὐφυοῦς ἐστὶν ἡ ποιητικὴ, ἢ μανικοῦ. Qua autem communione inter se iuncti sint, quod ad corporis temperamentum pertinet, ex loco illo problematis elicitur: quod vero ad animi vim ac naturam, ex altero hoc poëtices. Communem quoque illi habent velocitatem motus: ambo enim celeriter mentem agitant: diuersi tamen sunt, quia vincunt etiam hac ipsa in re furentes, ingeniosos, atque in omnibus rebus praecipites sunt: insaniae enim speciẽ, quae μανία vocatur, in motus celeritate positam esse testatur aperte ipse in iij. libro problematum, vbi quaerit, cur vinum hos quidem reddat πτυφωμένους ac stolidos: hos vero, μανικοὺς, cum manifesto contrariae sint hae affectiones: addit enim, ὁ μὲν γὰρ μᾶλλον ἐν κινήσει: ὁ δὲ, ἧττον. qui locus valde huic similis est: quam enim hic infra ἀβελτηρίαν, & νωθρότητα, illic τῦφον videtur appellasse: πτυφωμένους enim hebeti ac stolido ingenio praeditos significare tradunt veteres grammatici, vt sunt, qui fulmine tacti fuere. eadem autem, aut vicina admodum videtur esse notio verborum, quibus hic vtitur. Furor tamen ac stoliditas de quibus nunc agit, permanent: nec facile dissoluuntur: a natura namque proficiscuntur, & altiores radices habent: de quibus autem illic loquitur, cum a temulentia gignantur, cito abeunt: vnde haec, ἤθη: illas vero, διαθέσεις appellauit.

Οἷον οἱ ἀπ' Ἀλκιβιάδου, καὶ οἱ ἀπὸ Διονυσίου, τοῦ προτέρου.

Veluti, qui ab Alcibiade ortum ducunt, nec non qui a Dionysio priore.

ADMIRABILIS ingenij fuisse Alcibiadem, veterum rerum auctores narrant. multum etiam ingenio & eruditione valuisse Dionysium, de quo nunc Aristoteles, docet Cicero in v. libro Tusculanarum. Priorem autem vocat, quia filium habuit eodem nomine appellatum.

Τὰ δὲ στάσιμα, εἰς ἀβελτηρίαν, καὶ νωθρότητα.

Stabiles autem in stoliditatem, & tarditatem.

APPELLAT στάσιμα γένη, familias ingenio stabili, firmoque praeditas. vt in problemate, in quo de choris tragoediarum disputat, ἦθος στάσιμον vocauit. Non omnino autem valere στάσιμον quietum pacatumq;, inde etiam intelligitur: quod huiuscemodi indolem naturamque congruere choro illic affirmat: cum stabilem alienam ab eo esse, ac nullo modo illi conuenire, tradat. Quod vero dixit migrare hos, degenerareq; εἰς ἀβελτηρίαν, eodem hoc nomine vsus est in v. libro de republica, notare volens eos, qui stulte misereque sunt superstitiosi, vt Terentianis verbis vtar: se namque talem esse, vt genus omne muliebre, significauit, purgans se viro, Nausistrata, apud eum comicum. huiuscemodi autem principes ciuitatum, vt censet philosophus,

non retinent dignitatem vllam: in optimis enim quoq; rebus modus ſeruandus eſt: aliter vis earum poteſtasq; corrumpitur.

Οἷον οἱ ἀπὸ Κίμωνος, καὶ Περικλέους, καὶ Σωκράτους.

Veluti, qui a Cimone, & Pericle, & Socrate nati ſunt.

POSTEROS vidit Ariſtoteles praeclarorum horum hominũ, a virtute ingenioq; ipſorum multum degeneraſſe. cumq; maiores illi habuiſſent, quamuis maximis ingenijs praeditos, tamen non acutiſſimis, graue illud, ſtabileq; ingenium, quo floruerant auctores nobilitatis ipſorum, in ſtolidum hebesq; conuerſum eſt. Priſci comici hoc idem de Hippocratis, ſummi medici, filijs tradiderunt. vt Ariſtophanes nubibus. Τοῖς Ἱπποκράτους υἱέσιν εἴξεις, καί σε καλοῦσι βλιτομάμμαν, & Eupolis Ἱπποκράτους τε παῖδες ἐμβόλιμοί τινες. Socratis autem filios tardo admodum ingenio, ſtolidoque fuiſſe, inde etiam percipitur, quod cum multis maximisq; virtutibus ille praeditus fuiſſet, nulla re tantopere traditur hominem Cato maior admiratus eſſe, quantopere hac. cum difficili ingenio vxorem nactus eſſet, ac filios attonitos, aequo tamen animo patienterque eum vtrunque incommodum tuliſſe.

Τῷ δὲ πλούτῳ ἃ ἕπεται ἤθη, ἐπιπολῆς ἐστιν ἰδεῖν ἅπασιν· ὑβρισταὶ γὰρ καὶ ὑπερήφανοι.

Mores autem, qui comitantur diuitijs, in promptu omnibus: ſunt enim diuites contumelioſi, & ſuperbi.

DICENDVM nunc eſt de moribus diuitum: qui autem mores diuitias ſequantur, nullus labor eſt (inquit) videre: nam ſunt in promptu, atque incurrunt in oculos omnium: neque enim occultis tectisq; vitijs tenentur: quo modo namque latere poteſt contumelia, qua paſſim in bonos vtuntur? aut ſuperbia, qua reliquos omnes deſpiciunt? Quod autem contumelioſi locupletes ſunt, habent id commune cum adoleſcentibus, vt ſupra declaratum eſt. Cicero in oratione de lege agraria ad Quirites (quem locum ſupra indicaui, quia confirmat id, quod hic traditur ab Ariſtotele, variari mores hominum varietate fortunae bonorum) mores & ipſe di-
» uitum opulentorumq; eleganter, atque erudite deſcripſit, dicens. Campani ſemper ſuperbi,
» bonitate agrorum & fructuum, magnitudine vrbis, ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine. Ex
» hac copia atque omnium rerum affluentia, primum illa nata ſunt. arrogantia, qua a maioribus
» noſtris alterum Capua conſulem poſtulauit: deinde ea luxuries, quae ipſum Hannibalem, ar-
» mis etiam tum inuictum, voluptate vicit.

Πάσχοντές τι ὑπὸ τῆς κτήσεως τοῦ πλούτου· ὥσπερ γὰρ ἔχοντες ἅπαντα τἀγαθά, οὕτω διάκεινται.

Trahentes in ſe aliquid immutatique e copia illa bonorum: tamquam enim habeant omnia in ſe bona, ita ſunt animo affecti.

CVR his vitijs haereant, exponit: qui enim (inquit) in mediocri fortuna conſtituti, fortaſſe modeſti comeſque fuiſſent, deprauantur amplitudine patrimonij: immutat namque animos non parum copia rei familiaris. Ita igitur illi affecti ſunt, vt ſi cuncta bona poſſiderent. Ράχοντές τι inquit, ſignificans eos contraxiſſe hanc quaſi labem inde: & animo ita affectos, quia hanc vim habet pecunia, vt inficiat animos mortalium, vt infra quoque locutus eſt. ἅμα δὲ καὶ εἰκότως τοῦτο πάσχουσι.

Ὁ γὰρ πλοῦτος οἷον τιμή τις ἐστὶ τῆς ἀξίας τῶν ἄλλων. διὸ φαίνεται πάντα ὤνια εἶναι αὐτοῦ.

Diuitiae namque ſunt tamquam pretium quoddam aeſtimationis ceterarum rerum. quare videntur cuncta emi poſſe diuitijs.

QVAE res tantos ſpiritus ipſis afferat, oſtendit: declaratque non ſine cauſa omnino eos ita ſentire: ſunt enim diuitiae tamquam merces, ac compenſatio quaedam aeſtimationis reliquorum bonorum. Quare omnia ſe emere, & parare poſſe ope illarum putant: & haec cauſa eſt, cur ſe inſolentius efferant, ac putent ſibi licere, quod volunt: qui autem omnibus bonis cumulati forent, ſi ceteros prae ſe contemnerent, mirum videri non deberet. In hoc variare inter ſe diuerſos libros animaduerti, quod antiquiſſimus codex non habet, vt excuſi ac ſcripti non nulli: ὁ γὰρ πλοῦτος, ſed ὁ δὲ πλοῦτος: cui etiam lectioni adſtipulatur vetus tralatio.

Καὶ τρυφεροὶ, καὶ σαλάκωνες.

Et teneri delicatique sunt: nec non salacones.

MOLLES quoq;, delicatiq; sunt, nec non salacones: ita autem vocabantur, qui gloriae sibi ducerent amplitudinem patrimonij, & in ostentandis diuitijs toti occupati forent: qui multum sibi tribuerent atq; arrogarent ob copiam rei familiaris: hanc vero notionem esse huius nominis hinc quoq; (nisi fallor) percipitur: quamuis grammatici testentur ita appellatos, magnos sumptus facientes in rebus inanioribus, & quae tanta impensa dignae non forent, cupiditate huius laudis impulsos.

Τρυφεροὶ μὲν, διὰ τὴν τρυφὴν, καὶ τὴν ἔνδειξιν τῆς εὐδαιμονίας.

Delicati quidem propter delicias, & ostentationem vitae beatae.

CVM delicatos eos esse docuerim inquit, affirmo duabus de causis huiuscemodi eos esse: partim, quia vere delicati, mollesq; sint: partim, quia beati videri velint. Qui teneri mollesq; sunt, si delicias illas, ac languorem abijcere vellent, non facile possent: qui propter inanis gloriae cupiditatem, atq; ostentationem, discusso errore illo, mollitiam etiam deponerent.

Σαλάκωνες δὲ καὶ σόλοικοι, διὰ τὸ πάντας εἰωθέναι διατρίβειν περὶ τὸ ἀγαπώμενον, καὶ θαυμαζόμενον ὑπ' αὐτῶν.

Salacones autem, & corrupti, quia mortales cuncti consuerunt versari toto animo in illis rebus, quas amant, quasque admirantur ipsi.

NON sermones solum vitiosi σόλοικοι appellantur, sed homines etiam, qui certae alicui culpae haerent: vt hinc manifesto intelligitur. Plutarchus quoq; in politicis praeceptis eadem notione hoc verbo vsus est. οὐχ ὥσπερ ἔνιοι τῶν ἀπειροκάλων καὶ σολοίκων. Nec non, qui locus magis ad hunc illustrandum facit, in vita Dionis Syracusani: cum enim eum moderatum temperantemque virum in victu cultuque fuisse traderet, inquit: οὐδὲν ἐν τῇ διαίτῃ σόλοικον ἐπιδεικνύμενος. Sed etiam Xenophon in viij. libro Κύρου παιδείας: quo ex loco quale sit huiuscemodi hominum ingenium, & quibus rebus stulte sibi dignitatem comparare studeat, intelligi licet: nec non quo modo sapientissimus, ac iustissimus rex eum, qui hoc vitio tenebatur, vltus sit, ac naturam illius emendarit. Δαϊφέρνης δέ τις ἦν σολοικότερος ἄνθρωπος τῷ τρόπῳ, ὃς ᾤετο, εἰ μὴ ταχὺ ὑπακούοι, ἐλευθεριώτερος ἂν φαίνεσθαι: & quae sequuntur. In has igitur inquit (rationem cur ita facti sint, afferens) ineptias dilabuntur, & in magnifica illa, ac gloriosa commemoratione suarum diuitiarum manent, quia cuncti homines solent in ijs rebus, quas ipsi amant atq; admirantur, & animo & corpore volutari: cum enim illi diuitias diligant ac suspiciant, consuetudinem aliorum mortalium sequentes, tempus omne terunt in illis contemplandis, & oculis ceterorum inculcandis.

Καὶ τὸ οἴεσθαι ζηλοῦν τοὺς ἄλλους, ἃ καὶ αὐτοί.

Et quia putant ceteros aemulari, quae ipsi summa bona opinantur.

NEC non, quia putant reliquos homines eadem illa, quae ipsi suspiciunt, admirari: id enim quoque impellit eos, vt in his rebus volutentur, quod sane stulte cogitant: qui namq; diuerso modo, atque ipsi animo affecti sunt, longe aliter de ijsdem rebus sentiunt, ac saepe, quas illi admirantur, despiciunt. Τὸ οἴεσθαι autem, non, vt in excusis antea τῷ, dandi casu, legebatur, probaui, quia scriptos libros ita habere vidi: arbitror autem & hic & infra ἀπὸ κοινοῦ propositionem διὰ repeti oportere, qua paulo ante vsus est.

Ἅμα δὲ καὶ εἰκότως τοῦτο πάσχουσι: πολλοὶ γάρ εἰσιν οἱ δεόμενοι τῶν ἐχόντων.

Simulq; nō sine causa ita animo affecti sunt: multi namq; sunt, qui egent locupletibus.

ADDIT aliqua excusatione illos dignos esse, qui ita animo affecti sint erga diuites: nec sine causa tantopere tribuere bonis, quae possident: multi enim (inquit) sunt, qui egent locupletibus, saepeq;, vt inde adiuuentur, ad eos confugere coguntur: ἔχοντας enim appellat, qui rem habent: & abundant patrimonio: vt supra videtur locutus, cum gratiam definijt. ἔστω δὴ χάρις, καθ' ἣν ὁ ἔχων, λέγεται: & quae sequuntur.

Ὅθεν καὶ τὸ Σιμωνίδου εἴρηται περὶ τῶν σοφῶν, καὶ πλουσίων πρὸς τὴν γυναῖκα τὴν Ἱέρωνος, ἐρομένην πότερον γενέσθαι κρεῖττον πλούσιον, ἢ σοφόν, πλούσιον εἰπεῖν: τοὺς γὰρ σοφοὺς ὁρᾶν ἐπὶ ταῖς τῶν πλουσίων θύραις ἔφη διατρίβοντας.

Vnde

Unde illud Simonidis de sapientibus, & diuitibus dictum est ad Hieronis vxorem: cum enim illa quaesisset ex ipso, vtrum praestaret diuitem esse, vel sapientem, respondit, diuitem: se namque aspicere sapientes manere ad fores locupletum.

QVOD significare (inquit) voluit illa Simonidis melici de sapientibus ac diuitibus vox: cum enim Hieronis regis vxor eum interrogasset, vtrum diuitem an sapientem esse praestaret, diuitem subito respondit: passim enim se cernere sapientes ad fores diuitum hominum praestolari. Res peruulgata, & a pluribus, veteribus scriptoribus memoriae prodita. Plato quoque in vj. libro politiae mentionem eius fecit: quamuis auctorē huius vocis damnet, & falso ita locutum esse affirmet. sed etiam Aristippus Cyrenaicus illam confutauit: cum enim ex eo Dionysius causam huius rei quaesisset, inde prouenire respondit, quod sapientiae studiosi scirent, quibus ipsi rebus egerent: opulenti vero ac diuites, minime: vt cum morbum, quo vexarentur, non viderent, medicinam eius quaerere non possent.

Καὶ τὸ οἴεσθαι ἀξίους εἶναι ἄρχειν: ἔχειν γὰρ οἴονται, ὧν ἕνεκεν ἄξιον ἄρχειν.

Et quia opinantur se dignos esse, qui imperium habeant: opinantur enim se tenere illa, quorum causa dignum est imperare.

SVNT etiam salacones, quia arbitrantur, se dignos esse, qui alijs imperent: in hanc autem opinionem veniunt, quod tenere se putant ea, quae, qui possident, regno digni sunt: quamuis autem id verum non sit: neque enim amplitudo fortunarum tanto praemio digna est, ad animos tamen illorum ita afficiendos, si videatur id, sat est.

Καὶ, ὡς ἐν κεφαλαίῳ, ἀνοήτου εὐδαίμονος, ἤθους ὁ πλοῦτός ἐστιν.

Et (vt summatim loquar) diuitiarum indoles moresque, ijdem sunt, qui sunt beati hominis, qui sit demens.

VT paucis multa complectar (inquit) qui mores beati alicuius hominis insipientis essent, ijdem diuitum sunt. Si quis aliquando vidit insipientem fortunatum (multa enim illum peccare in vita necesse est, nec posse ob stultitiam recte vti praeclara illa fortuna) quos mores in illo perspicere potuit, eosdem in diuite plaerunq; repperiet. Ciceronis verba sunt in Laelio, quae
» extrema haec Aristotelis exprimere pulchre videntur. Nec quicquam insipiente fortunato
» intolerabilius fieri potest. Videtur autem manifesto nunc εὐδαίμων vsurpasse, pro εὐτυχὴς: nam quomodo in libris de moribus cepit, ac vere beatum valens hoc verbum, locum hic non habet: neque enim stultus, a consilioq; vacuus, beatus, quem fingunt philosophi, esse potest. Discrepat antiquissimus codex a reliquis & excusis & calamo exaratis, quod ἦθος habet, recto casu: quam lectionem sequitur quoque vetus tralatio: sententia eadem est: durior tamen, vt mihi videtur.

Διαφέρει δὲ τοῖς νεωστὶ κεκτημένοις, καὶ τοῖς πάλαι, τὰ ἤθη.

Discrimen autem magnum est inter mores eorum, qui non multo antea diuitias adepti sunt, & inter eos, qui antiquitus.

DIVITIAE, nouae, an veteres sint in moribus formandis, magni referre existimat: quod importuniores sint, qui modo diuitias consecuti sunt, quam, qui a maioribus ipsas acceperunt: diuturnasq; in familia sua habuere. νεοπλούτους autem Graeci appellant, qui patrimonium amplum repente adepti sunt. quo verbo quoq; Demosthenes improbos quosdam ciues notauit
» in oratione περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν: inquit enim. οὗτοι δ᾽ οἱ νεόπλουτοι μόνοι καταφρονεῖν ὑμᾶς
» ὑμῶν αὐτῶν ἀναγκάζουσιν: a damnatis autem meritoque exagitatis horum moribus, νεόπλουτον appellari quidquid insolens, atq; improbum est, testimonio etiam Plutarchi confirmari potest, qui
» in vij. libro Symposij sic locutus est. καὶ περὶ οἴνων διαφορᾶς καὶ μύρων ἐρωτᾶν, καὶ διαπυνθάνεσθαι, φορτι-
» κὸν κομιδῇ καὶ νεόπλουτον.

Τῷ ἅπαντα μᾶλλον, καὶ φαυλότερα τὰ κακὰ ἔχειν τοὺς νεοπλούτους.

Quia cuncta magis, & ipsa deteriora, habent, qui modo diuites facti sunt.

QVOD magis omnibus vitijs cumulati sunt, & ea etiam deteriora habent nuper diuites facti. In oratione quoq; de lege agraria ad Quirites (cuius loci supra etiam mentionem feci) Cicero testatur

testatur verum esse, quod hic ab Aristotele traditur, intolerabiliores mores esse subito ditatorum: & eandem paene causam huius rei reddidit. Immo vero etiam hoc magis, quam illi veteres, germaniq; Campani, quod in vetere fortuna illos natos & educatos, nimiae tamen rerum omnium copiae deprauabant: hi ex summa egestate in eandem rerum abundantiam traducti, non solum copia, verum etiam insolentia commouebuntur.

Ὥσπερ γὰρ ἀπαιδευσία πλούτου ἐστὶ τὸ νεόπλουτον εἶναι.

Tamquam enim inscitia diuitiarum est, modo diuitem factum esse aliquem.

RECTE vti diuitijs suam quandam disciplinam habet: quam, qui non didicerunt, vt in omnibus artibus tractandis, qui imperiti earum sunt, multis modis peccant, ita etiam hi saepe labuntur: modo autem diuitias parasse, est rudem, insciumq; huius quasi artis, ac disciplinae esse.

Καὶ ἀδικήματα ἀδικοῦσιν οὐ κακουργικά: ἀλλὰ τὰ μὲν, ὑβριστικά: τὰ δὲ, ἀκρατευτικά. οἷον εἰς αἰκίαν, καὶ μοιχείαν.

Et iniuriae, quas faciunt, non sunt affines malitiae ac fraudi, sed partim contumeliae vim habent, partim incontinentiae: referuntur enim ad manus aliquibus adhibitas, & ad adulterium.

NON valde discrepant ab adolescentibus in hoc diuites, vt supra declaratum est: nam illi quoq; non malitiose se gerunt, vafreq; alijs imponunt, sed ob intemperantiam ac libidinem peccant, nec non saepe etiam contumeliosi sunt. Quod autem, rem aperiens, addit, huiuscemodi est: vt prius verbum respondeat petulantiae, posterius incontinentiae, ac libidini: caedunt enim liberos homines, ac stuprum honestis domibus inferunt diuites.

Ὁμοίως δὲ καὶ περὶ δυνάμεως σχεδὸν τὰ πλεῖστα φανερά ἐστιν ἤθη: τὰ μὲν γὰρ τὰ αὐτὰ ἔχει ἡ δύναμις τῷ πλούτῳ: τὰ δὲ, βελτίω.

Similiter autem & de potestate atque opibus ferme plurimi mores perspicui sunt: quosdam enim eosdem cũ moribus diuitiarũ potestas habet: quosdam autem meliores.

NON magnum item negotium est (inquit) de opibus, ac ciuili potentia quaerere: qui namque mores opes sequantur perspicuum est: partim enim ijsdem moribus opes praeditae sunt, quidiuitiae: partim, melioribus.

Φιλοτιμότεροι γὰρ, καὶ ἀνδρωδέστεροί εἰσι τὰ ἤθη οἱ δυνάμενοι τῶν πλουσίων.

Magis enim studiosi honoris sunt, & magis fortes, quod ad mores naturamque pertinet, opulenti homines, quam diuites.

CVM φιλότιμοι antea mendose excusi haberent, secutus antiquissimi libri fidem ac rem ipsam, correxi secunda collatione φιλοτιμότεροι. Sunt enim (inquit) magis studiosi honoris: sed etiam moribus viriliores, qui opibus valent, quam qui pecunia abundant: rei huius autem rationem reddit, addens.

Διὰ τὸ ἐφίεσθαι ἔργων, ὅσα ἐξουσία αὐτοῖς πράττειν διὰ τὴν δύναμιν.

Appetunt enim facta illa, quorum gerendorum facultatem habent propter potestatem.

HVIVSCEMODI sunt (inquit) quia cupiunt tractare res, quarum administrandarum magnam facultatem habent propter opes, quas possident: cum enim videant, se tenere ea, quorum auxilio res magnae ac praeclarae fiunt, eas ipsas res gerere appetunt. Ἐξουσίαν potestatem, facultatemque appellat: sic enim Cicero hoc verbum interpretatus est. Xeno libertatem his verbis definijt. ἐλευθερίαν, εἶναι ἐξουσίαν αὐτοπραγίας. In quaestione illa incredibili Cicero, qua disserit, solos sapientes esse liberos, definitionem hanc exprimens, inquit. Quid est enim libertas? potestas viuendi, vt velis.

Καὶ σπουδαστικώτεροι, διὰ τὸ ἐν ἐπιμελείᾳ εἶναι, ἀναγκαζόμενοι σκοπεῖν τὰ περὶ τὴν δύναμιν.

Sunt etiam accuratiores in rebus omnibus, quia semper cogitant, meditanturque, coacti videre, quae faciunt ad statum suum tuendum.

Studiosiores quoq; sunt: huiuscemodi autem ipsos reddit diligentia ac cura, quam numquam ex animo dimittere possunt: coguntur enim semper cogitare de rebus, quae ad opes, ac potentiam illam retinendam pertinent: nisi enim hoc facerent, facile illa dilaberetur.

Καὶ σεμνότεροι, ἢ βαρύτεροι.

Et honestiores grandioresque potius, quam grauiores.

Nec non grandiores, excelsioresq; potius sunt, quam grauiores. Si mores (inquit) indolemq, potentiorum spectes: diligenterq; eos expendas, ac vero proprioque nomine appellare velis, cum aliquantulum vtriusq; naturae retineant, erunt tamen illi grandiores potius, quam grauiores: βαρεῖς enim vt puto, appellat, qui in tuendo statu illo suo modum non tenent: ac nimis magnos spiritus gerunt: eaq; de causa molesti alijs atque odiosi fiunt. σεμνὸς, qui idem modestia quadam adhibita, temperanterq; faciunt, vt dignitatem sane suam ipsi non abijciant aut minuant: nec tamen importune arroganterque se ostentando, in omnium oculos incurrant: apud ipsosq; merito offendant. Huiuscemodi fuisse Niciae ingenium tradit Plutarchus cum vitam eius scriberet. Καὶ γὰρ οὐκ ἦν αὐστηρὸν: οὐδ' ἐπαχθὲς ἄγαν αὐτοῦ τὸ σεμνὸν, ἀλλ' εὐλαβείᾳ τινὶ μεμιγμένον. Contra autem βάρος valere, quod indicaui, certum est. vnde maiores magistratus seuerioresq;, ab eodem dicti sunt βάρος habere, & βαρυτέροι esse in commentario, quo praecepta dat ad rempublicam administrandam: ait enim. καὶ τῶν μὲν βαρυτέρων ὑφιέναι τι, καὶ παρενδιδόναι μετριάζοντα: τοῖς δὲ μικροτέροις ἀξίωμα προστιθέναι, καὶ ὄγκον, ὅπως μήτε πρὸς ταύτας εὐκαταφρόνητοι, μήτ' ἐπίφθονοι πρὸς ἐκείνας ὦσιν.

Ποιεῖ γὰρ ἐμφανεστέρους τὸ ἀξίωμα. διὸ μετριάζουσιν.

Efficit enim ipsos magis conspicuos dignitas gradusque ille honoris. quare moderate se gerunt.

Dignitas ac splendor ille vitae facit, vt conspicui magis sint, & vt omnium oculi in eos conijciantur: & haec causa est, cur modeste se gerunt, nec insolentius efferuntur: neq; enim opus est ipsos, quod sua vi ac sine vllo aliorum fastidio habent, odiosiore aliqua via quaerere. nullum vero ipsorum turpe, ac contumax factum potest latere. Διὸ μετριάζουσι, valet (vt puto) quare modice se gerunt, ac temperant immodicam illam contumaciam ac grauitatem, vt grauitas illa amplius dici non possit, sed transeat in propinquam rem, mitiorem illam quidem ac tolerabiliorem, quae σεμνότης vocatur. In antiquissimo libro discriminis hoc est, quod non ἐμφανεστέρους in eo, verum σεμνοτέρους legitur: lectionem autem illam sequitur vetus tralatio.

Ἔστι δὲ ἡ σεμνότης, μαλακὴ, καὶ εὐσχήμων βαρύτης.

Est autem species illa granditasque, mollis quaedam, & honesta grauitas.

Cum grandes eos esse dixerit, quid granditas illa sit, ac dignitatis cura, qua personae suae decus & incessu & vestitu & alijs rebus honoratus vir tuetur, docet: est enim inquit, grauitas quaedam, mollis atque honesta, & elegans: mollis autem, non intensa, sed remissa. vt noster poeta in iij. Georgicorum libro inquit. - tua Moecenas haud mollia iussa: idest, quae negligi non possunt, nec lenta aut languida haberi, sed acria debent. Eodem paene pacto locutus est Cicero in ij de Oratore, cum & ipse rem duram & odiosam mitigare vellet. Tum admonitio, quasi lenior obiurgatio. Sed etiam supra hoc ipso in libro Aristoteles, vbi definiuit εὐτραπελίαν: eam enim, cum contumeliam esse dixisset, addidit, πεπαιδευμένη: atque ita vitium illius rei emendauit: docuitq; vrbanitatem tantum contumeliae retinere, vt posset leuiter pungere, non acriter vulnerare. εὐσχήμων autem addidit, quasi honesta ac polita: nisi enim castigata esset, odiosa fuisset, ac tristitia quaedam, atq; acerbitas morum merito haberi potuisset: βαρύτης enim nisi comminuta esset, & aliquid suarum virium amisisset, importuna foret, & tristis seueritas merito appellaretur. vt eam in Andrio Critone apud Terentium vocat Dauus.

Καὶ ἐὰν ἀδικῶσιν, οὐ μικροαδικηταί εἰσιν, ἀλλὰ μεγαλάδικοι.

Quod si forte ad iniuriam faciendam se contulerint, iniusta facta ipsorum pusilla non sunt, sed in magnis rebus peccant.

Ac si ab iure quandoque discesserint, iniusteque aliquos violauerint, non pusillae, quas inferunt, iniuriae minutaeque sunt, sed & magnae, & quae fortunae, potentiaeque ipsorum respondeant.

Ἡ δ' εὐτυ-

Ἡ δ' εὐτυχία τὰ μόρια ἔχει τῶν εἰρημένων τὰ ἤθη: εἰς γὰρ ταῦτα συντείνουσιν αἱ μέγισται δοκοῦσαι εἶναι εὐτυχίαι.

Felicitas autem partes habet mores eorum, quae dicta sunt: ad haec enim tendunt, quae maximae putantur esse felicitates.

PROSPERITAS statusq; ille, in quo valde secundae res sunt, siquis, quos mores habeat, quaerat, perscrutetur quibus nam ex rebus conflatus sit: quiq; mores earum ipsarum rerum, quae ipsum constituunt, sint: ijdem enim in prosperitate repperientur. vt cum constet, qui fortunatus appellari possit, eum summo loco natum esse, amplum patrimonium, ac magnas opes habere debere. qui igitur in nobili, in diuite, in magnis opibus fulto, mores sunt (illi autem supra explicati sunt) ijdem in fortunato erunt: quae enim (inquit) existimantur esse egregiae fortunae, in has res tendunt: in nobilitatem scilicet, diuitias, ac ciuilem potentiam. Quod in excusis defecerat, restitui hic verbum μέγισαι, inuentum a me in antiquissimo libro, & eodem loco expressum a vetere tralatione. Quod siquis forte in eadem, initio huius particulae legens, secundum partes, quaerat cur auctor ipsius ita reddiderit, cum in excusis nunc legatur τὰ μόρια, sciat ille in antiquissimo etiam libro scriptum olim fuisse κατὰ μόρια: quamuis prior eius praepositionis syllaba deleta ab aliquo sit, non ita tamen, vt vestigia ipsius non appareant. Sed etiam verborum in eo immutatus est ordo: ita enim omnis locus se habebat. ἡ δ' εὐτυχία κατὰ μόρια τὰ τῶν εἰρημένων ἔχει τὰ ἤθη. quod notum studiosis esse volui.

Καὶ ἔτι εἰς εὐτεκνίαν, καὶ τὰ κατὰ τὸ σῶμα ἀγαθά, παρασκευάζει ἡ εὐτυχία πλεονεκτεῖν.

Et praeterea ad probam sobolem: nec non in bonis corporis comparat se felicitas praestare ceteris.

QVAMVIS (inquit) tribus his rebus, idest nobilitate, diuitijs & opibus contenta esse non solet, sed ornare etiam se, ac fulcire cupit copia liberorum, & alijs, quae corporis bona appellantur. Partes autem secundae fortunae cunctas in primo libro eum diligenter enumerasse, notum est: quae inde peti possunt.

Ὑπερηφανώτεροι μὲν οὖν, καὶ ἀλογιστότεροι, διὰ τὴν εὐτυχίαν εἰσίν.

Superbiores igitur, & inconsultiores sunt ob eximiam illam bonorum copiam, ac felicitatem.

VT igitur ad eorum mores explicandos iam veniamus, superbiores sunt quam ceteri mortales, ac non valde, cum aliquid aggrediuntur, quidquid euenire inde possit, cogitant, sed inconsiderantius multa tractant, freti egregia illa sua fortuna.

Ἓν δ' ἀκολουθεῖ βέλτιστον ἦθος τῇ εὐτυχίᾳ, ὅτι φιλόθεοί εἰσι, καὶ ἔχουσί πρὸς τὸ θεῖον πως, πιστεύοντες διὰ τὰ γιγνόμενα ἀγαθὰ ἀπὸ τῆς τύχης.

Vni autem optimi mores comitantur felicitati, quod valde pij sunt: affectique erga diuinam naturam aliquo modo, fidentes ipsis ob bona, quae acceperunt a fortuna.

COMITANTVR (inquit) fortunatis hominibus: valdeq; secundis ipsorum rebus vni optimi mores, quod pie deos colunt, atque animo erga illos affecti quodammodo sunt: fidentes illis, atque in eorum benignitate: egregiaq; erga se voluntate, spem habentes. Ita autem sentiunt ob bona, quae beneficio fortunae consecuti sunt: putant enim, se voluntate deorum ea obtinuisse. Cum vero hic antea secunda collatione βέλτιον ἦθος legeretur, tertia βέλτισον restitui, vt in antiquissimo libro scriptum ostendi: quam lectionem sequitur etiã vetus tralatio. Sententia autem haec multis partibus meo iudicio melior. Optimam autem indolem merito appellauit, quae bene sentit de dijs immortalibus: affectaq; erga illos est, vt oportet: quisenim mores praeponendi moribus piorum? quomodoque illi non, sanctissimi habendi & vocandi sunt? Quamuis videatur statim, quod prouidentiae deorum repugnet, addere: cum commoda fortunatos homines dicat a fortuna accipere, quae putant propensa erga se voluntate deorum, nancisci.

Περὶ μὲν οὖν τῶν καθ' ἡλικίαν, καὶ τύχην ἠθῶν, εἴρηται: τὰ γὰρ ἐναντία τῶν εἰρημένων ἐκ τῶν ἐναντίων φανερά ἐστιν. οἷον πένητος, καὶ ἀτυχοῦς ἦθος, καὶ ἀδυνάτου.

De

De moribus igitur, qui proprij sunt singularum aetatum, ac fortunarum, dictum est: contrarij namque eorum, qui dicti sunt, e contrarijs plani apertique sunt. veluti pauperis, & infelicis, & infirmi, atque obscuri.

DISSERVIMVS iam (inquit) de moribus, qui aetates, ac condiciones hominum sequuntur: quamuis enim ignobilium mores, pauperumque explicati non sint, vt eorum etiam, qui tenues sunt, ac nihil auctoritatis in ciuitate habent, & miserorum deniq;, tamen incogniti illi esse non possunt: nam ex contrarijs locis contrarij mores facile intelligentur. In pluribus autem ac melioribus scriptis libris, καὶ ἀδυνάτου legitur: quod respondet superiori sermoni, vt ἀδυνάτου dixerit, sicut πένητος, & ἀτυχοῦς dixerat: eundem enim manifesto, quem supra, ordinem non conseruat. Huius quoq; lectionis vestigium apparet in vetere tralatione. quare altera eiecta, quae ἀδυναμία habebat, hanc recepi. Omni autem quaestione de moribus: diligentiq; harum rerum explicatione absoluta, exponendum videtur, quod mihi saepe in mentem venit, ac non parum molestum fuit: Quintilianus enim in v. libro, vbi de argumentis disputat, ostendit Aristotelem plenius, vberiusq; hunc locum tractasse, ac multa ad naturam, moresq; hominum pertinentia exposuisse, quae nunc hic nullo modo leguntur. Verba ipsius haec sunt. Ideoq; Aristoteles in ij. de arte Rhetorica libro diligentissime est executus, quidcuiq; rei, & quidcuiq; homini soleat accidere: Et quas res, quosq; homines, quibus rebus, aut hominibus, vel conciliasset, vel alienasset ipsa natura. Vt diuitias quid sequatur, aut ambitum, aut superstitionem, quid boni probent, quid mali petant, quid milites, quid rustici, quo quaeq; modo res vitari, vel appeti soleat: & quae sequuntur: vbi enim hic agitur de ambitu, aut superstitione? Quod verbum ab Aristotele factum est de militibus, aut rusticis? Quid igitur dicemus hanc huius libri partem laceram, ac fractam esse? eaq; omnia desiderari, quae a Quintiliano significantur, an magnum illum rhetorem lapsum esse? & quae tractari hic credebat, cum in manibus librum non haberet, non quae vere traderentur, nominasse? omnino res dura: neque enim in hoc libro hiatus vllus apparet, sed contra continuata rerum series admirabilis. nec temere debemus, non omnino contemnendum scriptorem, tantae negligentiae condemnare. quamuis quaedam hic a philosopho tradantur, quae in ea re explicanda omittere ipse non debuit. quare, vt illa imprudenter praeterijt, ita potuit alia, quae minime hic tractata vmquam fuerunt, nominare, & quasi pro ipsis supponere.

Ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν πιθανῶν λόγων χρῆσις πρὸς κρίσιν ἐστι.

Quia autem vsus orationis, ad persuadendum accommodatae, ad existimationem faciendam dirigitur.

SCRIPTIONIS huius seriem requirere intelligit, vt de quibusdam agat, quae communia sunt omniũ, proprijs iam singulorũ generũ explicatis. quare ad illa tradenda se accingit: ne quis autẽ putet priore hac in parte aliquid desiderari, imperfectamq; illam esse, nihil a se relictũ esse, quod ad eã pertineat, docet: ac breui repetit, quae iam confecit, quaeq; adhuc tractanda restent, ostendit: aut saltẽ quae magis haerent his rebus, ac quae hoc ipso in libro explicare cogitat: illa autem sunt, quae communia scilicet trium generum sunt. videre (inquam) quid fieri possit, quid non possit intelligere: vnde magnitudo rebus acquiratur. vt infra ipse declarat: in repetendis autem, quae iam tradidit, magna breuitate vtitur. quia tamen eorum aliquid confirmatione egebat, multum sermonem in illis consumit: nec eum absoluit, nisi cum ad eum locum venit, vbi narrat restare, vt de communibus agat. Quae vero antequam eo perueniat, agit: quibusque, quae iam facta sint exponit, in duas partes diuidit: prima pars est, qua ostendit, cum vsus orationis, ad persuadendum accommodatae, ad existimationem tendat, se cuncta, quae eo pertinebant, &, vt id commode fieri posset, tradidisse: secunda, cum in singulis generibus dicendi diuersi sint fines, se declarasse, vnde illi comprobari possent, ac magnam vim propriarum propositionum indicasse: nec non vnde morata oratio fiat, aperuisse: ambae autem, quas ostendi, partes, cum incipiant a particula ἐπεὶ, habent suas ἀνταποδόσεις ac redditiones: illam enim cum initio alicuius sententiae ponit, antequam quod vult absoluat, totamq; rem concludat, non nulla in medio ponere consueuit: semperq; adiungere, quod illi respondeat: id autem priore hac in parte tradenda sine modo facit: tot enim interiecta sunt, vt non facile percipiatur, quem terminum res habeat, & vbi illa concludantur: arbitror autem, quod ad extremum positum est, ὥστε διωρισμένον ἂν εἴη, illud esse, quia hoc & illud fecimus, vere dicere possumus cuncta a nobis perscripta & explicata esse, quae docerent, quomodo orationem moribus eorum, apud quos agimus, accommodare possimus. Posterioris vero, cuius initium est, ἐπεὶ δὲ περὶ ἕκαστον, redditio est pars illa, qua quid explicandum nunc restet, aperit. Antequam igitur significarit, quid aggredi

gredi nunc oporteret, ad quem vſq; locum videbatur oratio pendere debuiſſe, partem alteram ipſius concluſit. vt autem reliqua adhuc, quae perfectae rerum illarum expoſitioni neceſſaria erant, compleċteretur: atque a ſe iam explanata eſſe oſtenderet, iterum exorſus eſt eadem ratione, qua primo fecerat: atque ea deniq; parte perfecta, tunc demum expoſuit, qui primus veruſque finis ac σκοπὸς eſſe huius loci videtur: indicare ſcilicet, quae ſequerentur bonam magnamq; partem huius operis iam completam.

Περὶ ὧν γὰρ ἴσμεν, καὶ κεκρίκαμεν, οὐδὲν ἔτι δεῖ λόγου.

De rebus enim, quas nouimus, & de quibus exiſtimauimus, nihil amplius opus eſt oratione.

A Contrario probat vſum oratoriae dictionis adhiberi, vt exiſtimatio de aliqua re fiat: quae enim percepimus ac tenemus inquit: & de quibus iam in animo noſtro exiſtimauimus, non egent oratione ad perſuadendum accommodata: omniſq; labor, qui in comprobandis illis caperetur, inanis foret. quid vltra namq; opus eſt huiuſcemodi oratione, cum rem cognouimus? ac de ea, quid nobis videatur ſtatuimus? Quare hinc intelligi poteſt, requiri rationem eã, vt id fiat: eodem autem pacto argumentatus eſt: idemq; paene protulit, cum in vj. libro de moribus ad Nicomachum oſtenderet εὐβουλίαν non eſſe ſcientiam: inquit enim οὐ γὰρ ζητοῦσι, περὶ ὧν ἴσασι. ſecutus vero fidem antiquiſſimi codicis, ſcripſi δεῖ λόγου, cum in excuſis antea δεῖ που τοῦ λόγου legeretur: aliud enim Ariſtoteli, Theophraſtoq; δεῖ που λόγου videtur valere.

Ἔστι δὲ, ἄν τε πρὸς ἕνα τις χρώμενος τῷ λόγῳ, προτρέπῃ, ἢ ἀποτρέπῃ.

Eſt autem, ſiue ad vnum aliquis oratione vtens, ſuadeat aliquid, vel diſſuadeat.

Est autem, ſcilicet κρίσις & exiſtimatio, ſiue quis loquatur cum vno, & hac probabili oratione vtatur, ſuadens aliquid, aut diſſuadens, ſiue cum pluribus: multitudo enim eorum, qui audiunt non facit, vt exiſtimatio de illo, quod oratione exponitur, magis fiat: qui enim cum vno quoq; agit, ea de cauſa agit, vt exiſtimatio de eo, quod perſuadere conatur, ab ipſo fiat: quando autem vſu veniat, quaque de cauſa ad perſuadendum apta oratione vti cum ſingulis hominibus, ipſe accurate docet: quin autem hoc ad deliberatiuum genus pertineat, dubitari non poteſt.

Οἷον οἱ νουθετοῦντες ποιοῦσιν, ἢ πείθοντες: οὐδὲν γὰρ ἧττον κριτὴς οὗτος εἷς.

Quod faciunt, qui monent: nihilominus enim exiſtimator eſt vnus.

Vt qui aliquem admonitione ſua emendare, ac meliorem facere ſtudent: praeceptaq; ei demum ad vitam vtilia dant: nec non qui aliquid alicui perſuadere conantur, & ad quippiam gerendum impellunt: hi enim ſimpliciter nunc πείθοντες vocantur. ijs autem quod vult, declaratur: qui ſcilicet cum vno etiam loquitur, dicere πρὸς κρίσιν: niſi enim ipſum a deprauata illa vita reuocat, aut quod vult, ei vt faciat, perſuadet: indicat, qui in ſententia permanet, in verbis argumentiſque dicentis nullam vim fuiſſe: exiſtimatque omnia illa inania eſſe, nec probari poſſe. Vt queritur Socrates in Phaedone, ſe non potuiſſe, quod ſtuduerat, Critoni perſuadere: quod & verbi, quo vtitur hic Ariſtoteles, & rei exemplum erit. » οὐ πείθω ἔφη ὦ ἄνδρες Κρίτωνα. » Cicero locum illum vertens in primo libro Tuſculanarum inquit: Critoni enim no- » ſtro non perſuaſi.

Ὃν γὰρ δεῖ πεῖσαι, οὗτός ἐστιν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, κριτής.

Quem enim oportet perſuadere, hic eſt, vt ſimpliciter loquar, exiſtimator.

Vt in vniuerſum de hac re, quid ſentimus, loquamur, quem perſuadendum ſuſcepimus, quomodocunq; cum eo agamus, hic exiſtimator ac iudex eſt: neq; enim certae alicuius materiae hoc nomen eſt, ſed omnibus rebus conuenit, de quibus cum verba fecerimus, aliquis quid exiſtimet ex oratione noſtra, ſententiam laturus eſt.

Ἐάν τε πρὸς ἀμφισβητοῦντα, ἐάν τε πρὸς ὑπόθεσιν λέγῃ τις, ὁμοίως.

Siue aduerſus diſceptantem, ſiue aduerſus argumentum, remque fictam aliquis verba faciat, vno & eodem pacto.

Nec refert, ſiue contra certum hominem, cum quo de aliqua re controuerſetur, diſſerat: ſiue, vt cauſam argumentumue aliquod defendat: omniaq;, quae pro eo dici poſſunt, exponat: id enim eſt

» est πρὸς ὑπόθεσιν dicere. Plutarchus in Erotico. καὶ ὁ Ἀνθεμίων ἀνιστὰς εἶπεν, ὡς ἔδει γε ἀπ' ἀρχῆς λέγειν
» τι πρὸς ὑπόθεσιν. Diodorus Siculus in xiij. libro historiarum: συνεπελάβετο δὲ τῆς γνώμης ταύτης, καὶ
» Κλεοφῶν, μέγιστος ὢν τότε δημαγωγὸς, ὅστις παρελθὼν, καὶ πολλὰ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν οἰκείως διαλεχθεὶς, ἐμετεώρι-
» σε τὸν δῆμον. cum multa verba fecisset ad probandam confirmandamq; sententiam illam accommodata: & in eodem libro de Dionysio, qui auctor erat ciuibus, cũ muniret sibi ad dominatum
» viam, vt reducerentur exules. πρὸς δὲ τὴν ὑπόθεσιν ταύτην, πολλὰ διαλεχθεὶς, οἰκεῖα τοῖς πράγμασι, συμψή-
» φους ἔλαβε τοὺς Συρακουσίους. Et cum longam orationem habuisset, ad rem illam, de qua agebatur, adiuuandam, accommodatam: oportere (inquam) patriam reddere expulsis, dicendo fecit, vt in sententiam suam Syracusani venirent.

Τῷ γὰρ λόγῳ ἀνάγκη χρῆσθαι, καὶ ἀναιρεῖν τὰ ἐναντία: πρὸς ἃ, ὥσπερ ἀμφισβητοῦντα, τὸν λόγον ποιεῖται.

Necesse enim est vti oratione, & quae contraria sunt temptare: aduersus quae, tamquam contra aduersarium, orationem habet.

NAM qui πρὸς ὑπόθεσιν dicunt: idest, qui, quod proposuerunt, probare volunt: facere non possunt quin oratione vtantur, atque omnia, quae rationi illi, quam constituere volunt aduersantur, infirment ac deleant: est enim omni conatu contra illa differendũ, tamquam contra aduersarium quempiam, aliter fidem facere non possent. Haec in iudiciali genere id verum esse, quod probare vult, confirmant.

Ὡσαύτως δὲ καὶ ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς: ὥσπερ γὰρ πρὸς κριτὴν, τὸν θεωρὸν ὁ λόγος συνίστηκεν.

Eodem autem pacto & in orationibus demonstratiui generis: tamquam enim ad existimatorem, ad auscultatorem oratio dirigitur.

EADEM ratio est (inquit) demonstratiui generis (nam quae supra tradita sunt, deliberationum iudiciorumq; erant) non enim desunt illic quoque, qui existiment: cum enim haberi soleant huiuscemodi orationes in magno conuentu hominum, illi ipsi, qui, vt ea, quae illic agerentur, perspicerent, eo accesserunt, percepta oratione, quid ipsis de illa videatur, statuent atque existimabunt. aut, si id non facient, oratio tamen ad eos habetur, tamquam ad existimatores: qui enim illic quempiam laudant, aut vituperant, ingenij vim ac facultatem dicendi ostentare volunt. non ita tamen existimatores sunt, vt qui in foro litigantes audiunt, aut sententias in senatu: hi enim facere non possunt, quin indicent, quod ipsis de illis rebus videatur.

Ὅλως δὲ μόνος, ὡς ἁπλῶς, ἐστὶ κριτὴς ὁ ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἀγῶσι τὰ ζητούμενα κρίνων.

Omnino autem solus, vt simpliciter loquar, est existimator is, qui in ciuilibus contentionibus, causisque existimat, de quibus quaestio est.

QVAMVIS accurate docuerimus (inquit) in demonstratiuo quoque genere versari existimatorem, siquis tamen verum quaerit, solus existimator est in deliberationibus, qui sententijs, quae dictae sunt, ponderatis, quod vtile esse putat reip. eligit: nec non in iudicijs forensibusq; causis ille, qui auditis, quae ab vtraque parte afferuntur, sententiam fert, & aut absoluit reum, aut damnat: πολιτικοὺς enim ἀγῶνας, opinor hic valere ciuiles omnes controuersias, ac quidquid inter ciues in disceptationem venit. Ἀγῶνες concertationes forenses, iudicialesq; causae vocari plerunque solent, hic tamen controuersiae quoq;, quae in curia habentur, hoc nomine significantur: qui enim de republica verba faciunt, cum contrarie saepe de ijsdem rebus sentiant, contendere inter se ac controuersari solent. & quae in senatu igitur, contioneq; de rep. quaeruntur, & quae in foro causae aguntur, intellexit. quod etiam ex ijs, quae statim adiungit, satis aperte perspicitur. Τὰ ζητούμενα, de quibus quaestio est: quaeq; vt veritas rei intelligatur, diligenter examinantur: quaeritur enim in deliberando, exempli gratia, bellum ne, an pax magis conducat: & in foro reus culpae, cuius insimulatur, affinis sit, an innocens. Quod ad scripturam pertinet, ab antiquissimo libro abest, ὡς. vetus quoq; tralatio ipsum non exprimit. Si legatur tamen illud eo loco, intelligendum videtur εἰπεῖν, vt loqui consueuit. ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν. nam alijs etiam locis simili in sententia, cum plena non sit, manifesto desideratur. Κριτὴν autem ar-
» bitror Ciceronem appellasse existimatorem, & κρίνειν existimare, vt in Topicis. Sed vulgi opi-
» nio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt, & qui iudicant, & qui existimant. In Bru-
» to. In augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus, quam admirandus
» orator. In eodem commentario. Itaq; intelligens dicendi existimator.

Τά τε γὰρ ἀμφισβητούμενα ζητεῖται πῶς ἔχει, καὶ περὶ ὧν βουλεύονται.

Illa namque, de quibus existunt controuersiae in foro, & de quibus consultant in contione, quaeruntur cuiusmodi sint.

DOCET (nisi fallor) in duobus his generibus proprie dici existimatorem: & de quibus enim inquit, controuersiae in foro nascuntur (hoc enim arbitror significari verbo ἀμφισβητούμενα) quaeruntur illa quomodo se habeant: & de quibus consultant in curia contioneue. quod non fit eodem pacto in tertio illo genere: quae enim illic tractantur, non tanta cura perpenduntur: neque naturam earum rerum vimque, quae in laudationibus dicuntur, solent, qui audiunt summo studio indagare.

Περὶ δὲ τῶν κατὰ τὰς πολιτείας ἠθῶν, ἐν τοῖς συμβουλευτικοῖς εἴρηται πρότερον.

De moribus autem proprijs singularum rerumpublicarum dictum prius est in deliberandi genere.

QVAMVIS autem singula reipublicae genera suos quosdam ac proprios mores habeant: pauloq; supra nos, cum de moribus ageremus, nihil, quod ad mores ciuitatum exprimendos pertineret, tradiderimus, inchoata tamen, imperfectaq; pars illa habenda non est: quod enim semel explanatum est, rursus exponi non debet. in primo autem libro, cum de deliberationibus ageremus, id fecimus. Huius partis, quam mira breuitate verborum persecutus est, hic intellectus videtur. Sed vt pluribus omnem rem explicem. Cum labor omnis oratoris industriaq;, ad eorum, qui audiunt existimationem tendat, vt illi scilicet iudicent, de quibus agit, vt ipsi commodum est: cum tertio in genere dicendi, tum in ijs potissimum, in quibus praecipue illi existimatores sunt: ad idq; multum valeat morata oratio: mores autem huiuscemodi eo in genere illi adfinguntur ex perceptione scientiaq; indolis ac morum rerumpublicarum, singulorum iam moribus ad reliquas res pertinentibus, diligenter ab ipso indicatis, videbatur iure optimo ab eo postulari posse, vt hi quoq; accurate traderentur: in quibus tanta vis est in sententia dicenda. Illos igitur nunc minime praetermissos esse ostendit: cum in primo libro copiose, quae ad eos pertinebant, exposita sint. quare concludit totam se hanc rem persecutum: nec desiderari quicquam, quod ad moratam orationem faciat, merito nunc posse.

Ὥστε διωρισμένον ἂν εἴη, πῶς τε, καὶ διὰ τίνων τοὺς λόγους τοὺς ἠθικοὺς ποιήσομεν.

Quapropter explanatum esse existimari debet, & quomodo, & auxilio quorum orationes moratas efficiemus.

CVM igitur, quod relictum falso videri potuit, & ipsum constet accurate explicatũ esse: omniaq; alia tradita sint, liquido intelligi potest pertractatum a nobis esse: quomodoque, & quibus vtentes, tamquam instrumentis, orationes moratas efficiemus. Varietatis hoc est in antiquissimo libro, quod non ποιήσομεν, vt in excusis legitur, habet, sed ποιητέον: quam etiam lectionem sequitur vetus tralatio.

Ἐπεὶ δὲ περὶ ἕκαστον μὲν γένος τῶν λόγων ἕτερόν τι τὸ τέλος ἦν.

Quia autem in vnoquoque genere dicendi finis est diuersus.

NON paruam partem huius muneris, quod susceperat, ostendit se absoluisse. quare ad alia aggreditur, quae adhuc restare tradit: cum enim (inquit) tria genera dicendi tres diuersos inter se fines habeant (illi autem sunt vtilitas, dignitas, aequitas) iamq; proprij cuiusq; finis argumentorum loci expositi sint: vnde in tribus illis generibus aliquid probare & dicendo confirmare possimus: & quae sequuntur (breui enim repetit, quae iam explicata sint) superest, vt ad communia transeamus.

Περὶ ἁπάντων δ᾽ αὐτῶν εἴλημμέναι δόξαι, καὶ προτάσεις εἰσίν.

De ipsis autem omnibus sumptae sunt opiniones, & propositiones.

ET quia de omnibus ipsis diuersorum generum finibus, sumptae (inquit) sunt opiniones ac propositiones: hoc enim quoq; diligenter a se, copioseq; confectum repetit, quod ad idem declarandum valet: opiniones autem & propositiones vocat, vt initio huius libri locutus est, vbi docuit se antea tradidisse, vnde, quae partes singulorum generum essent, recte tractari possent, & quae opiniones propositionesque vtiles forent ad faciendam fidem: illasque ipsas

res

res comprobandas: idem enim nunc, quoque facit, cum tanto interuallo post ostendat, quae iam confecerit: & quamuis addat, quae prima in parte huius libri pertractauit, illa tamen quoq; repetit, quae in primo libro explicauit: opiniones autem vocat, quae in animis hominum vigent de vtili, de honesto, de aequo, propositiones: cum illae ad oratorium syllogismum conformatae sunt.

Ἐξ ὧν τὰς πίστεις φέρουσι, καὶ συμβουλεύοντες, καὶ ἐπιδεικνύοντες, καὶ ἀμφισβητοῦντες.

E quibus ducunt probationes, & qui deliberant, & qui demonstrant, & qui controuersantur.

VNDE, ex quibusq; opinionibus, in tribus generibus dicendi rationes conformant, & argumenta, ad id, quod volunt probandum, conficiunt: nisi enim illae explicatae forent, non haberet, vnde fidem facere posset orator, & argumentis, quod persuadere conatur, confirmare. Quod πίστεις φέρουσιν inquit, vsitatus ipsi modus est loquendi: vt enim hic πίστεις φέρειν, ita φέρειν τεκμήριον, φέρειν συλλογισμὸν, παράδειγμα, παραβολὴν, ἔνστασιν saepe dixit. Vt autem φέρειν παράδειγμα, idest exemplo vti ad aliquid probandum, & tamquam simile afferre, dixit ipse in viij. libro Topicorum. Εἰς δὲ σαφήνειαν, παραδείγματα, καὶ παραβολὰς οἰστέον, ita Isocrates in oratiuncula contra sophistas: illos enim inscitiae accusans, inquit. Οἱ πολιτικοῦ πράγματος πεπλασμένην τέχνην παράδειγμα φέροντες, λελήθασι σφᾶς αὐτοὺς. Discedit autem a reliquis antiquissimus liber hac parte, quod ἐπιδεικνύμενοι habet, diuersa forma verbi, vnde nomen hoc formatum est, significatu eodem.

Ἔτι δὲ ἐξ ὧν ἠθικοὺς τοὺς λόγους ἐνδέχεται ποιεῖν, καὶ περὶ τούτων διώρισται.

Amplius autem e quibus orationes moratas efficiendi facultas datur, de his quoque explicatum est.

PRAETEREA inquit, vnde moratas orationes facere contingat, non praetermissum est docere: haec enim quoq; res copiose pertractata: in proxima autem superiore huius libri parte, id factum est, vbi & diuersarum aetatum mores, & variarum fortunarum declarauit. Paulo supra, vbi λόγους ἠθικοὺς itidem appellauit, intellexit orationes, quae exprimerent mores rerum publicarum, & accommodatae forent earum naturis ac sensibus: hic vero quae conueniant moribus, quibus praediti sunt ij, ad quos orator agit, diuersarum aetatum ac condicionum homines. Quaeri autem potest, cur in hac expositione rerum, quas ostendit, a se explicatas fuisse, non commemorarit, se persecutum esse, quae facerent ad motus animorum tradendos, cum tam diligenter copioseq; id praestiterit: supra tamen id sedulo fecit, cum declaratis iam affectibus, aggrederetur ad ea, quae pertinerent ad orationem moratam: inquit enim, Auxilio igitur quorum motus animorum excitantur, & dissoluuntur: vnde probationes nascuntur, de ipsis traditum est.

Λοιπὸν ἡμῖν διελθεῖν περὶ τῶν κοινῶν: πᾶσι γὰρ ἀναγκαῖον τὰ περὶ τοῦ δυνατοῦ, καὶ ἀδυνάτου προσχρῆσθαι ἐν τοῖς λόγοις.

Restat, vt ea breui tradamus, quae sunt communia cunctorum generum: omnibus enim necesse est vti praeterea his in dicendo, quae valent ad ostendendum, quid fieri possit, aut non possit.

CVM hucusq; repetisset, quae supra explicarat, singulorum generum propria, ex hoc loco ostendit se velle tradere, quae communia sunt omnium generum. cur autem explicanda haec quoq; suscipiat, & quam vtilitatem illa habeant, statim docet: omnibus enim (inquit) necesse est adiungere, quae confirment id fieri posse, aut nulla ratione ad exitum posse perduci: neq; enim sat est reliqua ostendere, nisi hoc quoque accurate faciant: locosq; habeant, vnde probetur aliquid eam naturam habere, vt confici queat, aut contra, eius generis esse, si id damnat ac refellit, vt nulla ratione fieri possit. Omnibus autem, generibus dicendi, scilicet, vel oratoribus: infra enim a rebus ad homines transit: siue deliberationes (inquit) siue iudicia tractent: siue in demonstratiuo genere versentur.

Καὶ τοὺς μὲν, ὡς ἔσται: τοὺς δὲ, ὡς γέγονε, πειρᾶσθαι δεικνύναι.

Et hos quidem rem eam factum iri: hos vero factam esse, eniti monstrare.

PRAETEREA his quidem opera danda est, vt probent rem illam futuram: his vero, vt factam doceant, quod facere nullo pacto possent, nisi locos, vnde promerent argumenta ad eas res confirmandas apta, haberent: ὡς ἔσται autem, quod inquit, his verbis significat τὸ ἐσόμενον, vt ipse paulo post appellat, quod futurum est: illis autem ὡς γέγονε, id quod infra τὸ γεγονός: quod scilicet factum iam est: quae sane & ipsae communes formae sunt. quare de his accurate disputabit.

Ἔτι δὲ περὶ μεγέθους, κοινὸν ἁπάντων ἐστὶ τῶν λόγων.

Praeterea autem de magnitudine rerum, commune est omnium generum.

SED etiam (inquit) de magnitudine rerum agere commune trium generum est: neq; enim tantum, qui quempiam laudant, atq; omni honore verborum ornant, recta facta illa, quae celebrant, extollunt, verum etiam, qui in senatu sententiam dicunt, quod vtile esse aiunt, ac facere ciues suos hortantur, augent ac magnopere conducere posse ostendunt. vt etiam, qui in foro reum alicuius sceleris arguunt, flagitium ipsum amplificant: idemq; in contrarijs rebus vsu venit: rem autem ita se habere probat, dicens.

Χρῶνται γὰρ πάντες τῷ μειοῦν, καὶ αὔξειν, καὶ συμβουλεύοντες, ἢ ἀποτρέποντες: καὶ ἐπαινοῦντες, ἢ ψέγοντες: καὶ κατηγοροῦντες, ἢ ἀπολογούμενοι.

Vtuntur enim omnes, & extenuatione, & amplificatione, & cum suadent, aut dissuadent, & cum laudant, aut vituperant, & cum accusant, aut defendunt.

CVNCTI enim, qui dicunt, cum causa postulat, rem conterunt, aut augent: neq; hoc tantum in hoc, aut in illo genere arripiunt: in reliquis autem non attingunt, sed in omnibus magna cum vtilitate faciunt: & cum suadent scilicet aut dissuadent, & cum laudant aut vituperant, & cum accusant aut defendunt. Cum autem in excusis antea καὶ συμβουλεύοντες, καὶ προτρέποντες, ἢ ἀποτρέποντες legeretur, secutus auctoritatem antiquissimi libri, hanc, quam in ipso inueni, lectionem probaui: cuius etiam in vetere tralatione certa vestigia apparent: posuit autem hic συμβουλεύοντες, (si ita omnino legi debet) pro προτρέποντες: quamuis hoc verbo genus ipsum deliberandi, frequentius vocet: in reliquis enim duobus generibus indicandis, nominibus partium vtitur: nec genera ipsa appellat, quam etiam ratione hic eũ tenuisse puto. quod si generis nomine hic vsus esset, partium statim (vt opinor) non addidisset: fuisset enim id nimis otiosum atq; inane. aut si tam prolixo sermone vti voluisset, eandem saltem in reliquis duobus notandis custodiuisset. Quae me causae impulerint, vt receptam lectionem immutarim, exposui. In hoc autem consistere omnem vim oratoris, Gorgias Leontinus crediderat, vt Cicero in Bruto ostendit: iudica-
» bat enim hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoq; rursus
» affligere. in xj. Aeneidos moliri hoc, ac crebro facere Drancem Turnus arguit - atque extol-
» lere vires Gentis bis victae, contra premere arma Latini: His enim verbis eum magnum oratorem esse ostendit: vt qui audiunt, merito orationem ipsius, ac tantam vim dicendi suspectam habeant.

Τούτων δὲ διορισθέντων περὶ τῶν ἐνθυμημάτων κοινῇ πειραθῶμεν εἰπεῖν, εἴ τι ἔχομεν.

Cum autem haec explicauerimus, temptandum nobis erit de enthymematibus communiter, si aliquid habemus, praecipere.

ORDINEM omnium, quae postrema hac parte libri tractari debent, proponit: neque enim tantum, quae nunc aggredi cogitat, ostendit, sed etiam, quae sequuntur illa, ac demum reliquam omnem huius libri partem. His autem inquit, explicatis operam dabimus, vt generatim de enthymematibus disseramus, si quid, quod de illis ita tradamus, tenemus: quae enim extremum hoc valent, Graeca verba restitui, inuenta a me in antiquissimo codice, & a vetere quoq; tralatione expressa: declarant autem illa & rei huius explicandae difficultatem, & Aristotelis modestiam, qui caute loquitur, ac videtur vereri ne aliquid, quod de enthymematibus generatim tradat, habiturus sit: & sane, quae infra de ipsis communiter praecipit, pauca sunt. si quid autem in hoc studio est, quod difficile & obscurum sit, haec pars manifesto est. vnde ab antiquis magistris dicendi illa penitus relicta fuerat. suspicor autem hinc deleta fuisse ab aliquo, qui indigna illa iudicarit eruditione & ingenio summi huius doctoris, quod tantopere sibi diffidere videatur: ipsum tamen modice de se semper loqui, notum est. non video autem cur ab aliquo, nisi huius auctoris propria forent, ea inseri huc debuerint.

Καὶ

Καὶ περὶ παραδειγμάτων, ὅπως τὰ λοιπὰ προσθέντες, ἀποπλήσωμεν τὴν ἐξ ἀρχῆς πρόθεσιν.

Nec non de exemplis, vt ijs, quae reliqua sunt adpositis, absoluamus, quod initio nobis proposuimus.

DE exemplis praeterea demus operã, vt quae praecipienda sunt, tradamus, vt adpositis ijs etiam, quae restant, aliquando, quod initio huius scriptionis propositũ nobis fuit, absoluamus, & inchoato operi fastigium imponamus. Antiquissimus liber hic ἀποδῶμεν habet, non vt reliqui scripti, & excusi omnes, ἀποπλήσωμεν: nec tamen receptam lectionem variaui, quam a vetere etiam tralatione vidi confirmari.

Ἔστι δὲ τῶν κοινῶν, τὸ μὲν αὔξειν, οἰκειότατον τοῖς ἐπιδεικτικοῖς, ὥσπερ εἴρηται.

Amplificare autem communium formarum est maxime proprium orationum, quae habentur in genere dicendi demonstratiuo, vt traditum est.

QVOD nunc de augendis minuendisq; rebus hic tradit, in primi quoq; libri parte illa praecepit, qua, quo modo demonstratiuum genus tractari deberet, ostendit: ad extremum enim inquit. » ὅλως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις, & quae sequuntur. nam, quod ad demonstratiuum genus pertinet, ijsdem paene verbis, quibus illic vsus fuerat, in eadem re praecipienda, hic vtitur: vnde post illa potissimum addit, se ante de hac re disputasse: quae vero, ad reliqua duo genera pertinentia, adiungit, ab illis, quae eo loco tradidit, discrepare videntur: vt enim illic iudicijs enthymemata, ita hic, quod factum est, tribuit: vtq; ibi deliberationibus exempla, ita hic, quod fieri potest; quodq; futurum est, assignat: nec tamen locus hic illi repugnat: ob haec enim ipsa & ratione horum, quae nunc his, vt maxime propria tribuit, & illa ipsis eo in loco assignauit: factae enim res enthymematibus: futurae vero exemplis comprobantur. quod cum semel docuisset, iterum repetere noluit. Significare autem nunc velle videtur, quae paulo ante communia omnium generum esse ostendit, non ita communia esse, vt sine vllo discrimine similiter ab omnibus vsurpentur: sunt enim eorum alia huic magis generi: alia autem alij magis accommodata. vt augere & conterere res maxime proprium esse affirmat eius generis, quod in laude ac vituperatione consumitur: & vt magnitudinem importare, cumulumq; earum rerum minuere, ita etiam, si laudetur aliquis, plura honesta facta bonaq;, quam in eo vere sint, illi affingere atq; orationi attribuere: contra autem si vituperetur, pluribus etiam vitijs, improbisq; factis inquinatum declarare, quam illius personae haereant: hoc enim officium esse eius, qui in hoc genere versetur, affirmauit etiam Isocrates in Busiride suo: cum sinistrum illius laudatorem insimularet, ac praue functum illo munere doceret.

Τὸ δὲ γεγονὸς, τοῖς δικανικοῖς: περὶ τούτων γὰρ ἡ κρίσις.

Quod autem factum est, earum, quae in iudiciali: de his namque existimatio fit.

QVOD vero factum iam est, iudiciali generi in primis conuenit: cuius rei causam afferens, inquit: de factis enim rebus existimatio fieri solet. Res, quae facta esse traditur, & de qua controuersia inter aliquos est, quaeritur, an facta sit: omnibusq; rebus diligenter examinatis statuitur ab iudicibus, an facta sit. vnde huic rei, vt dubiae, confirmandae in primo libro aptissima dixit enthymemata.

Τὸ δὲ δυνατὸν, καὶ ἐσόμενον, τοῖς συμβουλευτικοῖς.

Quod vero fieri potest, futurumq; est, proprium est earum, quae in deliberatiuo.

QVOD vero fieri potest, & quod futurum est, deliberationibus praecipue aptum est: quamuis non male quoq; ab alijs generibus aliquando recipiatur: qui enim impellunt aliquos ad quippiam gerendum, docent rem illam fieri posse, ac futuram omnino, si illi viam ac rationem tenuerint in ea administranda, quam ipsi ostendunt.

Πρῶτον μὲν οὖν περὶ δυνατῶν, καὶ ἀδυνάτων λέγωμεν.

Primum igitur dicamus de ijs, quae fieri possunt, & non possunt.

HORVM (inquit) quae communia trium generum esse docuimus, primum expliçemus, quae fieri possunt: aut contra, naturam eam habent, vt effici nullo pacto possint. Antiquissimus codex vnitatis numero περὶ δυνατοῦ καὶ ἀδυνάτου habet: peruulgatam tamen lectionem retinui, quam reliqui scripti, ac vetus quoq; tralatio confirmant.

Αν δὴ τὸ ἐναντίον ᾖ δυνατὸν, ἢ εἶν, ἢ γενέσθαι, καὶ τὸ ἐναντίον δόξειεν ἂν εἶν δυνατόν. οἷον εἰ δυνατὸν ἄνθρωπον ὑγιασθῆναι, καὶ νοσῆσαι.

Si contrarium igitur vnum eorum fuerit, quae possunt, vel esse, vel aliquando facta esse, & contrarium videretur fieri posse. veluti, si fieri potest vt homo valetudini restituatur, fieri etiam potest, vt aegrotet.

PRIMVS locus, quo declaratur quippiam, aut esse nunc posse, aut factum iam fuisse, animaduersa natura contrarij. Si enim contrarium huiusce modi est, vt aut esse, aut factum esse possit, & contrarium eandem naturam videtur habere, atque ipsum quoque δυνατὸν esse: quod exemplo etiam confirmat, dicens. Ceu si fieri potest, vt aliquis bonam valetudinem recuperarit, vt idem etiam in morbum inciderit fieri potest: contraria autem morbus, ac valetudo corporis.

Η γὰρ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων, ᾗ ἐναντία.

Eadem enim est vis & potestas contrariorū, qua ratione contraria sunt, sumptorum.

EADEM enim (inquit) potestas est contrariorum: sententia autem haec ipsius est, satis nota. Nam in v. quoq; libro de moribus ad Nicomachum docuit facultatem, ac scientiam hoc habere commune, quod ambae contrariarum rerum sint, & hoc maxime distare ab habitu: contrarij enim semper habitus sunt contrariarum rerum: ea parte autem, qua contraria sunt, addidit, quia alijs quibusdam rebus, ita aliquando inter se discreparent, vt ab eadem facultate omnino confici non possent: quatenus vero contraria sunt, & ea ratione, qua inter se pugnant e regione, semper ab eadem potestate efficiuntur: vt quae eorum alterum praestare: alterum etiam semper queat.

Καὶ εἰ τὸ ὅμοιον δυνατὸν, καὶ τὸ ὅμοιον.

Et si par etiam, simileque fieri potest, & par simileque fieri poterit.

HANC enim veram esse lectionem existimaui: antea καὶ τὸ ἀνόμοιον perperam legebatur: quod calamo exarati codices, vetus tralatio, ac res ipsa declarat. A simili igitur, quod manifesto fieri possit, simile illi, de quo controuersia sit, docet fieri posse: quae enim similia inter se sunt, eandem naturam habere videntur: vt si eorum alterum fieri possit, & alterum omnino possit.

Καὶ εἰ τὸ χαλεπώτερον δυνατὸν, καὶ τὸ ῥᾷον.

Et si, quod difficilius est, effici potest, poterit etiam, quod procliuius est.

ET si, quod laboriosius est, effici potest: &, quod procliuius. Si ostendimus (inquit) quod eam naturam habet, vt aegrius effici possit, effici tamen posse: & quod minorem operam laboremq; requirit, planum est effici & ipsum posse: procliuiori enim rei praestandae minores vires satis sunt. In vj. quoq; libro Topicorum, vbi docet, quomodo definitio temptari possit, primum praecipit videndum esse, an recte, ordineq; id, de quo disputatur, definitum sit, cum facilius sit, quodlibet fecisse, quam idem recte absoluteque fecisse.

Καὶ εἰ τὸ σπουδαῖον, ἢ καλὸν γενέσθαι δυνατὸν, καὶ ὅλως γενέσθαι δυνατόν: χαλεπώτερον γὰρ καλὴν οἰκίαν, ἢ οἰκίαν εἶναι.

Et si quod studium requirit, siue pulchrum est, factum esse potest, & omnino factum esse potest: difficilius enim est pulchram domum esse, quam domum.

PRAETEREA si fieri potest, vt quippiam, studiosum, vel pulchrum, factum sit, & factum etiam illud sit, nulla re adiuncta, fieri potest. quod ipse statim exemplo satis aperto confirmat, dicens. aegrius namque ac magis arduum est, pulchram domum, quam domum simpliciter, esse. videtur igitur hic locus, tamquam superioris loci pars esse, cum & ipse a difficiliori proficiscatur. Ὅλως autem idem, quod ἁπλῶς, hic valere videtur: in extremo namque secundo libro Topicorum ait ἁπλῶς quippiam dici, cum re nulla adposita dicitur. quod cuiusmodi sit ipse illi accurate docet. Rem vero hic non magni ponderis variaui: quod enim in excusis antea erat, ἢ οἰκίαν γενέσθαι, vt in antiquissimo exemplari inueni, ἢ οἰκίαν εἶναι scripsi: vetus quoque tralatio hanc lectionem sequitur.

Καὶ

Καὶ οὗ ἡ ἀρχὴ δύναται γενέσθαι, καὶ τὸ τέλος: οὐδὲν γὰρ γίγνεται, οὐδ' ἄρχεται γίγνεσθαι τῶν ἀδυνάτων. οἷον τὸ σύμμετρον τὴν διάμετρον εἶναι: οὔτ' ἂν ἄρξαιτο γίγνεσθαι: οὔτε γίγνεται.

Et cuius principium factum esse potest, & finis etiam potest: nihil enim fit, neque incipit fieri eorum, quae fieri non possunt. veluti dimetientem communem mensuram habere cum latere, neque inciperet fieri, neque fit.

CVM quaestio est, an quippiam fieri possit, quod extremum alicuius rei ac finis sit, videre debemus, an principium eiusdem fieri possit: si enim eam naturam ipsius esse probamus, vt principium habeat, finem etiam illam habere confirmare possumus: quae enim (inquit) fieri non possunt: nec gignuntur vmquam, nec gigni incipiunt, aut aliquantulum in ea re progrediuntur. quod ipse geometrico exemplo confirmat, quo crebro in rebus demonstrandis, quae fieri non possunt, vtitur. vt dimetientem communem mensuram cum latere nancisci, quia fieri non potest, neque initium capit sui ortus, neque fit.

Καὶ οὗ τὸ τέλος, καὶ ἡ ἀρχὴ δυνατή: ἅπαντα γὰρ ἐξ ἀρχῆς γίγνεται.

Et cuius finis, eiusdem etiam principium fieri potest: cunctae namque res a principio gignuntur.

VT ope auxilioq; principij cogniti finem adipisci quippiam posse intelligimus, ita contra percepto fine, intelligimus principium etiam necessarium esse: neque enim illud ad finem venisset, nisi a principio ductum esset: cuncta enim quae constant, a principio aliquo ducuntur.

Καὶ εἰ τὸ ὕστερον τῇ οὐσίᾳ, ἢ τῇ γενέσει, δυνατὸν γενέσθαι, καὶ τὸ πρότερον. οἷον εἰ ἄνδρα γενέσθαι δυνατὸν, καὶ παῖδα: πρότερον γὰρ ἐκεῖνο γίγνεται.

Et si, quod posterius est natura, vel ortu, potest factum esse, & quod prius. veluti si virum factum esse, & puerum: prius namque illud gignitur.

ITA emendaui, secutus fidem vetustissimi codicis: cui vetus quoque tralatio adstipulatur. in alijs scriptis, vt in Aldino quoq; exemplari, καὶ εἰ τὸ ἕτερον legitur: perperam omnino: id vero scripturae vitium quidam corrigere volentes, reposuerant δεύτερον: non tamen respondet ea vox verbo πρότερον. quare veram illam huius loci lectionem non esse perspicitur. Purgato autem loco sensus ipsius hic est. Ac si, quod posterius natura aut ortu est, contingit factum esse & quod prius: exemplo autem id confirmans, inquit. Si enim fieri potest, vt vir quispiam factus sit, & puerum quoque factum esse δυνατόν: tempore namque illud praecedit: nemoque, qui vir sit, non aliquando puer fuit.

Καὶ εἰ παῖδα, καὶ ἄνδρα: ἀρχὴ γὰρ ἐκείνη.

Et si puerum, & virum: principium enim illud.

EXEMPLO alium locum demonstrat, qui est superior retro actus: vt enim si quod posterius natura generationeq;, & quod prius tale est, esse docuerat, ita etiam si quod prius natura atque ortu est, & quod posterius erit. vt si puerum factum esse δυνατόν, & virum: principium enim (inquit) illud est: ac sine ipso nullum eorum, quae consequuntur, fieri potest.

Καὶ, ὧν ἔρως, ἢ ἐπιθυμία φύσει ἐστίν.

Et ea, quorum amor, vel cupiditas natura constat.

ILLA quoque effici possunt, quorum amor, aut cupiditas naturalis est: cum videmus scilicet aliquos amore, aut cupiditate aliquarum rerum teneri: desideriaque illa ex natura hominibus esse, non ipsi repugnare, eas res ad exitum perduci posse intelligere licet: a contrario autem ducto argumento hoc confirmat.

Οὐδεὶς γὰρ τῶν ἀδυνάτων ἐρᾷ, οὐδ' ἐπιθυμεῖ, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Nemo enim ardet amore rerum, quae non possunt effici: neque cupit illas, vt plerunque fit.

PLERVNQVE (inquit) nemo amore corripitur, aut cupiditate tenetur rerum, quae effici non possunt:

poſſunt: huiuſcemodi autem eſſe videntur, quae naturae aduerſantur. plerunq; vero ait, quia aliquando inuenti ſunt, qui tam occaecati libidine fuerunt, vt non intelligerent, quid appeterent, vt Paſiphaën feciſſe fingunt poëtae, quam miſeram, & inſanam ob ſtultnm illum amorem merito appellant, vt Virgilius. Ah virgo infelix, quae te dementia cepit? neq; enim exitum ille habere poterat. ἐπιθυμίας autem addidit, quod magis latum eſt, plura complecti volens, ne quis in amore tantum, libidineq; hac contingere putaret, quod reliquarum omnium cupiditatum commune eſt.

Καὶ, ὧν ἐπιστῆμαι εἰσὶ, καὶ τέχναι, δυνατὸν ταῦτα, καὶ εἶναι, καὶ γενέσθαι.

Et quorum ſcientiae ſunt, & artes, haec ipſa, & eſſe, & facta eſſe poſſunt.

Illa quoq; & eſſe, & gigni poſſunt, quorum ſcientiae ſunt, & artes: non enim ſunt ſcientiae, aut artes rerum, quae fieri non poſſint: fruſtra enim labor in illis perdiſcendis ſumeretur. Via potius, ac ratio quaedam ipſae ſunt, qua res obſcurae, ac perdifficiles cognoſci poſſunt. In antiquiſſimo autem codice non parua hic eſt ſcripturae varietas: nihil tamen immutaui: vetus namque tralatio cum excuſis ac reliquis ſcriptis facit. δυνατὰ ταῦτα καὶ ἐστι καὶ γίγνεται: non malum autem ſenſum verba haec habere conſtat, vt dixerit: quorum ſcientiae, atq; artes ſunt, illa naturam habent, vt fieri poſſint, ac ſunt, fiuntq;.

Καὶ ὅσων ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεως ἐν τούτοις ἐστὶν, ἃ ἡμεῖς ἀναγκάσαιμεν ἂν, ἢ πείσαιμεν.

Et quorum principium generationis in his ſitum eſt, quae nos cogere, vel perſuadere poſſemus.

Illa quoq; effici poſſunt, quorum gignendorum initium in his poſitum eſt, quae nos aut cogere, aut perſuadere valemus. Cum autem neutro genere, quae nos cogere, aut perſuadere poſſumus, dixerit, non homines tantum, ſed alia quoq; complectitur, in quibus principium aliquarum rerum creandarum ſitum eſt: latius enim patet, quam vt homines tantum ſignificet: homines tamen in primis intelligit: illi enim ſoli perſuaderi poſſe videntur.

Ταῦτα δ᾽ ἐστὶν, ὧν κρείττους, ἢ κύριοι, ἢ φίλοι.

[* *Huiuſcemodi autem ſunt hi, quorum meliores, in omnique pugna praeſtantiores ſumus, ſiue quorum domini, vel amici.*

Possvmvs autem, cum commodum nobis eſt, hos ad quippiam agendum impellere, quibus, aut viribus corporis, aut opibus praeſtamus: hi enim non queunt recuſare imperium: nec non multo magis, quorum domini ſumus. vt etiam, qui nobis amici ſunt. Nam prioribus illis duobus generibus neceſſitatem id, quod volumus agendi, imponere poſſumus; tertium autem accurata oratione, aut precibus, ad idem hortari, & commouere.

Καὶ, ὧν τὰ μέρη δυνατὰ, καὶ τὸ ὅλον.

Et quorum partes effici poſſunt, & totum.

Qvorvm partes effici poſſunt, totum etiam effici poteſt: integrum enim omne, ac totum nihil eſt, niſi partes ipſae coagmentatae. Quod in excuſis prius ad extremum horum verborum legebatur δυνατὸν, ſuſtuli; a melioribus enim ſcriptis abeſt, & intelligitur, quamuis illic poſitum non ſit.

Καὶ, ὧν τὸ ὅλον δυνατὸν, καὶ τὰ μέρη.

Et quorum totum effici poteſt, & partes.

Vt a partium fabrica totius effectio confirmatur, ita contra a totius conſtitutione partes quoque ad finem perduci, abſoluique poſſe confirmantur, vt loco hoc planum fit: eſt autem idem ille inuerſus: neque tamen haec numquam fallunt, ſed fere fieri conſuerunt, vt ipſemet teſtatur.

Εἰ γὰρ πρόσχισμα, καὶ κεφαλὶς, καὶ χιτὼν δυνατὸν γενέσθαι, καὶ ὑποδήματα δυνατὸν γενέσθαι.

Si namque proſciſſum, & capitulum, & tunica poteſt fieri: & calcei poſſunt fieri.

Exemplvm

EXEMPLVM prioris argumentandi modi, quod conuersum, posterioris etiam exemplum erit: partes autem calceamenti enumerat: quibus perfectis, perfici etiam posse calceamentum ostendit. Vocabula sane haec raro apud antiquos auctores repperiuntur: neq; enim rerum harum tenuissimarum in grauioribus scriptis, aut sermonibus mentio saepe incidit: Pollux autem libro vij. vbi calceamentorum species enumerat, πρόχημα (quemadmodum hic antea legebatur) tamquam calceamenti speciem, non partem appellauit, quod senibus accommodatum esset. Sed etiam Hesychius πρόχημα speciem calceamenti tradit esse. Vnde libentius, calamo exaratos libros secutus, restitui πρόχισμα: id enim pars calceamenti esse potuit, vt testimonio huius loci suspicari licet, non species, vt alterum assimile huic, quod reieci. Sed multum etiam me impulit, vt hoc auderem, quod in xxx. problematum segmento, vbi Aristoteles quaerit, cur medici vsque ad sanitatem rem perducant: vtq;, qui antea aegro corpore erant valentes reddiderint, officio suo se functos esse arbitrentur, nihilq; vltra laborent, cum simili quodam ad rem docendam, illustrandamq; apto vteretur, diceretq; aliud inde effici non posse, nisi veluti ex par- » te. οἷον ἡ σκυτικὴ ὑπόδημα ἐκ προχήματος (sic in excusis legitur) Theodorus ita locum vertit, vt manifesto intelligatur suo in exemplari habuisse ἐκ προχίσματος. verba ipsius haec sunt. Quem- » admodum suendi ratio ex proscisso calceum reddit: cum enim eruditus ille vir, vt liquido perspicitur, emendatiores, quam nunc vulgo veneant, codices habuerit, fortasse etiam ea parte integriores nactus est. ipse certe vidi manu scriptum librum, in quo ἐκ προχίσματος legitur: seruatur autem ille in Medicea bibliotheca. Partes vero eorum alias enumerat, eodem libro » Pollux, capite xx. inquit enim. Μέρη δὲ ὑποδημάτων γλῶττα, καττύματα, ἰχνοί, καὶ ζυγοί. Sed etiam » Clemens Alexandrinus, γλώττας, vt partem calceamenti appellat. Καὶ καθάπερ τῶν παλαιῶν ὑπο- » δημάτων τὰ μὲν ἄλλα αὐτοῖς ἄδεται καὶ διαρρεῖ: μόνη δὲ ἡ γλῶσσα ὑπολείπεται: & quae sequuntur. vnde intelligere possumus multis nominibus apud Graecos distinctas fuisse partes calceamentorum, cum diuersi scriptores ipsas appellantes, in easdem non inciderint: neq; enim mentitos illos, vllo pacto existimandum est.

Καὶ εἰ ὑποδήματα, καὶ πρόχισμα, καὶ κεφαλὶς, καὶ χιτών.

Et si calcei, proscissum quoque, & capitulum, & tunica.

EXEMPLVM loci inuersi, quo declaratur, si totum fieri possit, & partes fieri posse: si enim calceamenta, quod totum est: & ipsius partes, quas appellat, fieri possunt. Ab antiquissimo libro, & alijs non nullis, absunt extrema horum verborum, καὶ χιτών. Sed nec vetus tralatio exprimit: vidi tamen scriptos quoq;, in quibus illa legerentur.

Καὶ εἰ τὸ γένος ὅλον τῶν δυνατῶν γενέσθαι, καὶ τὸ εἶδος: καὶ εἰ τὸ εἶδος, καὶ τὸ γένος.

Et si genus totum vnum eorum est, quae facta esse possunt, & species: & si species, & genus.

DOCET, declarato genere esse ex numero eorum, quae fieri possunt, & species quoq; fieri posse confirmari: statimq; locum inuertit, demonstratq; specie patefacta ex illis esse, quae fieri possunt, probari inde genus ex ijsdem illis esse: receptam autem lectionem retinui, quia animaduerti illam ab antiquissimo libro, & a vetere quoq; tralatione comprobari. Vidi tamen non malum codicem in quo ita legeretur. Καὶ εἰ γένος δυνατὸν γενέσθαι, καὶ τὰ εἴδη: καὶ τὰ εἴδη, καὶ τὸ γένος. & sane verbum ὅλον abesse hinc posse sine vllo incommodo videbatur: ac vereor ne e superiore loco huc fluxerit.

Οἷον εἰ πλοῖον γενέσθαι δυνατὸν, καὶ τριήρη: καὶ εἰ τριήρη, καὶ πλοῖον.

Veluti si nauigium potest factum esse, & triremem: & si triremem, & nauigium.

SI enim nauigium, vt factum sit, fieri potest (quod genus est) possunt factae esse triremes, quinqueremes, onerariae, & aliae nauium species: contraq;. Sed hinc etiam sumi potest exemplum superioris loci: si enim nauis, quod totum est, fieri potest: & carina, puppis, prora, malus, antenna, vela: & reliqua, quae sunt nauis partes, fieri possunt: nec non contra.

Καὶ εἰ θάτερον τῶν πρὸς ἄλληλα πεφυκότων, καὶ θάτερον.

Et si alterum eorum, quae natura inter se connexa sunt, & alterum.

QVO modo hunc modum argumentandi, verba ipsa exprimens, vocet Cicero, manifestum » est. Nam id quoq; ostendit Quintilianus libro v. vbi de argumentis disserit. Illa quoque, » quae ex rebus mutuam confirmationem praestantibus, ducentur, quae proprij generis quidam » videri volunt & vocant ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, Cicero ex rebus, sub eandem rationem venientibus.

Dialectici autem τὰ πρός τι haec appellant, vt exemplis quoq;, quae hic adponit, explanatur: ipsa namq; manifesto conueniunt illis, quae in libris de ratione differendi ipse πρός τι vocat. „ Cicero autem, quae cum aliquo conferuntur. vt in Topicis. Nam alia quoque sunt con- „ trariorum genera, velut eorum, quae cum aliquo conferuntur, vt duplum, simplum: & quae sequuntur.

Οἷον εἰ διπλάσιον, καὶ ἥμισυ: καὶ εἰ ἥμισυ, καὶ διπλάσιον.

Veluti si duplum, & dimidium: & si dimidium, & duplum.

VT si duplum (inquit) fieri potest, & simplum. si simplum, & duplum: cum enim dixisset, locum tradens. Si alterum eorum, indicauit manifesto licere ab vtrolibet exordiri, ad alterum confirmandum.

Καὶ εἰ ἄνευ τέχνης, ἢ παρασκευῆς δυνατὸν γενέσθαι τι, μᾶλλον διὰ τέχνης καὶ ἐπιμελείας δυνατόν.

Et si absque arte, & apparatu quippiam factum esse potest, magis ope artis, & curae fieri potest.

ALIVS item, quo quippiam effici posse probemus: si enim sine arte, aut apparatu aliquid fieri posse ostendimus, multo magis idem, adhibita arte ac cura, effici posse declarabimus: artes enim adiuuant, viamq; conficiendarum rerum ac rationem docent: &, vt artes, ita etiam studium ac diligentia in illis posita, non parua adminicula praebent: id enim (vt arbitror) valet hic ἐπιμέλεια. quo intellectu cepisse eum hoc verbum in primo libro docui.

Ὅθεν καὶ Ἀγάθωνι εἴρηται. Καὶ μὴν τὰ μέν γε τῇ τύχῃ πράσσειν: τὰ δὲ ἡμῖν ἀνάγκῃ, καὶ τύχῃ προσγίγνεται.

Vnde & Agathon inquit. Atqui haec quidem nobis fortuna comparantur: haec vero necesse est, & studio nostro, & fortuna ad nos peruenire.

ITA enim videtur legi debere. sunt autem duo senarij, quorum sententia, vt opinor, haec est: nihil enim certi afferri potest, cum & a quo, & qua occasione apud eum pronuntiati fuerint, nesciatur. Atqui haec fortuna obtinere licet: haec vero nobis necessitate fortunaq; accedunt: quare posteriorum horum certior comparatio: industria namque curaque, illis conficiendis adhibita, multum adiuuat. Agathonem auditorem fuisse Platonis, & ab eo quoq; valde amatum (quod ipse quoq; Plato suauissimis duobus distichis ostendit) apertum est: nam bonum poëtam eum fuisse, tragoediasq; scripsisse testantur, & Aristoteles in libro de arte poëtarum, & alij veteres scriptores.

Καὶ εἰ τοῖς χείροσιν, ἢ ἥττοσιν, ἢ ἀφρονεστέροις δυνατόν, καὶ τοῖς ἐναντίοις μᾶλλον.

Et si aliquid a deterioribus, vel inferioribus, vel imprudentioribus fieri potest, magis a contrarijs horum.

SI aliquid effici a deterioribus, vel inferioribus, vel insipientioribus potest, a melioribus, superioribus, prudentioribusq; facilius efficietur: hi enim contrarij illorum sunt. Χείροσιν autem, inquit, vita ac moribus impares intelligens. Ἥττοσιν viribus atque opibus inferiores. Ἀφρονεστέροις mente consilioq; minores.

Ὥσπερ καὶ Ἰσοκράτης ἔφη δεινὸν εἶναι, εἰ ὁ μὲν Εὔθυνος ἔμαθεν: αὐτὸς δὲ μὴ δυνήσεται εὑρεῖν.

Quemadmodum & Isocrates inquit. Odiosum & non ferendum esse, si Euthynus didicit, ipse vero nequeat inuenire.

VOCEM etiam Isocratis hoc testari tradit, qui inquit. Rem indignam & nullo modo ferendam esse, si cum parui, aut nullius ingenij homo Euthynus didicerit, ipse nequeat inuenire atque excogitare. Plus autem esse inuenire aliquid, quam inuentum ab alio, discere, constat. Vnde olim inuentoribus rerum, quae postea diuulgatae vilissimae extiterunt, magni honores habiti: hinc autem quanto se praestantiorem Euthyno duceret Isocrates, intelligi licet, cum stomacharetur se non posse difficiliorem partem praestare eius rei, cuius ille procliuiorem effecisset.

Περὶ δὲ ἀδυνάτων, δῆλον ὅτι ἐκ τῶν ἐναντίων τοῖς εἰρημένοις ὑπάρχει.

De rebus autem, quae fieri non possunt, planum est e contrarijs eorum, quae dicta sunt, facultatem nobis argumentandi dari.

NON tempus teremus nunc inquit, minute docentes, quomodo res effici non posse probentur: perspicuum enim est e contrarijs locis elici ad eam rem argumenta: facultatemq; nobis inde suppeditari, vt contrarium de contrarijs rebus demonstremus. Antiquissimus codex sibi constat: vnitatis enim numero hic ἀδυνάτου habet, vt supra initio explicationis horum locorum, vbi Aristoteles proposuit, quid tunc aggrederetur, habere adnotaui.

Εἰ δὲ γέγονεν, ἢ μὴ γέγονεν, ἐκ τῶνδε σκεπτέον.

Si autem factum est, vel non factum, hinc spectandum est.

EXPLICATIS iam locis, quibus quid fieri, aut non fieri possit, intelligitur: vnde animaduerti possit, siquid factum, aut non factum sit, docet.

Πρῶτον μὲν γάρ, εἰ τὸ ἧττον γίνεσθαι πεφυκός, γέγονε, γεγονὸς ἂν εἴη, καὶ τὸ μᾶλλον.

Primum enim, si quod naturam eam habet, vt minus fiat, factum est, factum esse poterit, & quod magis.

CVM pluribus modis hoc cognosci posse tradat, hunc primum esse inquit: si enim, quod naturam eam habet, vt minus fiat, factum est, factum vtiq; erit, quod huiuscemodi est, vt magis fiat: a natura autem eius rei, diligenter spectata, haec argumentatio proficiscitur: consentaneum enim est, si quod, vt minus fiat aptum est, factum est: & quod magis aptum erat, vt fieret, factum esse.

Καὶ εἰ τὸ ὕστερον εἰωθὸς γίγνεσθαι, γέγονε, καὶ τὸ πρότερον γέγονε.

Et si, quod posterius solet fieri, factum est, & quod prius factum est.

QVI probare vult aliquid, quod tempore praecedat, factum esse, doceat id, quod consequitur, factum esse: si namque, quod tempore posterius esse consueuit, factum est, & quod prius est, factum omnino est: non valde obscura res: quam tamen exemplo voluit clariorem esse.

Οἷον εἰ ἐπιλέλησται, καὶ ἔμαθέ ποτε τοῦτο.

Veluti, si oblitus est, & didicit quodam tempore hoc.

CEV (inquit) si quis aliquam rem oblitus est, antea didicerit oportet: antecedit enim perceptio obliuionem.

Καὶ εἰ ἐδύνατο, καὶ ἐβούλετο, πέπραχε: πάντες γάρ, ὅταν δυνάμενοι, βουληθῶσι, πράττουσιν: ἐμποδὼν γὰρ οὐδέν.

Et si potuit, ac voluit, gessit: cuncti enim potestatem rei gerendae nacti, cum voluerint, gerunt: nihil enim impedimento est.

CVM probare possumus, quempiam, qui potuerit, voluisse, affirmare liquido nobis licet, eum fecisse: cuncti enim (inquit) qui agendi facultatem habent, si volunt, quod volunt, efficiunt: nihil enim restat, quod exorandum sit: nihil amplius obuersari potest, quod retardet ac remoretur negotium: intelligit autem res, quae in ipso positae sunt: & quae ad id peragendum necessariae ab ipso proficisci possunt: sed extrinsecae quoq;, quae impedire potuissent, amotae intelliguntur: aliter illa facultas agendi non fuisset, nisi cuncta impedimenta superata antea fuissent. Vel potius ita loquitur, quia loci hi ad persuadendum valent: probabilesq; sunt: certi autem nihil, firmiq; in se habent.

Ἔτι εἰ ἐβούλετο, καὶ μηδὲν τῶν ἔξω ἐκώλυε.

Et si voluit, & nullum eorum, quae posita sunt extra, vetuit.

CVM facultas, voluntasq; coniunguntur omnia effici solere antea docuit, nunc sine ampla illa facultate, voluntatem quoque plerunque solere efficere, quod cogitat, narrat, si nulla externa res aduersata fuerit: requirebatur enim potentia ac vires, vt externa impedimenta tollerent: nisi

nisi autem molesta illa sunt, nihil ipsis opus est. Cum igitur ostendere possumus, voluisse quempiam, atque ita fortunatum in consilio suo ad exitum perducendo fuisse, vt nihil ei obstiterit, fecisse illum confirmare, nullum negotium est.

Καὶ εἰ δυνατὸν, καὶ ὠργίζετο.

Et si fieri potuit id, atque ira commotus erat.

Cvm antea in excusis legeretur εἰ ἐδύνατο, emendaui εἰ δυνατὸν, secutus fidem antiquissimi codicis: cui vetus quoque tralatio adstipulatur. Si res illa, naturam habet, vt effici posset, & ille, qui eam aggressus est, ira percitus fuisse demonstratur, probari facile potest fecisse: non parum autem, hoc, an illo modo legas, sententia huius loci variatur: si namque haec (vt puto) sincera lectio est, natura rei, quae facta, non facultas eius, qui fecisse dicitur, spectatur: quod autem altera illa scriptura tradebatur, consequente loco praecipitur: ira enim manifesto cupiditatis pars est.

Καὶ εἰ ἐδύνατο, καὶ ἐπεθύμει: ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ, ὧν ὀρέγονται, ἂν δύνωνται, καὶ ποιοῦσιν.

Et si potuit, & cupijt: plerunque enim, quae appetunt, si potuerint, efficiunt.

Facvltate quoque agendi praedita cupiditas, plerunque omnia efficit. Quare qui facultatem agendi habuisse & concupijsse ostenditur, dici potest egisse: fere enim cuncti efficiunt ea, quorum acriore desiderio tenentur, cum possunt.

Οἱ μὲν φαῦλοι, δι' ἀκρασίαν: οἱ δ' ἐπιεικεῖς, ὅτι τῶν ἐπιεικῶν ἐπιθυμοῦσιν.

Nequam homines ob incontinentiam: moderati autem, quia cupiunt res moderatas.

Hoc valet ad probandum, quod dixerat, fere omnes ea agere atque ad finem perducere, quae appetunt, cum queunt: nec enim improbi solum, vitiosiq; homines efficiunt, quae cupiunt, cum potestatem nacti sunt, sed & probi, & modesti: vt enim improbi turpes res effrenate appetunt, ita boni viri, honestas optant: nemo igitur paene excluditur.

Καὶ εἰ ἔμελλε γίνεσθαι, καὶ ποιεῖν: εἰκὸς γὰρ τὸν μέλλοντα, καὶ ποιῆσαι.

Et si id factum iri debuit, & fecisse: verisimile enim est, qui facere paratus erat, & fecisse.

Praeterea, si ostendere possumus, ita animo ac ceteris rebus paratum fuisse, vt iam id effici ab eo debuerit, fecisse quoq; argumentari possumus: plerunque enim, cum res eo perducta est, vt paulo post geri debuerit, geritur: verisimileq; est, qui ad facinus perpetrandum omnia comparauerat: iam iamq; id aggredi debebat, fecisse.

Καὶ εἰ γέγονεν, ὅσα πέφυκε πρὸ ἐκείνου, ἢ ἕνεκα ἐκείνου.

Et si facta sunt, quaecunque naturam eam habent, vt fiant ante illud, siue illius causa.

Nec non si iam facta sunt, quae naturae serie, atque ordine ante fieri solent, aut, vt illa postea fiant, fiunt. Exemplis autem totam rem clariorem facit.

Οἷον, εἰ ἤστραψε, καὶ ἐβρόντησε: καὶ εἰ ἐπείρασε, καὶ ἔπραξε.

Veluti, si fulsit, & tonuit: & si temptauit, & fecit.

Vt (inquit) si fulsit, & tonuit: si temptauit, etiam effecit. Πρὸ ἐκείνου cum dixisset, magis certam antecedendi rationem significans, addidit, ἢ ἕνεκα ἐκείνου: neque enim omnia, quae antea fieri solent, vt res ea consequatur, fiunt: quae vero ἕνεκα ἐκείνου fiunt, illuc spectant, & finem illum sibi proponunt: nec vllo modo, nisi, vt ea res efficeretur, gererentur. Huiuscemodi est illud: &, si temptauit, rem confecit: arbitror autem his verbis Venerem significari: πειρᾶσαι enim appellare de stupro saepe valet: Attici autem homines πρᾶξαι aiebant, cum quempiam miscuisse cum aliqua corpus indicare volebant, honeste rem obscenam significantes: id etiam testatur

» Pollux in v. libro ὀνομαστικοῦ, vbi de coitu animantium loquitur. καὶ ἀττικώτερον τὸ διεπραξάμην, καὶ

» διέπραξα, καὶ ἔπραξα. Alterum vero exemplum respondet ei, quod dixerat πρὸ ἐκείνου: non enim illius gratia factum est, quamuis semper praecedat: nec enim, vt postea tonet, antea fulsit.

Καὶ εἰ

Καὶ εἰ ὅσα ὕστερον πεφύκει γίγνεσθαι, ἢ οὗ ἕνεκα γίγνεται, γέγονε, καὶ τὸ πρότερον, καὶ τούτου ἕνεκα, γέγονεν.

Et si quaecunque naturam eam habent, vt postea fiant, vel cuius causa fiant, facta sunt: & quod prius atque huius causa, factum est.

VT antea a prioribus, atq; his, quae antecedere consuerunt, ita nunc a posterioribus, & quae consequuntur, aliquid effectum esse ostendi posse declarat, dicens: si quaecunque posterius fieri solent, vel id, cuius gratia illa fiunt, factum est: & quod prius & huius gratia fit, factum est: in excusis autem libris extrema pars huius loci ita legebatur, καὶ τὸ τούτου ἕνεκα πρότερον τούτου γέγονεν: restitui vero, vt in melioribus scriptis inueni: verba namque illa, πρότερον τούτου manifesto abundabant.

Οἷον εἰ ἐβρόντησε, καὶ ἤστραψε· καὶ εἰ ἔπραξε, καὶ ἐπείρασε.

Veluti si tonuit, & fulsit: & si fecit, & temptauit.

IISDEM exemplis ad rem illustrandam vtitur: vt enim ex fulgetra tonitrum antea, ita nunc fulgetram ex tonitru confirmari posse declarat: &, vt si temptasse: de stuproq; appellasse, & rem confecisse: ita si effecit, quod voluit, & antea appellasse probare possumus.

Ἔστι δὲ τούτων ἁπάντων τὰ μὲν, ἐξ ἀνάγκης· τὰ δὲ, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οὕτως ἔχοντα.

Sunt autem horum omnium quaedam necessaria: quaedam autem plerunque ita se habent.

QVAMVIS magnam vim cuncta ad persuadendum habeant, non tamen omnia necessario concludunt: partim enim necessaria sunt: partim fere saepiusq; fieri solent: nam necessario fulgetram consequitur tonitrus: non tamen semper iactis fundamentis aedificatur domus.

Περὶ δὲ τοῦ μὴ γεγονέναι, φανερὸν ὅτι ἐκ τῶν ἐναντίων τοῖς εἰρημένοις.

Cum res postulat, vt probetur rem non factam esse, perspicuum est e contrarijs horum, quae dicta sunt, disserendum esse.

CVM, quibus modis confirmari possit aliquid factum esse, docuisset, ostendit, si causa postulet, vt contra aliquid non factum esse probetur, deesse nobis non posse argumenta: e locis namque contrarijs superioribus locis, illa promi debere affirmat. Restitui autem hic, quod ab excusis libris aberat, ὅτι, inuentum a me in antiquissimo codice, a vetere quoq; tralatione expressum. vt autem sententia structuraq; verborum perfecta sit, arbitror extra intelligi debere ὑπάρχει: quo modo paulo antea locutus est, indicatis locis, vnde probetur res effici posse.

Καὶ περὶ τοῦ ἐσομένου ἐκ τῶν αὐτῶν δῆλον.

Et de futura re planum erit ex ijsdem locis.

IIDEM inquit, loci, quibus intelligitur quippiam factum esse, demonstrabunt etiam quid futurum sit: eos autem breui repetit.

Τό, τε γὰρ ἐν δυνάμει, καὶ βουλήσει ὄν, ἔσται.

Quod enim in potestate nostra, & voluntate positum est, erit.

ANTEA in excusis perperam καὶ βουλῇ ὄν: ita emendaui secutus fidem scriptorum exemplarium. Sed huius quoq; lectionis vestigia in vetere tralatione extant. Ita autem legi debere res ipsa, & superiora verba declarant: βουλὴ enim consilium valet, cum voluntas intelligi debeat. quod igitur in manu inquit, potestateq; nostra situm est, si idem volumus erit, efficieturq;.

Καὶ τὰ ἐν ἐπιθυμίᾳ, καὶ ὀργῇ, καὶ λογισμῷ μετὰ δυνάμεως ὄντα.

Et quae suadet cupiditas, & ira, & ratiocinatio, si secũ vim ac potestatẽ habuerunt.

PRAETEREA quae iubet cupiditas, & ira, & ratio: si adiunctas illae habeant vires & facultatem agendi, erunt. Esse autem hos quoq; superiores locos breui repetitos, apertum est: quamuis enim supra λογισμοῦ nomen non posuerit, illum tamen intellexit, cum de cupiditate proborum virorum locutus est: quae cum temere non feratur, sed accurate rerum rationem subducat, ita merito appellata est: voluntas namque vacua a ratione esse non potest.

Διὰ ταῦτα, καὶ εἰ ἐν ὁρμῇ τοῦ ποιεῖν, ἢ μελλήσει, ἔσται.

Ob haec, si in ipso gerendi tempore, aut futuro res erat, erit.

VT etiam horum locorum, si operam dabat vt gereret, ac iam iamq; eam rem aggrediebatur (hoc enim valere hic arbitror ἐν ὁρμῇ) aut denique si post facere aliquando statuerat, quod significari arbitror hoc verbo μελλήσει, dici potest id futurum: duos autem, si ita legatur, manifesto locos complectitur: quorum prior rei temptandae peragendaeq; propinquior erat: alter tantum facere in animo habebat: hoc enim interesse inter illos puto: μελλήσει autem, non μελήσει (vt in excusis antea erat) lego, secutus fideliores scriptos libros, vt a verbo μέλλω deriuatum sit: omnino enim hanc veriorem esse lectionem puto: ita namq; superiori huic loco respondebit, quod dixerat. καὶ εἰ ἔμελλε γίνεσθαι: nec non verbis, quae statim sequuntur. Sententia praeterea, subtiliter animaduersa, peruulgatam lectionem refellit: non enim cuncta, quae cogitamus, ac mente versamus, futura esse dicere possumus, sed quae paulo post aggressuri sumus, si futura dicimus, non absurde penitus & impudenter loquimur. Antiquissimus praeterea liber a reliquis discrepat, quod praepositio διὰ inde abest: atq; etiam particula εἰ, nec loco illius habet articulum τὸ, neutro genere: quod excusi illic antea habebant: omnisq; demum haec pars ita in eo legitur, ταῦτα καὶ ἐν ὁρμῇ τοῦ ποιεῖν ἢ μελλήσει, ἔσται, vt videatur eius lectionis intellectus hic esse: haec ipsa (vt intelligat, quae in cupiditate, ira, ratiocinatione sunt) aut tunc ipsum fieri debent, aut post aliquando fient: ita enim verba haec non diuersi a superioribus loci erunt, sed extremorum illorum trium clausula: vt ποιεῖν vsitata elegantique Atticorum scriptorum consuetudine, significatu patiendi capiatur: vetus tamen tralatio, quam posui, lectionem exprimit, ne dicam, quam probaui.

Ὡς γὰρ ἐπιτοπολὺ γίγνεται μᾶλλον τὰ μέλλοντα, ἢ τὰ μὴ μέλλοντα.

Plerunque enim fiunt magis, quae futura erant, quam quae non expectabuntur futura.

HIS verbis rationem reddit, cur illa futura esse dici possint: plerunque enim (inquit) fiunt potius ea, quae futura erant, quam quae non futura. Vnde intelligi potest, quam vim haec ratio habeat ad probandum ea futura: docet enim verisimile esse factum iri: confirmare vero videtur haec pars totam lectionem, quam recepi, non ex ea parte tantum, qua supra testatus sum.

Καὶ εἰ προγέγονεν, ὅσα πρότερον πεφύκει γίνεσθαι. οἷον εἰ συνενέφει, εἰκὸς ὕσαι.

Et si antea extitere, quaecunque prius natura solent fieri. vt si caelum nubilum factum est, verisimile est secuturam pluuiam.

HVNC etiam locum supra, diuerso tamen cum exemplo, posuit: cum enim ea iam extiterunt, quae naturae ratione antea consuerunt fieri, illud etiam consecuturum esse, quod illa antecedunt, affirmare possumus. vt si coactae sint nubes, verisimile est imbrem non multo post in terram effusum iri: nec tamen eum finem habuerunt nubes, & vt pluuiae fierent, aër in nubem concretus est.

Καὶ εἰ τὸ ἕνεκα τούτου γέγονε, καὶ τοῦτο εἰκὸς γενέσθαι. οἷον εἰ θεμέλιος, οἰκία.

Et si quod huius causa fit, factum est, & hoc verisimile est factum esse. ceu si fundamentum, domus.

PRAETEREA si, quod huius gratia fit, & vt hoc ipsum efficiatur, factum iam est, & hoc verisimile factum iri, quod prioris illius operis finis erat: exemplo autem rem illustrare volens, inquit: vt si fundamentum, & domus: nemo enim fundamentum iacit, nisi cogitans domum aedificare: quia tamen impedimenti aliquid exoriri potest, ne res perficiatur, ideo verisimile inquit: aliquando enim fundamenta iacta alicuius aedificij sunt, nihil tamen postea superextructum est.

Περὶ δὲ μεγέθους καὶ μικρότητος τῶν πραγμάτων: μείζονός τε καὶ ἐλάττονος, καὶ ὅλως μεγάλων, καὶ μικρῶν ἐκ τῶν προειρημένων ἡμῖν ἐστι φανερόν.

De magnitudine autem, & paruitate rerum, maioreq; ac minore, & omnino magnis, & paruis, ex ijs, quae iam tradita sunt, nobis perspicuum erit.

CVM magnitudinem quoq;, & exiguitatem rerum, supra docuisset e numero esse earum rerum, quae communes sunt trium dicendi generum, locus nunc erat de illis accurate disputandi: verum, quia supra in primo libro, cum deliberatiuum genus explicaret, ea tradidit, vnde reliqua quoq; genera exornari possent, sibi supersedendum esse hoc labore nunc ostendit: & quomodo res, quae vni tantum generi illic seruiebant, ad alia traduci nullo negotio possint, declarat. De magnitudine igitur (inquit) & exiguitate rerum: nec non de maiore minoreue, collatis inter se illis: demumq; de magnis rebus & paruis, ex ijs, quae iam tradita & explicata sunt a nobis, quomodo res tractari debeat, perspicuum est.

Εἴρηται γὰρ ἐν τοῖς συμβουλευτικοῖς περὶ τε μεγέθους ἀγαθῶν, καὶ περὶ τοῦ μείζονος ἁπλῶς καὶ ἐλάττονος.

Vbi enim deliberatiuum genus explicauimus, praecepimus de magnitudine bonorum, & de maiore simpliciter, & minore.

LOCVM indicat, vbi ea, quae nisi tradita illic fuissent, hic explicari oportebat, pertractata sint: quamuis non omnia, quae hic locus postulat, accurate illic, copioseq; explanarit: illa tamen ibi demonstrata sunt, vnde reliqua facile intelligi & erui possint: cum enim (inquit) deliberatiuum genus explicaremus in primo libro, egimus de magnitudine bonorum: bona enim & quae conducunt in eo tantum genere quaeruntur: nec non disputatum a nobis est, de maiore simpliciter bono ac minore.

Ὥστε ἐπεὶ καθ᾿ ἕκαστον τῶν λόγων τὸ προκείμενον τέλος ἀγαθόν ἐστιν. οἷον τὸ συμφέρον, καὶ τὸ καλὸν, καὶ τὸ δίκαιον, φανερὸν ὅτι δι᾿ ἐκείνων ληπτέον τὰς αὐξήσεις πᾶσι.

Quapropter, quia in singulis disputationibus propositus finis bonum est, veluti vtile, & honestum, & iustum, perspicuum est, inde sumendas esse amplificationes omnibus his.

NOS sane (inquit) supra de magnitudine bonorum, & de maiore bono minoreq; disputauimus: verum, quia finis, quem sibi illa proposuerunt, in singulis generibus, bonus est: &, vt vtilitas in deliberationibus, ita honestas in laudationibus, & aequitas in iudicijs bonum est, dubitare non debemus, quin ope illorum locorum, qui de magnitudine boni ac mali indicati sunt, augere fines omnium generum possimus: atq; inde sumere amplificationes, quae cunctis accommodentur, ac doceant nunc vtile maius esse, nunc honestum, nunc aequum. Discedit autem a lectione reliquorum & scriptorum & excusorum codicum antiquissimus liber: ita enim habet. ὥστε ἐπὶ τὸ καθέκαστον τῶν λόγων τῶν προκειμένων τέλος: & quae sequuntur: vetus tamen tralatio cum alijs facit. quod si vera illa lectio foret, appellasset (vt puto) προκειμένους λόγους, oratoris dictiones, quas sibi in his libris explicandas proposuit: triaq; haec genera, in quae omnem hanc artem diuisit. Particulam vero εἰ, quae in excusis antea hic erat illo in loco, οἷον εἰ τὸ συμφέρον, deleui: a scriptis enim non nullis abesse vidi. quod si locum aliquem ea illic habet, iungi cum antecedente voce debet, vt conflatur ita aduerbium οἷονεὶ: quod in vsu bonorum auctorum est: atq; idem valet, non vt duae partes orationis sint.

Τὸ δὲ παρὰ ταῦτά τι ζητεῖν περὶ μεγέθους ἁπλῶς καὶ ὑπεροχῆς, κενολογεῖν ἐστι.

Quaerere autem aliquid praeter haec de magnitudine simpliciter, aut praestantia, est inanem sermonem edere.

QVAE desiderari hic ab imperitis fortasse possent, ostendit se non sine causa omisisse: simulque qui modus in explicatione harum rerum teneri debeat, docet: neq; enim sunt cuncta subtiliter, curioseque nunc pertractanda, sed ea tantum quaerenda, quae vtilitatem aliquam oratori praebere possunt: vltra autem naturas eorum, vimque hic indagare, ceu scire velle, quid magnitudo ipsa sit, a rebus seiuncta: atque etiam praestantia, nugari est, & inanem sermonem fundere: neque enim exquisita eorum cognitio huic studio conuenit, aut fructum aliquem oratori parit. In antiquissimo autem libro varietatis hoc inueni, quod non τὶ in eo legitur, sed ἔτι: ita enim habet. τὸ δὲ παρὰ ταῦτα ἔτι ζητεῖν: nihil tamen immutaui: ceteris enim omnibus calamo exaratis, cum excusis conuenit. quod vero κενολογεῖν inquit, eodem hoc verbo vsus est in duodecimo libro metaphysicorum, cum contra aeternas illas formas, quas Plato excogitarat, differeret. " Τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα εἶναι, καὶ μετέχειν αὐτῶν τὰ ἄλλα, κενολογεῖν ἐστι: καὶ μεταφο-
" ρὰς λέγειν ποιητικάς.

Κυριώτερα γάρ ἐστι πρὸς τὴν χρείαν τῶν καθόλου τὰ καθ᾽ ἕκαστα τῶν πραγμάτων.

Maiorem enim vim habent, cum ad vsum ventum est, res singulares, quam quae in vniuersum praecipiuntur.

CVR posteriora haec nunc relinqui: superiora autem illa studiose capessi debeant, ostendit: cum enim tempus agendi est (inquit) maiorem vtilitatem affert perceptio singularium, quam eorum, quae in vniuersum sunt. Quod si naturam aliquarum rerum quaereremus, & cognitione illa contenti essemus, longe aliter se res haberet: quod enim in vniuersum fit videre, magis scientiam gignit: ars autem dicendi πρακτική, & ad agendum omnia in ea referuntur: actus autem rerum singularium sunt. Πρὸς χρείαν, ad vsum manifesto significat: ad quem potiora esse dicit, & magis valere, quae in parte fiunt.

Περὶ μὲν οὖν δυνατοῦ καὶ ἀδυνάτου: καὶ πότερον γέγονεν, ἢ οὐ γέγονε: καὶ ἔσται, ἢ οὐκ ἔσται: ἔτι δὲ περὶ μεγέθους, καὶ μικρότητος τῶν πραγμάτων, εἰρήσθω ταῦτα.

De illo igitur, quod fieri potest, & quod fieri non potest, & vtrum factum est, vel non factum, atque erit, vel non erit: amplius autem de magnitudine & paruitate rerum, haec dicta sint.

ABSOLVISSE se, quod proposuerat, docet: cunctaque, quae trium dicendi generum communia erant, explicasse: est enim haec breuis repetitio eorum, quae nuper fecit. statimque, quid consequatur hanc rerum perceptionem, ostendit: viamq;, supra etiam monstratam, vrget.

Παραδειγμάτων δὲ εἴδη δύο ἐστίν: ἓν μὲν γάρ ἐστι παραδείγματος εἶδος, τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα: ἓν δέ, τὸ αὐτὸν ποιεῖν.

Exemplorum autem species duae sunt: vna enim est exempli species, exponere res antea gestas: vna autem, ipsum fingere.

EXEMPLORVM (inquit) duae sunt species: nam & qui commemorat rem gestam, parem similemq; ei, de qua tunc quaeritur, exemplum adfert: & qui fingit aliquid eius generis, comminisciturq;, quod gestum numquam sit, & ipse exemplo vtitur: posterius autem hoc genus simplex non est, sed duas habet partes: suis autem fere illae nominibus vocantur, generisq; nomine non admodum vtuntur: siquis tamen accurate vim illarum attendat, exempla esse intelliget, exemplorumq; officium praestare.

Τούτου δέ, ἓν μέν, παραβολή: ἓν δέ, λόγοι. οἷον οἱ Αἰσώπειοι, καὶ Λιβυκοί.

Huius autē, vna quidem, collatio: vna vero fabulae. ceu Aesopicae, & Africanae.

QVI rebus gestis similibus non vtuntur, sed ipsi fingunt, duobus modis hoc faciunt: aut enim simile quippiam rei, de qua agitur, quod fieri soleat, afferunt: aut figmentis aliorum, fabulisq; peruulgatis vtuntur, quas tamen ipsis etiam, si commode hoc facere possunt, comminisci licet. Cicero in Partitionibus hanc diuisionem probauit: non tamen, quod facit Aristoteles, exempli species illius esse, quod suo ac proprio nomine ita vocatur, ac genus horum omnium est,
» declarauit. Maximam autem facit fidem ad similitudinem veri: primum, exemplum: dein-
» de, introducta rei similitudo: fabula etiam nonnumquam, & si sit incredibilis, tamen homines commouet. παραβολὴν etiam Cicero collationem appellauit: quod ex iiij. libro de finibus percipi potest. Sed id etiam testatur Quintilianus. λιβυκοὶ autem emendaui, secutus fidem scriptorum codicum: in cunctis enim excusis libris deprauate antea καὶ λιβύης legebatur: Libycae vero, siue Africanae fabulae celebres sunt. Aphthonius, cum fabulae naturam expressisset, inquit.
» καλεῖται δὲ συβαριτικὸς καὶ κίλιξ καὶ κύπριος πρὸς τοὺς εὑρόντας μεταθεὶς τὰ ὀνόματα: νικᾷ δὲ μᾶλλον αἰσώπειος λέ-
» γεσθαι, τῷ τὸν Αἴσωπον ἄριστα πάντων συγγράψαι τοὺς μύθους. Vetus Aphthonij interpres Libycas etiā fa-
» bulas appellat: inquit enim ἰστέον δέ, ὅτι εἰσίτινες, οἱ συβαριτικοὺς μύθους λέγουσι, τοὺς ἐκ μόνων λογικῶν ζώων:
» αἰσωπείους δὲ τοὺς ἐξ ἀλόγων, καὶ λογικῶν συγκειμένους: λυδίους δέ, καὶ φρυγίους, καὶ λιβυκούς, τοὺς ἐκ μόνων ἀλόγων ζώων. Idem autem Africanarum fabularum alibi etiam mentionem fecit: vt autem has Libycas a regione, locoq; vocari, ita etiam alias Cilicias, Cyprias, Caricas, Aegyptias, atq; illis nominibus, quibus supra ex verbis ipsius, a me adductis, declaratur, appellari. Dion etiam Prusiensis, nobilis sophistes in iiij. oratione de regno, & in v. etiam, quam Diogenem vocari voluit,
» λιβυκὸν μῦθον appellauit. Nec non Theon quidam rhetor, vbi de fabula agit, inquit, καλοῦνται δὲ
» αἰσώπειοι, καὶ λιβυστικοί, καὶ συβαριτικοί, καὶ φρύγιοι: & quae sequuntur.

Ἔστι δὲ

Ἔστι δὲ τὸ μὲν παράδειγμα τοιόνδε τι.

Est autem exemplum huiuscemodi quiddam.

QVAMVIS in primo libro copiose de exemplo differuerit, quomodo tamen haec probatio tractari debeat, hic ostendit: illic autem subtilius, eruditiusq; vim naturamq; ipsius explicauit. Quintilianus etiam in v. libro totam hanc partem accurate persequutus est: Animaduertendum autem hic ipsum exemplum vocare, rerum factarum enarrationem: quomodo omnes hoc nomen vsurpare consuerunt: cum enim haec pars eius, quod supra exemplum appellauit, proprio nomine careat, nomen generis sibi vendicauit: nec enim species, illae quoque, quae suum ac proprium nomen habent, nomen generis vnquam amittunt: quin & eo, vt communi tamen ipsis cum alijs rebus: minime vero proprio, vocari possint.

Ὥσπερ εἴ τις λέγοι, ὅτι δεῖ πρὸς βασιλέα παρασκευάζεσθαι, καὶ μὴ ἐᾶν Αἴγυπτον χειρώσασθαι: καὶ γὰρ πρότερον Δαρεῖος, οὐ πρότερον διέβη, πρὶν Αἴγυπτον λαβεῖν: λαβὼν δὲ, διέβη: καὶ πάλιν. Ξέρξης οὐ πρότερον ἐπεχείρησε, πρὶν ἢ ἔλαβε: λαβὼν δὲ, διέβη. ὥστε καὶ οὗτος, ἂν λάβῃ, διαβήσεται. διὸ οὐκ ἐπιτρεπτέον.

Quemadmodum, siquis diceret, oportere contra regem parari, & non sinere ipsum Aegyptum subigere: etenim antea Darius non prius in Graeciam transijt, ante quam Aegyptum caperet: postquam autem cepit, transijt: & iterum, Xerxes non antea aggressus est, quam cepit. postquam autem cepit, transijt. quapropter & hic, si ceperit, transibit. quare non esse permittendum.

CVM Persarum rex bellum inferret Aegyptijs, quidam rem illam Graecorum libertati periculosam putans, auctor ipsis erat, vt arma, resq; ad bellum necessarias contra eum compararent: nec sinerent, vt in potestatem suã Aegyptum redigeret: & ad id comprobandum genere hoc fidei vsus est: rebus enim praeteritis narratis, merito suspectum eum esse debere declarauit: superioribus namque temporibus Darius non antea in Graeciam copias traiecit, quam Aegyptum cepit: capta vero illa, traiecit. Rursusq; Xerxes, non antea Graecos subigere aggressus, quam ipsa potitus est: potitus vero, in Graeciam cũ exercitu transijt. quare & hic, qui ad id nunc se parat, Aegypto subacta, nobis bellum inferet. quapropter ratio nostrae salutis postulat, vt consilia ipsius conatusq; disturbemus: nec permittamus vllo pacto, vt Aegypto potiatur. Auctoritatem antiquissimi codicis secutus, restitui hic πρότερον, quod aliqui (vt arbitror) vacare putantes delerant, quia non multo post iterum repetitur: verum illud illic quoq; requiritur. Infra etiam, cum antea excusi haberent ὥστε καὶ νῦν, vt in eodem libro legitur, scripsi, καὶ οὗτος, cui ambobus in locis adstipulatur vetus tralatio.

Παραβολὴ δὲ, τὰ Σωκρατικά.

Collatio autem sunt disputationes Socratis.

COLLATIONIS exemplum esse possunt similitudines quaedam: quibus crebro, vt stultorum errores conuinceret, cogeretq; eos fateri se valde peccare, vtebatur in sermone Socrates: Naturam autem hic collationis huius aperte non expressit, sed illam, quae foret, allatis duabus indicauit. Clemens Alexandrinus in vj. libro στρωματέων duas ipsius definitiones attulit: quae tamen mihi Aristoteleae parabolae non respondere videntur, ac potius ἀλληγορίας vim, quam παραβολῆς, explicare: inquit enim. Διὸ καὶ τῇ μεταφορικῇ κέχρηται τῇ λέξει: τοιοῦτον γὰρ ἡ παραβολή. λόγος
» ἀπό τινος, οὐ κυρίως μὲν, ἐμφερῶς δὲ τῷ κυρίῳ, ἐπὶ τὸ ἀληθὲς καὶ κύριον ἄγων τὸν συνιέντα ἢ ὥς τινές φασι. λέξις δι' ἑτέρων
» τὰ κυρίως λεγόμενα μετ' ἐνεργείας παριστᾶσα. Interpres quoq; viij. libri Topicorum, qui, quid interesset inter exemplum ac collationẽ hanc monstrare voluit, lapsus est, tradit parabolam confirmare rem factam, cum exemplum rerum gestarum ope rem futuram probet. verba, quibus
» in euoluenda eius natura vsus est, haec sunt. ἡ δὲ παραβολὴ εἰκών ἐστιν, ὁμοιότητα πρός τι γενομένου σημαίνουσα: & exemplum namque & collationem hanc, rem futuram spectare arbitror. Discrimen autem, quod inter has probationes sit, indicauit, cum & collationes & fabellas fingi & excogitari dixerit, non e vetere memoria repeti. Idem etiam non bene sensisse videtur, quod collationem imaginem esse inquit, aut certe parum proprie locutus est: discrepant enim εἰκόνες, de quibus in tertio libro copiose aget, a collationibus: cum enim similitudines ducuntur a rebus, quae iam sunt, non quae finguntur, illae imagines vocantur, vt furentem iracundia hominem leoni similem dicere: nec exempli species imagines sunt: ad fidemq; faciendam valent, sed ad rem illustrandam atque ante oculos paene eorum, qui audiunt, ponendam, adhibentur.

Οἷον εἴτις λέγοι, ὅτι οὐ δεῖ τοὺς κληρωτοὺς ἄρχειν: ὅμοιον γὰρ, ὥσπερ εἴτις τοὺς ἀθλητὰς κληροίη, μὴ οἳ ἂν δύνωνται ἀγωνίζεσθαι, ἀλλ᾽ οἳ ἂν λάχωσιν.

Ut si quis dicat, non oportere sorte ductos magistratus gerere: simile namque esse ac siquis athletas sortiretur, non qui valeant certare, sed quibus sorte datum sit.

CEV (inquit) siquis, affirmans nullo modo magistratus sorte creari oportere, ita agat, & hoc pacto sententiam suam confirmet, is hoc genere fidei vsus fuerit: simile enim esse, ac siquis athletas in campum descensuros sumat, non qui pugnare valeant, sed qui contigerint: quorumque nomina ex vrna sorte exierint. Particulam ὅτι, quae aberat ab excusis libris, ex antiquissimo codice acceptam, expressamq; a vetere tralatione, restitui: in eodem autem libro hic quoque locus variatus est, vt illic ita legatur. ὥσπερ ἂν εἴτις τοὺς ἀθλητὰς κληροίη, οἱ μὴ δύνανται: cum eo etiam facit vetus tralatio: nihil tamen immutaui.

Ἢ τῶν πλωτήρων, ὃν ἵνα δεῖ κυβερνᾶν, κληρώσειεν, ὡς δέον τὸν λαχόντα, ἀλλὰ μὴ τὸν ἐπιστάμενον.

Siue e numero nautarum, quem decet gubernare nauim, sorte crearet, quasi deceat, qui sorte adeptus sit, & non, qui sciat obire id munus.

ALTERVM collationis exemplum, aut si forte (inquit) gubernatore mortuo, alius e numero eorum, qui in naui sunt, sufficiendus sit, eodem errore captus sorte ducat, qui gubernare nauim debeat: tamquam oporteat, qui sorte ductus sit, non qui didicerit, ac rerum maritimarum peritus sit, gubernare. Manifestam hinc notam deleui: antea enim in excusis libris ita legebatur. ὡς δὲ τὸν λαχόντα, cum δέον, confirmantibus omnibus auctoritatibus legendum sit: est autem ele-
» gans modus loquendi, & quod Isocrates etiam in panegyrico vtitur. ὥσπερ ὁμοίως ἀμφοτέρας δέον ἔχειν. Sed alia etiam scripturae varietas in antiquissimo libro repperitur: particula enim negandi non eodem loco apud eum collocata est: ita namque ille habet. ὡς οὐ δέον τὸν λαχόντα, ἀλλὰ τὸν ἐπιστάμενον: vetus tamen tralatio cum alijs facit.

Λόγος δὲ, οἷος ὁ Στησιχόρου πρὸς Φάλαριν: καὶ Αἰσώπου ὑπὲρ τοῦ δημαγωγοῦ.

Fabula autem est, qualis Stesichori aduersus Phalarin: & Aesopi super seditioso oratore.

Λόγος, fabula a Latinis scriptoribus, vel apologus appellatus est. Quintilianus libro v. Illae
» quoq; fabulae, quae, etiam si ab Aesopo originem non acceperunt: & quae sequuntur. Nam
» Cicero in ij. libro de Oratore, cum inquit. & ad hoc genus ascribamus etiam narrationes apologorum, idem intellexit: plures autem esse notiones verbi Graeci, significariq; etiam illo μύθους, docuit quoq; politissimus interpres Alexander in primo Topicorum: quo loco definitionem syllogismi diligenter perpendit: cum in excusis autem δημηγόρα antea legeretur, suadentibus omnibus paene scriptis libris, δημαγωγοῦ emendaui: ita autem vocari solitos turbulentos atque improbos oratores, & qui blanda oratione multitudini assentarentur, notum arbitror.

Στησίχορος μὲν γὰρ ἑλομένων στρατηγὸν αὐτοκράτορα τῶν Ἱμεραίων Φάλαριν, καὶ μελλόντων φυλακὴν διδόναι τοῦ σώματος, τἆλλα διαλεχθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς λόγον.

Stesichorus enim, cum Himerenses ducem suarum copiarum Phalarin, imperatorem fecissent, haberentq; in animo custodes corporis ei dare, multis iam prolatis, quae pertinerent eodem, fabulam hanc edidit.

CVM enim (inquit) Himerenses ducem suarum copiarum fecissent Phalarin, atque ipsi omnem potestatem belli administrandi dedissent, vellentq; eidem custodes corporis dare, alijs, quae reuocare ipsos possent ab eo consilio, iam prolatis, Stesichorus fabellam hanc exposuit. Non omnes autem exercituum ductores apud Graecos αὐτοκράτορες erant, ac summam potestatem rei gerendae habebant: quibus enim solis omnis fortuna belli commissa erat, eo nomine appellabantur. vnde Romani postea imperatores: quibus ea potestas data erat, a Graecis scriptoribus αὐτοκράτορες vocati sunt. Stulte igitur fecerant Himerenses, quod ducem suarum copiarum elegerant improbum ac perfidiosum hominem: ad eumq; summam imperij detulerant: & custodes etiam ipsi corporis spiculatoresq;, eodem errore ducti, petenti concedere volebant. vt si vellent postea tantam illi auctoritatem praebitam, e manu ipsius extorquere, nulla ratione possent. Stesichorus, poëta Lyricus magni nominis, & ipse Himerensis, ab eo consilio ciues suos

fabella hac reuocare conatus est. Ita quoq; locutus est Plutarchus in Dione, vbi narrat Hipparinum collegam Dionysij fuisse, cum summa totius belli ad eum imperatorem delata est, καὶ Διονυσίῳ συνάρξαντος, ὅτε πρῶτον αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὸν πόλεμον ᾑρέθη στρατηγός.

Ὡς ἵππος κατεῖχε λειμῶνα μόνος: ἐλθόντος δ' ἐλάφου, καὶ διαφθείροντος τὴν νομὴν, βουλόμενος τιμωρείσασθαι τὸν ἔλαφον, ἠρώτα τὸν ἄνθρωπον, εἰ δύναιτο μετ' αὐτοῦ κολάσαι τὸν ἔλαφον: ὁ δ' ἔφησεν, ἐὰν λάβῃ χαλινὸν, καὶ αὐτὸς ἀναβῇ ἐπ' αὐτὸν, ἔχων ἀκόντια: συνομολογήσαντος δὲ, καὶ ἀναβάντος, ἀντὶ τοῦ τιμωρήσασθαι, αὐτὸς ἐδούλευσεν ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ.

Fuisse tempus, quo equus pratum solus tenebat: eodem autem cum se ceruus contulisset, corrumperetque pascuum, volens vlcisci ceruum, e quodam homine quaesiuit, an posset, ipso socio adhibito, paenas capere a ceruo. affirmauit ille prorsus id futurum, si frenum receperit: ipseq; ascenderit in eum, iaculis armatus. condicione autem accepta, homineq; sibi imposito, pro ceruo vlciscendo, ipse seruiuit statim homini.

STVDIOSIS omnibus notum arbitror, Horatium in epistola ad Aristium Fuscum hac fabula vsum esse. Ceruus equum, pugna melior, & quae sequuntur. Pluribus tamen sententiam Graecorum verborum explanabo. Equus pratum solus tenebat, dominusq; vberrimae pastionis erat: ceruus, cum eo accessisset, pabulumq; corrumperet, aegre ferens id equus, cupiensq; ceruum vlcisci, virum quendam interrogauit, an vna cum illo facultatem animaduertendi in ceruum habiturus esset. prorsus respondit ille: si tamen ante ipse intra os frenum receperit, ac siuerit se in eius dorsum ascendere, manu gestantem iacula. cum condicionem equus non respuisset: ipseq; in eum ascendisset, res tota conuersa est, falsusque spe, quam habuerat equus: cum enim sperasset se paenas ab improbo ceruo ea ratione capturum, ipse statim homini seruire coepit. Non nulla vero hic, secutus fidem antiquissimi codicis, immutaui. vt διαφθείροντος praesenti tempore, cum praeterito antea διαφθείραντος, legeretur: & τινὰ ἄνθρωπον, cum prius τὸν ἄνθρωπον in excusis foret: sed alia quaedam etiam huiuscemodi, quae non magni omnino ponderis sunt: confirmantur autem omnia & auctoritate eius libri, & testimonio veteris tralationis. Ad hunc autem apologum respexit Plutarchus, vt arbitror, in commentario περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, cum doceret, qui semel versuram fecit, perpetuo debitorem esse, nec vllo pacto posse e foeneratoris potestate vmquam exire. vt equus accepto freno omnem libertatem amisit, nec valet in saltus prataq; illa, quae antea depascebatur libere redire.

Οὕτω δὲ καὶ ὑμεῖς ἔφη, ὁρᾶτε μὴ τοὺς πολεμίους βουλόμενοι τιμωρήσασθαι, ταυτὸ πάθητε τῷ ἵππῳ: τὸν μὲν γὰρ χαλινὸν ἤδη ἔχετε, ἑλόμενοι στρατηγὸν αὐτοκράτορα: ἐὰν δὲ φυλακὴν δῶτε, καὶ ἀναβῆναι ἐάσητε, δουλεύσετε ἤδη Φαλάριδι.

Eodem pacto & vos, inquit, videte ne inflammati desiderio hostes vlciscendi, in idem malum incidatis, in quod equus: frenum enim iam habetis, cum ducem exercitus cum plena potestate in bello creaueritis Phalarin: si autem custodes capitis dederitis, passique fueritis ipsum ascendere in vos, seruietis statim Phalaridi.

QVAM vim habeat ficta illa expositio, his verbis declarauit: ac magnopere similem esse rem, de qua agebatur, fabellae illi, docuit. quapropter timere merito ipsos debere, ne eundem quoque exitum consequatur, atque ipsi in magnum malum incidant, ac libertatem amittant, vt contigit equo. inquit igitur Stesichorus. sic & vos videte, ne, hostes vlcisci volentes, eandem calamitatem accipiatis, quam equus: res enim in eundem locum venit: nam & vos quoque frenum iam recepistis, cum elegeritis ducem vestri exercitus summo cum imperio Phalaridem. quod si corporis custodes, petenti, dederitis: permiseritisq;, vt ascendat supra humeros, seruietis subito ipsi: grauemq; dominum vosmet ipsi vobis imponetis.

Αἴσωπος δὲ ἐν Σάμῳ, συνηγορῶν δημαγωγῷ κρινομένῳ περὶ θανάτου, ἔφη: ἀλώπεκα διαβαίνουσαν ποταμὸν, ἀπωσθῆναι εἰς φάραγγα: οὐ δυναμένην δὲ ἐκβῆναι, πολὺν χρόνον κακοπαθεῖν: καὶ κυνοραϊστὰς πολλοὺς ἔχεσθαι αὐτῆς: ἐχῖνον δὲ πλανώμενον, ὡς εἶδεν αὐτὴν, κατοικτείραντα, ἐρωτᾶν, εἰ ἀφέλοι αὐτῆς τοὺς κυνοραϊστάς: τὴν δὲ, οὐκ ἐᾶν: ἐρομένου δὲ διὰ τί; φάναι, ὅτι οὗτοι μὲν πλήρεις μου ἤδη εἰσὶ, καὶ ὀλίγον ἕλκουσιν αἷμα: ἐὰν δὲ τούτους ἀφέλῃ, ἕτεροι ἐλθόντες πεινῶντες, ἐκπιοῦνταί μου τὸ λοιπὸν αἷμα.

Aesopus autem in Samo, cum oratorem defenderet, assentatorem multitudinis, qui capitis reus erat, dixit vulpem, amnem tranantem, in voraginem delapsam fuisse: nec queuntem autem inde exire, diu malo conflictatam fuisse: ricinosq; multos corpori eius haesisse: erinaceum autem vagantem, visa ipsa, misericordia commotum fuisse: interrogasseque an vellet ipsos a se auelli, quod cum negasset, causam eius rei quaesisse, dixisse, quia hi pleni mei iam sunt, parumque sanguinis sugunt. his autem demptis, venient alij, fame enecti, qui reliquum sanguinis, quod in me est, absorbent.

IDEM grauissimus auctor hoc apologo vsus est in commentario, quo disseruit, an senem hominem oporteat dare operam reipublicae: inquit enim: » ἡ μὲν γὰρ αἰσώπειος ἀλώπηξ τὸν ἐχῖνον οὐκ εἴα τοὺς » κρότωνας αὐτῆς ἀφελεῖν, βουλόμενον, ἂν γὰρ τούτους ἔφη μεστοὺς ἀπαλλάξῃς, ἕτεροι προσίασι πεινῶντες: vt autem sententiam ipsius exprimam. Aesopus, cum patrocinio suo salutem tueretur improbi ciuis, qui apud populum valuerat dicendo, quaestuiq; habuerat rempublicam, ait. vulpeculam fluuium transeuntem impetu aquarum in locum aquas absorbentem, voraginemq; eiectam, vnde cum exire nulla ratione posset, misere illic diu vitam egisse, vt ricini multi corpori ipsius haererent: Erinaceum vero forte illuc iter facientem, vt tantis malis illam conflictatam vidit, misericordia commotum, interrogasse, an vellet molestas illas bestiolas e cute ipsius euelli: commode enim se id ope aculeorum suorum efficere posse: versutam autem illam animantem pernegasse: nec vllo modo vti id faceret concessisse. admirante erinaceo causam eius rei, hanc illam reddidisse: quia hi iam saturi sunt, nec multum sanguinis sugunt. quod si hos abstuleris, accedent alij fame enecti: ac reliquum cruorem cito absument. quare praestat hos manere. Varietatis hoc inueni in antiquissimo codice, quod apud eum pro συνηγορῶν, legitur δημηγορῶν: quamuis autem vetus quoque tralatio eam scripturam sequatur, puto tamen receptam lectionem veram esse. Quos vero κυνοραιστὰς appellat vermes, quod canes maxime laedere soleant, κρότωνας vocauit Plutarchus. Homerus, vbi de cane Vlyssis loquitur, discessu heri neglecto, tradens ipsum squallidum ac male vndiq; affectum in reditu inuentum, horum etiam plenum fuisse dicit, quos eodem nomine, quo Aristoteles, appellat. » ἔνθα κύων κεῖτ᾽ Ἄργος ἐνίπλειος κυνοραιστῶν. eosdem (vt arbitror) M. Varro ricinos Latino verbo appellauit in ij. de re rustica, cum de canibus ageret, atq; » his bestiolis, quae ipsos male habere solent. Quidam nucibus Graecis, in aqua tritis, perun» gunt aures, & inter digitos, quod muscae, & ricini, & pulices solent (si hoc vnguine non sis vsus) » ea exulcerare.

Ἀτὰρ οὖν καὶ ὑμᾶς ἔφη ὦ ἄνδρες Σάμιοι οὗτος μὲν οὐδὲν ἔτι βλάπτει: πλούσιος γάρ ἐστιν: ἐὰν δὲ τοῦτον ἀποκτείνητε, ἕτεροι ἥξουσι πένητες, οἵ ὑμῖν ἀναλώσουσι τὰ κοινὰ, κλέπτοντες.

Eodem igitur pacto inquit, & vos Samij, ciues mei, hic nihil amplius detrimenti nobis adiungit: diues enim est: si vero hunc sustuleritis, venient alij pauperes, qui pecuniam publicam furtis suis dissipabunt.

HIS verbis inducitur Aesopus explicasse vim sui sermonis, & docuisse rem illam fictam ad eos valde pertinere: allato enim simili, diligenter qui fabulis his vtuntur, vt melius res intelligatur, vim ipsius exprimere solent. Ita se habet res vestra, inquit: hic enim, quem vos remouere a republica, malo consilio vtentes, cogitatis, nihil amplius damni infert, aut obest rei publicae: diues enim factus est. quod si eum interfeceritis, accedent subito alij pauperes, qui aerarium exhaurient, & publica vectigalia furtis domum auertent. Pusillis quibusdam in rebus discrepat hic antiquissimus liber a recepta scriptura: ita enim apud eum legitur. ἀτὰρ καὶ ὑμᾶς ἄνδρες Σάμιοι. οὗτος μὲν οὐδὲν ἔτι βλάπτει. in ceteris nulla varietas. vetus quoque tralatio cum illo facit. Quantam autem vim habeant ad animos imperitorum impellendos hae fabulae, & quos fructus saepe ferant oratoribus, inde quoque intelligere licet, quod Demosthenes in magno vitae discrimine constitutus, huc confugit, & ope huius probationis, & sibi & socijs eius periculi salutem procurauit: cum enim Alexander Macedonum rex, expugnatis Thebis, ab Atheniensibus petijsset, vt dederent sibi oratores, qui maxime victoriae illi suae infensi fuissent, dehortans ciues ab ea re concedenda, fabulam ipsis ouium recitauit, cum illae canes lupis tradidissent: seq; stultitia sua defensoribus spoliassent: se enim reliquosq; participes eius fortunae, similes canibus fecit, pro commodis populi sedulo pugnantibus: Alexandrum vero vnum lupum, qui hostiliter ipsos oppugnaret, atq; insidijs appeteret, appellauit. Nam quod idem etiam, eandem rem vrgens, traditur addidisse: vt saepe tritici mercatores videmus, cum specimen exemplarq; frumenti vasculo aliquo in forum gestant, paucis tritici granis productis, magnos eiusdem aceruos vendentes.

tes.

tes, sic & vos non intelligitis nobiscum vna & vos met omnes simul dedentes, collatione manifesto vsus est: aptamque tempori illi παραβολὴν excogitauit.

Εἰσὶ δ' οἱ λόγοι δημηγορικοί.

Sunt autem huiuscemodi fabulae aptae contionibus.

SVNT (inquit) apologi hi apti contionibus, accommodatiq; valde auribus multitudinis: contio enim ex imperitis hominibus constat, qui, vt Quintilianus testatur, & simplicius, quae ficta sunt, audiunt, & capti voluptate facile ijs, quibus delectantur, consentiunt. Δημηγορίαν a Latinis contionem vocari declarat Cicero, cuius haec sunt verba ex Oratore. » Ipsae illae contiones ita multas habent obscuras, abditasq; sententias. » De historia autem Thucydidis loquebatur, in quo δημηγορίας orationes, ad multitudinem habitas, vocari notum est. Quintilianus etiam libro secundo, contionalem partem dicendi appellauit, quam Graeci rhetores δημηγορικὸν γένος vocauerant.

Καὶ ἔχουσιν ἀγαθὸν τοῦτο, ὅτι πράγματα μὲν εὑρεῖν ὅμοια γεγενημένα, χαλεπόν: λόγους δὲ, ῥᾶον: ποιῆσαι γὰρ δεῖ, ὥσπερ καὶ παραβολάς.

Habentq; in se hoc boni, quod res gestas inuenire similes arduum est: fabulas autē facilius: non enim cunctandum est fingere ac comminisci, quemadmodum & collationes.

EST autem haec in illis commoditas: hoc in se boni habent, quod exempla adferre (id enim significat, inuenire res gestas, pares ijs, de quibus deliberatur) arduum est: nisi enim praeteritis temporibus pares illis, res aliquae extiterunt, nullo studio oratoris indagari possunt: nec procliue est, omnem veterem memoriam subito euoluere: multaq; vetustate obruuntur. nullum autem negotium est apologos: nisi enim habeas ab alijs excogitatos, non est cunctandum fingere: ita enim fingere comminisciq; (inquit) apologos, vt collationes, licet.

Αν τις δύνηται τὸ ὅμοιον ὁρᾶν: ὅπερ ῥᾶόν ἐστιν ἐκ φιλοσοφίας.

Siquis potuerit simile perspicere: quod minore labore fit ope studiorum sapientiae.

TAMQVAM corrigit, quod dixerat ac munit, ne falsum habeatur. intelligo inquam procliue hoc esse illi, qui facultatem habuerit similitudinem in rebus perspiciendi: non enim hoc quilibet efficere potest, sed & ingenio, & eruditione aliqua opus est: qui enim similitudinem rerum cernere nequit, is facultatem fingendi apologos, non habebit. Quare nisi aliorum narrabit, hac probatione vti non valde poterit: qui autem simile videre in rebus valet (quod qui studijs sapientiae incubuerunt, nullo labore faciunt: inde enim haec facultas comparatur) is numquam inopia apologorum laborabit.

Ῥᾴω μὲν οὖν πορίσασθαι τὰ διὰ τῶν λόγων: χρησιμώτερα δὲ πρὸς τὸ βουλεύσασθαι τὰ διὰ τῶν πραγμάτων: ὅμοια γὰρ, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὰ μέλλοντα τοῖς γεγονόσι.

Procliuius sane comparantur, quae fabulis constant: maiorem tamen fructum ferunt in deliberationibus, quae rebus gestis vtuntur: similes namque plerunque sunt res futurae rebus prius factis.

CVNCTAE res suam aliquam dotem habent, nec vlla repperitur, quae omnibus abundet: probatio haec, quae per apologos, fabellasq; has conficitur, hoc valet, quod facile comparatur: exempla tamen, omnisq; probatio, quae fit expositione rei similis, quae praeteritis temporibus gesta sit, maiorem vtilitatem in deliberationibus praestat: ijs enim animi hominum facile ducuntur, quod quae futura sunt, paria similiaq; fere sunt rebus praeteritis, ac factis.

Δεῖ δὲ χρῆσθαι τοῖς παραδείγμασι, μὴ ἔχοντα μὲν ἐνθυμήματα, ὡς ἀποδείξεσιν: ἡ γὰρ πίστις διὰ τούτων.

Opus est autem vti exemplis eum, qui derelictus est ab argumentis, vt demonstrationibus: fides enim fit horum vi.

QVO tempore: quoque modo vti debeat orator exemplis, exponit: omnemque vsum illorum accurate docet: qui simplex non est, sed pro copia, aut egestate enthymematum variatur. Si enim (inquit) facultas argumentorum non erit, ad exempla confugiendum: illisq; perinde ac demonstrationibus, idest argumentis, rationibusq;, rem ipsam probantibus, vtendum: quod enim

enim ope argumentorum fieri debebat, ab ipsis non male praestabitur: neque enim parum ad fidem faciendam valent exempla, vt, cum opus sit, enthymematum munus commode sustinere possint, resq; confirmare: cui tamen rei in primis inuenta sunt argumenta. Extremam autem sententiam, quae in omnibus excusis desiderabatur, restitui, e manu scriptis libris erutam: in pluribus autem verba illa ac melioribus, leguntur: quin vero hic mirifice conueniant, Aristotelisq; sint, dubitari non potest.

Ἔχοντα δὲ, ὡς μαρτυρίοις ἐπιλόγοις, χρώμενον ἐπὶ τοῖς ἐνθυμήμασι.

Qui autem instructus est argumentis, ijsdem, vt testimonijs, ad extremum positis, vtetur, tamquam enthymematibus.

QVI vero argumentis causam suam confirmare possit (quae vera ac certa in primis ratio est faciendae fidei) vti debet exemplis, vt testimonijs, quae tamquam argumenta illa comprobent. Ἐπίλογος, vt ex hoc, & ex inferiore loco, vbi de sententijs agit, intelligere licet, significat quidquid post rem aliquam iam explicatam, & paene transactam, quod illam ornet atque expoliat, adiungitur, & quasi decantatur. Vnde postremae quoq; partes orationum ita vocatae sunt, in quibus breui repetuntur & augentur, quae copiosius antea exposita fuerant. Testimonia igitur epilogi vim, naturamq; illa sumunt, quae rebus iam argumentorum ope confirmatis, adiungun tur: & ἐπίλογον sententiae habere dicuntur, cum eius rei ratio, quae in sententia iam pronuntiata, incredibilis videbatur, subiungitur. Sententia (nisi fallor) huius loci haec est. hoc tamen molesti restat, quod in diuersis codicibus, varie hic locus legitur: antiquissimus enim liber ita habet. ἐπὶ λόγῳ χρώμενον τοῖς ἐνθυμήμασιν: eique in hoc adstipulatur vetus tralatio: nec tamen puto, siue vnitatis numero: siue multitudinis legatur, dissectam vocem illam esse oportere. sed aut ἐπιλόγοις, aut ἐπιλόγῳ legi debere: hoc tamen interest, hoc, aut illo modo legatur, quod alterum nomen naturam quandam significat, ac per se manet: alterum e genere illo est, quae egent re, cui adponantur: quod si absit etiam praepositio ἐπὶ, quae post verbum χρώμενον in excusis, & scriptis non nullis posita est, duriora omnia videbuntur: nam sensus ipse non valde variatur: & post enthymemata: argumentisq; iam expositis, exempla adiungi debere, tamquam epilogum, accipere omnino oportebit. in fidelissimo sane illo libro, a quo antea aberat, alia manu illa reposita est: aliter tamen interpungi oratio, si scriptura haec recipiatur, debebit: notulisque hoc a superiori parte distingui: vt omnis locus ita legatur. ἔχοντα δὲ, ὡς μαρτυρίοις, ἐπιλόγῳ χρώμενον τοῖς ἐνθυμήμασι. Me vero non tam haec oratio offendit, vt penitus eam repudiandam censeam: fortasseq; ab aliquo, qui magis explanare voluerit, locus improbe contaminatus est.

Προτιθέμενα μὲν γὰρ, ἔοικεν ἐπαγωγῇ: τοῖς δὲ ῥητορικοῖς οὐκ οἰκεῖον ἐπαγωγὴ, πλὴν ἐν ὀλίγοις.

Quando enim ante collocata sunt, similia sunt inductioni. oratoribus autem non est accommodata satis, instrumentumque suum ac proprium illius inductio, praeter quam paucis admodum in locis.

IVDICIVM nunc suum confirmat, in quod vitium incideret, qui contra faceret, ostendens: exempla enim, inquit, ante enthymemata collocata, videntur inductio: oratoribus autem, ijsque, qui in foro, aut in contione dicunt, non valde apta, accommodataq; est inductio: nisi paucis admodum temporibus ac locis. Exempla, inuenta factaq; videntur ad rem, quae iam alia ratione constituta sit, comprobandam: multum enim valet ad fidem faciendam, cum argumentis res probata est, docere praeteritis temporibus illud eodem pacto factum esse: cum vero nondum rationibus argumentisue vllis re munita, adhibentur exempla, specimen illa habent inductionis. Reddere autem inductionem, eo loco posita, exempla dicit, quia, quod supra ipse tradidit, inductio principium est fidei faciendae: anteceditq; tempore syllogismum: praesidio enim inductionis multa illustrantur, quae causarum explicatione probari non possunt: ita autem explanatae sumuntur postea in ratione illa exquisita tractanda. Cum vero ῥητορικοῖς, & neutro genere dictum esse possit, vt valeat materiem, ac res oratorias, & virili: ita enim quoque oratores appellantur, putaui hic dicendi peritos significare: quin autem illa etiam sit notio huius nominis, dubitari non potest: in primo enim de moribus ad Nicomachum, cum doceret, quae ratio illius disciplinae tradendae foret, affirmans in eundem errorem incisurum, qui probaret mathematicum, vtentem rationibus ad persuadendum accommodatis, & ab oratore postularet
» certas, & exquisitas demonstrationes, inquit. Καὶ ῥητορικὸν ἀποδείξεις ἀπαιτεῖν. Plato quoque in
» Phaedro eodem sensu vsurpauit, cum ait. ἐπειδὴ λόγου δύναμις τυγχάνει ψυχαγωγία οὖσα, τὸν μέλλοντα
» ῥητορικὸν ἔσεσθαι ἀνάγκη εἰδέναι ψυχὴ ὅσα εἴδη ἔχει. Praepositionem autem ἐν restitui, quae aberat ab

excusis

excuſis libris illo loco, πλὴν ἐν ὀλίγοις: in omnibus tamen ſcriptis codicibus legitur, & a vetere quoq; tralatione expreſſa eſt. Aliud etiam immutaui, quod ἐπαγωγῇ, vnitatis numero, dandi caſu, non ἐπαγωγαῖς, vt antea legebatur, multitudinis, ſcribi volui: ſecutus autem in hoc ſum antiquiſſimum librum, ac rem ipſam: neq; enim ſingula exempla, ſingulae inductiones videri poſſunt, ſed multa exempla vnius inductionis ſpeciem habent: plurimae enim res ſimiles, vt eo modo aliquid concludi poſſit, neceſſariae ſunt: ope namque huius argumentationis productis partibus totum confirmatur. Quare certa eſſe non poteſt, niſi cunctae ita ſe habere oſtendantur: in illis enim, quae omittuntur, vitium eſſe, ac diuerſa vis, poſſet. Quomodo igitur res vna tantum geſta ſimilis praebebit inductionem, ſpecimen ve illius retinebit? Cum ipſe poſt priorem editionem, re tota diligenter animaduerſa, paene ſententiam mutauerim, in extremo huius partis interpretando, cogitari volo ab eruditis, &, qui exiſtimare de his valent, an melius ſit illud, ἐν ὀλίγοις, reddere. niſi cum verba fiunt ad paucos, ſcilicet auditores. nam contingit, oratorem aliquando dicere in paruo conuentu hominum, quo tempore non male poteſt vti ſubtiliore hac ratione, quae in turba & magna multitudine locum non habet: cum pauci autem ſunt, quibus orator operam dat, conſuerunt etiam eſſe acutiores: rerumq; peritiores, aliter tanta poteſtas recte ipſis commiſſa non foret. In alijs, quae me impulerunt, vt ita credam, alicuius eſt ponderis praepoſitio ἐν, quae (vt opinor) non conueniret illic, ſi tempus intelligi deberet.

Ἐπιλεγόμενα δὲ, μαρτυρίοις: ὁ δὲ μάρτυς, πανταχοῦ πιθανός.

Cum vero poſt eduntur, teſtimonijs: teſtis autem vbique multum valet ad perſuadendum.

EADEM vero, ſi poſt enthymemata afferantur: explicatiſq; iam argumentis adhibeantur, teſtimonia videbuntur: illic enim poſita formam ipſius illius rei habent, quam plerunque reddunt: cuncta namque exemplorum genera ſimilitudinem teſtimoniorum gerunt: ipſorum enim quoq; auctoritate, quae affirmant rem olim factam, fides acquiri rebus videtur. In xviij. quoq; problematum ſegmento docuit, magnam ſimilitudinem habere & exempla proprie appellata, & fabellas cum teſtimonijs, vbi rationem affert, cur magis exemplis, quam enthymematibus delectentur homines in oratoribus audiendis.

Διὸ καὶ προτιθέντι μὲν, ἀνάγκη πολλὰ λέγειν: ἐπιλέγοντι δὲ, καὶ ἓν ἱκανόν: μάρτυς γὰρ πιστὸς, καὶ εἷς χρήσιμος.

Quapropter ille, qui praeponit ipſa, neceſſe habet multa adferre: ei vero, qui poſtponit, vnum ſatis eſt: teſtis enim fidus, vnus quoque, fructum fert.

QVARE (inquit) qui aliter ſentit, & omnino ante argumenta exempla ponere pergit, hoc ſaltem ſeruare debet: hoc (inquam) neceſſario facere, niſi pluribus nominibus peccare vult, tenetur, vt multa dicat: inductio enim non fit, niſi multis multiſq; ſimilibus allatis, quam, vt ſupra ipſe teſtatus eſt, illic conſtitutum, reddit ac repraeſentat exemplum. Quod ſi, me auctorem ſequens, poſt enthymemata exempla dicit, vnum etiam ſatis eſſe poteſt: nam teſtis, vnus etiam, ſi modo probatae fidei ſit, multum cauſam adiuuat. Praeterquam igitur, quod alia maiora bona inde ducuntur, hoc etiam commodi in ſententia mea eſt, quod labor ita oratoris minuitur, qui in pluribus ſimilibus, aut repperiendis, aut excogitandis non paruus inſumitur. In antiquiſſimo codice varietatis hoc eſt, quod: μάρτυς γὰρ χρηστός. non, vt reliqui omnes, & excuſi & ſcripti, πιστός habet.

Πόσα μὲν οὖν εἴδη παραδειγμάτων, καὶ πῶς αὐτοῖς, καὶ πότε χρηστέον, εἴρηται.

Quot igitur ſpecies ſunt exemplorum, & quomodo ipſis, & quando vti oportet, dictum eſt.

HAEC clauſula eſt proximae ſuperioris partis, qua, quae ad exempla pertinebant, diligenter tradidit: docet enim ſe quot ſpecies exemplorum ſint: quomodoq; ipſis: quibuſq; temporibus, ac locis vti oporteat, docuiſſe. quare ad alius rei explicationem tranſit.

Περὶ δὲ γνωμολογίας, ῥηθέντος τί ἐστι γνώμη, μάλιστ᾽ ἂν γένοιτο φανερὸν περὶ ποίων τε, καὶ πότε, καὶ τίσιν ἁρμόττει χρῆσθαι τῷ γνωμολογεῖν ἐν τοῖς λόγοις.

De ratione ſententiarum, cũ traditum erit, quid ſententia ſit, maxime planum erit, de quibus rebus, & quando, & quibus perſonis conuenit in dicendo vſus ſententiarum.

QVOD ad sententias dicendas pertinet (inquit) cum quid sententia sit, declaratum fuerit, omnisq; natura ipsius euoluta, perspicuum erit, quibus de rebus, quo tempore, quibusq; personis congruit in sermone, orationeq; sententias proferre: quare demus operam, vt eam definiamus. Accurate, minuteq; disseruisse de sententijs Quintilianum libro viij. notum est. Idem non nulla etiam protulit, quae a praeceptis summi huius auctoris non abhorrent. Sed non minus erudite Cornificius in iiij. libro ad Herennium, cum de verborum exornationibus loqueretur: nam & ita definijt. Sententia est oratio sumpta de vita, quae aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breuiter ostendit: & plures Graecorum scriptorum celebres sententias Latinis verbis expressit. Quasdam etiam simplices esse dixit: quarum duae sint species, vt quae rationis nullius egent & ab Aristotele ἄνευ ἐπιλόγου vocantur, & quae confirmentur subiectione rationis, ac μετὰ ἐπιλόγου Graece appellantur: quasdam vero duplices, quae & ipsae partitionem eandem sustinent: duplicibus enim quoq; adiungi ratio potest: sineq; ratione eaedem non incommode pronuntiantur. Eum autem in hac diuisione secutus est Quintilianus: ipse enim quoq; simplices & duplices sententias appellauit, quas non tetigit Aristoteles: duplices tamen esse intelligebat: vltimum enim exemplum, quod posuit sententiarum enthymematicarum, eius generis est, quod a Cornificio duplex vocatur. Latini tamen hi dicendi doctores modicum earum vsum probant: vt enim raro interpositas magnum ornatum afferre orationi tradunt, ita nimis frequentes fastidium gignere affirmant, & nimiam tristitiam, seueritatemque prae se ferre dicentis.

Ἔστι δὲ γνώμη ἀπόφανσις.

Est autem sententia enuntiatio.

GENVS inprimis ipsius ponit, ostendens enuntiatum eam esse: qui namq; hoc facit, sensum animi sui aperit de aliqua re. Aphthonius quoq; sententiae definitionem attulit, quae non valde ab hac discrepat. nec non auctor rhetorices ad Alexandrum: quod enim Aristoteles significauit verbo ἀπόφανσις, ille, quicunq; fuit, intellexit, cum inquit. δόγματος ἰδίου δήλωσις: idest sui de ea re iudicij ac propriae opinionis explanatio: reliqua inter eos eadem.

Οὐ μέντοι περὶ τῶν καθ' ἕκαστον, οἷον ποῖός τις Ἰφικράτης, ἀλλὰ καθόλου.

Non tamen de rebus, quae singillatim fiunt, ceu qualis Iphicrates sit, sed in vniuersum.

SEIVNGIT sententiam a rebus, quae cum & ipsae sint enuntiata, proprie sententiae appellari non possunt. nec tamen dicens de hoc, aut illo facto, deq; singularibus hominibus: vt qualis vita ac moribus Iphicrates Atheniensis fuit: qui humili admodum loco natus, virtute atq; industria in altum dignitatis gradum ascendit: verum de vniuersis rebus, & quae cunctos eius generis homines complectantur: hoc enim in primis animaduertere oportet.

Οὔτε περὶ πάντων καθόλου, οἷον ὅτι τὸ εὐθὺ τῷ καμπύλῳ ἐναντίον.

Neque de omnibus, quae in vniuersum fiunt, ceu rectum contrarium esse curuo.

NON nullae quoque res, quae in vniuersum fiunt, hac notione excluduntur: nec sententiae de illis vllo pacto dici possunt. vt sunt res mathematicae, ac naturales: quamuis enim in vniuersum quippiam de ijs pronuntietur, sententia illa non erit: vt siquis rectum curuo contrarium esse dixerit: hoc namque rem omnem rectam complectitur: neque tamen ob id sententia appellatur.

Ἀλλὰ περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσὶ, καὶ αἱρετὰ, ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράσσειν.

Sed de omnibus illis, quae in vita aguntur: suntque expetenda, vel fugienda ad agendum.

CVM ostendisset, de quibus sententiae confici nulla ratione possunt, indicat, quae propria seges sit sententiarum: illarumq; materiam esse docet res, quae actionum nostrarum materia sunt: & quae aut expetimus, aut declinamus in vita: impellunt enim sententiae nos, si probae sunt, ad res vtiles honestasq; expetendas: reuocantq; a contrarijs: contra autẽ, si improbae.

Ὥστ' ἐπεὶ τὰ ἐνθυμήματα ὁ περὶ τοιούτων συλλογισμός ἐστι σχεδὸν, τά τε συμπεράσματα τῶν ἐνθυμημάτων, καὶ αἱ ἀρχαὶ, ἀφαιρεθέντος τοῦ συλλογισμοῦ, γνῶμαί εἰσιν.

Quapropter

Quapropter, quia enthymemata ferme sunt syllogismus de huiuscemodi rebus, conclusiones enthymematum & principia, dempto syllogismo, sententiae sunt.

QVARE (inquit) cum enthymemata ratiocinationis genus sint circa has ipsas ferme res, quas sententiarum syluam esse diximus, extremae ac primae partes enthymematum, quae solae nihil concludunt, sententiae sunt. Hoc, quod hic traditur, significare voluit Quintilianus, cum in- » quit. Hanc quidam, partem enthymematis: quidam, initium, aut clausulam epichirematis » esse dixerunt: qui enim partem enthymematis esse dixerunt, intelligebant & initium, & clausulam, a reliqua parte seiunctam, sententiam conficere: qui initium, quiq; clausulam epichirematis, manifesto cum summo hoc doctore sentiebant, nisi quod enthymema epichirema appellabant. κοινὸν autem addidit, quia non omnino enthymemata materiam hanc habent, sed frequenter fereq; circa facta nostra, & quae sequimur in vita, aut fugimus, versantur. Ipsas etiam has, quae in vniuersum aliquid praecipiant, intelligere debemus: aliter enim sententiae non forent: huiuscemodi namque sententias esse oportere: quae scilicet in vniuersum communiterq; aliquid iubeant, aut vetent, paulo ante ipse declarauit. Sed neque hunc sensum fuisse Aristotelis existimandum est, vt omnia principia enthymematum, aut clausulas voluerit esse sententias: neque enim id verum foret: neq; ille id vmquam pronuntiauit.

Οἷον, χρὴ δ' οὔποθ', ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ, Παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς.

Velut, Decet autem nullo pacto eum, quicunque prudens vir est, liberos eximie doctrinis excolere.

SENARII duo Euripidis e fabula Medea, ab ea ipsa pronuntiati: quibus illa suasit parentibus, ne darent operam, vt filij eximie erudirentur: non enim officium esse inquit virorum prudentium liberos in studijs litterarum diu occupatos tenere: laborareq; vt illi ad summum sapientiae perueniant.

Τοῦτο μὲν οὖν γνώμη· προστεθείσης δὲ τῆς αἰτίας, καὶ τοῦ διὰ τί, ἐνθύμημά ἐστι τὸ ἅπαν. οἷον Χωρὶς γὰρ ἄλλης, ἧς ἔχουσιν ἀργίας, Φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ.

Hoc sane sententia est. adiuncta autem causa, declaratoque, cur id ita fiat, enthymema est totum. velut Praeter enim ignauiam, quae inde abesse non potest, excitant contra se inuidiam odiosam ciuium.

QVOD igitur duobus his versiculis continetur, sententia est: si autem causa tam nouae, incredibilisq; rei allata fuerit, ex sententia causaq; coniunctis, fit enthymema: additam vero sententiae causam eius enuntiati enthymema conficere inquit, quia ad illud absoluendum requiritur propositionum altera ac conclusio: neq; confici enthymema sine ambabus potest: causa autem adiuncta, quod desiderabatur apportat: sententia namque conclusionem conficiet: causa vero propositionem implebit, siue contra: hoc vero iam plenum est enthymema. videtur autem, cum dicat ἀφαιρεθέντος συλλογισμοῦ, vocare syllogismum copulam eorum enuntiatorum: vt enim ita coniunctae concludunt ea ratione aliquid, ita distractae seorsumq; positae, nihil huiuscemodi efficiunt. Videndum autē, quomodo vocet enthymema id, quod constat e sententia & causa, quae affertur ipsius sententiae: quodq; idem valet, quomodo appellet conclusionē rationem, quae redditur alicuius admirabilis sententiae: neq; enim in exemplis, quae ponit, illa ita conformatur, vt conclusio in syllogismo, enthymemateq; conficitur: ipsum tamen loqui de enthymemate, quod est imago syllogismi, & imperfectus syllogismus, constat. nam supra inquit, ὡς ἐπὶ τὰ ἐνθυμήματα ὁ περὶ τούτων συλλογισμός ἐστιν, & quae sequuntur. Non est igitur facile ostendere, quae species syllogismi maneat in his sententijs, cum quibus causae sunt iunctae, quae causae ipsas illas sententias confirment. Rationem autem reddidit admirabilis illius sententiae Medea duobus his versiculis, qui superiores illos duos sequuntur: eorum vero sententia haec est: praeterquam enim, quod inertes fiunt: nec ab otio vmquam postea diuelli possunt, molestam periculosamque aduersus se ciuium inuidiam excitant. ciuium dixi: apud Euripidem enim quoq;, vt in manuscriptis huius operis libris ἀστῶν, non vt in excusis antea, ἀνδρῶν legitur. Nam ἀλφάνουσι, in quo verbo antea mendum erat, procul dubio legendum. Est autem ἀλφάνειν, vt veteres quoq; grammatici testantur, inuenire.

Καὶ τό. Οὐκ ἔστιν, ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.

Atque illud. Non inuenitur mortalis, qui cunctis in rebus beatus sit.

Exempla hic Aristotelem adferre sententiarum, quae cum ratione pronuntiantur, planum est: ex sententijs namq; ipsis & subiecta ipsarum ratione confici enthymema docet: sententia tamen hoc senariolo comprehensa, adiunctam, vt, debebat, rationem non habet: quae res scrupulum accurato lectori merito inijciat, cur, cum, antequam adiunctam illarum rationem adponeret, adductis duabus sententijs, infra prioris rationem afferre non curarit: posterioris vero diligenter attulerit. An omisit prioris, quod illa magis nota & peruulgata foret: erat enim initium prologi, vt testatur interpres Aristophanis: quae autem ea parte fabulae ponuntur, facilius memoriae mandari consuerunt: nam & versiculum ipsum, qui sententiam continet: & alterum etiam, dimidiatumq; tertium, quibus causa eius rei exponebatur, posuit venustissimus ille comicus in suis βατράχοις: reliqua pars versus ab interprete adducitur, qui Steneboeae Euripidis illud initium esse prodidit. vt his demum senarijs & sententia ipsa & ratio eius reddita foret. » Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ: Ἢ γὰρ πεφυκὼς ἐσθλὸς, οὐκ ἔχει βίον. Ἢ δυσγενὴς ὢν, πλούσιον » ἀροῖ πλάκα. Quorum sententia haec est. neminem mortalem inueniri, qui omni ex parte beatus sit: aut enim bono loco natus, paupertate premitur: aut infimis parentibus ortus, opimos latosq; fundos possidet. quod si haec huius inuoluti molestiq; loci explicatio non probatur, necesse (vt opinor) erit dicere, aut priorem versiculum importune huc coniectum, aut duos illos pluresue, quibus ratio sententiae ipsius redderetur, defecisse.

Καὶ. Οὐκ ἔστιν ἀνδρῶν, ὅστις ἐστ' ἐλεύθερος.

Et non est in omni numero mortalium vllus, qui liber sit.

Sententia pronuntiata ab Hecuba, cum Agamemnone loquente, in fabula Euripidis, cui ipsa nomen dedit: illic tamen οὐκ ἔστι θνητῶν, legitur: cum enim illa ab ipso auxilium petisset contra Thracum regem, qui Polydorum auaritia occaecatus necauerat, ostendit Agamemnon libenter se ei morem gesturum fuisse, nisi metueret, ne incideret in offensionem exercitus, qui amicum sibi Polymestorem existimabat. Quo audito, ingemiscens Hecuba, nullum mortalem esse inquit, qui liber esset: aut enim pecuniarum seruum esse, aut fortunae, vitaeq; condicionis: non nulla item alia, ad idem pertinentia, addidit.

Γνώμη: πρὸς δὲ τῷ ἐχομένῳ, ἐνθύμημα. Ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν, ἢ τύχης.

Sententia est: cum eo vero, quod sequitur, enthymema. Siue pecuniae enim seruus est, siue fortunae.


Cuncta haec verba, excepto senario, quae in omnibus excusis libris defecerant, e manu scriptis exemplaribus accepta, in suam sedem reposui. Vetus etiam tralatio ipsa agnoscit. sensus vero eorum (postquam indicauit superiore versiculo sententiam contineri) hic est: cum eo autem, quod sequitur, eiq; adplicatum est, enthymema. intelligit autem, quem adiungit, versiculum Euripidis: cuius sententia supra a me Latinis verbis expressa est.

Εἰ δὴ ἐστι γνώμη τὸ εἰρημένον, ἀνάγκη τέτταρα εἶναι γνώμης εἴδη.

Si iam sententia est, quod dictum est, necesse est quattuor extare species sententiae.

Si vim huius rei (inquit) naturamque vere expressimus: sententiaq; id est, quod traditum a nobis explicatumq; est, fieri non potest, quin quattuor sint species sententiarum. vt autem omnis res facilius percipiatur, descripsi totam hanc diuisionem, quam hic facit Aristoteles. nisi igitur deceptus sum, ita & genera, & partes constitui debent. Affirmat autem quattuor esse sententiarum partes, si sententia est id, quod ipse putauit, non eum esse numerum earum conclusit ex ijs, quae iam dixisset: neque enim hoc inde dilucide elicitur: quia tamen videbat animo materiam hanc, varietatemq; eius intelligebat, hoc timide dubitanterq; protulit, quae quattuor modis distincta foret. haec igitur causa fuit, nisi fallor, ne asseueraret inueniri quattuor species ipsarum, necessarioq; eas hunc numerum conficere.

Γνῶμαι.



Ἢ γὰρ μετ' ἐπιλόγου ἔσται: ἢ ἄνευ ἐπιλόγου.

Aut enim cum ratione erit: aut sine ratione.

Dvo

Dvo haec genera sunt, quae & ipsa totidem habent partes: cum ratione autem prius genus: sine ratione vero posterius a Cornificio appellatur.

Ἀποδείξεως μὲν οὖν δεόμεναι εἰσιν, ὅσαι παράδοξόν τι λέγουσιν, ἢ ἀμφισβητουμένοις.

Egent igitur demonstratione, quaecunque aliquid, quod opinionibus aduersetur, edunt, siue de quo contrariae sunt sententiae, controuersumque est.

Confirmatione aliqua egent, inquit: adnexamque eius rei rationem habere debent, quae admirabile aliquid edunt: aut de quo non omnes eodem pacto sentiunt. Παράδοξον autem vocat, quod incredibile est, ac nouum auribus omnium accidit. ἀμφισβητούμενον, de quo variae sunt diuersorum opiniones: de quo magnae controuersiae inter homines existunt. vt hi de illo hoc pacto, alij aliter sentiant. Quae ambo egere videntur confirmatione, ac sine subiectione rationis edita, exploderentur. Remoui autem, quae in medio horum verborum legebantur, αἱ μετὰ ἐπιλόγου: absunt enim ab antiquissimo libro, nec a vetere tralatione exprimuntur: arbitror declarationem quondam illa fuisse antecedentium verborum: videtur enim hic ἀποδείξεως δεόμεναι, valere, αἱ μετὰ ἐπιλόγου:

Ὅσαι δὲ μηδὲν παράδοξον, ἄνευ ἐπιλόγου.

Quaecunque autem nihil repugnans opinionibus continent, sine ratione.

Qvaecvnqve vero (inquit) nihil alienum ab opinionibus multorum continent, sine epilogo, & appendicula proferuntur: si enim planae sunt, & conueniunt iudicijs vniuersorum hominum, cur studium in illis confirmandis amplius ponatur? quidquid enim adderetur, quod ad explicandas illas pertineret, superuacaneum, atq; otiosum foret.

Τούτων δ' ἀνάγκη τὰς μὲν, διὰ τὸ προεγνῶσθαι, μηδὲν δεῖσθαι ἐπιλόγου.

Harum autem necesse est quasdam, quod prius cognitae sint, nullam in partem egere ratione.

Dividit posterius genus sententiarum, & quarum causa non redditur: duasq; species ipsarum esse tradit: sunt enim, quae explicatione non egent, quia antequam verbis illis ea res edita & explanata foret, ita se habere intelligebatur: eaq; natura ipsius esse sciebatur. Sunt etiam quarum, si non antea percepta erat, exposita tamen illa subito perfecte intelligitur: nec aliquid scrupuli in animis eorum, qui audiunt, relinquit.

Οἷον. Ἀνδρὶ δ' ὑγιαίνειν ἄριστόν ἐστιν, ὥς γ' ἡμῖν δοκεῖ: φαίνεται μὲν γὰρ τοῖς πολλοῖς οὕτω.

Veluti. Homini valere optimũ est, vt quidẽ nobis videtur: multis namq; ita videtur.

Cvivs antiqui scriptoris sententia haec sit, repperire non potui. valere optimum esse homini, quantum ipse existimare potest, inquit auctor eorum, in quo ei conuenit cum Deliaco epigrammate: cum enim, quae honestissimae: quae optimae: quae iucundissimae res forent, exponeret, optimum & ipsum esse dixit, corporis valetudinem, λῷστον δ' ὑγιαίνειν dicens. Affert autem Aristoteles causam, cur ratione hae non egeant, addens: multitudini enim ita de hac re videtur: nec aliter vulgo de hac re sentiunt.

Τὰς δ', ἅμα λεγομένας δήλας εἶναι ἐπιβλέψασιν.

Has autem statim vt editae sunt, apertas esse ys, qui in ipsas aspexerint.

Non nullae sunt, quae antea nesciebantur, eaedem tamen cum proferuntur, ilico perspicuae sunt, dummodo aliquis attendat, mentisq; aciem illuc conuertat: id enim significat, (vt arbitror) ἐπιβλέπειν. quo verbo in Topicis non semel vsus est, vt in iiij. libro ad extremum. ἔτι δ' ἐν τοῖς γένεσιν ἐπιβλεπτέον, διαιροῦντα κατ' εἴδη, μέχρι τῶν ἀτόμων.

Οἷον, Οὐδεὶς ἐραστὴς, ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.

Veluti, Nullus est amator, qui non semper amet.

Evripidis versiculus e Troadibus, pronuntiatus ab Hecuba, cum Menelao loquente, suadenteq; illi, ne in eadem naui, qua ipse vehebatur, imponi Helenam pateretur: quod reformidaret, ne extinctus longinquitate temporis, ac tanta iniuria ignis, rursus accenderetur, quod fieri soleret: nemo enim (inquit) vmquam amator fuit, quin, quod semel amarit, perpetuo amarit: hanc enim huius senarij sententiam esse credo. Menelaus sane ipse admiratus est hanc sententiam,

nec statim assensus est: putabat enim ob atrocia facta, ac nefariam amicarum suarum mentem posse omnem amorem in amatorum animis deleri, in acerbissimumq; odium conuerti. quod tamen ipse postea cum suo magno dedecore falsum fuisse expertus est. Eundem hunc Euripidis senarium adducit in libris de moribus ad Eudemum.

Τῶν δὲ μετ᾽ ἐπιλόγου, αἱ μὲν ἐνθυμήματος μέρος εἰσίν, ὥσπερ. Χρὴ δ᾽ οὔποθ᾽, ὅστις ἀρτίφρων.

Illarum, quae rationem adnexam habent, hae quidem enthymematis pars sunt, quemadmodum. Decet autem nullo pacto eum, quicunque prudens est.

VT sententias, quae cum appendice nulla dicuntur, partitus fuerat: duasq; ipsarum species esse demonstrarat, ita nunc, quae confirmantur subiectione rationis, diuidit: eundemq; numerum esse partium ipsarum ostendit, cum inueniantur, quae enthymematis pars sint: aliae autem, quae multum retineant enthymematis: vnde enthymematicae merito vocantur: priorum harum vim exemplo declarat, sumpto e Medea Euripidis, quo antea etiam vsus fuerat: integrum autem locum breuitatis causa non adducit. Sententia itidem incredibilis haec Plauti est. quare ratione eius reddita, confirmata a comico fuit: nec vna sane illa. Male meretur, » qui mendico dat, quod edat. Nam & id, quod dat, perit: & illi producit vitam ad miseriam. Non sine causa igitur a vetere Christiano scriptore exagitata est.

Αἱ δ᾽, ἐνθυμηματικαὶ μέν, οὐκ ἐνθυμήματος δὲ μέρος: αἵπερ καὶ μάλιστα εὐδοκιμοῦσιν: εἰσὶ δ᾽ αὗται ἐν ὅσαις ἐμφαίνεται τοῦ λεγομένου τὸ αἴτιον.

Hae vero enthymematis vim habent: non enthymematis autem pars sunt: quae sane maxime probantur. sunt vero hae, in quibus perspicitur causa eius, quod dictum est.

POSTERIVS membrum sententiarum μετὰ ἐπιλόγου, exponit, quas enthymematicas appellat: quod plenum omnino explicatumque enthymema non contineant: magnam tamen illius speciem prae se ferant: sunt enim (inquit) huiuscemodi illae, in quibus causa apparet, intelligiturq; eius vocis. Verbo autem ad id, quod voluit, significandum, valde apto vsus est. ἐν ὅσαις ἐμφαίνεται. In quibus, si attendas, tamquam impressa cernitur causa, quae te ita sentire ac loqui facit. Quod autem has praecipue probari dicit, vnde etiam ipsis tanta gratia parta sit, facile intelligitur: sunt enim breues: breuitas autem mirifice delectat: & scientiam gignunt: si non patefacta ratione eius dicti, ita tamen indicata ac demonstrata, vt nihil dubij in animo eorum, qui audiunt, relinquant.

Οἷον ἐν τῷδε. Ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε, θνητὸς ὤν.

Veluti in hoc. Immortalem iram non custodias, mortalis cum sis.

CVIVS antiqui poëtae hic senarius sit non repperi: nec in eum alibi adhuc incidi. sensus ipsius apertus est: admonet enim hominem auctor ipsius, ne immortalem iram seruet, cum mortalis ipse sit, sed eam tempore frangi ac discuti patiatur. Ad hanc autem sententiam allusit (vt opinor) Cicero, cum in oratione pro C. Rabirio Posthumo inquit. » Neque me vero paenitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere.

Τὸ μὲν γὰρ φάναι, μὴ δεῖν φυλάττειν τὴν ὀργήν, γνώμη: τὸ δὲ προσκείμενον, θνητὸν ὄντα, τὸ διὰ τί λέγει.

Dicere namque non oportere custodire iram, sententia est: quod autem additum est, mortalem existentem, cur id fiat, ostendit.

NON esse ἄνευ ἐπιλόγου, sed habere adiunctam rationem, superiorem sententiam, probat: si enim inde duo verba ablata sint, quin sententia, quae restet, sit, negari non potest. Illa autem illic, vbi posita sunt, otiosa non sunt, sed rationem eius vocis aliquo modo afferunt. aduerbium ἀεὶ non reperitur in antiquissimo libro: neq; illud item exprimit vetus tralatio. Sensus vero sine illo manet: sed ab eodem exemplari absunt etiam verba haec τὴν ὀργήν: breuitatis (vt puto) causa, relicta: & sane intelliguntur, quamuis posita illic non sint.

Ὁμοίως δὲ καὶ τό. Θνατὰ χρὴ τὸν θνατόν: οὐκ ἀθάνατα τὸν θνατὸν φρονεῖν.

Similiter autē & illud. Mortalia decet mortalem, non immortalia mortalē sapere.

SIMILEM

SIMILEM (vt opinor) hanc vocem dicit superiori, quia in ipsa quoq; causa eius, quod dicitur, apparet: si enim auctor ipsius dixisset, decet vnum quemque mortalia consilia animo versare, sententia sine ratione fuisset: cum vero, admonens hominem condicionis suae, addiderit, mortalem natum, alterius generis sententia facta est: & causam adiunctam habet: non tamen ita explicatam, vt enthymema inde conficiatur: enthymema namque seiunctas propositionem, & conclusionem habet, non implicatas: enthymema enim fuisset, si ita separata membra ipsius posuisset. Homo est mortalis. debet igitur mortalia consilia animo versare. Rursusq; (est enim, vt supra indicaui, e genere haec earum sententiarum, quae duplices a Cornificio, & Quintiliano vocantur.) Homo est mortalis. immortalia igitur ac sempiterna consilia versare animo non debet. Ex parte autem illa, quae causam continet ac prae se fert, minor propositio efficitur. Huius vero sententiae mentionem quoq; fecit in x. libro de moribus ad Nicomachum, & auctores ipsius (quamuis nomine eos non appellarit) exagitauit, qui rem inutilem ac detrimentosam suasissent hominibus: quam tamen recipit Horatius in delicato ac molli carmine: & ipse accusans amicum, quod in sempiternis rebus cogitandis occupatus toto animo foret.
» Quid aeternis (inquit) minorem consilijs animum fatigas.

Φανερὸν οὖν ἐκ τῶν εἰρημένων πόσα τε εἴδη γνώμης, καὶ περὶ ποίων ἕκαστον ἁρμόττει.

Perspicuum igitur est ex ijs, quae dicta sunt, quot sunt species sententiae, & de qualibus rebus singulae species apte dicuntur.

OMNEM hunc locum se iam explesse, exponit: cunctaq;, quae ad sententias edendas pertinebant, docuisse: ex ijs enim, quae iam explicata erant, & quot species illarum essent, & quibus singulae rebus conuenirent, manifesto percipi: breui tamen ea repetit, ac sensum huius loci aperit: siquid desiderabatur ad certiorem eius intelligentiam, addens.

Περὶ μὲν γὰρ τῶν ἀμφισβητουμένων, ἢ παραδόξων μὴ ἄνευ ἐπιλόγου.

De ijs namque, quae ancipites sunt, siue admirabiles, non sine ratione.

HOC firmum (inquit) tenere debemus, ac perpetuo seruare, cum sententias edimus de rebus, de quarum natura, aut homines inter se controuersentur, aut omnino sensu opinioneq; ab illis dissentiant, ne absque epilogo, explicationeque rationis eas pronuntiemus: illo enim modo prolatae, reicerentur, nec fructum vllum ferrent oratori, sed potius fidem ei auctoritatemque eriperent.

Ἀλλ' ἢ προθέντα τὸν ἐπίλογον, γνώμῃ χρῆσθαι τῷ συμπεράσματι.

Sed siue praeponentem rationem, vti sententia pro conclusione.

QVAE confirmantur rationis explicatione sententiae, quod aut incredibiles, aut controuersae, plenaeq; dissensionum sint, non vnius generis sunt: nam & praepositã, & subiectam rationem habere possunt. exemplum ambarum ponit, locum Euripidis, quem supra poëtae verbis retulit, nunc ipse conformans, & quemadmodum ipsi commodum est, pronuntians: non enim Medeam sequitur, quae sententiam antea protulit, postea confirmauit.

Οἷον εἴ τις εἴποι. ἐγὼ μὲν οὖν, ἐπειδὴ οὔτε φθονεῖσθαι δεῖ: οὔτ' ἀργὸν εἶναι, οὔ φημι χρῆναι παιδεύεσθαι.

Veluti si quis dicat. Ego igitur, quia opera danda est, ne inuidia contra te excitetur, neve ignauus fias, aio non oportere litteris expoliri.

ANTECEDIT ita ratio confirmatioq; sententiam: consequitur ac conclusionis locum obtinet, ipsa sententia. quoniam (inquit) summo studio debemus inuidiam declinare, & omnem existimationem ignauiae aufugere: ignaui enim inertesq; ab imperita multitudine existimantur, qui sapientiae incumbunt, non est danda opera studijs litterarum.

Ἢ, τοῦτο προειπόντα, ἐπειπεῖν τὰ ἔμπροσθεν.

Siue hoc praeponentem, adiungere quae prius dicta sunt.

SIVE, cum hoc antea protuleris, idest non est danda opera studijs litterarum, postea dicere atq; adiungere, quae nunc nos primo loco posuimus: idest, declinanda est inuidia, & quae sequuntur. vt fecit Medea ipsa apud Euripidem.

Περὶ δὲ τῶν μὴ παραδόξων: ἀδήλων δὲ, προστιθέντα τὸ διότι στρογγυλώτατα.

De ijs vero, quae admirabiles non sunt: incertae tamen, addentem causam maxime rotunde atque concinne.

QVOD si quippiam (inquit) aliquando pronuntiari debet, quod non omnino repugnet opinionibus reliquorum, veruntamen habeat in se aliquid obscuri, nec planum apertumq; sit, cum etiam verbis expositum fuerit, media quaedam via tenenda est: neq; enim ita comprobare id oportet, & epilogum adiungere, vt si foret e genere illorum, quae aduersantur iudicijs multorum: neque etiam non aliquo modo explicare. Explicatio igitur adhibenda est, & causa eius dicti afferenda, sed paucis & eleganti quodam modo. Arbitror autem ipsum intelligere sententias, quas enthymematicas supra vocauit: inspicitur enim in illis, non copiose narratur, causa eius rei, vt ipse supra tradidit atque exemplis illustrauit. Cum autem hic in excusis antea τὸ διὰ τί legeretur, emendaui, vt in scriptis omnibus inueni τὸ διότι: quin autem hoc rectum sit, causamque significet, dubitari non potest. στρογγυλώτατα vero valet (vt opinor) aptissime, & admodum concinne: vt quasi orbem quendam conficiat, quod non minus orationem validam acremq;, quam politam atq; elegantem reddit. Cicero quoq; rotunde dixit, cum ornatum sermonis significare vellet, vel structurae potius concinnitatem. In iiij. de finibus. » A te quidem apte, ac rotunde: quippe habes enim a rhetoribus.

Ἁρμόττει δ' ἐν τοῖς τοιούτοις καὶ τὰ Λακωνικὰ ἀποφθέγματα.

Congruunt autem huiuscemodi locis voces Laconicae.

LOCIS illis ac temporibus, quibus congruunt sententiae, congruunt etiam non nulla breuia & acuta dicta: quibus praecipue Laconum gens vtebatur. Plutarchus libellum confecit ex vocibus ab eius nationis hominibus commode breuiterq; pronuntiatis: & λακωνικὰ ἀποφθέγματα inscripsit. Hic tamen intelligit Aristoteles, non tantum Laconum dicta, sed aliarum etiam nationum, quae & breuia & plena sapientiae forent: ita autem vocabantur, quod imitarentur morem Laconum.

Καὶ τὰ αἰνιγματώδη. οἷον εἴ τις λέγοι, ὅπερ Στησίχορος ἐν Λοκροῖς εἶπεν. ὅτι οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶν, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν.

Et quae sunt instar aenigmatis. vt si quis dicat, quod Stesichorus apud Locrenses dixit. non oportere contumeliosos esse, ne cicadae humo canant.

VOCES etiam quaedam, quae habent abditos & obscuros sensus, huic negotio sunt aptae, ac poterunt commode loco sententiarum poni: non temere enim haec accipiunt, qui audiunt: nec sine causa praecipere ipsa quippiam arbitrantur. Vt ea obscurior vox, qua vsus est Stesichorus poëta, cum Locros castigaret, & a contumeliosa improbaq; agendi ratione vellet absterrere: significauit enim obscure, quod incommodum illos sequeretur, qui contumelia aduersus potentes fortunatosq; populos ac reges vterentur: agri enim postea ipsorum deuastantur, & omnes ita inde arbores excinduntur, vt vbi considant cicadae non habeant, sed humi cogantur cantilenam illam suam exercere. In v. libro de natura animalium narrauit auctor non nasci cicadas, vbi arbores non forent. Eandem autem hanc vocem retulit in commentario de elocutione Demetrius Phalereus, deq; ea copiosius disputauit. vnum est, quod inter ipsos non conuenit: a Dionysio enim, Siciliae tyranno, non a Stesichoro poëta pronuntiatum Phalereus narrat. Qui autem aliquem perterrere vult, si obscure malum, quod ei minitatur protulerit, facilius, quod vult, efficiet. Eustathius quoq; in iij. Iliadis, cum locum illum interpretaretur, τεττίγεσσι ἐοικότες, huius, quod per notas significarit, quod voluit, dicti mentionem fecit: & eundem auctoris ipsius, quicunq; is fuit, sensum animi fuisse putat.

Ἁρμόττει δὲ γνωμολογεῖν ἡλικίᾳ μὲν, πρεσβυτέροις.

Congruit autem sententias edere, aetate quidem seniorem.

QVOS maxime deceat sententijs in dicendo vti, nunc tradit: hoc enim quoque diligenter spectandum supra ostenderat: ac posse ex definitione sententiae intelligi. Docet igitur ad senectutem vergere oportere eum, qui sententias edat: illiq; praecipue aetati conuenire vsum earũ. » Quintilianus hoc etiam tangit. Ne passim, & a quocunq; dicantur: magis enim decet eos, in » quibus est auctoritas: vt rei pondus etiam persona confirmet: quis enim ferat puerum, aut » adolescentulum, aut etiam ignobilem, si indicet in dicendo, & quodam modo praecipiat?

Περὶ δὲ τούτων, ὧν ἔμπειρός τις ἐστιν.

De ijs autem rebus, quarum ille peritus est.

NEC quilibet etiam natu grandis, recte potest sententias in dicendo pronuntiare: requiritur enim aliud: vt scilicet peritus sit rerum, de quibus praecipit alijs: & magnum vsum earum habeat: duo enim coniungi debent, vt auctoritatem sententiae adipiscantur: grauitas aetatis, & scientia eius rei, de qua sententiae dicuntur: aliter maximis vitijs laborant, vt ipse ostendit.

Ὡς τὸ μὲν, μὴ τηλικοῦτον ὄντα, γνωμολογεῖν, ἀπρεπὲς, ὥσπερ καὶ τὸ μυθολογεῖν: τὸ δὲ περὶ ὧν ἄπειρος, ἠλίθιον, καὶ ἀπαίδευτον.

Quoniam, ne tantillum quidem existentem, sententias edere indecorum est: quemadmodum etiam fabulas comminisci: de ijs vero, quarum vsum nullum habet, ineptum est, atque rude.

AETATEM excludit parum idoneam: vtque facilius probet, qui ad senecturem vergant, solos idoneos esse sententiarum auctores, docet quam absurda res foret, si contra fieret, & aliqui tenerae omnino aetatis sententias ederent: τηλικοῦτον enim hic tantillum, vt Terentius Adelphis inquit, significare arbitror. Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestaui meis: ita enim quoq; Plato id verbum cepit, cum in Menexeno inquit. καὶ ἄρχειν ἡμῶν ὦ θαυμάσιε ἐπιχειρεῖς τὴν πρεσβυτέρων, τηλικοῦτος ὤν: primae vero parti respondet. Ita autem inquit indecorum puero est, sententias effutire, vt fabulas recitare. Fabellarum sane auditione delectantur pueri: non tamen ipsis fabulas fingere, aut narrare congruit. quod vero adiungit. Stultum autem est, rudisq; ingenij proprium, & quod non leuiter etiam degustarit, quomodo singulae res tractari debeant, sententias proferre de rebus ignotis: quarumq; vsum nullum habeat, ad secundam hoc partem refertur.

Σημεῖον δ' ἱκανόν: οἱ γὰρ ἀγροῖκοι μάλιστα γνωμοτύποι εἰσί, καὶ ῥᾳδίως ἀποφαίνονται.

Signum huius rei est satis planum: agricolae enim maxime rusticique homines, cudunt sententias, & facile enuntiant.

SIGNVM huius rei non malum est, quod hebetis scilicet ingenij homines soli, nec bonis artibus exculti sententias edant de rebus, quas cognitas non habent, quod agrestes, rusticiq; homines tamquam sententias cudunt, & quasi praecepta quaedam semper fundunt: id enim faciunt ob stultitiam, & grauiorum rerum ignorationem. qui autem pares ingenio illis sunt, eodem vitio laborant. Postremum hoc, quod additum fuit, est declaratio illius antecedentis iuncti verbi, quod quasi translatum est: γνωμοτύποι enim proprie dicerentur, qui, vt verbum ipsum valet, fingunt sententias, & tamquam e forma aliqua exprimunt, moreq; quarundam artium fabricant ipsas. quod sane ipsi non faciunt: significatur enim ita facilitas illius rei: poniturq; ante oculos, quam sine timore vllo, aut cura maiore stulte hoc gerant.

Καθόλου δὲ μὴ ὄντος, καθόλου εἰπεῖν, μάλιστα ἁρμόττει ἐν σχετλιασμῷ, καὶ δεινώσει.

Cum vero id vniuerse tale non est, vniuerse dicere, maxime congruit in conquestione, & exacerbatione.

HIC μάλιστα reposui, sumptum e manu scriptis codicibus. Quod alijs temporibus ferri non posset, sed vt falsum exploderetur, aut saltem non valde probaretur, si certis temporibus fiat, laudem meretur, ac maxime conuenit: cum enim aliqua res in vniuersum ita se non habet, si quis omnibus vsu venire idem dicat, cum aut miseram suam fortunam stomachatur: secumque omnino male agi queritur, aut acerbitatem alicuius facti exaggerat, reprehensione caret: conceditur enim in primis illis, qui ita animo affecti sunt, vt mentiantur atq; innocentes quoq; in crimen vocent, quod improbum iniquumq; alias est: magna namque vis est harum perturbationum: ac magnitudo mali, quo premuntur, si falso etiam quaedam proferant, causa illius esse existimatur, vt non solum venia digni sint, sed ea ratione facilius efficiant, quod volunt. Hoc autem optimos quosq; poëtas cognitum habuisse, ac diligenter seruasse, planum est: Ariadna enim apud Catullum, cum de iniuria Thesei quereretur, omnes amatores accusauit. Iam iam nulla viro iuranti femina credat: Nulla viri speret sermones esse fideles. Hecuba apud Euripidem, cum Vlyssem, eloquentem hominem, ingrati animi crimine insimularet, oratores omnes immemores beneficiorum esse dixit: accusationis suae aculeum in illos conuertens.

Ἀχάριστον

» Ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους ζηλοῦτε τιμάς, μὴ δὲ γινώσκοιθ' ἐμοί. Sexcenta alia exempla huius rei facile afferri possent.

Καὶ ἐν τούτοις, ἢ ἀρχόμενον, ἢ ἀποδείξαντα.

Atque his, siue initio, siue cum aliquis iam demonstrauit.

Vt supra in sententijs fieri ostendimus, siue antequam confirmetur res, initioq;: siue post rem explicatam, conclusamue. Ariadna sane, antequam id in amatore suo vitium esse demonstrasset in vniuersis manere pronuntiauit: causam autem statim exposuit, quae ad hoc flagitium omnes perduceret.

Χρῆσθαι δὲ δεῖ καὶ ταῖς τεθρυλλημέναις, καὶ κοιναῖς γνώμαις, ἂν ὦσι χρήσιμοι.

Vti autem oportet, & peruulgatis, & communibus sententijs, si fuerint tempori vtiles.

Debemvs etiam vti peruulgatis, communibusq; sententijs, si causam nostram adiuuant: nec solum ipsi fingere ac nouas conformare: recipientur enim illae, probabunturq;. Intelligit autem quasdam priscorum sapientum voces, quibus illi aliquid ad vitam honeste integreq; traducendam hominibus praeceperant. cuiusmodi sunt, quas Phocylides collegit, ac versibus exposuit: illae namque praecipue hoc nomine vocabantur. Quod testatur etiam Quintilianus
» his verbis. Antiquissimae sunt, quae proprie, quamuis omnibus idem sit nomen, sententiae
» vocantur: quas Graeci γνώμας appellant.

Διὰ γὰρ τὸ εἶναι κοιναί, ὡς ὁμολογούντων ἁπάντων, ὀρθῶς ἔχειν δοκοῦσιν.

Quia enim communes sunt, tamquam assentientibus omnibus, recte se habere videntur.

Cavsam affert, cur oporteat etiam, cum ratio nostrae causae postulat, vsurpare sententias quasdam celebres, quamuis etiam id, quod ab ipsis praecipitur, non omnino verum sit: vndeq; habeant, vt fide illae dignae videantur, cum huiuscemodi sint, ac possint etiam multum persuadere docet: quia enim (inquit) communes sunt, tamquam omnium consensum meruerint, rectae, & vtiles in vita esse creduntur: quae namque in omnium communi vsu sunt, videntur etiam communi omnium iudicio comprobari: neq; tamen id necessarium est.

Οἷον παρακαλοῦντι εἰς τὸ κινδυνεύειν, μὴ θυσαμένους. Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Ceu hortanti ad proelium commouendum eos, qui litare non potuerint. Augurium vnum omnium optimum est, pugnare pro patria.

Vt qui hortatur ad proelium conserendum, quamuis litari non potuerit, versu Homerico vti potest. est autem in xij. libro Iliadis ab Hectore pronuntiatus, Polydamantem augurem contemnente. eius autem sententia a Cicerone, vt arbitror, expressa est in Catone maiore. Opti-
» mis auspicijs ea geri, quae pro reip. salute gerantur. Eum quoq; versum traditur pronuntiasse
» Epaminondas, cum exta ante pugnam Leuctricam nihil propicij significarent Thebanis: ille enim fortis vir ac sapiens huiuscemodi superstitionem despicere consuerat. vnde Demosthenes quoque ijsdem rebus remorantibus, cum proelium cum Philippo committi deberet, ad auctoritatem ipsius confugit, iubens Thebanos recordari Epaminondae ipsorum ciuis, cuius numquam optima consilia impedire haec res solebant: quamuis Aeschines in accusatione Ctesiphontis Demostheni obiecerit, ipsum in certum ac manifestum periculum ciues sociosq; coniecisse, qui pugnam committi voluerit aduersantibus dijs: appellauit enim ipse quoq; ἄθυτα ἱερά, cum tristia exta fuissent, cum litari non potuisset. θύσασθαι enim non imolare tantum, verum etiam propicia inde omnia sperare, ac rem diuinam rite perficere: ad exitumq; perducere, videtur significare.

Καὶ ἐπὶ τὸ ἥττους ὄντας. Ξυνὸς ἐνυάλιος.

Ad idemque, eos, qui viribus inferiores sunt. Communis Mars.

Avt, cum pares copijs, virtuteq: aduersarijs non sunt, pugnam tamen committi volunt, versu hoc Homeri vtentur: qui item ab Hectore in xvij. Iliadis pronuntiatur. Cicero quoque in vij. libro epistolarum ad Atticum Graecum verbum vsurpauit: sententiam autem eius Latinis

verbis

» verbis exposuit in iij. libro de Oratore. Martem belli esse communem. & in oratione pro » P. Sestio. Homini studioso fortasse victoriae, sed tamen nimium communem Martem, belliq; » casum metuenti.

Καὶ τὸ ἀναιρεῖν τῶν ἐχθρῶν τὰ τέκνα, καὶ μηδὲν ἀδικοῦντα.

Et ad inimicorum hominum liberos intermendos, & si nihil culpae admiserint.

AVT siquis (inquit) hortatur quempiam ad liberos etiam, innocentes, tollendos, quum patrem interfecerit, peruulgata sententia consilio suo auctoritatem adiunget: id enim, quamuis atrox immaneque consilium sit, peruagata tamen voce subleuatur. Tantam autem vim esse censet Aristoteles in communibus his vocibus, vt deterrimae etiam causae ope illarum confirmari possint, vt haec, qua nulla nefarior, ac consceleratior: nam, quin mediocres, siue bonae: siue malae mirifice etiam his adiuuentur, nemini dubium esse potest. & hoc est, quod supra significare voluit, cum inquit, sententias peruagatas communesq; posse etiam saepe vtiliter vsurpari: easque, quamuis improbae sint, rectas existimari, quia videantur ab omnibus comprobari, cum » in ore omnium sint: idem etiam tradidit Cicero in Partitionibus. Ad commouendos autem » animos maxime proficient, si incitandi erunt huiusmodi sententiae, quae ad explendas cupidi- » tates, aut ad odium satiandum, aut ad vlciscendas iniurias pertinebunt: manifesto enim huiuscemodi quippiam intellexit.

Νήπιος ὃς, πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείποι.

Stultus est, qui, interfecto patre, filios viuos relinquit.

HVNC quoq; versum posuit in primo horum librorum ad extremum, cum prouerbia quaedam vim testimoniorum habere doceret: cum autem illic tradiderim Philippum Macedonem ipsum crebro pronuntiare solitum, accipiendus est, quem deuicerunt Romani, non Alexandri pater. Liuius enim quoq; narrat sententiam hanc valde ipsi probatam fuisse, vt cum multos necasset, atque omni genere crudelitatis vsus fuisset, diceret, aliter se saluum esse non posse, nisi huic sententiae paruisset. Verba ipsius haec sunt in x. lib. de bello Macedonico, & Asiatico, non longe » a principio. His ferox animus omnes homines, omnia loca temporaq; suspecta habebat, postre- » mo negare propalam coepit, satis tutum sibi quicquam esse, nisi liberos eorũ, quos interfecisset, » comprehensos in custodia haberet, & tempore alium alio tolleret. Clemens Alexandrinus in v. Stromate Stasini poëtae illum esse ostendit: vbi de furtis Graecorum scriptorum agit. Euripides quoque eandem sententiam diuersis verbis protulit in Andromacha: ita enim indu- » cit Menelaum loquentem. Καὶ γὰρ ἄνοια μεγάλη, λιπεῖν Ἐχθροὺς ἐχθρῶν: ἐξὸν κτείνειν Καὶ φόβον » οἴκων ἀφελέσθαι. Ille quoq; improbus rhetor, vel sceleratus potius, qui a Ptolemaeo adhibitus est in consilium, cum deliberaretur de Cn. Magno, postquam argumentis confirmauit tollendum eum esse, postulareq; hoc salutem eius regni, orationem suam prouerbio clausit: dixitque νεκρὸς οὐ δάκνει, quo significabatur nihil incommodi accipi posse a mortuo.

Ἔτι ἔνιαι τῶν παροιμιῶν, καὶ γνῶμαι εἰσιν. οἷον παροιμία, ἀττικὸς πάροικος.

Praeterea quaedam prouerbia sententiae quoque sunt. veluti prouerbium. Atticus inquilinus.

HVNC quoq; locum valde variatum offendi in antiquissimo libro: neq; enim ille, vt excusi & scripti alij, quos vidi, οἷον μαρτυρίαι habet: sed οἷον παροιμία: quam scripturam etiam sequitur vetus tralatio. sensus vero horum verborum apertus est, ac lectio fortasse verior & integrior, vt tradiderit non nulla praeterea prouerbia vim sententiarum habere, atque vtiliter posse vsurpari, cum aliquid alicui praecipere ac suadere volumus: cuius generis est prouerbium illud. Atticus inquilinus: quod dici consuerat de molestis hominibus, ac qui damno afficerent vicinos. Non omnia igitur prouerbia eam naturam habere vult, vt loco sententiarum poni possint: alia enim vis est sententiarum: alia prouerbiorum, diuersaq; haec inter se sunt: non ita tamen discrepantia, vt quaedam etiam prouerbia non inueniantur, quae vsum sententiarum expleant, atque admoneant, quomodo se in vita homines aliqua in re gerere oporteat. nec tamen non alteri illi quoque lectioni locus esse potest, vt dixerit quaedam prouerbia etiam sententias esse, vt quae testimonia sint, atque inde fidem auctoritatemque trahant: nam prouerbia genus esse testimoniorum certum est, & ipse id in extremo primo libro tradidit, vbi probationes artificij expertes, explicauit: hoc tamen videtur huic lectioni repugnare: si namque id habent prouerbia, vt vsum sententiarum explere possint: quod testimonij speciem habeant, cuncta prouerbia, non certa quaedam, id praestare posse viderentur: omnia namque testes referunt, atque aliquid ita se habere confirmant.

Δεῖ δὲ τὰς γνώμας λέγειν καὶ παρὰ τὰ δεδημοσιευμένα.

Non est etiam cunctandum sententias proferre contra peruulgatas voces.

NON est etiam cunctandum (inquit) sententias proferre aduersus receptas, peruulgatasq; voces: non tamen hoc temere facere oportet, sed cum ex illarum insectatione, aut mores, ingeniumque tuum melius videri debet, aut animo commotus es: aliter peccares: non enim est tutum dissentire, aut a iudicio, opinioneq; sapientissimorum, qui earum auctores fuerunt: aut a consensu multitudinis, quae illas mirifice probat. Huiuscemodi est hoc Menedemi Terentiani. aut illud falsum est, quod vulgo audio Dici diem adimere aegritudinem hominibus: Nam mihi quidem cotidie augescit magis De filio aegritudo. quod quia repugnabat opinioni peruulgatae, & creditae verae, studuit comprobare exemplo sui ipsius, quae mala insulsaq; ratio est aliquid refellendi: neque enim, quod vni contingit, infirmare valet, quod plerunq; fit. sed erat ille, vt cognomen, impositum ipsi a poëta, testatur, admodum commotus animo.

Λέγω δὲ δεδημοσιευμένα, οἷον τὸ, γνῶθι σαυτόν: καὶ τὸ, μηδὲν ἄγαν.

Voco autem peruulgatas voces, qualis illa est, Nosce te ipsum, & Nequid nimis.

NEQVIS praecepto hoc perturbetur, quod non bene intelligat, quae δεδημοσιευμένα: in oreque multitudinis posita appellet, exponit accurate, quid illo verbo accipi velit: neq; id facit explicatione nominis, quod tunc planum erat ac nemini ignotum, sed afferendo exempla vocum sententiarumq;, quae notae omnibus, ac peruulgatae merito dicantur esse. Quid enim tam commune omnibus, quam duae hae sententiae, quas attulit: vt, quamuis semper diuinissimae plenissimaeq; sapientiae existimatae sint, tamen neminem imperitum hominem atq; vnum de populo fallant: vt ea etiam de causa non male posteriorem earum Terentius a seruo pronuntiari fecerit, cum ita Sosiam in Andria induxit loquentem: » Nam id arbitror adprime in vita » esse vtile, vt nequid nimis, quamuis eo nomine iniuste a criticis olim insimulatus fuerit: quod, quid deceret personam serui, non viderit. priorem autem, qua praecipiebatur, vt quisq; se cognosceret a Chilone ferunt editam.

Ὅταν ἢ τὸ ἦθος φαίνεσθαι μέλλῃ βέλτιον, ἢ παθητικῶς εἰρημένον ᾖ.

Quotiescunque vel natura moresque videri debeant inde meliores, vel commoto animo dictum id fuerit.

DECLARATA vi nominis, quo vsus fuerat, interruptam sententiam absoluit: cumque duo tempora sint, quibus liceat peruagatas voces insectari, primum docet id faciendum esse, cum indoles naturaq; nostra melior inde videri debet: qui enim sententias improbas criminatur, ex insectatione ipsarum vir probus esse iudicatur: talisq; eorum oratio declarat ipsos animo abhorrere ab illis existimationibus ac factis.

Ἔστι δὲ παθητικῶς μὲν, εἴ τις ὀργιζόμενος φαίη, ψεῦδος εἶναι, ὡς δεῖ γινώσκειν αὑτόν. οὗτος γοῦν εἰ ἐγίνωσκεν αὑτὸν, οὐκ ἄν ποτε στρατηγεῖν ἠξίωσεν.

Est autem commoto animo dictum, veluti siquis iratus affirmet, falsum prorsus esse, quod fertur, oportere semet ipsum nosse: hic namque, si semet ipsum nosset, numquam se dignum, qui exercitum duceret, existimasset.

POSTERIORIS primum exemplum ponit. παθητικῶς dicet, qui ira percitus, ita loquetur. falsum est omnino, quod aiunt, debere homines se ipsos nosse: hic enim profecto si se ipsum cognosset, numquam praetor ducere exercitum voluisset. Dici hoc potuit de Iphicrate Atheniensi, summo imperatore, qui cũ humili loco natus esset, vtilis reipublicae ciuis fuit: hic enim, si natales suos spectasset, ab omni publico munere sibi temperasset, nec tot commoda resp. ex eius prudentia, virtuteq; cepisset. Dici autem a laudatore ipsius, contra accusatores vituperatoresq;, cum vehementius eos confutare vellet, ac stomacharetur aliquos inueniri, qui illi ignobilitatem obijcerent: vbi sunt, qui aiunt oportere vnum quemq; se ipsum nosse: & quae sequuntur. Sophocles quoq; initio Trachiniarum, summo animi dolore affectam Deianiram, induxit probatam omnibus sententiam reprehendentem, cum dicat se primis temporibus aetatis intelligere potuisse calamitosam ac grauem vitam suam: peruulgata autem vox affirmet ante supremum diem non posse vere de ea re statui atq; existimari: quod enim sedato animo sine culpa loqui non potuisset, commoto licuit illi recte proferre.

Τὸ δὲ ἦθος βέλτιον, ὅτι οὐ δεῖ, ὥσπερ φασί, φιλεῖν ὡς μισήσοντα, ἀλλὰ μᾶλλον μισεῖν ὡς φιλήσοντα.

Mores autem meliores, si quis ita egerit, nullo modo decet, quod aiunt, diligere tamquam sis osurus: sed potius odisse, tamquam sis amaturus.

MITE ingenium indicabit, qui contra sententiam Biantis ita disseruerit. Nullo modo oportet ita amare, vt aliquando sis osurus, verum potius ita odisse, vt aliquando sis amaturus. Exagitatam autem esse sapientis illius Priennensis hanc vocem a Cicerone in Laelio, supra indicaui, vbi eiusdem, de natura indoleq; senum agens, mentionem fecit.

Δεῖ δὲ τῇ λέξει τὴν προαίρεσιν δηλοῦν.

Opus est autem verbis declarare voluntatem ac sensum animi sui.

VALDE in excusis hic locus deprauatus erat: ita enim antea legebatur, δεῖ δὲ τῇ ἕξει τὴν προαίρεσιν συνδηλοῦν: manu scripti meliores hanc ipsam lectionem retinent, quam secutus sum. Eam vim inquit, oportet in verbis, orationeq; inesse, vt indicet, aperiatq; quid animo probemus ac sequamur. Et scripturam, & notionem hanc eius confirmat ipse, cum infra inquit, ἦθος δ' ἔχουσιν οἱ λόγοι, ἐν οἷς δήλη ἡ προαίρεσις. Duobus autem modis tradit mores aspergi orationi, disputando contra sententias peruagatas, & quae aliquid improbum, nefariumque suadeant: aut si verbis locutioneq; ipsa, quid probes aut eligas, declares, vt in illa manifesto perspiciantur sensus animi tui: aut si causam afferas eius rei, & doceas quid est, quod impellit, vt ipsas accuses: quodque vitium illae in se contineant, aperias. Videntur autem ambae hae, dispares non nihil inter se rationes, quae infra ostenduntur, exemplum esse, non modi eius, cum oratione patefit sensus animi, & iudicium, sed illius, cum causa affertur: in ambabus enim ratio reddita est, vt morata oratio alia sit. adiuuat hoc, quod infra docet, cuiusmodi sit oratio morata, quod facere illic non oportuisset, si exempla illius posuisset.

Εἰ δὲ μή, τὴν αἰτίαν ἐπιλέγειν. οἷον ἢ οὕτως εἰπόντα, ὅτι δεῖ φιλεῖν, οὐχ ὥσπερ φασίν, ἀλλ' ὡς ἀεὶ φιλήσοντα.

Sin autem, causam adferre. ceu vel ita agentem, oportet diligere, non quomodo aiunt, sed vt semper amaturum.

QVOD nisi elocutio ipsa hoc facit, causam adiungere, quae aperte doceat, cur id non probes, simulq; mores tuos optimos, ab omniq; prauitate alienos declaret: causa enim quoque eius rei allata hoc praeclare facit. Vt hic autem ἐπιλέγειν αἰτίαν inquit, iuncta cum verbo praepositione ἐπί, ita quoque in viij. libro Topicorum, cum plures modos ostenderet, quibus in disserendo aliquis aduersarium deterreret, ac minus promptum redderet ad refellendum: ait enim in alijs χρήσιμον δὲ καὶ τὸ ἐπιλέγειν, ὅτι συνήθες καὶ λεγόμενον τὸ τοιοῦτον, idest ad extremum ponere. Exemplis vero totam rem confirmat. primum est eius, qui contra sententiam receptam Biantis ita disputet. oportet diligere, non eo animo, quo aiunt non nulli, verum illo potius, vt cogites te semper amaturum.

Ἐπιβούλου γὰρ θάτερον.

Insidiatoris enim alterum est.

IN maiore, melioreq; parte scriptorum librorum ἐπιβούλου legitur: quam lectionē sequitur etiam vetus tralatio. vnde ipse quoque eam probaui. excusi antea ἐπιβουλία habebant: quod enim laudauit Bias, ac diligenter seruandum esse admonuit, non amici, sed insidiatoris & vafri cuiusdam hominis officium est. Quin autem his verbis ratio eius vocis reddatur, dubitari non potest. exemplum igitur est posterioris rationis, cum qua mente animoq; dicat, oratione eius, qui dicit, non indicatur: sed causam is sui iudicij exponat oportet: cur, a ceteris dissentiens, receptam probatamq; aliquam sententiam criminetur. Duobus autem modis id fieri posse ostendit: quorum is prior est: a contrario, quod vult, manifesto probans.

Η ὧδε. οὐκ ἀρέσκει δέ μοι τὸ λεγόμενον: δεῖ γὰρ τόν γ' ἀληθινὸν φίλον, ὡς φιλήσοντα ἀεί, φιλεῖν.

Vel ita. Non placet autem mihi, quod fertur: oportet enim verum amicum, vt amaturum semper, diligere.

POSTERIOR

POSTERIOR modus, quo sui iudicij, qui contra peruulgatam vocem dicit, rationem reddere potest. Vis autem argumentationis huius est in officio veri amici declarando: in eadem enim Biantis sententia refellenda manet: exponit autem, quae sint partes ipsius, vt probet, qui ab illis se remouet, peccare. quod fecisset profecto, qui Biantis auctoritatem secutus, ita amasset, vt aliquando esset osurus.

Καὶ οὐδὲ τὸ, μηδὲν ἄγαν: δεῖ γὰρ τοὺς γε κακοὺς ἄγαν μισεῖν.

Et neque illud, Nequid nimis: oportet enim mortales malos valde odisse.

QVOMODO huic etiam receptae sententiae contraria sententia repugnet, docet, vt mores dicentis, sensusq; animi illius oratione exprimantur: & cum duabus rationibus id fiat, exemplum hoc illius est, cum causa reddita aliquis iudicium suum confirmat: non tamen hic modos duos conficiendi id exponit, sed vno contentus est, qui posteriori supra allato similis esse videtur: ostendit enim, quod officium sit proborum virorum. Sed nec illius (inquit) sententiam probo (ἀπὸ κοινοῦ namque repeti debet οὐκ ἀρέσκει μοι) qui ait, Ne quid nimis: officium enim est honestorum hominum improbos magnopere odisse.

Ἔχουσι δ' εἰς τοὺς λόγους βοήθειαν μεγάλην.

Continent autem ad dicendum praesidium magnum.

SENTENTIAE multum adiuuant loco positae, magnumq; fructum oratori ferunt: duabus autem de causis tantum illas fructum ferre ostendit: quae enim fallere multos potuisset, atque ignorari vtilitas, nisi indicata origo ipsius foret, ab eo diligenter tradita, expositaq; est. Nam quod ad huiuscemodi sermonem pertinet, quod ἔχειν βοήθειαν dixit, idem in viij. libro Topicorum inquit. Καὶ πρὸς τὸ ἐλέγχειν μεγάλην ἔχει βοήθειαν.

Μίαν μὲν δὴ διὰ τὴν φορτικότητα τῶν ἀκροατῶν.

Unum quidem ob insolens de se iudicium, vanumque eorum, qui audiunt.

ALTERA illorum nascitur ab ingenio vano: indoleque auditorum, qui valde rebus suis delectantur, atque inani opinione prudentiae capiuntur: gaudent enim ipsi secum, si forte orator, in vniuersum de aliqua re dicens, incidat in opiniones, quas illi in parte de ijsdem rebus habent, ac cum ipsis sentire videatur: hoc enim tamquam argumento vtuntur sui acuminis, quod ipsi quoque antea a nullo admoniti eodem pacto de eadem re sentiebant, atque in vno alteroue experti fuerant id esse verum. Φορτικότης (nisi fallor) hic valet indolem naturamque vanam, & quae inani specie sapientiae teneatur, vt merito risum alijs de se praebeat: φόρτος enim risus quoque, quo aliquem despicientes vtimur, vocari solet, vt Aristophanes eo verbo vsus est. ipse in primo libro de moribus ad Eudemum, de artibus non nullis accurate loquens: earumq; vim naturamq; euoluens, φορτικὰς esse inquit, τὰς πρὸς δόξαν πραγματευομένας μόνον: idest quae ad opiniones hominum captandas, ventumq; ac gloriam tantum exercentur.

Χαίρουσι γὰρ, ἐάν τις, καθόλου λέγων, ἐπιτύχῃ τῶν δοξῶν, ἃς ἐκεῖνοι κατὰ μέρος ἔχουσιν.

Gaudent enim, si forte aliquis, in vniuersum dicens, attigerit opiniones, quas illi singillatim habent.

QVOMODO aliquis non magno suo labore conciliet sibi auditores: inducatq; illos, vt facile sibi assentiantur, docet. quia sunt (inquit) multi huiuscemodi ingenio, ideo prolatione hac sententiarum persuadentur: laetitia enim afficiuntur, si, qui dicit in vniuersum rem, eam ita se habere affirmet, vt illi in parte se habere antea secum statuerant. Si generatim probet opiniones illas, ac veras esse in omnibus tradat, quas ipsi singillatim de aliquibus rebus habebant. Ἐπιτυχεῖν τῶν δοξῶν significat consequi & adipisci sensus eorum atque opiniones: ita sentire de aliqua re, vt ipsi sentiunt: incidere forte in illas: valet enim ἐπιτυγχάνειν propositum finem in vna quaq; re adipisci, & non deijci illo atq; depelli.

Ὃ δὲ λέγω, δῆλον ἔσται ὧδε: ἅμα δὲ καὶ πῶς δεῖ αὐτὰς θηρεύειν.

Quod autem dico, planum apertumque erit hoc pacto: simulque, quomodo oportet ipsas venari.

QVIA obscurior fortasse fui (inquit) pluribus, quid sentiam, exponam: sed ex accuratiore quoq; huius rei explicatione, idest cum planum factum fuerit, quid hominibus vsu venire soleat, aliud etiam

etiam commodum extabit: ostendam enim, quo modo opiniones eorum, qui audiunt de singulis rebus, sensusq; animi sententiarum hac prolatione, captare oporteat: cum eorum autem existimationes iudiciaq; tenebimus, poterimus, quae illis conueniant, atq; ipsas comprobent, nullo negotio sententias conformare. Quod vero in excusis antea αὐτοῦ hic erat, mutaui, & muliebri genere αὐτὰς restitui: secutus autem sum antiquiss. librum, cui assentitur etiam vetus tralatio: intelligi autem sententias, perspicuum est. Θηρεύειν, translato a venatoribus verbo, indagare atque captare significat.

Ἡ μὲν γὰρ γνώμη, ὥσπερ εἴρηται, καθόλου ἀπόφανσίς ἐστι: χαίρουσι δὲ καθόλου λεγομένου, ὃ κατὰ μέρος προϋπολαμβάνοντες τυγχάνουσιν.

Sententia enim, vt dictum est, enuntiatio est, quae vniuerse aliquid tradit. gaudent autem, cum audiunt in vniuersum aliquid edi, quod ipsi prius particulatim tale esse existimant.

OMNEM ortum huius laetitiae diligenter exponit: alteq; rem repetit: sententia enim (inquit) vt supra demonstratū est, cum inuolutam eius in verbo vim explicaui, in vniuersum de aliqua re enuntiatio est, gaudent autem mirifice auditores, cum in vniuersum ab eo, qui dicit, affirmari intelligunt, quod ipsi antea in parte verum esse credebant: ita enim opiniones suas confirmari sentiunt, ipsiq; sibi ipsis sapientiores esse videntur. Hoc autem pacto affectos animos eorum, oratores, quo volunt, facile ducunt: cum enim bonis suis omnibus homines admodum delectentur, non parua laetitia afficiuntur, acumine ingenij sapientiaq; putantes se valere: leuibus autem saepe de causis tam praeclaram sibi dotem asciscunt, ob ingenij vanitatem: quod & infra hoc ipso in libro indicauit, vbi de genere illo enthymematum loquitur, quod vt ab oratore incipit explicari, totum percipitur ab auditoribus: nam praeterquam, quod aliud in se illud bonum habet, adiungit ipse gaudere eos, qui audiunt, opinione suae sollertiae, quod ea, quae tota adhuc edita non sunt, potuerint prouidere. Duo autem hic restitui: cum enim in excusis antea, & non nullis scriptis codicibus, & λεγόμενον, & ὑπολαμβάνοντες, legeretur, prioris nominis casum correxi: patrio namq; casu legi manifesto debet: posteriori vero propositionem adiunxi: immutationum autem harum scriptos meliores libros auctores habeo.

Οἷον, εἴ τις γείτοσι τύχοι κεχρημένος, ἢ τέκνοις φαύλοις, ἀποδέξαιτ' ἂν τοῦ εἰπόντος. Οὐδὲν γειτονίας χαλεπώτερον, ἢ ὅτι, Οὐδὲν ἠλιθιώτερον τεκνοποιίας.

Veluti, si quis vicinis, aut filijs malis vsus fuerit, probaret vtique eū, qui dixit, Nihil esse magis arduum, quam vicinitas sit: & Nihil stultius, quam liberis operam dare.

VT tota res melius percipiatur, exempla adfert: nullo enim modo vult rationem hanc, quam tantam in se habere vtilitatem putat, ignorari: exempli gratia, inquit. Si quis malos vicinos, aut filios improbos habeat, probet oratorem, qui in cursu orationis dicat. Nihil magis arduum, molestumq; esse vicinitate, aut magis stultum, quam procreare liberos. Prior sane sententia initium hexametri est: cuius vero poëtae, compertum non habeo. Sententiam sane ipsam, parum immutatis verbis, protulit Demosthenes in oratione aduersus Calliclem, quod ager eius, cui causam scripsit, laesus a vicino foret: qui enim inde incommoda non parua acceperat, erupit subito in hanc vocem, atq; inde orationem auspicatus est, vt nihil odiosius malo vicino, iniustoq; esse affirmaret. οὐκ ἦν ἄρα ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι χαλεπώτερον οὐδὲν ἢ γείτονος πονηροῦ, καὶ πλεονέκτου, τυχεῖν. Vidit quoque sapientissimus vir Themistocles, quantum incommodi caperetur a malo vicino: & notum etiam alijs de hac re iudicium suum esse voluit: cum enim praedium venderet, iussit praeconem clamare, vicinum illic bonum esse. Quae sequitur etiam & ipsa quoque in vniuersum enuntiatio est, qua affirmatur Nihil stultius homines facere, quam ducere vxorem, & liberis operam dare, ob infinitas molestias, quae inde suscipiuntur: summo enim studio malum quaerere, ac sponte procurare sibi multa grauiaq; negotia, insulsi prorsus, & hebetis ingenij hominis esse videtur.

Ὥστε δεῖ στοχάζεσθαι πῶς τυγχάνουσι ποῖα προϋπολαμβάνοντες.

Quapropter opus est conijcere aliqua via, quid prius sentiant de singulis rebus ij, apud quos verba facimus.

QVI igitur commode hoc facere poſſe volunt, & ex hac animaduerſione magnum fructum capere, operam dare debent, vt intelligant, quid ſentiant, iudicentque de ſingulis rebus ij, ad quos verba facturi ſint. quod cum cognorint, de ijſdem illis rebus generatim dicere oportebit, & cum animis ipſorum concordare: verumtamen, quia certa aliqua ratio hoc percipiendi non eſt: diuerſaeq; res hoc praeſtare poſſunt, difficultatem huius rei ſignificans, vel incertam potius viam illam conſequendi, inquit, στοχάζεσθαι πῶς. conijcere aliqua ratione, quam ipſe indicare non poſſum, quia variatur variatis temporibus ac perſonis. Aduerbium autem πῶς, quod ad hunc ſenſum explendum neceſſarium eſt, reſtitui, acceptum ex antiquiſſimo libro: lectionem vero hanc confirmat vetus quoq; tralatio. Quantam autem vtilitatem afferat oratoribus cognitos habere ſenſus eorum, apud quos dicit, declarat etiam Cicero in ij. libro de Oratore his verbis.
» Omni mente in ea cogitatione, curaq; verſor, vt odorer quam ſagaciſſime poſſim, quid ſentiant,
» quid exiſtiment, quid expectent, quid velint. Qui ſane & ipſe ita locutus eſt, ſi diligenter attenditur, vt manifeſto intelligatur huius rei obtinendae difficultatem vidiſſe: magnus enim labor eſt occultas aliorum volutates cernere.

Εἶθ' οὕτω περὶ τούτων καθόλου λέγειν.

Deinde ſic de his in vniuerſum dicere.

ID autem cum cognoueris, quod illi in parte ſentiunt, iudicantque, generatim proferre: ita enim animos eorum arripies, & in omnibus rebus tibi aſſentiri coges. Praepoſtere antea οὕτως εἶτα legebatur. auctoritatem ſcriptorum codicum, & rem ipſam ſecutus, ordinem commutaui, & locum reſtitui.

Ταύτην δὲ δεῖ μίαν χρῆσιν ἔχειν τὸ γνωμολογεῖν, καὶ ἑτέραν κρείττω: ἠθικοὺς γὰρ ποιεῖ τοὺς λόγους.

Hanc autem vnam oportet vtilitatem eſſe ſententias edendi: & praeterea alteram meliorem: reddit enim orationes moratas.

DEMONSTRATA iam altera eſt vtilitas (inquit) quam neceſſario adferunt ſententiae, ſi quis recte illis vti ſciet. Haec autem nunc repetit, quia cum ſupra ſe hoc facere velle oſtendiſſet, multa poſtea in medium inculcarat: aliter enim poſterior vtilitas, quae nunc exponitur, ita a priore hac, quae iam tradita eſt, diuulſa fuiſſet, vt obſcuritatem res allatura fuerit, niſi ſuperiora illa verba, vt ipſa hac ratione coniungeret, repetiſſet: χρῆσιν autem nunc vocat, quam ſupra βοήθειαν appellauit. Huic vni iam rei ſeruit pronuntiatio ſententiarum, & auxilio ipſius hoc boni conſequimur: ſed alium etiam meliorem vſum praebet, quod moratam orationem reddit: facitq; vt in oratione ipſius appareant mores dicentis.

Ἦθος δ' ἔχουσι λόγοι, ἐν ὅσοις δήλη ἡ προαίρεσις: αἱ δὲ γνῶμαι πᾶσαι τοῦτο ποιοῦσι, διὰ τὸ ἀποφαίνεσθαι τὸν τὴν γνώμην λέγοντα, καθόλου περὶ τῶν προαιρετῶν.

Mores autem habent orationes, in quibus aperta eſt, planaque voluntas: ſententiae autem cunctae hoc praeſtant, quia qui ſententiam edit, enuntiat in vniuerſum de rebus, quae ſunt expetendae.

QVAE orationes mores habere dicantur, exponit: huiuſcemodi autem eſſe (inquit) vniuerſas illas, in quibus electio eius, qui dicit, impreſſa perſpicitur: quod efficere ſententias omnes affirmat: &, quomodo id verum ſit, docet, his verbis. Quia qui ſententiam edit, praecipit atque indicat in vniuerſum, qui ſenſus ipſius ſit de rebus, quae expetuntur, ac fugiuntur in vita: aliter illa ſententia non foret: debere namque animi hanc enuntiationem omnia eius generis complecti, ac materiam habere res bonas ac malas ad vitam degendam accommodatas, ſupra demonſtrauit. Quod vero in excuſis antea hic erat ἐν οἷς, emendaui ἐν ὅσοις. & paulo poſt vbi: αἱ γὰρ γνῶμαι legebatur: αἱ δὲ γνῶμαι. Sed etiam praepoſitionem immutaui: cum enim ijdem haberent, ἀπὸ προαιρετῶν, feci vt eſſet περὶ προαιρετῶν: caſtigationum autem harum omnium auctores habui, & antiquiſſimum librum, & veterem tralationem. lectio praeterea haec magis mihi quadrare viſa eſt ſententiae Ariſtotelis: nam extremum ſuperiorum verborum non variaui, quamuis viderim ſcriptos plures, in quibus προαιρέσεων legatur: receptam enim lectionem veriorem puto: quae confirmatur etiam a vetere tralatione.

Ὥστε, ἂν χρησταὶ ὦσιν αἱ γνῶμαι, καὶ χρηστοήθη φαίνεσθαι ποιοῦσι τὸν λέγοντα.

Quapropter,

Quapropter, si sententiae probae fuerint, efficiunt, vt qui dicit, boni ingenij esse putetur.

QVARE (inquit) si sententiae probae fuerint, & bonae indolis proborumq; morum videri faciunt oratorem: nec dubium est, quin improbae malaeq;, prauum etiam ingenium declarent dicentis: quod tamen non addit, quia de vtilitate commodoq;, quod e sententijs ducitur, disserit: illud autem damnum non mediocre afferret, si existimaretur orator indicio suae orationis, naturae indolisq; malae.

Περὶ μὲν οὖν γνώμης, καὶ τί ἐστι, καὶ πόσα εἴδη αὐτῆς, καὶ πῶς χρηστέον αὐταῖς, καὶ τίνα ὠφέλειαν ἔχει, εἰρήσθω τοσαῦτα.

De sententia igitur, & quid est, & quot species ipsius sunt: quomodoque decet ipsis vti, & quid emolumenti in se continent, tot dicta sint.

OMNI hac disputatione absoluta, se ad exitum eius peruenisse demonstrat: breuiq;, vt solet, repetit, quae tractata sint: se namque & vim ipsius, in verbo inuolutam explicasse, & quot eius species sint, indicasse ostendit: nec non, qui modus in illis vsurpandis adhibendus sit: ad extremumq;, quam vtilitatem haberent. Quod in excusis antea hic erat ποτὲ, variaui, & πῶς scripsi, secutus & antiquissimi libri auctoritatem, & veteris tralationis testimonium, quamuis initio huius explicationis, temporis, quo dicendae sententiae forent, mentionem fecerit, atque illo ipso aduerbio vsus sit: nam, quomodo etiam in oratione adhibendae sint, manifesto declarauit: & alia quoq; commemorat nunc se docuisse, quae a primo non proposuit, vel cuncta potius haec ab illis diuersa sunt.

Περὶ δὲ ἐνθυμημάτων, καθόλου τε εἴπωμεν, τίνα τρόπον δεῖ ζητεῖν, καὶ μετὰ ταῦτα τοὺς τόπους.

De enthymematibus autem in vniuersum dicamus, quomodo quaerere oportet, & post haec locos.

CVM supra sibi agendum iam esse ostendisset de communibus probationibus, quae ad fidem faciendam pertinent, proprijs singulorum generum explicatis: duoq; illa esse tradidisset, exemplum & enthymema: nec non praeuertendam sibi docuisset scientiam exemplorum, hac quoq; parte perfecta, ad enthymemata venit: quae quomodo tractare nunc cogitet, exponit: generatim enim prius cuiusmodi illa esse debeant, & quae ipsorum forma materiesq; sit, docet: deinde singillatim locos, vnde ducantur, indicare vult: haec autem multum inter se discrepant.

Ἄλλο γὰρ εἶδος ἑκατέρου τούτων ἐστίν.

Alia namque species est vtriusque horum.

NON vnam, eandemq; rationem esse putat & modi, viaeq;, quam tenere debet, qui enthymemata indagat, & locorum sediumq; ipsorum, sed diuersas. quare merito sibi separatim de vtraque agendum fuisse tradit.

Ὅτι μὲν οὖν τὸ ἐνθύμημα συλλογισμός τίς ἐστιν, εἴρηται πρότερον: καὶ πῶς συλλογισμός: καὶ τί διαφέρει τῶν διαλεκτικῶν: οὔτε γὰρ πόρρωθεν: οὔτε πάντα δεῖ λαμβάνοντα συνάγειν.

Enthymema igitur syllogismum quendam esse, prius dictum est, & quomodo syllogismus, & quid discriminis inter ipsum sit, & dialecticos syllogismos: neque enim e longinquo, neque omnia oportet sumentem colligere.

CVM de enthymematibus agere instituerет, haec in primis videnda erant, nisi prius accurate tractata fuissent: quod ipsum nunc indicat: breui tamen non nulla tangit, quae in primo libro copiosius exposuit: syllogismi enim (inquit) speciem esse enthymema iam declaraui, & quae ipsius ratio sit: est enim imperfectus syllogismus, & vsum eum praebet oratori, quem dialectico syllogismus. Sed etiam quibus in rebus discrepent a dialecticis oratorij syllogismi, traditum est: neq; enim nimis remota seiunctaq; a re, de qua agitur: neq; cuncta sumentem, nihilq; relinquentem, conflare syllogismum oportet, ac concludere, quod velis: cuius rei etiam caussam affert, quamuis in primo horum librorum eam vberius explanarit.

Τὸ μὲν γὰρ, ἀσαφὲς, διὰ τὸ μῆκος: τὸ δὲ, ἀδολεσχία, διὰ τὸ φανερὰ λέγειν.

Alterum enim horum obscurum propter longitudinem: alterum autem garrulitas, quia plana apertaque dicantur.

E LONGINQVO petere propositionem, obscuritatem gignit, propter loci distantiam: omnia vero complecti, vt obscuritas tollatur, resq; apertior fiat, garrulitas est: multa enim ita plana, perspicuaq; dicuntur: quod committere, vitium hoc in se habet.

Τοῦτο γὰρ αἴτιον, καὶ τοῦ πιθανωτέρους εἶναι τοὺς ἀπαιδεύτους τῶν πεπαιδευμένων ἐν τοῖς ὄχλοις.

Haec enim causa est, cur imperiti apud fecem populi facilius persuadeant, quam eruditi viri.

CVM aliud ageret, hoc etiam, quod multi quaerebant, explicat: non pauci enim mirabantur, nec inuenire poterant, vnde fieret, vt imperitorum orationi magis, quam eruditorum hominum a multitudine, populoq; fides haberetur: cur (inquam) facilius persuadeant, quod volunt, turbae, qui non sunt imbuti bonis artibus, quam qui animum illis excultum habent: causam huius rei aperiam inquit. quod infra accurate facit: antea tamen hanc opinionem receptam esse testimonio boni poëtae confirmat.

Ὥσπερ φασὶν οἱ ποιηταὶ τοὺς ἀπαιδεύτους παρ' ὄχλῳ μουσικωτέρους λέγειν.

Quemadmodum poëtae aiunt imperitos ad aures inconditae multitudinis elegantius suauiusque verba facere.

EVRIPIDES ab Hippolyto in fabula, quam ab ipso inscripsit, hoc pronuntiari facit, cum Theseo patre loquente: cum enim falsum crimen refellere deberet, inquit. Se, ingenuo pudore impeditum, facere verba ad multitudinem minime posse: sed cum res postulat, vt apud aequales, paucosq; dicat, eloquentiorem illic esse: id autem non sine causa vsu venire docens, addit. Qui enim apud sapientes viros nihil dicendo valent, elegantius adstante populo, & corona idiotarum loquuntur: se tamen tunc necessitate vrgente ingenium versaturum, ac linguae habenas effusurum. Eundem locum adducit Plutarchus in commentario de institutione puerorum.

» Μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ καὶ Εὐριπίδης λέγων. Ἐγὼ δ' ἄκομψος εἰς ὄχλον δοῦναι λόγον: Εἰς ἥλικας δὲ, κ' ὀλίγους
» σοφώτερος—: οἱ δ' ἐν σοφοῖς φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.

Οἱ μὲν γὰρ, τὰ κοινὰ, καὶ καθόλου λέγουσιν: οἱ δ', ἐξ ὧν ἴσασι, καὶ τὰ ἐγγύς.

Hi namque, communia, & quae in vniuersum talia sunt, edunt: hi vero, ex his quae nouerunt, & propinqua sunt, argumentantur.

ERVDITI enim communia, & quae in vniuersum sunt dicunt: cum optimae artes scientiaeq; quibus exculti sunt, has res quaerant: ipsiq; illis tractandis assueti sint, vt non facile rationem illam relinquere queant: ab intelligentia vero idiotarum haec remota sunt. contra imperiti, ex rebus, quas intelligunt: cognitasq; habent, concludunt: atque ea, quae prope sunt, sumunt. Hinc igitur fit, vt multitudini probabiliora rudes bonarum artium, imperitique loquantur: sunt enim, quae dicuntur ab illis vulgo notiora, ac sensibus idiotarum magis accommodata.

Ὥστ' οὐκ ἐξ ἁπάντων τῶν δοκούντων, ἀλλ' ἐκ τῶν ὡρισμένων λεκτέον. οἷον ἢ τοῖς κρίνουσιν, ἢ οὓς ἀποδέχονται.

Quapropter non ex omnibus ijs, quae videntur, sed ex definitis dicendum est. veluti siue his, qui existimant, siue his, quos illi ipsi probant.

QVARE (inquit) vt hanc culpam effugiamus, faciliusq; probemus, quod volumus (plerunque enim verba facienda sunt ad imperitos) non debemus ex omnibus, quae probantur, ac vera esse videntur: doctissimis etiam ingeniosissimisque viris legere propositiones, verum ex cognitis, definitisque, aut ijs ipsis, qui existimaturi sunt de oratione nostra, aut ijs saltem, quos existimatores ipsi probant, sequunturque, quod si oratio nobis habenda esset in conuentu aliquo politorum atque eruditorum hominum, subtilius argumentari possemus: nec

repudiare,

repudiare, quae eruditis solum, non multitudini etiam videantur: praecipit demum non omnia, quae videntur esse captanda: ex illisq; conformanda argumenta, sed ex perceptis visisq; ijs ipsis, apud quos agimus, aut illis saltem, quorum iudicijs ipsi acquiescunt.

Καὶ τοῦτο δ', ὅτι οὕτω φαίνεται, δῆλον εἶναι ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις.

Atque hoc ita videri, siue cunctis, siue plurimis ipsorum, planum esse.

QVOD si cunctis, apud quos dicimus, ea cognita non sunt, sequiq; coguntur iudicia aliorum, omnino omnibus, aut maximae ipsorum parti manifestum esse debet, ita videri grauibus, ac prudentibus illis viris, a quorum sententia, iudicioq; discrepare numquam solent: nisi enim hoc certo scirent, cum ipsi rem nesciant, non possent persuaderi.

Καὶ μὴ μόνον συνάγειν ἐκ τῶν ἀναγκαίων, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Et non solum colligere ex necessarijs, verum etiam ex ijs, quae plerunque fiunt.

NEC debent ita confirmandarum rerum studiosi esse, vt cuncta, quae non necessario concludunt, repudient. Sed vt illis quandoq; vti, ita etiam ex rebus, quae fere fiunt, concludere: in primo enim quoq; libro declarauit, ex quibus enthymemata fiunt, partim necessaria esse: partim, quae fere, ac plurimum fiant: multoq; plura esse, quae saepius, illis, quae semper, fiant. Quae autem ex necessarijs rebus argumenta constant, τεκμήρια ab eo vocari: quae vero res plurimum fiunt, εἰκότα appellari, notum est.

Πρῶτον μὲν οὖν δεῖ λαβεῖν, ὅτι περὶ οὗ δεῖ λέγειν, καὶ συλλογίζεσθαι, εἴτε πολιτικῷ συλλογισμῷ: εἴθ' ὁποιωοῦν, ἀναγκαῖον κατὰ τούτου ἔχειν τὰ ὑπάρχοντα.

Primum igitur decet perceptum habere, de quo dicere opus est, & concludere aliquid, siue oratorio syllogismo, siue quolibet alio, necesse esse de hoc tenere, quae in eo sunt.

QVI modus, ratioq; sit indagandi enthymemata, nunc docet, multumque ad hoc valere ostendit, nec posse id vllo modo praetermitti, habere cognita, ac perspecta, quae in rebus illis sunt, de quibus disputaturus sis: idest naturas ac proprietates earum intelligere: quaeq; demum ipsis contigere: nec tantum hoc summo studio prouidere atq; adipisci debent, qui oratorio argumento aliquid conclusuri sunt, verũ etiam, qui in alia quapiã arte, aut disciplina quippiam syllogismo, rebus illis accommodato, concludunt: nisi enim bene omnia cognita fuerint, frustra laborabunt, nec quod cupiunt, vllo modo efficere, & praestare poterunt. Idem autem hoc praecepit, & ijsdem etiam paene verbis in primo libro Analyticorum priorum, vnde percipitur verum esse, quod hic inquit, seruari hoc debere in omni genere syllogismi: nec posse vllo pa-
» cto omitti. ita igitur illic locutus est. δεῖ γὰρ τὰ ὑπάρχοντα καὶ οἷς ὑπάρχει περὶ ἑκάτερον λέγειν: καὶ τού-
» των ὡς πλείστων εὐπορεῖν. Πολιτικὸν autem syllogismum dicens, intelligit oratorium: vt in libro sophi-
» sticorum elenchorum ad extremum inquit. ὅπερ καὶ περὶ τῶν πολιτικῶν λόγων συμβέβηκε, cum oratoriam artem significare vellet: primis enim temporibus, qui huic studio se dabant, politicos se esse dicebant, ac scientiam regendarum ciuitatum se tenere aiebant. Quid autem hic arbitrer valere τὰ ὑπάρχοντα expressi: quo etiam verbo eodem intellectu vtitur Demosthenes pro Cte-
» siphonte. συνέβαινε δ' αὐτῷ, τῷ πολέμῳ κρατοῦντι τῶν ὁποίας δήποθ' ὑμεῖς ἐξέπεμπετε στρατηγούς, αὐτῇ τῇ φύσει
» τοῦ τόπου καὶ τῶν ὑπαρχόντων ἑκατέροις, κακοπαθεῖν: narrat enim Philippum, quamuis in proelijs superior fuisset: vicissetq; illos, quibus Athenienses bellum administrandum dederant: tamen multa incommoda accepisse illo tempore propter naturam loci, & aliarum etiam rerum, quae in persona fortunisq; & ipsius, & hostium, erant: ita enim multa complexus est, quae facile explicare, aut paucis saltem commemorare non potuisset. ὑπάρχοντα autem hic a philosopho vocata, Isocrates ἐνόντα appellat in oratiuncula contra sophistas: pollicebantur enim illi se ita instructos ad dicendũ effecturos cunctos, qui se ad eos applicauissent, vt nihil effugeret ipsos,
» quod in argumentis, causisq;, quas agerent, existeret. ὥστε μηδὲν τῶν ἐνόντων ἐν τοῖς πράγμασι παραλι-
πεῖν. Sed etiã in Busiride, cũ omnibus iam effusis, quae dicere voluit, affirmat restare adhuc mul-
» ta, vnde aliquis posset, & laudationem, & defensionem longius proferre. πολλῶν δ' ἐνόντων ἐπῶν: & quae sequuntur. Sed etiam Aristoteles in libro de studio poëtarum, quo loco, quid διάνοια sit, docet: inquit enim. τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ λέγειν δύνασθαι τὰ ἐνόντα, καὶ τὰ ἁρμόττοντα.

Η πάντα, ἢ ἔνια: μηδὲν γὰρ ἔχων, ἐξ οὐδενὸς ἂν ἔχοις συνάγειν.

Siue cuncta, siue quaedam ipsorum: si namque nihil teneres, e nullo posses colligere.

PRAESTARET cuncta, quae in illis ſunt, tenere: ita enim maior facultas daretur concludendi: ſi cuncta tamen ſciri, teneriq; non poſſunt, neceſſe eſt aliqua omnino: qui enim omnibus deſtitutus foret, quo nam pacto poſſet eo, quo caret, ad concludendum ſumpto, quod vult confirmare? cauſa vero, quod nihil argumento probari ab oratore de aliquo poſſit, niſi quaedam, quae illius ſint, cognorit, eſt, quod propoſitio neceſſario ex ijs, quae in illo ſunt, de quo concluſio fit, conſtat, ſine qua non eſt enthymema.

Λέγω δὲ. οἷον, πῶς ἂν δυναίμεθα συμβουλεύειν Ἀθηναίοις, εἰ πολεμητέον, ἢ μὴ πολεμητέον, μὴ ἔχοντες τίς ἡ δύναμις αὐτῶν, πότερον ναυτικὴ, ἢ πεζικὴ, ἢ ἄμφω: καὶ αὕτη πόση. καὶ πρόσοδοι τίνες, ἢ φίλοι, καὶ ἐχθροί: ἔτι δὲ τίνας πολέμους πεπολεμήκασι, καὶ πῶς, καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα.

Dico autem. ceu quomodo poſſemus conſilium dare Athenienſibus, ſuſcipiendum ne ipſis bellum ſit, ſiue non ſuſcipiendum, niſi ſciremus, quae copiae ipſorum ſunt, vtrum nauales, an pedeſtres, an vtraeq;: & hae ipſae quantae ſint: & praeterea vectigalia, quot, ſiue amici, ſiue hoſtes. amplius autem, quot bella geſſerunt, & quomodo, ceteraque huiuſcemodi.

APERIT, quod obſcurius dixerat, exemplisq; totam rem copioſe declarat: atque hoc in primis duobus dicendi generibus facit. primum deliberationis eſt: quomodo (inquit) conſilium dare poſſemus Athenienſibus, bellum ne ab ipſis ſuſcipiendum, an non ſuſcipiendum aduerſus aliquos foret, niſi ſciremus copias ipſorum, vtrum nauales, an pedeſtres, an vtriusq; generis, aut niſi etiam numerum illarum intelligeremus: nec non vectigalia ciuitatis: qui amici ipſorum: quiq; inimici: amici enim, conatus amicorum adiuuant: inimici, inimicorũ impediunt. Praeterea, quae bella ſuperioribus temporibus geſſerint, & quem exitum illa habuerint: aliaque huiuſcemodi non nulla, quae breuitati conſulentes, relinquimus.

Καὶ ἐπαινεῖν: εἰ μὴ ἔχοιμεν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν, ἢ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην.

Et laudare, niſi ſciremus naualem pugnam apud Salamina, ſiue proelium, quod commiſſum eſt in Marathone.

HOC ad demonſtratiuum manifeſto pertinet: non poſſe enim laudari, aut vituperari Athenienſes oſtendit, niſi ab eo, qui res geſtas ipſorum perceperit, quae facultas (inquit) nobis laudandi illos, daretur, niſi ſciremus naualem ipſorum pugnam apud Salamina inſulam ſumma cum virtute pugnatam: pedeſtreq; proelium, quo deuicerunt Perſas in Marathone, agri Attici loco.

Ἢ τὰ ὑπὲρ Ἡρακλειδῶν πεπραγμένα, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων: ἐκ γὰρ τῶν ὑπαρχόντων, ἢ δοκούντων ὑπάρχειν, καλῶν, ἐπαινοῦσι πάντες.

Vel ea, quae pro poſteris Herculis geſſerunt, vel aliam quampiam huiuſcemodi rerum: ex his enim, quae in ipſis exiſtunt, ſiue videntur ineſſe, honeſtis factis, cuncti laudant.

CVNCTAE Graecorum hiſtoriae plenae ſunt praeclararum harum rerum: nam ſuperiores victoriae ab Herodoto copioſe expoſitae ſunt. quae geſſerint Athenienſes honeſte, ac fortiter pro ſalute filiorum Herculis, omniq; illa familia, & Iſocrates in Panegyrico narrat, & Euripides in fabula, quam Ἡρακλείδας appellauit, complexus eſt. Nam Latinorum etiam ſcriptorum Lucretius initio vj. libri: Cicero autem pro L. Flacco, vnde laudari poſſent Athenienſes, indicarunt. Quemadmodum autem haec ipſis ornandis valde accommodata eſſe, ita etiam alia huiuſcemodi, ſiqua praeclare ab ipſis geſta ſunt, neceſſaria affirmat: nec ſine ipſorum cognitione hoc munus recte ſuſtineri poſſe: addit autem cunctos, qui hoc aggrediantur conſueſſe laudare, colligentes res honeſtas ac plenas dignitatis, quae in illis ſunt: quos ornandos ſuſceperunt, aut eſſe ſaltem videntur, quum ſpeciem tantum atq; vmbram eorum illa habeant: fallit enim hoc multos, nec ſimulata a veris ſecernere queunt. Correxi autem, quod in excuſis hic antea perperam legebatur, ἢ τῶν ἄλλων τινῶν τοιούτων. feci autem id, ſecutus antiquiſſimum librum: ſed reſtitutam quoq; a me lectionem ſequitur vetus tralatio.

Ὁμοίως δὲ καὶ ψέγουσιν ἐκ τῶν ἐναντίων, σκοποῦντες τί ὑπάρχει τοιοῦτον αὐτοῖς, ἢ δοκεῖ ὑπάρχειν.

Eodem autem pacto & vituperant e contrarijs, perscrutantes, quid in ipsis huiuscemodi est, aut videtur esse.

EODEM autem pacto (inquit) vt ex ijs laudant, ita ex contrarijs vituperant: diligenter attendentes, an aliquid in ipsis repperiatur, quod accusari, ac vituperari vere possit, aut saltem reprehensione, vituperationeque dignum videatur: non nulla enim sunt, quae defendi fortasse possunt, ac iure optimo facta esse ostendi: cum tamen ea praua, turpiaq; habeantur, praetermitti non debent.

Οἷον ὅτι τοὺς Ἕλληνας κατεδουλώσαντο, καὶ τοὺς πρὸς τὸν βάρβαρον συμμαχεσαμένους, καὶ ἀριστεύσαντας ἠνδραποδίσαντο, Αἰγινήτας, καὶ Ποτιδαιάτας, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα.

Veluti, quod Graecis iugum seruitutis imposuerunt: atque eos, qui contra barbaros vna cum ipsis pugnauerunt, fortiterque se gesserunt, Aeginetas, & Potidaeatas diripuerunt, & quaecunque alia huiuscemodi sunt.

COLLIGIT nonnulla, quae improbe gesta erant ab Atheniensibus, pulcherrimisq; ipsorum factis turpes maculas inurebant. ceu (inquit) quod Graecos, libertati natam gentem, seruire sibi coëgerunt: eosq;, qui cum ipsis in bello contra barbarum steterant, & in eo strenue fortiterq; se gesserant, sedibus suis exturbarunt: eorumq; agros sibi diuiserunt. vt Aeginetas ac Potidaeatas. Quam male autem aduersus Aeginetas animati diu fuerint Athenienses, multis multorum testimonijs confirmari facile posset: nam ex insula vna cum liberis, vxoribusq; cunctos ab ipsis eiectos fuisse narrat etiam Thucydides in ij. libro historiarum: & Diodorus in xij. bi-
» bliothecae. Cicero quoq; in iij. de officijs hoc testatur. Durius etiam Athenienses, qui sciue
» runt, vt Aeginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur. Vt Aeginetas autem, ita etiam Potidaeatas diuturno bello vexatos, oppido cum singulis tantum vestimentis exire iusserunt: & colonos eo ciues suos miserunt, quibus & eorum agros, & domos assignarunt: hoc enim quoque ab eisdem Graecarum rerum auctoribus, memoriae proditum est. Isocrates in Panegyrico Athenienses ab huiuscemodi quibusdam criminibus diligenter tuetur, notasq; non nullas delere conatur, quae famam ipsorum dehonestabant. M. Cicero quoq; plane intelligitur minime probasse factum illud veterum Romanorum, qui Corinthum, antiquam & nobilem Graeciae vrbem, deleuerunt: hoc enim sibi vehementer displicuisse ostendit in j. libro de Officijs, vbi inquit, de huiuscemodi duris saeuisq; consilijs loquens, Nollem Corinthum. Verba lu-
» culentissimi scriptoris haec sunt. μετὰ δὲ ταῦτα ἤδη τινὲς ἡμῶν κατηγοροῦσιν, ὡς ἐπειδὴ τὴν ἀρχὴν θα-
» λάττης παρελάβομεν, πολλῶν κακῶν αἴτιοι τοῖς Ἕλλησι κατέστημεν: καὶ τόν τε Μηλίων ἀνδραποδισμὸν, καὶ τὸν
» Σκιωναίων ὄλεθρον, ἐν τούτοις τοῖς λόγοις ἡμῖν προφέρουσιν.

Καὶ εἴ τι ἄλλο ἁμάρτημα τοιοῦτον ὑπάρχει αὐτοῖς.

Et si quid aliud in eorum persona est, in quo lapsi sint, ac peccarint.

INTELLEXIT, cum inquit ἁμάρτημα τοιοῦτον, in quo vniuersa ciuitas lapsa sit, & quod a publica iniustitia proficiscatur, quod non ita simile sit superioribus illis, quae narrauit, vt quae significare voluit, cum inquit. καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα: illa enim prorsus similia: vt enim iugum imposuerant Aeginetis & Potidaeatis, ita non nullis alijs ciuitatibus Graecorum, quorum forti opera in bello contra barbaros vsi fuerant: & oppida etiam ipsorum diripuerant. vt quae purgare voluit Isocrates. Hoc quamuis ad dignitatem famamque ipsorum inquinandam & ipsum multum valeat, non omnino tamen simile esse, ac par illis existimandum est: ne idem rursus, cum minime necesse esset, repetisse eum dicamus.

Ὡς δ᾽ αὔτως, καὶ οἱ κατηγοροῦντες, καὶ οἱ ἀπολογούμενοι, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σκοπούμενοι, κατηγοροῦσι, καὶ ἀπολογοῦνται.

Similiter autem, & qui accusant, & qui defendunt, ex his, quae insunt, accusant, aut defendunt.

IDEM quoq; in iudiciali genere seruari debere ostendit: breuius tamen tertium hoc, quam superiora duo pertractat: non enim exempla ponit, quae sane magnopere desiderari non possunt: perspicuum namque est, neminem posse quempiam in iudicium vocare, nisi, quae ab eo turpiter, nefarieq; facta sunt, teneat: nec rursus defendere, si quae propria sint personae ipsius, ac facta denique hominis, ignoret.

Οὐδὲν δὲ διαφέρει περὶ Ἀθηναίων, ἢ Λακεδαιμονίων, ἢ ἀνθρώπου, ἢ θεοῦ, ταὐτὸ τοῦτο δρᾶν.

Nihil autem interest, siue de Atheniensibus, siue de Lacedaemonijs, vel homine, vel deo, idem hoc facias.

HOC firmiter tenendum, quod iam copiose exposuit, in qua vis persona docet: nec in hac, diligenter seruandum: in alia autem, prorsus relinquendum, aut negligenter tractandum: nihil enim interesse (inquit) siue de Atheniensibus quispiam agat (exemplo namque Atheniensium ante vsus fuerat) siue de Lacedaemonijs, aut de quopiam deo, aut homine: sunt enim omnino, quae naturae illi haerent (quaecunque ea sit) cognoscenda: vt commune enim praeceptum hoc trium generum est, ita omnibus gentibus, ciuitatibusq;, nec non fortunis hominum, deorumque naturae conuenit: cuncta enim, quae propria ipsorum sunt: aut aliquam saltem eorum partem, didicisse oportet: nec aliter potest orator de illis verbum facere, ne dum copiose dicere. Addo etiam, quae bona, & mala singulis rebus sint, ignorare illos non debere, si de illis ample ornateq; dicere volunt.

Καὶ γὰρ συμβουλεύοντα τῷ Ἀχιλλεῖ, καὶ ἐπαινοῦντα, καὶ ψέγοντα, καὶ κατηγοροῦντα, καὶ ἀπολογούμενον ὑπὲρ αὐτοῦ, τὰ ὑπάρχοντα, ἢ δοκοῦντα ὑπάρχειν, ληπτέον, ἵν' ἐκ τούτων λέγωμεν.

Consilium enim dantem Achilli, & laudantem, & vituperantem, & accusantem, & defendentem, quod obiectum ipsi est, quae insunt personae ipsius, siue videntur inesse, sumenda sunt, vt ex his dicamus.

EXPLANAT, quod iam tradiderat: & in singulis generibus dicendi necessarium esse demonstrat, cognita habere oportere, quae personae illi, aut rei adnexa sint: ex ipsis enim argumenta ducenda, & orationem conformandam: nam & suadentem (inquit) quippiam Achilli, aut ab aliquo reuocantem, & laudantem eundem, aut vituperantem: quemadmodum etiam accusantem in iudicio, hominem, aut defendentem, oportet sumere, quae personae ipsius haerent, vt illorum praesidio, quod volumus, probemus. Animaduertendum autem ipsum in partibus deliberatiui generis significandis, nomine generis vsum: in alijs generibus notandis, partium nomina posuisse: generis tacuisse.

Ἐπαινοῦντες, ἢ ψέγοντες, ἔτι καλὸν ὑπάρχει, ἢ αἰσχρόν: κατηγοροῦντες δὲ, ἢ ἀπολογούμενοι, ἔτι δίκαιον, ἢ ἄδικον: συμβουλεύοντες δὲ, ἔτι συμφέρον, ἢ βλαβερόν.

Cum laudamus, aut vituperamus, siquid honestum, aut turpe ipsis haeret: cum accusamus, aut defendimus, si quod iustum, aut iniustum: cum consilium damus, si quod vtile, aut detrimentosum.

NON sunt tamen eadem videnda in tribus his diuersis generibus, sed diuersa: fines enim generum spectandi sunt, vt eo referantur, quae in singulis accurate sunt quaerenda. Si enim (inquit) cum laudamus, aut vituperamus, spectare debemus, siquid in eo inuenimus honestum, aut turpe. Si accusamus in foro, aut defendimus, siquid aequum, aut iniquum ab eo factum est. Si aliquo impellimus sententia nostra, aut inde reuocamus, si aliquid in eo est, cui res illa, aut prodesse, aut obesse possit.

Ὁμοίως δὲ τούτοις, καὶ περὶ πράγματος ὁτουοῦν. οἷον περὶ δικαιοσύνης εἰ ἀγαθὸν, ἢ μὴ ἀγαθὸν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων τῇ δικαιοσύνῃ, ἢ τῷ ἀγαθῷ.

Ut autem in his, ita etiam in re qualibet, ceu de iustitia, si bonum, vel non bonum sit, ex his, quae haerent iustitiae, vel bono.

QVOD in personis omnibus iam euenire ostenderat, id etiam in alijs rebus contingere docet: similiterque se rem in his & in illis habere. Non defuerunt sophistae, qui fallacibus rationibus probare conati sint iustitiam rem malam esse, vt Thrasymachus Eleus, cuius rationis meminit etiam Plato in viij. libro de republica. Si alterum igitur horum ostendere volumus: rem scilicet bonam esse iustitiam, aut non bonam, ducere argumenta debemus ex ijs, quae propria sunt, aut iustitiae, aut boni, & in iustitia ipsa inueniuntur, aut in rebus, quae de ipsa dicuntur:

vtraque enim diligenter perpendenda, ad alicuius rei intelligentiam. vt id, de quo quaeritur aliquid ac ſubijcitur, ita quod de illo praedicatur.

Ὡς' ἐπειδὴ καὶ πάντες οὕτω φαίνονται ἀποδεικνῦντες, ἄντε ἀκριβέστερον, ἄντε μαλακώτερον συλλογίζωνται: οὐ γὰρ ἐξ ἁπάντων λαμβάνουσιν, ἀλλ' ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον ὑπαρχόντων.

Quapropter, quia omnes ita demonſtrare intelliguntur, ſiue exquiſitius, ſiue languidius argumentati fuerint: non enim ex omnibus ſumunt, ſed ex ijs, quae inſunt in vna quaque re.

QVAPROPTER (inquit) quoniam cognitum eſt, modum rationemq; hanc omnes ſequi, ſiue exquiſitius, accuratiusq;: ſiue remiſſius, negligentiusq; hoc agant: ideſt ſiue validioribus, vt demonſtratiua ſunt, ſiue infirmioribus, vt ſunt probabilia, argumentis vtantur: ſignificat enim (vt opinor) id, quod ſupra tetigit, cum inquit. ſiue politico, ſiue quolibet alio ſyllogiſmo vtantur: neq; enim ex ingenti quodam rerum omnium aceruo, confuſaque tamquam ſylua, captant propoſitiones, ſed ſcrutantur, quae rebus ipſis adſint, de quibus acturi ſunt: atq; inde adminicula ad id, quod volunt, probandum, ſumunt, perſpicuum eſt nos omni diligentia in hac re vti oportere, comparatamq; habere debere ſupellectilem rerum, quae crebro tractari, verſariq; in cauſis conſuerunt. Reſtitui autem hic ὥστ, quod in excuſis libris deſiderabatur, ſecutus auctoritatem optimorum librorum.

Καὶ διὰ τοῦ λόγου: δῆλον γὰρ ὅτι ἀδύνατον ἄλλως δεικνύναι.

Et vi quoque rationis: perſpicuum enim eſt fieri non poſſe, vt aliter demonſtretur.

ET vt hoc animaduerſa via, quam ſequuntur omnes in ſingulis generibus dicendi, neceſſarium eſſe probatum eſt, ita etiam ratione quadam confirmari poteſt: ſi quis enim diligenter attendat, atque omnia experiatur, manifeſto intelliget oſtendi aliquid aliter nulla ratione poſſe: hoc enim rationis naturam, argumentique ad fidem faciendam apti habere vult: notum autem eſt conſueuiſſe ſaepe hunc eruditiſſimum ſcriptorem, cum quippiam conſtituere vult, inductione primum vti: deinde ſyllogiſmo idem confirmare. vt in primo libro Topicorum, cum inquit, diſputationes duci e quattuor generibus antea explicatis: & ope earum propoſitionum cuncta probari, ad easq; quaeſtiones referri, vno quidem fidei faciendae genere demonſtrari poſſe inductione: alteram autem probationem eſſe, quae ſyllogiſmo conſtat: quamuis hic ſyllogiſmum non appellarit, ſed λόγον dixerit: quod nomen communius eſt: in primo quoq; libro de moribus ad Nicomachum, cum vitam beatam adhibito ſtudio ac diligentia acquiri, probare vellet, primum inductione id demonſtrauit, oſtendens ea, quae a natura gignuntur, vt optime perfectiſſimeque fieri poteſt, procreari: nec non, quae ab arte aliqua proficiſcuntur, & omni denique re, quae cauſam quaerit, atque eam tamquam ducem ſequitur: infraque, reliquo etiam genere probationis vtens, addit. συμφανὲς δ' ἐστὶ καὶ ἐκ τοῦ λόγου τὸ ζητούμενον. eodem, quo hic, vocabulo vſus.

Φανερὸν, ὅτι ἀναγκαῖον, ὥσπερ ἐν τοῖς τοπικοῖς, πρῶτον περὶ ἕκαστον ἔχειν ἐξειλεγμένα περὶ τῶν ἐνδεχομένων, καὶ τῶν ἐπικαιροτάτων.

Planum apertumq; eſt, neceſſe eſſe, veluti in Topicis, de vna quaq; re ſelecta primum habere, de quibus vſu venit agere, & quae maxime opportuna ſunt.

HAEC eſt ἀνταπόδοσις redditioq; illius, ὥς' ἐπειδὴ καὶ πάντες. Quoniam patefactum ac demonſtratum eſt (inquit) cunctos, qui aliquid probant, hanc viam tenere: diligenterq; inſpicere, quid in rebus illis ſit, de quibus dicturi ſunt (id autem inductione declarauit, oſtendens in cunctis generibus dicendi rem ita ſe habere: cunctosq; qui aliquid argumento probent, conficere illa ex rebus, quae haereant illi ipſi naturae, ſed ratione etiam ſyllogiſmoque idem confirmari poſſe affirmauit) perſpicuum eſt neceſſario ſelectum facere oratores debere de rebus, quae ſaepe incidunt atque opportunae in primis ſunt, vt parati inſtructiq; ſint, cum opera ipſorum requiritur, & vberius de illis dicere queant: valet enim ἔχειν ἐξειλεγμένα περὶ τῶν ἐνδεχομένων καὶ τῶν ἐπικαιροτάτων, habere ſelectas propoſitiones de rebus, quae vſu venire poſſent, maximeque opportunae ſunt: id enim manifeſto ſignificat ἐπικαιρότατα: vt locos etiam non nullos μάλιστα ἐπικαίρους, & κοινοὺς in Topicis appellauit. Valet autem hic ὥσπερ ἐν τοῖς τοπικοῖς, vt in diſciplina illa ſit, qua loci ſedesq; argumentorum monſtrantur: id enim quoque illic cuſtoditur, atq; ipſe id in primo ſuorum Topicorum diligenter praecipit.

Περὶ δὲ τῶν ἐξ ὑπογυίου γιγνομένων ζητεῖν τὸν αὐτὸν τρόπον.

De rebus autem, quae fiunt e vicino quasi loco ac subito quaerere eodem pacto.

NON committere debemus, vt quae otiose, matureq; comparare possumus, subito properantesq;, hinc atq; inde arripiamus: contra de rebus, quae repente eueniunt, neque antea a nobis expectabantur, cum parati ad illa meditatique esse nequeamus, sed illo ipso tempore quaerere cogamur, indagare eodem pacto propositiones debemus: nullo modo scilicet respicientes ad indefinita, sed spectantes, quae adsint illis ipsis rebus, de quibus agitur.

Ἀποβλέποντα, μὴ εἰς ἀόριστα, ἀλλ' εἰς τὰ ὑπάρχοντα, περὶ ὧν ὁ λόγος.

Minime respicientem ad ea, quae indefinita sunt, sed ad ea, quae insunt illis, de quibus habetur oratio.

NON ad ea, quae nullarum rerum propria sunt, quae nullis inquam, rebus addicta sunt & adplicata: intelligit autem idem, quod paulo supra, cum inquit, cunctos, qui hoc facerent, consueuisse non passim ex omnibus, sed ex ijs, quae haerent cuiq; personae, aut rei, sumere propositiones: nullo enim discrimine omnia respicere, & ad indefinita, & quae nullius rei propria sunt, se conuertere, idem prorsus est.

Καὶ περιγράφοντα, ὅτι πλεῖστα, καὶ ἐγγύτατα τοῦ πράγματος.

Et notantem quamplurima fieri potest, & maxime propinqua rei.

PRO temporis etiam breuitate praefinientem, seponentemque sibi magnum illorum numerum: neque enim paucis contentus esse debet, si potest multa colligere: & vt quam plurima potest, ita quae rei illi maxime propinqua sint: intelligit autem, quae ipsi haereant atque adfixa sint, nec e longinquo petantur: illa autem, quo magis talia fuerint, eo magis rei affinia erunt, minusq; ad alia pertinebunt.

Ὅσῳ μὲν γὰρ ἂν πλείω ἔχηται τῶν ὑπαρχόντων, τοσούτῳ ῥᾷον δεικνύναι: ὅσῳ δ' ἐγγύτερον, τοσούτῳ οἰκειότερα, καὶ ἧττον κοινά.

Quanto enim plura tenebuntur, eorum, quae insunt, tanto facilius demonstrabit: quanto autem propinquius, tanto magis aptiora, rebusque illis accommodatiora, minusque communia.

SE haec vtiliter praecepisse declarat, & quae commoda ex vtraque re capi possunt, ostendit: quanto enim plura (inquit) tenebuntur eorum, quae rebus adsint, tanto facilius demonstrabitur, atque argumentis quodlibet concludetur: quanto autem propinquiora, tanto ea, quae sumentur, accommodatiora, proprioraq; erunt, ac minus communia.

Λέγω δὲ κοινὰ μὲν, τὸ ἐπαινεῖν τὸν Ἀχιλλέα, ὅτι ἄνθρωπος, καὶ ὅτι τῶν ἡμιθέων, καὶ ὅτι ἐπὶ τὸ Ἴλιον ἐστρατεύσατο: ταῦτα γὰρ καὶ ἄλλοις ὑπάρχει πολλοῖς. ὥστ' οὐδὲν μᾶλλον ὁ οὕτως Ἀχιλλέα ἐπαινεῖ, ἢ Διομήδην.

Appello autem communia, laudare Achillem, quod homo, & quod semideus: & quod ad bellum Troianum profectus est: haec namque alijs quoque multis insunt. quapropter nihilo magis, qui ita agit, Achillem, quam Diomedem, laudat.

NVLLO pacto perturbari lectorem vult: quomodoque accipi haec nomina velit, ostendit: communia enim (inquit) appello, ceu si quis Achillem laudet, quod homo rationisq; particeps, non belua fuit: quod ex eorum numero, qui dimidia sui parte dij heroësq; habiti sunt, quod vna cum reliquis Graecis ad Ilium expugnandum profectus est: haec enim non vni Achilli, sed alijs etiam plurimis contigere. quare, qui ita agit, quia communia captat, non magis Achillem, quam Diomedem laudat: ille enim quoque, & homo, & heros extitit: & in Troiano bello versatus est.

Ἴδια δὲ, ἃ μηδενὶ ἄλλῳ συμβέβηκεν, ἢ τῷ Ἀχιλλεῖ· οἷον τὸ ἀποκτεῖναι τὸν Ἕκτορα, τὸν ἄριστον τῶν Τρώων: καὶ τὸν Κύκνον, ὃς ἐκώλυσεν ἅπαντας ἀποβαίνειν, ἄτρωτος ὤν: καὶ ὅτι νεώτατος, καὶ οὐκ ἔνορκος ὤν, ἐστράτευσε, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα.

Propria

Propria autem, quae nulli alij contigerunt, nisi Achilli. veluti interfecisse Hectorem, optimum Troianorum, & Cycnum, qui non sinebat Graecos exire de nauibus, cum vulnerari non posset: & quod iunior omnibus, & quod minus iure iurando astrictus, in eam militiam profectus est: & quaecunque alia huiuscemodi sunt.

PROPRIA vero (inquit) voco, quae nemini alij, praeterquam Achilli, contigere: vt interfecisse Hectorem, optimum Troianorũ, & Cygnum, qui, dum vixit, vetuit omnes exire de naui: cum ferro violari non posset, & ab omni ictu tutus esset. Fingunt etiam aetatis nostrae poëtae, qui Etrusco sermone heroicum carmen pangunt huiuscemodi non nullos, qui accipere vulnus, siue in nulla parte corporis possunt: siue in certis quibusdam, quos, tamquam perpetua lege serieque causarum, soluti sint hoc malo, vocant fatatos. & quia nemo iunior in eam expeditionem profectus est, nec iure iurando, vt ceteri duces earum copiarum, astrictus: & quaecunque alia illi soli in vita euenere, nec in aliam personam cadunt. Quod Cygnum appellat, duos diuersis parentibus ortos, fabulae tradunt hoc nomine vocatos. qui ab Achille necatus est, Neptunum patrem habuit: cum autem Achillem ornaret Pindarus in ij. ode olympiorum, inde quoque ipsum celebrauit, quod hunc leto dedisset. Κύκνον τε θανάτῳ πόρεν. Quod vero eum, non vt fidem seruaret, testibus dijs immortalibus datam, ad Troiam profectum narrat, distinguit ipsum ab Helenae procis, qui iure iurando deuincti omnes erant: nec poterant non se socios praebere Menelao, armis vxorem repetenti: hoc enim quoque proprium ipsius fuit: solus namq; e numero heroum, non legibus Tyndarei se religiose obstrinxerat: quare maiore laude dignus est, qui in tam periculosum bellum, nulla necessitate coactus, profectus sit: quod etiam Pausanias in Laconicis his verbis confirmat. Ομηρος δὲ ἐγράφη μὲν τῆς ποιήσεως ἀρχόμενος, ὡς Αχιλλεὺς χαριζόμενος τοῖς Ατρέως παισὶ, καὶ οὐκ ἐχόμενος τοῖς ὅρκοις τοῖς Τυνδάρεω, παραγένοιτο ἐς Τροίαν.

Εἷς μὲν οὖν τόπος τῆς ἐκλογῆς, καὶ πρῶτος οὗτος ὁ τοπικός.

Unus igitur locus selectus faciendi, & primus hic topicus.

CVM selectum propositionum necessarium esse docuerimus, quoque modo seligi illae possint indicare coeperimus, vnum iam locum exposuimus: est enim, qui modo perscriptus est: idest parata & delecta habere, quae in singulis rebus sint, de quibus vsu venire tibi posse putas, vt dicturus sis, ac de rebus demum, quae valde oportunae sunt: crebroque ab oratoribus tractari consueruni. Hunc autem locum topicum appellat, quia similis est locis topicis, ac sequitur instituta illius disciplinae: neque enim haec ratio oratoris tantum est, sed dialectici quoque: non multo quoque supra docuit etiam in hoc studio necessarium esse selectum propositionum, vt in topica facultate. Cum vero hic antea excusi haberent. εἷς μὲν οὖν τρόπος τῆς ἐκλογῆς, καὶ πρῶτος οὗτος ὁ τόπος, emendaui, vt supra scriptum est, secutus fidem scriptorum librorum: in cunctis enim, quos vidi, extremum verbum τοπικός est: antiquissimus etiam τόπος τῆς ἐκλογῆς, non τρόπος habet: quam lectionem sequitur quoque vetus tralatio: deprauatam autem illam ab aliquo fuisse puto, cui absurdum videretur dici τόπον ἐκλογῆς: putaritque τρόπον potius legi debere. veruntamen vt loci sunt, in quibus argumenta manent, ita etiam loci vocantur, qui rationem continent modumq; quomodo selectus alicuius rei fieri debeat. Quod etiam testimonio Alexandri confirmatur, qui in primum topicorum, cum locum eum explicare inciperet, vbi Aristoteles docet, quomodo seligi dialecticae propositiones, & magna copia earum parari possit, inquit. περὶ τῆς τῶν προτάσεων ἐκλογῆς πρῶτον, τόπους τινὰς καὶ ἀφορμὰς τῆς τε ἐκλογῆς, καὶ τῆς εὐπορίας αὐτῶν παραδίδωσιν.

Τὰ δὲ στοιχεῖα τῶν ἐνθυμημάτων λέγωμεν.

Elementa autem enthymematum tradamus.

CVM, quae generatim de enthymematibus dici poterant, tradidisset, ac quae ratio viaque indagandi illa communiter sit, ostendisset, nunc locos eorum indicat: vbi scilicet certa quaedam enthymemata manent: neque enim cuncta in singulis sedibus inueniuntur, sed certa quaedam ac propria illius loci: & quae scilicet eundem ortum conformationemque habeant: breui autem ille, vt quisque facilius consequi possit, antequam hoc aggrediatur, consilium suum aperit.

Στοιχεῖον δὲ λέγω καὶ τόπον ἐνθυμήματος τὸ αὐτό.

Voco autem elementum & locum enthymematis, idem.

Locos,

LOCOS, elementaque pro eodem capi, quamuis antea id non explanasset, animaduertisse tamen poteramus: in primo enim libro cum dixisset, » λέγω δὲ εἴδη τὰς καθ᾽ ἕκαστον γένος ἰδίας προτάσεις: τόπους δὲ τοὺς κοινοὺς ὁμοίως πάντων. post inquit. » πρότερον δὲ λάβωμεν τὰ γένη τῆς ῥητορικῆς, ὅπως διελόμενοι πόσα ἐστι, περὶ τούτων χωρὶς λαμβάνωμεν τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς προτάσεις: quod enim supra τόπους vocauerat, infra elementa appellauit. Cicero quoque in ij. de Oratore Latino verbo, quod posteriori huic respondet, huiuscemodi quippiam significare volens, vsus est. » Neque illa elementa desiderare, quae vt nemo tradat, quis est, qui nesciat, quae sint in homine laudanda. Theophrastus etiam, vt testatur Alexander in primum secundumq; Topicorum, cum definiret locum, hoc nomen vsurpauit: inquit enim locum esse ἀρχὴν ἢ στοιχεῖον, vnde principia cuiusq; rei sumantur. Cum autem nunc se velle tradere elementa enthymematum dixisset Aristoteles, supra vero, vbi sibi hoc agendum esse indicauit, hoc nomine vsus non fuisset, sed locos vocasset: haec enim verba ipsius sunt. καὶ μετὰ ταῦτα τοὺς τόπους, ideo docet vtrumq; nomen idem valere: soleteq; se sine discrimine, cum idem significare velit, alterutro vti.

Πρῶτον δ᾽ εἴπωμεν περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν πρῶτον.

Primum autem dicamus, de quibus necesse est primum dicere.

CVR sibi necesse dicat esse, antequam locos eorum tradat, partiri ac distinguere enthymemata, causa haec est: cum enim loci fabricandis enthymematibus seruiant, oportebat in tradendis his explanare, qui huic aut illi enthymematum speciei accommodati sint: id autem non antea cognitis enthymematum speciebus, fieri nullo modo poterat.

Ἔστι γὰρ τῶν ἐνθυμημάτων εἴδη δύο: τὰ μὲν γάρ δεικτικά ἐστιν, ὅτι ἔστιν ἢ οὐκ ἔστι: τὰ δὲ, ἐλεγκτικά.

Sunt enim enthymematum species duae: haec namque vim habet demonstrandi rem esse, vel non esse: haec autem, resellendi.

ANTEQVAM locos enthymematum explanemus, quaedam explicanda sunt, quae doctrinam illam adiuuabunt: non enim sunt vnius generis enthymemata, sed duorum: quaedam enim confirmant aliquid esse, aut non esse: alia rursus refellunt: cum autem enthymemata quaedam probare dicat, ὅτι ἐστιν ἢ οὐκ ἐστιν, manifesto significauit esse huius generis, quae affirment aliquid, vt etiam quae negent. cum contra, quae vim redarguendi habent, & ἐλεγκτικὰ appellantur, semper negando concludant. Interpres Hermogenis rhetoris de differentia horum enthymematum etiam egit. Nam duo & ipse genera esse cognouit, & eodem quoque nomine appellat: nec non exempla vtriusq; ex optimo omniũ oratore subdidit. Δεικτικὰ (inquit) sunt, quae cursum suum faciunt, speciem consecutionis retinentia, ceu. τὸ εὖ πράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν, » ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. Ἐλεγκτικὰ autem, quae prae se ferunt pugnam quandam: ac perueniunt, quo volunt, aduersando repugnandoq; alicui sententiae, vt. » Οὐ γὰρ ἂν Σόλων μὲν αὐτὸ παρέλιπεν: Αὐτοκλῆς δὲ εὕρετο.

Καὶ διαφέρει, ὥσπερ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς ἔλεγχος καὶ συλλογισμός.

Differuntque inter se, sicuti in dialecticis elenchus & syllogismus.

QVI discrimen (inquit) horum enthymematum percipere vult, quorum genus alterum aliquid confirmat: alterum refellit, videat quibus in rebus different inter se elenchus ac syllogismus: idem enim inter haec interest, quod in dialecticorum studio inter elenchum ac syllogismum: ipse autem id statim breui demonstrat. In libro quoq; Sophisticorum elenchorum hoc explanauit. vt autem magis notam definitionem syllogismi relinquam, qua illic vsus est, elenchus est inquit syllogismus μετ᾽ ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος.

Ἔστι δὲ τὸ μὲν δεικτικὸν ἐνθύμημα, τὸ ἐξ ὁμολογουμένων συνάγειν.

Est autem enthymema factum ad demonstrandum, e concessis cogere.

IN iij. quoque libro de enthymematibus his agit, longeque praeponit, quod ἐλεγκτικὸν appellat: cuius etiam rei causam affert. nunc quod vtrunque sit exponit: quomodoque distingui inter se atque internosci possint, declarat: enthymema enim illud (inquit) monstrare ac probare dicitur, quod ex propositionibus, quibus assentitur is, cum quo agis, & quae conueniunt opinionibus multorum, quod vult propositumq; habet, concludit, vt in ipsis consensus animorum, non pugna vlla appareat.

Τὸ δὲ

Τὸ δὲ ἐλεγκτικὸν, τὸ τὰ ἀνομολογούμενα συνάγειν.

Ad refellendum vero, quae repugnant inter se, cogere.

Ανομολογούμενα discrepantia inter se: repugnantiaue significat. Ανομολογούμενα συνάγειν valet dissidentia concludere ac cogere, & quae aduersentur ijs, quae ab aduersario ostensa prius & conclusa fuerint: erit enim hoc manifesto illum conuincere ac redarguere, cum in eum locum deducas, vt assentiri cogatur, contrarijs eorum, quae antea probarat. quod igitur hoc praestat enthymema, ἐλεγκτικὸν vocatur.

Σχεδὸν μὲν οὖν ἡμῖν περὶ ἑκάστων τῶν εἰδῶν, τῶν χρησίμων, καὶ ἀναγκαίων, ἔχονται οἱ τόποι.

Ferme igitur a nobis de singulis formis, vtilibus, & necessarijs, tenentur loci.

Cvm de elementis enthymematum, se agere nunc velle ostendisset: elementorum vero alia, propria sint: alia, communia: ne quis sibi vitio vertat, quod illa relinquat, testatur se de proprijs superiore libro diligenter egisse: nec non in prima etiam posterioris huius parte. quapropter nunc restare, vt ad communia transeat: quod statim facere aggreditur: εἴδη autem χρήσιμα & ἀναγκαῖα, quae intelligat, dubitare non possumus: significat enim fines trium generum. χρήσιμα, quia multum ad hoc valent, ac magnos fructus de se praebent: ἀναγκαῖα, quia sine illis nihil confici potest.

Ἐξειλεγμέναι γὰρ αἱ προτάσεις περὶ ἕκαστον εἶδον. ὥς' ἐξ ὧν δεῖ φέρειν τὰ ἐνθυμήματα τόπων περὶ ἀγαθοῦ ἢ κακοῦ, ἢ καλοῦ ἢ αἰσχροῦ, ἢ δικαίου ἢ ἀδίκου.

Selectae namq; sunt propositiones in vno quoq; genere. quapropter e quibus oportet locis enthymemata ducere de bono vel malo, siue honesto vel turpi, siue iusto vel iniusto.

Docet verum esse, quod dixerat: teneri ferme iam omnes locos, quibus contineantur singulae species vtiles ac necessariae: quomodoq; illae explicatae sint, narrat: selectae enim (inquit) a nobis sunt propositiones seorsum in singulis generibus dicendi. quare non possumus laborare, ignorantes locos, quo conferre nos debeamus, cum proprijs alicuius generis propositionibus indigemus: & vnde conficere argumenta oporteat: siue de re vtili aut inutili agendum est: siue de honesta aut turpi: siue de aequa aut iniqua: illi enim amplam copiam propositionum de omnibus his rebus suppeditabunt: hoc autem ipsum in primo libro tradidisse notum est.

Καὶ περὶ τῶν ἠθῶν, καὶ παθημάτων, καὶ ἕξεων ὡσαύτως εἰλημμένοι ἡμῖν ὑπάρχουσι πρότερον οἱ τόποι.

Et de moribus, et animi motibus, et habitib. eodē pacto sumpti sunt a nobis prius loci.

Nec non praescripti a nobis sunt loci de moribus, de commotionibus animi turbidioribus, atq; etiam de habitibus animi, statibusq; sedatioribus, qui ἕξεις appellantur: loci enim hi quoque proprij sunt, & ijs ipsis tantum rebus explicandis accommodati, neque ad alia traduci possunt. Eum autem, quem tradendis ipsis ordinem secutus est, nunc in illis repetendis non seruat: quae enim ad habitus animorum, virtutesq; aut vitia pertinent, in primo libro, cum demonstrandi genus explanaret, exposuit: postremum tamen illa hic locum obtinent: mores vero in hoc, explicatis iam motionibus animorum: nunc autem contra hi ipsas antecedunt: illae namq; in prima parte huius libri perscriptae sunt. Cum antea vero in excusis περὶ τῶν ἠθικῶν foret, secutus fidem antiquissimi libri, quem in hoc vetus etiam tralatio sequitur, emendaui ἠθῶν καὶ παθημάτων: sunt tamen scripti non nulli, in quibus ἠθικῶν παθημάτων legatur.

Ἔτι δ' ἄλλον τρόπον καθόλου περὶ ἁπάντων λάβωμεν, καὶ λέγωμεν, παρασημαινόμενοι τοὺς ἐλεγκτικοὺς, καὶ τοὺς ἀποδεικτικοὺς, καὶ τοὺς τῶν φαινομένων ἐνθυμημάτων: οὐκ ὄντων δὲ ἐνθυμημάτων.

Amplius autem alio modo in vniuersum de omnibus sumamus & dicamus, notantes locos, factos ad refellendum, & iidem factos ad demonstrandum: & eos, qui sunt simulatorum enthymematum, cum minime sint enthymemata.

Qvod antea seorsum, ac per singula genera fecimus, nunc diuerso modo generatim agamus, addentes accuratam singulorum locorum animaduersionem: adnotantesq;, qui loci confutandis sententijs aduersariorum apti sint, quiq; nostris confirmandis idonei: nec omittentes etiam locos, qui continent ea, quae speciem, similitudinemque enthymematum habent: cum tamen

enthymemata vera illa non sint. Quis autem hic modus futurus sit, indicauit ipse, addens καθόλου: idest communiter atq; in vniuersum: cuncta scilicet simul genera complectentes: περὶ ἁπάντων vero, de quibus ante proprij loci assignati sunt: pollicetur enim se communes omnium locos, & qui sine discrimine tribus dicendi generibus accommodentur, nunc traditurum. Παρασημαινόμενοι hic significare videtur, adscribentes: adnotantes: verbis enim, quae id ipsum demonstrent, non signis, notisue vllis hoc declarat. Eodem verbo in primo Topicorum vsus est. Παρασημαίνεσθαι δὲ καὶ τὰς ἑκάστων δόξας: quem locum cum Alexander explanaret, id verbum
» pro παραγράφειν videtur accepisse. Δεῖν δέ φησιν ἐν ταῖς ἐκλογαῖς παρασημαίνεσθαι, καὶ παραγράφειν τὰς
» ἑκάστων δόξας. Nam in libro etiam sophisticorum elenchorum, notas has indiciaque, (vt arbitror) παράσημα vocauit. Κἀκεῖ δὴ παράσημα ποιοῦνται. Quod in impressis vero hic antea erat δεικτικοὺς, excudi malui ἀποδεικτικοὺς: cuius mutationis auctores habeo cunctos, quos vidi, scriptos libros: quamuis autem praepositio huic nomini addita sit, variatam tamen eius notionem non puto.

Ἐπεὶ περ οὐδὲ συλλογισμοί εἰσι.

Quia ne syllogismi quidem sunt.

Enthymema, inchoatum syllogismum esse constat. Cum igitur syllogismum referat, & si non perfecte omnino reddit, quae in syllogismo sunt, ipsum quoque habeat, necesse est: inueniuntur autem falsi syllogismi, & qui, quamuis nihil concludant, concludere tamen videntur. quare necesse est enthymemata quoque inueniri, quae speciem habeant enthymematum, non tamen sint: illa autem sunt, quae proficiscuntur ab adumbratis, falsisq; syllogismis. nam huiuscemodi quosdam esse, ita planum est, vt confirmare auctoritatibus non oporteat.

Δηλωθέντων δὲ τούτων, περὶ τῶν λύσεων, καὶ ἐνστάσεων διορίσωμεν, πόθεν δεῖ πρὸς τὰ ἐνθυμήματα φέρειν.

His autem declaratis, de solutionibus, & instantijs explicabimus, vnde ducere oporteat aduersus enthymemata.

Quae in extremo hoc libro tradere cogitat, exponit: ipsum enim claudet disputatio de dissoluendis aduersariorum argumentis: nec non ratio ostendetur, qua resisti illis, ne, quod volunt, colligant, possit: omnisq; conatus illorum impediri, aliquid obijciendo. Cum igitur (inquit) hi communes omnium generum loci indicati fuerint, agemus de dissolutionibus argumentorum, & ijs, quas vocant ἐνστάσεις: explicantes, vnde ipsas ducere oportet ad enthymemata aliqua labefactanda: omnis enim vis ipsorum est in illis frangendis. Quae ab excusis omnibus libris aberat: necessaria autem omnino hic erat, praepositionem restitui: vt enim prius legebatur τὰ ἐνθυμήματα φέρειν, locum hic non habet: est enim φέρειν ἐνθύμημα, quomodo supra ipse locutus est, enthymema conficere, atque illo aut res suas confirmare, aut vrgere aduersarium: ex quibus autem illa propositionibus conformari possint nullo modo nunc docet. sed contra rationes explicat: viasq;, quibus enthymemata temptentur: sunt autem illae geminae, Graecis verbis λύσις & ἔνστασις vocatae.

Ἔστι δὲ εἷς μὲν τόπος τῶν δεικτικῶν, ἐκ τῶν ἐναντίων: δεῖ γὰρ σκοπεῖν εἰ τῷ ἐναντίῳ τὸ ἐναντίον ὑπάρχει: ἀναιροῦντα μὲν, εἰ μὴ ὑπάρχει: κατασκευάζοντα δὲ, εἰ ὑπάρχει.

Est autem vnus locus eorum, quae demonstrandi vim habent, a contrarijs: opus enim est videre, si contrario contrarium inest, cum res postulat, vt euertas interimasque, si non est: cum, vt probes confirmesque, si inest.

Ex contrarijs locum hunc Quintilianus appellauit, qui ijsdem paene exemplis, quibus Aristo-
» teles, vsus est. In v. libro. Frugalitas bonum: luxuria enim malum. Si malorum causa bel-
» lum est, erit emendatio pax. Si veniam meretur, qui imprudens nocuit, non meretur praemiũ, qui imprudens profuit. Accuratius tamen eum exponit summus doctor: quomodoq, tractari debeat, exquisitius docet: locum enim vnde conformari possint enthymemata ad probandum confirmandumq; aliquid accommodata esse dicit, qui est a contrarijs: oportere namq; attendere, si forte contrariũ eius, quod alicui rei adesse ostendere volumus, contrariae naturae adest: verũ, quia ope huius loci & esse aliquid confirmari potest, & non esse: est enim quod in margine quoq; scripti cuiusdam libri adnotatum est, & ἀνασκευάσας & κατασκευάσας, non eodem pacto in diuersis rebus fieri debere, narrat: qui. n. (inquit) euertit, animaduertere debet, si contrariũ nullo modo contrariae naturae adest: sin vero constituit, si adest. Cũ vero in excusis antea, dandi casu,

& ἀναιροῦντι,

& ἀναιροῦντι, & κατασκευάζοντι legeretur, secutus maiorem melioremq; partem scriptorum librorum, accusandi casu, ea verba scripsi.

Οἷον ὅτι τὸ σωφρονεῖν ἀγαθόν: τὸ γὰρ ἀκολασταίνειν, βλαβερόν.

Veluti temperanter viuere bonum est: intemperanter enim viuere detrimentosum.

VT siquis ostendere volens, temperanter viuere, rem bonam esse ac iuuare, declaret intemperantem vitam degere, esse rem detrimentosam ac malam: hic enim manifesto vtetur loco a contrarijs: bonum namque & malum contraria sunt, quae de contrarijs rebus dicuntur. Qui igitur hoc enthymemate vsus est, propositum habuit probare temperantiae conuenire, dici illam bonum: sumpsit autem contrarium eius, malum: declarauitq; id contrariae naturae conuenire: idest intemperantiae. quare illud ita temperantiae quadrare comprobatur.

Ἢ ὡς ἐν τῷ μεσσηνιακῷ: εἰ γὰρ ὁ πόλεμος αἴτιος τῶν παρόντων κακῶν, μετὰ τῆς εἰρήνης δεῖ ἐπανορθώσασθαι.

Vel vt in Messeniaca oratione: si namque bellum causa est malorum, quibus modo affligimur, pacis auxilio ipsa corrigere oportet.

ALCIDAMAS orator Messeniacam orationem scripsit, id est pro Messenijs (vt arbitror) testatur hoc Aristoteles in primo horum librorum. Hoc autem exemplum, vt superius, manifesto expressit Quintilianus. Sententia horum verborum haec est: si bellum namque malorum, quae nunc vos premunt, causa est, oportet vos paci studere, si corrigere ipsa & emendare vultis. bellum & pax contrariae res sunt, quae manifesto appellantur: mala bonaq; itidem contraria: non tamen bonorum nomen hic positum, sed corrigere mala dicens, id prorsus significauit. Consilium Alcidamantis liquidoq; intelligitur: suadebat enim pacem, atq; ita mala, quibus vexabantur, sedari posse aiebat.

Εἴπερ γὰρ οὐδὲ τοῖς κακῶς δεδρακόσιν Ἀκουσίως, δίκαιον εἰς ὀργὴν πεσεῖν, Οὐδ' ἂν ἀναγκασθείς τις εὖ δράσῃ τινά Προσῆκόν ἐστι τῷδ' ὀφείλεσθαι χάριν.

Si namque ijs, qui inuiti obfuerint, aequum non est irasci, neque etiam, siquis coactus profuerit, dignus est, cui gratia habeatur.

QVATTVOR sunt senarij: quod qui non omnino in his rebus rudis est, facile animaduertere potuit. Sustuli tamen mendum, quod extremam sedem secundi versus laedebat: cum enim πίπτειν antea in excusis foret, πεσεῖν emendaui, vt in antiquissimo libro legitur: iambus enim illic necessarius est, qui pes ex altero illo verbo non conficitur. Eorum saue sensum soluta oratione breui expressit Quintilianus: vt tamen plenius omnes sententias reddamus: si enim (inquit) his, qui nolentes inuitiq; male fecerint, aequum non est irasci: neque etiam siquis coactus, necessitateq; ipsi eius rei imposita, bene fecerit, decet huic gratiam habere: beneficioque se obstrictum fateri. Animaduertenda autem elegans locutio, quae poëticum stilum olet, πεσεῖν εἰς ὀργὴν pro ὀργίζεσθαι, & irasci.

Ἀλλ' εἴπερ ἐστὶν ἐν βροτοῖς ψευδηγορεῖν Πιθανόν, νομίζειν χρὴ καὶ τοὐναντίον Ἄπιστ' ἀληθῆ πολλὰ συμβαίνειν βροτοῖς.

Sed si est apud mortales falsa oratio probabilis, existimandum est contra, incredibilia multa vera inueniri in eorundem vsu.

QVARTVM exemplum, quod a Quintiliano relictum est: exponitur autem & ipsum tribus senarijs, quorum sententia haec est. Si apud mortales, nostrisq; in congressibus, inueniuntur non nullae res falsae, quibus fides facile habeatur, credibilesq; sint, existimare debemus contra etiam veras multas res euenire hominibus, quae fide careant, falsaeq; primo aspectu esse videantur: ita autem (vt arbitror) argumentatus est, qui rei incredibili fidem acquirere studebat: persuadereq; ijs, qui audiebant, vt eam factam crederent. In antiquissimo libro, non vt in excusis antea, ψευδολογεῖν, verum ψευδηγορεῖν legitur: sed alijs quoque testibus integritas huius lectionis confirmatur. quare illo verbo deleto, hoc recepi.

Ἄλλος ἐκ τῶν ὁμοίων πτώσεων: ὁμοίως γὰρ δεῖ ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν.

Alius a similibus casibus: similiter enim siue inesse, siue non inesse oportet.

QVOS casus appellet, fallere nos non potest: ipse enim testificatur in ij. libro Topicorum, quid hoc nomine intelligi velit. Verba ipsius in commentario in primum librum posui, vbi locos tradens, quibus maius esse aliquid bonum confirmari posset, dixit, vt in coniugatis se res habet, & in similibus casibus, ita etiam relíqua omnia consequi, ac de ratione firmitateq; huius argumentationis ac vi nominis, plenius disputaui. Cum autem loci a coniugatis, locos a casibus complectantur: quod etiam testatus est Alexander in quartum Topicorum, res contra se habere non potest: vt cum loci a casibus appellantur, intelligi quoque debeant loci a coniugatis, nisi aliter hoc nomen ceperit: nullum tamen hic alium locum coniugatorum tradit, quem videbatur relinquere non debuisse: & sane exempla, quae adiungit, conueniunt loco, a casibus proprie appellato. Alius igitur quidam locus est ex similibus casibus: simili enim modo (inquit) rem se habere, aut non habere oportet, vt in casibus euenit: si ipsis namque id vsu venit, & alijs quoq; nominibus, vnde illa decidunt, idem continget: nec non contra: si namque in casibus rem ita se non habere inuenietur, in illis quoq; se non habere affirmari poterit. licebit igitur ope huius argumentationis & constituere aliquid & labefactare.

Οἷον ὅτι τὸ δίκαιον, οὐ πᾶν ἀγαθόν: καὶ γὰρ ἂν τὸ δικαίως: νῦν δ' οὐχ αἱρετὸν δικαίως ἀποθανεῖν.

Veluti iustum non omne bonum esse: sequeretur enim, vt iuste quoque: nunc vero iuste mori non est expetendum.

EXEMPLO hunc locum illustrat. vt si quis ostendere volens, non omne, quod iustum est, idem etiam bonum esse: falliq; eos, qui aliter sentirent: ita enim argumentabitur. Si istud namque verum foret, & quidquid iuste fit, idem etiam bene fieret, expetiq; semper deberet: nunc autem contra vsu venire aliquando videmus: neque enim bonum expetendumque est, siquis omnino mori debeat, iuste mori: ac praestat iniuste mori, immeritoque supplicio affici: declarat enim innocentiam, culpaeque vacuitatem: cum, qui paena optimo iure afficiuntur, improbi ac nefarij sint.

Ἄλλος ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα: εἰ γὰρ θατέρῳ ὑπάρχει τὸ καλῶς, ἢ τὸ δικαίως ποιῆσαι, θατέρῳ τὸ πεπονθέναι: καὶ εἰ κελεῦσαι, καὶ τὸ πεποιηκέναι.

Alius ab ijs, quae sub eandem rationem cadunt: si namque alteri eorum inest honeste, vel iuste fecisse, alteri perpessum esse: & si praecepisse, & fecisse.

TERTIVS locus hic est ex rebus, quae sub eandem rationem veniunt: itaq; affectae inter se sunt, vt mutuam confirmationem praebeant: si enim (inquit) eorum alteri, quae mutuo ita se habent, contigerit, vt aut honeste, aut iuste quippiam fecerit, & alteri quoque, vt aut honeste & ipsum aut iuste perpessum sit: alterutrum scilicet horum, quod de illo prolatum fuerit: & si eodem pacto alteri, vt mandarit, & alteri, vt fecerit: honeste (inquam) aut iuste.

Οἷον ὡς ὁ τελώνης Διομέδων περὶ τῶν τελῶν. Εἰ γὰρ μηδ' ὑμῖν αἰσχρὸν τὸ πωλεῖν: οὐδ' ἡμῖν τὸ ὠνεῖσθαι.

Veluti publicanus Diomedon de vectigalibus. Si enim ne vobis quidem turpe est vendere, neque nobis emere.

EODEM hoc exemplo in primo libro de inuentione Cicero vsus esse dici posset, nisi nomina virorum diuersa forent: verba enim Ciceronis haec sunt. Nam si Rhodijs turpe non est portorium locare, nec Hermacreonti quidem turpe est conducere: sunt autem haec πρὸς ἄλληλα: quae ita coniuncta inter se sunt, vt altero sublato, alterum quoque intereat. Quod in excusis hic antea mendose legebatur περὶ τελωνῶν, correxi περὶ τελῶν: ita enim in antiquissimo libro scriptum offendi: cui vetus tralatio adstipulatur: veriorem autem lectionem hanc esse, inde etiam intelligi potest, quod cum Diomedon quoque publicanus foret, non satis commode locutus esset de publicanis dicens, tamquam ipse vnus ex illis non esset: verum etiam ita nihil extra intelligere oportebit, cum infra emere ac vendere dicat: nec, quid id sit, addat: τέλη enim accipientur: quod in altera lectione necessarium fuisset: & tamen apud Halicarnasseum nunc legitur τελωνῶν. Sensus igitur huius exempli hic est. vt Diomedon publicanus pro suo ordine ad populum, magistratumue aliquem loquens, cum exprobraretur ipsis ratio illa augendi patrimonij, de vectigalibus ipsis agens: eamque rem turpem non esse confirmans, dixerit: si enim vobis illa vendere turpe non est, neq; nobis redimere. Τέλη, cuius verbi plures notiones

notiones sunt, hoc etiam valere, testatur nomen ipsum, quo publicani vocabantur: τελῶναι enim iuncto nomine, quod τέλη redimerent: publicosq; redditus ciuitatis exigendos conducerent, appellabantur.

Καὶ εἰ τῷ πεπονθότι τὸ καλῶς, ἢ δικαίως ὑπάρχει, καὶ τῷ ποιήσαντι: καὶ εἰ τῷ ποιήσαντι, καὶ τῷ πεπονθότι.

Et si ei, qui accepit malum, honeste vel iuste inest, & illi, qui fecit: & si illi, qui fecit, & illi, qui accepit.

Si, qui damnum accepit, honeste aut iure multatus est, & qui illud importauit, honeste aut iure fecit: contraq; si, qui mali alicui quippiam intulit, aut honeste aut iuste fecit, & qui sustinuit eodem & ipse pacto, malo affectus est: conuertitur enim res: & vt illud ope huius, ita etiam hoc ope illius, confirmatur.

Ἔστι δ' ἐν τούτῳ παραλογίσασθαι: εἰ γὰρ δικαίως ἀπέθανε, δικαίως πέπονθεν: ἀλλ' ἴσως οὐχ ὑπὸ σοῦ.

Licet autem in hoc vti fallacia: si namque iuste mortuus est, iuste malum accepit, sed fortasse non a te.

Qui huic rei studeret, posset etiam ope huius loci fucum facere: decipereq; imperitum aduersarium: continet enim in se vitium, fallaciaque non parua aliquando subest: si enim quispiam iuste necatus est, iuste sane ille malum passus est: verum a te id fortasse proficisci non debuit: neque tuae partes erant id facere: qui enim ob facta improba mortem legibus meruit, non impune a quolibet interfici potuit: & si enim ille supplicio paenaq; ea dignus (inquit) non tamen tu manus ei adferre debuisti. nec culpa caret atq; omni paena solui debet, qui nefario etiam, ac facinoroso necem attulit. Antequam studio & diligentia Henrici Stephani, docti viri, egregijq; typographi, prodijsset in lucē libellus, in quo est epistola Dionysij Halicarnassei ad Hammaeum, secutus ipse consensum omnium, quos mihi videre licuit, & scriptorum, & excusorum librorum, ita hunc locum accepi, vt nunc quoq; hic notatum reliqui. cum autem in ea locus citatus sit, quem modo in manibus habemus, valde variatus, cuius etiam loci de fide nihil mihi penitus exploratum est, existimaui primum non alienum esse, vt prius legebatur, eum hic adponere: postea suspiciones de ipso meas indicare. ita igitur in illis litteris expositus est. ἔστι δὲ τούτῳ παραλογίσασθαι: οὐ γὰρ εἰ δικαίως ἔπαθεν ἄν, καὶ δικαίως ὑπὸ τούτου πέπονθεν. ὡς ὁ φόνου ἄξια ποιήσας πατὴρ, εἰ ὑπὸ τοῦ υἱοῦ, τοῦ ἑαυτοῦ τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἀπάγεται, δεῖ σκοπεῖν χωρὶς, εἰ ἄξιος ὁ παθὼν παθεῖν, καὶ ὁ ποιήσας ποιῆσαι. εἶτα χρῆσθαι ὁποτέρως ἂν ἁρμόττῃ: ἐνίοτε γὰρ διαφωνεῖ τὸ τοιοῦτον. ὥσπερ ἐν τῷ Ἀλκμαίωνι τοῦ Θεοδέκτου, καὶ οἷον ἡ περὶ Δημοσθένους δίκη, καὶ τῶν ἀποκτεινάντων Νικάνορα. Primum autem, postquam testatus est locum esse in eo fallaciae, quomodo ope illius imponi possit aduersario significat, negans id verum esse, quod falso putaretur firmum: in excusis enim prius non negabatur, sed affirmabatur, quod traditur. Deinde exemplum ponitur eius, quod dicit, non acceptum ab aliquo poëta, siue oratore, vt solet, sed tamquam fictum & conformatum ab auctore. veluti inquit. pater, qui gessit, quod morte dignum est, an vocari in iudicium, reiq; capitalis reus fieri debeat a filio: deinde inquit quomodo vti oporteat hac animaduersione. nam, vt infra omisit exemplū Theodectis verbaq; tragici non posuit, ita hic de suo addere comminisciq; potuit, quod rem statim explanaret. non affirmo tamen hoc, sed existimandum doctis hominibus, multumque iudicio valentibus, relinquo.

Διὸ δεῖ σκοπεῖν χωρὶς, εἰ ἄξιος ὁ παθὼν, παθεῖν, καὶ ὁ ποιήσας, ποιῆσαι: εἶτα χρῆσθαι ὁποτέρως ἁρμόττει.

Quare seorsum videndum est, si qui accepit malum, dignus fuit, qui acciperet: & si qui dedit, dignus fuit, qui daret: deinde vti vtro modo congruit.

Qui igitur in laqueum induci non vult, alijq; imponere cupit, seorsum ambas partes spectet, cumq; omnem rem animaduerterit, id faciat, quod causa ipsius postulat.

Ἐνίοτε γὰρ διαφωνεῖ τὸ τοιοῦτο, καὶ οὐδὲν κωλύει, ὥσπερ ἐν τῷ Ἀλκμαίωνι τοῦ Θεοδέκτου.

Aliquando enim discrepat huiuscemodi omne, & nihil prohibet, quemadmodum in Alcmaeone Theodectis.

Non semper haec simul stant, & quandoq; alterum ab altero discrepat: vt qui scilicet occisus sit, morte dignus fuerit, non tamen, qui interfecit, scelere careat ac recte fecerit. nihil vetare inquit, quin hoc videlicet aliquando contingere possit: siue quin haec simul non maneant, sed repugnent. exemplo hoc verum esse ostendit. Theodectem autem Phaselitem, Aristotelis sodalem, de artificio dicendi scripsisse, & non malum etiam poëtam tragicum fuisse, plures auctores tradunt. Stephanus, qui de vrbibus scripsit, quinquaginta fabulas docuisse eum tradit, Athenisq; mortuum. Sed quattuor etiam versiculos, qui in basi sepulchri scripti erant, ponit. Ex Alcmaeone igitur, Theodectis huius fabula, exemplum sumit. &, vt suspicari possum, Alcmaeon ipse damnatus, rationem reddens, cur iudicio elabi non potuerit: cum videretur ille iure matrem Eriphylem interfecisse, quae patrem necauerat, inquit. ipsam quidem iure caesam, me autem necare non debuisse iudices statuerunt.

Μητέρα δὲ τὴν σὴν οὔτις ἐστύγει βροτῶν.

Matrem vero non inueniebatur mortalis vllus, qui odisset?

Locus valde obscurus est, de quo nihil certi, cum Theodectis fabulae vetustate perierint, tradi possit. Hic autem manifesto senarius est pronuntiatus ab aliquo, qui mirabatur Alcmaeonem ob rectissimum facinus a iudicibus condemnatum fuisse. Quis mortalis (inquit) non odio flagrabat contra matrem tuam, quae, auaritia occaecata, & vt monile acciperet, viri salutem prodiderat? quomodo igitur tu, cum omnium iudicio morte dignam interfeceris, condemnatus es? vt qui falso putaret, licere a quolibet morte dignum hominem, necari.

Φησὶ δὲ ἀποκρινόμενος, ἀλλὰ διαλαβόντα χρὴ σκοπεῖν. ἐρομένης δὲ τῆς Ἀλφεσιβοίας πῶς; ὑπολαβὼν φησί. Τὴν μὲν θανεῖν ἔκριναν, ἐμὲ δὲ μὴ κτανεῖν.

Respondens ille affirmauit, sed addidit, opportere haec seiungentem videre. cum quaereret ab eo Alphesiboea quomodo, suscipiens sermonem, inquit, Hanc quidem iudicarunt dignam, quae morte afficeretur: me autem non debuisse necare.

Haec (vt opinor) Aristotelis verba sunt, quae in eo loco continerentur, breuiter exponentis: nec enim verba poëtae, extrema parte excepta, quae versiculo clauditur, sed sententiam tantum hic accepit: respondens (inquit) Alcmaeon ei, qui percunctatus fuerat, affirmauit, summum esse omnium mortalium odium aduersus matrem suam. Verum (inquit) si quis bene de illis existimare vult, haec seorsum, distincteq; consideret oportet. Cum Alphesiboea, quae fortasse & ipsa supra interrogauerat, percunctaretur, quo modo vel distingui rem oporteret, vel damnationis sibi causa haec rei distinctio fuisset: suscipiens rursus sermonem Alcmaeon, senariolum protulit, cuius sententia supra etiam a me expressa, haec est. hanc morte dignam fuisse statuerunt: me vero, qui interficerem, nullo modo dignum iudicarunt. In pari autem causa Orestis, cum & ipse matricida foret, & morte digna existimata esset Clytemnestra, idem contingere debuit, nisi Palladis sententia subleuatus, iudicio illo absolutus fuisset. Quod vidit etiam Euripides: in extrema enim Electra, cum finxisset Castorem Pollucemque facta caede continuo apparuisse, quid sentirent de omni illo facto ita inducit ipsos cum Oreste loquentes. Δίκαια μὲν νῦν ἥδ' ἔχει· σὺ δ' οὐχὶ δρᾷς. Separauerunt igitur & ipsi personas: seorsumq;, quid de vtraq; dici posset, ostenderunt: sororem enim debita paena cum affectam non negassent, sororis filium nefarie fecisse statuerunt.

Καὶ οἷον ἡ περὶ Δημοσθένους δίκη, καὶ τῶν ἀποκτεινάντων Νικάνορα· ἐπεὶ γὰρ δικαίως ἐκρίθησαν ἀποκτεῖναι, δικαίως ἔδοξεν ἀποθανεῖν.

Et veluti causa Demosthenis, & eorum, qui obtruncarunt Nicanorem: postquam enim iuste iudicati sunt obtruncasse, iuste visum est eum morte affectum.

Non arbitror intelligi hic debere Demosthenem, principem Graecorum oratorum: sed alium Demosthenem, summum & ipsum in rep. Atheniensium virum: & qui exercitum quoque duxerit: cuius meminit orator in iij. Olynthiaca, cum veteres oratores & quorum consilio resp. bene semper gesta sit, enumeraret. nec tamen, quod ad locum hunc pertineat: de iudicioque hoc agat, adhuc quicquam indagare potui. Nihil praeterea de altero, quod adiungit, exemplo exploratí habeo. Nicanoris cuiusdam Macedonis mentio est apud auctores, qui cum praefectus praesidij Munychiam oppidum Atheniensium diu tenuisset, impositus a Cassandro, Antipatri filio, ab eodem postea dolo sublatus est; cum classe namque missus ab eo, vna cum An-

tigono regios tutores vicit: Athenasque reuersus, inflatus victoria illa, ac nimios spiritus gerens suspectus esse coepit Cassandro: quare, insimulatus proditionis, ab ipso interfectus est. Diodorus in extremo xviij. libro bibliotheces, hoc memoriae prodidit: nec tamen rationem » mortis narrauit, sed inquit. κρίνας αὐτὸν ἀλλότρια φρονεῖν, ἐδολοφόνησεν. An hoc pertineat ad hunc: Nicanorque ille sit, quem intelligit Aristoteles, affirmare in tam incerta re, non ausim. Sensus vero horum verborum hic est. Et iudicium quoque factum de ijs, qui interfecerunt Nicanorem: quia namque illi iudicati sunt iure hominem necasse, iuste visus est mori: dignusq; poena illa fuisse. Hic autem scrupulus nullus est in verbis: (hoc enim addere modo mihi placuit ijs, quae olim excogitaui, si forte aliquid valerent ad caliginem ex hoc tenebricoso loco pellendam) sed omnis difficultas manet in historia ipsa, memoriaque huius veteris facti: neque enim omnino assentior opinioni Halicarnassei in hoc, qui arbitratur significari causam pro Ctesiphonte: non video namque quomodo vocare potuerit orationem illam, quae ὑπὲρ τοῦ Κτησιφῶντος inscribitur, περὶ Δημοσθένους: iudicium enim fieri debebat de facto Ctesiphontis, an iure ille potuerit ornare Demosthenem, coronamque capiti ipsius imponere, antequam rationem reddidisset publicae curae, quam administrandam susceplisset: & si rectum facinus fecerat, sequebatur sane inde postea, vt si Ctesiphon damnatus fuisset, eriperetur Demostheni honos, quem beneficio illius obtinuisset: neque aliud vllum periculum subibat. Praeterea eandem causam fuisse, opinor, quam vocauit Aristoteles de Demosthene, & ijs, qui interfecerunt Nicanorem: nimis enim obscure locutus fuisset, & ita, vt a nemine intelligi posset, si causam pro Ctesiphonte simpliciter vocasset, de Demosthene. Cum certiora adhuc afferre nequeam, volui aperire, quae mihi in mentem venerunt, apta ad declarandum, acquiescere nos non oportere sententiae illi Dionysij, cui etiam ipse, vt apparet, fateturq;, non confidit.

Καὶ περὶ τοῦ Θήβησιν ἀποθανόντος: περὶ οὗ ἐκέλευε κρῖναι, εἰ δίκαιος ἦν ἀποθανεῖν. ὡς οὐκ ἄδικον ὂν ἀποκτεῖναι, τὸν δικαίως ἀποθανόντα.

Et de illo, qui Thebis mortuus est, de quo iußit iudicare, si dignus fuit, qui moreretur, tamquam iustum non sit interficere eum, qui iuste mortuus est.

OBSCVRE sane hanc rem commemorauit Aristoteles, vt quae tempore illo valde nota foret, ac ne nomen quidem eius indicauit, quem Thebis mortuum dicit: & de quo ita iudicium factum esset. narratur autem ipsa diligenter a Xenophonte in vij. libro de bellis Graecorum. fuit igitur is Euphron, qui, peregrinus homo, Thebis potestatem magnam adeptus est. pluribus autem locis meminit eius auctor in eo libro: cum vero ille multa prius turbasset in ea vrbe forisq;, ab inimicis postea, impetu in eum facto, interfectus est. Cuncta exponere, quae gessit, longum esset, ac minime necessarium. quod huc facit, est, quod vocati sunt in iudicium, accusatiq; vehementer, qui hominem obtruncarant. nam habebat Thebis fautores non paucos, quorum opes, dignitatemq; auxerat. cum autem socij eius caedis factum negassent, vnus eorum libere confessus est: affirmauitq; se ac suos ob publicum bonū id fecisse, cum iniustus homo ac perniciosus foret: auctorq; fuit iudicibus in illa sua defensione: vt, si vere de ea nece existimare vellent, viderent, num morte ille dignus foret, tamquam iniustum non esset necare quemlibet, morte dignum. Cum igitur Xenophon inquit ἐκέλευε κρίνεσθαι, intellexit reum, & qui se in iudicio libere defendit. Antiquissimus tamen liber, a reliquis discrepans, κελεύει κρίνεσθαι habet, instanti tempore priore verbo, non praeterito: posteriore vero patiendi forma, non agendi. Cum vero me olim haec historia fefellisset, succurrit Fabius Beneuolentius, Senensis ciuis, & honesto loco natus, vir valde doctus, amicusq; meus summus, qui veterem omnem memoriam studiose euoluit: monimentaque Graecorum scriptorum assidue manibus terit.

Ἄλλος ἐκ τοῦ μᾶλλον, καὶ ἧττον.

Alius locus ex maiore, & minore.

QVARTVS locus ex maiore, & ex minore appellatus a Latinis. Animaduertendum in argumentatione ex maiore, a refutatione antecedentis colligi negationem consequentis. Exemplum Aristotelis hoc aperte declarat: in ea autem, quae ex minore vocatur, nihil inficiantes concludimus: sed cum consequens, minusq;, vt appellatur posuerimus, confirmatio antecedentis, maiorisq; consequitur, vt hoc etiam exemplo declaratur. Accuratius autē multo vberiusq; locos hos exposuit in ij. libro Topicorum: quattuor enim esse voluit, qui ex maiore argumentandi ansam praeberent. vt etiam, qui ex minore: quos singulos vtiles esse tradit & ad refellendum & ad confirmandum: sunt autem ij, cum comparatio scilicet fit vnius cum vna re: spectando vtra earum maior aut minor sit, aut vnius, quod contingere illis dicatur, ad duas res,

aut

aut duorum, quae euenire eidem rei credantur, aut duorum duabus rebus contingentium: quae omnia exemplis positis ab eo illustrantur, & ab eruditissimo, politissimoque interprete copiosius explicantur.

Οἷον, εἰ μὴ δ᾽ οἱ θεοὶ πάντα ἴσασι, σχολῇ οἵ γε ἄνθρωποι.

Veluti, si ne dij quidem cuncta nouerunt, quomodo possunt homines.

CEV inquit (hoc enim exemplo rem illustrare voluit) si ne dij quidem cuncta nouerunt, multo minus homines omnia cognita habent: hic enim sensus est horum verborum: quae tamen vnde sumpserit, compertum non habeo. sustuli autem inde mendum, quod illa occuparat: πάντες enim in excusis antea legebatur, cum in antiquissimo libro, cuius etiam lectionis vestigia apparent in vetere tralatione, πάντα scriptum sit: quomodo videtur omnino legi debere. Si diuinam illam praestantemq; naturam quaedam fallunt, nullo modo humanam infirmamque nihil latere potest. nam vocem celebratam poëtae: qui contra affirmauit nihil deos immortales ignorare: dixitq;, θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασι, notam esse arbitror. Quod autem ait σχολῇ οἵ γε ἄνθρωποι, modus loquendi est familiaris Atticorum, crebroq; a poëtis vsurpatus, sed ab ijs quoq;, qui soluta oratione scripserunt. nam optimus etiam dicendi auctor Plato sic locutus est in Phaedro. καίτοι εἰ αὗται τῶν περὶ τὸ σῶμα αἰσθήσεων μὴ ἀκριβεῖς εἰσι, μηδὲ σαφεῖς, σχολῇ γε αἱ ἄλλαι. significat autem multo minus id ab alijs expectari posse propter imbecillitatem eorum, quod, quae tarde lenteq; fieri dicuntur, & magnum otium requirere, vt perficiantur, fieri non posse intelliguntur. An Latini ita locuti sint, exploratum non habeo, nos certe patrio sermone mirifice illum exprimimus: dicimus enim a bell'agio id fieri posse, quod minus expectandum est: atq; id, quasi cum contemptu pronuntiamus.

Τοῦτο γάρ ἐστιν, εἰ ᾧ μᾶλλον ἂν ὑπάρχοι, μὴ ὑπάρχει, δῆλον ὅτι οὐδ᾽ ᾧ ἧττον.

Hoc enim est, si cui magis inesse deberet, non inest, perspicuum est neque cui minus.

DECLARAT his verbis argumentationem illam esse a maiori, & vim ipsius rationemq; exponit. Hoc dicens nihil aliud esse, nisi si in quo multo magis id esse debebat, in eo non inuenitur, perspicuum est in eo non esse, in quo multo minus expectabatur: cuncta enim scire in deorum natura magis positum esse, quam in mortali debebat. quare cum illic non inueniatur, multo minus hic expectari potest.

Τὸ δ᾽, ὅτι τοὺς πλησίον τύπτει ὅς γε, καὶ τὸν πατέρα τύπτει, ἐκ τοῦ εἰ τὸ ἧττον ὑπάρχει, καὶ τὸ μᾶλλον ὑπάρχει.

Illud autem propinquum hominem caedit, qui parentem caedit, ex eo, si quod minus inest, & quod magis inest.

HOC exemplum esset argumentationis ex maiore Ciceroni: quo tamen philosophus quo modo quis ex minore argumentetur, docet. Caederet etiam propinquos, qui patrem caedit. quid vterq; secutus sit, manifestum est. Cum maior culpa, scelusq; sit, patrem, quam propinquos caedere: existimat Cicero vere, qui a caedendo patre sibi non temperat, a caedendis etiam propinquis sibi temperaturum non esse, ideoq; ex maiore genus hoc argumenti vocat. Aristoteles, cum boni viri officium sit nemini vim afferre, cumque iniuria ab omni abesse debeat, si tamen ibi manet, vbi minus esse debebat, illic etiam existet, vbi frequentius esse consueuit. & haec causa est, cur εἰ τὸ ἧττον ὑπάρχει appellarit, a minoreque eam significari voluerit.

Καθ᾽ ὁπότερον ἂν δέῃ δεῖξαι. εἴθ᾽ ὅτι ὑπάρχει: εἴθ᾽ ὅτι, οὔ.

Vtro modo opus fuerit demonstrare, siue quod est, siue quod non est.

OSTENDIT vtrique parti accommodatum esse hunc locum ex collatione, siue aliquid esse probare velis: siue contra non esse, vt eo vti possis, siue affirmare quippiam, siue negare studeas, nam exemplum, quo vsus fuerat, manifesto affirmabat.

Ἔτι εἰ μήτε μᾶλλον: μήτε ἧττον.

Amplius, si neque magis, neque minus.

CVM paria omnia sunt, nec aliquid superat, aut superatur, Cicero in ij. de Oratore ex pari appellauit: atque exemplo etiam illustrauit. Ex pari sic. Est eiusdem & eripere contra rem publicam, & largiri pecunias. Hunc autem a re pari locum in Topicis quoque, vt hic, cum locis ex

maiore

maiore & minore copulauit: vocauit autem eum illic, ἐκ τοῦ ὁμοίως ὑπάρχειν, ἢ δοκεῖν ὑπάρχειν: ac trifariam tractari inquit: iisdem scilicet modis, qui cum extremis tribus superioris ex maiore minoreq; iidem sunt: respondent enim illis: nam primo modo ex maiore, auxilio cuius vnum vni adesse probatur: quia auctionem ipsius auctio eius, quod dicitur de illo, consequitur, non est modus, qui respondeat in loco ex pari. Cuius rei causam accurate attulit Aphrodisiensis.

Ὅθεν εἴρηται. Καὶ σὸς μὲν οἰκτρὸς, παῖδας ἀπολέσας, πατὴρ: Οἰνεὺς δ᾽ ἄρ᾽ οὐχὶ, τὸν ἑλλάδος ἀπολέσας κλεινότατον γόνον.

Unde dictum est. Et tuus quidem pater miserabilis est, cum amiserit liberos: Oeneus vero minime, qui amisit, Graeciae lumen, filium.

EXEMPLVM e Tragaedia sumptum: sunt autem integri duo senarii, dimidiatusq; tertius: verba vero videntur cuiuspiam, consolantis Althaeam, insimulantisq;, quod Thestium patrem miserrimum omnium diceret, neminemque vnquam maius incommodum accepisse ex amissione liberorum affirmaret: a Meleagro autem illi interfecti fuerant: ac fortasse ab Oeneo ipso pronuntiata sunt. vt sic, extorquere vxori luctum, erroremq; cupiens, interroget ipsam, quamuis aliam personam induat: deq; seipso, tamquam alio quodam homine, verba faciat: vt, cum commoto animo esset, δεικτικῶς locutus sit. Et tuus parens miserandus amissis filiis est? Oeneus non miserandus, qui totius Graeciae florem gnatum perdidit: paria enim incommoda illa erant, paremq; misericordiam excitare debebant: Meleagrum autem manifesto intelligit, quem ob fortitudinem maxime inclytum, in omni Graecia fuisse tradit. Dissentit a reliquis antiquissimus liber, quod κλεινὸν ἀπολέσας γόνον habet: ordine verborum variato, & collatione nominis epitheti, e tertia ad primam reuocata.

Καὶ ὅτι, εἰ μηδὲ Θησεὺς ἠδίκησεν, οὐδ᾽ Ἀλέξανδρος.

Et si Theseus iniuste non fecit, neque etiam Alexander.

PRAETEREA si Theseus iniuste non fecit, neque Paris, cum eandem rapuit: ex pari. admisisse autem Theseus aliquid sceleris credi non debet, cum vir iustus fuerit. Parin vero Priami filium intelligit. cur ille Alexander appellatus sit, docet M. Varro in vij. de lingua Latina his
„ verbis. Aut Alexandrum, ab eo appellatum in Graecia, qui Paris fuisset, a quo Herculem quoq;
„ nominatum, alexicacon, ab eo, quod defensor esset hominum: Theseum autem ante Parin Helenam rapuisse, nemo nescit: id copiose quoque declarat Isocrates in laudatione Helenae, & Plutarchus in vita Thesei.

Καὶ εἰ μὴ οἱ Τυνδαρίδαι, οὐδ᾽ Ἀλέξανδρος.

Et si Tyndaridae iniuste non fecerunt, neque Alexander.

CASTOREM, Pollucemq; Tyndarei filios intelligit, qui duas Leucippi filias rapuerunt: id autem Theocritus quoq; in Idillio, quod Διόσκουροι inscribitur, tetigit. Nomina illarum ponit Ste-
„ phanus in dictione Ἄφιδνα: inquit enim ἔστι καὶ τῆς Λακωνικῆς. ὅθεν ἦσαν αἱ λευκιππίδες, Φοίβη καὶ Ἐλάειρα. Nisi igitur Tyndaridae iniuste fecerunt, nec Alexander dici potest iniuste fecisse, qui Helenam sororem eorum rapuit: aut enim omnes damnandi, aut omnes absoluendi: illi autem cum deorum in numerum recepti sint, nihil fecisse improbe existimari possunt.

Καὶ εἰ Πάτροκλον Ἕκτωρ, καὶ Ἀχιλλέα Ἀλέξανδρος.

Et si Patroclum Hector, & Achillem Alexander.

ARGVMENTVM hoc (vt opinor) purgat Paridem, qui dolo Achillem sustulit: ducitur autem ex pari. Si Hector Patroclum hostem recte necauit, & Paris Achillem sine culpa interemit.

Καὶ εἰ μὴ δ᾽ οἱ ἄλλοι τεχνῖται, φαῦλοι: οὐδ᾽ οἱ φιλόσοφοι.

Et si reliqui artifices non sunt mali, neque philosophi.

SI neque alii artifices nihili homines habentur, non debent etiam philosophi parui pretii aestimari: nam ipsi quoque artis magistri sunt, atque eius quidem praeclarae: exemplum enim hoc studiosos sapientiae tuetur ab improbitate multitudinis, quae ipsos, vt nullius pretii homines inutilesq; despicere consueuit: ex pari autem argumentum ductum est.

Καὶ εἰ μὴ δ᾽ οἱ στρατηγοὶ φαῦλοι, ὅτι ἡττῶνται πολλάκις, οὐδ᾽ οἱ σοφισταί.

Et si

Et si exercituum duces mali non sunt, quia saepe in proelijs incommodi aliquid accipiunt, neque sophistae.

PRAETEREA si neque exercituum duces, imperatoresq;, mali belli administratores sunt, quamuis crebra in bello detrimenta accipiant, non debent etiam sophistae, qui ex disputatione victi discedunt, mali haberi. Si omnino haec sententia ex verbis Graecis eliceretur, scrupulus nullus foret: exemplumq; mirifice quadraret: nunc hoc molesti est, quod diuersum verbum in diuersis libris est: vt enim legitur in excusis & non nullis scriptis, videtur prorsus mendosum. antiquissimus liber θανατοῦνται habet, quasi rei capitalis condemnantur: non video tamen, quomodo simili paena affici dicantur sophistae: neque enim accepi illos capite solitos plecti, aut absentes etiam capitis condemnari. nisi intelligere debeamus eijciuntur e ciuitatibus, & legibus condemnantur. Alius scriptus liber non malus habet ἡττῶνται. vetus tralatio vincuntur reddit, cui sententiae acquiesco.

Καὶ ὅτι εἰ δεῖ τὸν ἰδιώτην τῆς ὑμετέρας δόξης ἐπιμελεῖσθαι, καὶ ὑμᾶς τῆς τῶν ἑλλήνων.

Et si decet priuatum quemlibet de vestra gloria sollicitum esse, vos quoque de Graecorum.

HOC quoque ex pari argumentum est. verba oratoris sunt suadentis Atheniensibus, siue alicui alij Graecae ciuitati, vt gloriam totius gentis procurarent. Si enim (inquit) decet singulos priuatos vestrae gloriae seruire: neq; hoc illi sine iusta reprehensione omittere possunt: vos quoq; vniuersorum Graecorum laudis studiosos esse oportet.

Ἄλλος ἐκ τοῦ τὸν χρόνον σκοπεῖν.

Alius a temporis accurata animaduersione.

QVINTVS locus est ad tempus confugere, videreq; an inde aliquid, quod causam tuã adiuuet, eruere possis: saepe enim magna adiumenta dabit. Cum vero in excusis prius hic εἰς τὸν χρόνον legeretur, secutus fidem antiquissimi libri ἐκ τοῦ τὸν χρόνον restitui: hanc etiam lectionem exprimit vetus tralatio. Ducitur quoque aliter argumentum a tempore: valetq; multum ad refellendum: cum tempus scilicet illi crimini repugnat: manifestoque declarat id falsum esse. Vt Isocrates dilui posse ostendit, quae obijciebantur Busiridi: vituperatores enim illius, & qui hospites imolare ipsum solitum insimulabant, aiebant ab Hercule interfectum, cum constaret, Busiridem (vt ipse diligenter ostendit) multis seculis Herculem aetate antecessisse.

Οἷον ὡς Ἰφικράτης ἐν τῇ πρὸς Ἁρμόδιον.

Veluti Iphicrates in oratione in Harmodium.

VT Iphicrates argumentatus est in oratione, quam habuit in Harmodium, cum inquit. Si ante quam ea, quae gessi, vtilia ac salutaria, postulassem vt imagine a vobis donarer, si ea confecissem, profecto mihi illam decreuissetis: quomodo igitur nunc, cum ea effecerim, mihi ipsam non concedetis? tempus enim manifesto hic spectauit: docuitque, quod certo quodam tempore sine dubio dedissent, tunc eos negare recte non posse. Sumptum autem hoc exemplum est ex oratione, quae nomine Iphicratis circumferebatur, inscripta, περὶ τῆς Ἰφικράτους εἰκόνος πρὸς Ἁρμόδιον: quam vulgo a Lysia oratore Iphicrati scriptam credebant: illam tamen Halicarnasseus in vita Lysiae falso ipsius existimatam censuit, atque ab Iphicrate ipso scriptam contendit: Iphicratem namque clarum ducem: reiq; militaris valde peritum, facultate etiam dicendi praeditum fuisse affirmat. Ex verbis Aristotelis certo intelligi non potest, quem nam auctorem ipsius fuisse putarit: Iphicrates enim ipse omnino causam suam egit, & orationem eam suo ore habuit: siue ipse quoq; scripserit: siue ab alio scriptam edidicerit. Huius quoque orationis mentionem fecit Plutarchus in vita eiusdem oratoris, qui, peruulgatam opinionem secutus, eam a Lysia Iphicrati scriptam tradidit. Sed ostendit etiam, quod ab Halicarnasseo non additur, illam aduersus Harmodium scriptam fuisse: vt ex hoc quoq; loco percipitur: πρὸς Ἁρμόδιον enim aduersus ipsum valere omnino puto. Cicero, Demosthenis orationem πρὸς Λεπτίνην, contra Leptinem reddidit: inimicum autem hunc, molestumq; fuisse Iphicrati, paulo post certius declarabitur. quare in hac quoque re, quae dignitatem illius valde augebat, aduersarium ipsi fuisse verisimile est. Quin igitur ipsam hic intelligat Aristoteles dubitare non possumus. verba Plutarchi haec sunt. συνέγραψε δὲ λόγον καὶ Ἰφικράτει: τὸν μὲν πρὸς Ἁρμόδιον. Dionysij vero haec, cum habere se suspectas non nullas orationes, Lysiae nomine editas, dixisset, & quibus

indicijs

* indicijs illas distinguere solitus sit, ostendisset. ὧν ἐστι καὶ ὁ περὶ τῆς ἰφικράτους εἰκόνος: & quae sequuntur: nam pluribus de ea agit: vnus tamen scrupulus restat in verbis Aristotelis, quod ἐν τῇ πρὸς Ἁρμόδιον inquit, non ἐν τῷ, cum Graeci eo genere orationes non appellent, sed virili. Ac sane & Halicarnasseus, & Plutarchus de libro illo, vt de oratione locuti sunt, & λόγον appellarunt: nihil tamen contra fidem omnium librorum immutare volui.

Οἷ εἰ πρὶν ποιῆσαι, ἠξίουν τῆς εἰκόνος τυχεῖν, ἐὰν ποιήσω, ἔδοτε ἄν: ποιήσαντι δ᾽ ἆρ᾽ οὐ δώσετε;

Si antequam gessissem, postulassem imaginem adipisci, si rem confecissem, profecto dedissetis: cum confecerim autem, non dabitis?

CVM in excusis omnibus scriptisq;, quos vidi, vno, antiquissimo illo, excepto, & ἠξίου & ποιήσῃ, mendose legeretur, tamquam de alia quadam persona, non de se loqueretur, qui ita argumentatus est, emendaui ἠξίουν & ποιήσω: vt enim ex ijs, quae supra tradita sunt, aperte perspicitur, Iphicrates ipse pro se ac desiderio suo, statuaeq; honore obtinendo, eam orationem habuit: vnde integritas etiam eius codicis, vt ex alijs quoque multis signis, intelligitur: sensus autem horum verborum supra a me expressus. Vocari vero a recentioribus dicendi magistris πλασὸν ἐπιχείρημα, certum est: cum scilicet orator fingit ac comminiscitur aliquid, quod factum sane non sit, sine incommodo tamen vllo fieri potuerit. Hermogenes in iij. segmento de inuentione id docet, &, excepta persona, hoc ipso exemplo vtitur.

Μὴ δῆτα μέλλοντες μὲν, ὑπισχνεῖσθε: παθόντες δ᾽, ἀφαιρεῖσθε.

Ne igitur, cum expectabitis beneficium, polliceamini: cum acceperitis autem, demite.

EANDEM sententiam vrget. Nolite igitur committere, vt quod beneficium expectantes, polliceremini: nunc beneficio accepto, denegetis: vel potius auferatis: erat enim id eripere, cum id non dabant, quod rogati omnino concessissent: non promiserant autem, pudore ac liberalitate beneficium in ipsos conferentis.

Καὶ πάλιν πρὸς τὸ, Θηβαίους Φίλιππον διεῖναι εἰς τὴν ἀττικήν.

Et rursus ad illud, debere Thebanos pati, vt Philippus transeat per agrum suum cum exercitu.

ALIVD exemplum valde par, ex historia acceptum. Auxilium miserat Philippus, Macedoniae rex, Thebanis contra Phocenses: spatio autem temporis interiecto, cum petiturus ab ipsis rex foret, vt sinerent se cum exercitu per agrum suum iter facere, ac bellum Atheniensibus inferre: cum id non facile obtineri ab illis posse, non nulli fortasse censerent. si quis rebus Philippi studeret: causamque eam adiuuare vellet, argumento, a tempore ducto, posse id praeclare facere docet: oportere (inquam) iubere ipsos recordari tempus illud, quo ipsius auxilio egebant, &, si tunc id poposcisset, an recusaturi fuerint, cogitare. Quod in excusis antea erat πρὸς τοὺς Θηβαίους, melius legi credidi, vt in antiquissimo libro scriptum est, πρὸς τὸ, Θηβαίους Φίλιππον διεῖναι εἰς τὴν ἀττικήν. vt si tamquam in argumentum illud, ac causam eam constituens atque adiuuans: nam dicere etiam πρὸς ὑπόθεσιν eodem intellectu boni auctores consuerunt, vt supra indicaui. Huius autem historiae, cum male acceptos in bello a Phocensibus Philippus suis copijs adiuuit Thebanos, meminit Plutarchus in vita Demosthenis, vbi docet summum illum oratorem, facultate dicendi incredibili, rem arduam confecisse, qui Thebanis persuadere potuerit, recentibus beneficijs Philippi, quae in Phocico bello acceperant, delinitis, vt cum reliquis ciuitatibus Graeciae, pro dignitate totius gentis, conspirarent: contraq; illum arma caperent. sed & originem & finem eius belli, quod & Phocicum & sacrum appellatum est, narrauit Diodorus in xvj. libro bibliotheces.

Οἷ εἰ πρὶν βοηθῆσαι εἰς Φωκεῖς ἠξίου, ὑπέσχοντο ἄν.

Si antequam auxilium ferret contra Phocenses, postulasset, polliciti essent.

HOC initium est argumentationis: quae enim supra exposita sunt, tempus indicant: causamq; exponunt. Haec, quae nunc adduntur, quomodo illa, ab hoc loco deprompto argumento, adiuuari possint, ostendunt. Ita enim cum illis agendum: dicendumq;. Si priusquam opem Thebanis tulisset contra Phocenses, hoc postulasset ab ipsis, polliciti vtique fuissent se commodis eius non defuturos. Idem quoque supra valet ὅτι.

Ἄτοπον

Ἄτοπον οὖν εἰ, διότι προεῖτο καὶ ἐπίστευσε, μὴ διήσουσι.

Absurdum igitur, si quia liberalis in hoc fuit & fidit ipsis, non sinent transire.

EST autem parum aequum, vel res absurda potius, si, quia hoc facere neglexit, fideiq; ipsorum se commisit, transmittere illum cum suis copijs per agrum suum non sinent. προεῖτο autem effusse ac large se in hoc gessit, & quod facile impetrasset, si contendisset, abiecit: id enim hoc verbum valet. Διιέναι vero transitum dare significat: potestatemque alicui facere, vt per fines suos cum exercitu iter faciat: quod etiam verbum eodem intellectu Demosthenes vsurpauit in oratione pro Ctesiphonte, cum de difficultatibus, quibus premeretur Philippus, ageret, & hanc ipsam tangeret. ὅτ' εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐλθεῖν δυνατὸς: μήτε Θετταλῶν ἀκολουθούντων: μήτε Θηβαίων διιέντων. Vnde etiam libentius hic emendaui εἰς τὴν Ἀττικήν, vt in antiquissimo libro inueni (antea namq; in excusis πρὸς legebatur) cum summum quoque oratorem ita locutum animaduerterim.

Ἄλλος ἐκ τῶν εἰρημένων καθ' αὑτοὺς πρὸς τὸν εἰπόντα: διαφέρει δὲ ὁ τρόπος.

Alius ductus ex ijs, quae dicta sunt secundum ipsos aduersus eum, qui dixit: excellit autem hic modus inter ceteros.

SEXTVS locus, cum argumentum ducitur ex ijs, quae ex moribus vitaq; ipsorum dicta sunt, admodumque ipsis congruunt, aduersus illum ipsum, qui dixit: eminet autem (inquit) hic inter alios: ac vim maximam semper habere existimatus est.

Οἷον ἐν τῷ Τεύκρῳ: ᾧ ἐχρήσατο Ἰφικράτης πρὸς Ἀριστοφῶντα ἐπερόμενος, εἰ προδοίη ἂν τὰς ναῦς ἐπὶ χρήμασιν: οὐ φάσκοντος δὲ, εἶτα εἶπεν: σὺ μὲν Ἀριστοφῶν ὤν, οὐ προδοίης: ἐγὼ δ', ὢν Ἰφικράτης;

Velut in Teucro, quo vsus est Iphicrates contra Aristophontem, quaerens ex illo, an proderet naues, accepta pecunia: cum negasset, deinde inquit. tu, qui Aristophon es, non proderes: ego autem facerem, qui sum Iphicrates?

TEVCRVM, quem appellet, affirmare non ausim: suspicor tamen tragoediae indicem fuisse. Cum autem antea in excusis ita legeretur οἷον ἐν τῷ Τεύκρῳ ἐχρήσατο: secutus auctoritatem antiquissimi libri, locum emendaui: neque enim excogitare poteram, quid Iphicrati, qui multis postea saeculis vixit, cum Aiacis fratre fuerit: si forte Teucrum illum intelligit: nec fictae praeterea commenticiaeq; rei conuenire videbatur, quod traditur Iphicrates ita respondisse Aristophonti; nunc vero omnia certiora. vt cum modum hunc in fabula illa tractatum egregie tradat, quia res nota erat, verba ipsa non posuerit: statimque addat eodem Iphicratem contra accusatorem inimicumq; vsum, qui e scena illum in forum comportarit: totamque rem accurate explanet: hoc enim, quod non tam celebre fortasse erat commemorare oportuit: exemplo vero priore, quia res peruagata & illustri loco posita erat, supersedere melius duxit. Quintilianus in v. libro huius vocis mentionem fecit: inquit enim (cum par exemplum Romani hominis antea posuisset) Cui simile quiddam fecisse Iphicrates dicitur, qui cum Aristophontem, quo accusante similis criminis reus erat, interrogasset, an is accepta pecunia remp. proditurus esset, isq; id negasset: quod igitur inquit, tu non fecisses, ego feci? Nam parem non fuisse Iphicratem in dicendo Aristophonti, obruiq; solitum eloquentia ipsius, declarat Plutarchus in commentario, quem inscripsit πολιτικὰ παραγγέλματα: in hanc enim sententiam loquitur. Neque velim hunc, quem informo, quod se explicare non possit dicendo, cogi ita se tueri: diceretque quod Iphicrates, copia Aristophontis, artificioq; victus, eleganter protulit. Melior sane aduersariorum histrio: fabula vero mea potior.

Δεῖ δ' ὑπάρχειν μᾶλλον ἂν δοκοῦντα ἀδικῆσαι ἐκεῖνον: εἰ δὲ μή, γελοῖον ἂν φανείη, εἰ πρὸς Ἀριστείδην κατηγοροῦντα, τοῦτό τις ἂν εἴποιεν.

Opus autem est, esse illum talem, vt videatur magis iniustum facinus gesturus: sin autem, ridiculum videretur, si aduersus Aristidem, accusantem, hoc aliquis proferret.

NON tamen quilibet hoc loco vti potest, sed spectatae fidei homo solum, ac probitatis: omninoq; necesse est multo peius existimari de accusatore, crediq; illum magis affinem esse sceleri omni, ac flagitio: si namque res aliter se habet, silere melius est: quis enim ferret eum, qui contra Aristidem sic loqueretur? Sanctitate vero morum, & iustitia insignem fuisse Aristidem constat. Platonis autem ille quoque testimonio ornatus fuit, quod in Gorgia extat.

Ἀλλ'

Ἀλλὰ πρὸς ἀπιστίαν τοῦ κατηγόρου.

Sed aduersus ingenium, minime dignum, cui credatur, accusatoris hoc vtendum est.

TVNC conuenit hoc loco vti, cum is, qui nobis molestus est, in eo crimine, cuius nos insimulat, valde suspectus est: ac neminem facile inueniret, qui illi quicquam crederet.

Ὅλως γὰρ βούλεται ὁ κατηγορῶν βελτίων εἶναι τοῦ φεύγοντος.

Omnino autem debet accusator melior esse, quam reus.

QVOD hic necessarium est, semper requiritur: debet enim accusator melior, probiorq; esse reo. nam stultus prorsus, audaxq; est, qui alterum in iudicium vocat, cum ipse deterius viuat. βούλεται hic debet, significat: hanc autem notionem esse etiam huius verbi optimorum scriptorum testimonijs confirmari posset. Apud Theophrastum sane idem valet in viij. libro de stirpibus. Ταῦτα γὰρ διὰ τὴν ἀσθένειαν προλαβεῖν τῇ ῥίζώσει βούλεται τὸν χειμῶνας. Sed Aristoteles ipse saepe ita locutus est. vt in v. libro de moribus: non negans enim, quin verum sit, quod dici potuisset contra se, commutari quoq; aliquando vim aestimationemq; nummi, inquit solere tamen ipsam constantiorem esse, quam sint, quibus homines vescuntur: operaq; artium aliquarum. Verba eius sunt ὅμως δὲ βούλεται μένειν μᾶλλον.

Τοῦτ' οὖν ἐξελέγχειν ἀεί.

Hoc igitur coarguere semper.

CVM dixisset, requiri omnino, vt accusator probior sit, quam qui ab eo in iudicium vocatur, addit nunc partes eius esse, qui ratione hac, locoq; recte vti velit, nec incidere in culpam, quam supra indicauit, vt risum de se praebeat ijs, qui audiunt, hoc ipsum, se (inquam) innocentiorem melioremq; illo esse docere: atque ita explanare, vt id certum sit, ac nihil contra dici possit. Addidi hic, ex antiquissimo libro acceptum, aduerbium ἀεὶ, quod in excusis desiderabatur. Intelligitur autem ad sententiam explendam χρὴ more Attico: hoc enim illi praetermittere saepe in sermone solebant.

Καθόλου δ' ἄτοπος οὗτός ἐστιν, ὅταν τις ἐπιτιμᾷ ἄλλοις, ἃ αὐτὸς ποιεῖ, ἢ ποιήσειεν ἄν.

In vniuersum autem absurdus hic est, quando aliquis obijcit alijs, quae ipse facit, vel facere non dubitaret.

ADDIT nunc ad rem amplificandam, superioremq; sententiam constituendam, vt impudenter facit, qui integriorem se iudicio persequitur, ita etiam stultum esse, ac sinistri ingenij hominem, qui reprehendit alios castigatq; verbis ob ea, quae ipse facit aut faceret vtiq;, si occasionem nactus esset: vt enim id in accusando legumq; paenis tradendo, ferri non posse atq; improbum esse, ita etiam in reliqua vita: oportet enim quoque ab omni macula vacuos esse, qui alios corrigere atque emendare volunt. Cum omnis vero hic locus antea multis modis deprauatus foret (ita enim in excusis legebatur: τοῦτο οὖν ἐξελέγχειν καθόλου: ὁ τόπος ἄτοπος ἐστιν, ὅταν τις ἐπιτιμᾷ ἄλλοις, ἃ αὐτὸς μὴ ποιῇ, ἢ μὴ ποιήσειεν ἄν) secutus fidem antiquissimi libri, ita emendaui: ex lectione autem illa (nisi fallor) aut elegans nullus verusq;, aut durus saltem sensus eliciebatur: nunc vero plana omnia, & sententia valde accommodata.

Ἢ προτρέπει ποιεῖν, ἃ αὐτὸς μὴ ποιεῖ: μηδὲ ποιήσειεν ἄν.

Vel hortatur facere, quae ipse non facit: neque induci posset, vt faceret.

VT in reuocando, ita etiam in impellendo, ille improbus est, & absurdorum morum, qui suadet alicui vt faciat: orationeque sua stimulat, quae ipse nec facit, nec vlla condicione perduci posset vt faceret: hoc enim quoque valet ad vim huius loci explicandam, demonstrandumque improbe facere eos, qui ostendere velint alios meliores se, affines culpae esse, quam ipsi vitant.

Ἄλλος, ἐξ ὁρισμοῦ. οἷον ὅτι τὸ δαιμόνιον οὐδὲν ἐστιν ἀλλ', ἢ θεός, ἢ θεοῦ ἔργον. καί τοι ὅσις οἴεται θεοῦ ἔργον εἶναι, τοῦτον ἀνάγκη οἴεσθαι καὶ θεοὺς εἶναι.

Alius a definitione. veluti daemonium nihil aliud esse, nisi deum, vel dei opus. quare quicunq; putat dei opus extare, hunc necesse est putare deos quoque esse.

SEPTIMVS locus a definitione: notioneq; nominis explicata, exemplũ hoc primum neminem

fallere potest: in iij. quoq; libro copiosius, apertiusq; declaratum. Illo etiam Plato vsus est in libro, quo innocentiam Socratis, contra falsam illam ac nefariam accusationem defendit. Qui igitur mentiri accusatores Socratis probare vellent, dicentes illum arbitrari deos non esse, hinc argumentum ducebant. Quod idem in cunctis rebus se sequi δαιμόνιον diceret. quod nihil aliud sit, nisi aut deus, aut dei opus: vnde illi manifesto redarguuntur: necesse enim est, qui putat extare opus dei, eundem existimare deos esse. Definitum igitur est daemonij nomen, ac vis ipsius euoluta: indeq; argumentum sumptum. In antiquissimo libro plures varietates erant: quamuis recentiore manu, vt in excusis nunc legitur, illic emendatum sit: nec tamen non priscam illam lectionem indicabo: ita enim primo in eo legebatur. οἷον τί τὸ δαιμόνιον ἐστιν. ἆρα θεὸς; ἢ θεοῦ ἔργον: & quae sequuntur.

Καὶ ὡς ὁ Ἰφικράτης, ὅτι γενναιότατος ὁ βέλτιστος: καὶ γὰρ Ἁρμοδίῳ, καὶ Ἀριστογείτονι, οὐδὲν πρότερον ὑπῆρχε γενναῖον, πρὶν γενναῖόν τι πρᾶξαι.

Et, vt Iphicrates inquit, maxime generosum esse, qui optimus est: in Harmodij enim persona, & Aristogitonis nihil generosum prius fuit, quam facerent generosum facinus.

ALTERVM exemplum, quo eundem locum illustrat: Iphicrates enim quoque ab explicatione nominis argumentum duxit: cum enim Harmodius quidam, in familia clarissima ortus, ignobilitatem generis ei exprobrasset (erat enim humilibus parentibus natus Iphicrates) seque maxime generosum esse diceret, negauit: quiq; vere generosus appellari deberet, ostendit: is enim (inquit) maxime generosus est, qui optimus: nam Harmodius ipse, quo tu auctore nobilitatis tuae, gloriaris: Aristogitonque, qui socius ipsius in interficiendo tyranno fuit, cum postea semper clari illustresq; extiterint, nihil in se generositatis habuerunt, priusquam generosum illud, inclitumque facinus fecerint. Cum igitur, qui vere generosus esset, ostendisset: vimque eius nominis explicasset, sibi magis, quam illi id conuenire declarauit, qui patriae vtilis fuisset, ac vir in primis bonus esset.

Καὶ ὅτι συγγενέστερος αὐτός. τὰ γοῦν ἔργα συγγενέστερά ἐστι τὰ ἐμὰ τοῖς Ἁρμοδίου, καὶ Ἀριστογείτονος, ἢ τὰ σά.

Et quod ipse magis propinquus ipsis est. facta certe mea magis propinqua sunt factis Harmodij & Aristogitonis, quam tua.

SELEGIT multa, & elegantia exempla ad hunc locum explicandum. Tertium autem ab ijsdem personis sumptum est. Praeterea (inquit) tu, qui te sanguine propinquum illis facis, mentiris: ipse enim verius me propinquum illorum dicere possum: res namque meae gestae magis propinquae, affinesq; sunt factis Harmodij, & Aristogitonis, quam tuae. Vt autem supra quis γενναῖος sit, definijt: ita hic, quis συγγενής. Iterum igitur Iphicrates argumentum duxit a definitione nominis: in quo tamen astute fecit, & notionem illorum nominum contorsit: neque enim, si verum quaerimus, generosus is est, qui probus est, sed qui claris maioribus ortus, a virtute illorum non degenerat: neque cognatio spectatur ex rebus gestis similibus, sed illi cognati inter se sunt, qui eiusdem stirpis ac familiae sunt. Molestus autem hic saepe erat Iphicrati, clarissimis parentibus natus: virtuti tamen eorum non respondens: Harmodium autem & ipsum vocatum tradit Plutarchus in commentario, quem inscripsit regum & imperatorum ἀποφθέγματα: affert enim aliam quoque vocem Iphicratis, qua improbitatem petulantiamque eius refutauit, dicens a se familiam incipere atque exoriri: desinere autem in illo atque extingui.

Καὶ ὡς ἐν τῷ Ἀλεξάνδρῳ, ὅτι πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν, τοὺς μὴ κοσμίους οὐχ ἑνὸς σώματος ἀγαπᾶν ἀπόλαυσιν.

Et vt in Alexandro cunctos assensuros esse eos, qui casti non sunt, minime vna femina contentos esse, cuius flore aetatis fruantur.

ALEXANDRVM orationem fuisse puto, quae ornaret Paridem, & a criminibus, quibus persona ipsius affinis erat, purgaret: Alexandrum enim hic quoq; Paridem intelligit. Argumentum autem (vt suspicor) huiuscemodi est. Cum Paris haberetur, ἄκοσμος, quod Menelao vxorem eripuisset: amoribusq; ac libidinibus totus deditus foret, qui existimationem eius

defendit,

defendit, declarat hoc falsum crimen esse, & qui vere ita vocari deberet, ostendit. μὴ κόσμιος enim (inquit) est, qui vna contentus non est, cuius flore aetatis fruatur, sed quot videt formosas mulieres, tot amat: cum sola Helena ipse contentus vixerit. non debet igitur intemperans appellari. Significare vero ἑνὸς σώματος ἀγαπᾶν ἀπόλαυσιν vno contentum esse, nec aliunde libidinem explere quaerere, manifestum est. Optimi autem Latinae linguae auctores sic locuti sunt. Terentius Eunucho. » Quia neq; tu vno eras contenta. Catullus. Aufilena: viro contentam viuere solo. » Horatius. Me libertina, neque vno contenta, Phryne macerat. Κόσμιον vero consuetudo sermonis appellabat, qui modestus foret: ac sibi ab alienis vxoribus temperaret. vt Lysias in Apologia eius, qui Eratosthenem adulterum necauerat. » ἐν τοῖς νόμοις πείθεσθαι, » καὶ κόσμιος εἶναι. Idem tamen in alia oratione, verbi huius notione aliquantum distorta, & ad tempus eius, pro quo dicebat, accommodata: vt qui Paridem purgabat, posse in rebus amatorijs seruari κοσμιότητα existimauit: nec malos omnino haberi debere: neq; intemperantes, qui cum in leuitates amatorias inciderint, casus illos tulerint elegantissime: nec vim delicijs suis attulerint, aut vlla in re iniuriosi fuerint. Verba eius ex apologia aduersus Simonem haec sunt.
» εἰδότας ὅτι ἐπιθυμοῦσι μὲν ἅπασιν ἀνθρώποις ἔνεστιν: οὗτος δὲ βέλτιστος ἂν εἴη καὶ σωφρονέστατος, ὅστις κοσμιώτατα
» τὰς συμφορὰς φέρειν δύναται.

Καὶ διὸ Σωκράτης οὐκ ἔφη βαδίζειν ὡς Ἀρχέλαον.

Et cur Socrates dixit se ad Archelaum accedere nolle.

Cum ab opulentis, fortunatisq; hominibus, magnis praemijs propositis, Socrates euocaretur, adduci numquam potuit, vt Athenas relinqueret, ad eosque se conferret. huius rei causam ab amicis interrogatus, respondit. Se ignominiam illam aequo animo, ac turpitudinem ferre non posse: est enim genus quoddam ignominiae beneficia non compensare, vt iniurias. Animaduertebat Socrates se a rege potentissimo praeclara commoda accepturum, quibus, cum humiliter de se sentiret, se parem esse non posse existimabat. quare malebat potius commodis illis carere. Visus autem est, vt veteres auctores tradunt, Socrates despicere, & Archelaum Macedonum regem, & Scopam Cranonium: nec non Eurylochum etiam Larisseum, cum & missas ab ipsis pecunias repudiarit, & ad eos accedere, quod illi magnopere optabant, pernegarit. Διὸ autem hic valet, vnde: significatq; definitione nominis illum quoque vsum: nec exemplum hoc a superiore oritur, indeq; vllo modo aptum est. Quod vero in excusis antea mendosum erat εἰς Ἀρχέλαον, correxi: ὡς namque scripti libri habent: sicque prorsus legi debet. Infra quoque Aristoteles ita loquitur. ὡς Εὐαγόραν ἐλθὼν. Est autem locutio familiaris Atticis scriptoribus.

Ὕβριν γὰρ ἔφη εἶναι τὸ μὴ δύνασθαι ἀμύνασθαι ὁμοίως εὖ παθόντα, ὥσπερ καὶ κακῶς.

Contumeliam enim esse inquit, non posse compensare beneficia, similiter atque iniurias.

Socrates quoque eodem pacto argumentatus est: & contumeliae natura euoluta, rationem sui consilij reddidit: aliter tamen ipse quoque hoc nomen cepit, quam consuetudo caperet: ὕβριν enim vulgo esse credebant, cum quispiam genus quoddam iniuriae sustinet, nec depellit a se petulantiā improbi alicuius, nec compensat iniurias acceptas. ipse, vt in incommodis acceptis, ita in commodis quoque inueniri posse contumeliam docuit. Si quis magnis beneficijs affectus non responderet illis, qui se ornarent: nec paria in illos beneficia conferret. Animaduertendum contumeliam hic intelligi, quam imponeret rex: Socrates pateretur. Phaedrae quoque nutrix apud Euripidem, impura & nefaria femina, cum hortaretur ad scelus alumnam, vsa est in alijs hoc argumento: definiuitque & ipsa idem hoc nomen: dixitque contumeliam prorsus esse resistere velle atque aduersari voluntati deorum, sperareque se posse vincere illos in quauis contentione: postquam enim Venus dederat illi hanc mentem, vt indulgeret voluptati, incenderetur que amore priuigni, debere ipsam ei obtemperare. verba poëtae » sunt haec, λῆξον δ' ὑβρίζουσα: οὐ γὰρ ἄλλο πλὴν ὕβρις τάδ' ἐστὶν, & quae sequuntur. Nolo etiam, & si satis claris exemplis locus ab auctore explanatus est, & a me quoque vno, non sane obscuro, clarior redditus, omittere, quin alterum adiungam, propter nobilitatem auctoris & rei: Cicero enim quoque in priore contione ad Quirites de lege agraria, definitione eius nominis vsus erat, cum Romanae plebi probare vellet verum esse, quod in senatu dixerat, popularem consulem se futurum: longe enim aliter interpretatus est hoc verbum ac consuetudo caperet: inquit enim. » Quid enim est tam populare, quam pax? quid tam populare, quam » libertas? quid tam populare, quam otium: breuitatis enim causa plenum locum non posui.

Πάντες γὰρ οὗτοι ὁρισάμενοι καὶ λαβόντες τὸ τί ἐστι, συλλογίζονται περὶ ὧν λέγουσιν.

Omnes enim hi, cum definierint & sumpserint naturam eius rei, ratione concludunt, coguntque ea, de quibus dicunt.

CVM exemplis quinq; huius loci vsus foret: nec statim, singulis expositis, rationem eius argumentationis aperuisset, ac ne semel quidem id fecisset, nunc addit hoc, quod omnibus seruit: ita & breuitati studuit, & obscuritatis nihil reliquit: cuncti enim (inquit) hi, qui ita egerunt, cũ rem definierint, sumpserintq; naturam eius ac vim, concludunt, quod volunt, de rebus illis, de quibus verba faciunt. Cum vero excusi antea πρῶτον τί ἐστιν haberent, secutus consensum scriptorum librorum emendaui τὸ τί ἐστιν: ita vero ipsum vocare definitionem, quod, quid nam res illa sit, euoluat, apertum est.

Ἄλλος ἐκ τοῦ ποσαχῶς. οἷον ἐν τοῖς τοπικοῖς περὶ τοῦ ὀρθῶς.

Alius, cum quot modis. veluti in topicis de eo, quod recte factum sit.

OCTAVVS locus, cum, quot modis quippiam dicatur, ostenditur: cum quaeritur quot sint notiones aduerbij huius ὀρθῶς. Non intelligit autem nunc viij. libros, quos inscripsit τοπικά: neque enim in illis quot modis capiatur, cum aliquid recte factum dicitur, docuit: videtur potius ita appellare disciplinam topicam, in qua huiusmodi ratio esset vsitata. Infra quoque qui diligenter attendent, videbunt eodem pacto ipsum locutum: & in dialecticis, in topicis dixisse, cum facultates ipsas significaret: ea enim illic protulit, quae neq; in suis topicis: neq; in elenchorum sophisticorum libro inueniuntur. vt cum etiam quandoque inquit, ἐν ἐμπειρικοῖς intellexit in oratoria facultate: in studio, quod oratores exercent.

Ἄλλος ἐκ διαιρέσεως. οἷον εἰ πάντες τριῶν ἕνεκεν ἀδικοῦσιν, ἢ τοῦδε γὰρ ἕνεκα, ἢ τοῦδε, ἢ τοῦδε: καὶ διὰ μὲν τὰ δύο, ἀδύνατον: διὰ δὲ τὸ τρίτον, οὐδ᾽ αὐτοί φασιν.

Alius a diuisione. ceu si cuncti mortales vna aliqua trium harum rerum causa iniuriam faciunt: siue enim huius causa, siue huius, siue huius: & duarum causa fieri non potest, vt fecerit: de tertia autem, ne accusatores quidem aiunt.

PARTITIONEM Cicero appellauit in ij. de Oratore. Exemplum etiã attulit, quod ab eo, quo vsus est hic noster doctor, quamuis plene ipsum non expressit, non discrepat. Partitione hoc » modo. aut senatui parendum de salute reip. fuit, aut aliud consilium instituendum, aut sua spon » te faciendum. Aliud consilium, superbum: suum, arrogans. Vtendum igitur fuit consilio senatus: Aristotelei autem vis & sententia haec est. Si cuncti, qui iniuria quempiam afficiunt, trium rerum aliqua impelluntur: aut enim (verbi causa) ob vtilitatem adipiscendam, aut ob voluptatem, aut quod irati illi fuerint: ob duas autem earum fieri nullo pacto potest, vt effecerit: ob reliquam vero, ne ipsi quidem, qui criminantur, fecisse aiunt, constat eum esse innocentem: culpamque apud alium manere: nam clausulam ipse, vt certam planamque non addidit. In viij. autem libro Topicorum, quid partiri esset, docuit: atque exemplis etiam illustrauit.

Ἄλλος ἐξ ἐπαγωγῆς. οἷον ἐκ τῆς πεπαρηθίας.

Alius ab inductione, ceu e Peparethia.

DECIMI huius loci vis aperta est: exempla prima ipsius, ex historia sumpta, obscuriora. contionis (vt puto) siue alterius generis scriptionis, nomen est Peparethia: Peparethum autem vnam e cycladibus esse: eodemque pacto vocatum haud ignobile oppidum in ea conditum, Graeci auctores tradunt. Illud postea diruit Philippus, Persei pater, in apparatu belli Macedonici, ne classi Romanorum praedae, aut praemio esset.

Ὅτι περὶ τῶν τέκνων αἱ γυναῖκες πανταχοῦ διορίζουσι τ᾽ ἀληθές: τοῦτο μὲν γὰρ ἀθήνησι Μαντίᾳ τῷ ῥήτορι, ἀμφισβητοῦντι πρὸς τὸν υἱόν, ἡ μήτηρ ἀπέφηνε.

Matres de filijs omnibus in locis, quod verum est, statuere: hoc enim Athenis Mantiae oratori, controuersanti aduersus filium, mater declarauit.

HAEC enim res illic inductione confirmata erat: matres scilicet omnibus in locis consuesse, cum controuersia oritur, ex quo patre filij orti sint, de ea re statuere: ac quidquid ab illis definitum sit,

ſit, ſemper poſtea ratum habetur. Hoc enim (inquit) cum antea incertum eſſet, Athenis Mantiae oratori mater pueri indicauit: erat autem de hac re lis inter eum, & patrem orta.

Τοῦτο δὲ Θήβησιν, Ἰσμηνίου καὶ Στίλβωνος ἀμφισβητούντων, ἡ Δωδωνὶς ἀπέδειξεν Ἰσμηνίου τὸν υἱόν: καὶ διὰ τοῦτο Θεσσαλίσκον Ἰσμηνίου ἐνόμιζον.

Hoc etiam Thebis, Iſmenia & Stilbone controuerſantibus inter ſe, Dodonis monſtrauit Iſmeniae filium eſſe: & hac de cauſa Theſſaliſcum Iſmeniae exiſtimarunt.

Hoc etiam (inquit) Thebis cum Iſmenias Stilbonq; (quorum vterq; ſe patrem Theſſaliſci putabat) de eo inter ſe diſceptarent, Dodonis mater, Iſmeniae illum eſſe declarauit, nec vltra quicquam quaeſitum eſt. cauſaq; haec fuit, cur Theſſaliſcum ipſum poſtea ſemper Iſmeniae filium crediderunt.

Καὶ πάλιν ἐκ τοῦ νόμου τοῦ Θεοδέκτου.

Et rurſus e lege Theodectis.

Infra quoque teſtimonium Theodectis citat, ἐν τῷ νόμῳ. Qui vero hac inductione vſus eſt, & oſtendit ſedulo id ſeruari & in equorũ curatoribus, & in nauium gubernatoribus, probare voluit eos ſtulte facere, qui ſpem ſalutis ſuae ponerent in illis, quos vidiſſent aliorum ſalutem: qui eorundem fidei ſe antea commiſiſſent, male procuraſſe, quamuis non a principio indicet, quod cogere voluit, ſed ad extremum id ponat.

Εἰ τοῖς κακῶς ἐπιμεληθεῖσι τῶν ἀλλοτρίων ἵππων, οὐ παραδιδόασι τοὺς οἰκείους: οὐδὲ τοῖς ἀνατρέψασι τὰς ἀλλοτρίας ναῦς. οὐκοῦν εἰ ὁμοίως ἐφ' ἁπάντων, καὶ τοῖς κακῶς φυλάξασι τὴν ἀλλοτρίαν, οὐ χρηστέον ἐστὶν εἰς τὴν οἰκείαν σωτηρίαν.

Si illis, qui male curarunt aliorum equos, ſuos curandos non tradunt: neque illis, qui euerterunt aliorum naues. igitur, ſi hoc in omnibus rebus eodem pacto ſe habet, & illis qui male cuſtodierunt aliorum, non eſt vtendum in ſua propriaque ſalute tuenda.

Si videmus (inquit) ijs, qui male negligenterq; alienos equos curarunt, homines ſuos curandos non dare: & ijs, qui alienas naues euerterunt, ſuas non committere. Si res igitur eodem modo in omnibus rebus ſe habet: & eorum opera, qui alienam male cuſtodierunt, in ſua propriaque ſalute vtendum non eſt. Quod in excuſis antea erat ὅτι τοῖς κακῶς, emendaui εἰ, ſecutus fidem antiquiſſimi libri, ac veteris tralationis: pauloque poſt, ἀνατρέψασι, cum excuſi prius haberent, ἀναστρέψασι. Demoſthenes quoque contra Aeſchinem de falſa legatione hoc verbo vſus eſt, in eadem re ſignificanda. ἐὰν ὅπως ὀρθῶς πλεύσεται προείδετο, ἀλλ' ἀνέτρεψε, καὶ κατέδυσε. Euertere nauim Cicero in paradoxis inquit.

Καὶ ὡς Ἀλκιδάμας, ὅτι πάντες τοὺς σοφοὺς τιμῶσι.

Et quo Alcidamas vſus eſt, cum oſtenderet omnes mortales ſapientes viros honorare.

Alcidamantis oratoris teſtimonio ſaepe vtitur, quamuis genus ipſius dicendi non probet: inductione autem illum vſum fuiſſe hac, quam exponit, teſtatur, cum ſapientes viros ab omni ciuitate, genteq; ſemper in magno honore habitos oſtendere vellet. Quae autem in excuſis antea verba erant τοὺς ὁτεοῦν, non recepi: abſunt enim illa ab antiquiſs. codice: nec ſatis commode manere hic poſſe videntur: neq; enim de omnibus, qui vulgo a Graecis σοφοὶ vocabantur, loquitur: vt exemplis declaratur, ſed de ijs tantum, qui ingenij & doctrinae ſtudijs clari extitere quamuis ſapientes etiam appellarent, qui eximij in ſingulis artibus eſſent. verum, vt quod in mentem mihi venit libere loquar, ſuſpicor ſcripturae varietatem hanc ortam ex librarij lapſu, qui in exſcribendo olim loco peccauerit, & cum Πάριοι γοῦν ſcribere oporteret, τοὺς ὁτεοῦν exſcripſerit: ſunt enim nomina haec valde inter ſe ſimilia. vnde poſtea in libros alios & deprauata illa lectio & integra fluxerit. quod faciendum non fuit. quod ſi huic quoque, quae valde diſſeminata eſt, locus eſt, nam & in ſcriptis etiam quibuſdam repperitur, & a vetere tralatione exprimitur, videtur illa correctione ſaltem egere, & τοὺς ὁτιοῦν, accuſandi, non generandi caſu, legi debere. Poſtquam igitur aliqui domnino variandum fuit, malui me ad optimum fideliſſimumq; librum referre, nec aliquid, quamuis puſillum, in varianda ex iudicio meo lectione, mihi indulgere.

Πάριοι γοῦν Ἀρχίλοχον, καίπερ βλάσφημον ὄντα, τετιμήκασι.

Parij igitur Archilocum, & si maledicus erat, honorarunt.

PAROS insula, oppidumq; in ea situm fuit: illic autem natus est Archilochus, a quo inductionem auspicatur. Parij igitur (inquit) Archilochum, quia sapiens erat, quamuis maledicentissimus foret, honore affecerunt: nec licentia illa laedendi existimationem multorum, quae in eo vigebat, efficere potuit, vt eum non colerent ciues sui, quia sapientiae compotem esse intelligebant. Idem etiam nos seruare de nostro, magni ingenij, nec paruae doctrinae, poëta Dante, notum est: & si enim maledixit ciuitati: inussitq; ipsi, quantum in eo fuit, turpes maculas, tamen memoriam eius colimus ob amplitudinem diuinitatemq; poëmatis, quod condidit: cumq; viuum aduersarij ipsum e ciuitate eiecissent, ossa mortui post longum temporis spatium postea in patriam reuocare multa cum dignitate studuerunt: quod tamen impetrare a Rauennatibus non potuere, qui honori sibi merito ducunt, monimenta corporis eius sua in vrbe manere, cum ingenij latiorem sedem, vniuersamq; paene Europam nacta sit. Secutus autem auctoritatem antiquissimi libri ac veteris tralationis confirmationẽ, quod in excusis antea erat βλασφημήσαντα, scripsi βλάσφημον ὄντα: significat autem illum natura, consuetudineq; talem extitisse, non ipsis maledixisse, vt prior illa scriptura.

Καὶ Χῖοι Ὅμηρον, οὐκ ὄντα πολίτην· καὶ Μιτυληναῖοι Σαπφώ, καίπερ οὖσαν γυναῖκα.

Et Chij Homerum, qui ciuis non est: & Mitylenaei Sapphonem, & si femina fuit.

CHII quoque Homerum propter sapientiam in honore habuerunt, qui apud eos natus non est: eodemq; pacto Mitylenaei Sapphonem, quamuis femina foret: tantopere enim delectati sunt praeclaris eorum ingenijs, vt alteri, alienigenam: alteri, mulierem honorare non dubitarint. Cum vero hic tradat Aristoteles Homerum Chium non fuisse, illos tamen solitos sibi illum vendicare, notum est. Elegantia autem suorum poëmatum, reliquas omnes omnium seculorum mulieres, vicisse longo interuallo Sapphonem hanc, testimonio antiquorum scriptorum confirmatur: vt mirum videri non debeat, si consecuta est eos honores, qui paucis, melioris etiam sexus, contigerunt.

Καὶ Λακεδαιμόνιοι Χίλωνα τῶν γερόντων ἐποίησαν, ἥκιστα φιλόλογοι ὄντες.

Et Lacedaemonij Chilonem in senatum cooptarunt, & si dediti non erant humanioribus studijs.

LACEDAEMONII quoque Chilonem in Senatum cooptarunt: vnumque illius ordinis esse voluerunt: qui tamen humanioribus studijs non valde delectabantur: qui non dediti erant elegantioribus litteris. Hanc figuram loquendi (vt opinor) expressit Cicero, cum in oratione » pro Archia inquit. Et illi. C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, iucundus fuit: γερουσίαν autem senatum Lacedaemoniorum vocatum, & γέροντας, qui participes illius forent, quasi senes, constat.

Καὶ Ἰταλιῶται Πυθαγόραν.

Et magna illa Graecia Pythagoram.

HAVD temere Ἰταλιῶται, non Ἰταλοὶ inquit: neque enim germani Itali, prisciq; huius nostrae terrae habitatores, Pythagoram Samium honorarunt. a quo praecepta viuendi, institutaque ob linguae diuersitatem accipere non potuerunt, sed Graeci populi, qui postea huc aduenerant, & ipsius non paruam partem occuparant, quae ab ipsis magna Graecia vocitata est: hos enim a regionis quoq; vocabulo, sedibusq;, quas tenebant, Ἰταλιώτας appellabant, distincto aliquantum nomine a primis ipsius proprijsq; incolis, qui Ἰταλοὶ vocabantur. idem etiam seruari solitum in Siciliae habitatoribus boni auctores tradunt: antiquos enim verosq; eius insulae cultores, qui illuc cum conditore eius gentis venerunt, ab eoq; nomen acceperunt, σικελοὺς: nouos vero aduenticiosq;, qui eo iam nomine ipsis imposito accesserunt, eadem ratione σικελιώτας nominabant: Metaponti autem aetatem degit, magna cum admiratione vicinarum ciuitatum, opinioneq; sanctitatis, Pythagoras.

Καὶ Λαμψακηνοὶ Ἀναξαγόραν, ξένον ὄντα, ἔθαψαν· καὶ τιμῶσιν ἔτι καὶ νῦν.

Et Lampsaceni Anaxagoram, & si externus homo erat, publice sepulturae mandarunt: & vsque ad haec tempora colunt.

Et Lampsaceni Anaxagoram physicum, peregrinum hominem, eadem de causa sepulchro decorarunt: nec colere vsque ad hunc diem cessant. In primo etiam libro Tusculanarum Cicero mortuum illum Lampsaci ostendit: & Laërtius quoque, qui vitam ipsius scripsit: nam addit etiam, quod ad honores, ipsi in morte habitos, pertinet. Sed etiam, quid in sepulchro inscripserint. Clazomenas autem patriam Anaxagorae fuisse, notum est.

Καὶ ἀθηναῖοι τοῖς Σόλωνος χρησάμενοι νόμοις εὐδαιμόνησαν: καὶ λακεδαιμόνιοι τοῖς Λυκούργου: καὶ Θήβησιν, ἅμα οἱ προστάται φιλόσοφοι ἐγένοντο, καὶ εὐδαιμόνησεν ἡ πόλις.

Et Athenienses, donec Solonis legibus paruere, beate vixerunt: & Lacedaemonij, donec Lycurgi: & Thebis, statim vt principes ciuitatis sapientiae studijs dediti fuere, ciuitas ipsa beata fuit.

Hoc quartum (nisi fallor) exemplum est inductionis: quamuis neq; in principio, neq; ad extremum, quod cogitur ex pluribus partibus, ostendat, vt in superioribus exemplis fecit. Cogere autem voluit omnem rempublicam, quae regitur consilio sapientum, beatam esse. Id autem confirmat, ostendens Athenienses, cum paruerunt legibus Solonis, beatos fuisse: Lacedaemonios item donec ex legibus Lycurgi vixerunt: & simul ac Thebis resp. in manus sapientum venit, ciuitatem beatam extitisse. Ἅμα ἐγένοντο valet ad vim celeritatemq; huius rei indicandam: nullum enim significat temporis spatium interpositum est, sed ciuitas beata statim effecta est, vt primum sapientiae studiosi rempublicam regere coeperunt. Epaminondam autem, & Pelopidam intelligit: vna cum quibus & extitisse, & floruisse & obijsse virtutem Thebanorum, ac gloriam, ostendit Polybius Megalopolitanus in accurata illa disputatione, quae inscribitur περὶ δυναστειῶν, καὶ οἷ κ καλλίσῃ. Cum hic vero in cunctis & excusis & scriptis codicibus vno, antiquissimo illo, excepto, mendose legeretur ἐλέγοντο, correxi ἐγένοντο: sed hanc quoque lectionem confirmat vetus tralatio.

Ἄλλος, ἐκ κρίσεως περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἢ ὁμοίου, ἢ ἐναντίου.

Alius a iudicio facto prius de eadem re, aut simili, aut contraria.

Vndecimvs locus, ex eo, quod ita praeteritis temporibus statuerunt, aut de eadem re, aut de pari, aut de contraria, qui auctoritatem merito apud iudices habere debent: si hoc enim demonstramus, quomodo existimare ipsos oporteat indicamus, & quasi necessitatem illis imponimus, si eadem causa est, eodem pacto, vt illi quondam de ea existimarant, iudicandi: quemadmodum etiam si similis est ac par: eadem enim natura visq; similium rerum esse solet. Quod si declaramus eosdem illos olim de contraria re, contra atque ipsos de ea existimare vellemus, iudicasse, quasi cogimus de illa contrario modo, & vt nobis commodum est, iudicare: de contrarijs enim rebus contrario modo statuendum.

Μάλιστα μὲν εἰ πάντες καὶ ἀεί: εἰ δὲ μή, ἀλλ' οἵ γε πλεῖστοι, ἢ σοφοί, ἢ πάντες, ἢ οἱ πλεῖστοι, ἢ ἀγαθοί.

Maxime quidem, si cuncti, & semper: si non hoc, saltem plurimi, aut, qui sapientes sunt: atque hi cuncti, vel plurimi, vel probi viri.

Mvltvm autem haec ratio valebit: prolatumque vetus iudicium auctoritatem habebit, si cuncti & omni tempore ita existimarunt, vt eorum iudicia numquam variarint. quod si demonstrari a nobis non potest, si maior saltem hominum pars: aut qui sapientes sunt: & hi quidem, aut cuncti, aut bona ipsorum pars, aut qui probi viri sunt.

Ἢ εἰ αὐτοὶ οἱ κρίνοντες, ἢ οὓς ἀποδέχονται οἱ κρίνοντες.

Siue ipsi, qui tunc existimant: siue illi, quorum iudicium probant, qui existimant.

Avt si ostendere possumus ipsos illos, qui iudicant, praeteritis temporibus ita de ea re statuisse: aut illos, quorum iudicio ipsi stant: quosque probant in omnibus dictis ac factis, qui existimant: nemo enim recte potest a se ipso dissentire: nec discrepare etiam solet a iudicio eorum, quos probat. Quae in excusis antea semel tantum verba legebantur οἱ κρίνοντες, in antiquissimo libro ad extremum hic repetuntur: eodemque loco iterum a vetere tralatione exprimuntur.

Ἢ οἷς μὴ οἷόν τε ἐναντίον κρίνειν. οἷον τοῖς κυρίοις.

Siue

Siue ij, aduersus quos non licet de aliqua re existimare. quales sunt domini.

Avt si ostendimus ita visum esse ijs, contra quorum iudicium non licet ipsis existimare. vt sunt, qui imperium in eos habent: quis enim auderet vmquam contra dominum, & cuius in potestate est, statuere? si demonstratum igitur fuerit eos ita, vt nos volumus, statuisse, illi quoque ob metum eidem iudicio assentiri cogentur.

Ἢ οἷς μὴ καλὸν τὰ ἐναντία κρίνειν. οἷον θεοῖς, ἢ πατρὶ, ἢ διδασκάλοις.

Siue ij, contra quos non est honestum existimare. cuiusmodi sunt dij, pater, praeceptores.

Avt quibus non honestum contra sentire: vt enim regibus aduersari non tutum, ita dijs immortalibus, ac parentibus, magistrisq;, non honestum, sed turpe: ab ijs enim omnibus sine magna infamia dissentire non possumus.

Ὥσπερ τὸ εἰς Μιξιδημίδην, εἶπεν Αὐτοκλῆς, εἰ ταῖς μὲν σεμναῖς θεαῖς καλῶς εἶχεν ἐν ἀρείῳ πάγῳ δοῦναι δίκην: Μιξιδημίδῃ δ' οὔ.

Quemadmodum, quod in Mixidemidem dixit Autocles, si deabus, plenis honoris, honestum fuit, in Ariopago causam dicere: Mixidemidi autem minime.

Avtoclis oratoris mentionem fecit Xenophon in vj. libro de rebus Graecorum, qui missus fuit legatus Lacedaemonem ab Atheniensibus de pace: eum autem hunc esse puto. Mixidemides igitur, vt ex his verbis conijcere licet, cum in Ariopago causam dicere nollet: ac quae afferre poterat pro se, apud eos iudices agere recusaret, Autocles accusator ferri hoc non posse clamabat. si Eumenides deae, sibi honestum putassent, causam suam in eo iudicio tractari: Mixidemides vero non honestum: quod enim immortali naturae turpitudinem non inurit, quomodo mortalis condicionis dignitatem superat? Intelligit autem iudicium de Oreste matricida: de quo etiam fabulam scripsit Aeschylus, quam Eumenidas appellauit: illae enim munus accusatoris sustinebant: appellatas autem esse furias σεμνὰς θεὰς, manifestum est. Eumenidarum vero nomen easdem consecutas putant, quod Oresti, cui antea valde infensae fuissent, statim post iudicium factum, ac sententiam sapientissimae Deae, placatae fuerunt. Δοῦναι δίκην, causam dicere, factaq; sua comprobare valet, ac se denique in iudicio defendere: vt contra λαβεῖν, persequi iudicio quempiam ac paenas ab eo capere significat. Demosthenes contra
» Aristocratem, cum de hac ipsa Curia loqueretur: inquit enim. ἐν τούτῳ μόνῳ τῷ δικαστηρίῳ θεοὶ δί-
» κας δοῦναι, καὶ λαβεῖν ἠξίωσαν παρ' ἀλλήλων. Duo autem hic variaui, secutus auctoritatem antiquissimi libri, testimoniumque veteris tralationis: quod enim antea erat ἱκανῶς εἶχεν, scripsi καλῶς: in extremoq;, vbi excusi habebant οὕτω, feci vt esset, οὔ.

Ἢ ὥσπερ Σαπφὼ, ὅτι τὸ ἀποθνήσκειν κακόν: οἱ θεοὶ γὰρ οὕτω κεκρίκασιν: ἀπέθνησκον γὰρ ἄν.

Vel, vt Sappho inquit, mori malum esse: dij namque sic senserunt: mori enim voluissent.

Ervditae, ingeniosaeq; mulieris testimonio vtitur: cum enim mortem illa malum esse ostendere vellet, ad iudicium deorum immortalium confugit, a quibus dissentire nefas est: illi enim mortem a se, vt rem malam, arcuisse credi debent. quod si bonum esse cognouissent, expertes illius nullo modo esse voluissent. Ita quoque M. Cicero argumentatus est in Ligariana, Cae
» saris dictatoris auribus placere studens. Causa tum dubia, quod erat aliquid in vtraque parte,
» quod probari posset. nunc melior certe ea iudicanda est, quam etiam dij adiuuerunt. huius etiam argumentationis, ductae ab auctoritate deorum, meminit Quintilianus, eundem Ciceronis locum adducens.

Ἢ ὡς Ἀρίστιππος πρὸς Πλάτωνα, ἐπαγγελτικώτερόν τι εἰπόντα (ὡς ᾤετο) ἀλλὰ μὴν ὅ γ' ἑταῖρος ἡμῶν ἔφη, οὐθὲν τοιοῦτον: λέγων τὸν Σωκράτην.

Vel, vt Aristippus in Platonem, qui dixerat quiddam, asseuerantius, vt arbitrabatur. atqui sodalis noster inquit nihil vmquam huiuscemodi, intelligens Socratem.

Sive, vt Aristippus quoque Cyrenaicus: cum enim Platonis contumaciam accusare vellet, qui in sermone disputationeue quippiam asseuerantius protulerat, ad auctoritatem magistri confugit:

fugit; eumq; longe aliter se gerere solitum declarauit: nec loquendi rationem illam vmquam probasse: cum contra, se nihil scire profiteretur: nihilq; affirmaret: Socratem namque intellexit, quamuis sodalem dixerit: omnis enim familia, quae easdem sententias in philosophia sequeretur, hoc nomine vocabatur. Nam Aristotelis veteres interpretes, Theophrastum, Eudemum Cyprium, reliquosq; passim, ἑταίρους ipsius appellant: valet autem, ἐπαγγελτικώτερόν τι εἰπόντα, qui Plato, vt Aristippus arbitrabatur, nescio quid asseuerantius, contumaciusq; dixerat. In hoc ipso libro infra καὶ ἐν τούτῳ δὲ δικαίως πάντες ἐδυσχέραινον οἱ ἄνθρωποι τὸ Πρωταγόρου ἐπάγγελμα: quod prae se ferebat Protagoras, ac praestare se posse aiebat, & tamquam arrogantem illam vocem: nam quae sequuntur verba, modestiā Platonis defendunt, & paene declarant, sine causa Aristippum arrogantiae eum insimulasse: addit enim ὡς ᾤετο. vt opinio illius erat. verba vero, quae Aristippus protulit, castigans Platonem, hunc sensum habent. Atqui sodalis noster nihil vmquam huiuscemodi edidit: intellexisse autem eum Socratem testatur Aristoteles.

Καὶ Ἡγησίππος ἐν Δελφοῖς ἐπηρώτα τὸν θεόν, κεχρημένος πρότερον Ὀλυμπίασιν, εἰ αὐτῷ ταὐτὰ δοκεῖ, ἅπερ τῷ πατρί. ὡς αἰσχρὸν ὂν τἀναντία εἰπεῖν.

Et Hegesippus Delphis interrogauit praeterea deum, cum prius Olympia responsum petisset, an sibi eadem viderentur, quae patri. tamquam turpe foret contra ipsum de quopiam existimare.

HISTORIA mihi ignota est: quam vim autem hoc exemplum habeat neminem fallere potest: neq; enim poterat Apollo Delphicus a iudicio Iouis Olympij dissentire: ac si id fecisset, non mediocrem culpam admisisset: sensus vero verborum manifesto hic est. Hegesippus Delphis percunctatus est deum, cū antea Olympia oraculum sustulisset: an ipsi de eadem re eadem, quae patri viderentur, tamquam turpe Apollini futurum esset, dicere se aliter sentire. Eodem consilio Delphos accessisse. oraculumque inde petisse Agesipolin Spartanum narrat Xenophon in iiij. libro de rebus Graecorum: cum enim vereretur, ne parum pie facturus esset, si inducias, quas oblaturos sciebat Argiuos, repudiasset: iamque ex Olympia, quod ipsum scelere liberaret, responsum tulisset, percunctatus est Apollinem, an idem ei, quod patri, de ea re videretur. Qui subito respondit se idem prorsus sentire: ac ne minima quidem in re se a iudicio patris discrepare. Hac igitur & Agesipolis ratione, quasi necessitatem Apollini imponere voluit, vt secum faceret.

Καὶ περὶ τῆς Ἑλένης, ὡς Ἰσοκράτης ἔγραψεν, ὅτι σπουδαία, εἴπερ Θησεὺς ἔκρινε.

Et de Helena, vt Isocrates scripsit. feminam eam esse singularis virtutis, siquidem Theseus ita de ipsa existimauit.

ALIVD exemplum argumenti, ducti ab existimatione ac iudicio facto de illa re a spectato viro, vt qui probare voluerit Helenam compotem multae virtutis fuisse: quod in laudatione ipsius contendit ostendere Isocrates, & hoc ipso etiam argumento vsus est. si quidem Theseus, qui ante Paridem illam rapuit, ita existimauit: nisi enim illam lectissimam feminam cognouisset, potiri illa non studuisset. Cum in excusis vero ὁ Θησεύς, prius legeretur, emendaui εἴπερ Θησεύς. auctore antiquissimo libro & vetere tralatione.

Καὶ περὶ Ἀλεξάνδρου, ὃν αἱ θεαὶ προέκριναν.

Et de Alexandro, quem deae ceteris omnibus anteposuerunt.

ITA legi manifesto debet: excusi tamen & scripti, quos vidi, vno, antiquissimo illo excepto, mendose οἱ θεοὶ habent. In primo horum librorum, vbi docet, vnde bonum aliquid esse intelligi possit & ijsdem exemplis vtitur, muliebri genere inquit, καὶ Ἑλένην Θησεύς, καὶ Ἀλέξανδρον αἱ θεαί: cum enim deae inter se de pulchritudine certarent, ad eum accesserunt, ab eoque diiudicari voluerunt. Credi igitur ille potest fuisse elegans spectator formarum, vt Terentianus Chaerea inquit, postquā deae prae omnibus alijs illum tantae liti diiudicandae, idoneū esse censuerunt.

Καὶ περὶ Εὐαγόρου, ὅτι σπουδαῖος, ὥσπερ Ἰσοκράτης φησί. Κόνων γοῦν δυστυχήσας, πάντας τοὺς ἄλλους παραλιπών, ὡς Εὐαγόραν ἦλθεν.

Et de Euagora, praestantem virum fuisse, quemadmodum Isocrates inquit. Conon igitur, in suis aduersis rebus, reliquis omnibus posthabitis, ad Euagoram se contulit.

Ab eodem scriptore exemplum acceptum ex laudatione illa praeclara, quam Euagoram, quod ipsum summo studio in ea ornasset, appellauit: cum enim regem illum Cypri commendare vellet, ab iudicio, existimationeq; Cononis Atheniensis, summi viri, argumentum sumpsit: ipse namque fractis iam opibus ciuitatis, in aduersisq; suis rebus, omnibus alijs posthabitis, potentissimis hominibus populisq;, quo confugere potuisset, ad eum se contulit: eumque tutum portum suorum malorum esse duxit.

Ἄλλος, ἐκ τῶν μερῶν, ὥσπερ ἐν τοῖς τοπικοῖς.

Alius a partibus, vt in Topicis.

Duodecimus hic locus est ab enumeratione partium: cum enim quippiam non esse, quod aliqui tradiderunt, affirmare volumus: sententiamque eorum refellere, partes eius afferimus, ostendimusq; nullam ipsarum esse. quare intelligitur inde totum quoque non esse atque illi manifesto conuincuntur. Quod vero (inquit) vt in Topicis, animaduertendum an libros a se scriptos intelligat: siue, vt alibi, materiam illam ac facultatem.

Ποία κίνησις ἡ ψυχή: ἥδε γάρ, ἢ ἥδε.

Qualis motus est anima: hic enim, vel hic.

Argumentum excogitatum contra illos, qui animum aiebant esse motionem: partibus enim omnibus enumeratis, quae motum constituunt, declaratoque nullam earum animum esse,
» planum fit, animum motum non esse. Ipse in Topicis. εἰ γὰρ κίνησις, ἢ ἀλλοίωσις, ἢ φορά, ἢ αὔξησις, ἢ
» γένεσις: ἀλλὰ μὴν οὐδὲν τούτων. οὐ τοίνυν κίνησις.

Παράδειγμα ἐκ τοῦ Σωκράτους τοῦ Θεοδέκτου, εἰς ποῖον ἱερὸν ἠσέβηκεν; τίνας θεῶν οὐ τετίμηκεν, ὧν ἡ πόλις νομίζει;

Exemplum e Socrate Theodectis, In quod fanum se impie gessit? quos deos non coluit, qui publice dij habentur?

Theodectes Phaselites cum Socratem a falso illo crimine, quod deos non esse crederet, tueri vellet, hinc argumentum duxit, docuitque nulli culpae illum affinem esse earum, quae impium quempiam esse declarant: neque enim proferre poterant accusatores templum, sacellumue aliquod, quod ille violasset: neque deos vllos appellare, qui publice dij haberentur, quos ille non coluisset. Haec autem flagitia sunt, quae testantur quempiam impium esse. Socratem autem appellat orationem pro Socrate scriptam, seu declamationem aliquam de illo habitam: ita enim fere veteres huiuscemodi libros vocare consueuerant: vt Isocrates Euagoram. Quod vero ἀσεβεῖν εἰς ἱερὸν inquit, moliri aliquid contra fani alicuius religionem, atque illud contemnere si-
» gnificans, ita quoque locutus est Aeschines contra Ctesiphontem. οἱ εἰς τὸ ἱερὸν τὸ ἐν Δελφοῖς, καὶ
» τὰ ἀναθήματα ἠσέβουν: & paulo ante, Demosthenem intelligens. ἀσεβήσας μὲν εἰς τὸ ἱερόν, τὸ
» ἐν Δελφοῖς.

Ἄλλος. ἐπειδὴ ἐπὶ τῶν πλείστων συμβαίνει, ὥσθ' ἕπεσθαί τι αὐτοῖς ἀγαθὸν καὶ κακόν: ἐκ τοῦ ἀκολουθοῦντος προτρέπειν, ἢ ἀποτρέπειν: καὶ κατηγορεῖν, ἢ ἀπολογεῖσθαι: καὶ ἐπαινεῖν, ἢ ψέγειν.

Alius, quia in plurimis rebus vsu venit, vt comitetur ipsis aliquod bonum & malum, ab eo, quod sequitur, suadere, vel dissuadere: & accusare, vel defendere: & laudare, vel vituperare.

Tertiusdecimus hic locus, ita inscriptus est in manu exarato exemplari. ὁ ἀπὸ ἑπομένων τινὶ ἀγαθῶν ἢ κακῶν: ex Aristotelis autem sententia expressus hic ipsius index est: quamuis rem pluribus verbis describat. communis autem tribus generibus est. quod aperte hic declaratur: praeterea ansam praebet argumentandi, & pro aliqua re stanti, & eandem oppugnanti.

Οἷον τῇ παιδεύσει τὸ φθονεῖσθαι ἀκολουθεῖ, κακόν: τὸ δὲ σοφὸν εἶναι, ἀγαθόν.

Vt doctrinae comitatur inuideri, quod est malum: & sapientem esse, quod est bonum.

Hanc esse naturam dixerat plurimarum rerum, vt non bonum, siue malum seorsum inde na-

sceretur,

ſceretur, ſed ambo ſimul ex illis prouenirent. ab eo igitur, quod conſequitur ac voluntati noſtrae accommodatum eſt, argumentandum docet: rem autem ita ſe habere confirmat exemplo eruditionis: quam cum conſequatur inuidia, quod malum eſt: & ſapientia, quod bonum, ad eam ex conſequenti bono impellere poſſumus: & ex conſequenti malo, ab eadem reuocare. vt Medea apud Euripidem fecit: quae cum opinione ſapientiae in non parua incommoda incidiſſet: ſtudiaque litterarum damnaret, hinc argumentum duxit: & ab inuidia, quae bonis artibus comitatur, omnes ab illis capeſſendis deterruit.

Οὐ τοίνυν δεῖ παιδεύεσθαι: φθονεῖσθαι γὰρ οὐ δεῖ. Δεῖ μὲν οὖν παιδεύεσθαι: σοφὸν γὰρ εἶναι δεῖ.

Non igitur opus eſt erudiri: non enim opus eſt contra ſe inuidiam excitare. opus eſt igitur erudiri: ſapientem enim eſſe opus eſt.

Qvi diſſuadet a ſtudijs litterarum, alteram illam partem attingit, quae moleſta eſt: indeq; probat omittendam eſſe hanc elegantiorem diſciplinam: omnia enim facere debemus (inquit) ne inuidiam ciuium contra nos excitemus: non parua namque incommoda inde exoriuntur. Contra qui ſcientiae operam dandam ait, nulla huius mali mentione facta, bonum, quod illi comitatur, arripit. Non cunctandum eſſe dicens, tradere ſe ad diſcendum: officium enim hominis eſt omnia facere, vt ſapiens euadat: viaq; haec eius rei certa eſt.

Ο τόπος οὗτός ἐστιν ἡ Καλλίππου τέχνη, προσλαβοῦσα τὸ δυνατὸν, καὶ τἄλλα.

Locus hic eſt Callippi ars, cui adiunctum ſit, quod fieri poteſt, atque alia.

QVAM vtilis hic locus ſit, oſtendit, & quot adiumenta praebeat ad diſputandum: nã Callippus, vetus huius artis magiſter, ex hac vna animaduerſione librum de arte dicendi confecit, paucis quibuſdam alijs adiunctis. Vim igitur vtilitatemque huius argumentationis inde manifeſto cognoſci, nec non quam manca imperfectaque ars illa foret, ſignificauit. Cum autem in excuſis antea eſſet οὗτος ὁ λόγος, ſequutus auctoritatem antiquiſſimi libri, reſtitui ὁ τόπος οὗτος: infra quoque eodem pacto locutus eſt. ἔστι δ᾽ ὁ τόπος οὗτος ὅλη τέχνη: vetus etiam tralatio hanc lectionem ſequitur.

Ὡς εἴρηται.

Quo ordine a me tradita ſunt.

NON ita accipienda haec verba videntur, vt exiſtimetur ſignificare ipſis voluiſſe, ſupra ſe rationem, quam in arte ſua tradenda ſecutus fuerat Callippus, oſtendiſſe: neque enim in ſuperiore huius libri parte: neq; in priore libro verbum de hoc fecit. Sed τἄλλα cum inquit, intellexit ſupra a ſe vocata κοινὰ εἴδη, quae proprijs iam trium generum locis explicatis, accurate tradidit: illa inquam, quae communia omnium generum ſunt: in quorum numero eſt, quod fieri poſſit, aut non poſſit, vt ijs, huic loco adplicatis, affirmet Callippum artem confeciſſe: nec alia praecepta addidiſſe. ὡς εἴρηται igitur: quo ordine modoque illa a me paulo antea tradita ſunt, non de qua re antea a me plenius diſputatum eſt. Niſi aliquis putet aliud volumen, in quo copioſius id expoſuerit, ipſum ſignificaſſe: in viij. enim quoque libro de moribus ad Nicomachum ait. » εἴρηται δὲ περὶ αὐτῶν ἐμ προσθεν: nec tamen in libris illis, ad filium miſſis, de rebus, quas illic intelligit, locutus fuerat.

Ἄλλος, ὅταν περὶ δυοῖν, καὶ ἀντικειμένοιν, ἢ προτρέπειν, ἢ ἀποτρέπειν δέῃ, καὶ τῷ πρότερον εἰρημένῳ τρόπῳ ἐπ᾽ ἀμφοῖν χρῆσθαι.

Alius, quando de duobus, contrarijs inter ſe, vel ſuadere, vel diſſuadere opus fuerit: & prius tradito modo in ambobus vti.

ALIVS locus, & ipſe a conſequentibus ſumptus, in hocq; ſimilis ſuperiori: alia vero in re diſſimilis, vt oſtendet, cum de duobus, inter ſeq; oppoſitis, aut ſuadere alterum illorum, aut diſſuadere oporteat, modoque antea tradito in ambobus vti.

Διαφορὰ δὲ, ὅτι ἐκεῖ μὲν, τὰ τυχόντα ἀντιτίθεται: ἐνταῦθα δὲ, τἀναντία.

Differt autem ab illo, quod illic, quaelibet opponuntur: hic autem, contraria.

DISCRIMEN inter hunc, & ſuperiorem locum ponit, quod huiuſcemodi eſt: in ſuperiore enim

qualiacunque opponuntur, in hoc contraria, & quae e regione collocata sunt. non magna res declaratione eget: verumtamen, inuideri, & sapientem esse (quae res consequuntur pulcherrimarum artium cognitionem) contraria inter se non sunt: hoc enim supra exemplo ipse vsus est: quae autem hic opponuntur, manifesto contraria: qui animaduertet exempla, quibus infra vtitur, hoc facile percipiet.

Οἷον ἱέρεια οὐκ εἴα τὸν υἱὸν δημηγορεῖν: ἐὰν μὲν γάρ, ἔφη, τὰ δίκαια λέγῃς, οἱ ἄνθρωποι σε μισήσουσιν: ἐὰν δὲ τὰ ἄδικα, οἱ θεοί.

Ceu sacerdos quaedam non sinebat filium loqui ad populum: si enim aiebat, quae iusta veraq; sunt, suaseris, homines odio te prosequentur: si autem iniusta, dij.

Sacerdos quaedam filio suadebat, ne orator fieret, neq; in contione de publicis rebus diceret: neque enim (inquit) si omnia facias, incolumis ex isto negotio exire potes: si enim, quae aequa esse cognoris, defenderis, apud homines offendes: si iniqua, apud deos immortales. Modus igitur, supra explicatus, manifesto hic est: diuersus tamen ab illo ea re, qua docet: sunt enim contraria inter se, amor & odium: quae vtrunque eorum, verba facere (inquam) in contione, & a contionibus habendis se abstinere, a diuersis personis consequuntur. Sacerdotis ipsius nomen non ponit: nec cuius deae antistita foret, ostendit: nam, quod ita cum filio illam egisse dicit: auxilioque huius loci reuocare eum a contionibus voluisse, non repugnat institutis eorum temporum, quibus matrimonio sacerdotibus interdictum non erat. Tiresias quoq; apud Euripidē Phaenissis eodem pacto argumentatus est, accusans artem suam diuinandi, cum coactus fuisset rem, tristem & odiosam admodum, aperire Creonti regi, idest interitum Menaecei filij, si vellet ciuitatem saluam esse, vitareque periculum ingens, quod instabat: inquit enim stultum prorsus esse hominem, qui studium illud haberet: si namque dixerit, quae ars iubet, aduersantia voluntati eius, qui ipsum consulit, reddit sibi illum inimicum: si vero, quae falsa sunt, displicet dijs immortalibus: iniusteq; facit. quare melius factum fuisse, si diuinatio arbitrio curaeq; Apollinis relicta fuisset, qui neminem timet.

Δεῖ μὲν οὖν δημηγορεῖν: ἐὰν μὲν γὰρ τὰ δίκαια λέγῃς, οἱ θεοί σε φιλήσουσι: ἐὰν δὲ τὰ ἄδικα, οἱ ἄνθρωποι.

Decet igitur ad populum loqui: si enim, quae iusta sunt dixeris, dij te diligent: si autem iniusta, mortales.

Contra (inquit alius) non est cunctandum reip. operam dare ac contionari: si enim pro aequo, ac iusto steteris, atque id oratione defenderis, dij te diligent: si pro iniquo atque iniusto, homines. non potest igitur non bene tecum agi, quodcunq; tractaris. In antiquissimo libro hic quoque, vt supra, honestior pars prius exponitur: deterior vero, posterius: cum in excusis antea contra esset: ita enim illi habent. ἐὰν μὲν γὰρ τὰ ἄδικα λέγῃς, οἱ ἄνθρωποι σε φιλήσουσιν: & quae sequuntur: vetus quoque tralatio cum optimo libro facit. quare ipse quoque ordinem eum probaui.

Τοῦτο δ' ἐστὶ ταυτὸ τῷ λεγομένῳ. τὸ ἕλος πρίασθαι καὶ τοὺς ἅλας.

Hoc autem est idem, quod illud, vulgo celebratum. paludem emere ac sales.

Scripti libri ἕλος habent: in excusis antea ἔλαιον: quam lectionem sequitur vetus tralatio: vt non omnino illa noua existimanda sit. de scripturae igitur veritate non sine causa dubitari potest. vis praeterea huius prouerbij obscurior est: nam prouerbium esse, planum est. Quae adferuntur ab interprete Graeco pro huius prouerbij declaratione, ficta ac commenticia puto. ἕλος sane Graecis stagnum valet, ac paluster & vliginosus locus. Sensus horum verborum hic est (quamuis parui intersit haec scire, nisi vocis huius ratio intelligatur: & cur nulla re discrepare ab eo, quod iam tradidit, dicta sit) Hoc idem est, atque illud, quod vulgo dicitur, stagnum emere ac sales. Salem autem, oleumq; quorundam morborum remedium esse, constat. Interpres Aristophanis, locum illum e nubibus declarans. ἅλσὶ διαχασμηχθεὶς ὄναιτ' ἂν οὑτοσί, tradit morem fuisse vngendi eos, qui desiperent, oleo ac sale: quod fortasse cum quidam cogitarent, ἔλαιον pro ἕλος reposuerunt. velle autem rationem afferre prouerbiorum, quae vetustate deleta sint: atque ingenij vi ortum illorum causamque explicare, amens prorsus negotium esset.

Καὶ ἡ βλαίσωσις τοῦτ' ἔστιν.

Et blaesosis vocata hoc ipsum est.

Figvram,

FIGVRAM, tunc notam, arbitror intelligere: siue nomen βλαίσωσις est, quo haec argumentatio vocaretur: certae enim viae, rationesq; argumentandi sua quaedam nomina habebant: βλαισοὶ autem pedes a Graecis ranarum, lacertarumq; vocabantur. vnde a Graeco poëta βλαισοπόδης βάτραχος est appellatus.

Ὅταν δυοῖν ἐναντίοιν ἑκατέρῳ ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἕπηται, ἐναντία ἑκάτερα ἑκατέροις.

Quando duorum contrariorum vtrique bonum & malum comitetur, contraria vtraque vtrisque.

SI descriptam rem haberemus, formamq;, qua veteres (nisi fallor) in hac re tradenda vtebantur, teneremus, nihil hoc clarius, apertiusq; foret: ea autem nunc ignorata, caliginis aliquid inducit. non tamen ita locum obscurat, vt sententia Aristotelis non percipiatur: visque huius loci commode intelligatur: sed tamen facit vt, cur haec ratio blaesosis, vt ipse appellat, nominetur, liquido non cognoscatur. Eam autem huiuscemodi esse inquit, cum duorum contrariorum vtriq; boni quippiam maliq; comitetur: quae bona malaq; inter se & ipsa contraria sunt, vt autem his verbis exemplum accommodemus. Contioni iustae comitatur malum, quod homines infensi sunt auctori ipsius: bonum vero, quod dij diligunt, qui ita ad populum agit. Contioni iniustae bonum comitatur, quod homines diligunt suadentem huiuscemodi: malum vero, quod dij auerso ab illis animo sunt.

Ἄλλος, ἐπειδὴ οὐ τὰ αὐτὰ φανερῶς ἐπαινοῦσι, καὶ ἀφανῶς, ἀλλὰ φανερῶς μὲν, τὰ δίκαια, καὶ τὰ καλὰ ἐπαινοῦσι μάλιστα: ἰδίᾳ δὲ, τὰ συμφέροντα μᾶλλον βούλονται, ἐκ τούτων πειρᾶσθαι συνάγειν θάτερον.

Alius, quia non eadem homines palam laudant, & clam, sed palam quidem, quae iusta sunt & honesta laudant maxime: clam autem, quae vtilia sunt, magis volunt, ex his enitendum est alterum colligere.

QVINTVS decimus locus, qui magnam vtilitatem praebet disputantibus, & hic, & in commentario sophisticorum elenchorum valde ab Aristotele celebratus. inscriptio ipsius in scripto quodam exemplari haec est. ἐκ τῶν ἄλλως καὶ ἄλλως ἐπαινούντων: ὃ καὶ παράδοξον λέγεται. Quia (inquit) huiuscemodi est ingenium hominum, vt non eadem palam probent, & clam: verum palam, aequa honestaque commendant: soli autem & clam, quae fructum aliquem & vtilitatem ferunt, sequuntur, eniti debemus, vt contrarium concludamus: siue enim hoc, siue illud dixerit, necesse est repugnet, aut occultis desiderijs, aut apertis sententijs. Vberius sane hunc locum in Elenchis pertractat: nam exempla etiam adfert, quibus explanet, verum esse, quod ponit abditas hominum voluntates discrepare a vocibus, quas semper in ore habent: vt inquit, cum occumbere honeste potius quam iucunde viuere se malle dicant, & paupertatem ferre potius iuste, quam turpiter diuitias parare: tamen contraria volunt.

Τῶν γὰρ παραδόξων οὗτος ὁ τόπος κυριώτατός ἐστιν.

Locorum enim omnium, qui aduersantur communibus opinionibus, hic maxime firmus est, ac ratus.

CVM alij quoque loci sint, quorum ope demonstrari possit quempiam sentire contra communes opiniones, hunc in primis multum valere: possetq; praeclare hoc praestare affirmat, quia numquam non eo vti possumus: necesseq; est vtro modo aliquis loquatur, dicat, quod discrepet ab opinionibus: aut enim apertis id, aut abditis repugnabit: cum contrariae illae inter se sint.

Ἄλλος, ἐκ τοῦ ἀνάλογον ταῦτα συμβαίνειν. οἷον ὁ Ἰφικράτης τὸν υἱὸν αὐτοῦ, νεώτερον ὄντα τῆς ἡλικίας, ὅτι μέγας ἦν, λειτουργεῖν ἀναγκαζόντων, εἶπεν ὅτι, εἰ τοὺς μεγάλους τῶν παίδων, ἄνδρας νομίζουσι: τοὺς μικροὺς τῶν ἀνδρῶν, παῖδας εἶναι ψηφιοῦνται.

Alius, inde vim ducens, quia eadem contingunt, si seruetur proportio. veluti Iphicrates, cum filium ipsius, iuniorem aetate, quod magnus erat, cogerent obire publica munera, inquit, si e grege puerorum, qui magni sunt, viros esse statuunt, e numero virorum, qui parui sunt, pueros esse decernent.

ALIVS locus est (inquit) atq; is decimus sextus, cum argumentum inde ducitur, quod ea, quae proferuntur, omnino contingunt proportione custodita: idem enim occurrere necesse est, si similitudo rationis, proportioque seruetur. Exemplum & elegans, & apertum est. Certa erat aetas nomen in militiam dandi, & huiuscemodi alia publica munera obeundi. Iphicrates,

summus Athenis vir, cum grandem corpore, non aetate, filium haberet, vellentq; qui curae illi praeerant, eum, quamuis iuniorem, aetatisq; beneficio solutum, publica onera sustinere, iniquitatem eorum, erroremq; redarguens, inquit. Si qui magno corpore sunt pueros, pro viris habent, non possunt recusare quin pusillos homines, pueros esse sciscant: oportebit enim illos quoq; publicis muneribus liberare, ac legibus soluere, cum eadem proportio sit exiguo corpore existentium, in viris, quae amplo, in pueris. quare ex instituto ipsorum resp. non adiuuabitur, sed potius damnum faciet: hoc enim significare voluit atque ita filium ea molestia liberare. Tribus vero locis hic aliquantulum scripturam variaui. ταῦτα enim addidi, quod verbum ab excusis antea aberat, id autem & antiquissimus codex retinet, & vetus tralatio exprimit. τῆς ἡλικίας quoque generandi casu, cum antea dandi positum foret: nec non instanti tempore νομίζουσι scripsi, cum prius excusi νομίσωσι haberent. In his quoque immutationibus easdem auctoritates secutus sum.

Καὶ ὁ Θεοδέκτης ἐν τῷ νόμῳ. ὅτι πολίτας μὲν ποιεῖσθε τοὺς μισθοφόρους, οἷον Στράβακα, καὶ Χαρίδημον, διὰ τὴν ἐπιείκειαν: φυγάδας δ' οὐ ποιήσετε τοὺς ἐν τοῖς μισθοφόροις ἀνήκεστα διαπεπραγμένους;

Et Theodectes in lege. ciuitate donatis mercennarios, veluti Strabacem, & Charidemum, quia moderate se gesserunt. non exilio autem multabitis illos, qui e numero mercennariorum graues culpas admiserunt?

THEODECTEM supra etiam ἐν τῷ νόμῳ adduxit, siue ille pro lege aliqua dixit, siue legi sententia sua aduersatus est: de hoc enim certi nihil habeo. Exemplum hoc quoq; eiusdem loci posterius planum est. Si ciuitate inquit, donatis mercennarios milites, Strabacem ac Charidemum ob modestiam probitatemq;, debetis etiam in exilium agere, quicunq; ex eo numero improbis factis reip. nocuerunt: eadem enim in conductis mercede proportio est, modestorum hominum ad praemium ciuitatis, quo ornabantur, quae improborum eiusdem generis ad exilij paenam, qua affici mererentur. Ita autem argumentatus est, cum docere vellet eius quoque generis milites, qui nefaria quaedam molirentur, extorres esse agendos. id vero confirmauit, ostendens ciuitatem solere eos, qui se in illis temperanter, gerunt, maximis praemijs decorare.

Ἄλλος, ἐκ τοῦ, τὸ συμβαῖνον, ἐὰν ᾖ ταὐτὸν, ὅτι καὶ, ἐξ ὧν συμβαίνει, ταὐτά.

Alius, inde fidem trahens, si quod vsu venit, fuerit idem, illa quoque, e quibus vsu venit, eadem habenda.

ITA inscribitur hic locus in calamo scripto exemplari. ἐκ τοῦ ἐν ἀποτέλεσμα ἐξ ἀμφοῖν δείκνυσθαι τῶν ἐναντίων: καὶ αἰτία ταὐτὰ ἑνός τινος. Vis certe ipsius, vt ex ijs verbis colligitur, haec est. Cum idem contingit atq; vsu venit duabus e rebus, eadem etiam haberi debere, vnde illud emanat atque vsu venit, quamuis diuersa videantur. Qui igitur demonstrata eadem re nasci ex ipsis, & ab eodem diuersarum rerum effectu, probat illas quoque easdem existimari debere, hoc loco vtitur. Fructus autem non mediocris capitur ex ipso: illarum enim rerum, vnde inde efficitur, saepe altera manifesto improba ac nefaria est: altera vero nullam reprehensionem, aut exiguam admodum in se culpam habere creditur. Qui igitur rem augere vult, ac vitium illius ipsius, quae recta, aut tolerabilis ducitur, ostendere, docebit, cum idem ex ambabus vsu veniat, illas etiam eiusdem naturae debere existimari: cuius enim generis euentus sunt, eiusdem etiam initia causasq; esse. Exempla, quae ponit, argumentationis huius vim illustrabunt. Sed Cicero quoque pro Q. Ligario ita argumentatus est, cum accusatoris eius saeuitiam argueret, qui contra Romanum morem operam daret, vt reus interficeretur: cum enim prius se diligenter purgasset, inquit. Itaq; certo scio vos non petere sanguinem, sed parum attenditis: res enim eo spectat, & quae sequuntur.

Οἷον Ξενοφάνης ἔλεγεν, ὅτι ὁμοίως ἀσεβοῦσιν, οἱ γενέσθαι φάσκοντες τοὺς θεοὺς, τοῖς ἀποθανεῖν λέγουσι: ἀμφοτέρως γὰρ συμβαίνει, μὴ εἶναί ποτε τοὺς θεούς.

Veluti Xenophanes dixit, similiter impie sentire, qui affirmant natos esse deos, atque eos, qui dicunt mori: vtroque enim pacto contingit non esse aliquando deos.

RATIO haec Xenophanis laedit Hesiodum: ceterosq;, qui deorum origines scripserant. Qui tamen vulgo pij sanctiq; habebantur. cum siqui forte dixissent deos mori, nefarij subito habiti forent: idem enim ex vtraque re docet occurrere: dari scilicet tempus, cum dij non sint: quod

prorsus

prorsus impium est: siue enim dij quandoque orti sunt: siue aliquando intereunt, sequitur non esse, extitisseue aliquando deos: cum autem hoc impium conscelerarumque sit, non potest honestum ac probum esse omne illud, vnde proficiscitur: nascitur autem non minus ex opinione illorum, qui aiebant deos gigni, quam e sententia eorum, qui interire affirmabant. Est igitur id quoq; nefarium, quamuis stultitia hominum huiuscemodi esse non intelligatur.

Καὶ ὅλως δὲ τὸ συμβαῖνον ἐξ ἑκατέρου λαμβάνειν, ὡς ταὐτὸ ἀεί.

Omninoque, quod vsu venit ex vtroque sumere, vt idem semper.

DEMVMQVE (inquit) quod ex ambobus vsu venit atque occurrit, quamuis aliquantulum diuersa inter se sint, quae scilicet ex ambobus occurrunt, vt vnum, idemque semper capere: statimq; hoc patefacto reuerti ad declarandum res, vnde id procreatur, easdem esse, quod multi non videbant: erroreq; hoc capti commissuri erant, quod causa magnorum malorum fuisset. vt exemplo, quod additur, explanatur: nemo enim non cognoscebat, si damnata essent studia sapientiae, neminem daturum operam philosophiae, interitumq; bonarum artium eam rem futuram. quare numquam induci potuissent, vt id facerent: nec tamen perspiciebant, si Socratem condemnassent, se idem effecturos: ingentisq; huius incommodi culpam apud se mansuram. Hoc autem, quod nunc in vniuersum praecipit, addidit, significare volens totam rem in hoc positam esse: in primisq; laborandum oratori, vt doceat nulla re discrepare, quae vsu veniunt ex ambabus illis discrepantibus rebus.

Μέλλετε δὲ κρίνειν, οὐ περὶ Σωκράτους, ἀλλὰ περὶ ἐπιτηδεύματος, εἰ χρὴ φιλοσοφεῖν.

Sententiã laturi estis non de Socrate, sed de instituto, si rectũ est incumbere sapientiae.

EXEMPLVM fortasse sumptum est e Socrate Theodectis, cuius orationis supra mentionem fecit: ex aliquo certe, qui causam ipsius studiose defenderet. Iubebat autem ille, quicunque fuit, iudices accurate animaduertere, quid facerent: non enim (inquit) sententiam laturi estis de Socrate, verum de toto hoc studio, an opera danda sit philosophiae: homines namque tam tristi Socratis euentu, ab hac praeclara arte absterrebuntur. Damnare igitur Socratem, est studium sapientiae damnare: non minus enim homines a studijs sapientiae sibi temperabunt damnato Socrate, quam si studia haec ipsa damnassetis: idem enim vtriusq; consequens est: & ex alterius vtrius damnatione, efficitur neminem daturum operam philosophiae. Valde similis huic locus est, si non omnino eadem argumentatio, quo vsus est M. Cicero pro Milone: cum, iudices absterrere volens a condemnando facto rei, affirmauit, si id fecerint, eos sententia sua statuturos omnibus, qui in latrones inciderint, necessario moriendum: cum qui ex eorum
» telis vitam eripuerint, iniquo iudicio postea tollantur. Non potestis hoc facinus improbum
» iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris
» sententijs, esse pereundum.

Καὶ ὅτι τὸ διδόναι γῆν καὶ ὕδωρ, δουλεύειν ἐστί.

Et tellurem & aquam dare, idem esse atque iugum sibi seruitutis imponi pati.

NOTVM est, reges Persarum, terram & aquam poscere solitos, atque his verbis obscure callideq; omnium rerum sibi potestatem tradi velle, significare. Ex hac igitur honestiore petitione, & aperta illa, si cuncta sibi concedi postulassent, idem fit: idest seruitus, ac libertatis amissio. Non nulli etiam, qui initio belli Asiatici Antiocho regi suadebant, ne condiciones acciperet, quas ferebant Romani, docentes temptari animum illius, quae speciem aequitatis haberent, postulatis, hoc exemplo vtebantur: dicebantq; (vt Liuius his verbis commemorat) par-
» uas ac vix dictu dignas, belli causas tanto regi eas ciuitates esse, sed initium semper per ius in-
» iusta imperandi fieri: nisi crederent Persas, quum aquam terramq; a Lacedaemonijs petierunt,
» glaeba terrae & haustu aquae eguisse.

Καὶ τὸ μετέχειν τῆς κοινῆς εἰρήνης, ποιεῖν τὸ προσταττόμενον.

Et communis pacis participes esse, idem atque non recusare imperium.

ASCRIBI in foedus velle, est accipere iniquas condiciones, & leges sibi imponi pati. Exempli huius vis (nisi fallor) huiuscemodi est. potentes quaedam ciuitates huiuscemodi foedus feriebant, vt eius condiciones, sibi vtiles honestaeq;: reliquis, quibus adhuc aperta via erat, si ascribi in eo vellent, detrimentosae ac turpes forent. Orator, qui suadebat alicui earum, vt expertes eius foederis manerent, hoc loco vsus est. affirmauitque participem eius pacis fieri, esse, obtemperare ac parere: non minus enim ipsis necesse fore, nutus illarum obseruare, quam serui

dominorum cogantur: idem namque esse, condiciones illas accipere, ac dominum sibi imponi pati; nec eam pacem esse, sed pactionem seruitutis.

Ληπτέον δ', ὁ πότερον ἂν ᾖ χρήσιμον.

Sumendum autem est, quod fuerit rationi nostrae accommodatum.

DVARVM harum rerum, ex quarum alterutra, quamuis diuersae illae sint, idem tamen contingit atque exoritur, sumenda est vtra rationi nostrae accommodata est, ac valet ad id, quod volumus, peragendum.

Ἄλλος, ἐκ τοῦ μὴ ταὐτὰ τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ αἱρεῖσθαι ὕστερον ἢ πρότερον, ἀλλ' ἀνάπαλιν.

Alius, inde fidem ducens, non semper eosdem idem sumere posterius, & prius, sed contra.

QVOD non eadem ijdem homines diuersis temporibus sequantur: posteaque sedulo fugiant, quae antea cupide expetiuerint: id enim, vt ab ea ratione ipsos deterreas, ostendendum: diligenterq; arguendum est.

Οἷον τόδε τὸ ἐνθύμημα.

Veluti enthymema hoc.

ENTHYMEMA hic appellat, non imperfectum syllogismum, sed vt fere magistri dicendi capere hoc nomen consuerunt, sententiam ex contrarijs conclusam. verba autem, quae sequuntur oratoris, id manifesto declarant.

Εἰ φεύγοντες μὲν, ἐμαχόμεθα, ὅπως κατέλθωμεν: κατελθόντες δὲ, φευξόμεθα, ὅπως μὴ μαχώμεθα.

Si expulsi patria pugnabamus, vt reuerteremur, nunc cum reuersi simus, in exilium ibimus, ne pugnemus?

EXEMPLVM hoc sumptum est ex oratione Lysiae, quam scripsit claro viro, & qui acriter in rep. versabatur, cum multitudo ingens ciuium Athenis, dominatu paucorum eiecta, e Piraeo in vrbem armis redijsset, persuadere cupiens, ne antiquam rempublicam, quod nonnulli conabantur, conuelli atque immutari paterentur. Illa autem omnis vetustate dilapsa esset oratio (neq; enim inter ceteras illius, quae reliquae sunt, legitur) nisi in vita Lysiae ipsius: quam erudite, diligenterq; scripsit, bonam magnamq; partem eius posuisset, Dionysius Halicarnasseus: ad ex-
» tremum enim & huius orationis partis & vitae oratoris, haec verba leguntur. Δεινὸν γὰρ ἂν εἴη ὦ
» ἀθηναῖοι, εἰ ὅτε μὲν ἐφεύγομεν ἐμαχόμεθα λακεδαιμονίοις, ἵνα κατέλθωμεν: κατελθόντες δὲ φευξόμεθα, ἵνα
» μὴ μαχώμεθα.

Ὅτε μὲν γὰρ τὸ μένειν, ἀντὶ τοῦ μάχεσθαι ᾑροῦντο: ὅτε δὲ τὸ μὴ μάχεσθαι, ἀντὶ τοῦ μὴ μένειν.

Aliquando enim manere, vsi pugna, sumpserunt: aliquando autem non pugnare iactura mansionis in patria.

HAEC Aristotelis verba sunt, declarantis in enthymemate Lysiae ciues illos, qui in patriam redierant, non semper idem optasse, sed diuersis temporibus diuersa: valdeq; inter se dissidentia secutos: fuit enim tempus (inquit) cum domi viuere, atque in patria manere auxilio armorum, & cum aliter id obtinere non possent, pugnando elegerunt: fuit item tempus, cum tantopere a proelijs contentionibusq; abhorrerent, vt aequo animo ferrent carere patria: rursusq; in exiliū pelli, ne pugnarent. Hic (nisi fallor) sensus est huius loci. μένειν valet domi aetatem degere: in patria viuere.

Ἄλλος, τὸ, οὗ ἕνεκα ἂν εἴη, εἰ μὴ γένοιτο, τούτου ἕνεκα φάναι εἶναι, ἢ γεγενῆσθαι. οἷον εἰ δοίη ἄν τις τινὶ, ἵνα ἀφελόμενος λυπήσῃ.

Alius, cuius causa factum esse potuit, si non factum fuerit huius causa, affirmaretur esse, aut factum fuisse. veluti, si dilargiretur aliquis alicui quippiam, vt postea ipsum eripiens, dolorem ei faceret.

INSCRIPTIO decimi noni huius loci in scripto quodam exemplari haec est. ἐκ τοῦ παρὰ τὸν σκοποῦντα λαβόντος, συμβαίνειν. & sane, cum huiuscemodi quippiam contingit, contra propositum ac spem fit eorum, qui bono eo aucti fuerant: non enim se id accepisse rebantur, vt damno ipsis, ac dolori foret: aliunde tamen Aristoteles appellat, nec personam ipsorum tam spectat, qui acceperunt, quam callidam interpretationem eorũ, qui, vt inimicos perterreant, affirmant, qui eos beneficio affecerint, numquam illos dilexisse, ne tum quidem, cum maxime eos ornare videbantur: contraq; potius illo ipso tempore cogitasse ipsis detrimentum afferre. Animaduertere tamen oportet, vt eius causa fieri potuerit, cuius causa dicimus factum esse, quamuis vere factum non sit: nisi enim fieri posse putarent, non perturbarentur, ac securo animo bono illo fruerentur. valet igitur τὸ ἕνεκα ἂν εἴη, cuius gratia illud fieri potuit. Exempli causa, quempiam boni aliquid dilargitum, vt incommodet, non vt adiuuet, vt Eutrapelus ille faciebat: de quo Horatius. siue vt quae antea dederat, postea eripiens, dolorem inurat. Εἰ μὴ γένοιτο vero, idest quamuis vere ab eo, ea de causa factum non sit: nihilominus eius rei gratia factum affirmare. Hac quoq; M. Cicero pro Deiotaro argumentatione vsus, purgauit, quo quidam signo vtebantur offensionis Caesaris apud populum, quod plausus ipsi dari non soleret: inquit enim (cum alia antea ratione huic crimini occurrisset) Et fortasse eo praetermissus, quia nihil vulgare te dignum videri potest. Non plaudebatur sane Caesari, quia boni viri vehementer illi irati erant, postquam nimis superbe ac contumaciter se gerere coepit: nihil tamen vetat, quin ea etiam de causa id fieri potuerit.

Ὅθεν καὶ τοῦτ' εἴρηται. Πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ' εὔνοιαν φέρων, Μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματ', ἀλλ' ἵνα Τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας.

Vnde & hoc dictum est. Multis deus, non bene animatus erga illos, res secundas tribuit, sed vt res aduersae ipsorum illustriores sint.

ANTIQVI poëtae tres senarij sunt: cuius, dicere non possum. eorum sententiam Caesar in primo libro de bello Gallico elegantissime expressit, cum metum incutere vellet Heluetijs, & animos ipsorum, insolentiores ex vetere victoria factos, retundere. Consuesse enim deos immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci velint, ijs secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere: Causae tamen, quam agebat, accommodare volens, non plene omnino reddere curauit: hic enim sensus eius poëtae fuisse videtur. Multis fortuna amplissima commoda dilargitur: nec tamen ornat eos praeclaris illis bonis, quia diligat ipsos: verum vt miseriae, in quas trudere cogitat, insigniores sint, ac magis conspicuae, comparatae tam secundis eorum praeteritis rebus.

Καὶ τὸ ἐκ τοῦ Μελεάγρου τοῦ Ἀντιφῶντος. Οὐχ ἵνα κτάνωσι θῆρ', ὅπως δὲ μάρτυρες Ἀρετῆς γένωνται Μελεάγρῳ πρὸς Ἑλλάδα.

Et illud e Meleagro Antiphontis. Non vt interficerent aprum, sed, vt testes forent virtutis Meleagro apud vniuersam Graeciam.

MELEAGRVM fabulam fuisse Antiphontis arbitror: scripsit enim tragoedias Antiphon: sunt autem duo senarij, vt distinctis versiculis indicaui: antea enim confuse, tamquam prosa oratio, scripti erant. Qui ornare voluit Meleagrum, dixit, ex omni Graecia concursum factum, non vt aprum occiderent, sed vt testes essent incredibilis virtutis Meleagri apud omnem Graeciam: & sane si ea vna de causa in eum locum conuenissent, nihil noui, absurdiq; accidisset: nec tamen ea causa fuit, vt ingeniosus poëta credi voluit. Vocauit autem hic θῆρα manifesto Antiphon aprum: interpres tamen non contemnendus Apollonij in primo ἀργοναυτικῶν, cum poëta dixisset αὐτὴ τις θὴρ ἄγριος: ἂν ἐρίπη ἥρως ἀπόπροθεν ἵκετο μήλων: leonemq; intellexisset, veteres tradit poëtas leonem proprio nomine solitos appellare θῆρα: testimonioq; Callimachi id confirmat: cuius hunc versiculum adducit. θηρὸς ἀσπαστὸν δέρμα κατωμάδιον. De Hercule autem illic Callimachum locutum, ac pelle leonis, quam humeris gestabat, perspicuum est: sunt autem hi superioresq; senarij, & sententijs & verbis satis ornati, vt dolendum sit, tam bonorum ingeniorum monimenta vetustate consumpta.

Καὶ τὸ ἐκ τοῦ Αἴαντος τοῦ Θεοδέκτου, ὅτι ὁ Διομήδης προείλετο Ὀδυσσέα, οὐ τιμῶν, ἀλλ' ἵνα ἥττων ᾖ, ὁ ἀκολουθῶν.

Et illud ex Aiace Theodectis, Diomedem praetulisse Vlyssem, minime honorans hominem, sed vt qui sequeretur se, inferior, minorque foret.

THEODECTIS versus non posuit Aristoteles, sed suis verbis sententiam, quam ab Aiace, in fabula de eo scripta, proferri ille fecerat, expressit: induxit enim Aiacem, quod Vlysses gloriae sibi ducebat, in vituperationé conuertentem: gloriabatur enim Vlysses, se ex omnibus principibus Graecorum sumptum esse a Diomede, cum, quid hostes noctu facerent, explorare vellet: vt qui intelligeret, ipsum cunctis consilio, ac manu praestare. Contra Aiax aiebat a Diomede illum, omnibus alijs relictis, delectum, ne si forte alium, fortem virum, sumeret, aliquid ille suae laudis ac gloriae opinione virtutis, delibaret.

Ενδέχεται γὰρ τούτου ἕνεκα ποιῆσαι.

Fieri enim potest, vt huiusce rei causa fecerit.

SERVATVM hic esse docet, quod supra custodiri oportere dixerat: vt eius etiam gratia fieri potuerit, cuius gratia dicimus effectum esse: nihil enim vetat (inquit) quin ea etiam de causa id fieri a Diomede potuerit, quamuis longe aliud ipsius consilium fuisse existimandum sit. verum quis scit occultas hominum voluntates? Ita quoq; argumentatus est Aeneas, cum, ira magna commotus, non veritus est incusare matrem deam, exprobrareq; ipsi, quod se eripuisset e tot periculis, ac grauibus malis, non vt iuuaretur inde, sed vt maioribus paenis conflictaretur: resq;
» odiosiores oculis cerneret. Hoc erat alma parens, quod me per tela, per ignes Eripis, & quae sequuntur.

Αλλος, κοινὸς καὶ τοῖς ἀμφισβητοῦσι, καὶ τοῖς συμβουλεύουσι, σκοπεῖν τὰ προτρέποντα, καὶ ἀποτρέποντα: καὶ ὧν ἕνεκα, καὶ πράττουσι, καὶ φεύγουσι: ταῦτα γάρ ἐστιν, ἅ, ἐὰν μὲν ὑπάρχῃ, δεῖ πράττειν.

Alius, communis & controuersantibus, & deliberantibus, videre subtiliter, quae valent ad suadendum, & dissuadendum: & quorum causa homines gerunt quaedam, aut fugiunt: haec enim sunt, quae si adfuerint, oportet facere.

VIGESIMVS locus, quem vtilem esse tradit, & in iudicijs, & in deliberationibus: communemq; ambobus his generibus. Quomodo tractari in deliberando debeat, antea exponit. Is autem est, attendere ea, quae impellunt ac reuocant: & quorum causa homines aliquid agunt, aut declinant: idest res illas, quas propositas habent: &, vt eas consequantur, alia aggrediuntur, aut diligenter fugiunt. Haec enim (inquit) sunt, quae si in rebus, quas agere cogitamus, extiterint, non est dubitandum facere.

Οἷον εἰ δυνατὸν, καὶ ῥᾴδιον, καὶ ὠφέλιμον: ἢ αὐτῷ, ἢ φίλοις, ἢ βλαβερὸν ἐχθροῖς, καὶ ἐπιζήμιον.

Ceu si fieri potest, si procliue est, si vtile, vel sibi, vel amicis, vel detrimentosum inimicis, & quod minetur malum.

EXPONIT, quae nam ea sint, quae hortantur ad quippiam gerendum, & inquit. vt si illud potest effici ac procliue est & vtile: nam vtile ipsum non vnius generis esse docet: aut enim ipsi expedire potest, aut amicis: sed etiam mouet nos id, quod inimicis nostris detrimentum affert: studemus enim obesse inimicis: ac libenter ea gerimus, quaecunq; ipsis malum importatura arbitramur. Animaduertendum est postremum superiorum verborum: vereor enim ne vitium in eo loco sit: defeceritq; particula negandi. vt οὐκ ἐπιζήμιον legi debeat, pertineatq; ad personam illorum, qui agunt, adiuuandam, non inimicorum laedendam, atque hinc inde sensus elici debeat, aut illi facto paena nulla imposita est: cur enim metuamus aggredi, quae nihil damni secum portant, & non sunt munita paenis vllis a legum conditoribus? & sane in primo horum librorum paulo ante, quam traderet, quibus rebus fides fiat, expertibus artis, cum inquit. Ο γὰρ τὰ φοβερὰ ἀδικῶν, καὶ τὰ ἐπιζήμια, καὶ τὰ μὴ ἐπιζήμια ἀδικήσειεν, hoc intellectu hoc ipsum verbum cepit: praecipue autem, quae sequuntur verba, hanc lectionem, & sententiam huius loci, videntur confirmare. Significat tamen quandoque ἐπιζήμιον idem paene, quod βλαβερὸν: idest quod labem quibusdam aliquam afferre potest ac tamquam paenam inurere: quomodo sane hic quoque accipi posset, nisi sententia, quae sequitur, impediret. Nam eadem verba coniunxit, atque eodem sensu vsurpauit Thucydides initio contionis Corcyraeorum, quam habuerunt Athenis, cum ad opem contra Corinthios petendam eo accesserunt: dixerunt enim oportere eos, qui auxilium alicunde petunt, nisi beneficia aduersus ipsos extent, aut vetus societas intercesserit, ostendere in primis se petere, quae prodesse illis ipsis possint, aut saltem non obesse: in
» hac enim sententia hoc verbo vsus est. μάλιστα μὲν ὡς ξύμφορα δέονται: εἰ δὲ μὴ, ὅτι γε οὐκ ἐπιζήμια.

Quod

Quod si aliquis, nulla re immutata, vellet ἐπιζήμιον pertinere ad inimicos incommodandos: quod autem addit ἢ ἐλάττων ἡ ζημία τοῦ πράγματος, ad illos ipsos, qui aggrediuntur (vt necessario id accipi debet) sententia se belle haberet: nimis dura tamen structura verborum foret.

Ἢ ἐλάττων ἡ ζημία τοῦ πράγματος.

Aut si minor fuerit multa, quam res.

AVT si multam aliquam leges proposuerunt, eaq; ab eo facto absterrere homines voluerunt. si multa minor est, quam fructus, voluptasq;, quae inde percipitur: aequo enim animo tunc homines, se paena illa multari patiuntur, vt animi voluptates expleant, ac bono illo fruantur, quod sine aliquo incommodo percipere non poterant: πρᾶγμα enim appellat, quod cupiebant: quod sequebantur, & optabant.

Καὶ προτρέπουσι δ' ἐκ τούτων, καὶ ἀποτρέπουσιν ἐκ τῶν ἐναντίων: ἐκ δὲ τῶν αὐτῶν τούτων, καὶ κατηγοροῦσι, καὶ ἀπολογοῦνται.

Et ad agendum impellunt vi horum, & reuocant ope contrariorum: ex ijsdem autem & accusant, & defendunt.

OPE sane locorum, iam demonstratorum, vti docet, cum hortari volunt, cum reuocare, auxilio eorum, qui contrarij ipsis sunt: idest ostendentes rem illam, aut effici non posse: aut magna omnino cum difficultate: aut detrimentosam esse: & aut prodesse inimicis, acerbasq; paenas propositas habere: verum etiam addit suppeditari inde nobis argumenta ad accusandum & defendendum.

Ἐκ μὲν τῶν ἀποτρεπόντων, ἀπολογοῦνται: ἐκ δὲ τῶν προτρεπόντων, κατηγοροῦσιν.

Ex ijs autem, quae valent ad reuocandum, defendunt: ex ijs autem, quae ad impellendum, accusant.

CVM, quae res valeant ad suadendum ac dissuadendum, dixisset vtilia etiam esse alicui accusando, aut defendendo, aperit vtrae illorum vtri horum accommodatae sint: traditq; rebus illis, quae vim reuocandi habent ab aliquo facto homines vti consuesse ad personas illas purgandas: ijs vero, quae impellunt ad easdem accusandas: criminibusq; ipsis affines significandas. qui igitur scit, quae res ad aliquid faciendum hortentur, aut inde retrahant, idem etiam intelliget, quo modo aliquis alicui culpae, ac facinori affinis esse, ostendi possit: quae namque impellunt improbos ad facinus, eaedem, si fuisse ostenduntur, arguunt reum id commisisse. Huic loco occurrit M. Cicero pro Milone: cum enim intelligeret homines ad multa impelli, quae damnum afferant, iusto odio, aut ira percitos, facile probari posse: videretq; his premi Milonem, maiora illa fuisse in Clodio, quam in Milone, argumentatur: vel potius in illo maxima, nulla in Milone. At valuit (inquit) odium: fecit iratus: fecit inimicus: fuit vltor iniuriae: punitor doloris sui. & quae sequuntur.

Ἔστι δ' ὁ τόπος οὗτος ὅλη τέχνη, ἥ τε Παμφίλου καὶ Καλλίππου.

Est autem locus hic tota ars & Pamphili & Callippi.

SVPRA, vno illo loco vtentem indicarat Callippum artem suam confecisse, nunc addit ex hoc vno & eundem magistrum, & praeterea Pamphilum libros suos totos de studio dicendi conformasse: vnde artes eorum inchoatas imperfectasq; admodum fuisse intelligere licet. Pamphili mentionem Cicero fecit in iij. de oratore per Crassi personam, deridens hominem atque contemnens.

Ἄλλος, ἐκ τῶν, δοκούντων μὲν γίγνεσθαι: ἀπίστων δέ, ὅτι οὐκ ἂν ἔδοξαν, εἰ μὴ ἦν, ἢ ἐγγὺς ἦν.

Alius, ex ijs, quae sane videntur fieri: sunt tamen incredibilia, quod non visa fuissent, nisi extitissent, aut propinqua exitui fuissent.

VIGESIMVS primus locus, cum quippiam adfertur, quod fieri sane videtur: supra omnem tamen fidem est. Cum aliquae res omnino esse videntur: quae tamen incredibiles sua sponte sint: ita namque locus appellatur: qui enim confirmare eas vult, dicere potest: nisi aut iam essent, aut fierent, paeneq; absolutae forent, eas numquam visas fuisse.

Καὶ

Καὶ ὅτι μᾶλλον· ἢ γὰρ τὰ ὄντα, ἢ τὰ εἰκότα ὑπολαμβάνουσιν. εἰ οὖν ἄπιστον, καὶ μὴ εἰκός, ἀληθὲς ἂν εἴη· οὐ γὰρ διά γε τὸ εἰκός, καὶ πιθανόν, δοκεῖ οὕτως.

Quin etiam magis: siue enim, quae sunt, siue quae verisimilia sunt homines arbitrantur esse. si igitur incredibile est, & non verisimile, verum vtique esse deberet: non enim quod verisimile sit, aut accommodatum ad persuadendum, tale videtur.

PRAETEREA dici potest, cum huiuscemodi sint, magis esse existimari debere, quam si credibiles forent: homines enim (inquit) aut ea, quae vere sunt, aut verisimilia credunt, & esse suspicantur. quod si eorum alterum non est, restat vt alterum sit: si namque incredibile & nullo modo verisimile, verum sit necesse est: quod enim assecutum est, vt eo modo se habere videatur: esseq; existimetur, non inde id accepit, quod verisimile sit & factum ad persuadendum, habeat igitur illud oportet a veritate ipsa.

Οἷον Ἀνδροκλῆς ἔλεγεν ὁ Πιτθεύς, κατηγορῶν τοῦ νόμου, ἐπεὶ ἐθορύβησαν αὐτῷ εἰπόντι, δέονται οἱ νόμοι νόμου τοῦ διορθώσοντος.

Veluti Androcles, dixit Pittheus, legem accusans, postquam turbas excitarunt ipso dicente, egent leges lege, correctura ipsas.

ANDROCLES viri nomen. πιτθεὺς is vocatus a loco & oppido: δήμους enim oppida Athenis appellabant. Androcles igitur hic, cum legem accusaret: iiq;, apud quos ageret, obstreperent ipsi dicenti: nec dicere, quae volebat, excitato tumultu, sinerent, inquit. egere leges lege alia, quae corrigeret: quod incredibile fuit, leges, quorum officium videtur esse corrigere peccantes, correctore egere: similibus autem duobus prolatis id confirmauit.

Καὶ γὰρ οἱ ἰχθύες ἁλός.

Nam & pisces sale.

QVANTO magis hoc incredibile est, tanto magis, cum tantopere asseueretur, credi debet: neq; enim, qui hoc protulit, sperare potuit, se id, vt rem probabilem, verisimilemque facile persuasurum: pisces inquam sale egere, qui in mari, & tamquam muria viuunt: mortuos tamen ille pisces, ex quibus sallamenta fiunt, qui sine sale non seruantur, intelligebat.

Καί τοι οὐκ εἰκός, οὐδὲ πιθανόν, ἐν ἅλμῃ τρεφομένους, δεῖσθαι ἁλός.

Et si hoc verisimile non est, neque aptum ad persuadendum, cum in sale alantur, egere sale.

VERBA haec, vt puto, Aristotelis sunt, vim praecedentis similis explicantis: declarantisq; rationem, quam supra indicauit, eo contineri. Atqui (inquit) verisimile non est: neque aptum ad persuadendum, pisces cum in salso alantur, sale indigere: egent enim omnia rebus, quibus carent, non quibus abundant.

Καὶ τὰ στέμφυλα ἐλαίου.

Et carnes olearum oleo.

ATHENIENSES, vt testatur Athenaeus in primo δειπνοσοφιστῶν, στέμφυλα vocabant oleas pressas, cum alij Graeci vuarum putamina, & quae vinacia Latini appellant, eo nomine vocarent. Cum Androcles igitur Atheniensis foret, sui sermonis consuetudinem secutus est: ac στέμφυλα vocauit, vt ita loquar, olearum carnes: quas (vt conijcere ex hoc loco possumus) in oleo illi seruabant, atque ita conditis pro obsonijs vtebantur. Diuersae autem rationes condendarum olearum apud veteres erant, ac diuersis nominibus appellabantur. posterius autem simile hoc est, quo rei, quam protulerat admirabili, fidem ille acquirere voluit.

Καί τοι ἄπιστον, ἐξ ὧν ἔλαιον γίγνεται, ταῦτα δεῖσθαι ἐλαίου.

Atqui incredibile est, ex quibus oleum conficitur, haec indigere oleo.

ET haec (nisi fallor) Aristotelis verba sunt, quae idem hic efficiunt, quod superiora illa in prioris similis natura explicanda. Atqui hoc omnem fidem superat, ex quibus oleum conficitur, haec oleo, tamquam si vacua ab eo forent, indigere.

Ἄλλος

Ἄλλος, ἐλεγκτικὸς: τὸ τὰ ἀνομολογούμενα σκοπεῖν.

Alius, qui valet ad coarguendum, ſpectare quae diſſentiunt inter ſe.

VIGESIMVS ſecundus locus eſt: qui tamen vtilis eſſe ad demonſtrandum aliquid non poteſt, ſed ad refellendum tantum: ſpectare, quae parum conueniant inter ſe: vel potius diſſideant ac repugnent ſeorſum in perſona aduerſarij: ſeorſum etiam in tua: nec non ſeparatim ab his duobus, coniunctéq; inter ſe, & in perſona aduerſarij, & in tua. exempla ſatis aperta ponit. Qui quempiam autem mendacij vanitatisq; arguere volunt, ſi quid diſcrepat ac repugnat attendere oportere, planum eſt: proprium enim refellentis eſt demonſtrare ἀνομολογούμενα: ideſt diſſidentia ac contraria. Vnde ſupra etiam, cum de enthymemate, cuius munus eſt redarguere, loqueretur, eodem verbo vſus eſt: & inquit. τὸ δὲ ἐλεγκτικὸν τὸ τὰ ἀνομολογούμενα συνάγειν.

Εἴ τι ἀνομολογούμενον, ἐκ πάντων, καὶ χρόνων, καὶ πράξεων, καὶ λόγων, χωρὶς μὲν ἐπὶ τοῦ ἀμφισβητοῦντος.

Si quid illic exiſtit, quod diſſentiat, animaduerſis omnibus & temporibus, & factis, & verbis, ſeorſum quidem in perſona aduerſarij.

SI quid colligere poſſumus in perſona aduerſarij, repugnans diſſidensq;, diligenter praeteritum omne tempus, nec non facta, verbaq; eius excutientes: ita enim illi fidem omnem eripiemus, ac ſimulate agere oſtendemus: indicantes haec, quae nunc gerit, aut loquitur, ſuperioribus ipſius, aut factis, aut vocibus non reſpondere. Hoc fecit M. Brutus, ille accuſator, contra L. Craſſum, vt diligenter exponit M. Cicero in ij. de Oratore: duos enim lectores excitauit, qui contraria inter ſe capita de rep. conferrent, e duabus habitis ipſius orationibus, res tota ſatis nota eſt, & quemadmodum magnus ille orator lepide vltus eſt hanc iniuriam.

Οἷον. καὶ φησὶ μὲν φιλεῖν ὑμᾶς: συνώμοσε δὲ τοῖς τριάκοντα.

Ceu. Et inquit, ſe diligere vos. conſpirauit autem cum triginta aduerſus vos.

HIC, qui nunc mihi moleſtus eſt, ait ſe ſtatu hoc reip. delectari, ac libertati veſtrae amicus eſſe, vna tamen cum triginta illis viris conſpirauit contra vos. Haec enim oratio habita eſt, vel ſcripta fuit, vt haberetur, fracto iam dominatu paucorum, ac republica recuperata, Athenis.

Χωρὶς δ' ἐπ' αὐτοῦ, καὶ φησὶ μὲν, εἶναί με φιλόδικον: οὐκ ἔχει δὲ ἀποδεῖξαι δεδικασμένον οὐδεμίαν δίκην.

Seorſum autem in ſua, Et affirmat me cupidum eſſe litium. non poteſt autem oſtendere me vnquam in foro verſatum.

CVM quis a ſe oſtendit, praeteritaq; omni ſua vita crimen illud abhorrere. Aduerſarius affirmat me ſectatorem eſſe litium: nec tamen demonſtrare poteſt, me vnquã cauſam dixiſſe, aut quempiam in iudicium vocaſſe: eſſe enim φιλόδικον crimen fuit: ita enim vocabantur, qui leuibus de cauſis, puſillisq; iniurijs acceptis, alicuius nomen deferebant. vt in primo libro a me declaratum eſt, vbi docet in ijs etiam rebus homines conſueſſe aliquos libenter laedere: de quibus, ſi in iudicium illi veniant, hanc reprehenſionem effugere nequeant.

Χωρὶς δ' ἐπ' αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἀμφισβητοῦντος. Καὶ οὗτος μὲν οὐ δεδάνεικε πώποτε οὐδένι: ἐγὼ δὲ καὶ πολλοὺς λέλυμαι ὑμῶν.

Seorſum autem, & in ſua, & in aduerſarij perſona. Et hic quidem numquam ſua pecunia cuipiam opitulatus eſt: ego vero multos veſtrum vinculis liberaui.

CVM facta aduerſarij a noſtris demonſtrantur diſcrepare, honeſtiusq; nos, ac reip. vtilius docemus in ijſdem rebus verſatos: Hic, qui nunc me auaritiae inſimulat, ſeq; liberalem videri vult, neminem vmquam pecunia ſua ſubleuauit. contra ipſe multos veſtrum captos ab hoſtibus redemi: nunc enim ambae ſimul perſonae excutiuntur: docet autem a ſe culpam illam abeſſe reus, praeteritis ſuis rebus prolatis, cui affinem eſſe accuſatorem, vetere ipſius item vita patefacta, declarat. Quod in excuſis deprauate ante πολλὰ λέλυμαι legebatur, correxi: ſecutus autem in eo ſum fidem antiquiſſimi libri, in quo πολλοὺς ſcriptum eſt, ſed huius etiam lectionis veſtigia in vetere tralatione apparent: λύεσθαι autem redimere captos a praedonibus, hoſtibuſque ſignificat.

Ἄλλος, τοῖς προδιαβεβλημένοις καὶ ἀνθρώποις καὶ πράγμασι, μὴ δοκοῦσι, τὸ λέγειν τὴν αἰτίαν τοῦ παραδόξου: ἔστι γάρ τι, δι᾽ ὃ φαίνεται.

Alius, quibus turpis nota prius inusta fuerit & hominibus & rebus, nec tamen putatis affinibus illi culpae, afferre causam rei illius parum credibilis: est enim profecto aliquid, quod fecit, vt id ita videatur.

Alivs locus, qui valet ad purgandas aliquas & personas & res, quibus iam turpis aliqua macula aspersa sit: quae tamen nullo modo haerere ipsis videatur, quod alienae ab ea sint. Ratio autem est, quae auxilio his esse potest, & abstergere ab ipsis labem illam, exponere causam rei incredibilis, & quae, quamuis disseminata prius sit, repugnabat tamen iudicijs & opinionibus hominum de illis rebus: sit enim (inquit) omnino aliquid necesse est, vnde sinistra illa opinio fuerit excitata: statim autem illo patefacto ac diluto, infamia delebitur. Hanc vim inscriptionis huius loci esse puto. vnde in scripto quodam libro ita appellatur. ὁ ἀπὸ τοῦ, λεγομένης τῆς αἰτίας, λύεσθαι διαβολήν: tota tamen res valde obscura: atque inde fortasse etiam scriptura variata est pluribus locis, non hic tantum, vbi vtilitatem huius loci explicat, verum etiam in exemplo. Secutus autem sum antiquissimi libri fidem, ex cuius lectione & verior & planior sensus elici videtur. nam, quod praepositionem addidi verbo διαβεβλημένοις, feci etiam id adstipulante vetere tralatione: quod vero in excusis etiam erat ἢ δοκοῦσιν, immutaui, & μὴ δοκοῦσι scripsi: nam praeter auctoritatem fidelissimi libri, persuasit mihi, vt id facerem, quod si vt ante excusi habebant, legeretur, intelligere oporteret superius verbum διαβεβλημένοις, tamquam si vera infamia notatae forent: quae autem huiuscemodi sunt, causa reddita magis infamantur, nedum subleuentur, ac culpa omni liberentur: omnino enim necesse est, rumor ille famaq; dissipata, falsa fuerit, si debet causa exposita adiuuari. παράδοξον vero hic valet, quod nouum, & absurdum admodum est: quod numquam expectatum ab eo fuisset: quod omnium aures paene respuunt, id etiam multum confirmat hanc lectionem. Animaduertendus autem hic modus loquendi: vnde scilicet hi dandi casus apti sint, an intelligi debet χρήσιμος? qui scilicet multum valet ad personas resue aliquas infames subleuandas.

Οἷον ὑποβεβλημένης τινὸς τὸν αὑτῆς υἱὸν διὰ τὸ ἀσπάζεσθαι, ἐδόκει συνεῖναι τῷ μειρακίῳ: λεχθέντος δὲ τοῦ αἰτίου, ἐλύθη ἡ διαβολή.

Veluti, cum mulier filio se subiecisset, vt arctius salutaret, visa est cum adolescentulo rem habuisse: exposita autem causa, criminatio dissoluta est.

Exemplvm hoc est, quo rem illustrare vult: in quo etiam duo immutata sunt: antea namque διαβεβλημένης τινὸς πρὸς τὸν, legebatur. Variaui igitur (auctoritatem eandem secutus) primum verbum, ac propositionem ex inferiore loco sustuli: sensus autem ipsius hic erit. Ceu cum mater quaedam filium subijsset, corporiq; ipsius corpus suum supposuisset, vt commode eum osculari posset, in eo habitu corporis spectata, visa est stuprum cum adolescente exercere: causa vero eius rei exposita: declaratoque, vt os ori admouere posset, ac blande illum salutare, ideo amplexatam illum fuisse, falsum crimen dissolutum est: totaque illa incommoda opinio disiecta: infamis namque illa haberi coeperat: neque tamen res conueniebat omnino opinionibus hominum: nec verisimile erat, tantum scelus matrem admisisse, vt corpus cum ex se nato misceret, quod significatum est supra requiri, vt huic argumentationi locus sit, cum inquit, μὴ δοκοῦσιν: si namq; affinis culpae fuisset, non tam facile nota illa ablui potuisset. ex altera illa huius exempli lectione (nisi fallor) sensus vllus idoneus non elicitur: & hae in ea salebrae sunt: mater namque, quae suspecta eo nomine esse coepisset, apud filium in crimen vocata fuisset: quod verbis illis significari videtur: ibiq; flagrasset infamia: non ab eo exorta, complexuq; illo, in aliorum pectoribus viguisset: cum contra tamen res se habuerit, necesse sit. & διὰ τοῦ ἀσπάζεσθαι legi oporteret, si male existimari de illa coeptum esset, propter blandam illā salutationem: nunc vero valet, quod exposui, causam ac finem ipsius, quae in habitum illum se induerat, vt id quod concessum est, ac maternum amorem declarat, efficeret. praeterea non satis illa iusta causa esse poterat, tam sceleratae opinionis excitandae: consilium autem hoc ipsius finisq;, quem in animo habebat, explicatus, subito illam culpa liberat: falsamq; criminationem fuisse ostendit.

Καὶ οἷον ἐν τῷ Αἴαντι, τῷ Θεοδέκτου, Ὀδυσσεὺς λέγει πρὸς τὸν Αἴαντα, διότι ἀνδρειότερος ὢν τοῦ Αἴαντος, οὐ δοκεῖ.

Et veluti in Aiace Theodectis, Vlysses dicit in Aiacem, cur, cum ipse foret fortior Aiace, minime videtur.

AIAX Theodectis fabula, in qua inducebantur & Aiax ipse, & Vlysses inter se altercantes. Cum autem Vlysses multa contra Aiacem dixisset, rationem attulit, cur, cum fortior Aiace esset, non haberetur: incredibile autem hoc erat, & nisi causam eius exposuisset, merito contemni potuit. quae causa ea fuerit, cum Aristoteles de ea sileat, & tragoedia Theodectis vetustate perierit, non facile excogitare aliquis posset.

Ἄλλος, ἀπὸ τοῦ αἰτίου, ἄν τε ὑπάρχῃ, ὅτι ἔστι: κἂν μὴ ὑπάρχῃ, ὅτι οὐκ ἔστιν: ἅμα γὰρ τὸ αἴτιον, καὶ οὗ αἴτιον, καὶ ἄνευ αἰτίου, οὐδὲν ἔστι.

Alius a causa, quae si fuerit, rem esse: & si non fuerit, non esse: simul enim causa, & cuius est causa: & sine causa, nihil est.

VIGESIMVS quartus locus est, argumentari a causa: & si causa alicui fuerit aliquid faciendi, id factum esse, confirmare: si non fuerit, negare: vim autem habere hanc rationem ostendens inquit: vna enim manent, & causa, & causae ipsius euentus: quod priorem partem huius loci constituit: quod vero adiungit: & absque causa nihil est, posteriorem valere declarat, qua non factum esse aliquid probatur. Cicero pro Milone, cum ostendere vellet insidiatorem fuisse
» Clodium, hoc loco vsus est. Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria belua docere, ma-
» gnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas vtilitates fuisse. & quae sequuntur. In calamo scriptis exemplaribus, ὁ ἀπὸ τοῦ αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ, hic locus appellatur.

Οἷον Λεωδάμας, ἀπολογούμενος, ἔλεγε, κατηγορήσαντος Θρασυβούλου, ὅτι ἦν στηλίτης γεγονὼς ἐν τῇ ἀκροπόλει, ἀλλ᾽ ἐκκόψαι ἐπὶ τῶν τριάκοντα, οὐκ ἐνδέχεσθαι ἔφη: μᾶλλον γὰρ ἂν πιστεύειν αὐτῷ τοὺς τριάκοντα, ἐγγεγραμμένης τῆς ἔχθρας πρὸς τὸν δῆμον.

Veluti Leodamas, cum se in iudicio defenderet, dixit, accusatus a Thrasybulo, affirmante nomen eius notatum fuisse in columna, quae in arce collocata erat, verum ipsum deleuisse dominantibus triginta viris, dixit fieri id non potuisse, quia illi maiorem fidem ei habituri fuissent, testatis publice inimicitiis, quas gessisset cum populo.

ILLVSTRE exemplum ad hunc locum explanandum posuit. Thrasybulus, qui xxx. illos viros, impositos a Lacedaemoniis Athenis, qui ciuitatem gubernarent, exegit, cum reum maiestatis Leodamantem fecisset, perpetueq; fuisse hostem populi ostendere vellet, affirmauit illius nomen, vt hostis ac proditoris, in columna, quae in arce erat, incisum olim fuisse. nam quod nullum ipsius vestigium tunc remaneret, facultatem ipsum habuisse, regnantibus xxx. illis tyrannis, apud quos multum gratia valuerit, nomen illinc suum abradendi. Respondens huic crimini Leodamas inquit, rem ita se habere nullo modo posse, nec se tam stultum vmquam futurum fuisse, vt id commissurus fuerit: nec sane causam vllam tunc, cur id faceret, extitisse: maiorem enim fidem habituros ipsi fuisse xxx. illos viros, testatis publicis monumentis inimicitiis, quae ipsi cum populo fuerant. Exemplum hoc esse posterioris partis, patet: cum scilicet, causam nobis nullam eius fuisse demonstrantes, non fecisse nos probamus. Στηλῖται autem appellabantur, quorum nomina, ad ignominiam declarandam, in columna notata erant: quamuis eorum etiam, qui praeclarum aliquod beneficium in remp. contulerant, nomina in columna notare solerent. Quod Lysias ostendit in oratione contra Agoratum: loquitur enim de improbis quibusdam ciuibus, qui pacta mercede hunc honorem a turbulentis oratoribus emere
» solerent. τὰ μέν τοι ὀνόματα διαπράττονται σφῶν αὐτῶν, δόντες ἀργύριον τῷ ῥήτορι, προσγραφῆναι εἰς τὴν στήλην,
» ὡς εὐεργέτας ὄντας.

Ἄλλος, εἰ ἐνεδέχετο βέλτιον ἄλλως, ἢ ἐνδέχεται: ὧν ἢ συμβουλεύει, ἢ πράττει, ἢ πέπραχε, σκοπεῖν.

Alius videre, si melius aliter efficere potuisset, vel adhuc potest, quam quomodo suadet, vel gerit, vel gessit.

VIGESIMVS quintus locus, cum aut nos met ipsos, aut quempiam defendimus alicuius culpae reum: accurate animaduertere, si quod arguitur fecisse, potuit meliore tempore ac loco facere: perspicuum enim esse debet, nisi omnia haec sint, vt & tempus, & locum idoneum sumpserit, cunctaque alia seruarit, per quae melius res confici, & ad exitum perduci possit, culpae illi affinem eum non videri. Si melius (inquit) alia ratione ac via contingebat, aut adhuc contingit illa administrari ac geri, quam aut suadet facienda esse, aut facit, aut fecit, videre. Quod autem in excusis hic antea desiderabatur, aduerbium ἄλλως, restitui, sumptum ex antiquissimo libro,

brò, & expressum quoq; a vetere tralatione. Quod vero inquit, ἢ συμβουλεύειν, hoc valet: saepe enim quoque alicui crimini datur, quod malum consilium dederit: & eo nomine reus citatur: quod scilicet intelligens volensq;, qui se illi commiserant, praecipites egerit. Si igitur is ostendere potest, si obesse voluisset, se potuisse deterius consilium dare: & quod magis ipsos statu suo euertisset, valde se subleuat: qui enim aliquem malis consilijs perdere voluerint, verisimile est pessima omnium electuros fuisse.

Φανερὸν γὰρ, ὅτι εἰ μὴ οὕτως ἔχει, οὐ πέπραχεν: οὐδεὶς γὰρ ἑκὼν τὰ φαῦλα, καὶ γινώσκων προαιρεῖται.

Perspicuum enim est, si res hoc pacto non se habet, ipsum non gessisse: nemo enim sponte sua, & sciens, quae parum apta sunt illi rei gerendae, eligit.

CONSTITVIT hunc locum, & quam vim ad probandum: vndeq; habeat, ostendit: planum enim esse inquit, nisi res hoc pacto se habeat, vt melius ab eo tractari non potuerit, illum non fecisse, quod nemo, sciens volensq;, melioribus relictis, sumat quae peiora sunt, & ad aliquid agendum minus valent. Τὰ φαῦλα, quae imbecilla sunt: quae pusillam vim ad quippiam efficiendum habent: quae facinori illi perpetrando parum apta, & accommodata erant. Hoc autem argumento probare voluit M. Cicero, Milonem Clodio insidias non fecisse, sed eum coa-
» ctum, vt vim vi depelleret, interemisse. Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit
» cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est au-
» sus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitauit occidere?

Ἔστι δὲ τοῦτο ψεῦδος: πολλάκις γὰρ ὕστερον γίγνεται δῆλον, πῶς ἦν πρᾶξαι βέλτιον: πρότερον δὲ, ἄδηλον.

Est autem hoc falsum: saepe enim posterius planum fit, quomodo id gerere melius fuisset: prius autem obscurum erat.

SVBDOLAM esse hanc rationem, ac fallaciae plenam ostendit: quod enim primo ignorabatur, quo modo id aggredi oporteret, & quae via ad facinus perpetrandum melior foret, postea patefactum est; multa autem tempus aperit, quae antea obscura erant. quod si res non nullae iterum fieri possent, melius profecto agerentur: dum enim tractantur, quo modo tractari debeant, ostendunt. Verbum autem hinc sustuli, quod otiosum erat, vel potius & elegantiam sermonis, & sententiam laedebat: atque id feci, secutus & antiquissimi libri fidem, & veteris tralationis testimonium, quae illud non reddit; ita enim antea in excusis legebatur: πολλάκις γὰρ τοῦτο γίγνεται ὕστερον.

Ἄλλος, ὅταν τι ἐναντίον μέλλῃ πράττεσθαι τοῖς προπεπραγμένοις, ἅμα σκοπεῖν.

Alius, quando geri aliquid debet, quod aduersatur rebus prius gestis, simul spectare, coniungereq; ipsa.

VIGESIMVS sextus locus est: cum quippiam geri debet, quod rebus, ab ijsdem illis factis repugnet, haec, quae tempore distracta sunt, coniungere, simulq; proferre: ita enim quae separata, non cognoscebantur, coram collata, patefiunt.

Οἷον Ξενοφάνης Ἐλαιάταις ἐρωτῶσιν, εἰ θύωσι τῇ λευκοθέᾳ: καὶ θρηνῶσιν, ἢ μὴ, συνεβούλευεν: εἰ μὲν θεὸν ὑπολαμβάνουσι, μὴ θρηνεῖν: εἰ δ' ἄνθρωπον, μὴ θύειν.

Vt Xenophanes, quaerentibus ex eo Elaeatis, an imolare hostias deberent Leucotheae, & casum eius lugerent, siue non, consilium ipsis dedit, si putaret ipsam deam, ne lugerent: si mortalem, ne imolarent.

EXEMPLVM satis accommodatum: Xenophanis autem consilium hoc celebrat etiam Plutarchus & in commentario περὶ δεισιδαιμονίας, & in altero etiam, quem inscribunt ἐρωτικόν: nisi quod non Elaeatis, vt Aristoteles, sed Aegyptijs id datum esse ostendit: nec de Leucothea, sed Osiri locutum esse Xenophanem narrat. Clemens Alexandrinus in protreptico ad Graecos, cum plures appellasset, qui ἀσεβεῖς a veteribus vocati sunt, idest Euemerum, Nicanorem, Diagoram, Hipponem, Theodorum, quempiam e numero ipsorum, hoc protulisse narrat: suasisseque Aegyptijs, si deos arbitrarentur, quos ita colerent, ne effusis lamentationibus, ac capitis

percussionibus,

percussionibus, dum illis rem diuinam facerent, vterentur. quod si lugerent, ne amplius eosdem deorum loco haberent: nec tamen Diagoram eum intellexisse arbitrari possumus: addit enim statim, quod ille etiam in Herculem impie dixerit. Quae fuerit Leucothea, docet Cicero in j.
» libro Tusculanarum. Ino Cadmi filia, non ne Leucothea nominata a Graecis, Matuta habe-
» tur a nostris? idest quae mortali patre nata est, dea facta existimatur, & a Graecis & a nostris hominibus studiose colitur. Cum igitur a sapiente viro consilium peterent Elaeatae, quid sibi agendum de ea re foret: an rem diuinam illi facere, atque eandem lugere deberent, castigati ab eo sunt, quod rem absurdam ac plenam controuersiae cogitarent. Oportere namq; illos, si alterum gerere vellent, altero supersedere: id autem retinere, quod verius esse existimarent. Si inquam deam illam esse putarent, nullo modo lamentari: quid enim minus decet, quam dolere vicem eius, quae dea facta sit. quod si hominem crederent, illi non imolare: neque enim quod diuinae naturae proprium est, mortali tribui recte potest: contraria igitur haec manifesto sunt. Cum autem excusi antea libri indicandi modo & θύσαι & θρηνεῖν haberent, secutus fidem antiquissimi libri, modum variaui: sententia quoq; ex hac melior elicitur: officium enim quoddam ita significari videtur: quaerebant autem illi e viro, perito rerum diuinarum, quae suae partes forent in Leucothea colenda: nec impedit, quod particula ἂν alteri illi modo, quo aliquid indicatur, frequentius adhibetur: nam Isocrates quoque in Euagora ita locutus est. Εἰ τοὺς μύθους νῦν ἀφέντες, τὴν ἀλήθειαν σκοπῶμεν.

Ἄλλος τόπος, τὸ ἐκ τῶν ἁμαρτηθέντων κατηγορεῖν ἢ ἀπολογεῖσθαι.

Alius locus, ex ijs, in quibus lapsus sit, qui fecit, accusare vel defendere.

COMMVNIS hic locus est & accusanti, & defendenti: possumus enim quempiam criminari, arripientes argumentum a rebus, in quibus lapsus est: dum negotium id gereret: nec non etiam inde defendere.

Οἷον ἐν τῇ Καρκίνου Μηδείᾳ, οἱ μὲν κατηγοροῦσιν, ὅτι τοὺς παῖδας ἀπέκτεινε: οὐ φαίνεσθαι γοῦν αὐτούς.

Vt in Carcini Medea, hi quidem accusant, dicentes eam filios necasse, cuius rei argumentum erat, quod non apparebant.

EXEMPLVM subobscurum: quia e fabula sumptum est, quae vetustate dilapsa est: ipsius etiam poëtae paene nomen euanuit: Carcinus enim tragici poëtae nomen fuit: testimonium tamen ipsius ex hac ipsa fabula adducit Sudas in ἀρχεῖον. Accusant illic (inquit) non nulli Medeam, quod filios necauerit: nec enim illi vsquam apparebant.

Ἥμαρτε γὰρ ἡ Μήδεια περὶ τὴν ἀποστολὴν τῶν παίδων.

Peccauit enim Medea, quod filios amandauit.

HAEC verba hanc vim habere suspicor: quia lapsa est Medea, malumq; consilium cepit in amandandis filijs: dum enim procurat salutem filiorum, paene suam prodidit: metuens namque illa, ne aliquid periculi ipsis crearetur a noua vxore Iasonis, eos in alias terras amandarat: cum filios nullibi apparere inimici ipsius viderent, eam ipsos necasse dixerunt: ansam autem dedit inimicis Medea criminandi se, errore, quem commisit, filios amandandi. Explanatum igitur est, quomodo quispiam a lapsu & errore aliquo insimulari possit.

Ἡ δ' ἀπολογεῖται, ὅτι οὐκ ἂν τοὺς παῖδας, ἀλλὰ τὸν Ἰάσονα ἂν ἀπέκτεινε: τοῦτο γὰρ ἥμαρτεν ἄν, μὴ ποιήσασα: εἴπερ καὶ θάτερον ἐποίησεν.

Haec autem se purgat; neque enim filios, sed Iasonem necasset: in hoc enim peccasset, nisi fecisset, siquidem alterum fecisset.

MEDEA quoq; se affinem sceleri illi non esse ostendere conatur, ex eodem loco argumentum ducens. Si enim (inquit) quempiam occisura fui, Iasonem occidissem: nimis enim peccassem, nisi hoc fecissem, cum alterum, vt vultis, fecissem. quasi dicat, quomodo tam stulta fuissem, vt innocentes filios necassem: perfidum autem coniugem, & auctorem omnium meorum malorum, viuum relinquerem?

Ἔστι δ' ὁ τόπος οὗτος τοῦ ἐνθυμήματος, καὶ τὸ εἶδος, ὅλη ἡ πρότερον Θεοδώρου τέχνη.

Est autem locus hic enthymematis, & species, tota prior Theodori ars.

VT supra Pamphili & Callippi, ita nunc Theodori artem inchoatam fuisse ostendit, quae tota ex vno loco constaret, & hanc vnam argumentandi formam haberet. Secutus autem auctoritatem antiquissimi libri & testimonium veteris tralationis, copulam loco, quem in excusis tenebat, moui, ac non multo post collocaui: antea namque ita in illis legebatur, καὶ τοῦ σὺν ὑμμήματος τὸ εἶδος. Theodorum vero Byzantium de arte dicendi scripsisse constat: cum ad extremum libri, quem scripsit de sophisticis elenchis, ipse veteres rhetoras appellaret, & artis ipsius inuentores ordine citaret, huius etiam mentionem fecit. Τισίας μὲν μετὰ τοὺς πρώτους: Θρασύμαχος δὲ μετὰ Τισίαν: Θεόδωρος δὲ μετὰ τοῦτον. Vt autem hinc liquido percipere possumus, non vno commentario de arte dicendi contentus fuerat Theodorus, sed binos scripserat: erant enim illi imperfecti & manci.

Ἄλλος, ἀπὸ τοῦ ὀνόματος. οἷον ὡς ὁ Σοφοκλῆς. Σαφῶς Σιδηρὼ, καὶ φοροῦσα τοὔνομα.

Alius a nomine. veluti Sophocles. Plane Sidero, indeque ducens nomen.

IN calamo notato exemplari ἀπὸ φερωνυμίας hic locus vocatur, non imperite: φερώνυμα enim haec verba vocantur. Eustathius in primum Iliadis, cum locum hunc declararet: ἔνθα μὲ σίντιες ἄνδρες, ita & ipse appellauit: omitti autem locus a me non debuit, quia igitur illic de audaci illa muliere, cui ab aspero & saeuo ingenio, Σιδηρὼ nomen impositum fuit: cuius etiam, vt ostendit hic Aristoteles, Sophocles in Tragoedia mentionem fecerat. inquit igitur Eustathius. καὶ ἐστὶν ἀληθῶς φερώνυμα τὸ σίντιες οἱ παρ' ὁμήρῳ, καὶ ὁ σίνις, καὶ ἀπὸ κακοῦ μέντοι, ἵνα καὶ αὐτοὶ, ὡς βλαπτικοὶ, κατὰ τὴν παροιμιαζομένην Σιδηρὼ θρασεῖαν ἐκείνην γυναῖκα, φοροῖεν τὸ οἰκεῖον ὄνομα. Contemnit vero omnem hanc argumentationem, & inanem iudicat Quintilianus: quando tamen firmamenti aliquid habere possit, ostendit. quod autem addit. Nam & illud est apud Euripidem, frigidum sane, quod nomen Polynicis, vt argumentum frater morum incessit, locum hunc intelligit e Phoenissis. Eteocles loquitur. Ἐξελθ' ἐκ χώρας: ἀληθῶς δ' ὄνομα Πολυνείκην πατὴρ, Ἔθετό σοι θείᾳ προνοίᾳ, νεικέων ἐπώνυμον.

Καὶ ὡς ἐν τοῖς τῶν θεῶν ἐπαίνοις εἰώθασι λέγειν.

Et vt in laudibus deorum consuerunt dicere.

MOREM hunc veterum in laudibus canendis deorum immortalium, non aperte exponit: fortasse intelligit ijs nominibus vocari eos tunc solitos, quae vim & potestatem eorũ declararent.

Καὶ ὡς Κόνων Θρασύβουλον, Θρασύβουλον ἐκάλει.

Et vt Conon Thrasybulum, Thrasybulum vocabat.

ITA quoque Conon Thrasybulum incessere solebat: & ab interpretatione nominis illi maledicere, quod audax in consilijs capiundis foret: quod temere magnas res aggrederetur. Intelligit autem Cononem, summum illum virum, qui post recuperatam a Thrasybulo hoc rempublicam cum classe Pharnabazi, & ingenti pondere auri Athenas venit: &, quae diruta erant a Lacedaemonijs, longa moenia erexit: ac multis rebus patriae hostes afflixit.

Καὶ Ἡρόδικος Θρασύμαχον, αἰεὶ Θρασύμαχος εἶ.

Et Herodicus Thrasymachum, semper Thrasymachus es.

HERODICVS quoq;, cum Trasymachum appellaret, ita eum alloqui solebat. audax illius ingenium, & quod litibus semper, concertationibusq; gauderet, significans. Thrasymachus autem Chalcedonius vetus rhetor fuit, quem hic significari puto. Eundem autem, vt arbitror, criminari insectariq; solitum Platonem, eodem argumento vtentem, tradit Athenaeus in xj. libro δειπνοσοφιστῶν, cum iniquum illum multis claris viris fuisse ostenderet, ac libenter omnibus maledixisse. διαβάλλει δ' ὁ Πλάτων καὶ Θρασύμαχον Χαλκηδόνιον, σοφιστὴν: ὅμοιον εἶναι λέγων τῷ ὀνόματι. Herodicus quidam medicus, si forte hunc intelligit, Gorgiae Leontini frater fuit.

Καὶ Πῶλον: αἰεὶ σὺ Πῶλος εἶ.

Et Polum, semper tu Polus es.

POLVS sophistae nomen, quem induxit Plato in Gorgia disputantem. Hunc etiam Herodicus, eandem rationem secutus, accusabat: & mores ipsius petulantes, nimisq; iuueniles exagitabat: valet enim quoque id nomen pullum equorum, asinorumq;. Affirmabat igitur ipsum semper, vt nomen declarabat, pullum asininum equinumue futurum. quod naturam indolemque teneri aselli, aut equuli retineret. Ab alijs vero moribus eorundem, ingrati animi discipulum accusans, cum accepisset ipsum sententias suas studiose conuellere, simili ducto, Plato

fertur

» fertur dixisse: Ἀριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάκτισεν, ὥσπερ τὰ πωλάρια γεννηθέντα τὴν μητέρα. Vt autem magis contemni posse ictus ipsius ostenderet ὑποκοριστικῶς, non πώλους, sed πωλάρια inquit.

Καὶ Δράκοντα τὸν νομοθέτην, ὅτι οὐκ ἂν ἀνθρώπου οἱ νόμοι, ἀλλὰ δράκοντος: χαλεποὶ γάρ.

Et Draconem scriptorem legum, leges ipsius non esse hominis, sed draconis: asperae namque sunt.

A NOMINE hic etiam argumentum duxit: non enim cepit illud, vt nomen viri, sed, vt vocabulum, quo serpentum genus significaretur: serpentes namque Graeci, vt postea Latini, ab illis accepta voce, dracones vocabant. non sine causa igitur leges eas, non hominis, sed draconis esse affirmauit, ambiguitate nominis illas damnans: acerbitatemque ac virus continere significans: leges autem huius asperas nimis ac saeuas fuisse, alijs etiam in locis testatus est Aristoteles. Demades quoque, dicax ille orator, ingeniose dixisse existimatus est, non atramento, sed cruore in illis scribendis vsum fuisse Draconem: cunctis enim fere, pusillis etiam delictis, paenam capitis imposuerat.

Καὶ ὡς ἡ Εὐριπίδου Ἑκάβη εἰς τὴν ἀφροδίτην. Καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.

Et vt Euripidis Hecuba in Aphroditem: & recte nomen deae huius initium ducit ab Aphrosyna.

VERSICVLVM Euripidis, valde hic deprauatum: in soloq; antiquissimo libro integrum conseruatum, restitui. est autem e Troadibus: ita enim fabulam appellauit. Hecuba, accuratam orationem Helenae refellens, quae quidquid peccauerat, stimulis Veneris impulsam se peccasse aiebat, inquit. Cuncta, quae stulte homines in vita faciunt, Veneris nomine defendunt. Quare non sine causa nomen ipsius apud Graecos a dementia initium ducit: ἀφροδίτη enim appellatur. ab ijsdem autem insipientia ἀφροσύνη. Acute igitur Euripides: causaeq;, quam agebat, accommodate, Deae huius nomen prima sui parte insipientiam significare dixit. A spuma tamen, quae ἀφρὸς Graecis est, appellatam illam volunt, quod spuma procreata sit. fabula, & commenta poëtarum nota sunt. Eruditissimus autem vir Diogenes Apolloniates, qui & ipse a spuma Venerem vocatam credidit, non spumam maris intellexit, sed semen, ex quo gignuntur animantes, quod esset spuma sanguinis. Traditur hoc a Clemente Alexandrino in primo libro παιδαγωγοῦ cap. vj. qui totam rem diligenter exponit. Laudat etiam Aristoteles in ij. libro de ortu animantium priscos illos, qui rebus nomina imposuerunt: nec vim naturamq; seminis fefellisse eos ostendit. quod deam, cui concubitus curae est, a spuma appellarunt. non possum autem non mirari vnde in mentem venerit Eustathio tribuere Aristoteli hanc huius nominis etymologiam: cum manifesto vtatur, vt exemplo, ratione hac Euripidis. nam quod addit, ab eodem quoq; existimari Iouem, qui Ζεὺς vocetur, vt praebitorem vitae causamq; ζωῆς ita appellatum, falsum ac commenticium est. sed ieiunas ille profecto habuit aures lectionis horum de arte dicendi librorum, vt eorum etiam, qui de studio poëtarum scripti ab eodem hoc summo doctore sunt, quos, cum Homerũ interpretandum suscepisset, dimittere e manu numquam oportebat. verba autem ipsius in tertium librum Iliadis haec sunt.
» ὡς δὲ καὶ ζωο-
» γόνος ὁ ἀλληγορικὸς Ζεὺς δηλοῖ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ αὐτοῦ ῥητορικῇ, λέγων ὅτι Ἀφροδίτη ὡς ἄρχουσα ἀφροσύνης, καὶ
» Ζεὺς, ὡς ζωῆς αἴτιος ὤν.

Καὶ ὡς Χαιρήμων: Πενθεὺς, ἐσομένης συμφορᾶς ἐπώνυμος.

Et vt Chaeremon: Pentheus futurae calamitatis indicium.

SENARIVS Chaeremonis, veteris poëtae est. Significare voluit, qui eum protulit, non sine causa hoc nomen illi parentes imposuisse, sed tamquam prouidos, & qui intelligerent, in quas calamitates casurus esset, a luctu, qui Graecis πένθος est, Pentheum appellasse. Apud Euripidem etiam Pentheo, quae falso in excusis inscribitur Bacchae, Liberi patris sacerdos, cum Pentheo ipso, Thebanorum rege, loquens, eiq; futuras miserias exponens, audito ab illo ipso eius nomine inquit. ἐνδυστυχῆσαι τοὔνομ' ἐπιτήδειος εἶ. Et sane saepe hoc loco in fabulis suis vsus est Euripides. Quod etiam M. Varro in vij. libro de lingua Latina testatur, vbi Ennium poëtam
» reprehendit: inquit enim. Imitari dum voluit Euripidem, & ponere etymon, est lapsus. nam
» Euripides, quod Graeca posuit, etyma sunt aperta. ille ait ideo nomen inditum Andromachae,
» quod ἀνδρὶ μάχεται. Et quae sequuntur.

Εὐδοκιμεῖ δὲ μᾶλλον τῶν ἐνθυμημάτων τὰ ἐλεγκτικὰ τῶν δεικτικῶν.

Ex omnibus autem enthymematibus, magis laudantur, quae valent ad refellendum, quam quae ad demonstrandum.

CVM omnes iam locos argumentorum tradiderit, quorum non nulli proprij erant argumentorum, quae δεικτικὰ appellauit: alij vero ἐλεγκτικῶν: quidam etiam communes amborum, plus valere ostendit argumenta ἐλεγκτικὰ quam δεικτικά: idest, quae redarguunt aliquid, quam quae, nihil redarguentia, quod intendunt, confirmant. Idem autem paene ijsdem verbis in tertio libro tradit.

Διὰ τὸ συναγωγὴν μὲν ἐναντίων εἶναι ἐν μικρῷ τὸ ἐλεγκτικὸν ἐνθύμημα.

Quia enthymema, quod redarguit, est collectio contrariorum pusillo in loco.

ENTHYMEMA namque hoc inquit, nihil aliud est, nisi contrariarum rerum collectio pusillo, angustoq; in loco: refellit enim, quod antea ab aduersario conclusum erat: contrariumq; eius constituit. Cum causam in iij. libro afferret, cur magis ἐλεγκτικὰ probantur, quam δεικτικὰ argumenta, inquit. Quia quaecunq; redarguunt quippiam, reiecto illo, firmius concluduntur: visq; eorum ita multo melius intelligitur.

Παράλληλα δὲ, φανερὰ εἶναι τῷ ἀκροατῇ μᾶλλον.

Quae autem prope posita sunt perspicua sunt magis ei, qui audit.

QVOD alijs in rebus fit, in hac etiam contingit, vt contraria argumenta, iuxta posita, melius percipiantur: facilius etiam vitia, virtutesq; singularum rerum cognoscuntur, hoc seruato. Quod ipse quoque in libro, quo docuit vitia fallacium conclusionum, tradit.

Πάντων δὲ, καὶ τῶν ἐλεγκτικῶν, καὶ τῶν δεικτικῶν συλλογισμῶν, θορυβεῖται μάλιστα τὰ τοιαῦτα, ὅσα ἀρχόμενα προορῶσι: μὴ τῷ ἐπιπολῆς εἶναι.

Ex omnibus autem argumentis, & ijs, quibus refellitur aliquid: & ijs, quibus demonstratur, maxime perturbant huiuscemodi omnia, quae statim in ipsorum initio aspiciunt: non tamen, quod in promptu sint, ac leuia.

CVM supra praestare docuerit ἐλεγκτικὰ argumenta δεικτικοῖς, nunc quod non minus in his, quam in illis inueniri potest, tradit: ea argumenta maxime commouere animos eorum, qui audiunt, quae non, cum tota iam prolata sunt, intelliguntur, sed cum incipiunt proferri, illi prouident. Verum quia non nulla hoc habent, vt facile percipiantur, quod in promptu sunt, non se haec intelligere ostendit: haec enim inania haberi debent: nec multum valent ad persuadendum: sed alia quaedam, quae cum acuta sint, & interiorem multum sensum habeant, tamen eo etiam bono abundant, vt cum conformari coeperint, intelligant auditores vim totius argumenti: & quo res peruentura sit, prouideant. Animaduertendum autem, cum virili genere συλλογισμῶς dixerit, statim ipsum ad neutrum transire, quo genere paulo ante vsus fuerat: & sane syllogismi oratorij sunt enthymemata. spectauit igitur sententiam ipsam, potiusq;, quod remotiori verbo quam propinquiori responderet, addidit. Cum autem & in excusis antea libris, & in scriptis quoq; non nullis legatur ἀρχόμενοι, veriorem lectionem esse duxi ἀρχόμενα. qui bonitate reliquis, quos vidi, vno excepto antiquissimo, praestat, ita habet: vetus quoque tralatio hanc scripturam refert. Res ipsa praecipue diligenter animaduersa, confirmat ἀρχόμενα, neutro genere legi debere: non enim qui incipiunt prouidere, dicit: nec ipsos intelligit: ij namq; semper prouident, & quo rem perducere cogitant, cognitum habent: prouidere enim nunc, ac quid concludi debeat praecognoscere dicit, qui audiunt. principium autem facere, qui dicunt, & argumenta ipsa conformant. quare ἀρχόμενα legi debet. Nam quod θορυβεῖται inquit, eodem verbo vsus est in primo libro, cum de orationibus, quae constarent ex enthymematibus loqueretur.

Ἅμα γὰρ καὶ αὐτοὶ ἐφ' ἑαυτοῖς χαίρουσι, προαισθανόμενοι.

Simul enim & ipsi in semet ipsis gaudent, praesentientes ea.

PRAETER id bonum, quod exposuit, hoc etiam habere ea narrat, quod voluptatem quandam afferunt auditoribus: gaudent enim secum ipsi, quod vim illius argumenti, antequam totum explicatum sit, intellexerunt: & ob eam causam sibi eruditiores, ingeniosioresq; videntur: contingit igitur paene idem in huiuscemodi enthymematibus, quod supra in sententiarum prolatione contingere indicauit: cum duplicem illas vtilitatem in se habere diceret:

prioremque inde effici, quod laetitia afficerentur, qui audiebant, cum in vniuersum sentiebant probari, quod ipsi in parte verum esse experiebantur: nam haec ipsa quoq; causa est, cur magis commoueant haec enthymemata: eodé enim tempore (inquit) & ipsi secum gaudent, ante quam illa absoluta pleneq; enuntiata sint, se ipsa percepisse atq; omnem vim illorum intellexisse.

Καὶ, ὅσων ὕστερον ὑστερίζουσιν, ὥστ᾽ ἅμα εἰρημένων, γνωρίζειν.

Nec non illa, quae non serius consequuntur, quam simul vt edita sunt, cognoscant.

NON tantum ea, quae prouidentur, probantur, verum etiam illa, quae, si non antea percipiuntur, simulac tamen dicta sunt, intelliguntur: nec longa indigent, subtiliq; consideratione: ὑστερίζειν autem post factam iam rem accedere significat. Aristoteles saepe ita loquitur: nam ad animum etiam transtulit in libro sophisticorum elenchorum: vt hic quoque, cum ad fallendum linguae volubilitatem vtilem esse tradit: inquit enim, ἐν δὲ τάχος: ὑστερίζοντες γὰρ ἧττον προορῶσιν: cum enim ob celeritatem orationis sententias subito consequi non possint, qui audiunt, ac multo post illuc mente deueniant, minus vitia prouidere queunt.

Ἐπεὶ δ᾽ ἐνδέχεται τὸν μὲν, εἶναι συλλογισμὸν: τὸν δὲ, μὴ εἶναι μὲν: φαίνεσθαι δὲ, ἀνάγκη καὶ ἐνθύμημα: τὸ μὲν, εἶναι ἐνθύμημα: τὸ δὲ, μὴ εἶναι: φαίνεσθαι δέ.

Quia autem contingit hunc quidem syllogismũ esse: hunc vero non esse, videri autem, necesse est & enthymema, hoc quidem enthymema esse, hoc autem non esse: videri autem.

OSTENDIT se, vt hanc partem absoluat, locos quosdam tradere falsorum argumentorum debere: quod enim habent integrae illae, perfectaeq; ratiocinationes, id etiam mancae & inchoatae habent: esse autem enthymema syllogismi speciem, atq; eam imperfectam, apertum est. inueniri vero syllogismos, qui cum non sint, speciem habeant syllogismorum, praeterquam quod hic aperte ostendit, declarat etiam initio commentarij de sophisticis elenchis.

Ἐπείπερ τὸ ἐνθύμημα συλλογισμός τις.

Quia enthymema syllogismus quidam est.

CVM enthymema syllogismus quidam sit, idest inchoatus syllogismus, quod syllogismo in dialecticis vsu venit, & enthymemati in oratorijs vsu veniat necesse est: respondet enim & ars arti, & instrumenta vnius instrumentis alterius. quare cum illic vsu venire soleat, vt ratiocinatio quaedam syllogismus sit: quaedam vero nullo modo sit: speciem tamen eius retineat, consentaneum est in oratorijs syllogismis idem etiam euenire: vt argumentum aliquod, verum argumentum sit: aliquod autem, adumbratum ac simulatum tantum. idem quoq; supra prodidit, antequam locos verorum enthymematum traderet: declarauit enim illic se, quod nunc facit, si opus absoluere vellet, necessario facere debere: oportere scilicet se tradere locos eorum, quae speciem habent enthymematum, cum tamen enthymemata nullo modo sint: quippe cum ne syllogismi quidem sint.

Τόποι δ᾽ εἰσὶ τῶν φαινομένων ἐνθυμημάτων: εἷς μὲν, ὁ παρὰ τὴν λέξιν.

Loci autem sunt adumbratorum enthymematum: vnus quidem, qui manet in verbis ipsis.

LOCI (inquit) simulatorum enthymematum hi sunt: & vnus quidem, cuius vitium proficiscitur ab elocutione, cuius fallacia in verbis est: hoc enim appellat παρὰ τὴν λέξιν. Cicero quoq; in xvj. epistolarum ad Atticum hunc modum dicendi vsurpauit, cum de litteris Sex. Pompeij
» loqueretur. Earum exemplum nobis legit, si quid videretur: pauca παρὰ τὴν λέξιν: ceteroqui &
» satis grauiter, & non contumaciter. παρὰ τὴν λέξιν autem intellexit non proprie, neq; ex consuetudine puri sermonis, ac vitia deniq; in oratione: idem etiam in xiij. παρὰ τὴν ἱστορίαν inquit, contra atque res gesta est, intelligens. Aristoteles (vt arbitror) παρὰ τὴν λέξιν vocauit, quae ab oratione verbisq; fallaciae proficiscuntur, vt παρὰ τὴν ἔλλειψιν, & παρὰ τοῦτο dicere consueuit. longe igitur alia ratione eadem verba a duobus his magnis scriptoribus posita sunt.

Καὶ τούτου ἓν μὲν μέρος, ὥσπερ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς, τὸ μὴ συλλογισάμενον συμπερασματικῶς τὸ τελευταῖον εἰπεῖν.

Et huius vna quidem pars, quemadmodum in rebus dialecticis, cum minime ratione concluserit, more eius, qui vere concluserit, postremum dicere.

NON simplicem esse hunc locum docet, sed duobus modis fallaciam hanc tractari posse ostendit: alteram autem ipsius partem huiuscemodi esse inquit, cum quispiam, quamuis nihil ratione concluserit, extremam tamen partem ita profert, vt si id ex praecedentibus omnino sequeretur: cum imitatur atq; exprimit conclusionem, verba illa vsurpans, quae propria sunt ratione quippiam concludentium. In libro περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων his verbis paene idem tradidit. σφόδρα δὲ καὶ πολλάκις ποιεῖ δοκεῖν ἐληλέγχθαι τὸ μάλιστα σοφιστικὸν συκοφάντημα τῶν ἐρωτώντων, τὸ μηδὲν συλλογισαμένους, μὴ ἐρώτημα ποιεῖν τὸ τελευταῖον, ἀλλὰ συμπερασματικῶς εἰπεῖν, ὡς συλλελογισμένους. οὐκ ἄρα τὸ καὶ τό. Cuius etiam loci testimonio confirmare possum legi hic infra debere οὐκ ἄρα τὸ καὶ τὸ, vt in melioribus scriptis libris legi animaduerti, cum antea in excusis legeretur οὐκ ἔστι τὸ καὶ τό: est enim conclusio syllogismi, refellentis, vt videri volebat, errorem alicuius. Pronuntianda autem ea pars asseueranter, vt nihil minus quam metuere is videatur, ne id a se prolatis antea conclusum patefactumq; sit. Ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς vero, vt in differendi facultate ac ratione: id enim hic arbitror significare illum voluisse, cum διαλεκτικὰ appellauit: eadem autem & sophistica facultas est: sophista namque a dialectico non potestate ac vi, sed voluntate & consilio discrepat.

Οὐκ ἄρα τό, καὶ τό: ἀνάγκη ἄρα τό, καὶ τό.

Non igitur hoc, & hoc: necesse igitur hoc, & hoc.

HAEC exempla sunt huius captionis: quamuis enim certam aliquam rem non ponat, ita tamen loquitur, tamquam si simulata haec conclusio efficeretur: formam enim ostendit ac rationem docet, quomodo illa tractetur: τὸ enim καὶ τὸ indefinitum est, vt possit nullo negotio, qui velit, certum ac definitum exemplum ponere: nisi fallor autem exemplum primum est simulatae conclusionis, quae redarguat: secundum autem, quae constituat: negatur enim priore ratione: posteriore, affirmatur.

Καὶ τὸ τοῖς ἐνθυμήμασι τὸ συνεστραμμένως, καὶ ἀντικειμένως εἰπεῖν, φαίνεται ἐνθύμημα: ἡ γὰρ τοιαύτη λέξις χώρα ἐστὶν ἐνθυμήματος.

Et in dicendo vti enthymematibus contorte, & opposite, videtur esse enthymema: huiuscemodi enim dictio locus est & sedes enthymematis.

EXCVSI antea libri mendose, ἐν γὰρ τοῖς: cuncti paene scripti, meliores certe, καὶ τό. Praeterea quod in ijsdem legitur συνεστραμμένως, in antiquiss. libro συνεστραμμένον est: vetus quoque tralatio ambobus in locis ab excusis dissentit, & cum illo facit: posteriorem tamen hanc varietatem indicasse contentus, receptam lectionem illic non immutaui. sensus vero hic esse videtur totius loci, vt quomodo pars haec ex superiore apta est, ostendam. Vt in Dialecticis disputationibus quidam malitiose agunt, verbisq; vtuntur, quibus in clausulis vti mos est, quamuis nihil ratione concluserint, sic etiam in oratorum dictionibus fieri potest: vti enim oratione contorta, & opposita inter se, enthymema videtur: huiuscemodi enim (inquit) elocutio est sedes, & tamquam regio enthymematum. nam quod ad ἀντικειμένως pertinet, id etiam testatus est Cicero in Topicis. Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrarijs conclusa: quae ipsi enthymemata vocant. Qui ita conformant orationem, vt contorta, & contraria dicere videantur, illi ab imperitis saepe existimantur dicere ἐνθυμηματικῶς.

Καὶ ἔοικε τὸ τοιοῦτον εἶναι παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως.

Et videtur huiuscemodi omne manere in figura dictionis.

HAEC autem fallax (inquit) argumentandi ratio, si diligenter attendimus, inde ortum habere videtur, & ad id genus captionis referri potest, quod παρὰ σχῆμα τῆς λέξεως vocatur: est autem illud vnum e sex sophismatum generibus, quae ab ipso παρὰ τὴν λέξιν fieri dicuntur. Cum scilicet id, quod diuersum & non idem est, vt si idem foret, prolatum a nobis, verbisq; expressum fuerit. Fit igitur, cum orationem ita conformamus, vt quod enthymema non est, enthymema tamen videatur: atq; ob figuram loquendi: prolationemq;, speciem ipsius praebeat.

Ἔστι δὲ εἰς τὸ τῇ λέξει συλλογιστικῶς λέγειν χρήσιμον, τὸ συλλογισμῶν πολλῶν κεφάλαια λέγειν, ὅτι τοὺς μὲν ἔσωσε: τοῖς δ' ἑτέροις ἐτιμώρησε: τοὺς δ' Ἕλληνας ἠλευθέρωσεν.

Valet autem ad ostendendum eum, qui dicit, dicere, quod ad verba pertinet, syllogistice, multorum syllogismorum capita dicere. his quidem salutem dedit: aliorum autem iniurias vltus est: Graecos vero seruitute liberauit.

Et syllogismos hic enthymemata: & συλλογιστικῶς, ἐνθυμηματικῶς intelligit: quo modo autem imponi possit his, qui audiunt, ostendit: vt concludere oratorio argumento videantur, nec tamen concludant: vtile enim est (inquit) ad hanc rem, vt videatur scilicet syllogistice dicere, & firma ratiocinatione concludere, huiuscemodi quampiam supellectilem, antea studiose comparatam, proferre: idest capita (sic enim appellat) multorum syllogismorum. exempli causa dicere. His quidem saluti fuit: aliorum iniurias vltus est: Graecos in libertatem vindicauit: singula enim haec alijs argumentis antea probata sunt: ipsis vero ita coaceruatis, effici quippiam, & concludi videtur. Significare autem videtur, συλλογισμῶν κεφάλαια dicens, quod illis effectum est, ac summam denique eorum argumentorum: quod copiosius illis explicatum fuit, stricte breuiq; exponere. Demosthenes quoq; in iij. Olynthiaca κεφάλαια ἔργων vocauit, capita rerum gestarum a veteribus Atheniensibus, ac summam deniq; eorum factorum.

Ἕκαστον μὲν γὰρ τούτων ἐξ ἄλλων ἀπεδέχθη: συντεθέντων δὲ, φαίνεται καὶ ἐκ τούτων τι γίγνεσθαι.

Singula enim haec vi aliorum demonstrata sunt: cum vero iuncta fuerint, videtur vi horum aliquid confici.

Ne dum haec, ita posita, praestare hoc valeant & aliquid firmiter probent, cum sine fraude ab oratoribus vsurpata fuere, probatione ipsa eguerunt, & alijs propositis riteq; collocatis, confirmata sunt. Illis autem nunc ita collectis, extructisq;, aliquid ex ipsis confici videtur: nec tamen vere conficitur.

Ἓν δὲ, τὸ παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν.

Vnum autem, quod manet in aequiuocatione.

Intelligit, ἓν dicens, μέρος: respondet enim superioribus verbis, cum inquit. τοῦτο ἓν μὲν μέρος. multa autem in medio posita sunt. Cur tam facile multi decipiantur hac fraude orationis & quo modo ea conflata sit, ostendit ipse copiosius in libro sophisticorum elenchorum, his verbis. In fraudem hanc incidunt homines imperiti: quia nullo modo possunt distinguere atq; diuidere id, quod multis modis dicitur: pluraq; ac diuersa inter se significat: ne autem hoc mirum alicui videatur, tam facile illos capi, affirmat ibidem magnum negotium esse non nulla expedire, ita inuoluta sunt.

Ὡς τὸ φάναι, σπουδαῖον εἶναι μῦν: ἀφ' οὗ γ' ἐστὶν ἡ τιμιωτάτη πασῶν τελετή: τὰ γὰρ μυστήρια πασῶν τιμιωτάτη τελετή.

Vt affirmare, studiosum esse murem, a quo vocata sunt initia supra cetera omnia maximo honore digna: mysteria enim dignitate superant cetera omnia initia.

Exemplum captionis, quae e duplici notione nominis gignitur. Ab antiquissimo vero libro ὡς abest, quod in excusis hic legitur: sed nec vetus tralatio illud exprimit. Omni honore dignum murem esse affirmasse, compotemq; esse multae virtutis, a quo etiam appellata forent augusta illa sacra: quaeq; dignitate cunctis alijs praestarent, hanc fallaciam continet: mysteria enim alia omnia dignitate superabant. verum, vt hoc Graecis verbis prolatum, in errorem imperitos inducere potuit, ita Latinis expositum nemini fraudi esset: non enim a mure mysteria vocata esse videri possunt, sed a vocabulo, quo a Graecis mus vocatur: quamuis Latinum nomen a Graeco conformatum sit: μῦς enim dicitur. vnde quis, quamuis falso, mysteria appellata existimare posset. quod si factum fuisset, honori huic bestiolae fuisset: si quis tamen verum quaerit, longe aliud ἔτυμον habent mysteria. Non sine causa autem suspicari quis posset, hanc quoq; fallacem rationem excogitatam fuisse a Polycrate sophista: infra enim ex alio exemplo certo intelligitur ipsum mures dilaudasse: solebat autem ille huiuscemodi argumenta suarum orationum libenter captare, atque in illis ingenij vires acumenq; ostentare, quod res inanes atque absurdas in honorem adduceret: vnde eo nomine etiam ab Isocrate insimulatur, qui auctor in primis ipsi fuit, vt in reliquum improbas ὑποθέσεις omitteret.

Ἢ εἴ τις, τὸν κύνα ἐγκωμιάζων, τὸν ἐν τῷ οὐρανῷ συμπαραλαμβάνει, ἢ τὸν Πᾶνα.

Vel, si quis, canem laudans, eum, qui in caelo, vna complectitur, siue Pana.

Sidus quoque quoddam canem, siue caniculam appellari manifestum est. Si quis igitur terrestrem canem ornare volens, complectatur etiam caelestem hunc canem, siue pastoralem deum Pana,

Pana, quaeq; illis conueniunt, huic etiam tribuat, hic fallacia hac vtitur: fraus enim omnis est in ambiguitate nominis: quae enim duabus pluribusue rebus, eodem nomine notatis, conueniunt, vni earum assignat. In hoc quoque discrepantem a peruulgata lectione inueni antiquissimum codicem: ita namq; apud eum legitur. ἢ εἴ τις κύνα ἐγκωμιάζων, τὸν ἐν τῷ οὐρανῷ, συμπαραλαμβάνοι τὸν Πᾶνα. Ex qua scriptura videtur, qui fallaciter agit, propositum habere laudare canem caelestem, simul tamen sumere, quae laude & honore digna aderant Pani deo, & ipsi cani appellato.

Ὅτι Πίνδαρος ἔφη. Ὦ μάκαρ, ὅντε μεγάλας θεοῦ κύνα παντοδαπὸν καλέουσιν ὀλύμπιοι.

Quia Pindarus cecinit. O beate, quem magnae deae canem omnifarium vocant olympij.

PINDARVS, cum Pana, peculiare numen Arcadum, carmine suo celebraret, canem ipsum a caelestibus dijs appellari testatus erat. quod arripiens, qui canem hunc nostrum ornabat, laudi ipsi debere esse affirmabat, eum vocari eo nomine, quo etiam dij quidam vocarentur: aut, vt supra diximus, quae vere ipsi illi pastorali numini tribui possunt, huic fallo tribueret. Verba Pindari, quae nunc apud auctorem ipsum non leguntur (defecit enim carmen, in quo illa inclusa erant, vt multa admirabilis illius, diuinique poëtae) hunc sensum habere videntur. O beate, quem magnae deae omnifarium canem appellant dij immortales.

Ἢ ὅτι τὸ, μηδένα εἶναι κύνα ἀτιμότατόν ἐστιν. ὥστε τὸ κύνα, δῆλον ὅτι τίμιον.

Vel quia nullum esse canem maxime vacuum est ab honore. quare canem esse perspicuum honoris plenam rem esse.

QVI falsis laudibus canem ornare volebat, non vnam rationem habebat fraudis suae texendae: erat enim ea, quam explicauit, via: & erat haec etiam, quam nunc tangit: obscurus autem locus admodum est, nec a me interpretando adhuc explanari potest: in tanta autem difficultate huius rei rectius me facturum putaui, si meliorum librorum lectionem sequerer. quare, cum in excusis legeretur ὥστε τὸ τίνα, scripsi τὸν κύνα: quam scripturam vetus quoq; tralatio exprimit. locus hic aliquando fortasse ita illustrabitur, & quod nunc latet, aperietur.

Καὶ τὸ κοινωνικὸν φάναι τὸν Ἑρμῆν εἶναι μάλιστα τῶν θεῶν: μόνος γὰρ καλεῖται κοινὸς Ἑρμῆς.

Et communicatorem affirmare Mercurium esse maxime deorum: solus enim vocatur communis Mercurius.

ALIA fallacia, quae & ipsa παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν est, affirmare Mercurium esse κοινωνικὸν supra omnes deos, quia solus vocetur κοινὸς ἑρμῆς: non enim idem valent κοινωνικὸς, & κοινὸς, vt videntur: κοινωνικὸς enim est, qui egregia bona, quae habet, libenter in alios confert, delectaturq; beneficentia. Mercurius communis est appellatus, vel quod, qui eodem munere apud homines funguntur, tuti inter media hostium tela versentur, ac communis boni interpretes sint: vel quod ipse sit, vt Lyricus poëta cecinit - superis deorum Gratus, & imis. Nisi potius ita dicebatur, quia neminem omnino a se reiciebat: vnde κοινὸς ἑρμῆς clamari solebat ab his, qui aliquid a quopiam in via inuentum, ad se quoque pertinere, ita significabant, ac se participes eius lucri fieri debere, affirmabant: vt ea etiam de causa, quae fortuito inueniebantur, ἕρμαια appellare consuerunt: id autem ostendit auctor libri, in quo describuntur certi mores & naturae hominum: vbi enim vitium animi impuritatemq;, quam βδελυρίαν vocant, pingit, inquit: tam sordido animo praeditum hominem hos etiam inhonestos tenuesq; quaestus acriter sectari. Καὶ τῶν εὑρισκομένων χαλκῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς ὑπὸ τῶν οἰκετῶν δεινὸς ἀπαιτῆσαι τὸ μέρος, κοινὸν εἶναι φήσας τὸν Ἑρμῆν. Nam κοινὸν Mercurium vocari solitum ostendit etiam Plutarchus in commentario, quo docuit, partes esse philosophi cum regibus, ac principibus viris disputare: inquit enim. Ἀλλ' ἀμουσία καὶ ἀπειροκαλία τὸν κοινὸν Ἑρμῆν, ἐμπόλαιον καὶ ἔμμισθον ποιεῖσθαι.

Καὶ τὸ, τὸν λόγον εἶναι σπουδαιότατον, ὅτι οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες οὐ χρημάτων, ἀλλὰ λόγου εἰσὶν ἄξιοι: τὸ γὰρ λόγου ἄξιον, οὐχ ἁπλῶς λέγεται.

Et, orationem esse maxime studiosam, quia probi viri non pecunia, sed oratione sunt digni: illud enim oratione digni, non dicitur simpliciter.

PRAVA

PRAVA etiam haec & vitiosa conclusio, quae & ipsa Latinis verbis commode exponi non potest. Vt si quis dicat, λόγον esse rem praestantissimam, & quae multum in se dignitatis habeat, quia boni ac fortes viri, non χρημάτων, sed λόγου ἄξιοι sint: videtur enim postulare virtus bonorum virorum, vt amplo praemio afficiatur: quod nisi superaret pecuniae vim λόγος, pecunia illi compensati fuissent: fallacia (inquit ipse) in eo latet, quod λόγου ἄξιον, plures intellectus habet: cum enim saepe aliquem λόγου ἄξιον dicimus, non verbis dignum intelligimus: vt dictio illa λόγου significare videtur, sed omni honore dignum, ac magni pretij hominem. Thucydides in contione,
» quam legati Atheniensium habuerunt Lacedaemone. ἡ πόλις ἡμῶν ἀξία λόγου ἐστίν. ipse in iij. li-
» bro de moribus ad Eudemũ, vbi virtutem, quae in magnitudine animi posita est, explicat. Ἐστι γὰρ
» τιμὴ καὶ μικρὰ καὶ μεγάλη διχῶς: ἢ γὰρ τῷ ὑπὸ πολλῶν τῶν τυχόντων, ἢ τῷ ὑπὸ τῶν ἀξίων λόγου. Cum autem aperte de captione, quae conflatur ex ambiguo sermone, non egerit, animaduertendum, an hoc exemplum ἀμφιβολίας sit: neq; enim videtur haec in vocabulo, quod duplicem intellectum habeat, posita esse, sed in oratione, quae duo diuersa inter se significet, manere.

Ἄλλος, τὸ διῃρημένον συντιθέντα λέγειν, ἢ τὸ συγκείμενον διαιροῦντα.

Alius, quod diuisum tale erat, componentem dicere, vel compositum diuidentem.

APPELLATAE sunt hae fallaces conclusiunculae παρὰ σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν. duae namque sunt, quarum ratio nunc ab ipso breui exponitur: copiosius tamen in libro, quo docuit, quomodo illae reprehendi atque euerti possint, tradita est. Eas igitur hic huiuscemodi esse inquit, cum quispiam, quod seiunctum, verum erat, composuerit; aut contra, quod compositum in se falsi nihil habebat, seiunxerit: in eoq; fucum fecerit.

Ἐπεὶ γὰρ ταὐτὸν δοκεῖ εἶναι, οὐκ ὂν ταὐτὸ πολλάκις, ὁπότερον χρησιμώτερον, τοῦτο δεῖ ποιεῖν.

Quia enim idem videtur esse, & si idem non est saepe, vtrum magis vtile est, hoc oportet facere.

QVOMODO imponatur hac ratione ostendit: fit enim, quia homines negligenter haec accipiunt: nec aliquid putant interesse, seorsum ne illa, an coniunctim dicantur: in quo valde falluntur: discrimen enim non paruum saepe inter illa est, quamuis idem esse videantur. Quare admonet, qui fallaciter agere velit, vt vtra commodior ipsi est, rationem captet: siue diuisam rem conglutinantem: quod vocatur παρὰ σύνθεσιν: siue coniunctam diuidentem: quod dicitur παρὰ διαίρεσιν, quia, vt in superiore fallacia dolus nascitur ex fraudolenta compositione rei diuisae: ita in posteriore hac, ex astuta diuisione rei, quae conglutinata, omni fraude doloque vacabat.

Ἐστι δὲ τοῦτο Εὐθυδήμου λόγος. οἷον τὸ εἰδέναι, ὅτι τριήρης ἐν Πειραιεῖ ἐστιν: ἕκαστον γὰρ οἶδε.

Est autem hoc Euthydemi ratio. ceu scire triremem in Piraeeo esse: vnumquodque enim nocuit.

EVTHYDEMI sophistae rationem hinc natam docet: omnemq; fallaciam, qua ille vti solitus erat, in hoc mansisse, quod res, quae verae forent, separatim prolatae, astute coniungeret, atque ita imponeret ei, quem interrogabat: neq; enim illae amplius verae. Plenius autem illam aliquanto exposuit, cum quomodo fallaces hae conclusiones dissolui possent, doceret: nec tamen non locus etiam ille, verbis, quibus hic indicatur, adiuuatur: vt vtrisq; locis animaduersis haec
» videatur sophismatis illius ratio fuisse: verba autem, quibus illic vtitur, haec sunt. ἆρα οἶδας
» σὺ νῦν οὔσας ἐν Πειραιεῖ τριήρεις ἐν Σικελίᾳ ὤν. Ita igitur ille agebat. Tu scis te esse in Piraeeo: quod concedebatur ipsi, ac verum erat. Scis triremes Atheniensium esse in Sicilia (miserant enim eo classem, vt eam insulam occuparent) id quoque non inficiabatur, qui interrogatus erat. Tu scis igitur (aiebat ille) in Piraeeo triremes esse, in Sicilia existens. qua captione ipsum in Sicilia, scire triremes esse in Piraeeo cogebatur: cum eo namque, scire in Piraeeo, coniungebatur triremes esse: a quo remotum primo pronuntiatum fuerat: ab illo vero, in Sicilia, cum quo copulatum editum primo fuerat, dijungebatur: atque ita efficiebatur ipsum, in Sicilia cum esset, scire in Piraeeo triremes esse. Quod vero hic adiungit ἕκαστον γὰρ οἶδε: separatim scilicet vtrunque nosse intelligit, se in portu Atheniensium tunc esse: triremesq; item in Sicilia. e quorum conglutinatione fallax ratio conflata, quae inde vocata est παρὰ σύνθεσιν.

Καὶ τὸν τὰ στοιχεῖα ἐπιστάμενον, ὅτι τὸ ἔπος οἶδε: τὸ γὰρ ἔπος τὸ αὐτό ἐστι.

Et

Et elementa scientem, versum nosse: versus enim idem atque illud est.

VT si dicamus, qui elementa, ex quibus dictiones constant, didicerit, versum etiam nouisse: & haec enim quoque fallax ratio eiusdem generis est, ac compositione conflatur: neque enim necesse est, vt qui res separatas, seorsumq; positas intelligat, ipsas quoque iunctas conglutinatasq; notas, habeat. qui tamen hoc sophismate, parum videntem, aduersarium vrgebat, vnum, idemq; esse aiebat, carmen litterasq;, ex quibus constitutum illud foret.

Καὶ ἐπεὶ τὸ δὶς τοσοῦτον νοσῶδες, μηδὲ τὸ ἓν φάναι ὑγιεινὸν εἶναι: ἄτοπον γάρ, εἰ τὰ δύο ἀγαθά, ἓν κακόν ἐστιν.

Et quia bis tantum morbosum est, neque vnum affirmare salubre esse: absurdum enim, si duo bona vnum malum sunt.

EXEMPLVM & hoc sophismatis, quod proficiscitur a compositione: vt enim probet vnum morbum inducere, componit cum altero: ostenditq; illud geminatum eam vim manifesto habere. quare affirmat ipsum separatum etiam morbum afferre posse: cuius rationem reddens, inquit: est enim absurdum, si duo bona vnum malum constituunt.

Οὕτω μὲν οὖν ἐλεγκτικόν: ὧδε δέ, δεικτικόν ἐστιν: οὐ γάρ ἐστιν ἓν ἀγαθὸν δύο κακά: ὅλως δὲ ὁ τόπος παραλογιστικός.

Sic igitur accommodatum est ad refellendum: hoc autem pacto ad demonstrandum: non enim est vnum bonum duo mala: omnino autem hic locus fallax est.

CVM superior sententia duobus modis reprehendi possit, aut enthymemate eius generis, quod redarguit conuincitq; mendacij, indeq; dicitur ἐλεγκτικόν: aut alterius, quod ostendit rem esse, aut non esse, rationem, qua iam vsus est, formam elencticam habere constat: sumpsit enim illa contrarium eius, quod probare volebat, atque id redarguit. vt quam nunc adiungit, simpliciter probandi rem ita se non habere demonstraret. Propositum autem erat probare alterum eorum salubre non esse. quare, vt hoc ostendat, inquit: non enim sunt vnum bonum duo mala, vt essent, si concretum ex ambobus malum foret: adiungit autem, omni vi ipsius diligenter animaduersa, totum hunc locum, vtro modo eum tractes, esse fallacem, & decipiendis aduersarijs rudioribus, accommodatum.

Πάλιν τὸ Πολυκράτους εἰς Θρασύβουλον, ὅτι τριάκοντα τυράννους κατέλυσε: συντίθησι γάρ.

Et illud Polycratis in Trasybulum, triginta tyrannos eum sustulisse: componit enim.

POLYCRATES hic, sophistes ille fuit, qui scripsit laudationem Busiridis, & ab Isocrate multum reprehensus est, quod multis modis in eo argumento peccasset. Idem (vt hinc liquido percipere licet) Thrasybulum etiam ornare voluit, qui Athenienses in libertatem vindicauit: & cum omnia, quae illi honori essent, arriperet, hac quoque captione vsus, dixit eum xxx. tyrannos sustulisse: cum vere vnam tantum tyrannidem disturbasset: captio autem ita conformata est. Thrasybulus tyrannos sustulit, & triginta sustulit: tot enim erant, qui oppressis legibus eius ciuitatis Athenis, regnabant: sustulit igitur xxx. tyrannos, tamquam xxx. tyrannides sustulisset. Est igitur captio παρὰ τὴν σύνθεσιν, quod, quae seorsum posita, vera erant, cum fraude copulauit: quamuis enim illi xxx. viri forent, vnius tamen tyranni tantum vim habebant, & in vnam tyrannidem solum omnis eorum potestas coaluerat. quare ipsos euertere, erat vnum tyrannum euertere: neq; enim interitu eorum plusquam vna tyrannis interibat. Quare neque xxx. tyrannos vere Thrasybulus exegisse dici poterat: neque xxx. ob id praemia postulare, sicut fallax illa conclusio, dijuncta callide connectens, confirmabat.

Ἢ τὸ ἐν τῷ Ὀρέστῃ τῷ Θεοδέκτου: ἐκ διαιρέσεως γάρ ἐστι.

Vel quod in Oreste Theodectus: ex diuisione enim est.

SCRIPSIT enim Orestem quoq; Theodectes, non solum Euripides. sed quis tragicus fabulam eo nomine non docuit, aut saltem factum illud atrox non complexus est? quomodoq; se tueri posset paternae iniuriae vltor filius, non exposuit? In ea igitur fabula duo ponebantur, quae separata, recta erant: eadem autem postea coniuncta, dubitationem habebant.

Δίκαιον

Δίκαιον ἐστιν, εἴτις ἂν κτείνῃ πόσιν, ἀποθνήσκειν ταύτην. Καὶ τῷ πατρί γε τιμωρεῖν τὸν υἱόν.

Iustum est, si qua interfecerit virum, mori hanc. Et patris necem vlcisci filium.

SENARIVS primus integer est Theodectis: quae sequuntur verba sententiam sane ipsam absoluunt: non poëtae tamen videntur: sensus eorum apertus est. Quae maritum necarit, morte plecti aequum est: seorsum hoc positum, reprehendi non potest. Alterum quoque, quod addit, seiunctum ab altero, pium ac sanctum est, filium vlcisci iniurias parentis.

Οὐκοῦν καὶ ταῦτα πέπρακται.

Haec igitur gesta sunt.

ATQVI haec ipsa gesta sunt, aiebat Orestes: Clytemnestra enim Agamemnoné coniugem interemit. quare supplicio digna est. ipse patris mortem vltus sum. recte igitur, pieq; feci.

Συντεθέντα γὰρ ἴσως οὐκέτι δίκαιον.

Cum composueris enim, fortasse non amplius iustum.

QVAE separata iusta erant, coniuncta fortasse (inquit) amplius iusta non sunt: nam magna quaestio est, an interfici debeat a filio mater, quae marito etiam manus attulerit: sanctum est enim nomen matris, nec vllum esse scelus tam atrox ipsius potest, vt violari a filio debeat.

Εἴη δ' ἂν καὶ παρὰ τὴν ἔλλειψιν: ἀφαιρεῖται γὰρ τὸ, ὑπό τινος.

Esse autem posset & ob omissum aliquid: demptum enim est, a quo.

EXTREMVM hoc exemplum inquit, quod contineri sophismate illo posse, quod dicitur παρὰ σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν, ostendimus, referri etiam potest ad aliam fallacis conclusionis rationem, quae, quod praecisa oratio sit, παρὰ τὴν ἔλλειψιν appellatur: non enim explanatum est a quo: si enim hoc in argumento positum fuisset, omnis decipiendi ratio sublata foret: aequum enim est viri interfectricem occidi, sed a magistratu, non a quolibet homine. multo magis dubitandum est, an a filio recte tolli possit. Decet liberos mortem patris vlcisci, si aliena persona illum morti dederit. si mater eorundem necarit, non plane constat. Quia igitur hoc explicatum non est, locus errori relictus est. κατ' ἔλλειψιν autem ἐλλειπτικῶς ue (vt opinor) Cicero praecise
» reddidit in ij. libro de natura deorum: inquit enim Sed id praecise dicitur, vt si quis dicat
» Atheniensium rempublicam consilio regi, desit illud, Ariopagi. sic cum dicimus prouidentia
» mundum administrari, deesse arbitror, deorum. Diuersa tamen est Ciceronis ἔλλειψις ab ea, de qua nunc loquitur auctor noster: in illa namq; intelliguntur, quae desunt: consuetudoq; sermonis ipsam parit: in Aristotelea vero, quae relicta sunt, non intelliguntur, & fraus malitiaque oratoris ipsam conflat.

Ἄλλος δὲ τόπος, τὸ δεινώσει κατασκευάζειν, ἢ ἀνασκευάζειν: τοῦτο δ' ἐστὶν, ὅταν, μὴ δείξας, ὅτι ἐποίησεν, αὐξήσῃ τὸ πρᾶγμα.

Alius autem locus, acri vehementique oratione constiuere, aut refellere: hoc autem est, quando adhuc non ostenso, aduersarium fecisse, amplificauerit rem.

ALIVS autem (inquit) fallaciae locus. confirmare aliquid, aut refellere, nullo argumento vsum, sed subdola quadam ratione, quae multum ad fallendum valet. idest confugere ad δείνωσιν, quam appellant rhetores. est autem δείνωσις, vt Quintilianus quoque in vj. libro tradit, rebus
» asperis, indignis, inuidiosis, addens vim oratio. & quamuis nihil demonstratum sit, tamen crimen exaggerare, tamquam planum iam factum sit, reum illi crimini affinem. quae fallax & callida ratio non solum accusatori, sed defensori etiam, vt aperte affirmat Aristoteles, vtilis esse possit. Quis enim non decipiatur tanta malitia oratoris, & cum videat illum stomachari, ac rem indignam esse exclamare, non credat iam crimen deprehensum esse, ac manu prope teneri? facit enim artificio hoc suo, ac vehementi oratione, qua rem culpamque exagitat, vt quae facta esse non docentur, facta videantur: aut contra cum reus auget rem, cuius insimulatur: videtur enim imprudentibus, dolosq; eius non intelligentibus, expers esse eius sceleris, quod tantopere insectatur: nec verisimile est, si particeps ipsius foret, id ipsum aucturum fuisse, sed potius summo studio diminuturum. Primus vero hic eorum locorum est, qui vocantur ab ipso, extra locutionem: absolutis enim iam captionibus, quae in verbis positae sunt, ac repugnant integrae, ac verae

rae locutioni: locisq; indicatis, vbi illae manent, elementa nunc tradit falsorum enthymematum, quae non in laqueis verborum sita sunt, nec in distorta, prauaq; ratione loquendi: septem autem & hic affert. Quod si quis quaerat, quem hic potissimum reddat ex illis, qui in elenchis appellati sunt, arbitror ei respondere, qui παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν illic vocatur: cum enim, re adhuc incerta & dubia, ipsam amplificet, videtur sumere, tamquam planum ac concessum, quod probare oportebat. Cognouit M. Cicero in defendendo M. Caelio hoc fecisse callide accusatores ipsius. quare mederi voluit huic malo, periculoq; magno rei: astutamq; rationem
» ipsorum aperuit: omnisq; ille locus, vt opinor, hoc solum firmamentumque habet. Sed ve-
» strae sapientiae est iudices non abduci ab reo, nec quos aculeos habeat seueritas grauitasq; vestra, & quae sequuntur. Sed idem fortasse in illa ipsa oratione, quod reprehendit in alijs, aggressus est facere, malitia vsus: cum enim, nisi fallor, crimen veneni, parati Clodiae, quo in primis premebatur Caelius, diluere non posset: argumentisq; confutare, digressione obruere conatus est: auertitq; animos iudicum ab ea re ac tempore ad maleficium atrox scelusq; eiusdem generis, cum Q. Metello mors allata est, cui graui culpae obnoxia putabatur esse mulier illa infamis. intelligo autem locum hunc propter acerbitatem facti publicumq; magnum damnum,
» mirifice accommodatum ad animos eorum, qui audiebant, totos ad se conuertendos. Pro dij
» immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut conniuetis, aut praesentis frau-
» dis paenas in diem reseruatis? Vidi enim vidi, & illum hausi dolorem, vel acerbissimum in vita, & quae sequuntur.

Ποιεῖ γὰρ φαίνεσθαι, ἢ ὡς οὐ πεποίηκεν· ὅταν ὁ τὴν αἰτίαν ἔχων, αὔξῃ· ἢ ὡς πεποίηκεν, ὅταν ὁ κατηγορῶν ὀργίζηται.

Facit enim, vt videatur, siue minime fecisse, quando qui reus est, culpaeque affinis, amplificauerit: siue fecisse, quando, qui accusat, incenso animo dixerit.

EXCITAT haec δείνωσις huiusce modi quandam opinionem in animis eorum, qui audiunt, quod res aut non facta sit, cum reus, & qui culpae illi affinis creditur, crimen atque rem auxerit: aut quod facta sit, cum accusator indignetur & excandescat. Auget autem crimen, qui causam dicit, si, cum adulterij, exempli causa, reus sit, contra adulterium disserit: ac docet eos, qui id flagitium committunt, causam esse multorum magnorumq; incommodorum: accusator autem, si commoto animo & ipse atrociter in adulteros fertur, & clamat non deberi huiuscemodi homines in ciuitate retineri, cum sint matrimonij pestis ac sanctissimae societatis exitium. Αἰτίαν ἔχειν alicuius rei, siue mala, siue bona sit, dicitur, qui auctor ipsius effectorq; fuisse existimatur: nam de bonis etiam rebus dici consueuit, quod Isocratis quoq; testimonio confirmatur, cuius
» ex oratione περὶ τῆς ἀντιδόσεως haec verba sunt. ἀντὶ γὰρ δόξῃ τὴν πόλεων ταῖς προέχουσαις ἀπέχεσθαι τῶν
» ἀδικημάτων, ἡμεῖς τούτων ἀγαθῶν αἰτίαν ἔχομεν. Cum receptam autem lectionem loco non mouerim, ac qui sensus, huic loco congruens, inde elici possit, ostenderim: praetermittere tamen nolo, quin antiquissimi libri scripturam indicem: extremum namque horum verborum illic ὄρσῃ est: cuius notio non parum hic quadrat; nisi illud in consuetudine poëtarum potius, quam aliorum scriptorum foret: valet enim ὄρσαι, ἐρεθίσαι, quasi concitare & irritare. quod si aliquis putet non mendo etiam vacare optimum codicem, corrigiq; debere ὀργίζῃ, media syllaba negligentia librarij omissa, non peruerse, vt arbitror, sentiat: vt vestigia potius verae lectionis ille, quam integram ipsam seruarit: idem enim intellectus est huius etiam frequentati in soluta oratione verbi. respondet autem, quomodocunq; legatur, superiori verbo αὔξῃ: vt enim qui fecisse aliquid existimatur, crimen amplificando, liberat se aliquo pacto culpa: deletq; malam de se existimationem, ita qui callide vrget reum, commouendo irritandoq; animos auditorum, propositum suum consequitur, excitatq; huiuscemodi opinionem in illis, vt fecisse eum, cuius insimulatur, omnino credant. suspecta mihi est etiam peruulgata lectio, quia videtur accusatorem non in ira sua stomachoque demonstrando laborare oportere: habitus enim hic animi ipsius perpetuus est: sed potius, cum vafra hac ratione in fraudem inducere vult iudices, in animis illorum peruertendis, occupatus esse debere.

Οὐκοῦν ἔστιν ἐνθύμημα· παραλογίζεται γὰρ ὁ ἀκροατής, ὅτι ἐποίησεν, ἢ οὐκ ἐποίησεν, οὐ δεδειγμένου.

Minime igitur est enthymema: decipitur enim is, qui audit, putans fecisse, siue non fecisse, cum id demonstratum non sit.

NON tamen (inquit) hoc enthymema haberi debet, quamuis eo ducat auditorem, quo vult: decipitur enim is stultitia sua, factumq;, aut non factum credit: quamuis nihil demonstratum, argumentoque conclusum sit.

Ἄλλος,

Ἄλλος, τὸ ἐκ σημείου: ἀσυλλόγιστον γὰρ καὶ τοῦτο.

Alius a signo: nihil enim concludit hoc quoque.

ALIVS locus (inquit) sophisticus est, vnde ducitur argumentum a signo: statim autem docet non sine causa hoc inter captiones collocari, quippe cum & ipsum veram concludendi rationem non seruet: duobus vero exemplis vitium ipsius ostendit, ac quomodo haec fallax ratio tractetur, docet. a signo autem hic vocat: quod alibi παρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου, communiore nomine, videtur appellasse: quia non sint animaduersa, custoditaq; cuncta, quae in perfecto syllogismo requiruntur: argumenta vero ex notis ducta manifesto laborant hac parte.

Οἷον, εἴ τις λέγοι ταῖς πόλεσι συμφέρουσιν οἱ ἐρῶντες: ὁ γὰρ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἔρως, κατέλυσε τὸν τύραννον Ἵππαρχον.

Veluti, si quis dicat rebuspublicis prodesse puerorum amatores: Harmodij namque & Aristogitonis amor Hipparchi tyrannidem fregit.

VT si quis (inquit) diceret conducere liberis ciuitatibus puerorum amores, atq; id ita probaret: amor enim Harmodij Aristogitonisq; Hipparchum tyrannum sustulit, ac regno spoliauit, is infirma, inaniq; ratione vsus foret: continet enim ipsa manifestum vitium: ambae namque propositiones singulares sunt: sine vniuersali vero nihil vmquam recte concludi potest: in tertia autem forma syllogismorum hoc adumbratum enthymema conflatum est. apud Platonem autem in symposio Pausanias ita argumentatus est, & hoc ipso exemplo vsus, cum ostendere & ipse vellet, hos amores, vt non nulla etiam liberalia studia, inimica periculosaq; esse ijs, qui in ciuitatibus dominarentur, quia gignunt magnos spiritus in ijs, qui illa studiose tractant, ac stabiles fidelesq; amicitias procreant. Re enim inquit, experti hoc quondam sunt nostri tyranni: ὁ γὰρ Ἀριστογείτονος ἔρως, καὶ ἡ Ἁρμοδίου φιλία, βέβαιος γενομένη, κατέλυσεν αὐτῶν τὴν ἀρχήν. Cum autem a signo proficisci hoc argumentum tradat (tamquam signo enim vtitur, qui probare vult, vtiles esse libertati hos amores, casu illo qui Athenis natus est, cum ab coniunctis hac amicitia inter se necatus est Hipparchus) deducitur ad id genus signi, quod ab ipso in primo horum librorum, ὡς τὸ καθέκαστον πρὸς τὸ καθόλου appellatur.

Καὶ εἴ τις λέγοι, ὅτι κλέπτης Διονύσιος: πονηρὸς γάρ: ἀσυλλόγιστον γὰρ καὶ τοῦτο.

Et si quis diceret furem esse Dionysium: prauus enim homo est: nihil enim concludit, ne hoc quoque.

ET hoc a signo argumentum est. vt si quis (inquit) ostendere volens Dionysium, Syracusanorum tyrannum, furem esse, ita agat: signumq; huius rei proferat, quod ille sit maleficus & iniustus: tradit autem & hanc rationem nihil firmitatis habere: nec seruare, quae in recta syllogismorum ratione requiruntur. Videtur autem sic occurrere fallaci huic rationi, tamquam qui ita argumentatus est, in prima syllogismorum forma hoc includere voluerit: statim enim superiorem propositionem vitiosam esse ac falsam docet, quae omnem improbū furem esse sumit: contra enim se res habet: secundae autem siquis putet potius adaptare voluisse (vere enim nulli conuenit) vitium tunc erit, quod in secunda forma syllogismorū necessaria omnino altera est, quae neget: nec eiusdem qualitatis ambae propositiones vllo modo esse possunt: hic autem ambae affirmant, quamuis si (vt esse debuit) singularis sumpta fuisset, alia praeterea culpa laborasset: neq; enim sine propositione, quae, quod in vniuersum verum sit, sumat, recte vmquam aliquid concludi potest. Antiquiss. liber discrepat hic a reliquis, quod γὰρ δὴ τοῦτο, habet.

Οὐ γὰρ πᾶς πονηρὸς, κλέπτης, ἀλλ' ὁ κλέπτης πᾶς, πονηρός.

Non enim omnis homo prauus est fur, sed fur omnis est homo prauus.

NEQVE enim (inquit) quicunq; improbus homo, subito idem fur: plura enim genera improborum hominum sunt: nec pauci ex eo numero inueniuntur vacui penitus a furti suspicione: qui tamen improbi vere dici possunt, quod alijs maculis inquinati sunt: nullus autem fur, quin idem improbus: culpa enim haec sola prauum illum merito efficit. in concludendo autem maior propositio, quae in vniuersum rem ita se habere ostendit, omnem improbum furem esse, sumebat. Animaduertendum autem significare hic Aristotelem, cum ita disserat, non retro agi τὴν ἀκολούθησιν: quamuis enim cuncti fures improbi homines sint, non tamen omnes improbi, sunt fures. eadem quoque ratio est prioris exempli: non enim si Harmodius & Aristogiton, qui hoc amore coniuncti inter se erant, tyrannum necarunt, cuncti delicato

huic amori dediti, tyranno manus afferunt. vnde in libro sophisticorum elenchorum affirmauit in oratorijs rebus probationes, quae ducuntur ex notis, a consequentibus esse. cum tamen hic easdem (vt indicaui) videatur ad aliud captionis genus referre. nam infra hic accurate etiam persequitur fallacem illam rationem, quae vocatur παρὰ τὸ ἑπόμενον: vtiturq; in ea explicanda exemplis argumentorum, a signis ductorum. in huiuscemodi igitur argumentis, quae signis vtuntur, cum plura vitia sint: manifesto enim vera ratio concludendi in illis non custoditur: & in ijsdem intelligitur esse idem error, qui saepe homines non cautos decipit, ad diuersa genera captionum recte alio atq; alio modo accepta, deduci possunt. quod etiam ipsemet docet vsu venire in alijs non nullis; prauis rationibus.

Ἄλλος, διὰ τὸ συμβεβηκός.

Alius, ex accidenti.

FALLAX item ratio, cum aliquo, quod temere, casuq; cecidit, tamquam id firmum ac stabile sit, vtimur. Captio vero haec eodem hoc nomine ab ipso in elenchorum sophisticorum libro vocatur. Conflari autem illic dicitur, cum postulatum fuerit, vt quidlibet simili modo adsit & rei ipsi, & ei, quod rei contingit. cumque alteri contigerit, ab altero etiam separari non possit: cum enim (inquit) vni, eidemq; multa eueniant, non necesse est omnibus, quae de illis dicuntur, & rebus ipsis, de quibus ea dicuntur, eadem omnia nullo discrimine haerere. Arbitrantur tamen imperiti, quaecunq; in κατηγορήμασιν inueniuntur, eadem semper in stratis ipsis, de quibus ea dicuntur, inueniri: in ijs enim tantum hoc verum est, quae naturae eorum adfixa sunt, & propter se in illis manent: quae namq; non ita se habent, sed κατὰ συμβεβηκὸς in illis sunt, non hoc habent, vt necesse sit, quod ipsis contingit, stratis etiam ipsorum, rebusq; contingere: id tantum quandoque fortuito ex accidentiq; fit.

Οἷον ὃ λέγει Πολυκράτης εἰς τοὺς μῦς, ὅτι ἐβοήθησαν, διατραγόντες τὰς νευρὰς.

Veluti, quod dicit Polycrates in mures, auxilium tulisse ipsos in bello, corrosis neruis arcuum.

HAC fallacia vsum esse Polycratem sophisten docet, cum mures ornaret: dixit enim illos opem tulisse genti cuidam, populoq;, corrosis deuoratisq; neruis arcuum, quos gerebant, qui bellum ipsis intulerant, & in eorum agro castra posuerant: fortuito autem id factum fuit: nec enim mures inhabiles facere arcus illos, atq; ita auxilio esse illis, quibus ea res commode cecidit, cogitarunt, sed famem explere quaesiuerunt: argumentum vero hoc captiosum ita explicatur. mures corroserunt neruos arcuum. res illa opitulata est: mures igitur opitulati sunt. fallacia manifesto ex accidenti, quia quod casu euenit, tamquam propter se fuisset, sumitur. Quam historiam tangat, liquido non ostendit. Herodotus sane hoc aliquando bono salutiq; fuisse Aegyptijs, cum Arabes Assyrijq; in eorum campos hostiliter inuasissent: murum enim magnam vim repente exortam, & pharetras & arcus eorum absumpsisse, sed etiam clypeorum lora, vt coacti sint, armis exuti, illinc discedere: multiq; ipsorum in fuga interfecti sint. addit autem statuam postea Aegyptiorum regi positam esse, quae murem manu gestaret. Polemon praeterea (vt testatur Clemens Alexandrinus in protreptico ad Graecos) memoriae prodidit nationes, quae Troada regionem incolerent, mures eius terrae (quos σμίνθας appellarent) solitos colere, quia neruos hostilium arcuum absumpserant. vnde etiam Iminthium Apollinem, & ipsum quoq; ab illis appellatum, venerabantur.

Ἢ εἴ τις φαίη, τὸ ἐπὶ δεῖπνον κληθῆναι τιμιώτατον: διὰ γὰρ τὸ μὴ κληθῆναι ὁ Ἀχιλλεὺς ἐμήνισε τοῖς ἀχαιοῖς ἐν Τενέδῳ.

Vel, si quis dicat, vocari ad cenam rem esse plenissimam honoris, quia enim vocatus non fuit Achilles, iratus factus est Achiuis in Tenedo.

ALIVD hoc exemplum est eiusdem fallaciae. Aut si quis ad cenam vocari rem honorificentissimam esse dicat: a contrarioq; ita argumentetur: Achilles namque grauiter suscensuit Graecis in insula Tenedo, quod vocatus non sit. Historia obscurior, quae tamen olim notissima fuerit: de hac enim omni re fabulam scripsit Sophocles, quam συνδείπνους vocauit. eius mentionem fecit Cicero in epistola quadam ij. libri ad Q. Fratrem. Συνδείπνους σοφοκλέους, quamquam a te actam fabellam video festiue, nullo modo probaui: quamuis non defuerint, qui σύνδειπνον neutro genere debere illam inscribi affirmarint, vt Athenaeus in extremo octauo libro tradit. & vt ipse sane eam appellat in primi libri epitome. καὶ σοφοκλῆς δὲ ἐν ἀχαιῶν συνδείπνῳ.

Plutarchus

Plutarchus in commentario, quo docet, quomodo distingui possit assentator ab amico, testimonio illius fabulae vsus est: & ea maxime parte, cuius nunc meminit Aristoteles: docet enim quomodo vafer vir Vlysses omnem iram adolescentis, cupidi in primis gloriae, discusserit: &, ne quid maius incommodum ex ea nasceretur, effecerit: minabatur enim, quod ignominiam illam ferre non posset Achilles, in Graeciam se rediturum. Inquit igitur nullo modo ipsum commotum animo esse tam leui de causa, quod ad cenam vocatus non sit, sed irae nomine tegere, ac velare magnum timorem: cum enim iam Troiae moenia visantur, reformidare ipsum acerrimos hostes.

Ὁ δ' ὡς ἀτιμαζόμενος ἐμήνισε· συνέβη δὲ τοῦτο ἐπὶ τοῦ μὴ κληθῆναι.

Hic autem, vt spretus, ignominiaque notatus, ira commotus est: contigit autem hoc forte in eo, quod vocatus non fuit.

VT contemptus, ignominiaq; affectus suscensuit Achilles: euenit autem illum ignominia affici in cena, cum, vocatis cunctis principibus eius exercitus, ipse, vt abiectus quidam homo, relictus sibi videbatur: nec enim ob cenam iratus factus est Achiuis, quod cena caruisset, quam parui ducebat: sed quod nota illi quaedam inusta erat, quam contigit cum cena coniunctam fuisse: illa tamen etiam si ad aliam quampiam rem adplicata (vt potuit) fuisset, non minus suscensuisset. In calamo scriptis quibusdam exemplaribus pro ἐπὶ τοῦ, legitur διὰ τό: quam scripturae varietatem veterem esse declarat, quod in antiquissimum codicem ambae negligentia librarij coniectae sunt: ita enim in eo legitur. διὰ τό, ἐπὶ τοῦ μὴ κληθῆναι.

Ἄλλος, τὸ παρὰ τὸ ἑπόμενον.

Alius autem, a consequente.

ET hic locus in libro sophisticorum elenchorum est accurate pertractatus: nec enim solum dialecticis rebus accommodata exempla, sed rhetoricis etiam posuit. Captionem autem totam fundatam esse docet in errore quodam hominum, qui falso putant consecutionem conuerti in se ipsam: retroque meare: vt scilicet cum posito hoc, necessario hoc consequatur: & hoc, quod sequitur, posito, illud etiam omnino esse debeat. Vnde (inquit) nascuntur etiam fallaciae quaedam in opinionibus hominum, quae ortum habent a sensu: saepenumero enim flauam bilem cernentes, mel cernere nos putamus, quia flauus color melli comitatur, & quia vsu venit terram cum pluit madescere, cum madidam eam videmus, arbitramur pluisse: quod necessarium nullo modo est: quamuis enim mel flauum sit, non tamen quod flauum continuo mel: nec non quamuis imbre effuso in terram illa necessario madescat, non tamen cum madet, semper praecedente pluuia id factum est: nam spargi aquam: irrigarique illam alijs quoque modis contingere potuit. Si enim (vt ipse illic loquitur) ἀκολούθησις non fefellisset, hoc futurum omnino erat, verum illa non conuertitur, quod cum nesciant imperiti, facile hac captione decipiuntur.

Οἷον ἐν τῷ Ἀλεξάνδρῳ, ὅτι μεγαλόψυχος· ὑπεριδὼν γὰρ τὴν τῶν πολλῶν ὁμιλίαν, ἐν τῇ Ἴδῃ διέτριβε καθ' αὑτόν.

Veluti in Alexandro, virum eum fuisse magno animo praeditum: contempta enim consuetudine multorum, in Ida monte moratus est solus.

VT in Paride. orationem autem intelligit, quae laudes eius contineret: cuius supra quoque meminit: ornare enim eum volens, quicunque ille fuit, fallaci hoc argumento vsus est: affirmauitq; magni animi virum fuisse, quod solus in Ida monte, relicta aequalium consuetudine, viueret. Discrepant hac parte inter se scripti libri, quod sunt etiam, in quibus ὑπεριδὼν δὲ legatur, & hi quidem melioris notae: vetus tamen tralatio cum excusis facit, & & scriptis etiã non nullis, qui γὰρ habent. Ὑπεριδεῖν ὁμιλίαν aliquorum significat contemnere illos: nec dignos iudicare consuetudine sua. sic etiam locutus est, Attici sermonis norma, Lysias in oratione, cuius in-
» scriptio est, aduersus veteres familiares, quod ipsum probris maledictisq; vexarant. καὶ μὴν
» οὐδὲν οὗτος ἐξεῦρεν ὁπόθεν ἂν εἰκότως ὑπερεῖδε τὴν ἐμὴν ὁμιλίαν. qui locus similis est illi Ciceronis in
» principio ij. Philippicae. Quid putem? contemptum ne me? & quae sequuntur.

Ὅτι γὰρ οἱ μεγαλόψυχοι τοιοῦτοι, καὶ οὗτος μεγαλόψυχος δόξειεν ἄν.

Quia enim, qui magno animo praediti sunt, tales sunt, & hic magno animo praeditus videri potuit.

Cvm enim (inquit) huiuscemodi sit ingenium magnanimorum virorum, vt solitudine delectentur, & nimis arctas familiaritates multorũ fugiant: idemq; in Paride inueniatur, magnanimus ille quoq; videri posset. fallax tamen hoc, & captiosum est: neq; enim conuertitur res: multi namq; solitudines captant, atra bile vexati, vt Bellerophontes faciebat: sed alijs etiam non nullis de causis, ab ea diuersis, hoc faciunt. In antiquissimo libro varietatis hoc inueni, quod καὶ οὗτοι μεγαλόψυχοι, numero multitudinis, non vnitatis habet: nec tamen receptam lectionem immutaui, quamuis huic etiam locus sit, vt tradatur ijs verbis rem non conuerti: nec ἀκολουθήσειν retro agi. vt quemadmodum comitatur magnanimis viris, libenter illos solos vitam degere, quicunq; in solis, ac remotis a multitudine, locis viuant, sint magnanimi, sed specie tenus tantum, vt capi illa possint imperiti disserendi: nam auctoris omnino verba illa puto, declarantis, vnde fallacia exoriretur.

Καὶ ἐπεὶ καλλωπιστὴς καὶ νύκτωρ πλανᾶται, μοιχός: ὅτι καὶ οἱ μοιχοί, τοιοῦτοι.

Et quia decori corporis seruit, & noctu per vrbem ambulat, adulter: quia & adulteri, tales.

In commentario, quo docuit quomodo refelli, coarguiq; possint fallaces hae rationes, exposuit in oratorijs rebus probationes, quae a signo fierent, cunctas hoc vitio laborare, & ἐκ τῶν ἑπομένων esse: cum enim probare velint adulterum esse, sumunt, quod consequitur, ostenduntq; nimis eum ornatui corporis indulgere, aut noctu in publico ambulare: non pauci autem inueniuntur, qui sane hoc faciunt, nec tamen id de illis vere dici potest: notae autem hic duae sumptae sunt eidem rei significandae, quarum vtralibet ad id probandum satis esse existimatur: passimq; arripi solita est, quamuis demonstratis duobus, pluribusue ipsius signis, certius aliquid declaretur. In elenchis sane, vbi ijsdem exemplis vtitur, particulam, quae distinguit, non » quae coniungit, in medio eorum collocauit: inquit enim. βουλόμενοι γὰρ δεῖξαι, ὅτι μοιχός, τὸ ἑπό- » μενον ἔλαβον, ὅτι καλλωπιστής: ἢ ὅτι νύκτωρ ὁρᾶται πλανώμενος. Argumenta vero haec eius generis signi sunt, quod se habet ad id, cuius indicium est. ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος, vt ipse in primo libro declarauit: quod enim adulteri omnes culto corpore sunt, optimeq; vestiti, aut tenebris per vrbem vagantur, qui huiuscemodi elegantiae studiosus est: noctuue in publico solus conspicitur, adulter habetur. Quod autem scripsi, ὅτι καὶ οἱ μοιχοὶ τοιοῦτοι, sic habent plures manu scripti libri, quibus adstipulatur vetus tralatio: & sane ita videtur legi debere: antea in excusis ὁ τοιοῦτός ἐστιν mendose: antiquissimus codex τοιοῦτοις ἄρα habet, cuius lectionis rationem non video. Quia illi aiunt, compto capillo est, & omni corporis ornatu abundat: praeterea quia noctu in publico ambulat, adulter est: huiuscemodi enim sunt adulteri, nec vllos vmquam vidimus adulterijs operam dantes, qui non his studijs tenerentur.

Ὅμοιον δὲ καὶ ὅτι ἐν τοῖς ἱεροῖς οἱ πτωχοί, καὶ ᾄδουσι, καὶ ὀρχοῦνται, καὶ ὅτι τοῖς φυγάσιν ἔξεστι οἰκεῖν, ὅπου ἂν θέλωσιν.

Similiter autem & quia in fanis mendici, & canunt, & saltant, & quia licet exulibus viuere vbicunq; voluerint.

Argvmentationes etiam hae (inquit) eandem rationem habent: siquis appellaret mendicos homines exulesq;, fortunatos: quod non nullis commodis abundent, quae vitam beatam efficere creduntur. Ea autem huiuscemodi sunt, licere illis omnia facere, quae in animum induxerint, ac si in foro etiam saltare voluerint, omnes concedere: nec non ponere sedes, ac domicilia vbicunque terrarum ipsis visum sit. Haec autem condiciones quoque illae hominum, quas supra appellauit, quamuis multum ab his diuersae, faciunt. Sophistae autem in suis illis laudationibus rerum absurdarum huiuscemodi argumentis vtebantur. nam inuentos esse, qui efferrent vitam mendicorum, atq; exulum, in quo ipsos sedulo insimulat, ostendit Isocrates in proaemio laudationis Helenae, quas illorum orationes putare debemus hic intellexisse Aristotelem. Quod vero addit de saltationibus cantibusq; in fanis deorum, narrat Plutarchus instituisse quoq; Lycurgum, vt virgines nudae, non minus atque pueri prodirent, ac prope sacella quaedam saltarent & canerent, astantibus adolescentibus, spectantibusq;.

Ὅτι γὰρ τοῖς δοκοῦσιν εὐδαιμονεῖν, ὑπάρχει ταῦτα, καὶ οἷς ὑπάρχει ταῦτα, δόξαιεν ἂν εὐδαιμονεῖν.

Quia enim his, qui putantur beate viuere, haec data sunt, & quibus haec data sunt, videri possent beate viuere.

In quo maneat fraus ostendit: cum enim quidam ita argumentatus fuisset. quia in fanis ac templis deorum immortalium mendici & canunt, & saltant: nec non, quia facultas est ijs, qui exilij causa solum verterunt, degere aetatem vbicunque ipsis commodum est, sunt fortunati. Quia igitur ijs haec adsunt, qui beati, ac fortunati vulgo praedicantur: beati enim isti, ac fortunati summam omnium rerum potestatem habent, faciuntq; saepe ea, quae si mediocris condicionis homines facerent, insani haberentur, & cum pecunia abundent, omnes terras peragrare possunt, atq; ibi sedes ponere, vbi libido suaserit: quibuscunq; eadem adsunt, illi beati, ac fortunati videri possunt, subdola hac fallaciq; ratione: neq; enim, vt ipse diligenter in libro sophisticorum elenchorum docet, ἀκολούθησις conuertitur. vt si impune, commodeq; locupletes illa facere possunt, quicunq; faciunt, locupletes sint, ac beati.

Διαφόρει δὲ τῷ, πῶς. Διὸ καὶ εἰς τὴν ἔλλειψιν ἐμπίπτει.

Discrepat autem ratione ac modo. quare cadit etiam in captionem, quae manet in eo, quod plena oratio non est, sed desideratur aliquid.

Diversa ratio est mendicorum, beatorumq;: mendicis, vt stipem cogant, canere ac saltare in templis licet, siue quia abiectissimae condicionis homines nullam suae existimationis curam habent: nec enim quisquam, quid illi agant, attendit: beatis, cum omnibus fortunae bonis abundent, insanire etiam aliquo modo fas est. quare (inquit) praecise locutus esse videri potest, qui ita argumentatus est: quod si plene rem dixisset, decipere nullo modo potuisset. Incidit igitur haec fallacia in aliud genus vitiosae conclusionis, quod παρ' ἔλλειψιν vocatum est.

Ἄλλος, παρὰ τὸ ἀναίτιον, ὡς αἴτιον.

Alius, cum adfertur, quod causa non est, tamquam causa sit.

Alius fallax modus argumentandi, cum id, quod vere causa non est, causam alicuius rei esse dicimus: cum enim causa sit, vnde efficitur aliquid: necessarioq; res effecta ab efficiente causa tempore consequatur, quidquid aut eodem tempore, aut post fit, cum veram causam non intelligant, inde proficisci, & manare imperiti putant. quare hunc hominum errorem saepe oratores arripientes, imponunt ijs astute, apud quos agunt.

Οἷον τῷ ἅμα, ἢ μετὰ τοῦτο γεγονέναι: τὸ γὰρ μετὰ τοῦτο, ὡς διὰ τοῦτο λαμβάνουσι.

Ceu, quod vna gestum est, siue etiam post: quod enim post hoc gestum est, tamquam propter hoc gestum sit, capiunt.

Quia forte (inquit) id vna, simulq; cum vera causa factum sit, aut post, quod astute causam eius mali esse dicimus. Non nulli igitur, qui decipere eos, qui audiunt, ac falso quempiam criminari volunt, quod mali ortum est post aliquod ipsius factum, sumunt tamquam inde prouenerit, atque ipsius culpa natum sit: iniuste tamen faciunt, ac falso illum insimulant: non enim quaecunq; euenerunt, postquam nos, reip. prodesse volentes, quippiam gessimus, nobis assignari ac tribui merito possunt. De hac autem fallacia disseruisse auctorem in libro, quem habemus, de arte poëtarum, notum est: quo etiam in loco affirmauit multum differre, factum ne aliquid sit ob aliqua adipiscenda, tamquam primo propositum hoc fuerit, siue post aliqua, quae nullo suo studio atque opera contigerint.

Καὶ μάλιστα, οἱ ἐν ταῖς πολιτείαις. οἷον ὡς ὁ Δημάδης τὴν Δημοσθένους πολιτείαν πάντων τῶν κακῶν αἰτίαν: μετ' ἐκείνην γὰρ συνέβη ὁ πόλεμος.

Et maxime, qui in administranda rep. versantur. ceu Demades Demosthenis consilia in rep. tuenda omnium malorum causam extitisse dicebat: post illa enim forte exortum est bellum.

Qui in rep. versantur, plurimum hoc loco vtuntur, cum aduersarios criminari, & in inuidiam trahere volunt. Demadis autem magni oratoris exemplo hoc confirmat, qui Demosthenis curationem reip. vniuersorum malorum causam extitisse dixit: non multo enim post, quam reipublicae operam ille dare coepit, fortuito bellum exortum est. Eodem etiam hoc loco Cicero, vsus est, cum M. Antonio cuncta damna, quae resp. in bello ciuili, quod a C. Caesare contra Cn.
» Pompeium gestum est, accepisset, assignanda esse dixit. Vt igitur in seminibus causa est arbo-
» rum & stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. doletis tris exercitus populi R.
» interfectos, interfecit Antonius. desideratis clarissimos ciues, eos quoque eripuit vobis

» Antonius. auctoritas huius ordinis afflicta est, afflixit Antonius. & quae sequuntur: manifesto autem nunc intelligit Demosthenem, principem Graecorum oratorum: idem enim quoq; in oratione contra Ctesiphontem exprobrauit ipsi Aeschines: verum ille aperte tempus appellauit, dixitq; ex eo tempore, quo Demosthenes in rep. versari coepit: nec tamen non significare
» voluit, eius culpa malisq; consilijs omnia illa mala extitisse. καὶ ταῦτα ἡμῖν συμβέβηκεν ἐξ ὅτου Δη-
» μοσθένης πρὸς τὴν πολιτείαν ἀπελήλυθεν.

Ἄλλος, παρὰ τὴν ἔλλειψιν τοῦ πότε, καὶ πῶς.

Alius, cum desideratur quando, & quomodo.

ALIVS (inquit) locus est falsi enthymematis relinquere in dicendo quando, aut quomodo id factum est: cum scilicet, qui decipere volunt, malitiose tempus, modumq; omittunt, nec plene, vt videri volunt, loquuntur. Aliae quoq; non nullae in recta firmaque argumentatione conditiones requiruntur, quae si omittantur, falso aliquid concludi potest. Aristoteles autem his praecipuis nunc contentus fuit.

Οἷον ὅτι δικαίως Ἀλέξανδρος ἔλαβε τὴν Ἑλένην: αἵρεσις γὰρ αὐτῇ ἐδόθη παρὰ τοῦ πατρός.

Veluti Alexandrum iuste cepisse Helenam: optio enim ipsi data est a patre.

VT si quis optimo iure Parin diceret secum asportasse Helenam: data enim fuit optio ipsi a patre, vt quem vellet, procum sequeretur. Historiam notam esse arbitror, cum Tyndareus Helenae pater, videns eximia pulchritudine filiae multos illustres atq; opulentos iuuenes captos, iactariq; inter illos minas, ac iam vulnera necesq; imminere, cum cuperet filiae nuptias firmas esse, has ipsis leges tulit, ac iureiurando cunctos deuinxit, vt cuicunq; illa obtigisset, is in possessione eius a ceteris retineretur. deinde potestatem filiae fecit, vt ex omnibus eligeret, quem vellet. Totam rem accurate narrat Euripides Iphigenia in Aulide. nam, quod ad hunc locum
» in primis pertinet, inquit. Ἐπεὶ δ' ἠπιστάνοντο, οὐ δυσπῶς γέρων Ὑπῆλθεν αὐτοὺς Τυνδάρεως πυκνῇ φρενί
» Δίδωσιν ἑλέσθαι θυγατρὶ μνηστήρων ἕνα.

Οὐ γὰρ ἀεὶ ἴσως, ἀλλὰ τὸ πρῶτον: καὶ γὰρ ὁ πατὴρ μέχρι τούτου κύριος.

Non enim semper fortasse, sed primo: etenim pater vsque ad hoc tempus ipsam in potestate sua habet.

ARISTOTELIS verba sunt, fallaciam refellentis, & in quo vitium sit, docentis: qui enim (inquit) sic argumentatus est, praecise locutus est: vere enim dixit potestatem eligendi virum Helenae factam a patre: tempus tamen addere debuit: neq; enim ille semper voluit hoc potestatis ipsius esse, nec concedere potuit: omne enim ius amittit in filiam pater, postquam alicui certo homini eam destinauit: quod eleganti carmine significauit etiam Catullus, cum cecinit.
» Qui genero sua iura simul cum dote dederunt, ambos parentes intelligens.

Ἢ εἴ τις φαίη τὸ τύπτειν τοὺς ἐλευθέρους, ὕβριν εἶναι: οὐ γὰρ πάντως, ἀλλ' ὅταν ἄρχῃ χειρῶν ἀδίκων.

Vel, si quis affirmaret, caedere liberos homines, contumeliam esse: non enim omnino, sed quando ipse auctor princepsq; iniuriae fuerit.

CVM duobus modis falli posse eos, qui audiunt in praecisis his sermonibus, dixerit, omittendo tempus ac modum, alteriusq; fallaciae exemplum iam attulerit: alterius nunc adducit, cum modus, ratioque non explanatur. Vt si quis (inquit) affirmet, caedere liberos homines, contumeliam esse: neq; enim, quocunq; modo quis caedat, contumelia est, sed cum rixae origo, causaq; apud eum manet, si prior lacessiuit: id enim significat ἄρχειν χειρῶν ἀδίκων: optimi auctores passim ita loquuntur, vt auctor quoque Rhetorices ad Alexandrum. συνεικότας μου τὸν υἱὸν. ἴσως: ἀδίκων χειρῶν ἄρχοντα. Quo exemplo etiam declaratur illam contumeliam esse, cum quispiam prior ferit. Sed etiam Demosthenes contra Aristocratem, vnde intelligitur haec in lege, quae has iniurias vetabat, verba posita fuisse: voluit enim scriptor ipsius, si quis iniuriam acceptam
» vlciscens, quempiam percussisset, intelligi contra legem non fecisse. ἄν τις τύπτῃ τινά φησιν ἄρχων
» χειρῶν ἀδίκων: ὡς εἴ γ' ἠμύνετο, οὐκ ἀδικεῖ.

Ἔτι ὥσπερ ἐν τοῖς ἐριστικοῖς παρὰ τὸ ἁπλῶς, καὶ μὴ ἁπλῶς, ἀλλά τι, γίγνεται φαινόμενος συλλογισμός.

Amplius quemadmodum in litigiosis disputationibus, ab eo, quod simpliciter est, & non simpliciter, sed aliquid, fit syllogismus simulatus.

QVAE in dialecticis rebus vitia fraudesq; sunt, eaedem, aut illis omnino assimiles, in oratorijs inueniuntur: vt enim in litigiosis, & contentionum plenis disputationibus gignitur adumbratus falsusq; syllogismus, quod simpliciter, aut non simpliciter, sed quiddam, idest definitum aliquid prolatum sit, sic in oratorijs captiosum enthymema gignitur, quod proficiscitur a non simplici, sed certo quodam verisimili: & quae sequuntur: antequam enim ad illa accedamus, haec accuratius perpendere, non alienum est. ἁπλῶς quippiam esse dicitur, cum nec tempus, nec locus, nec huiuscemodi aliquid additur, sed absolute profertur. τὶ vero cum condicio adponitur, alicuiq; aut loco, aut tempori, aut parti illud adstringitur. In sophisticis Elenchis inscribitur haec captio. παρὰ τὸ ἁπλῶς τόδε, ἢ πῇ καὶ μὴ κυρίως: quod enim hic τὶ vocat, illic πῇ & μὴ κυρίως appellat: quamuis non omnino πῇ & τὶ idem sint: quod tamen ad fallendum valet, nihil differunt. Efficitur igitur haec captio, cum aliquid, quod vere aliqua harum condicionum adposita prolatum fuerat, tamquam solutum omnibus, taleq; omnino sumptum sit: neq; enim vnum idemq; est simpliciter esse, & aliquid esse: qui tamen non multum vident, discrepare haec inter se non putant, ob vicinitatem sermonis: quod enim ad verba pertinet, discrimen pusillum inter illa est. In scriptis paene cunctis libris, ἄλλοτι legitur: mendose tamen, vt puto. Quare lectionem receptam retinui: ita enim quoque in hac fallacia explicanda illic Aristoteles locutus est.

Οἷον ἐν μὲν τοῖς διαλεκτικοῖς.

Veluti in dialecticis quidem.

VT in sophisticis disputationibus: neq; enim intelligit volumen, quod scripsit τοπικῶν: aut etiam librum σοφιστικῶν ἐλέγχων, in quibus manifesto haec exempla non inueniuntur. Sed etiam cum paulo post inquit ἐν τοῖς ῥητορικοῖς, non libros vllos certos de arte dicendi indicat, sed oratoriam rationem, & siluam omnem illam significat.

Ὅτι ἔστι τὸ μὴ ὄν, ὄν: ἔστι γὰρ τὸ μὴ ὄν, μὴ ὄν.

Esse quiddam, quod non est: est enim, quod non est vnum eorum, quae non sunt.

FALLACIS rationis conclusio primis verbis exponitur: consequentibus autem, in quo fraus maneat: quomodoq; illa dissolui debeat, ostenditur: sophisma enim erat, id quod non est, ens est (ita autem nunc docendi gratia reddam ὄν) idest natura quaedam est, quae non extat: id enim significant verba, quae sequuntur. In Elenchis sophisticis assimilem huic captionem attulit: exemplumq; huius ipsius fallaciae esse voluit. οἷον, εἰ τὸ μὴ ὄν, ἐστι δοξαστόν, ὅτι τὸ μὴ ὄν, ἐστιν. Vt si quis, quod ita prolatum, verum esset. Non ens est opinabile: in opinionem namque cadunt ea etiam, quae non sunt: hac malitia vsus, appellet illud non ens absolute: cum enim antea sumpsisset quoddam ens: idest, quod opinione percipitur, ad simpliciter ens, fraude vsus, deuenit: dicens (quod falsum est) id quod opinione tantum percipitur, & est, simpliciter esse: & chimaera enim & tragelaphus, quorum alterum monstrum est ex tribus animantibus concretum: alterum vero ex hirco ceruoq; conflatum, vere non sunt: & tamen sunt δοξαστά. quare captiose esse concluduntur.

Καὶ ὅτι ἐπιστητὸν τὸ ἄγνωστον: ἔστι γὰρ ἐπιστητὸν τὸ ἄγνωστον, ὅτι ἄγνωστον.

Et sciri posse, quod cognosci non potest: sciri enim potest, quod cognosci non potest, esse tale, vt cognosci non possit.

CAPTIO similis captioni, quae superiore exemplo significatur: concludit autem scientia contineri rem, quae cognosci percipiq; non potest: cum enim intelligatur rem illam percipi non posse, quod est quoddam sciri, omnino simpliciterq; sciri posse concluditur.

Οὕτω καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς ἐστι φαινόμενον ἐνθύμημα παρὰ τὸ μὴ ἁπλῶς εἰκός, ἀλλά τι εἰκός.

Sic & in oratorijs est simulatum enthymema ab eo, quod non simpliciter verisimile, sed quoddam verisimile.

VIS intellectusq; horum verborum supra expressus est: est enim enthymema adumbratum, quod efficitur ex parte quadam verisimilis, non ex integro verisimili. quare speciem tantum

enthymema-

enthymematis retinet. & vt verisimile vnde ducitur, est imperfectum simulatumque, ita & ipsum simulatum enthymema est: siluam autem esse enthymematum, signa verisimiliaque, constat.

Ἔστι δὲ τοῦτο οὐ καθόλου, ὥσπερ καὶ Ἀγάθων λέγει.

Est autem hoc non vniuerse, quemadmodum & Agathon inquit.

Hoc posterius verisimile, non in vniuersum vsu venit: nec plerunque fit: illud inquam, quod non simpliciter verisimile, sed quiddam vocatur: esse autem genus huiuscemodi verisimilis cognouit quoque Agathon: nam in fabula quadam de eo sic locutus est: duos autem nunc ipsius versiculos citat, quibus de nouo hoc verisimili eleganter disserit. In primo vero de arte studioq; poëtarum, cum sententiam ipsorum adduceret, citato etiam auctoris nomine, carmen ipsius non posuit.

Τάχ' ἄν τις εἰκὸς αὐτὸ τοῦτ' εἶναι λέγοι Βροτοῖσι πολλὰ τυγχάνειν οὐκ εἰκότα.

Fortasse quispiam verisimile ipsum hoc esse dicat, mortalibus multa euenire, quae verisimilia non sunt.

Sententia duorum horum senariorum huiuscemodi esse videtur. Non sine causa quispiam hoc ipsum verisimile esse diceret: mortalibus multa vsu venire, quae verisimilia non sunt: cum enim huiuscemodi sit vita hominum: totq; ac tam variae res ipsis contingant, in eorum numero quaedam etiam inueniri, quae praeter omnẽ expectationem sint, non alienum est dicere: quiq; ita loqueretur, non absurde sentiret: est enim hoc quoq; verisimile.

Γίγνεται γὰρ τὸ παρὰ τὸ εἰκός. ὥστε εἰκὸς, καὶ τὸ παρὰ τὸ εἰκός.

Efficitur enim, quod est praeter verisimile. quapropter verisimile est illud etiam, quod est praeter verisimile.

Fit enim aliquando quippiam, quod verisimile non erat factum iri. quare (inquit) verisimile est, & quod praeter verisimile gignitur: verisimile inquam illud, quod plerunque fit: cum enim natura eius sit, vt necessarium nullo modo sit, vsu venit, vt interdum existat, quod verisimile nullo modo erat: vt similitudo veri in rebus etiam non verisimilibus inueniatur. Huius generis illa sunt, argumenta propria tragoediarum, cum sapiens, acutique ingenij vir, idem tamen prauus ac maleficus, deceptus fuerit: & fortis, qui tamen idem sit iniustus, superatus victusq; discesserit. Haec Aristotelis ex eo libro exempla sunt: minime autem verisimile erat, si primum tantum illud verisimile spectes, sapientem deceptum, & fortem superatum, profligatumq; iri. Plato quoque in Phaedro, cum oratori quod verisimile esset, non verum, persequendum affirmaret, de verisimili hoc excogitato a Tisia, & in arte tradito mentionem fecit: & quomodo ille huiuscemodi argumenta tractari debere docuisset, diligenter egit.

Εἰ δὲ τοῦτο, ἔσται τὸ μὴ εἰκὸς, εἰκὸς, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς.

Si autem hoc est, erit non verisimile, verisimile, sed non simpliciter.

Qvod si hoc verum est, vt est (nam auctoritate etiam ingeniosi & eruditi hominis confirmatur) id etiam, quod verisimile non est, verisimile erit: verumtamen non absolute simpliciterq; verisimile. Haec enim addidit, naturam ipsius magis aperiens: & nequis, par priori verisimili esse credens, erraret, cum sit quoddam verisimile tantum, longe diuersum ab illo.

Ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἐριστικῶν τὸ κατά τι, καὶ πρός τι, καὶ πῆ, οὐ προστιθέμενα, ποιεῖ συκοφαντίαν, καὶ ἐνταῦθα παρὰ τὸ εἰκὸς εἶναι μὴ ἁπλῶς, ἀλλά τι εἰκός.

Sed quemadmodum & in litigiosis, secundum quid, & ad aliquid, & vbi, non adposita, gignunt captionem, & hic, quod verisimile sit non simpliciter, sed quoddam verisimile.

Totam rem accurate explanat, eodemq; pacto se habere hic tradit in verisimili absoluto ac vero, & in adumbrato hoc atque imperfecto, cum non distinguuntur, vt in contentiosis illis disputationibus euenire consueuit: cum enim silentur condiciones hae, quae adpositae omnem dolum discuterent, gignuntur multae fallaciae: tres autem affert, idest qua ex parte, & ad quod relata, & quo in loco. Cum haec igitur, quae omnem rem explanare possunt, omnemq; sophi-

stae facultatem fallendi eripere, non adduntur, via multis fallacijs patefit, sic in his rebus multae existunt fraudes, cum de verisimili non vero ac primo, sed simulato, secundoq; loquimur.

Ἔστι δ' ἐκ τούτου τοῦ τόπου ἡ Κόρακος τέχνη συγκειμένη.

Ex hoc autem loco ars Coracis composita est.

De vtilitate huius loci agit, quae tanta est, vt priscus rhetor Corax ex vno hoc loco artem, quam scripsit, confecerit. Corax autem, Tisiasq;, vt Cicero quoq; tradit, huius artis inuentores, & principes fuisse creduntur. Quam rudia autem, & imperfecta Coracis scripta praeceptaq; forent, hinc etiam facile intelligitur, cum in vna tantum fallaci ratione posita essent.

Ἄν τε γὰρ μὴ ἔνοχος ᾖ τῇ αἰτίᾳ. οἷον ἀσθενὴς ὢν, αἰκίας φεύγῃ: οὐ γὰρ εἰκός.

Si namque non affinis fuerit culpae. veluti, si imbecillus homo reus est petulantiae: non enim verisimile est.

Astvta haec ratio adiuuat, siue crimini illi obnoxius, qui causam dicit, sit: siue contra. alterum autem horum sit necesse est: si enim, qui reus est, culpae, cuius insimulatur, affinis non est, vt si infirmo corpore aliquis petulantiae reus sit, facile defenditur: non enim verisimile est, imbecillum hominem, & nullis viribus corporis praeditum, quempiam verberasse: apparet autem hoc verisimile esse sua vi tale, quod ἁπλῶς vocat.

Κἂν ἔνοχος ὢν, οἷον ἂν ἰσχυρὸς ὢν: οὐ γὰρ εἰκὸς, ὅτι εἰκὸς ἔμελλε δόξειν.

Et si culpae affinis, veluti validus robustusq;: non enim verisimile est, quia verisimile erat visum iri.

Qvod si crimini affinis est, vt si idem robustus fuerit, dicemus etiam verisimile id non esse: neq; enim existimari debet, quempiam id commisisse, cuius, si in iudicium vocaretur, facile redargui posset: verisimile namq; videri potuit iudicibus, tantis corporis viribus fultum verberasse, non est autem hoc prioris generis verisimile, neq; ἁπλῶς, sed certum quoddam.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων: ἢ γὰρ ἔνοχον ἀνάγκη, ἢ μὴ ἔνοχον εἶναι τῇ αἰτίᾳ.

Similiter autem & in alijs: siue enim affinem necesse est esse, siue non affinem culpae.

Non hoc autem, in vna hac re verum est: quod enim hic demonstratum est, in alijs etiam rebus verum esse inuenietur: nec vmquam aliquis hoc loco vti non poterit: sit enim aut affinis culpae, aut non affinis necesse est: vtrique autem rei praecepta a nobis tradita sunt.

Φαίνεται μὲν οὖν ἀμφότερα εἰκότα: ἔστι δὲ τὸ μὲν εἰκὸς: τὸ δὲ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' ὥσπερ εἴρηται.

Speciem igitur habent ambo verisimilium. est autem alterum quidem verisimile: alterum autem non simpliciter, sed quemadmodum traditum est.

Qvi acute non perspiceret, existimaret vnum idemq; verisimile semper intelligi: ambo enim eiusdem generis videntur: qui tamen, quemadmodum illa a nobis distincta sint, perceperit, diuersa esse cognoscet: alterum enim proprio nomine verisimile erit: alterum absolute verisimile dici non potest, sed nouum genus verisimilis, vt supra (inquit) docuimus.

Καὶ τὸ, τὸν ἥττω δὲ λόγον κρείττω ποιεῖν, τοῦτ' ἐστιν.

Et quod ferebatur, inferiorem rationem superiorem facere, hoc ipsum est.

Et quod sophistae (inquit) profitentur, qui aiunt, se inferiorem causam superiorem posse facere dicendo, nihil aliud est: atque hinc totum pendet: falsis enim verisimilibus pro veris vtuntur: his autem verbis illos vti solitos e Platonis sermone perspicuum est. Aristophanes etiam νεφέλαις id testatur, cum Strepsiadem, agrestem illum, senem, induxit ita loquentem. » Εἶναι παρ' αὐτοῖς φασὶν ἄμφω τὼ λόγω. Τὸν κρείττον' ὅστις ἐστὶ, καὶ τὸν ἥττονα. » Quamuis impure ac nefarie, quod sophistarum erat, vt illi inuidiam faceret, Socrati, qui studiose semper eos exagitabat, tribuerit. In » Bruto Cicero eleganter hanc rem expressit. Alij multi temporibus eisdem docere se profite- » bantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) di-

cendo fieri superior posset. Sed etiam vim huius nominis expressit, & quid ἐπάγγελμα & ἐπαγγέλλεσθαι esset, declarauit; valet enim ἐπαγγέλλεσθαι, aliquid profiteri, ac praestare se posse palam dicere: quod leue omnino, ac procliue non sit: quum autem hoc verbum ingenio ac rationi sophistarum valde accommodatum esset, qui & sapientiam ostentabant, & magna de se passim in conuentu pollicebantur, ideo ab illis saepe vsurpabatur, & qui de instituto quoque eorum loquebantur, saepe illud in ore habebant: quod e Platonis scriptis intelligitur.

Καὶ ἐντεῦθεν δικαίως ἐδυσχέραινον οἱ ἄνθρωποι τὸ Πρωταγόρου ἐπάγγελμα: ψεῦδός τε γάρ ἐστι καὶ οὐκ ἀληθὲς, ἀλλὰ φαινόμενον εἰκός.

Et hac de causa merito homines stomachabantur, quod Protagoras pollicebatur: & in quo se iactabat: falsum enim est & minime verum, sed simulatum verisimile.

PROTAGORAS enim huius arrogantis vocis auctor fuerat: quam inquit Aristoteles, homines iure optimo ferre non poterant, & stomachabantur: falsa enim est: atque hoc, quo deteriorem causam tuebatur, verisimile, verum verisimile non est, sed simulatum ac fictum, & quod speciem modo verisimilis habet: auersabantur igitur, vt pessimum institutum ac studium, quodq; in vanitate fallaciaq;, a qua natura homines abhorrent, cunctaeq; artes alienae sunt, positum foret. Halicarnasseus quoq; in epistola ad Hammaeum de hoc verisimili loquitur, tamquam pessimo ac malitiae plenissimo: traditq; superare ipsum fallacia cetera omnia argumenta: vocat enim ipsum κακουργότατον τῶν ἐπιχειρημάτων.

Καὶ ἐν οὐδεμιᾷ τέχνῃ, ἀλλ' ἐν ῥητορικῇ καὶ ἐριστικῇ.

Atque in arte nulla locum habet, sed in rhetorica & litigiosa.

QVOD falsum est, nulla neque ars, neque scientia inquirit, nisi ex accidenti: exceptis rhetorica & sophistica, quae libenter id adsumunt: illae tamen quoque hac ipsa in re ab institutis & natura artium recedunt.

Καὶ περὶ μὲν ἐνθυμημάτων, καὶ τῶν ὄντων, καὶ τῶν φαινομένων, εἴρηται: περὶ δὲ λύσεων ἐχόμενόν ἐστι τῶν εἰρημένων εἰπεῖν.

Et de enthymematibus quidem, & quae vere sunt, & quae solum videntur, dictum est. de dissolutionibus autem sequitur vt dicamus.

DOCET se, quod proposuerat, effecisse: cum enim locos demonstrandos & verorum, & simulatorum enthymematum suscepisset, vtrosq; iam indicasse: statimq;, quod sequatur, si institutum ordinem huius scriptionis tenere vult, aperit. vt de dissolutionibus, quomodoq; aduersariorum argumenta temptari frangique possint, agat. Antiquissimus liber vnitatis numero λύσεως habet, cui adstipulatur vetus tralatio: illi autem lectioni (nisi fallor) praeclare locus esse potest: quamuis enim plures modi sint hoc faciendi, omnes tamen hoc nomine continentur: significat enim de natura huius rei, de vi rationeq; argumenta dissoluendi.

Ἔστι δὲ λύειν ἢ ἀντισυλλογισάμενον, ἢ ἔνστασιν ἐνεγκόντα.

Licet autem soluere, siue argumento contra argumentum pugnando: siue argumento aduersarij resistendo.

NON simplex ratio est dissoluendi ac refellendi argumenta aduersariorum, sed duobus modis id fit: aut enim argumento argumentum disturbandum, aut, quam vocant ἔνστασιν, inferendum. Quid autem ἔνστασις sit, & omnem vim illius, accurate exposuit in extremo ij. libro Analyticorum priorum: quare qui plene perfecteq;, quo modo illa apud dialecticos efficiatur, scire cupit, illuc accedat. Cicero in ij. libro de Oratore non inerudite & ipse, quod hic traditur, explicauit: significat enim duobus modis resisti posse argumento aduersarij: aut tuo quopiam argumento, quod contrarium comprobet (id quod Aristoteles inquit ἀντισυλλογίσασθαι) aut illius argumento reprehendendo: quod vitium aliquod in se contineat, quae etiam ratio simplex non
» sit: sed quod aut vitium sit in materia (vt nunc loquuntur) aut in forma. Sed argumento re-
» sistendum est (inquit) aut ijs, quae comprobandi eius causa sumuntur, reprehendendis, aut de-
» monstrando id, quod concludere illi velint, non effici ex propositis, nec esse consequens: aut si
» ita non refellas, afferendum est in contrariam partem, quod sit aut grauius, aut aeque graue.
Cum autem ἔνστασις verbum sit dialecticorum, & ἐνίστασθαι valeat resistere & occurrere alicui rationi, ac tamquam impedire, ne aliquid inde efficiatur, exitumque habeat res illa, eodem tamen verbo,

verbo, idem significare volens, vsus est Isocrates in libro, quem scripsit ad Philippum Macedonem. πάχ' ἂν ἀντις ἐνστῆναι τοῖς λεγομένοις τολμήσειε, λέγων. & quae sequuntur.

Τὸ μὲν οὖν ἀντισυλλογίζεσθαι, δῆλον ὅτι ἐκ τῶν αὐτῶν τόπων ἐνδέχεται ποιεῖν.

Pugnare igitur argumentis contra argumenta aduersarij, perspicuum est licere nobis ope eorundem locorum.

QVIS non fateatur, hunc locum expressisse Ciceronem, cum inquit. Iam illud perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex ijsdem suppeditari locis. proxime autem antecedunt haec, quae paulo supra verba adduxi: nam quin ἀντὶ in contrarias partes reddat, dubitari non potest: ex illo etiam loco reliqua aperta, & plana. Siue igitur hoc ille vertit, siue potius iudicet idem venisse in mentem duobus, cum de eadem arte praeciperent (quod verum erat ac seruari debebat) doctis & ingeniosis viris: hoc enim mihi magis verisimile est.

Οἱ μὲν γὰρ συλλογισμοὶ ἐκ τῶν ἐνδόξων: δοκοῦντα δὲ πολλὰ ἐναντία ἀλλήλοις ἐστίν.

Syllogismi enim conficiuntur e probabilibus: probabilia autem multa contraria sunt inter se.

SYLLOGISMI oratorij ad concludendum sumunt res probabiles: multa autem, quae videntur, ac probabilia sunt, contraria inter se sunt. non potest igitur vmquam aliquis laborare penuria huiuscemodi rationum. multa vero pugnare inter se, quae videantur, inquit: siue quia saepenumero aut multitudinis opinioni sapientium opinio aduersetur, ac contra: siue quia eaedem res aliter atq; aliter spectatae, contrarias saepe de se in animis hominũ opiniones gignant.

Αἱ δ' ἐνστάσεις φέρονται, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς, τετραχῶς.

Instantiae autem adferuntur, quemadmodum & in Topicis, quattuor modis.

IN viij. libro Topicorum quattuor modis posse, ne concludant aduersarij, fieri declarat: qui omnes proprio nomine ἐνστάσεις appellari non possunt: vno enim excepto reliquos verius impedimenta, ac tamquam moras quasdam vocari debere tradit: nec tamen cum hic ἐν τοῖς τοπικοῖς inquit, locum illum intelligi eum voluisse arbitrari debemus: idem enim valere hic τοπικὰ, quod supra valere ostendi, putandum est: de primo enim illo tantum ἐνστάσεων genere hic agit, quas ita appellari debere illic docuit: reliqua, omittit: quod autem hic accurate explicat, quattuor res esse, vnde illae ducantur, illic non tetigit.

Ἢ γὰρ ἐκ ταυτοῦ, ἢ ἐκ τοῦ ὁμοίου, ἢ ἐκ τοῦ ἐναντίου, ἢ ἐκ τῶν κεκριμένων.

Siue enim ab ipsa re, siue a simili, siue a contraria, siue a rebus, de quibus iam existimatum sit.

IN ij. priorum Analyticorum, cum de genere ἐνστάσεων, quae fiunt ἐκ ταυτοῦ, copiosius disputasset, ex tribus praeterea rebus effici illas docens, inquit. ἐπισκεπτέον δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἐνστάσεων: οἷον περὶ τῶν ἐκ τοῦ ἐναντίου, καὶ τοῦ ὁμοίου, καὶ τοῦ κατὰ δόξαν: quod enim hic ἐκ τῶν κεκριμένων, quasi ex rebus, ita creditis atq; existimatis, illic ἐκ τοῦ κατὰ δόξαν vocauit: idest ex opinione & sententia sapientum. Exempla reliquarum etiam harum trium, interpres illius libri, Philoponus ponit.

Λέγω δὲ ἐκ ταυτοῦ μὲν, οἷον, εἰ περὶ ἔρωτος εἴη ἐνθύμημα, ὡς σπουδαῖος, ἡ ἔνστασις διχῶς.

Dico autem ab illa ipsa re, veluti, si de amore enthymema confectum sit, esse ipsum bonum, resisti potest duobus modis.

EXEMPLIS omnia illustrare aggreditur: primum autem, cum a re ipsa, de qua illud est, enthymemati resistitur. vt si quis (inquit) argumento concluserit, amorem & bonum & honestum esse, bifariam resistere possumus: aut in vniuersum, dicentes, omnem egestatem esse malum: aut in parte: nec enim vulgo dictus fuisset, omniumque consensu improbatus ac nefarius, Caunius amor: nisi praui etiam quidam amores inuenirentur. Idem quoque in Analyticis docuit: hoc enim quoque a propositione discrepare ἔνστασιν voluit, quod etiam in parte resistitur, cum aut numquã, aut saltem in his, qui in vniuersum aliquid conclusum refellunt syllogismis, propositio in parte sit. Cum autem bifariam afferri ἔνστασιν tradidisset: quomodoque id fieret, docere vellet, inquit. Διχῶς μὲν, ὅτι ἢ καθόλου, ἢ ἐν μέρει πᾶσα ἔνστασις. quod mirifice congruit his, quae hic tradit.

Ἡ γὰρ καθόλου, εἰπόντα, ὅτι πᾶσα ἔνδεια πονηρόν.

Siue enim in vniuersum dicendo, omnem egestatem esse rem malam.

QVI enim in vniuersum comprobabant omnem egestatem esse malũ, amorem studiosum esse refellebant, quia omnis appetitio est ratione egestatis. vnde & amor videtur quaedam indigentia, aut non omnino absque indigentia. Id etiam significare voluit Plato, cum in symposio paupertatis filium eum commentus est, cum quo tamen hac in re non sentit Aristoteles. vnde ex aliorum opinione ac decretis hic eum locutum esse manifesto intelligimus.

Ἡ κατὰ μέρος, ὅτι οὐκ ἂν ἐλέγετο Καύνιος ἔρως, εἰ μὴ ἦσαν καὶ πονηροὶ ἔρωτες.

Siue singillatim: numquam enim vocatus fuisset amor Caunius, nisi essent etiam amores praui.

IN parte resistit, qui dicit id probari nullo modo posse: repugnare enim illi sententiae peruulgatam vocem, qua infamis amor Caunius fertur: prouerbium enim vetus erat καύνιος ἔρως: eoq; turpis ac sceleratus amor, quo Biblis erga fratrem Caunum flagrauerat, notabatur: testimonio enim eius vocis docet posse inueniri quempiam amorem improbum: & tamen manifesto temptat, euertitq;, omnem amorem esse probum: vnus enim prauus, vt ille fuit, nefariusq; inuentus, satis est ad enthymema illud conuellendum. Cum autem hic antea in excusis legeretur, οὐκ ἂν ἐλέγετο κάλλιστος ἢ κάκιστος ἔρως, emendaui οὐκ ἂν ἐλέγετο καύνιος ἔρως, secutus fidem antiquiss. atq; optimi exemplaris: omnino enim hanc veram huius loci germanamq; lectionem esse puto. nam significari ab Aristotele peruagatam aliquam, communemq; vocem planum est. Hoc autem prouerbium fuisse, veteres multi auctores testantur, vt Stephanus, vbi de Cauno Cariae vrbe, a conditore Cauno hoc appellata, loquitur, cuius amore soror turpiter deperierit. vnde (inquit) natum est prouerbium ὁ καύνιος ἔρως. Sed etiam Hesychius. Sudas: neq; enim vmquam legi optimum aut pessimum amorem vocatum, aut a poëta aliquo vetereue vllo scriptore, aut prouerbio vllo celebratum: vt putem, qui vim huius prouerbij non intelligebant, locum contaminasse, atq; ita, vt probabilis aliquis sensus inde eliceretur, conformasse. Nec tamen non pusilla quaedam macula, quae tamen facile rutoque deleri potuit, in eum codicem irrepserat: καύνικος enim illic legitur.

Ἐπὶ δὲ τοῦ ἐναντίου ἔνστασις φέρεται. οἷον, εἰ τὸ ἐνθύμημα ἦν, ὅτι ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ πάντας τοὺς φίλους εὖ ποιεῖ, ἀλλ' οὐδ' ὁ μοχθηρὸς κακῶς.

In contrario autem resistitur. veluti, si enthymema fuerit, bonum virum cunctis amicis prodesse, sed neque improbus cunctis amicis obest.

EXEMPLVM etiam hoc apertum est, quo quemadmodum resisti possit enthymemati, ducendo argumento a contrario eius, quod probatur, docet. vt siquis enthymemate comprobarit, probum virum cunctos amicos beneficijs in ipsos collatis, iuuare: a contrario ita resistemus. Sed neq; improbus cunctos amicos incommodis afficit: si illud namque verum esset, & hoc quoq; verum foret: videmus autem non paucos prauos viros, qui sane quibusdam ex numero amicorum damni aliquid important, non tamen omnibus. quare non necesse his contrarios bonos viros, omnibus amicis auxilio bonoq; esse, ac commodis ipsos adiuuare.

Ἐπὶ δὲ τῶν ὁμοίων. εἰ ἦν τὸ ἐνθύμημα, ὅτι οἱ κακῶς πεπονθότες, ἀεὶ μισοῦσιν, ὅτι ἀλλ' οὐδὲ οἱ εὖ πεπονθότες ἀεὶ φιλοῦσιν.

In similibus autem. veluti, si enthymema sit, eos, qui malum acceperunt, semper odio prosequi, sed neque, qui bonum acceperunt, semper diligunt.

A SIMILI ita resistimus. Si conclusum fuerit argumento ab aduersario, qui malum acceperunt, semper odisse illos, vnde incommodum in ipsos profectum est, dicemus. At qui ne hi quidem, qui beneficium acceperunt, semper diligunt eos, a quibus ornati sunt: inueniuntur enim saepe non nulli parum memores beneficiorum. Idem igitur in contrarijs euenire necesse est, vt qui incommodo aliquo affecti sint, deleant aliquando ex animo omnem memoriam iniuriarum: nec semper odio prosequantur eos, a quibus malo affecti sunt. Exemplum etiam hoc esset superioris modi, idest ἐναντίως, quae ducitur a contrario: contrarij enim sunt inter se, qui malum acceperunt, illjs, qui bonum, vt etiam odio habere contrarium est ei, quod dicimus diligere: nec tamen non exemplum etiam est parium ac similium. nam, qui iniuriam acceperunt,

acceperunt, si odio ducuntur, similes in contraria re sunt illis, qui commodo accepto diligunt. nec impedit, quin eadem res diuersorum argumentorum exemplum esse possit, aliter atque aliter acceptorum.

Αἱ δὲ κρίσεις, αἱ ἀπὸ τῶν γνωρίμων ἀνδρῶν. οἷον εἴ τις ἐνθύμημα εἴποι, ὅτι τοῖς μεθύουσι δεῖ συγγνώμην ἔχειν: ἀγνοοῦντες γὰρ ἁμαρτάνουσιν: ἔνστασις ὅτι, οὔκουν ὁ Πιττακὸς αἰνετός: οὐ γὰρ ἂν μείζους ζημίας ἐνομοθέτησεν, ἐάν τις μεθύων ἁμαρτάνῃ.

Iudicia autem de ea re facta, existimationesq; sunt, quae a claris viris nascuntur. veluti si aliquis enthymema attulerit, oportere temulentis ignoscere: imprudentes enim labuntur, resistetur, non igitur Pittacus laudandus: non enim maiorem paenam statuisset, si quis ebrius peccasset.

IVDICIA, auctoritatesq; huiuscemodi sunt: cum adferre possumus, sapientes & claros viros non ita sensisse. Vt si quis (inquit) argumento confirmarit: temulentis, si quid deliquerint, ignosci oportere: imprudentes enim peccant, resistemus hoc pacto. Nullo modo verum hoc esse credidit Pittacus: ille legum lator imprimis nobilis: non enim maiores paenas proposuisset, si quis ebrius mali quicquam fecisset. Quam autem rationem secutus Pittacus, diuerse ab alijs hominibus senserit, exponit accurate ipse in ij. libro de republica.

Ἐπεὶ δὲ τὰ ἐνθυμήματα λέγεται ἐκ τεττάρων: τὰ δὲ τέτταρα ταῦτα ἐστιν, εἰκὸς, παράδειγμα, τεκμήριον, σημεῖον.

Quia autem enthymemata ducuntur e quattuor rebus: quattuor autem ea haec sunt, verisimile, exemplum, propria nota, signum.

QVANTAM facultatem oratores habituri sint resistendi argumentis aduersariorum ostendit: viamq;, quam in ea re sequi debeant, demonstrat: vt autem commodius hoc fieri possit, vim horum enthymematum repetit: multo enim facilius nodus aliquis expeditur, cum ratio eius vinculi tenetur. Vnde autem ipsa gignantur, declarat: hoc enim vt perspicuum tradit, & quod ex praeteritis, recte perceptis, eluceat. Hyperbaton autem est vsque ad φανερὸν, ὅτι τὰ τοιαῦτα: quae enim in medio ponuntur, multo ante explicata erant: nunc autem, vt rem magis aperiant, breui repetuntur. Quia (inquit) enthymemata ducuntur ex quattuor: quattuor autem haec sunt: verisimile, exemplum, propria rei nota, signum, & quae sequuntur. perspicuum huiuscemodi enthymemata semper posse dissolui, si occurras ipsis aliquo e modis explicatis. Numquam igitur argumentis aduersarij orator ita frangetur, vt silere cogatur, nec aliquid, quod causam suam adiuuet, & aduersarij temptet, excogitare possit: ea enim natura harum rerum est, vt aliquid semper contra ipsas dici possit.

Ἔστι δὲ τὰ μὲν ἐκ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἢ ὄντων, ἢ δοκούντων, συνηγμένα ἐνθυμήματα, ἐκ τῶν εἰκότων.

Sunt autem, quae e rebus, quae res plerunque, vel sunt, vel videntur esse, coacta enthymemata e verisimilibus.

QVAMVIS plenius haec in primo libro exposuerit, breui tamen hic quoque vim eorum tradit: a verisimili autem orditur: indeq; ducta esse enthymemata docet, ex rebus, quae fere aut sint, aut esse videantur, conclusa.

Τὰ δὲ δι' ἐπαγωγῆς διὰ τοῦ ὁμοίου, ἢ ἑνὸς, ἢ πλειόνων: ὅταν λαβὼν τὸ καθόλου, εἶτα συλλογίσηται τὰ κατὰ μέρος, διὰ παραδείγματος.

Quae autem per inductionem per simile, vel vnum, vel plura, quando accepto aliquis eo, quod vniuerse fit, deinde concluserit, quae sunt in parte, per exemplum.

VALET hic δι' ἐπαγωγῆς, inducendo, in mediumq; afferendo, quod simile sit: neque enim plenam, perfectamque inductionem intelligit, nec vt exemplum fiat, illa necessaria est: nec tamen, nisi aliquid inducatur, exemplum vmquam erit. Arbitror autem pelli debere posteriore loco praepositionem διὰ, quod illum importune occuparit: cuncti tamen, quos vidi & scripti & excusi libri, illic quoque eam retinent. Sensus, si ita legatur, erit. Quae vero comprobantur inductione similis, siue illud vnum tantum sit, siue plura: & quae sequuntur, exemplo constituuntur: & hoc genere fidei faciendae confirmantur. verum quia, quemadmodum locum

mendosum esse ausim affirmare, ita nihil certi habeo, vbi potissimum macula sit, suspicari aliquis posset, relicta particula illa, potius tollenda antecedentia duo verba: sic enim quoq; sententia maneret. vt δι᾽ ἐπαγωγῆς importune huc inculcatum fuerit. Haec autem, vt ingenue admonere, non inutile existimaui, ita tam incertis coniecturis nihil variari oportere iudicaui. Vt vero rem magis aperiat, ac quomodo id fiat, ostendat, addit. Cum sumpto vniuerso aliquo, partem illius, ope alius partis, siue plurium, concluserit. καθόλου autem vocat, vt in exemplo, quod in ij. Analyticorum priorum posuit, aduersus finitimos populos bellum gerere, rem malam esse: est enim id tamquam totum quippiam, quod plures infra se partes habet. Nec non etiam, omnes, qui petunt custodes corporis imponere libertati ciuium, totum vocatur: partes, quae id constituunt ac comprobant, vt factum Pisistrati Athenis, Theagenis Megaris. Vniuersum enim illud ac totum, verum esse affirmat: nec tamen, nisi partem illius probare studet: atque id facit auxilio vnius, pluriumue illius ipsius, quod sumit, partium: quae, si vniuersum appellentur, singularia facta eadem ratione vocari possunt.

Τὰ δὲ δι᾽ ἀναγκαίου, καὶ ὄντος, διὰ τεκμηρίου.

Quae vero per necessariam rem, & quae sit, per propriam notam.

QVAE autem enthymemata concluduntur ex materia necessaria, & quae sit, τεκμηριώδη esse dicuntur, & per tecmerium fiunt. Deerat hic praepositio διὰ, quam restitui: ita enim omnino legi debet, διὰ τεκμηρίου, vt supra διὰ παραδείγματος, atq; infra διὰ σημείων dicit: ipsam autem in antiquiss. tantum exemplari inueni: quam tamen exprimit etiam vetus tralatio.

Τὰ δὲ διὰ τοῦ καθόλου, ἢ τοῦ ἐν μέρει ὄντος: ἐάν τε ὄν, ἐάν τε μὴ, διὰ σημείων.

Quae autem per id, quod in vniuersum est, vel in parte sit, siue sit illud, siue non sit, per signa.

ENTHYMEMATA, quae fiunt ope alicuius, quod in vniuersum, aut in parte sit, siue illa esse, siue non esse dicantur: id est, siue aiant, siue negent, ex signis constant: id enim arbitror significare, ἐάν τε ὄν, ἐάν τε μὴ. nisi forte aliquis putet valere, siue vere, siue falso concludant: vt ὂν & μὴ ὂν, verum & falsum appellarit: argumenta namque a signo, aliquando ex veris propositionibus, verum: aliquando falsum, concludunt: nec tamen naturam signorum amittunt, qua de causa a proprijs rerum notis discrepant: quae ex veris semper vere ac necessario concludunt: signorum autem quoddam genus esse, quod vtitur rebus communibus, & quae in vniuersum sint, ad confirmandas res singulares: quoddam vero, quod singularibus probet generale quippiam, in primo libro ab ipso traditum est.

Τὸ δὲ εἰκὸς, οὐ τὸ ἀεὶ, ἀλλὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Verisimile autem est non id, quod semper fit, sed id, quod plerunque.

OMNI silua, vnde conformantur enthymemata, explicata, redit ad id, quod primum pertractarat: nec tamen aliquid, quod tunc non tradiderit, addit, nec si verum est rursus Aristotelem de icote disserere, tria item reliqua repetit. Quare vereor, ne verba haec abundent, & in margine libri quondam ab aliquo scripta fuerint, qui animaduerterit ex prioribus verbis, cum inquit, enthymemata, quae concluduntur ex rebus, quae plerunque sunt, aut esse videntur, ex icotibus duci, icos non significare, quod semper, sed quod plerunque fiat, adnotarit. Hoc tamen contra dici posset: illic, quae sint enthymemata ex icote, doceri: hic naturam ipsius icotis explanari: debuit tamen, nisi fallor, aut trium reliquorum eodem pacto vim explicare: aut hoc illis relictis, non tangere.

Φανερὸν ὅτι τὰ τοιαῦτα μὲν τῶν ἐνθυμημάτων ἀεὶ ἐστι λύειν, φέροντα ἔνστασιν: ἡ δὲ λύσις φαινομένη, ἀλλ᾽ οὐκ ἀληθὴς ἀεί.

Perspicuum est huiuscemodi enthymemata semper licere soluere, resistendo: solutio autem talis putabitur, sed non semper vera erit.

HAEC est ἀνταπόδοσις illius ἐπεὶ, quod multo supra positum fuit: plurimis in medium interiectis: His omnibus (inquit) cognitis perspicuum est huiuscemodi enthymemata, quae ex hac materia conflata sint, semper posse dissolui: si quis sciat occurrere subtiliter atque illis resistere: natura enim hoc habent, vt temptari aliqua ratione, labefactariq; possint: dissolutio tamen ipsa saepe speciem tantum veri habebit, non semper vera erit. Quomodo autem id contingat, vt nullum vmquam huius generis argumentum afferatur, cui resisti facile non possit, exponit.

Οὐ γὰρ

Οὐ γὰρ, ὅτι οὐκ εἰκὸς, λύει ὁ ἐνιστάμενος: ἀλλ' ὅτι οὐκ ἀναγκαῖον.

Non enim, quod verisimile non sit, soluit, qui resistit, sed quod non est necessarium.

PROBAT verum esse, quod dixerat, non semper occurri argumento, a verisimili certa aliqua ratione, sed, quae speciem tantum eius habeat, atq; dissoluere fallo videatur: non enim (inquit) qui argumento resistit, ita se parat, vt doceat id, quod affertur ab aduersario, verisimile non esse: quod facere ipsum oportebat: satisq; est ipsi ostendere, illud necessarium nullo modo esse. hoc autem facere nullum negotium est: numquam enim ab hoc deseritur verisimile.

Διὸ καὶ ἀεί ἐστι πλεονεκτεῖν ἀπολογούμενον μᾶλλον, ἢ κατηγοροῦντα, διὰ τοῦτον τὸν παραλογισμόν.

Quare semper vsu venit, vt paratior instructiorque sit, qui defendit, quam qui accusat, propter hanc captionem.

QVARE (inquit) cum tantam vim habeat haec astuta ac fallax ratio concludendi, qui defendit causam, quae premitur verisimilibus, superiora omnia habet: ac melior denique condicio ipsius est, quam eius, qui accusat. (hoc enim tamquam cumulum accedere voluit ei, quod primo docebat) si plene namq; ac perfecte, quae suae partes erant, praestare voluisset, qui defendit, par ipsius accusatorisq; negotium fuisset: nunc vero cum captio haec illum ornet, valde minuitur labor ipsius. Quomodo autem hac fraude decipiantur iudices, & omnes ij, ad quos oratio habetur, nunc ostendit.

Ἐπεὶ γὰρ ὁ μὲν κατηγορῶν, δι' εἰκότων ἀποδείκνυσιν.

Quia namque, qui accusat, demonstrat, vtens verisimilibus.

QVIA (inquit) qui accusat, vtitur verisimilibus ad probandum, iudex, &, qui existimare de negotio illo debet (huc enim accedendum est: reliqua autem nunc relinquenda) arbitratur, si sic argumentum dissolutum fuerit, vt scilicet id necessarium non esse, quod accusator factum obiecerit, demonstratum sit, aut id verisimile non esse, aut se de eo iudicium facere non debere: & quae sequuntur. Quae tamen antequam aggrediamur, in medio posita, quae relicta fuere, videamus.

Ἔστι δὲ οὐ ταὐτὸ, λῦσαι, ἢ ὅτι οὐκ εἰκὸς, ἢ ὅτι οὐκ ἀναγκαῖον.

Non est autem idem soluere, siue quod non sit verisimile, siue quod non necessarium.

NON par negotium est in dissoluendo, docere aliquid, aut non verisimile, aut non necessarium esse, sed multo molestius est, comprobare quippiam non esse verisimile. Quod si iudices prudentes essent, & quid sui muneris foret, plene, perfecteq; intelligerent, non haberet causam faciliorem, qui pro reo stat: postularent enim probari ab eo (vt aequum erat) id, quod arguit aduersarius, verisimile non esse. Quod cum stultitia quadam ducti non faciant, sed officio suo illum satisfecisse putent, si docuerit id non esse necessarium, aequiores sunt defensori, magnamq; ipsi facultatem praebent, causas etiam malas, obtinendi. Respondet autem (nisi fallor) hic modus loquendi, quod non idē, sed valde dissimile id esse inquit, superiori verbo πλεονεκτεῖ: quo significauit auxilio huius captionis superiorem esse, & faciliorem expeditioremq; viam habere, defensorem, quam accusatorem.

Ἀεὶ δὲ ἔχει ἔνστασιν τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ: οὐ γὰρ ἂν ἦν εἰκὸς, ἀλλ' ἀεὶ καὶ ἀναγκαῖον.

Semper enim resisti potest illi, quod fit plerunque: aliter enim non fuisset verisimile, sed sempiternum & necessarium.

QVOD plerunq; fit (id autem verisimile est) ἔνστασιν semper habet: id est interponi semper aliquid ei, atque obijci potest: donecq; verisimile est, ac naturam suam seruat, semper hac parte laborat, ac resisti illi potest: nullum enim negotium est docere non semper id ita fieri, vnde non necessarium esse intelligatur. Quod si aliter se habere non posset, sempiternum necessariumque, non verisimile fuisset: necessaria enim sunt, quae aliter fieri, ac variari nulla ratione possunt.

Ὁ δὲ κριτὴς οἴεται, ἂν οὕτως ἐλύθη, ἢ οὐκ εἰκὸς εἶν, ἢ οὐχ αὑτῷ κριτέον.

Qui autem existimaturus est de facto, arbitratur, si ita dissolutum fuerit, siue illud non esse verisimile, siue a se existimari de eo non oportere.

VIS horum verborum a me ſupra expreſſa eſt. Conſenſus autem omnium librorum ſcriptorum fecit, vt hanc lectionem ſequerer: in excuſis enim antea legebatur. εὐθὺς ὁ κριτὴς οἴεται, cum aduerbio temporis: nec tamen haec lectionis varietas ſententiam magnopere variat: ipſam quoque vetus tralatio confirmat: eſſe autem hanc ἀνταπόδοσιν illius ἐπεὶ γὰρ, conſtat. Cum in excuſis vero antea legeretur οὐκ αὐτῷ, parua immutatione facta, melius legi putaui οὐχ αὐτῷ: cuius lectionis veſtigium extat in vetere tralatione.

Παραλογιζόμενος, ὥσπερ ἐλέγομεν: οὐ γὰρ ἐκ τῶν ἀναγκαίων δεῖ αὐτὸν μόνον κρίνειν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν εἰκότων: τοῦτο γάρ ἐστι τὸ, γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ κρίνειν.

Deceptus fallaci ratione, vt diximus: non enim vi neceſſariarum propoſitionum ſolum oportet ipſum exiſtimare, ſed etiam vi veriſimilium: hoc enim eſt, quod fertur, ſententia optima exiſtimare.

QVID ſui officij ſit, non intelligit iudex, ſimulq; malitia oratoris in fraudem trahitur: in faciendo enim iudicio de aliqua re, non tantum ſpectare ille debet, ſi neceſſario quiſpiam arguitur peccaſſe, ſed ſi veriſimile eſt: & cum veriſimilia multa concurrunt, liquido eum condemnare poteſt. nam quod aiunt, γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ κρίνειν, nihil aliud eſt, quam cum aliquid certo non tenetur, ſed tamen multis, multiſq; coniecturis adiuuatur, de eo ſententiam ferre. in primo quoque horum librorum, vbi eum, qui teſtibus deſtitutus ſit, inſtruit, idem affirmauit. In vj. vero de moribus ad Nicomachum, quid γνώμη ſit, definijt: inquit enim eſſe directam probi viri exiſtimationem.

Οὔκουν ἱκανὸν ἂν λύσῃ, ὅτι οὐκ ἀναγκαῖον: ἀλλὰ δεῖ λύειν, ὅτι οὐκ εἰκός.

Non igitur ſatis eſt, ſi ſoluerit, docendo non eſſe neceſſarium, ſed ſoluere oportet, docendo non eſſe veriſimile.

FVCVM facit, qui ita purgat reum alicuius criminis: nec quod videtur, vllo modo praeſtat: orationemq; illius iudices attendere non debent, qui cum reus arguitur feciſſe multis veriſimilibus, tantum docet id neceſſarium non eſſe: neq; enim ſatis eſt, id neceſſarium non eſſe oſtendere, ſed planum facere oportet, id veriſimile non eſſe. Exempli cauſa. ſi accuſator quempiam furti reum facit, quod tenebris domi ſuae deprehenderit, occultantem ſe: eumque & pauperem eſſe, & meretricis amore flagrare doceat, non liberat culpa ipſum defenſor, ſi probet potuiſſe eo, inimici hominis impetum fugientem, irrumpere, aut alia quapiam de cauſa: verum oportet plura veriſimilia, quibus purgetur, adferat: nec crimini illi affinis eſſe oſtendatur, quam illa ſint, quibus premitur ac fur eſſe declaratur.

Τοῦτο δὲ συμβήσεται, ἐὰν ᾖ ἡ ἔνστασις μᾶλλον ὡς ἐπιτοπολύ.

Hoc autem continget, ſi fuerit, quo reſiſtitur, magis vſitatum ac frequens.

HOC continget, ſi quod nos, vt argumento illius reſiſtamus, adferimus, frequentius fieri ſoleat: ita namque vis omnis prioris argumentationis diſſoluetur: cum enim in veriſimili illud poſitum ſit: veriſimileq; ſit, quod plerunq; ita fit, ſi oſtendimus rem aliter fieri ſolere, probauerimus profecto illud veriſimile non fuiſſe. Vt ad ſuperius exemplum reuertamur: ſi oſtendimus eum, qui furti reus agitur, ſaepe illuc diuerſo conſilio penetraſſe, aut multo plures, qui noctu domi alicuius deprehenduntur, non furandi animo eo accedere.

Ἐνδέχεται δὲ εἶναι διαυτὴν διχῶς, ἢ τῷ χρόνῳ, ἢ τοῖς πράγμασι: κυριώτατα δὲ, εἰ ἀμφοῖν.

Contingit autem ipſum huiuſcemodi eſſe duobus modis, vel tempore, vel rebus. firmiſſimum autem erit, ſi ambobus rebus vicerit.

FIERI autem poteſt (inquit) vt, quo reſiſtimus huiuſcemodi ſit, ac frequentius fiat. duobus modis, aut a tempore, aut a rebus: a tempore, cum crebro: a rebus, cum plurimae ita fiunt. cum vtrunque coniungitur, tunc maxime ratum eſt, in primiſq; valet: ſi enim frequentius ſic fit, hoc profecto magis veriſimile eſt: & cum firmius ſit, imbecillius illud frangit ac diſſipat. τοιαύτην autem quod inquit, ἔνστασιν intellexit.

Εἰ γὰρ τὰ πλεονάκις, οὕτω, τοῦτ' ἐστιν εἰκὸς μᾶλλον.

Si namque quae frequentius fiunt, ita fiunt, hoc eſt magis veriſimile.

NEC

Nec tamen, quamuis ambo coniungi praestaret, non multum adiuuat demonstrare saepius id, frequentiusq; effici. Respondent autem haec verba superioribus illis. τοῦτο δὲ συμβήσεται, ἐὰν ᾖ ἡ ἔνστασις μᾶλλον ὡς ἐπὶ τὸ πολύ: si namque proximis haererent, videbatur & tempus & res copulari debuisse, cum temporis tantum hic mentio fiat: nisi quis putet, quod alterum significet, defecisse: infra namque: καὶ ἢ τὰ πλείω καὶ πλειονάκις ἄλλως: nihil tamen, quod hanc lectionem adiuuet, inueni: nisi quod in antiquissimo libro πλεονάκις legitur, vt fortasse pars extrema eius verbi, quod desideretur, primaeque consequentis sententiae & voces & syllabae, relictae temere a librario fuerint.

Λύεται δὲ καὶ τὰ σημεῖα, καὶ τὰ διὰ σημείου ἐνθυμήματα εἰρημένα, κἂν ᾖ ὑπάρχοντα, ὥσπερ ἐλέχθη ἐν τοῖς πρώτοις: ὅτι γὰρ ἀσυλλόγιστον ἐστὶ πᾶν σημεῖον, δῆλον ἡμῖν ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν.

Soluuntur autem & signa, & enthymemata, quae signis vtuntur, quamuis res illae fuerint, quemadmodum dictum est initio. nihil enim recte, firmeque cogere signum omne, perspicuum est ex analyticis.

Cum, quomodo occurri posset verisimilibus, iam docuisset: resq; postularet, vt ostenderet dissolui etiam posse signa, & argumenta, quae inde ducuntur: nec ficta tantum signa, sed quae maneant & extent: id enim valet κἂν ᾖ ὑπάρχοντα, si namque notae illae simulatae ac falsae forent, faciliore multo ratione, euidentioreq; occurrendum esset, nec non oporteret viam resistendi illi monstrare, testatur se iam plene hoc effecisse. Nihil autem nunc addit his, quae antea de his rebus disseruit, sed ad ea, quae in primo libro explicata sunt, lectorem reicit. Nam quod omne signum prauam concludendi rationem sequatur, a se in Analyticis libris explicatum ait. Ad extremum autem ij. priorum cumulate id fecit.

Πρὸς δὲ τὰ παραδειγματώδη, ἡ αὐτὴ λύσις καὶ τὰ εἰκότα: ἐάν τε γὰρ ἔχωμέν τι οὐχ οὕτω, λέλυται, ὅτι οὐκ ἀναγκαῖον, ἢ καὶ τὰ πλείω καὶ πλειονάκις, ἄλλως.

Aduersus autem enthymemata, quae constant exemplis, eadem solutio est atque illa, quae adhibetur aduersus verisimilia: si namque habuerimus aliquid, quod non illo modo fiat, solutum est non esse necessarium, vel etiam, si plura illorum & crebrius, aliter eueniunt.

Maior pars meliorq; scriptorum codicum παραδειγματώδη, non παραδείγματα habet: in quibusdam tamen, vt in excusis omnibus, παραδείγματα legitur: lectionem vero illam vetus quoq; tralatio confirmat: sed magis res ipsa ratioq;, diligenter animaduersa, vt enthymemata intelligantur, quae exemplis constent: nisi quis malit, vtrunque ab Aristotele scriptum fuisse, & παραδείγματα, & παραδειγματώδη, vt supra, τὰ σημεῖα dixit, καὶ τὰ διὰ σημείου ἐνθυμήματα: nec non infra, τὰ δὲ τεκμήρια καὶ τεκμηριώδη ἐνθυμήματα. Communem autem dissolutionem habere tradit exempla, & verisimilia: si enim ostendere possumus, quippiam aliter factum, vtranq; argumentationem discussimus: non tamen vera illa, ac firma ratione vsi sumus, sed tantum, quae non parum valeat ad imperitos iudices decipiendos: docuimus enim tantum id necessarium non esse: quamuis etiam maior pars earum rerum, ac frequentius aliter fiat: idest exitum ac finem illum nanciscatur, quem tradidit aduersarius, & longe aliter se plerunq; habeat ac nos demonstrauimus quandoq; contigisse. Verior tamen manifesto ratio est, si plura, ac crebrius, aliter fieri solita ostenditur: ceu siquis non concedendos alicui opulento ciui doceat custodes corporis, significans ea ratione sibi illum astute viam ad dominationem munire: multi enim antea cum libertati imponerent, vanos simulatosq; metus finxere: nec posse se vitam tueri ab insidijs inimicorum, nisi armis illis tectos, falso dixerunt, vt Pisistratus, Athenis: Theagenes, Megaris: alijq; etiam alijs in locis. qui rem disturbare vult, si ostendit quempiam fortunatum virum petijsse in libera ciuitate a populo spiculatores: adeptumq; ipsos vim legibus non attulisse, non parum frangit superius consilium. quod si posset plures afferre, quam sint, ab aduersario enumerati, qui tuti tantum incolumesq; praesidio illo esse voluerunt, & nihil mali cogitarunt, multo magis frangit ac labefactat, quod ille suaserat. Immutaui autem hic quoque lectionem: cum enim excusi antea haberent. καὶ ἢ τὰ πλείω, emendaui, ἢ καὶ τὰ πλείω, vt maior meliorque pars calamo notatorum codicum habet. quae vero sententia ex hac scriptura eliciatur, idonea sane ac plana, antea indicaui. contra autem illa commodum vllum sensum elegantemque non habet: quis enim dubitet, quin si vnum aliquid, quod aliter fiat,

prolatum, dissoluit argumentum ab exemplo ductum, multo magis id praestent, si plura crebriusq; contra fieri atq; vsu venire doceantur? Non oportuit igitur vllo modo id addere, importuneq; prorsus illud hic collocatum fuisset: hoc autem, quod ostendit haec lectio, mirifice quadrat, vel potius necessarium hic est.

Ἐὰν δὲ καὶ τὰ πλείω, καὶ τὰ πλεονάκις οὕτω, μαχητέον, ἢ ὅτι τὸ παρὸν οὐχ ὅμοιον: ἢ οὐχ ὁμοίως, ἢ διαφοράν γέ τινα ἔχει.

Si autem & plura & crebrius ita, pugnandum est, siue quod id, de quo quaeritur, non est simile: siue non similiter gestum: siue vtiq; discrimen aliquod in se continet.

Non oportet omnino deficere animo oratorem, quamuis certiore procliuioreq; via aduersandi facultas ipsi erepta sit: semper enim aliquid restabit, quod arripere possit: si enim inquit, maior pars eorum, frequentiusq; sic fiunt, adhuc pugnandum est, ostendendo negotium, quo de agitur, non esse par, aut non eodem modo geri posse, aut aliquid deniq; discriminis inter hoc, & illud esse declarandum, quod si fiet, exemplum non parum temptabitur: quocunq; enim modo interesse aliquid inter ipsa demonstratum fuerit, dissimilitudo illa non parum valebit ad illud infirmandum: siue modus diuersus sit: siue aliae multae, quae rebus semper haerent, condiciones, ac magnam vim habent exitum ipsarum variandi. Qui vero ostendit, quod exempli loco affertur, simile non esse, penitus illud disiecit: neq; enim expectari potest, res dissimiles ac valde inter se discrepantes, eundem exitum habituras: in hoc autem omne robur exemplorum positum est: hincque illa fidem ducunt, quod earundem, similiumque rerum ijdem exitus plerunque sunt.

Τὰ δὲ τεκμήρια, καὶ τεκμηριώδη ἐνθυμήματα, κατὰ μὲν τὸ ἀσυλλόγιστον, οὐκ ἔσται λύσαι: δῆλον δὲ καὶ τοῦθ' ἡμῖν ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν.

Propriae autem notae, & enthymemata, quae constant ipsis, non poterunt solui, quod non recte concludant: perspicuum autem nobis hoc est ex analyticis.

Non laborant ea parte, qua maxime signa, quaeq; inde ducuntur, enthymemata laborabant, tecmeria, propriaeq; notae argumenta: nullo modo enim signa firma a figura, quam vocant, rationeq; concludendi, sed plena vitiorum sunt: contra tecmeria nihil est, quod aliquis cogitet, se posse eo pacto labefactare. Hoc a se accurate in Analyticis explicatum esse ostendit. Restat igitur non extare illud, quod dicitur, ostendere. Quod si perspicuum est & esse id, & tecmerium fuerit, manus dandum est: nec enim dissolui vlla ratione potest: cuncta namq; iam demonstratione plana facta sunt.

Λείπεται δ', ὡς οὐχ ὑπάρχει τὸ λεγόμενον, δεικνύναι: εἰ δὲ φανερὸν καὶ ὅτι ὑπάρχει, καὶ ὅτι τεκμήριον, ἄλυτον ἤδη γίγνεται τοῦτο: πάντα γὰρ γίγνεται ἀπόδειξις ἤδη φανερά.

Restat autem, vt ostendamus non inesse, quod dicitur. si vero planum fuerit, inesse illud & propriam notam esse, venit iam in eum locum res, vt solui non possit: cuncta enim fiunt demonstratione iam perspicua.

Docet, si argumenta propriae notae temptare volumus, demonstrandum esse notam illam non esse, quod dicitur: atque id, quod comprobandae rei causa sumptum est, falsum esse. illud (inquam) vnde nascitur conclusio. vt si inde, quod lac habeat, peperisse mulierem probare aliquis voluit, declarandum illud non esse lac: erat autem illa enthymematis propositio: si enim id ponatur, conclusio efficitur necessario, vt nihil amplius contra proferri possit. nisi forte illud τεκμήριον non esse ostendatur: idest nisi signum illud rem necessario non consequi demonstretur, sed e genere eorum signorum esse, quae saepe fallunt. Τὸ λεγόμενον, quod ab aduersario esse dicitur: vt si materiem alicubi ardere, ignemq; illic esse, fumum monstrans, dixerit: idque verum non esse probare velimus, negare debemus illum esse fumum, sed exhalationem e terra exortam, aut e fimo, solis radijs tepefacto, excitatam: qui verus fumus non est, quamuis ita, translato inde nomine, appelletur. Antiquissimus liber in hoc discrepat ab excusis & scriptis reliquis codicibus, quod nominandi casu, non dandi, ἀπόδειξις habet: cum quo facit vetus tralatio. Lectio autem haec, si vera est, omnia eo iam peruenisse significabit, vt demonstratio ipsa perspicua certaque sit. Diuerso igitur ita genere ac numero, φανερὰ capere oportebit.

Τὸ

Τὸ δ' αὔξειν καὶ μειοῦν, οὐκ ἔστιν ἐνθυμήματος στοιχεῖον.

Amplificare autem & minuere, non sunt enthymematis elementum.

OMNIBVS iam, quae proposuerat, explicatis, non nulla, quae rudes, imperitosq; fallere potuissent, pertractat: vt bonus enim magister non solum quomodo se res habeat, ostendit: sed ne facile aliquis a vero abduci possit, quae aduersari videantur, refellit. Primum igitur cum amplificandi ac minuendi ratio, quod trium dicendi generum communis sit, videri potuerit communibus argumentorum locis adiungenda fuisse, nequis miretur inter eos a se non coniectam, causam eius rei reddit, docens id factum esse, quod communes loci, qui simpliciter loci & elementa argumentorum dicuntur, ad diuersa enthymemata, alias atque alias res concludentia, vtiles sint, cum hi non nisi ad magnam paruamque rem esse significandam, valeant: vt ceteri quoque, boni scilicet & mali: aequi atque iniqui, proprij loci, qui supra copiose expositi sint.

Τὸ γὰρ αὐτὸ λέγω στοιχεῖον, καὶ τόπον.

Idem enim voco elementum, & locum.

HOC etiam supra iisdem verbis docuit, paulo ante, quam argumentorum sedes poneret. Cum autem quot loci notiones essent, Simplicius in iiij. naturalis auscultationis traderet, hanc etiam non omisit. verba ipsius haec sunt. Καὶ τὰ τῶν ἐπιχειρημάτων ἀποδεικτικῶν ἀφορισμικὰ, τόπους καλοῦμεν.

Ἔστι γὰρ στοιχεῖον καὶ τόπος, εἰς ὃ πολλὰ ἐνθυμήματα ἐμπίπτει.

Est enim elementum & locus, in quod multa enthymemata incidunt.

IDEM nunc illa non esse docet, ostendens quibus rebus inter se discrepent: elementum enim (inquit) siue locum appelles, est, in quod multa incurrunt enthymemata: amplificare ac minuere, enthymemata sunt, quae valent ad aliquid magnum aut pusillum esse, declarandum: vt aliae res sunt idoneae ad comprobandum quippiam bonum aut malum, nec non aequum aut iniquum esse & quodlibet etiam aliud: haec autem sunt (inquit) materies, ex qua syllogismi, enthymemataq; conflantur. Quare addit, si nullum ex his argumenti sedes est, neq; amplificare, ac minuere argumenti sedes & ipsa habenda sunt.

Τὸ δ' αὔξειν, καὶ μειοῦν ἐστιν ἐνθυμήματα πρὸς τὸ δεῖξαι, ὅτι μέγα ἢ μικρόν, ὥσπερ καὶ ὅτι ἀγαθὸν, ἢ κακὸν, ἢ δίκαιον, ἢ ἄδικον, καὶ τῶν ἄλλων ὁτιοῦν.

Amplificare autem, & minuere enthymemata sunt, quae valent ad demonstrandum aliquid esse magnum, aut paruum, quemadmodum & bonum, aut malum, & iustum, aut iniustum, & quodlibet aliorum.

ALIVD est enthymematis elementum locusque, aliud enthymema ipsum: vt enim augere ac minuere, locos esse enthymematum negarat, ita enthymemata esse nunc affirmat: idest enuntiationes quasdam, & proprios augendi conferendique locos: rem autem ita se habere, a simili ducto argumento, probat: vt enim loci quidam proprij inueniuntur, qui bonum malumue quippiam esse confirmant: & alij, qui aequum aut iniquum: nec non, qui honestum aut turpe, ita hi extant, quorum auxilio amplum aliquid aut minutum esse docere possimus.

Ταῦτα δ' ἐστὶ πάντα, περὶ ἃ οἱ συλλογισμοὶ, καὶ τὰ ἐνθυμήματα. ὥστ' εἰ μηδὲ τούτων ἕκαστον ἐνθυμήματος τόπος, οὐδὲ τὸ αὔξειν, καὶ μειοῦν.

Haec autem omnia sunt, in quibus syllogismi, & enthymemata. quapropter, si neque horum aliquod sunt enthymematis locus, neque etiam amplificare, & minuere.

HAEC (inquit) omnia sunt seges & syllogismorum & enthymematum: circaq; haec ipsa haec confirmandi aliquid rationes versantur. intelligit autem res vtiles aut inutiles, ex quibus in deliberandi genere argumenta fiunt, aequas & iniquas, vnde in iudiciali conficiuntur: honestas & turpes, quae stratum ac materia sunt laudationum & vituperationum.

Οὐδὲ τὰ λυτικὰ, ἐνθυμήματος εἶδός τί ἐστιν ἄλλο τῶν κατασκευαστικῶν.

Neque

Neque etiam, quae valent ad soluendum, enthymematis aliqua species sunt, diuersa ab illis, quae valent ad comprobandum.

SED neque enthymemata, quae dissoluunt, omnisq; alia huius rei praestandae ratio, aliud quoddam enthymematis genus, diuersum ab ijs, quae comprobant, habenda sunt: duplex enim ratio est dissoluendi: nam aut demonstrando, aut resistendo dissoluitur. in contrariam autem partem argumentum affert, contrariumq; eius, quod conclusit aduersarius, constituit, qui demonstrando dissoluit: cum autem de argumentis, quae dissoluendi vim habent, seorsum non egisset, rationem sui consilij nunc explicat, & docet id fieri a se non oportuisse. Cum hic in excusis antea legeretur, οὐδὲ τὰ λυτικὰ ἐνθυμήματα εἶδος, secutus fidem antiquiss. libri: quem sequitur etiam vetus tralatio, scripsi ἐνθυμήματος εἶδος: huius autem lectionis ratio certa est: quod enim λυτικὰ inquit, cuncta, quae ad dissoluendum adhibentur, intelligit: vtilis enim multum ad hanc rem est ἔνστασις: quam tamen infra docet non esse enthymema: vnde certam hanc lectionem esse constat. Nec tamen omnino repudianda est altera illa lectio, quae est οὐδὲ τὰ λυτικὰ ἐνθυμήματος εἶδος, & quae sequuntur, vt εἶδος hic vocet idem, quod hac eadem voce significauit in iij. horum librorum, idest rem quandam & naturam distinctam separatamq; ab alijs: & quae constituat formam aliquam. praesertim cum hic infra vsurparit verbum, quod illic etiam cum hoc ipso copulatum est; inquit enim δεῖ δὲ εἶδος τι λέγοντας καὶ διαφορὰν ὄνομα τίθεσθαι. hic vero dicat διαφορὰν, eodem prorsus intellectu capiens. ὥστε αὕτη μὲν οὐκ ἂν εἴη διαφορά.

Δῆλον γὰρ, ὅτι λύει μὲν, ἢ ὁ δείξας, ἢ ὁ ἔνστασιν ἐνεγκών: αὐταποδεικνύουσι δὲ τὸ ἀντικείμενον.

Planum enim est soluere quidem eum, qui siue demonstrauit, siue restitit: contra studium autem aduersarij demonstrant contrarium.

AFFERT rationem, qua probet, quae dissoluunt aliquid, diuersa non esse ab ijs, quae confirmant, enthymemata: docet enim, qui refellit, & ipsum argumento, quod vult, ostendere, cum demonstrat contrarium eius, quod conclusit aduersarius. cum autem vias duas esse tradat, quibus dissoluatur argumentum, aut ratione concludendo, quod repugnet illi, aut opponendo aliquid, quod resistat, repetit, quod non multo ante exposuit, vbi ad hanc rem aggressus est, & de modo dissoluendorum agere coepit: nam verbis etiam paene ijsdem vsus est: quod enim illic ἀντισυλλογίζεσθαι inquit, hic ἀνταποδεικνύναι. Scripsi autem numero multitudinis ἀνταποδεικνύουσι, quamuis supra infraque vnitatis numero vtatur, quia in omnibus scriptis codicibus ita inueni. neque mirum videri debet numerum variasse: de duobus enim loquitur, qui diuersam rationem sequuntur.

Οἷον, εἰ ἔδειξεν, ὅτι γέγονεν, οὗτος ὅτι οὐ γέγονεν: εἰ δὲ ὅτι οὐ γέγονεν, οὗτος ὅτι γέγονεν.

Veluti, si demonstrauit rem factam esse, hic non factam esse: si autem non factam esse: hic factam esse.

EXEMPLI causa, si, qui crimen obiecit, ostendit rem factam esse, quid id falsum probare, atq; ita se purgare nititur, ostendit contra rem factam non esse: aut si, qui prius argumentatus est, demonstrauit rem non factam esse, qui dissoluit, factam illam demonstrat. Quare manifesto intelliguntur eiusdem naturae esse enthymemata: quae falso tamen quibusdam putantur diuersa.

Ὥστε αὕτη μὲν οὐκ ἂν εἴη ἡ διαφορά.

Quare hoc quidem non esset discrimen.

NON eam vim habet, si forte aduersarius ostenderit rem factam esse: tuque contra quippiam afferas, quod non factam probet: siue ille rem non factam comprobarit, tuq; factam arguas, non eam (inquam) vim habet, vt differre faciat inter se genere argumenta: & alia propria eorum sint, qui constituunt: alia eorum, qui euertunt.

Τοῖς αὐτοῖς γὰρ χρῶνται ἀμφότεροι: ὅτι γὰρ οὐκ ἔστιν, ἢ ἔστιν, ἐνθυμήματα φέρουσιν.

Iisdem enim ambo vtuntur: non esse enim, aut esse, argumentis confirmant.

HOC enim manifesto declarat, diuersa haec genera non esse, quod ijsdem ambo vtuntur, confugiuntque vtrique ad enthymemata, quae nunc doceant rem esse, nunc non esse, quod ipsis

ipſis propoſitum eſt, probare ſtudentes. ij certe, qui argumenta argumentis refellunt ac temptant, in contrariam partem aliquid afferunt: rationeque & ipſi rem aut non eſſe, aut eſſe, concludunt.

Ἡ δ' ἔνστασις οὐκ ἔστιν ἐνθύμημα.

Inſtantia autem non eſt enthymema.

CVM alteram partem diſſoluendi, quae in demonſtrando manet, quamuis enthymematibus vtatur, probaſſet, non vti illis diſcrepantibus ab ijs, quae confirmant aliquid, ad alteram nunc tranſit, quae in eo poſita eſt, quod temptant argumenta aduerſariorum reprehendendis illis, atque aliquid obijciendo, quod finem eorum impediat: affirmatq; rationem hanc non eſſe enthymema. quare non poteſt enthymema eſſe diuerſum ab ijs, quae conſtituunt aliquid atque confirmant. Planum igitur, hoc probato, factum erit, rationem omnem diſſoluendi non eſſe genus enthymematis, diuerſum ab ijs, quae κατασκευαστικὰ vocat.

Ἀλλὰ, καθάπερ ἐν τοῖς τοπικοῖς τὸ εἰπεῖν δόξαν τινὰ, ἐξ ἧς ἔσται δῆλον, ὅτι, οὐ συλλελόγισται, ἢ ὅτι ψεῦδός τι εἴληφε.

Sed, quemadmodum in Topicis reſiſtere eſt dicere opinionem aliquam, e qua perſpicuum erit, ratione concluſum ab aduerſario, non eſſe, vel falſum aliquod ipſum ſumpſiſſe.

VALET hic ἐν τοῖς τοπικοῖς, quod ſupra adnotaui, in re topica: planum enim iam factum eſſe arbitror multis exemplis, quae ex hoc libro ſumpta ſunt, hanc vim eſſe huius ſermonis. In commentario quoque, quem ſcripſit de ſimulatis falſiſq; elenchis, hunc modum loquendi ſaepe vſurpauit, vt cum inquit. ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς διαλεκτικοῖς: & ἐν δὲ τοῖς ῥητορικοῖς αἱ κατὰ σημεῖον ἀποδείξεις: nec multo poſt: ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς συλλογιστικοῖς. & alijs etiam in locis. Cicero quoq;, vt opinor, cum in Bruto inquit. » Iſtorum in dialecticis omnis cura conſumitur, » eodem intellectu id verbum cepit: tradit autem nihil aliud eſſe ἔνστασιν, niſi in medium afferre opinionem aliquam ad perſuadendum aptam, qua planum fiat, firmiter concluſum ab aduerſario non eſſe, aut aliquid ſumptum ab probandum, quod falſum ſit: opinionem autem, non propoſitionem appellauit, quia eo nomine vocantur, quae iam ſyllogiſmo, enthymematiue deſtinatae ſunt.

Ὑπὲρ μὲν παραδειγμάτων καὶ γνωμῶν καὶ ἐνθυμημάτων, καὶ ὅλως τῶν περὶ τὴν διάνοιαν.

De exemplis quidem & ſententijs & enthymematibus, & omnino ijs omnibus, quae ad ſenſus, quibus texitur oratio, ſignificandos.

BREVI repetit, quae in poſteriore huius libri parte egit, abſolutis, quae ad motiones animorum pertinebant: moreſque diuerſarum aetatum ac fortunarum indicandos: oſtenditque ſe, quae dicenda exiſtimarit de natura exemplorum & ſententiarum & enthymematum: omninoq; de ijs, quae ad ſenſus animi ſignificandos accommodata ſunt, tradidiſſe. Dicens vero τὰ περὶ τὴν διάνοιαν, generatim omnia ſignificat, quae ad ſenſus animi proferendos, notionesq; pertinent: quae dicendi pars, cum ab artificio quoque poëtarum aliena non ſit, qui tamen magis propria eſt huius diſciplinae, in primo libro de arte poëtarum dicit a ſe hic copioſius eſſe tractatam: lectoremque, & qui ea intelligere cupit, huc reicit. Nolui autem hic a communi lectione, quae in excuſis eſt, diſcedere: quamuis cunctos, quos vidi, ſcriptos codices diſcrepantes ab illis inuenerim: leguntur enim hic quoque ante ſententiam hanc, quae prima conſequentis libri verba ſunt: ita enim habent: ἐπεὶ δὲ τρία ἐστὶν ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον, ὑπὲρ: & quae ſequuntur: eadem etiam vetus tralatio exprimit: id tamen olim negligentia alicuius librarij commiſſum puto, cuius erratum a reliquis poſtea, qui inde exſcripſerunt, animaduerſum correctumque non ſit.

Ὅθεν τε εὐπορήσομεν, καὶ ὡς αὐτὰ λύσομεν, εἰρήσθω ἡμῖν τοσαῦτα.

Vnde adipiſci copiam ipſorum valeamus, & vt ipſa ſoluamus, dicta ſint a nobis tot.

VNDE magnam eorum copiam haurire poſſimus, cum ipſis vti volumus. quod praeſtitit, locos indicans ſedesq; argumentorum, & quemadmodum ipſa diſſoluere, cum contra faciunt & ab aduerſario

aduersario deprompta sunt: non multo enim supra de dissolutione argumentorum egit, ac quae ratio huius rei tractandae foret, docuit. Quod hic in excusis mendose antea legebatur, correxi: muliebri enim genere αὐτὴν habebant, cum meliores scripti αὐτὰ neutro, habeant: cuius etiam lectionis vestigium extat in vetere tralatione.

Λοιπὸν δὲ διελθεῖν περὶ λέξεως, καὶ τάξεως.

Restat differere de elocutione, & oridine.

RESTAT autem nunc (inquit) explicare, quae pertinent ad elocutionem, & ordinem partium orationum: significat enim his verbis, quae materies futura sit tertij libri, antequam ad illum aggrediatur. quod cum absolutum fuerit, vniuersa haec scriptio & ars, absoluta & ad exitum perducta erit. Quiddam, non magni ponderis, hic variaui: cum enim διεξελθεῖν antea excusi haberent, vt in cunctis scriptis codicibus inueni, διελθεῖν, vna tantum praepositione adiuncta verbo, non duabus, immutaui.



PETRI VICTORII DECLARATIONES IN ARISTOTELIS RHETORICES

LIBRVM TERTIVM.

Ἐπειδὴ τρία ἐστὶν, ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον· ἓν μὲν ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται· δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν· τρίτον δὲ πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου.

Quia tria sunt, quae tractari oportet in dicendo, vnum quidem vnde probationes erunt: alterum autem, quod pertinet ad locutionem: tertium vero, quomodo decet collocare partes orationis.



VNCTA, quae tribus his de studio dicendi libris continentur, paucis significat: quibus manifestum fit, nihil ipsum omisisse, quod ad hanc artem tradendam pertineret: nihilque, quod magnopere vtile non esset ac valde requireretur, addidisse: narrat enim quae, vt oratio suas partes habeat ac munere suo fungatur, necessaria sunt: eorum autem partem iam persecutus est: reliqua modo aggredietur, atque accurate explicabit: cum autem tria illa sint, primo exponendo duo libri necessarij fuerunt: duobus reliquis, tertius satis erit: cum enim vere iudicaret probationes maximum pondus habere ad faciendam fidem, accurate diligenterq; ipsas persequutus est: contra ac vulgares dicendi magistri fecerant, qui hanc partem negligebant: nec tamen quomodo dictio ornari, orationisq; partes recte collocari possent, docere contempsit: sed hoc & necessarium esse, & magnas vtilitates afferre posse declarans, summa cura nunc pertractat.

Περὶ μὲν τῶν πίστεων εἴρηται, καὶ ἐκ πόσων, ὅτι ἐκ τριῶν εἰσί, καὶ ταῦτα ποῖα, καὶ διὰ τί τοσαῦτα μόνα.

De probationibus quidem dictum est, & e quot, e tribus inquam constare, atque haec qualia sunt: & cur tot sola.

QVAE ad fidem faciendam, probandumq; aliquid valebant, explicata a nobis sunt, inquit: traditum enim est, quot numero sint, vnde ducantur: declaratumq; tria illa esse: sed etiam cuiusmodi tria illa sint, planum factum est: curq; numerum eum non excedant, verum tria sola sint.

Ἢ γὰρ τῷ αὐτοί τι πεπονθέναι οἱ κρίνοντες, ἢ τῷ ποίους τινὰς ὑπολαμβάνειν τοὺς λέγοντας, ἢ τῷ ἀποδεδεῖχθαι, πείθονται πάντες.

Siue enim, quod illi ipsi, qui existimant aliquo modo sint animo affecti: vel quod quales arbitrantur esse eos, qui dicunt, vel quod demonstratum sit, persuadentur omnes.

HAEC, quae iam copiose diligenterq; tradita sunt, tangit: in primo enim quoque libro tres esse species probationum dixerat, quae dicendi auxilio compararentur: easdemq;, quas hic repetit, enumerauit. Affirmat igitur omnes fidem habere verbis dicentis: persuaderiq;, qui de aliqua re existimaturi sint, aut quia ipsi illi affecti animo aliquo modo sunt, aut quia suspicantur eos, qui dicunt, quales: dignosq; demum, quibus credant, aut quia id, cui assentiuntur, ratione conclusum, argumentoq; demonstratum sit: qua in re non veritas tantum, sed opinio valet: nec enim certae firmaeq; rationes concludendi locum hic solum habent, verum sat est, si huiuscemodi probationes ipsae videantur.

Εἴρηται

Εἴρηται δὲ, καὶ τὰ ἐνθυμήματα πόθεν δεῖ πορίζεσθαι· ἔστι γὰρ τὰ μὲν, εἴδη τῶν ἐνθυμημάτων· τὰ δὲ, τόποι.

Dictum autem est, & vnde oportet comparare sibi enthymemata: sunt enim haec quidem enthymematum species: haec vero, loci.

INDICATVM praeterea est a nobis (inquit) vnde enthymemata oportet promere: magnamque sibi propositionum supellectilem comparare. verum cum silua omnis segesq; argumentorum, non vnius generis sit, sed duorum (sunt enim quaedam, quae appellantur species enthymematum: sunt etiam, quae loci) ambo heec seorsum distincteq; tradita sunt: in primo namque libro formas ipsorum, propriasq; singulorum generum propositiones pertractauit, quae εἴδη appellat. In ij. vero communes omnium sedes, quas locos argumentorum, elementaq; vocat.

Περὶ δὲ τῆς λέξεως ἐχόμενόν ἐστιν εἰπεῖν· οὐ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν, ἃ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀνάγκη καὶ ταῦτα, ὡς δεῖ, εἰπεῖν.

Sequitur autem, vt dicamus de elocutione: non enim satis est habere, quae dicere oportet, sed necesse est etiam haec, vt decet, dicere.

HIS explicatis (inquit) si seriem instituti operis tueri volumus, sequitur, vt, quae ad dicendi optimum genus pertinent, videamus: ordo rerum poscit, vt nunc de elocutione praecipiamus: nam haec etiam pars accurate tractari debet: alioquin frustra in superioribus illis rebus elaborassemus: neque enim satis est magnam aliquam supellectilem sibi comparasse, nisi eam explicare commode magnificeq; possis: non sufficit (inquam) tenere, quae dicenda sunt: sententiasque omnes, quibus vtare, percepisse, verum necesse est haec ipsa eloqui, vt oportet, idest recte, & vt requiri maxime potest. λέξιν quid hic appellet, apertum est: idem scilicet, quod Phalereus ἑρμηνείαν. eodem hoc verbo, in eadem re significanda, vsus est Isocrates in suasione ad Philippum.
» ὥστε μηδένα τὸν λόγον αὐτὸν, μηδὲ τὴν λέξιν ἐπαινεῖν, ὡς ἀκριβῶς καὶ καθαρῶς ἔχουσαν.

Καὶ συμβάλλεται πολλὰ πρὸς τὸ φανῆναι ποιόν τινα τὸν λόγον.

Et prodest hoc multum ad efficiendum, vt oratio sit qualis.

SVNT etiam in oratione verbisq;, quibus animi sensus explanantur, & vitia quaedam & virtutes. quare operam dare debemus, vt vitia declinemus ac virtutes consequamur: non erit autem inutilis haec cura diligentiaq;, sed magnos fructus feret: nam multum facit ad orationem ita conformandam, vt qualem esse oportet, ijs qui audiunt, illa videatur: mitis scilicet, aut verax, aut temperans, ceterisq;, quae causae conducunt, qualitatibus insignita.

Τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐζητήθη κατὰ φύσιν, ὅπερ πέφυκε πρῶτον, αὐτὰ τὰ πράγματα ἐκ τίνων ἔχει τὸ πιθανόν.

Primum igitur quaesitum est, more naturae, quod sane primum natum est, ipsae res, vnde habent, vt valeant ad persuadendum.

QVO dicendi ars ordine inuenta sit, ostendit: vt inde, quae series in tradenda illa teneri debeat, aperiat. Ea vero in re naturae ipsius ordinem seruatum esse, narrat, & primos illos, qui huic studio incubuerunt, sedulo quaesiuisse, vnde res probari possent: quomodoq; illae tractari deberent, vt ad persuadendum accommodatae forent. Primo igitur (inquit) quaesitum est, quod sane re ipsa primum erat, vnde res acquirere possent probabilitatem. Quod vero κατὰ φύσιν dixit, sic crebro locutus est, atque hunc ordinem in suis libris & ipse se libenter sequi ostendit: vt
» in principio libri de arte poëtarum. ἀρξάμενοι κατὰ φύσιν πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων: nec non in com-
» mentario, quo docuit quo modo refellerentur fallaces inanesq; conclusiones. λέγωμεν ἀρξάμενοι
» κατὰ φύσιν ἀπὸ τῶν πρώτων: hanc autem naturae seriem esse apertum est, vt a primis semper, qui praecipit, ordiatur, atque initium omnis rei inde sumat.

Δεύτερον δὲ τὸ ταῦτα τῇ λέξει διαθέσθαι.

Alterum autem est, has elocutione disponere.

CVM primo, vnde res confirmari possent, quaesitum accurate dixerit: secundo loco inquit, studium positum fuisse in rebus, locutione verbisq; explanandis: cum enim iam tenerent, vnde fides adiungi posset rebus, quomodo dici illa commode possent, quaesiuerunt.

Τρίτον

Τρίτον δὲ τούτων, ὃ δύναμιν μὲν ἔχει μεγίστην: οὔπω δ' ἐπικεχείρηται, τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν.

Tertium autem horum est, quod vim quidem ac potestatem habet maximam: nemo tamen adhuc aggressus est ipsum explicare, quod ad actionem pertinet.

TERTIVM autem (inquit) locum obtinet actio: & id omne, quod ad pronuntiationem ipsam facit. siquis continuationem ipsam, seriemq; harum rerum spectet. Id autem magni ponderis esse, magnamque ad persuadendum vim habere, affirmat: non tamen vsque ad ipsius aetatem ab aliquo accurato scriptore temptatum, atque explicatum fuisse. Naturae igitur ipsius ordo in his rebus hic erit, vt primo aliquis quomodo constituat ac probet, quod vult, quaerat: deinde, quae in animo habet: quibusque confirmet, aut refellat, quod vult, quomodo, exponat: quibusque verbis, quomodoque collocatis id faciat: elocutionem enim ornatam puramque esse oportet, quamquam in hoc non elocutionem tantum, sed dispositionem quoque, ordinemque partium orationis videtur posuisse. Tertium autem est & voce & gestu corporis illa adiuuare.

Καὶ γὰρ εἰς τὴν τραγικὴν, καὶ ῥαψῳδίαν ὀψὲ παρῆλθεν.

Nam in tragicam poësin, & epicum carmen sero venit.

MIRVM videri nemini debere ostendit, cur res tam vtilis in soluta oratione tam diu latuerit, nullusq; dicendi magister accurate de ea scripserit: cum ab illis etiam, qui magis ea indigere videbantur, sero cognita sit. hi autem poëtae fuere, & qui fabulas docuerunt, & qui epicum carmen scripserunt.

Υπεκρίνοντο γὰρ αὐτοὶ τραγῳδίας οἱ ποιηταὶ τὸ πρῶτον.

Ipsi enim poëtae primis temporibus tragoedias suas agebant.

IN calamo scriptis, quos vidi, libris, αὐτοὶ τραγῳδίας legitur. quare ita emendaui, cum antea αὐτὰς τραγῳδίας excusi cuncti haberent. Priscis (inquit) illis temporibus histriones non erant, sed ipsi poëtae fabulas suas in theatro recitabant: quod Horatius quoq; in epistola de arte poë-
» tica confirmat. Quae canerent agerentq;, peruncti faecibus ora: nam ipsos poëtas intelligo perungi faece, vnde poëmati illi nomen impositum multi voluerunt, solitos. Id etiam ostendit Plutarchus in vita Solonis, cum ipsum illum sapientem virum, senem iam factum, narrat in theatrum accessisse, ac Thespin poëtam, de quo Horatius, suas fabulas recitantem, non opera ministerioq; histrionum vtentem, vt mos erat eorum temporum, illic spectasse: inquit enim.
» ἐθεάσατο τὸν Θέσπιν αὐτὸν ὑποκρινόμενον, ὥσπερ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς.

Δῆλον οὖν, ὅτι καὶ περὶ τὴν ῥητορικήν ἐστι τὸ τοιοῦτον, ὥσπερ καὶ περὶ τὴν ποιητικήν.

Perspicuum igitur est in ratione dicendi esse huiuscemodi aliquid, quemadmodum etiam in studio poëtarum.

NEC tamen, quod affirmamus nos (inquit) incredibile alicui videri debet, actionem in studio oratoris, vt poëtae, inueniri: planum enim est in dicendo quoq; huiuscemodi quiddam esse, quale est in arte poëtarum: τοιοῦτον enim appellat, quod idem hic efficiat, quod illic histrionum ars: eandemq; vim habeat. perspicuum autem hoc esse inquit, propter similitudinem harum artium: mores namq; in orationibus & affectiones animi, non secus atque in poëmatibus, exprimuntur, in quibus omnis elucere actio solet. Qua autem in re actio maneat, ipse diligenter exponit: nam Cicero quoq; in iij. libro de Oratore, hoc ab oratoribus praetermissum
» queritur. Haec eo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius
» actores, reliquerunt: imitatores autem veritatis histriones, occupauerunt.

Ὅπερ ἕτεροί τινες ἐπραγματεύθησαν, καὶ Γλαύκων ὁ Τήϊος.

Quod sane alij quidem tractarunt, & Glauco Teius.

INTELLIGIT, quod ad poëticam artem pertinet: de eo enim studiose multi egerunt, deque ea libros confecerunt, vt Glauco quoque quidam Teius.

Ἔστι δὲ αὕτη μὲν ἐν τῇ φωνῇ, πῶς αὐτῇ δεῖ χρῆσθαι πρὸς ἕκαστον πάθος.

Est autem haec quidem in voce, quomodo ipsa decet vti ad singulas animi motiones.

Haec autem actio in voce versatur, in eaq; artificium ac studium omne suum consumit: quomodo scilicet ipsam tractare ac mutare oporteat ad singulos animi motus exprimendos: vt enim illi variantur, ita & vocem distinguere oportet. Cum auté hic manifesto Aristoteles in voce sola manere actionem velit, Cicero corporis motũ addidit: constare namq; illam, & voce, & motu dixit: ad actionis tamen vsum atq; laudem maximam sine dubio partem vocem obtinere confessus est. quod autem ad ea, quae nunc aguntur, hic valet, hanc omnem rem erudite ipse, diligenterq; in iij. libro de Oratore tractauit, ac pulcherrimis exemplis illustrauit. quare studiosos hortor, vt locum illum, ad ea, quae nunc breui hic traduntur, explananda, valde accommodatum, legant. Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumat, acutum, incitatum, crebro incidens: & quae sequuntur.

Οἷον πότε μεγάλῃ, καὶ πότε μικρᾷ, καὶ πότε μέσῃ.

Veluti, quando magna, & quando parua, & quando media.

Dandi casu haec verba perspicuum est legi debere, vt superiori voci αὐτῇ respondeant: nominandi tamen antea in excusis omnibus perperam legebantur. Cum autem in voce magnitudo exiguitasq; spectentur, & sonores ipsi: nec non celeritas & tarditas, haec etiam distinguit accurate: docetq; actionem in hoc manere atq; huic rei vtilem esse, vt cum res requirit vt magna vox adhibeatur, id ab oratore fiat: vt cum parua etiam, id ab eo custodiatur: eodemque pacto, cum opus est, media quaedam vox ab eo teneatur. Quod autem ad tria haec, quae hic in voce considerantur, pertinet, illa etiam Cicero in iij. de Oratore ad Q. fratrem adnotauit, cum inquit (alium tamen ordinem in illis enumerandis sequens) Acuta, grauis: cita, tarda: magna, parua: quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris: non tamen hic Aristoteles celerem, tardam, mediamq; vocem appellauit (quod vocis numerorum mensuraeque est) sed nomine, quod illa complectitur, vsus est.

Καὶ πῶς τοῖς τόνοις. οἷον ὀξείᾳ, καὶ βαρείᾳ, καὶ μέσῃ.

Nec non, quomodo intensionibus. ceu acuta, graui, & media.

Quid tonus vocis sit grammatici quoq; docent. aliunde autem translata vox est, & a chordis sumpta: quod Cicero quoq; indicat in iij. libro de Oratore. Nam voces vt chordae, sunt intentae, quae ad quemcunq; tactum respondeant: tribus autem modis illa variatur, cum aut contenditur, aut remittitur, aut mediocritatem quandam inter haec duo retinet: primum sonum, acutum: secundum, grauem: tertium mediumq; inter illos, flexum appellarunt: cum muliebri autem genere, ὀξεία, & βαρεία, & μέση vsus sit, intellexit φωνῇ, aut προσῳδίᾳ: neq; enim respondent ea nomina antecedenti verbo, quod virilis generis est.

Καὶ ῥυθμοῖς τίσι πρὸς ἕκαστα.

Et numeris quibus, ad singulas.

Quibus etiam rhythmis numerisq; ad singulas animi commotiones vti deceat. nam numeri quoque variandi sunt: nec tantum magnitudo vocis, ac sonus, commutanda: non paruam enim vim habent ad excitandos motus in animis hominum, eosdemq; sedandos ac componendos celeritas pedum, ac tarditas: hi enim pedes, perturbant mirifice animum: hi contra, tranquillant: quod Hermogenes docet multis locis, cum ostendit hanc, aut illam formam dicendi speciemq; suos quosdam, sibique aptos, numeros postulare: & Plutarchus in libro, qui inscribitur ἐρωτικός, de furore, quo corriperentur & Liberi patris, & Cybeles sacerdotes, loquens: inquit enim tripudia illa & rhythmo & cantus genere mutato, sisti: relicto scilicet trocheo pede, & Phrygio modo.

Τρία γάρ ἐστι, περὶ ὧν σκοποῦσι.

Tria namque sunt, de quibus quaerunt.

Qui ὑποκριτικὰ tractant, vt puto, ac de studio, quod videtur esse proprium histrionum, libros scribunt. Tria sunt (inquit) de quibus quaerunt, quaeq; studiose animaduertunt. In antiquissimo libro varietatis hoc est, quod περὶ ἃ accusandi casu, non generandi habet: eam quoq; lectionem sequitur vetus tralatio. sensus, vt opinor, ipsius hic erit: in quibus quaerendis occupati sunt: circa quae omni cogitatione versantur.

Ταῦτα δ' ἐστὶ μέγεθος, ἁρμονία, ῥυθμός.

Haec autem sunt, magnitudo, concentus, numerus.

MAGNITVDINEM quid appellet, apertum est: neq; enim tantum magnitudinem vocis intelligit, sed & exiguitatem & mediocritatem ipsius. harmoniam vocat intentionē remissionemq; vocum, vel aptam potius quandam illarum mensuram, concentumque, qui inde efficitur. Rhythmi in ordine celerum tardorumq; sonorum ac vocum: earumq; inter se proportione, constituti sunt. Ijs autem nominibus & ordinem motus, & temperamentum acuti & grauis, in vocibus appellari, testatus quoque est Plato in ij. libro de legibus: haec enim eius verba
» sunt. τῇ δὲ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη: τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς τοῦ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος συγκεραννυμένων,
» ἁρμονία ὄνομα.

Τὰ μὲν οὖν ἆθλα σχεδὸν ἐκ τῶν ἀγώνων οὗτοι λαμβάνουσι.

Praemia igitur e forensibus contentionibus, hi fere capiunt.

QVANTVM tribuat actioni, hinc facile perspicitur, cum tradat eos, qui recte agere potuerint, victores fere semper ex oratorijs contentionibus certaminibusq; discedere, ac praemia demum inde reportare. Cicero in iij. de Oratore, cum & ipse quantam vim habeat actio doceret, ac suis laudibus ipsam ornaret, protulit, quod huic Aristoteleae sententiae mirifice concinit.
» Sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris, hac instructus, summos sae-
» pe superare: in Oratore praeterea paene modum eundem loquendi expressit, scribens. Nam &
» infantes, actionis dignitate, eloquentiae saepe fructum tulerunt: aliunde tamen verba sumpsit Aristoteles, cum ambo μεταφορικῶς locuti sint: a certaminibus namque gymnicis ad forenses concertationes illa transtulit: & victoriam, quam consequuntur de aduersarijs oratores, praemiaq;, nomine illo appellauit, quo vocari solerent, quae victoribus eorum ludorum darentur.

Καὶ καθάπερ ἐκεῖ μεῖζον δύνανται νῦν τῶν ποιητῶν οἱ ὑποκριταί.

Et quemadmodum illic maius nunc valent actores, quam poetae ipsi.

ET vt illic inquit: idest in fabulis scriptisq; poëtarum, plusquam poetae, valent histriones, sic in ciuilibus contentionibus, quod fit vitio ac culpa rerumpublicarum, quae corruptae sunt, ac multis vndique mendis scatent. nam in optimo reipublicae statu haec incommoda nasci non possunt: spectantur enim res illic, non verba & artificia oratorum attenduntur. Hoc autem, quod de actoribus fabularum narrat, verum esse, declarauit etiam Terentius in prologo Phor-
» mionis, cum inquit, contra veterem poetam, quem accusat. Quod si intelligeret, cum stetit
» olim noua, Actoris opera magis stetisse, quam sua, Minus multo audacter, quam nunc laedit, laederet. Quod ab excusis vero libris aberat, aduerbium temporis, restitui: in antiquissimo enim libro legitur, & a vetere quoque tralatione expressum est. Nunc autem, postquam adhiberi scilicet coepti sunt, ac summi artifices eius artis extiterunt: cum antiquitus in vsu nullo forent.

Καὶ κατὰ τοὺς πολιτικοὺς ἀγῶνας, διὰ τὴν μοχθηρίαν τῶν πολιτειῶν.

Ita quoque in ciuilibus contentionibus ob vitium rerumpublicarum.

QVAE haec antecedebant οὕτω δηλονότι, verba sustuli. in manu namque scriptis codicibus non inueni, & scholion esse arbitratus sum: cum enim quidam foris intelligi debere οὕτω adnotasset (est enim non omnino frequens atq; vsitata locutio) imperitus aliquis librarius (vt puto) in ordinem verborum auctoris transtulit: alijs tamen in locis Aristoteles ita locutus est, vt in libro περὶ ἑρμηνείας. Καὶ ὥσπερ οὐδὲ γράμματα πᾶσι τὰ αὐτά, οὐδὲ φωναὶ αἱ αὐταί: nam illic etiam οὕτω intelligitur. Ciuilium autem contentionum nomine complectitur, & forenses causas, & deliberationes de republica habitas in senatu, aut apud multitudinem.

Οὔπω δὲ σύγκειται τέχνη περὶ αὐτῶν: ἐπεὶ καὶ τὸ περὶ τὴν λέξιν, ὀψὲ προῆλθεν.

Nondum autem composita est ars de ipsis: nam id quoque, quod facit ad elocutionem, sero prodijt.

QVAMVIS haec res, actio inquam, tot tantasque vtilitates in se habeat, nondum tamen tradita exquisite est: nec quisquam de ipsa artem confecit. nec tamen (inquit) mirari debemus: nam & ea, quae locutionem excolunt praecepta, sero in lucem venerunt: post multaque saecula, quibus haec res in aliquo vsu fuit, perpoliri ornarique coepta est, cum veteres rudi atque incondita oratione vterentur, sensusque animi verbis indicare satis haberent: est autem hoc commune omnium artium; neque enim simul & inuentae & perfectae sunt.

Καὶ δοκεῖ φορτικὸν εἶναι, καλῶς ὑπολαμβανόμενον, ἀλλ᾽ ὅλης οὔσης πρὸς δόξαν τῆς πραγματείας, τῆς περὶ ῥητορικὴν, οὐκ ὀρθῶς ἔχοντος, ἀλλ᾽ ὡς ἀναγκαίας τὴν ἐπιμέλειαν ποιητέον.

Ac videtur importunum insolensq; esse, recte ponderatum: verumtamen, cum omne hoc studium dicendi referatur ad opinionem, non de ipso, vt recte se habente, sed vt necessario, curam suscipere oportet.

VTILITATE totius rei exposita, naturam eius nunc explanat: ac, non quid fiat, sed quid fieri oporteret, considerat. & sane (inquit) si vere iudicare volumus: vimq; ipsius subtiliter animaduertere, tota res leuis ac ridicula est: verumtamen, cum omne hoc studium dicendi ad opiniones hominum accommodetur, non ad veritatem scribatur, diligentiam in eo adhibere debemus, non vt recto honestoq;, sed vt necessario, & quod praetermitti sine magno damno non possit: si enim cuncta, quae vitium aliquod habent, ab hac arte remouenda forent, non parua ipsius pars, quae ad sensus hominum consuetudinesq; pertinet, amputanda foret.

Ἐπεὶ τό γε δίκαιον, μηδὲν πλέω ζητεῖν περὶ τὸν λόγον, ἢ ὡς μήτε λυπεῖν, μήτε εὐφραίνειν.

Quia iustum erat nihilo plura quaerere de elocutione, quam vt, neque dolorem ijs, qui audiunt, neque laetitiam afferremus.

NAM si vere agere, & vt directa ratio postulat, vellemus, nihil aliud indagare circa orationem deberemus, nisi vt ijs, qui audiunt, nec molestiam, nec gaudium afferremus: hoc enim aequum fuerat, naturaq; huius rei hoc contenta erat. Locus hic omnis satis apertus est, & in prima primi libri parte copiose diligenterq; explicatus.

Δίκαιον γὰρ αὐτοῖς ἀγωνίζεσθαι τοῖς πράγμασιν. ὥστε τἆλλα ἔξω τοῦ ἀποδεῖξαι, περίεργά ἐστιν.

Iustum enim est contendere rebus ipsis. quapropter cetera omnia, praeter probationes, superuacanea sunt.

OPORTET enim (inquit) cum aduersario congredi rebus ipsis fidentem oratorem, atque illarum praesidio vtentem. quare cuncta alia, si hoc sine fraude fieri debet, excepta ipsarum probatione, superuacanea sunt: hoc solum necessarium est. Ἀγωνίζεσθαι valet, contendere ac proeliari. rebus in certamen venire: hoc enim aequum est, non adhibitis omnibus insidijs ac lenocinijs orationis, iudices deprauare.

Ἀλλ᾽ ὅμως μέγα δύναται καθάπερ εἴρηται, διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν.

Verumtamen multum valent, vt dictum est, ob vitium eius, qui audit.

VERVM (inquit) quia non in Platonis politia: neq; in integro aliquo atq; incorrupto ciuitatis statu, ad quos verba facit, educati sunt, hae fallaciae oratorem adiuuant, & multum valet praeclara ipsius actio: quemadmodum enim siquis vere agere voluisset, ac ne digitum quidem a recto discedere, illa omitti debuere, ita his moribus valde prosunt. Μοχθηρία valet hic (nisi fallor) non prauitatem animi, ad omne facinus parati, sed vitium potius naturae, quae mala consuetudine deterior facta sit, ac sinat se a vero abduci.

Τὸ μὲν οὖν τῆς λέξεως ἔχει τι μικρὸν ἀναγκαῖον ἐν πάσῃ διδασκαλίᾳ.

Elocutio igitur habet in se quiddam pusillum necessarium in omni re docenda.

IN calamo scriptis melioris notae, ὅμως praeterea legitur: quod ab excusis omnibus libris abest: ita enim habent. τὸ μὲν οὖν τῆς λέξεως ὅμως ἔχει: vetus tamen tralatio ipsum non exprimit: suspicarique aliquis fortasse posset e superiore loco (nam eodem aduerbio paulo ante vsus fuerat) huc delapsum: importuneque repetitum. Sententiam mihi tamen non nihil adiuuare videtur: ita enim planius respondebit ei, quod supra protulerat, cum inquit, omnia alia, praeter rerum confirmationem, superuacanea esse ac nullo modo necessaria. vt nunc, tamquam sententiam illam moderans ac leuiter corrigens, addat: quod ad dicendum tamen pertinet, habet quiddam necessarium in qualibet disciplina: contra illos autem disserit, qui plebeio atque incondito sermone vtebantur, & omnia ornamenta orationis contemnebant: poscit

enim (inquit) non nihil diligentiae oratio, quamcunq; artem tractes, vt quod sine aliquo incommodo praetermitti non possit.

Διαφέρει γάρ τι πρὸς τὸ δηλῶσαι, ὡδὶ, ἢ ὡδὶ εἰπεῖν.

Interest enim quiddam ad id, quod traditur, declarandum, ita, vel ita dicere.

Non ad alliciendos animos tantum eorum, qui audiunt vtile est polite eloqui: verum etiam ad rem explanandam aliquantulum refert, quibus verbis vtare, & hoc aut illo modo dicas. vt autem in bene instituta ciuitate posset impune contemni, si ad captandos tantum animos eorum, qui audiunt valeret, ita si ad sensa animi indicanda non parum prodest, illic etiam in honore haberetur: quod autem supra inquit, in omni doctrina necessarium quiddam eam habere, docuit
» id Cicero copiose in Oratore, quo declarato inquit. Quod si in philosophia tantum interest
» quemadmodum dicas, vbi res spectantur, non verba penduntur. & quae sequuntur.

Οὐ μὴν τοσοῦτον, ἀλλ' ἅπαντα φαντασία ταῦτά ἐστι, καὶ πρὸς τὸν ἀκροατήν.

Non tamen tantum, sed cuncta haec phantasia, & ad eum, qui audit, referuntur.

Non tamen tantum interest in ceteris artibus ac disciplinis, quantum in studio dicendi: nisi potius τοσοῦτον valet magnum aliquid (nec enim plane perspicitur, cum quo id conferat) vt affirmet adiuuare sane id non nihil, non tamen eximium aliquid atque ingentis ponderis praestare. causa vero eius est, quod huiuscemodi omnia, si vere quaeras, non ad docendum faciunt, sed ad speciem assumuntur, & ad auditorem ipsum referuntur, qui non ita in alijs, vt in dicendi arte, respicitur. φαντασία ἐστιν, valet non suapte natura vim habent, sed ex opinionibus hominum penduntur. πρὸς ἀκροατήν vero: idest auditoris gratia requiruntur, & eius oblectandi conciliandique sibi causa captantur, non ad rem ipsam explanandam, artemue tradendam necessaria sunt.

Διὸ οὐδεὶς οὕτω γεωμετρεῖν διδάσκει.

Quare nemo hoc pacto geometriam docet.

Hoc autem inde quoque intelligi potest (inquit) quod nemo vmquam geometriam ita docere instituit: idest in rebus illis tradendis huiuscemodi verborum lenocinia persecutus est: illa enim omnia ad ipsius intelligentiam superuacanea sunt: vtitur autem hoc tamquam signo quodam & argumento, quod superior sententia vera sit: huiuscemodi scilicet omnia studiose in oratione adhiberi conformandorum eorum, qui audiunt causa.

Ἐκείνη μὲν οὖν ὅταν ἔλθῃ, ταὐτὸ ποιήσει τῇ ὑποκριτικῇ.

Illa igitur, quando prodierit, idem faciet, quod ars histrionum.

Ars ea cum prodierit, quae nondum sane inuenta est, sed cum tot vtilitates in se habeat, aliquando prodeat necesse est, ars inquam, quae instruat oratores, & doceat quomodo voce ac gestu vti debeant, idem in studio dicendi efficiet, quod ars histrionum in fabulis agendis facit. ἐκείνη igitur, τέχνη, non λέξις: nam dictio ornata multo ante in lucem venerat. & si sero ea quidem, vt manifesto ipse tradidit. quare haec non desiderabatur: ὑπόκρισις, quae doceret quomodo oratores vultum conformare, gestus corporis agere, vocem intendere aut submittere deberent, desiderabatur.

Ἐγκεχειρήκασι δὲ ἐπ' ὀλίγον περὶ αὐτῆς εἰπεῖν τινες. οἷον Θρασύμαχος ἐν τοῖς ἐλέοις.

Aggressi autem sunt non nulli de ipsa praecipere, sed parum attigerunt, veluti Thrasymachus in misericordia excitanda.

Coeperunt vtiq; non nulli (inquit) non nihil de ea praecipere, & tamquam manus huic operi admouere, qui tamen parum effecerunt. vt Thrasymachus in miserationibus: nam illic magis actio requiri videbatur: Thrasymachum autem Chalcedonium intelligit, primis illis temporibus magni nominis sophistam, cuius & Plato in sermonibus suis, & Cicero in Oratore saepe mentionem fecerunt.

Καὶ ἔστι φύσεως τὸ ὑποκριτικὸν εἶναι, καὶ ἀτεχνότερον: περὶ δὲ τὴν λέξιν, ἔντεχνον.

Et est naturae munus ad agendum procliuem esse, & paene remotum ab arte. quod autem ad elocutionem pertinet, particeps est artis.

VOCE autem ac gestu aliquos imitari, res est, quam a natura habemus: multi enim inueniuntur, qui sine vllo magistro praeclare hoc faciunt, nec arte indigent, a praeceptore tradita: quae autem ad orationem excolendam valet, artis est particeps. Actionis hic rationem ab elocutionis artificio distinguit: illam enim sine arte modice tractari posse tradit, & a natura ipsa proficisci. hanc participem artis, & studio ac diligentia ab hominibus comparari affirmat. Appellat autem περὶ δὲ τὴν λέξιν, quod ad orationis ornatum pertinet, vt supra locutus est, cum inquit. καὶ τὸ περὶ τὴν λέξιν ὅτι προὔργου. quod vero illud ἄτεχνον esse dicit, in arte positum intelligit: nec ortum a natura habere vult.

Διὸ καὶ τοῖς τοῦτο δυναμένοις γίγνεται πάλιν ἆθλα, καθάπερ καὶ τοῖς κατὰ τὴν ὑπόκρισιν ῥήτορσιν.

Quare & ad hos, qui vim, ac potestatem huius rei habent, perueniunt rursus praemia, quemadmodum & oratoribus beneficio actionis.

QVARE (inquit) qui hanc facultatem habent excolendi orationem, ornateque ac polite dicendi, victores & ipsi e certaminibus discedunt: palmamq; inde reportant. vt illi etiã, qui actione valent, conformareq; vocem ad res fingendas, atq; imitandas possunt. quod proprium est artis histrionum: id enim significare voluit, cum inquit πάλιν: quod tamen vt apertius faceret, addidit. καθάπερ καὶ τοῖς καθ' ὑπόκρισιν ῥήτορσιν: ijs namque verbis magis id explanauit.

Οἱ γὰρ γραφόμενοι λόγοι μεῖζον ἰσχύουσι διὰ τὴν λέξιν, ἢ διὰ τὴν διάνοιαν.

Orationum enim scriptarum maiores vires sunt propter locutionem, quam propter sententiam.

QVANTA vis sit exornatae locutionis, docet, vt confirmet verum esse, quod dixerat, praemium ferre, qui orationem excolere potuerint: cum enim sciret a disertis hominibus scriptas domi orationes in honore haberi, atq; alijs praestare existimari, affirmat magnam partem gratiae ac laudis, quam obtineant, ducere ipsas ab ornatu sermonis. Hoc autem multorum auribus mirum videri potuit, qui sententias, quibus omnis probandi ac suadendi ratio continetur, minus aliquanto, quam verba valere non crederent. nihilominus (inquit) ea vis excultae dictionis est. vt magis ornatu ipso verborũ, quam sententijs, orationes multae, valde probatae, vigeant.

Ηρξαντο μὲν οὖν κινῆσαι τὸ πρῶτον, ὥσπερ πέφυκεν, οἱ ποιηταί.

Coeperunt autem mouere primo, quemadmodum natura huius rei ferebat, poëtae.

VT rei natura poscebat, poëtae primi huic studio incubuere, & auctores conformandae locutionis extitere, atq; initium demum huic rei praebuerunt: id enim valet ἤρξαντο κινῆσαι. Plutarchus in Solone, cum de ortu tragoediae, ipsiusq; inuentore Thespide loqueretur, ita & ipse locutus est. ἀρχομένων δὲ τῶν περὶ τὸν Θέσπιν ἤδη τὴν τραγῳδίαν κινεῖν. Quod vero addidit ὥσπερ πέφυκεν, intellexit, vt consentaneum erat, & naturae ordine fieri debebat. cuius rei causam ipse reddit: cum enim nomina, & quae ex his constat oratio, rerum imago sit, poëtas dicit, qui se ad imitandi studium dederant, in excolenda locutione, quo melius scilicet imitarentur, primum laborasse.

Τὰ γὰρ ὀνόματα μιμήματά ἐστιν.

Nomina enim sunt ad imitationem ficta.

NOMINA enim (inquit) sunt simulacra quaedam & res imitatione simulatae. Hoc etiam Plato in Cratylo affirmauit: qui tamen vberius rem exposuit. ὄνομα ἄρ' ἐστιν, ὡς ἔοικεν, μίμημα φωνῆς ἐκείνου, ὃ μιμεῖται καὶ ὀνομάζει, ὁ μιμούμενος τῇ φωνῇ, ὃ ἂν μιμῆται: summi autem ingenij & praeclarae eruditionis, Democritus Abderites, nomina vocales imagines rerum appellare consueuerat, vt tradit interpres Platonis Olympiodorus in Philebum, cum rationem afferret, cur tantopere veneraretur Socrates nomina deorum immortalium, vt leuiter etiam illa immutare nefas arbitraretur. an inquit, quia iam pridem rebus sua nomina dicata & consecrata sunt: quare flagitium est commouere, quae commoueri non debent: vel quia natura, vt Plato ipse in Cratylo disseruit, rebus ipsis accommodata sunt: vel (verba autem ipsius Graeca adponemus, quae tamen supra expressimus) ὅτι ἀγάλματα φωνήεντα καὶ ταῦτα ἐστὶ τῶν θεῶν, ὡς Δημόκριτος.

Ὑπῆρξε δὲ καὶ ἡ φωνὴ πάντων μιμητικώτατον τῶν μορίων ἡμῖν.

Vox autem est in nobis quiddam, quod maximam vim habet ad imitandum omnium partium, quae sunt in nobis.

QVAMVIS (inquit) toti ad imitationem a natura facti simus, & multis partibus corporis imitemur, tamen nihil habemus, quo melius, quam vocem, hoc praestare possimus: vox enim vincit alias omnes partes imitando quodcunq; nobis visum est. primas etiam Cicero voci semper dedit: in iij. enim libro de Oratore. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet: & post. Ad actionis autem vsum atque laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet: quamuis non solam illam hoc efficere tradiderit, vt fecisse supra videtur Aristoteles, qui id, quod praeter alia omnia id praestabat, tantum appellauit. sensum autem hunc animi eius fuisse hinc etiam intelligere licet.

Διὸ καὶ αἱ τέχναι συνέστησαν, ἥ τε ῥαψῳδία, καὶ ἡ ὑποκριτική, καὶ ἄλλαι γε.

Quare & artes conflatae sunt, rapsodorum inquam vocata, & histrionum, & aliae vtique.

AB eodem fonte capiteq; artem agendi, in vocis moderatione praecipue positam, profectam vult: quae tamen vsq; ad ea tempora in poëtarum studio mansisset: ab eadem nempe imitandi industria: cum videlicet ipsa vox, quae primas in actione tenet, maxime ex ijs, quae in nobis partes sunt, ad imitandum facta sit, recitandi & agendi artem tradit ortam. Cuius etiam plura genera fuisse apud poëtas commemorat: atque in ipsis ῥαψῳδικὴν & ὑποκριτικήν: quarum altera in tragoedijs & comoedijs, dramaticisque demum poëmatibus recitandis: altera in carminibus epicis versabatur.

Ἐπεὶ δὲ οἱ ποιηταί, λέγοντες εὐήθη, διὰ τὴν λέξιν ἐδόκουν πορίσασθαι τήνδε τὴν δόξαν, διὰ τοῦτο ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο λέξις. οἷον ἡ Γοργίου.

Quia autem poëtae, res futiles edentes, ob locutionem videbantur comparasse sibi hanc gloriam, ob hoc poëtica prima extitit. veluti, qua Gorgias vsus est.

CVR, qui primum orationem excolere coeperunt, & ornate dicere conati sunt, poëticam locutionem probarint, & omnes flosculos sermonis arripuerint, docet: nam peccasse illos constat: quae tamen res in errorem induxerit, quaerenda fuit. Priscis igitur (inquit) illis temporibus, cum qui tractare primum has res coeperunt, secum cogitarent, quo potissimum sermone deberent vti, vt multitudini placerent: viderentq; poëtas in magno honore haberi, qui tamen futiles & insulsas sententias plerunque efferrent, & res inanes commenticiasq; canerent, existimarunt eos, ob dictionem phrasinq; illam suam, tantam sibi gloriam comparasse. quare operam dederunt, vt ipsi quoq; ita dicerent: & haec causa est, cur poëtica elocutio in vsu quondam oratorum fuerit. Εὐήθη autem manifesto legi debet, quamuis & in excusis & in scriptis quibusdam libris perperam ἀήθη legatur: hanc enim veram lectionem esse docet, & auctoritas optimorum codicum, & res ipsa diligenter animaduersa. Significare autem εὐήθη insulsa quaedam, planum est. Hoc ipso in libro post Aristoteles. διὸ καὶ τὰ ὑποκριτικά, ἀφῃρημένης τῆς ὑποκρίσεως, οὐ ποιοῦντα τὸ αὑτῶν ἔργον, φαίνεται εὐήθη. Figmenta vero poëtarum nuda, ac numeris ceterisq; ornamentis spoliata, quae ipse μουσικῆς χρώματα appellat, inania plerunque esse, nec respondere gloriae ipsorum, significauit apud Platonem Socrates in x. libro politiae, quam sententiam videtur expressisse Isocrates in Euagora his verbis. καταμάθοι δ' ἄν τις ἐκεῖθεν τὴν δύναμιν αὐτῶν· ἢν γάρ τις τῶν ποιημάτων τῶν εὐδοκιμούντων, τὰ μὲν ὀνόματα, καὶ τὰς διανοίας καταλίπῃ, τὸ δὲ μέτρον διαλύσῃ, φανήσεται πολὺ καταδεέστερα τῆς δόξης, ἧς νῦν ἔχομεν περὶ αὐτῶν: eodem paene pacto Cicero locutus est, cum quae res Isocratem induxerit, vt numeros tantopere amplexaretur, exponeret. Cum enim videret (inquit) oratores cum seueritate audiri: poetas autem cum voluptate, tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione vteremur. Videbantur igitur poetae, adiuti a dictione, ac beneficio denique ipsius tantum honorem sibi ac gloriam comparasse, qnod ea, longe diuersa a consuetudine vterentur, atque ipsam egregie expolitam, atque omnibus festiuitatibus ornatam haberent: & haec causa (inquit) fuit, cur prima dictio poetica fuerit: primam autem vocat, non qua rudes homines primum vti coeperunt, sed qui operam huic studio dabant, & dicendo clari fieri studebant. Nam Gorgiam ipsum Leontinum sic locutum esse constat. Cicero saepe hoc testatur, vt in Oratore etiam his verbis. Gorgias autem auidior est generis eius, & his festiuitatibus (sic enim ipse censet) insolentius abutitur: copiose autem Dionysius in vita Lysiae: qui etiam tradit, cum hoc vitium infecisset non nullos quoque Atticos oratores, existimasse Timaeum illud a Gorgia fluxisse, qui cum Athenas orator venisset, in contione, quam ad populum habuit,

cunctos nouitate orationis perculit. Idem etiam Halicarnasseus, quibus in rebus poëtica haec tropicaq; locutio, quemadmodum ipse eam appellat, sita sit, accurate exponit.

Καὶ νῦν ἔτι οἱ πολλοὶ τῶν ἀπαιδεύτων τοὺς τοιούτους οἴονται διαλέγεσθαι κάλλιστα.

Et nunc quoque multi, imperiti homines, huiuscemodi omnes putant dicere pulcherrime.

FIRMAS radices egisse in dicendi genus errorem illum, qui a Gorgia, veteribusq; illis sophistis exortus erat: nec facile extirpari potuisse, ostendit: nam plurimos etiam sua tempestate fuisse narrat, qui palmam his tribuerent, qui, vt antiqui oratores, dicerent: eosq; arbitrarentur optimo genere dicendi vti: hi tamen rudes sunt, nec bonis artibus animum excultum habent. quare mirum non est eos tantopere falli, & in explosa iam sententia adhuc permanere. Restant (inquit) adhuc multi imperiti homines, cum plurimi tamen vitium illius agnouerint, & a se longe abiecerint, qui putant eam vsurpantes, pulcherrime loqui.

Τοῦτο δ' οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἑτέρα λόγου καὶ ποιήσεως λέξις ἐστί· δηλοῖ δὲ τὸ συμβαῖνον.

Hoc autem verum non est, sed alia est studij oratorum, alia poëtarum locutio: declarat autem hoc, quod factum est.

RES aliter se (inquit) omnino habet, atque illi existimant: nec verum vllo pacto est, eos, qui poëticam phrasin sequuntur, bene, ne dum optime, dicere: alia enim oratorum, alia poëtarum studij locutio est. Cum autem argumentis, signisue aliquibus id confirmare oporteret, inquit: manifestum hoc maxime facit, id quod accidit, & quasi exitus, quem haec ipsa locutio habuit, vitium ipsius declarauit. Ita quoque locutus est in quarto libro de natura animantium: & ab ijs, quae vulgo fiebant, quotidieq; in illis rebus accidebant, sententiam suam de illis ipsis rebus
D confirmauit: inquit enim. τεκμήρια δὲ τὰ συμβαίνοντα τοῖς ἑρμηνεύσις. Rem ita se habere, vt diximus, testantur, quae cotidie fieri videmus. Quod autem ad totius huius loci declarationem: sensumq; Aristotelis percipiendum facit, sciendum est ex hoc loco ipsum poëticam locutionem ab oratoria seiungere ac separare.

Οὐδὲ γὰρ οἱ τὰς τραγῳδίας ποιοῦντες ἔτι χρῶνται τὸν αὐτὸν τρόπον.

Neque enim, qui tragoedias scribunt, amplius vtuntur eodem modo.

POETAS ipsos tragicos, quorum studij hoc magis proprium erat, remissius hoc facere dicit: nec tam auidos eius generis esse, quam olim fuerunt, sed vt genera quaedam numerorum, quae primum amabant reliquisse, ita voces figurasq; locutionis, quae valde remotae a consuetudine communique sermone forent, repudiasse. Cum igitur ne illi quidem, quibus id facere magis licebat: quorumq; studij quasi peculiare erat, tam effuse id agant, sed modum quendam adhibuerint, quanto magis decet hoc declinare, qui alienum ornatum, nulloque modo sibi aptum, asciuerant. Vti autem sane illis eosdem dicit: modice tamen ac moderate: idest multo parcius tunc, quam prius: antea enim immoderate. tunc remisse, τὸ αὐτὸν τρόπον hoc significare perspicuum est.

Ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐκ τῶν τετραμέτρων εἰς τὸ ἰαμβεῖον μετέβησαν.

Sed quemadmodum e tetrametris, in iambicum versum migrarunt.

VT relictis tetrametris ad alia numerorum genera transierunt, & quae communi sermoni magis propinqua essent: & quae sequuntur. nam priscos illos poëtas in tragoedijs libenter tetrametra vsurpasse, affirmat etiam ipse in libro de arte poëtarum: quae tamen postea vsu docti, reliquerunt: & ad iambos, ex quibus magna ex parte familiaris oratio constat, se contulerunt.

Διὰ τὸ τῷ λόγῳ τοῦτο τῶν μέτρων ὁμοιότατον εἶναι τῶν ἄλλων.

Quia solutae orationi hoc e metris omnibus alijs simillimum est.

QVIA hoc ex omni genere metrorum, solutae orationi simillimum est: rationem enim reddit, cur relicto vetere instituto nouum genus metri capesserint: quodque potissimum bonum in eo secuti sint. idem autem in libro quoque de arte poëtica, post sententiam illam, quam paulo supra adduxi, tradidit. Idem Cicero, & Quintilianus.

Οὕτω καὶ τῶν ὀνομάτων ἀφήκασιν, ὅσα παρὰ τὴν διάλεκτόν ἐστιν.

Sic

Sic e nominibus dimiserunt quaecunque praeter consuetudinem sunt.

CVM demonstrasset in re simili non sibi constitisse tragicos poëtas, sed veterem consuetudinem damnasse: causamque eius immutationis attulisset, redit ad id, quod agebat, explicandum: est enim haec similitudinis (vt loquuntur) redditio, ἀνταπόδοσις. sic igitur (inquit) hac in re se emendarunt, & vocabula omnia repudiarunt, quae in communi vsu non sunt, sed discrepant a cotidiano & peruagato sermone: διάλεκτος enim familiaris communisque modus loquendi vocatur.

Οἷς δ' οἱ πρῶτον ἐκόσμουν, καὶ ἔτι νῦν οἱ τὰ ἑξάμετρα ποιοῦντες, ἀφήκασιν.

Quibus autem rebus primi illi ornabant locutionem, & vsque ad haec tempora, qui pangunt heroica carmina, dimiserunt.

CVNCTA autem illa abiecerunt, quibus prisci poëtae tragici locutionem ornare consueuerunt, & adhuc poemata sua illustrant, hexametrum & heroicum carmen pangentes: qui autem haec ornamenta ad solutam orationem adhibebant, mirifice peccabant. poetae, qui adhuc retinent & studiose sectantur, laudem merentur: conueniunt enim illa epico carmini: nec sine ipsis magnificum illud & amplum vllo pacto esse potest. Quod autem, de expoliendo carmine loquens, κοσμῶν inquit, Isocrates quoque in Euagora cultum hunc ornatumq; poetarum κόσμον appellauit: τοῖς μὲν γὰρ ποιηταῖς πολλοὶ δέδονται κόσμοι. Cum dicat autem οἱ πρῶτοι, intelligit (vt opinor) eos, qui tres hos, quorum fabulae non nullae remanserunt, aetate antecessere: & si Aeschylus minus se remouit a consuetudine veterum illorum: multum enim retinet antiquae illius licentiae: audacius enim iungit verba, vtiturq; libenter verbis externis. Sophocles medium se praebuit inter hos ipsos: nec tamquam culpam aliquam timet immiscere orationi verba aliquantum immutata: & quae si non noua inauditaq; prorsus sunt auribus suorum ciuium, olent tamen peregrinitatem. Euripides amplitudinem attulit, splendoremque suae locutioni, delectu verborum elegantium ac politorum, quae sumpsit e consuetudine summaque cura inde hausit.

Διὸ γελοῖον μιμεῖσθαι τούτους, οἳ αὐτοὶ οὐκ ἔτι χρῶνται ἐκείνῳ τῷ τρόπῳ.

Quare ridiculum est imitari hos, qui ipsi non amplius vtuntur illo modo.

QVARE (inquit) stultum admodum negotium esset, & quod risu explodi deberet, hos imitari, qui amplius, cum tamen impunius facere possent, eo genere non vtuntur, & errorem denique suum agnouerunt.

Ὥστε φανερὸν, ὅτι οὐχ ἅπαντα, ὅσα περὶ λέξεως ἔστιν εἰπεῖν, ἀκριβολογητέον ἡμῖν, ἀλλ' ὅσα περὶ τοιαύτης, οἵας λέγομεν.

Quapropter perspicuum est, non oportere, vel cuncta, quae de elocutione praecipiuntur, exquisite tradere, sed quaecunque propria sunt huius, de qua disserimus.

HOC etiam nobis exploratum esse debet, nostras nunc partes minime esse cuncta, quae de locutione dici possunt, exquisite hic pertractare: sed tantum illa, quae ad hanc ipsam, quam in manibus habemus, pertinent: idest, quae apta est oratori, & conuenit rationi illius, nam de altera illa, quae propria poetarum est, in libris, quos scripsimus de studio poetarum, accurate disputauimus.

Περὶ δ' ἐκείνης εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς. ἔστω οὖν ἐκεῖνα τεθεωρημένα.

De illa autem dictum est in his, quae scripsimus de arte poetarum. sint igitur illa satis animaduersa.

INTELLIGIT eam, quae abhorret a foro: nec oratori ipsi vllo in loco accommodata est, sed conuenit granditati poetarum: est autem, quae constat & peregrinis nominibus & factis & iunctis, vt illic copiose ab eo declaratum est: addit autem huic sententiae. Quae vero illic de poetica oratione praecepimus, firma sint: nec rursus vllo modo in dubium reuocentur: siue potius iterum inutiliter non repetantur.

Καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ, σαφῆ εἶναι.

Praeceptumque modo sit, locutionis virtutem in hoc manere, vt aperta sit.

CVM

CVM ad locutionem, oratoris propriam, explicandam aggrediatur, qualitates ipsius dotesque primum quaerit: neque enim mediocri quadam contentus est, sed quae ab omni macula vacua sit, & maximis laudibus ornetur. summam vero esse virtutem dicit atque vndique cumulare illam, si aperta ac lucida fuerit: id enim σαφῆ manifesto significat. cum autem (vt Cicero quoq; in Oratore affirmat) obscuritas in oratione ciuili vitium vel maximum sit, sequitur, vt quod tradit Aristoteles exploratum haberi debeat, virtutem orationis esse, apertam illam ac perspicuam esse. In primo quoque libro de finibus significauit M. Cicero propriam esse laudem oratoris, vt plana apertaque sit. quare displicere sibi non posse locutionem Epicuri, cum complectatur verbis, quod ille voluisset, ac dicat, plane, quod intelligat: & si illa Platonis, Aristotelis, Theophrasti orationis ornamenta in scriptis suis persecutus non fuerat. commune igitur hoc esse omnis locutionis, manifestum est. Vt autem hic, translato verbo vtens, virtutem elocutionis appellat, ita in primo libro Analyticorum posteriorum inquit. αὕτη μὲν ἀρετὴ ἀποδείξεως: neque enim virtus de his rebus proprio nomine dicitur: intellexit autem hic locutionem, quae lucida est, probari ac praestare id, quod in primis in ea requiritur, vt illic etiam virtutem esse demonstrationis hanc ait, efficere vt rem bene percipiamus: ambas autem cum id faciunt, munus suum implere ac merito laudari. Initium vero hinc ipsum ducere suorum de elocutione praeceptorum, patet.

Σημεῖον γὰρ, ὅτι ὁ λόγος, ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον.

Signum autem huius rei est, orationem, nisi declarat, functuram non esse munere suo.

ARGVMENTO huius rei esse potest inquit, quod oratio, nisi indicat, quod vult & explanat, numquam opus suum efficiet: nec, quod ab ea requiritur, praestabit. id autem, quae obscuras sententias habet, aut aliquo huiuscemodi vitio laborat, numquam efficiet.

Καὶ μήτε ταπεινὴν: μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ πρέπουσαν.

Et neque humilis sit, neque supra dignitatem, sed quae conueniat rebus: seruetq; quod decet.

NON tantum laudem hanc illa habere debet, ceteris autem postea rebus destitui: sed vt apertam esse oportet, ita etiam, nec humilem, nec nimis elatam, & quae modum superet, sed quae deceat, & rebus ipsis, de quibus agitur, conueniat.

Η γὰρ ποιητικὴ ἴσως οὐ ταπεινὴ, ἀλλ' οὐ πρέπουσα λόγῳ.

Poetica namque locutio fortasse non humilis, sed quae minime deceat solutam orationem.

HORVM autem alterum habet quoque elocutio poetarum: non enim humilis & abiecta illa vllo pacto existimari potest, verum altero caret: minime enim communi sermoni congruit. ἴσως autem addit, quamuis (vt arbitror) id planum sit, nec scrupulum vllum res habeat: alijs autem hoc locis addidisse, quamuis, quod dubitationem nullam haberet, proferret, a veteribus ipsius Graecis interpretibus, Aristoteles animaduersus est.

Τῶν δ' ὀνομάτων καὶ ῥημάτων σαφῆ μὲν ποιεῖ τὰ κύρια.

Ex nominibus autem & verbis, apertam quidem reddunt, quae propria sunt.

CVM, quae sit orationis virtus ostenderit, quid ipsam eius compotem efficiat, nunc declarat: nec non quomodo a vitio vacuam incorruptamq; eam seruare possimus. propria igitur rerum nomina ac verba hanc vim praecipue habent, & hoc praeclare praestabunt.

Μὴ ταπεινὴν δὲ, ἀλλὰ κεκοσμημένην τἆλλα ὀνόματα, ὅσα εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς.

Non humilem autem, sed ornatam, cetera nomina, in his, quae de arte poetarum scripsimus, significata sunt.

NON humilem autem inquit, sed ornatam excultamque, reddent nomina, de quibus in libris de arte poetarum disputauimus: ea autem sunt, translata, iuncta, peregrina. Hoc etiam inter praecipua poetarũ ornamenta ponit Isocrates in Euagora, quod liceat illis vsitata verba relinquere, & noua

» & noua remotaq; ab vſu vulgi ſtudioſe captare: de poëtis enim diſſerens, inquit. καὶ περὶ τούτων
» δηλῶσαι, μὴ μόνον τοῖς πεπλασμένοις ὀνόμασιν, ἀλλὰ τὰ μὲν ξένοις, τὰ δὲ καινοῖς, τὰ δὲ μεταφοραῖς.

Τὸ γὰρ ἐξαλλάξαι ποιεῖ φαίνεσθαι σεμνοτέραν.

Diſcedere enim non nihil a communi vſu facit, vt grandior honeſtiorque videatur locutio.

DISCEDERE enim a communi conſuetudine ſermonis, atque ipſum variare ac commutare, efficit eum grandiorem atque honeſtiorem. ἐξαλλάξαι autem emendaui, cum antea in excuſis omnibus legeretur ἐξαλαπάξαι, inſulſe prorſus ac nullo ſenſu. ſincerae tamen ſcripturae in quodam exemplari veſtigia non nulla reliqua ſunt. nam veram hanc eſſe lectionem confirmat hic locus e primo libro poëtices: eandem autem illic ſententiam expoſuit Ariſtoteles, & ijſdem pae-
» ne cunctis verbis expoſuit. σεμνὴ δὲ, ἐξαλλάττουσα τὸ ἰδιωτικὸν, ἡ τοῖς ξενικοῖς κεχρημένη. eodem etiam
» verbo non multo poſt hoc ipſo in libro vſus eſt. τό, τί διά τι εἴρηται: ἀπὸ τὸ μεῖζον γὰρ ἐξαλλάττει τοῦ
» πρέποντος. quo loco manifeſto percipitur ita hic legi debere, cum a ſe antea cauſam huius rei redditam dicat: hunc enim locum intelligit. Halicarnaſſeus quoque in vita Lyſiae, cum & ipſe de more inſtitutoq; veterum oratorum diſſereret, qui cum orationibus ſuis aliquem ornatum adfingere vellent, a communi locutione diſcedebant: & ad poëticam phraſin dilabebantur, hoc
» verbo vſus eſt. ἀλλ' οἱ βουλόμενοι κόσμον τινὰ προσεῖναι τοῖς λόγοις, ἐξήλλαττον τὸν ἰδιώτην, καὶ κατέφευγον ἐπὶ
» τὴν ποιητικὴν φράσιν: eſt tamen hic locus in excuſis Lyſiae codicibus aliquantulum deformatus.

Ὥσπερ γὰρ πρὸς τοὺς ξένους οἱ ἄνθρωποι, καὶ πρὸς τοὺς πολίτας, τὸ αὐτὸ πάσχουσι, καὶ πρὸς τὴν λέξιν.

Quemadmodum enim erga externos homines, & ciues affecti animo ſunt, ita etiam ſe habent erga locutionem.

EXTERNA ac nouae res magnam admirationem ſecum ferunt: vſitatae cotidianaeq; faſtidium gignunt, & contemnuntur: commune eſt hoc omnium rerum. Vt igitur animo affecti ſunt (inquit) aduerſus externos homines, & ciues, eodem pacto erga orationem: nam, quos omnibus horis viſunt, deſpiciunt: peregrinos admirantur, & incredibiles habere virtutes falſo ſaepe putant.

Διὸ δεῖ ποιεῖν ξένην τὴν διάλεκτον: θαυμασταὶ γὰρ τῶν ἀπόντων εἰσίν.

Quare opus eſt reddere orationem peregrinam: admirantur enim mortales res remotas: & quae non ſemper habent ante oculos.

QVARE (inquit) vt hoc incommodum effugiamus, & ne vilis abiectaque oratio noſtra habeatur, operam dare debemus, vt eam peregrinam reddamus: vulgo enim homines abſentium rerum admiratores ſunt, & eas valde ſuſpiciunt. Quod autem nunc, ingenium mortalium declarans, nec laudi id ipſis, nec vituperationi tribuens, protulit Ariſtoteles, ſtomachū Ciceroni
» mouit, atque id valde accuſauit: in primo enim libro de finibus inquit. Ego autem ſatis mira-
» ri non queo, vnde hoc ſit tam inſolens domeſticarum rerum faſtidium: ijdem enim res exter-
» nas admirantur, qui ſuas domeſticaſque deſpiciunt. Cum vero in excuſis antea mendoſe hic locus legeretur, ſecutus fidem omnium paene ſcriptorum librorum, meliorum certe, locum correxi.

Ἡδὺ δὲ τὸ θαυμαστόν.

Iucundum autem eſt, quidquid eſt admirabile.

QVOD admirationem habet, ſuaue etiam eſt. hoc quoque in libro de arte poëtarum ijſdem verbis protulit: & nequis parum verum arbitraretur, quo id confirmaret, attulit: ſed etiam in primo horum librorum, cum, quae res iucundae forent, doceret.

Ἐπὶ μὲν οὖν τῶν μέτρων πολλά τε ποιεῖ τοῦτο, καὶ ἁρμόττει ἐκεῖ.

In verſibus igitur poëtarum multa efficiunt hoc, & quadrant ſane illic.

IN ſcriptis quidem (inquit) poëtarum multa admirandam ac dignitatis plenam orationem efficiunt, quae ſane omnia illic congruunt: a ſtudio autem oratorum aliena ſunt: hoc autem addidit, nequis fortaſſe inertiae condemnet oratores, qui ea inde non ſumant: docens non ſine

culpa

culpa vsurpari ab ipsis posse: nec vllo modo hic, vt illic, quadrare. causam huius rei ipse affert, cur non liceat oratori, quod poetae: intelligit autem ornatus verborum plurimos, qui peculiares poëtae sunt: eos autem & εὐρυθμίας, & συμμετρίας appellauit Isocrates in Euagora: nam quod addit hic Aristoteles, plurimum etiam discrepare argumenta poetarum ab argumentis oratorum, & personas quoq;, circa quas versantur, idem a clarissimo illo scriptore in eadem oratione exponitur: inquit enim. » Καὶ γὰρ πλησιάζοντας τοῖς ἀνθρώποις τοὺς θεοὺς οἷόν τ' αὐτοῖς ἐστι ποιῆσαι, καὶ » διαλεγομένους, καὶ συναγωνιζομένους, οἷς ἂν βουληθῶσι.

Πλέον γὰρ ἐξέστηκε περὶ ἅ, καὶ περὶ οὓς ὁ λόγος.

Plurimum enim se remouerunt ab vsu res, de quibus agitur: & personae.

CVR illic omni ratione exornare phrasin deceat, ostendit: res enim (inquit) & personae, circa quas versantur, & ad quos agunt poetae, magnam dignitatem habent, & a cotidianis rebus atque hominibus valde discesserunt. Nullus igitur ornatus tam honestas personas, & tam grande argumentum non decet.

Ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις πολλῷ ἐλάττοσιν· ἡ γὰρ ὑπόθεσις ἐλάττων.

In oratione autem tenui ac nuda multo minoribus licet vti ornatibus: argumentum enim minus est.

PROSAM solutamq; orationem non recipere tot ornamenta ostendit: quam cum ψιλοὺς λόγους appellet, nomine etiam ipso nudatam illam spoliatamq; omni aduentitio decore ostendit, quibus rebus abundant scripta poetarum: illa autem, quod certis mensuris teneantur, μέτρα vocauit: quibus nunc hi ψιλοὶ λόγοι opponuntur. Quae sequuntur autem verba duriorem structuram faciunt: videturq; omnino, nisi forte hic mendū sit, aliquid intelligi oportere, quod sententiam absoluat: quae huiuscemodi sit, necesse est. In soluta oratione multo paucioribus vti licet ornamentis auxilijsq;. Non multo post, cum eandem sententiam efferret, eodem paene pacto locutus est: & huic ipsi nomini, quod eo casu positum, videtur verbo carere, vnde regatur, βοη- » θήματα, quasi praesidia & adiumenta, adiunxit. τοσούτῳ δ' ἐν λόγῳ δεῖ μᾶλλον φιλοπονεῖσθαι περὶ αὐτήν, » ὅσον ἐξ ἐλαττόνων βοηθημάτων ὁ λόγος ἐστὶ τῶν μέτρων. Quia autem aliquis mihi scrupulus in his verbis visus est esse, hoc etiam admonere non alienum putaui, in scriptis libris nihil varietatis inueniri: & a vetere quoque tralatione receptam hanc lectionem reddi.

Ἐπεὶ καὶ ἐνταῦθα, εἰ δοῦλος καλλιεπεῖτο, ἢ λίαν νέος, ἀπρεπέστερον· ἢ περὶ λίαν μικρῶν.

Namque & hic, si seruus vteretur in sermone pulchris verbis, siue admodum adolescens, parum id deceret: siue de rebus valde exilibus.

HIC, idest in soluta oratione ac studio oratorum: supra enim, cum de poetis loqueretur, ἐκεῖ dixerat: praeterea verbum καλλιεπεῖν, ornatum solutae orationis prae se fert, non poeticae (ita enim legi debet, vt est in antiquissimo atque optimo exemplari) eo autem Plato quoque vsus est, cum de elegantia prosae orationis loqueretur: in apologia enim induxit Socratem ita » loquentem. οὐ μέντοι μὰ Δία ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι κεκαλλιεπημένους γε λόγους, ὥσπερ οἱ τούτων, ῥήμασί τε καὶ » ὀνόμασιν: οὐδὲ κεκοσμημένους, ἀλλ' ἀκούσεσθε εἰκῇ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασιν, ne dum autem liceat magnificum illum ornatum poetarum huc transferre, si seruus homo, aut puer, politiore sermone vtatur, indecorum est: aut cuiusuis fortunae etiam, de pusillis rebus ac minutis agens. protulit autem hoc ad declarandum, non conuenire omnem ornatum solutae orationi, vt poeticae conuenit, quia & personae illic valde a cotidianis rebus personisque discrepantes sint. cum in oratorum artificio, vbi & res & personae multo magis similes sint, possit tamen non mediocriter peccari, nisi, quid deceat, diligenter custodiatur: sunt enim gradus quidam decori in his quoque & rebus & personis: nec omnis ornatus verborum quadrat omni personae, & argumento. Hunc locum de eo, quod deceat aut non deceat, erudite copioseque persecutus est M. Cicero in Oratore: nam quod huc valde pertinet, inquit. » Quam enim indecorum est, de stillicidijs, cum apud vnum iu- » dicem dicas, amplissimis verbis, & locis vti communibus: de maiestate populi R. summisse & subtiliter: sed supra etiam cum idem non omnis fortuna, non omnis aetas dixerat, idem, quod hic facit Aristoteles, praeceperat. Halicarnasseus quoque in vita Lysiae breui eadem omnia tetigit: cum autem decoro orationis multum tribuat, appellat id optimam, ad summumque perductam, virtutem.

Ἀλλ' ἔστι καὶ ἐν τούτοις ἐπισυστελλόμενον, καὶ αὐξανόμενον τὸ πρέπον.

Sed est etiam in his contractum, & amplificatum, quod decet.

In his intelligo, in oratorum studio: in his autem esse quoq; dixit, quia magis in poëtarum studio est: contractum autem ac dilatatum intelligit pro tenuitate ac magnitudine rerum ac personarum: humiles enim tenuesque res, humili genere orationis: amplae vero, grandi tractari & amplo debent: nec eadem oratio diuersarum condicionum, & aetatum hominibus conuenit.

Διὸ δεῖ λανθάνειν, ποιοῦντας: καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως: τοῦτο γὰρ, πιθανόν: ἐκεῖνο δὲ, τοὐναντίον.

Quare opus est fallere, cum hoc faciunt, diligentiaq; adhibenda, ne videantur dicere ficte, sed vt natura duce: hoc enim vim magnam habet ad persuadendum: illud autem alienum est a fide facienda.

Quare (inquit) cum diuersa oratio sit diuersarum personarum, & rerum, operam dare debemus, vt cum hoc attingimus, clam id faciamus, nec artificium nostrum intelligatur ab ijs, apud quos dicimus: sed vt natura duce, hoc facere videamur: si hoc namque obtinebimus, fidem facile faciemus: vt enim hoc vim magnam ad persuadendum habet, ita illud, cum artificiose dicere intelligimur, nullam: vel potius alienum est a facienda fide, & quod infra ipse accurate docet, toto animo abhorrent ab eo, qui audiunt. In antiquissimo codice hoc varietatis inueni, quod patrio casu, vnitatis numero ποιοῦντος habet: quae lectio vitij nihil sane in se habet, ac recipi commode, vt opinor, potest, vt admoneat oportere eum, qui hoc aggrediatur, omnia facere, vt fallat: ipsam quoq; non nihil confirmat, quod infra eodem numero ἐπιβουλεύοντα, & in excusis & in scriptis legitur.

Ὡς γὰρ πρὸς ἐπιβουλεύοντα διαβάλλονται.

Tamquam enim insidiantem sibi metuunt oratorem.

Male affecti animo sunt aduersus eum, qui ficte & artificiose dicit: & quasi aduenticium sibi ornatum & alienum asciscit, vt aduersus eum, quem intelligunt insidias sibi moliri: non enim hic, vt saepe, διαβάλλονται criminantur significat: eadem paene notio est huius verbi apud Plutarchum in viij. libro συμποσιακῶν, capite, quo de Pythagoricis quibusdam symbolis differit: atque, vnde fieri potuerit, docet, vt tam atrox bellum imbuti illa disciplina gererent aduersus
» hirundines, vt ne domi illae reciperentur omnibus auctores essent. ἆρ' οὖν (ὁ Σύλλας ἔφη) διὰ τὸν
» μῦθον, τὸν περὶ παιδοφονίας, ἀφοσιοῦνται τὰς χελιδόνας, ἀποθεῖν ἡμᾶς πρὸς ἐκεῖνα τὰ πάθη διαβάλλοντες: longe animos nostros, vt a saeuis illis factis abhorreamus, conformantes: nos quasi inimicos reddentes tam nefarijs facinoribus: cum hic antea legeretur ὥσπερ γὰρ, emendaui, vt in calamo exaratis codicibus legitur, ὡς: id autem, cum parui ponderis esse videatur, magis tamen congruit huic sententiae, ac rectum est.

Καθάπερ πρὸς τοὺς οἴνους, τοὺς μεμιγμένους.

Itaque affecti aduersus eum sunt, vt contra vina permixta.

Vt toto animo (inquit) qui vino delectantur, abhorrent a vinis mixtis: mirumque in modum illa suspecta habent: eleganti autem simili totam rem explanauit, & quo nihil magis simile excogitari ex omni parte posset. Nam vehementer suspecta habere consuesse confusa inter se, & varia vina, dum bibunt, & e diuersis dolijs, genereq; vitium discrepanti hausta, potores istos, Plutarchus quoque in iiij. libro συμποσιακῶν tradit: qui totam etiam rem plenius copiosiusq; exponit: & quemadmodum, qui quaestus causa id facerent, summo studio latere conarentur, vt qui scirent se insidiari emptoribus: nec fraudem intelligi vellent. Capite, quo differit an varij ci-
» bi, quam simplices, faciliores ad concoquendum sint. διὸ φεύγουσι τὸν μεμιγμένον οἶνον οἱ πίνοντες: οἱ δὲ
» μιγνύοντες πειρῶνται λανθάνειν, ὡς ἐπιβουλεύοντες.

Καὶ οἷον ἡ Θεοδώρου φωνὴ πέπονθε πρὸς τὴν, τῶν ἄλλων ὑποκριτῶν.

Et qualem in se habebat affectum Theodori vox, collata cum voce ceterorum histrionum.

Conari debemus, vt in hac re id consequamur, quod in agendis fabulis Theodorus histrio, siue natura, siue artificio consecutus erat: quamuis ab arte potius hoc habuisse illum existimandum sit: histrionum enim vox praeceptis conformabatur, quod si a natura etiam id bonum

habuit, ab arte postea illud expolitum fuit. Ita igitur huius tragoedi vox conformata erat, vt si cum aliorum histrionum vocibus conferretur, ea ipsius illius, qui diceret, esse videretur: aliae autem omnes, alienae ac mutuatae. Theodori huius mentionem quoque fecit in vij. libro de rep. vbi vocem eius & consuetudinem, quam in munere suo obeundo seruare diligenter solebat, exposuit: tragoedias autem illum agere solitum narrat. Sed Plutarchus etiam eiusdem pluribus locis meminit: vt in commentario, quo docet, quomodo oportet se ipsum circa inuidiam laudare: refert enim facete dictum eius, quo in altera scena florentem, Satyrum elusit.

Ἡ μὲν γὰρ, τοῦ λέγοντος ἔοικεν εἶναι: αἱ δ' ἀλλότριαι.

Hoc enim eius, qui diceret, videbatur esse: haec vero, alienae.

THEODORI vox ipsius illius, ex cuius ore exibat, videbatur, quamuis ficta ac simulata foret: ceterorum vero histrionum voces alienae, non eorum, qui agebant. Adhibenda igitur diligentia oratori, vt locutio, qua vtitur, quamuis artificium in se habeat, propria tamen naturalisq; esse credatur: est enim ratio quaedam, quae hoc praestare possit, ac fallere eos, qui audiunt, ita in hoc studio, vt in arte histrionum.

Κλέπτεται δ' εὖ, ἐάν τις ἐκ τῆς εἰωθυίας διαλέκτου ἐκλέγων, συντιθῇ.

Tegitur vero artificium recte, siquis seligens verba e sermone communi, componat orationem.

LATET hoc: ratioq; satis certa est huius boni sine periculo vllo obtinendi, siquis e vulgari & cotidiano sermone verba seligens, componat orationem: ita enim minime suspectum genus dicendi esse poterit: & tamen ex selectu ipso verborum, cum plebeis nominibus repudiatis, elegantiora captauerit, magnum, qui dicet, ornatum aucupabitur: a communi enim hoc pacto consuetudine loquendi discedens, reddet orationem peregrinam. Κλέπτεται autem valet clam hoc fit, dolus procedit, & artificium non intelligit, qui audit. Ipse infra: οὕτω γὰρ κλέπτεται ὁ ἀκροατής: nec non οὐ κέκλεπται ἄν. Demetrius Phalereus in libro de elocutione non semel hoc verbo eo-
» dem intellectu (nisi fallor) vsus est, cum de frigore orationis disputaret. ψυχρὸν δὲ καὶ τὸ μέτρα τι-
» θέναι συνεχῆ, καθάπερ τινὲς, καὶ μὴ κλεπτόμενα ὑπὸ τῆς συνεχείας: & quae non tegantur, & obscuren-
» tur a continuatione verborum: item vbi de arida locutione agit. ἡ σύνθεσις δὲ ἀποκεκομμένη, καὶ
» κλέπτουσα τοῦ διανοήματος τὴν ἄδειαν: & quae sententiam, quae sine metu infamiae efferri non poterat, propter obscuritatem facit, vt tuto exponatur. Dionysius quoque Halicarnasseus in arte dicendi, καὶ πάσης φωνῆς, αἱ καλούμεναι προσῳδίαι, διάφοροι, κλέπτουσαι τῇ ποικιλίᾳ τὸν κόρον: quae remouent sui varietate fastidium, atq; ita eripiunt illud & auferunt, vt quomodo res fiat, non appareat: verbum autem translatum esse perspicuum est, & a furibus mutuatum, qui clam agunt: studentq; quantum possunt, latere.

Ὅπερ Εὐριπίδης ποιεῖ, καὶ ὑπέδειξε πρῶτος.

Quod quidem Euripides facit: primusque hoc monstrauit.

ADMIRABILIS in hoc Euripides: nam in fabulis suis hoc diligenter facit, & studiose e consuetudine sermonis verba decerpit: nec tantum hoc ipse seruat, sed alios etiam exemplo sui admonuit, vt hoc pacto orationem excolerent ac perpolirent: Aeschylus, qui aetate ipsum praecessit, longe aliam viam secutus est: stilumque suum ornauit ratione ea, quae minus probata est: fuit enim & in iungendis nominibus, transferendisq; durior, & externas voces, alienasq; a consuetudine nimis crebro vsurpauit.

Ὄντων δὲ ὀνομάτων καὶ ῥημάτων, ἐξ ὧν ὁ λόγος συνέστηκε: τῶν δὲ ὀνομάτων τοσαῦτ' ἐχόντων εἴδη, ὅσα τεθεώρηται ἐν τοῖς περὶ ποιήσεως, τούτων γλώτταις μὲν, καὶ διπλοῖς ὀνόμασι, καὶ πεποιημένοις, ὀλιγάκις καὶ ὀλιγαχοῦ χρηστέον: ὅπου δὲ, ὕστερον ἐροῦμεν.

Cum autem nomina ac verba sint, e quibus oratio constat: nominum autem tot species sint, quot esse subtiliter quaesitum est in his, quae de studio poëtarum, horum linguis & iunctis nominibus, & factis, raro & paucis locis vtendum est: vbi vero, postea dicemus.

QVAE voces ab oratoribus captari debeant: quae relinqui ac declinari, docet: cum enim plurima genera sint, non omnes tuto ab ipsis vsurpari omnibus locis possunt: partim enim eorum sine vllo metu passim adhibentur: partim certis quibusdam locis ac temporibus reseruantur. Inquit igitur, Cú sint nomina & verba, ex quibus oratio constat: habeantq; illa tot tamq; diuersas

inter

inter se formas, quot in libris de studio poëtices a nobis tradita sunt, e numero eorum omnium, linguis appellatis, & iunctis duplicibusq; nominibus: nec non factis, raro paucisq; admodum in locis vtendum est: qui autem loci sint, in quibus liceat oratori ipsis vti, infra (inquit) indicabimus: significat autem locum illum, cum inquit. Τὰ δὲ ὀνόματα ἐπίθετα καὶ διπλᾶ πλείω, καὶ τὰ ξένα μάλιστα ἁρμόττει λέγοντι παθητικῶς: & quae sequuntur. In primo autem de arte poëtica, quem locum intelligit, ita locutus est. ἅπαν δὲ ὄνομά ἐστιν ἢ κύριον, ἢ γλῶττα, ἢ μεταφορά, ἢ κόσμος, ἢ πεποιημένον, ἢ ἐπεκτεταμένον, ἢ ὑφῃρημένον, ἢ ἐξηλλαγμένον: quae cuncta nominum genera illic explicat, ac quae vis naturaq; eorum sit, quibusq; rebus inter se diuersa sint, accurate docet. Animaduertendum autem cum hic primo nomina a verbis distinxisset, atq; ὀνόματα appellasset, quae ita plerunque vocari solent, paulopost generatim pro omnibus vocabulis cepisse, cum ait. τῶν δ' ὀνομάτων τοσαῦτ' ἐχόντων εἴδη.

Τό τε διατὶ εἴρηται: ἐπὶ τὸ μεῖζον γὰρ ἐξαλλάττει τοῦ πρέποντος.

Cur autem, expositum est: versus enim amplitudinem immutant orationem magis quam deceat.

CAVSA autem, nunc addit, cur abstinere se debeat ab his orator, iam explanata est: magis enim quam deceat ac ferri possit, orationem immutant & a consuetudine loquendi remouent: oportet enim illam discrepare a communi sermone ornatus gratia, verumtamen adhibito modo.

Τὸ δὲ κύριον, καὶ τὸ οἰκεῖον, καὶ μεταφορὰ μόναι χρήσιμοι πρὸς τὴν τῶν ψιλῶν λόγων λέξιν.

Proprium autem, & suum familiareque eius rei, & translationes solae vtiles sunt ad nudorum sermonum locutionem.

QVAE vitanda iam aut modice tangenda, docuit: de illis autem post accurate differet: nunc autem, quae impune vsurpari possint, & magnos fructus oratori ferant, ostendit. Cicero in iij. libro de Oratore, cum de ornatu & ipse orationis, qui a verbis proficisceretur, differeret, inquit. Tria sunt igitur in verbo simplici, quae orator afferat ad illustrandam atq; exornandam orationem, aut inusitatum verbum, aut nouatum, aut translatum. Probat igitur, dicet aliquis, quae Aristoteles damnat? nullo modo hoc verũ est: nam & philosophus modice vsurpata, & certis quibusdam locis, non ingrata, inusitata etiã & nouata verba esse affirmat: & Cicero cum poëtarum licentiae illa liberiora esse tradat, raro tamen habere etiam in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem, affirmat. Videtur autem Cicero, quas Graeci γλώττας & γλωττικὰ ὀνόματα, verba inusitata appellare: & sane externa ac peregrina nomina a communi vsu sermonis remota sunt. quare non sine causa ita vocauit: Latini tamen quoque non vernacula, nec patrij sermonis propria nomina aliquando vsurpabant, vt cum barbara ac Graeca verba orationi admiscebant: quod sine modo traditur fecisse Lucilius. Quod κύριον autem ac proprium nomen appellet, ipse narrat in libro de arte poëtarum: κύριον est (inquit) quo passim omnes in ea re appellanda vtuntur, οἰκεῖον suum & alicui rei maxime accommodatum significare constat. Animaduertendum an Cicero cum in iij. de Oratore inquit. Quid sit, quod omnes translatis, & alienis magis delectantur verbis, quam proprijs ac suis, & κύρια & οἰκεῖα intellexerit: nam statim etiam addit. Nam si res suum nomen, ac proprium vocabulum non habet. & quae sequuntur. an κύρια tantum (quod magis puto) duobus Latinis verbis expresserit: in oratione enim quoq; pro Caecina inquit. Rem aliquam suo certo ac proprio vocabulo nominare: cum tamen apud Graecos οἰκείῳ nomini, ἀλλότριον: κυρίῳ, μεταφορικόν, ex altera parte respondeat: idq; etiam hic Cicero manifesto seruarit: proprium enim translato: suum vero alieno opposuit, ambo haec verba exprimere videri potest voluisse.

Σημεῖον δὲ, ὅτι τούτοις μόνοις πάντες χρῶνται: πάντες γὰρ μεταφοραῖς διαλέγονται, καὶ τοῖς οἰκείοις, καὶ τοῖς κυρίοις.

Signum autem huius rei est, quod his solis omnes vtuntur: cuncti enim in sermone vsurpant, & translatas voces, & suas, illisque rebus familiares, & propria nomina.

VERVM hoc esse confirmat (inquit) quod cuncti solis his vtuntur: nec facile aliquis e multitudine inueniretur, qui non translationem in loquendo adhibeat: & proprijs nominibus, atq; alicui naturae exprimendae aptis, sensus animi edat: quamuis autem fortasse aliqui vsurpent in sermone, quae raro decere oratores ostendimus, tamen hi pauci sunt: nec omnium iudicia inter

se conueniunt, vt in tribus his superioribus, quae ostendimus: nam quod ad translata verba pertinet, quod in vsu omnium illa sint, in libro de Oratore Cicero quoque his verbis testatur.
» Translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis vtitur: non modo vrbanorum,
» sed etiam rusticorum.

Ὥστε δῆλον, ὡς ἐὰν εὖ ποιῇ τις, ἔσται τε ξενικὸν, καὶ λανθάνειν ἐνδέχεται, καὶ σαφηνιεῖ: αὕτη δ' ἦν τῆς ῥητορικοῦ λόγου ἀρετή.

Quapropter planum est, siquis hoc recte tractarit, futurum illud & peregrinum, & clam administratum iri, & res apertas redditurum: haec autem dicta est esse oratoriae orationis virtus.

QVARE (inquit) dubium esse non potest, quin, siquis hoc recte fecerit, cuncta, quae in huiuscemodi oratione sunt, bona collegerit: ac quidquid incommodi nasci illinc potest, declinarit. nam & peregrinitatis quiddam in sermone ipsius erit: seligendo enim verba, a cotidiana & peruulgata loquendi ratione discedet. praeterea industria componendae orationis fallere eos, qui audiunt, poterit: nec enim verba aliunde petuntur, aut noua prorsus inauditaq; auribus aliorum efferuntur: erit etiam sermo apertus, dilucideq; omnia explicabit: propria namq; rerum nomina, & rebus ipsis apta, hoc egregie praestant: translationes quoque & ipsae apertiorem saepe orationem reddunt: quae, vt supra docuimus, virtus est orationis.

Τῶν δ' ὀνομάτων, τῷ μὲν σοφιστῇ, ὁμωνυμίαι χρήσιμοι: παρὰ ταύτας γὰρ κακουργεῖ; τῷ ποιητῇ δὲ, συνωνυμίαι.

E nominibus autem, sophistae aequiuoca vtilia: ducit enim hinc malitias suas, captatque imperitos disserendi: poëtae, nomina, quae plura idem valent.

CVM supra, quae verba oratoribus accommodata vtiliaq; sint, ostenderit, quae alijs etiam quibusdam studijs, atque artibus congruant, declarat: sophistae enim, qui imponere alijs student, verba aequiuoca sectantur, & inde magna ad fallendum auxilia capiunt: ducunt enim ab ijs ipsis verbis, quae, cum plura significent, vnum significare a rudibus indoctisque creduntur, malitias suas: cum enim plures diuersaeq; earum notiones sint, atq; in propositionibus ipsis vno aliquo significatu ceperint, aut ab ijs, cum quibus loquuntur, cepisse existimati sint, alio postea in concludendo vtuntur: &, tamquam id concessum fuerit, videri volunt se rem confecisse: atque ita decipiunt imperitos: poëtae contra συνωνυμίας aucupantur: συνώνυμα enim hic vocat verba, quae plura idem valent. quo intellectu Quintilianus quoque hoc verbum capi affirmat:
» in libro enim viij. inquit. Sed cum idem frequentissime plura significent, quod συνωνυμία vocatur. Et sane Aristoteles varijs in libris scriptionibusq; suis, diuerso significatu hoc ipso nomine vtitur, vt Graeci quoque, eruditissimi ipsius interpretes, testantur: quae enim appellet συνώνυμα verba: quomodoque ea in libro κατηγοριῶν definiat, notum est. In tradendis autem artibus & poëtarum & oratorum: librisque, quos scripsit, vt eorum praecepta explicaret, συνώνυμα appellat, quae postea a Speusippo physico, & alijs, πολυώνυμα vocata fuere: quorum scilicet plura nomina essent: naturae autem ratio, eadem. vt sunt in Graeco sermone λώπιον, & ἱμάτιον, & φᾶρος: cuncta enim eandem rem, nullaque sui parte discrepantem, significant. Hoc etiam copiose docuit, eruditeq; Simplicius in librum κατηγοριῶν, vbi Aristoteleam definitionem συνωνύμων explicat. Cum igitur poëtis vtile saepe sit, eandem rē diuersis nominibus appellare: cum enim in versu includere aliquid eorum nequeunt, alio, quod idem valeat, vtuntur, ideo accommodata ipsis sunt huiuscemodi nomina, quae sono vocis, numeroq; syllabarum inter se discrepant: sensu vero conueniunt. Cum autem in excusis codicibus hic antea περὶ ταύτας legeretur, secutus fidem antiquissimi libri, cui etiam adstipulatur vetus tralatio, παρὰ ταύτας scripsi.

Λέγω δὲ κύριά τε, καὶ συνώνυμα. οἷον τὸ πορεύεσθαι, καὶ τὸ βαδίζειν: ταῦτα γὰρ ἀμφότερα, καὶ κύρια, καὶ συνώνυμα ἀλλήλοις.

Voco autem propria, & synonyma, velut: proficisci, & ire: haec enim ambo & propria, & synonyma sunt inter se.

QVAE simul propria synonymaq; sint, declarat: huiuscemodiq; esse dicit in Graeca lingua πορεύεσθαι & βαδίζειν: idem enim ambo valent, & qui intellectus alterius verbi est, idem est alterius. neutrum praeterea illorum translatum est, sed ambo propria eius rei, quam significant. vnde merito dixit vtrunq; in ambobus coniunctum esse: vt κύρια scilicet ac συνώνυμα inter se sint.

Τιμα

Τί μὲν οὖν τούτων ἕκαστόν ἐστι, καὶ πόσα εἴδη μεταφορᾶς, καὶ ὅτι τοῦτο πλεῖστον δύναται, καὶ ἐν ποιήσει, καὶ ἐν λόγοις, αἱ μεταφοραὶ, εἴρηται, καθάπερ ἐλέγομεν ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς.

Quid igitur horum vnumquodque sit, & quot species sunt translationis: nec non plurimum hoc posse in studio poetarum, & omni oratione, translationes inquam, traditum est, vt diximus, in his, quae de arte poetica scripsimus.

CVM necessarium oratori sit, scire singulorum horum vim ac naturam: cognitumque habere ipsum oporteat, quae sint nomina propria, quae translata, quae συνώνυμα, quae facta: reliquaq;, quae supra appellauit: eorumq; omnium vis diligenter euoluta sit in primo libro de arte poëtarum, ne eadem nunc rursus repetat, eo lectorem reijcit: iubetq; illinc plenam harum rerum intelligentiam haurire: inquit enim. Quid singula haec verba sint, quotq; translationum species inueniantur, & quem fructum illae, ornatumq; afferant oratori, & poëtae, vt supra admonuimus, declaratum a nobis est in libris de arte poetica. In primo tamen eorum librorum, qui vnus e tribus reliquus est, non legitur explicatio συνωνύμων, vt ceterorum nominum, quae hic appellata sunt: videbatur autem illic potissimum ea definire debuisse: quod fortasse negligentia librariorum factum est, culpaue temporum superiorum: nam, cum artem poetarum explicaret, expressisse ipsum naturam συνωνύμων, testatur etiam Simplicius loco illo, quem supra indicaui: cuius haec verba sunt: καὶ γὰρ καὶ ὁ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ ποιητικῆς συνώνυμα εἶπεν εἶναι: ὧν πλείω μὲν τὰ ὀνόματα: λόγος δὲ, ὁ αὐτός: quamuis libri nomen positum non sit, quod etiam culpa eorundem librariorum potuit fieri: nam vidi etiam calamo exaratos codices eruditissimi huius interpretis, in quibus eodem pacto legitur. nisi forte aliquis putet Simplicij iam aetate reliquos duos amissos, quod verum non arbitror. testatur sane ipse monimenta Stoicorum, cum vixit, magna ex parte dilapsa fuisse: scripta tamen philosophi, qui eo tempore maxime vigebat, euanuisse tunc verisimile non est. Animaduertendum autem in verbis Aristotelis, cum dixisset. καὶ ὅτι τοῦτο πλεῖστον δύναται καὶ ἐν ποιήσει, καὶ ἐν λόγοις: proximeque de translationibus locutus foret, vt non facile ignorare posset accuratus lector, quid intelligeret, cur tamen addiderit, αἱ μεταφοραὶ: quod videtur tamquam declaratio quaedam esse eius, quod capi vellet, quasi metueret, ne sensus ipsius perciperetur: eumque, qui legeret, labi nollet: poterat tamen id apertius significare: illud enim, ita positum, duri aliquid in se habere videtur. inuenitur tamen ipse alibi (nisi fallor) ita locutus, vt in primo horum librorum, cum inquit. ταῦτα δ᾽ ὅσῳ τις ἂν βελτίω ἐκλέγηται, τὰς προτάσεις: & quae sequuntur, vbi de hac ipsa re, positis alijs quoque exemplis, copiosius disputaui.

Τοσούτῳ δ᾽ ἐν λόγῳ δεῖ μᾶλλον φιλοπονεῖσθαι περὶ αὐτῶν, ὅσῳ ἐξ ἐλαττόνων βοηθημάτων ὁ λόγος ἐστὶ τῶν μέτρων.

Tanto autem magis opus est in soluta oratione suscipere curam de ipsis, quanto magis illa pauciora auxilia habet, quam versus.

MAIOR pars, meliorque scriptorum librorum habet ἐν λόγῳ: quam lectionem sequitur vetus tralatio: non nulli tamen, vt excusi, ἐν λόγοις habent. supra ψιλοὺς λόγους numero multitudinis, & ῥητορικὸν λόγον vnitatis, appellauit: locus igitur ambabus lectionibus esse potest: quamuis, cum paulo post singulari numero verbum hoc repetat, plurium scriptorum librorum lectio verior putanda est. sententia autem huius loci haec est, tanto maiorem industriam in verbis eleganter transferendis ponere debemus, quanto pauciora ornamenta, quibus adiuuari possit, soluta oratio habet, quam metra. eandem autem supra ipsum protulisse constat, cum inquit. τῶν μὲν γὰρ τῶν μέτρων πολλά τι ποιεῖ τοῦτο. & paulo post: ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις πολλῷ ἐλάττοσιν.

Καὶ τὸ σαφὲς, καὶ τὸ ἡδὺ, καὶ τὸ ξενικὸν ἔχει μάλιστα ἡ μεταφορά.

Et quod reddit orationem planam, & iucundam, & peregrinam in primis translatio in se habet.

PRAETEREA (inquit) si hoc consecuti fuerimus, plura ac mirifica bona vno labore comparauerimus: translatio namque plurimas dotes habet: efficit enim orationem lucidam, & suauem, & peregrinam: redolent enim peregrinum quiddam etiam translationes, quamuis in vsu quoque indoctorum hominum sint: nec a consuetudine vulgaris sermonis abhorreant, quia non suis proprijsq; nominibus res ostendunt. similitudo autem, quae est solum & quasi fundamentum translationum, facit vt illis omnia apertiora clarioraque fiant.

Καὶ λαβεῖν οὐκ ἔστιν αὐτὴν παρ' ἄλλου.

Et non licet sumere ipsam ab alio.

Hoc etiam plurimum valet ad ornandam translationem, quam hic accurate laudat, & ad praestantiam ipsius significandam: quod ab alio ipsam accipere non possumus, sed acumine ingenij nostri, sedulitateque ipsam parauerimus necesse est: quae namq; ab alijs non obtinemus, sed natura tantum studioq; acquirimus, optabiliora sunt: maioremque nobis splendorem afferunt: in libro etiam de arte poëtarum idem ipsi, quibus hic verbis vsus, tribuit: oportet enim, qui hoc ornatu orationis vti velit, ipsum simile videre in rebus ac contemplari. Eodem autem pacto argumentatus est in iij. libro de moribus ad Nicomachum, cum rationem explicaret quorundam, qui ostendere conabantur, homines non sponte peccare, sed inuitos ac coactos: aiebantq; qui a vitijs abhorrerent, accepisse hoc bonum a primo ortu; ferens enim laudibus il-
» lud, ac celebrans, inquit, id esse & maximum & pulcherrimum omnium, καὶ ὃ παρ' ἑτέρου μὴ οἷόν
» τε λαβεῖν· μηδὲ μαθεῖν. In iij. vero Topicorum, cum locos indicaret, vnde aliquid maius bonum intelligi posset, hoc quoque protulit, verbo tantum immutato; magisque expetendum esse in-
» quit, quod ab alio accipere non licet, quam quod licet. Καὶ ὃ μὴ ἔστι παρ' ἄλλου πορίσασθαι, ἢ ὅ ἐστι
» παρ' ἄλλου.

Δεῖ δὲ καὶ τὰ ἐπίθετα, καὶ τὰς μεταφορὰς, ἁρμοττούσας λέγειν.

Oportet autem, & quae adponuntur nomina, & translationes captare, aptas, & quae rebus congruant.

Hoc in translationibus adpositisq; nominibus custodiendum esse tradit, vt congruant rebus, & quibus adponimus, & ad quas aliunde transferimus: quomodoque id fieri possit ostendit, nec non quod incommodum sequeretur si quis hoc negligenter faceret. ἐπίθετον autem quomodo a Latinis hominibus appellaretur, docuit Quintilianus libro viij. cuius haec verba sunt. Or-
» nat enim ἐπίθετον: quod recte dicimus adpositum: a non nullis sequens dicitur.

Τοῦτο δ' ἔσται ἐκ τοῦ ἀνάλογον.

Hoc autem obtinebitur, si seruabitur proportio.

Ad quam normam dirigenda epitheta sint, vt conueniant quibus adponuntur: nec in illis aliquid absonum sit, docet: eadem autem regula verborum translatorum erit. Obtinebimus igitur (inquit) hoc, si ex proportione ipsa duxerimus, obseruauerimusq;, vt ipsa sibi mutuo respondeant: similemque rationem inter se habeant. quod infra ipse simili declarat.

Εἰ δὲ μὴ, ἀπρεπὲς φανεῖται, διὰ τὸ παράλληλα τὰ ἐναντία μάλιστα φαίνεσθαι.

Si hoc non fiat, indecora res esse perspicietur, quia contraria prope posita, cuiusmodi sint, maxime apparent.

Qvid mali, si hoc neglectum fuerit, necessario nascatur, declarat: & causam etiam eius vitij aperit: inquit enim. Si hoc seruatum non sit, vt similem illa inter se rationem habeant, quidquid in ipsis indecori est, apparebit, & nullo modo id decere intelligetur: contraria namque iuxta collocata maxime perspiciuntur, collatioque rerum dissimilium apertius planiusq; naturam earum demonstrat, ac quid in illis absonum est, ostendit. quod vt in adpositis nominibus, ita etiam in translatis contingit: debet enim in his quoque proportio custodiri, vt si senectutem quis occasum vitae dixerit, infantiam idem ortum appellet: hoc enim pacto mutuo sibi respondebunt, quia eandem rationem habet ortus solis ad vitae principium, quam occasus ad extremum. quamuis autem translationis certum genus sit, quod ex analogia sumatur, vt quo vsus exemplo ipse nunc sum, non tamen hoc solum intelligit, sed cuncta translationum genera, quorum partes inter se conferuntur: & cum contrariae sint, sub eodem genere inueniuntur, vt exemplo, quod infra addit, manifestum fit.

Ἀλλὰ δεῖ σκοπεῖν, ὡς νέῳ φοινικὶς, οὕτω γέροντι τί· οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ πρέπει ἐσθής.

Sed videre oportet, veluti adolescenti purpurea vestis, ita seni, quod conueniat: neq; enim eadem decet ambos vestis.

Verum (inquit) accurate attendere oportet, si reprehensionem fugere volumus, cum aut nomen adponimus, vt similitudinem rationum, atq; id, quod quadret, spectemus, vt quemadmodum

adolescentiae purpura vestis manifesto congruit, ita videre, quid seni conueniat: neque enim indumentum idem vllo modo ipsi congruit. Vius autem cum sit simili hoc, vt puto, viam, quam in hac re sequi debemus, ostendere nobis voluit: neque enim adolescenti homini φοινικὶς epithetum est, aut translatio, sed eam vim, quam ostendi, habet hic locus. Quemadmodum (inquit) si certum statutumq; non habemus, quod seni vestimentum conueniat, spectare debemus, quid adolescenti aptum sit, ita in nominibus adponendis: verbisq; aliunde transferendis, nos gerere debemus: similitudinemq; rationum sectari.

Καὶ ἐάν τε κοσμεῖν βούλῃ, ἀπὸ τοῦ βελτίονος τῶν ἐν ταὐτῷ γένει φέρειν τὴν μεταφοράν: ἐάν δὲ ψέγειν, ἀπὸ τῶν χειρόνων.

Et si exornare velis, a meliore omnium, quae in eodem genere sunt, ducere translationes: si autem vituperare, a peioribus.

QVOD si rem ornare ac decorare vis, a meliori omnium, quae in eodem genere inueniuntur, transferre nomen debes: contra si deturpare & infamare, a deterioribus: verum quia hoc ita prolatum obscurum videri potuit, totam rem accurate exponit. Variaui autem hic aliquantulum lectionem: in excusis enim antea legebatur. ἀπὸ τῶν βελτιόνων, τῶν ἐν τῷ γένει. feci autem id secutus fidem antiquissimi libri, cum quo facit etiam vetus tralatio.

Λέγω δ' οἷον, ἐπεὶ τὰ ἐναντία ἐν τῷ αὐτῷ γένει, τὸ φάναι τὸν μὲν πτωχεύοντα, εὔχεσθαι: τὸν δὲ εὐχόμενον, πτωχεύειν, ὅτι ἄμφω αἰτήσεις: τὸ εἰρημένον ἐστὶ ποιεῖν.

Intelligo autem, ceu quia contraria sunt in eodem genere, affirmare mendicantem rogare: & rogantem mendicare: ambo namque sunt postulata, quod dictum est, erit moliri.

GENVS hic appellat αἰτεῖν, idest poscere: quod duas habet partes, εὔχεσθαι & πτωχεύειν: qui enim a dijs immortalibus commodi aliquid postulant, εὔχεσθαι dicuntur. res autem dignitatem in se habet: nemo enim tam fortunatus, qui non auxilio deorum egeat, ac saepe votis opem ab illis imploret. qui stipem, ac quibus producere vitam possint, cogunt, vt mendici homines faciunt, πτωχεύειν proprie dicuntur. Homerus in xvij. Odysseae ita inducit Telemachum cum Eumaeo loquentem: suadentemque illi, vt Vlyssem, quem ignorabat, sordido palliolo indutum, in vrbem deduceret, vt illic, quo se aleret, hoc pacto parare posset. " Τὸν ξεῖνον δύστηνον ἄγ' ἐς πόλιν, ὄφρ' ἂν " ἐκεῖθι Δαῖτα πτωχεύῃ. qui igitur, eum, qui a dijs immortalibus votis aliquid peteret, diceret translato nomine, πτωχεύειν mendicareq;, hic manifesto eum dedecoraret: vt contra ornaret, qui mendicantem, diceret εὔχεσθαι: neque enim humile est, εὔχεσθαι: & ignominiam ei proprium nomen adferret, vt res ipsa, quam facit. Ostendit igitur quomodo recte fieri possit, quod praeceperat: idest quam viam sequi debeat, qui ornare quempiam auxilio translati verbi, aut vitam factumq; eius extenuare vult: a contrarijs enim rebus verba sumenda docet, quae tamen sub eodem genere valde inter se distantes res sint: nam genus translationis esse a specie ad speciem sub eodem genere positam, certum est: contraria vero munera sunt, quae appellat: quibusq; exemplis huius documenti vtitur, quia ipsorum alterum dignitatem habet: alterum vero tenue, & abiectum ministerium est. Plato quoque in sermone, qui inscribitur Euthyphron, εὔχεσθαι dixit esse petere aliquid a dijs immortalibus. & in vj. libro de legibus εὐχάς, huiuscemodi postulatio- " nes. Τρίτος δ' οἶμαι νόμος, ὅτι γνόντας δεῖ τοὺς ποιητάς, ὅτι εὐχαί, παρὰ θεῶν αἰτήσεις εἰσί.

Ὡς καὶ Ἰφικράτης Καλλίαν μητραγύρτην, ἀλλ' οὐ δᾳδοῦχον.

Quemadmodum & Iphicrates Calliam appellabat metragyrtem, non autem daduchum.

SIC enim legi debet: in cunctis tamen antea excusis libris mendose scriptum erat μιτραγύρτην, & non paucis etiam scriptis: in solo namque antiquissimo libro hunc locū purgatum integrumq; inueni. Μητραγύρται appellabantur, qui magnae matri stipem cogebant: ἀγύρται enim mendici erant, & qui emendicato pane viuerent: iunctum autem ita nomen, eos, qui ipsi illi deae, vt loquebantur, emendicarent. Clemens in iij. paedagogo, cum de superstitiosis mulieribus loqueretur, quae impura haec hominum genera colerent: cumque ipsis in publico etiam assidue ver- " sarentur, hos quoque appellauit. περιφέρονται δὲ αὗται ἀνὰ τὰ ἱερὰ ἐκθυόμεναι καὶ μαντευόμεναι, ἀγύρ- " ταις, καὶ μητραγύρταις καὶ γραΐαις βωμολόχαις οἰκοφθορούσαις ὁσημέραι συμπομπαιδεύεται. Idemq; in suasione ad Graecos, Menandri comici versus adducit, quibus mentio ipsorum fieret: eorundemque instituta

» stituta damnarentur. Οὐδεὶς μ' ἀρέσκει πῶ ἐπακτῶν ἔξω θεός. Μετὰ γραός: ἐσὶ εἰς οἰκίας περιιὼν ἐπὶ
» σανιδίῳ μητραγύρτης. addit autem statim eruditus ac pius scriptor. τοιοῦτοι γὰρ οἱ μητραγύρται. Ci-
» cero, cum in ij. libro de legibus inquit, praeter Ideae matris famulos: eosq; certis diebus, ne-
quis stipem cogito, μητραγύρτας intellexit. nam quod ad dies pertinet, quibus stipem cogendi
ipsis facultatem reliquerat Cicero, μητρωακὰς ἡμέρας eos vocabant: certis enim quibusdam die-
bus sacra illa colere moris erat: castos autem eos, qui superstitione illa tenebantur, ducebant,
» vt ex verbis antiqui scriptoris colligitur, quae a Suda adducuntur. τὰς δὲ μητρωακὰς παρὰ ῥω-
» μαίοις, ἢ καὶ πρότερον παρὰ φρυξὶ πεφυλαγμένας ἡμέρας καθαρὰς, ἑκάστου μηνὸς ἥγνευε: sunt autem illa Marini
Neapolitani, e libello, quem Proclum inscripsit, ἢ περὶ εὐδαιμονίας, sumpta. Lucretius in ij. li-
» bro, cum sacra ritusq; illos exponeret, inquit. Aere atq; argento sternunt iter, omnia circum
» Largifica stipe ditantes. Clearchus quoq; apud Athenaeum in xij. libro δειπνοσοφιστῶν, cum in-
felicem exitum Dionysij, iunioris Siciliae tyranni, dignum tamen vita factisq; ipsius, commemo
raret, tradit ipsum, expulsum illo suo iniusto regno, huc tandem confugisse, atque humilia haec
sordidaque ministeria inopia coactum tractasse: in ea autem re exponenda eodem nomine vti-
» tur: haec enim verba ipsius sunt. αὐτὸς δὲ Διονύσιος τέλος μητραγυρτῶν καὶ τυμπανοφορούμενος, οἰκτρῶς
» τὸν βίον κατέστρεψεν. nam tympana ministros eius deae gestare solitos, indicat idem Latinus poe-
ta, cum cecinit. Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum Concaua. Quod pro me
autem non facio, dignitas summorum virorum, beneq; de studijs litterarum meritorum, impel-
lit, vt pro ipsis faciam: non possum enim ferre Maioragium, occasionem nullam huius rei na-
ctum, hoc ipso in loco, maledicere doctissimis viris: neque enim ille, cum iunctum hoc nomen
μητραγύρτης corruptum foret, ac pro ipso perperam legeretur in omnibus fere libris μιτραγύρτης,
maculam hanc deleuit: neque rationem huius nominis historiamque aperuit, positis exemplis,
quae totam rem illustrarent, sed ego: qui tamen, & si idem videram, peccasse inquam eos, & in
hoc lapsos esse, perperci tamen honori illorum: condonauiq; errorem hunc multis eorundem
vtilibus animaduersionibus: magis enim oporteret, qui amant bonas artes, certare inter se de
illis ingenio, operaque sua adiuuandis, quam de laude praua ratione, & cum dedecore indi-
gnorum, adipiscenda.

Ὁ δ' ἔφη ἀμύητον αὐτὸν εἶναι: οὐ γὰρ ἂν μητραγύρτην αὐτὸν καλεῖν, ἀλλὰ δᾳδοῦχον.

Hic autem respondit, non esse illum initiatum: neque enim metragyrtem, sed daduchum ipsum appellasset.

MVNERA famulorum Ideae matris plura, magnopereq; inter se discrepantia fuere: quaedam enim sordidiora, quaedam honestiora erant. praeferre faces, honestum putabatur: cogere vero stipem, abiectum ministerium. Iphicrates igitur Calliam dehonestare studens, a sordidiore munere eum appellauerat: Callias autem, dignitatem suam defendens, rudem penitus Iphicratem totius negotij esse dixit: nec sacris illis initiatum: non enim appellaturum se vmquam fuisse μητραγύρτην, sed δᾳδοῦχον, cum faces praeferre soleret, non stipem, vt ille falso obiecerat, cogere: Calliae autem huius, Hipponici filij, qui δᾳδοῦχος vocitari solitus erat, meminit Xenophon in vj. libro de rebus Graecorum, cum legatos Atheniensium, qui de pace Lacedaemonem missi erant, referret, & cuiusmodi etiam foret ingenium eius narrauit: erat enim ventosus homo, vt non minori voluptate afficeretur, si ipsemet res suas celebraret, quam si ab alijs illas gloriose praedicari audiret. vt oratio quoque indicat, quam ab eo illic habitam facit.

Ἄμφω γὰρ περὶ θεὸν, ἀλλὰ τὸ μὲν, τίμιον: τὸ δὲ, ἄτιμον.

Ambo enim haec ministeria seruiunt illi deae: verum hoc honoris plenum: alterum autem sine honore.

HAEC, non vt a Callia edita, referuntur, sed auctoris nomine exponuntur, qui docet in hac re seruatum fuisse, quod ipse supra admonuit: cum enim hae partes ambae ministeriorum munerumque magnae matris essent, alterum in se dignitatem: alterum vero turpitudinem foeditatemque habebat. Iphicrates igitur, qui notare inimicum voluit, sordesq; illi obijcere, quod erat in eo genere deterius sordidiusq; arripuit. Inquit igitur Aristoteles, ambo sane haec munera sunt seruientium illi deae: verum alterum eorum honestum: alterum vero abiectum, & ab omni honore vacuum.

Καὶ ὁ μὲν διονυσοκόλακας: αὐτοὶ δ' αὑτοὺς τεχνίτας καλοῦσι.

Et hic quidem liberi patris assentatores: hi vero semet ipsos artifices vocant.

CVM in excusis antea legeretur, καὶ οἱ μὲν διονυσιοκόλακες, duobus variatis nominibus ita emendaui.

daui. Vtriusq; autem immutationis testem ac ducem habeo antiquissimum librum, quem sequitur etiam vetus tralatio, nam iunctum id nomen, accusandi, non nominandi casu esse debere, cuncti paene scripti libri confirmant: quamuis prima pars eius nominis e Syracusarum tyranni nomine, non Liberi patris apud illos ducta sit. Prioris immutationis ratio certa reddi non facile potest: siue enim hoc numero: siue illo legi debeat, ex historia fides petenda est. Certus ne aliquis scriptor, aut clarus vir primus coeperit ita sodales Dionysij appellare, an multitudo ipsa & magna pars hominum, quibus flagitiosa eorum ratio nota erat: sententia sane ipsa, vtro modo legas, non variatur, quae (nisi fallor) haec est. Nec defuit, qui sodales Dionysij tyranni: flagitiososq; homines, qui ipsi assentari in animum induxerant, appellaret iuncto nomine, non proprio tamen, διονυσοκόλακας, quasi Liberi patris assentatores: ita enim (vt arbitror) vocari solebant, qui in comoedijs inducebantur adulatores impuri, & quasi foedi illius studij exemplaria: ipsi vero illi ministerium illud suum ornantes, se ipsos artifices vocabant, in eadem translatione manentes, & ad Liberum patrem, διόνυσον a Graecis vocatum, vt qui ipsos infamare volebant, alludentes: appellabantur autem ita (vt puto) qui scenam ornabant: siue fabulas ipsas agebant, quas ludis Liberi patris docere Athenienses consueuisse notum est, siue Bacchus aliquos prope se habere soleret animi causa, qui ipsum artificio suo, lepidisq; dictis oblectarent. Horum mentionem fecit Athenaeus in v. libro δειπνοσοφιστῶν his verbis, cum Ptolemaei Philadelphi pompam exponeret. μεθ' ὃς ἐπορεύετο Φιλίσκος ὁ ποιητής, ἱερεὺς ὢν διονύσου, καὶ πάντες οἱ περὶ διόνυσον τεχνῖται. Epicurus, cum Platonis familiae maledicere vellet, vt refert Laërtius, διονυσοκόλακας ipsos μεταφορικῶς appellauit, tamquam assentatores eos, non sodales, insimulans. In Athenaeo, vt opinor, mendum est: cum enim narraret assentatores Dionysij, quos hic intelligit Aristoteles, ab ijs, qui conscij erant nefariae ipsorum vitae studijq;, facete perstringi solitos, sic apud eum in excusis libris legitur. πλείστους δὲ εἶχεν καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ Διονύσιος τῶν κολακευόντων, οὓς καὶ προσηγόρευον οἱ πολλοὶ Διονυσιοκόλακας, cum scribi debeat (nisi fallor) διονυσοκόλακας: quid enim acutum lepidumque vox illa in se habuisset, si ita locuti forent? cum, si διονυσοκόλακας legatur, non parum leporis vrbanitatisque in ea ex translato verbo appareat.

Ταῦτα δ' ἄμφω μεταφορά: ἡ μὲν, ῥυπαινόντων: ἡ δὲ, τοὐναντίον.

Haec autem ambo translatio sunt: haec quidem sorde foedantium: haec vero contra.

EXEMPLI huius vim explicat: docetq; contineri in eo quoq;, quod supra ipse praecepit: ne aliquis enim hoc ignoret inquit. ambae hae voces translatio sunt: longe tamen diuersas res efficientes: altera enim ab ijs prolata, qui dedecorare & sordibus inquinare illos vellent: altera contra: ab ijs scilicet edita, qui maculam, quam ipsis foeda illa vitae ratio afferret, eluere & abstergere conarentur, ac sibi dignitatem aliquam inde acquirere, atque ideo honestiore nomine se vocarent.

Καὶ οἱ μὲν λῃσταὶ αὑτοὺς πορισταὶς καλοῦσι νῦν.

Et praedones semet ipsos nunc vocant rei coactores.

PRAEDONES praeterea hoc faciunt: ipsi enim se met ipsos (inquit) nunc ποριστὰς vocant, quasi studiosos rei quaerendae: rem autem quaerere honestum est, ac laudem meretur: honestis tamen rationibus: non, vt illi, prauis ac facinorosis. nunc autem inquit, vt suspicor, quia priscis temporibus id turpe non erat, & ipsi se ipsos, vt erant, λῃστὰς vocabant: quod narrat Thucydides in primo historiarum libro copiose. postquam autem id turpitudini, non gloriae, vt olim, haberi coeptum, & ipsi notam illam fugientes, arti illi suae honestius nomen imposuerunt, translatum tamen id quoq; fuisse patet: translatum autem a genere ad speciem: πορίζειν enim commune est rectis prauisq; rationibus patrimonij augendi. Quae in excusis antea codicibus legebantur, verba illa αὐτοὶ δὲ sustuli, quia in nullis scriptis codicibus inueni, nec vetus tralatio illa reddit.

Διὸ ἔξεστι λέγειν, τὸν ἀδικήσαντα μὲν, ἁμαρτάνειν: τὸν δ' ἁμαρτάνοντα, ἀδικῆσαι.

Quare licet dicere eum, qui iniuste aliquid fecit, lapsum esse: quique lapsus est, iniuste fecisse.

CVM igitur haec vis translationum sit, ac possint res ope illarum & decorari & dehonestari, planum est nos, rationem hanc sequentes, & crimina minuere & amplificare posse: cum enim subleuare, qui iniusti quippiam fecerit, volumus, lapsum illum esse dicere licet: contra, qui leuiter peccauerit, iniuste fecisse: ostendit namq; nobis licere in iudicijs quoq; ac foro illis vti: primum autem exemplum est translationis a specie ad speciem.

Καὶ τὸ

Καὶ τὸν κλέψαντα, καὶ λαβεῖν, καὶ πορθῆσαι.

Et qui furatus est, & sumpsisse, & depopulatum esse.

TRANSLATO item nomine, quo rem eam appelles, culpa illius, qui furtum fecerit & conteri, & augeri potest: nam & sumpsisse illum, & depopulatum esse dicere licet: qui enim furtum fecit, sustulit ac cepit manifesto: non omnes tamen, qui capiunt, in eadem culpa sunt: sunt enim honestae quoq; rationes sumendi. Est igitur haec translatio a genere ad speciem, cum sumere, genus sit: quod & furari & praedari & plures alias rationes continet. Cum vero eundem depopulatum esse dicimus, translatio est de specie ad speciem: πορθῆσαι enim & ipsum sumendi species est. Dici autem de furibus quoque λαβεῖν, cum aliquid surripiunt, docet ipse etiam in libro sophisticorum Elenchorum, cum inquit. Οὐ γὰρ εἰ κακόν ἐστιν ὁ κλέπτης, καὶ τὸ λαβεῖν ἐστὶ κακόν. & paulo post iterum.

Τὸ δέ, ὡς ὁ Τήλεφος Εὐριπίδου φησί, κώπας ἀνάσσειν.

Illud autem, vt Telephus Euripidis inquit, remi regnatorem esse.

IN translationibus quoque peccari posse ostendit: vt enim, qui recte hoc faciunt, magnum ornatum orationi afferunt, ita, qui apte verba non transferunt, merito reprehenduntur ac deridentur. Euripides quandoque in hanc culpam incidit: cum enim fabulam docuisset, in qua Telephus inducebatur ita loqui, κώπας ἀνάσσειν, lapsus est, nec quod decet, seruauit: maius enim est ἀνάσσειν, quam vt conueniat ei, qui remum tractet: neq; remiges commode dici possunt, regnatores remorum. Arbitror autem κώπας Dorico more generandi casu positum a poëta fuisse, aut vitio librarij nunc ita legi, cum κώπης vera lectio sit. Eandem metaphoram vsurpauit Euripides, cum in Cyclope ita induxit Silenum cum choro loquentem. ἐγὼ πρὸς ἀκταῖς ναὸς ἑλλάδος σκάφος κώπης τ' ἄνακτας, σὺν στρατηλάτῃ τινί. Sed etiam in Helena μεταφορικῶς eodem verbo vsus est: dominosq; vehiculorum, siue potius quos rex praefecerat rhedis, significare volens, sic locutus est. πείσηκας ἄντιν' οἵτινες πτεραζύγων ὄχων ἀνάσσουσ', ὥς τι νῷν δοῦναι δίφρε. loquitur autem illic Menelaus cum Helena. consideres ne te persuadere posse alicui ex his, quibus curae sunt rhedae quadrigaeq; regiae, vt potestatem nobis faceret vehiculorum, quibus nos fugam capesseremus?

Καὶ ἀποβὰς εἰς Μυσίαν, ἀπρεπὲς, ὅτι μεῖζον τὸ ἀνάσσειν, ἢ κατ' ἀξίαν· οὐ κέκλεπται οὖν.

Et cum descendisset in Mysiam, indecorum est: grandius namque est regnatorem esse, quam ferat natura tenuis illius rei: non igitur clam est studium exornantis.

SEQVERENTVR ne superiora illa, haec verba, an aliud exemplum essent, ex eadem tamen fabula sumptum, affirmare non ausim, cum tragoedia omnis illa perierit. Aristoteles vt vnum tantum locum, in quo lapsus Euripides esset, videtur illa attulisse: in verbo enim tantum ἀνάσσειν peccasse poëtam ostendit. nam in altero quoque ἀποβὰς, seruatum id, quod decet, non esse, vt Graecus interpres censet, nullo modo arbitror: non enim mihi translatum videtur, nec si de vno etiam, qui e naui exeat, proferatur, indecore eum, qui ita loquatur, dicturum censeo: nihil tamen certi de hac re afferri potest. illud miror, vnde senariolum, qui apud eum posteriora haec verba sequitur, acceperit ἐτραυματίσθη πολέμῳ βραχίονι. nam si verus esset, illic potius μεταφορικῶς locutum Euripidem iudicarem: corruptum omnino locum crederem, nisi in omnibus, quos vidi, scriptis codicibus, ita legi cognouissem: vetus etiam tralatio hanc scripturam refert.

Ἐστὶ δὲ καὶ ἐν ταῖς συλλαβαῖς ἁμαρτία: ἐὰν μὴ ἡδείας ᾖ σημεῖα φωνῆς.

Peccare etiam potest aliquis in syllabis, si non fuerint notae iucundae vocis.

VARIETATIS hoc inueni in scriptis codicibus, quod tamen sententiam non variat: vidi enim, in quibus, vt in excusis ἁμαρτία legitur, sunt etiam, qui ἁμαρτάνειν habent: quam scripturam vetus quoq; tralatio sequitur. nisi multam curam adhiberet (inquit) transferendo verba, vt in sententijs, ita etiam in syllabis ipsis ac sono, aliquis peccare posset, si verba ipsa, quae transfert, notae non sunt suauis vocis, sed asperae. in quo lapsus est Dionysius, poëta elegi carminis, qui cognomento χαλκοῦς appellabatur: cum κραυγὴν Calliopes, poëma ac musarum vocem appellauit: κραυγὴ enim clamor est, & asperum inconditumq; sonum significat: vox autem musarum lenis ac suauis esse creditur.

Οἷον Διονύσιος προσαγορεύει ὁ χαλκοῦς ἐν τοῖς ἐλεγείαις κραυγὴν Καλλιόπης, τὴν ποίησιν.

Veluti

Veluti Dionysius, cuius cognomen fuit Chalcus, appellat in suis elegijs stridorem Calliopes, poësin.

DIONYSII huius, cui ab aere nomen impositum fuit, mentionem fecit Plutarchus in Nicia, poëmaq; ipsius vsque ad sua tempora mansisse narrat. Athenaeus quoque in x. libro, testimonium inde citans, ita illum vocatum tradit. οὐ κακῶς εἶπεν ὁ χαλκοῦς ἐπικαλούμενος Διονύσιος ἐν τοῖς ἐλεγείοις κυκλίων ἐρέτας ἔφη, & quae sequuntur. Sed etiam in xv. cur ita appellatus sit, narrat: ἀλλ' ἵνα κἀγὼ φησὶ, μνημονεύσω τοῦ χαλκοῦ ποιητοῦ καὶ ῥήτορος Διονυσίου: χαλκοῦς δὲ προσηγορεύθη διὰ τὸ συμβουλεῦσαι Ἀθηναίοις χαλκῷ νομίσματι χρήσασθαι. In eandem autem fortasse culpam incidit Horatius, cum in epistola ad vilicum inquit - nec meretrix tibicina, cuius Ad strepitum salias, terrae grauis: nequis autem putet strepitum appellasse, quod inconditum sonum, musicam artem non bene cantantis mulieris significare voluerit, eadem translatione vsus est, cum de procis Penelopes, qui optimum citharoedum habebant loquens, inquit: - & ad strepitum citharae cessatum ducere curam.

Ὅτι ἄμφω φωναί: φαύλη δὲ ἡ μεταφορὰ ταῖς ἀσήμοις φωναῖς.

Quod ambae voces sunt: mala autem translatio, cum vtatur vocibus sine significatu.

NON peccauit Dionysius, quod inde nomen, vnde non licebat, transtulisset: nam sermo musarum & clangor strepitusq;, voces sunt. a forma autem ad formam, quae sub eodem genere sit, potest recte verbum transferri. Sed quod suauissimam omnium vocem, asperrima & quae nihil significaret, exprimere voluit: κραυγὴ enim clangorq;, est vox e genere earum, quas ἀσήμους, quod nihil significarent, Graeci appellabant.

Ἔτι δὲ οὐ πόῤῥωθεν δεῖ, ἀλλ' ἐκ τῶν συγγενῶν, καὶ τῶν ὁμοειδῶν μεταφέρειν.

Amplius autem non e longinquo transferre decet, sed ex ijs, quae sunt sub eodem genere, atque eiusdem speciei.

HOC etiam (inquit) animaduertere in transferendis verbis oportet, ne longe ducantur, sed ex rebus, quae propinquae & affines inter se sint. Phalereus idem praecepit. μή τι μὴν πόῤῥωθεν μεταφέρειν ἐξ οἰκείων κατ' αὐτόθεν καὶ ἐκ τοῦ ὁμοίου: & quae sequuntur. nam exemplis quoq; id illustrat. Sed etiam Cicero in iij. de Oratore: Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. Syrtim patrimonij: scopulum libentius dixerim. Charybdim bonorum, voraginem potius: facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur. Cum autem ostenderit Aristoteles, quot modis peccari possit in verbis transferendis, libet indicare locum M. Ciceronis, in quo accusauit Tironem suum, qui lapsus fuerat in hac virtute persequenda: nimisq; duriter dixerat Inseruire valetudini fideliter. Vnde enim inquit, in istum locum fideliter venit? cui verbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multae. nam & doctrina & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici potest, vt sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda tralatio. Sed alium etiam ostendere, valde similem huic huius nostri doctoris, non alienum puto: ipse enim quoque in iiij. libro de rebus superis, significauit, ὠμότητα, cuius Graeci nominis notioni respondet vndequaq; Latinum cruditas, dici multis modis, quemadmodum etiam contrarium ipsius πέπανσιν, idest concoctionem. nam, vt ipse ait, reliquiae ventris quaedam, & destillationes ὠμαὶ, idest crudae appellantur, reddita ratione huius rei ac nominis: addensq;. Quod si liberius migrare velimus, & e propria huius nominis sede, magis discedere, dicentur etiam lateres crudi, ceteraque huiuscemodi fictilia: nec non lac crudum: & alia multa. quae tamen cuncta, vt semper existimaui, vocari potius debent ὁμωνυμίαι, quam μεταφοραὶ, vt etiam superiora Latina vocabula, & si illa a Cicerone translata vocantur, sed redeamus ad ea, quae hic ab eo traduntur.

Τὰ ἀνώνυμα ὀνομαστικῶς: ὃ λεχθὲν δῆλον ἐστιν ὅτι συγγενές.

Quod si forte sine nomine fuerint, nomen ipsis imponendum est: quod vt editum est, declarat se affine esse.

ITA vt, quae nomine carent, illo donentur: quo prolato statim intelligatur affinitas: ita enim apertae erunt, nec vlla in his manebit obscuritas. quo vitio, vt ipse infra tradit, abundant, quae e longinquo petitae sunt. Hanc autem originem habuisse translationes, Cicero quoque multis locis testatur, cum res scilicet suum nomen ac proprium vocabulum non haberet: id enim significare manifesto voluit in iij. de Oratore, cum inquit; Tertius ille modus transferendi

verbi

verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta & angustijs: ἀνώνυμα vero dici, quae suum ac proprium vocabulum non habent, planum est. Cum igitur hac necessitate premimur, praecipit Aristoteles, vt a rebus similibus nomina sumamus: atq; id, quod suum non habet, alieno, quod tamen ei conueniat, nomine exponamus: numquam autem, si ingenio valebimus, accurateq; hoc tractabimus, non verbum, quod illi rei explanandae, quae nomine caret, aptum sit, inueniemus: vt Cicero quoq; in eodem libro aperte his verbis testatur: Nihil est enim in rerum natura, cuius nos non in alijs rebus possimus vti vocabulo, & nomine. & quae sequuntur: totam enim rem copiose tradit. Videtur vero hoc aduersari Porphyrij sententiae, qui putauit vocari non debere translationem, cum res aliqua, nomine carens, alieno nomine vocatur: esseq; voluit ipsas ὁμωνυμίας. ἀνώνυμον autem valere, quod dixi, satis constat: infra etiam, quod idem ostendit, noster, exemplum ponens, aenigmatis celebris, inquit: ἀνώνυμον γὰρ τὸ πάθος.

Οἷον ἐν τῷ αἰνίγματι, τῷ εὐδοκιμοῦντι.

Veluti in aenigmate valde probato.

Vt in aenigmate (inquit) maxime celebri: nam valde probatum illud fuisse intelligi potuit, quamuis id non addidisset, quod a multis grauibusq; auctoribus mentio illius fit. Athenaeus tamen solus (quod sciam) integrum illud ponit: duobus autem versibus constabat, nec non quid valeat ostendit: in x. enim libro δειπν. cum de griphis ageret, inquit. πολλοὶ δὲ γρίφων καὶ ποιηταί τινές εἰσιν, οἷον. Ἄνδρ᾽ εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ᾽ ἀνέρι κολλήσαντα Οὕτω συγκόλλως, ὥστε σύναιμα ποιεῖν: τοῦτο δὲ σημαίνει τῆς σικύας προσβολήν. Aristoteles in libro de arte poëtarum priorem item versum posuit: nec non Demetrius in libro de elocutione. Plutarchus etiã in symposio septem sapientũ.

Ἄνδρ᾽ εἶδον πυρὶ χαλκόν.

Virum vidi igne aes.

Ita locum restitui, antea deprauatum: vnum enim ex duobus verbis conflatum erat, & πυρίχαλκον perperam in cunctis excusis legebatur: nec tamen libros vllos scriptos, qui integram hanc lectionem retinerent, inueni. quare coniectura opus fuit: multis autem modis ita legi debere intelligitur. non paruum argumentum est, quod cum aenigma aliter fieri non possit, nisi plurimae concurrant translationes, non tanta vis antea hic ipsarum erat, vt id conflari potuisset: nunc vero, cum ambo haec verba translata sint, augent valde numerum translatorum verborum. Translata autem sunt a specie ad genus, nam cum flammam, ignis speciem, appellare deberet, genus ipsius posuit. eadem ratio est consequentis verbi: cum enim certum ex aere vas dicere oporteret, & tamquam ipsius speciem partemque, genus totumque nominauit. Ignem vero genus esse flammae planum est: idque testatur etiam Aristoteles in v. libro Topicorum his verbis. Οὐ γάρ ἐστιν ἓν εἶδος τοῦ πυρός: ἕτερον γάρ ἐστι τῷ εἴδει, ἄνθραξ, καὶ φλόξ, καὶ φῶς: ἕκαστον αὐτῶν πῦρ ὄν. Ex aere autem quoque cucurbitulas veteres fabricari consuesse ex monimentis Graecorum medicorum intelligitur, neque ex vitro tantum, vt nunc passim fit. Paulus quoq; in vj. libro capite περὶ σικυάσεως, id ostendit, vbi etiam ex hac materia factas, vitreis anteponit, quo sanguini euocando aptiores sint, cum maiorem flammam sustineant: vitreae vero facile frangantur. Haec ipsius verba sunt. ἀλλὰ ὀλκιμώτεραι μᾶλλον εἰσὶν αἱ χαλκαῖ, πλείονος ἀνεχόμεναι φλογός, τῶν ὑαλίνων ἑτοίμως καταρρηγνυμένων.

Ἐπ᾽ ἀνέρι κολλήσαντα.

Super viro glutinantem.

Hoc exemplum est translationis, cum rei, carenti nomine, nomen damus: aperta autem in eo est nominum propinquitas: quis enim non videt κόλλησιν, cucurbitulae admotioni genere finitimum esse, cum vtraque manifesto adpositio quaedam sit. κόλλησιν autem conglutinationemq; translatum hic verbum esse patet: neque enim glutinis hic vsus vllus, cum in coniungendis lignis fabri hac materie vtantur, quorum lignorum compactio proprio nomine κόλλησις vocaretur.

Ἀνώνυμον γὰρ τὸ πάθος.

Hic enim affectus nomine caret.

Nec enim vnum verbum est, quod proprio nomine hanc rem ostendat, quam duobus significauit Aristoteles: qui cucurbitulas corpori admouere dicunt, rem potius describunt, quam suo ac proprio nomine ipsam appellent. Πάθος vero, quod nominauit, intellexit genus hoc curationis, non motum animi, in quo, cum opera requiratur, eius, qui molitur, chirurgiq; ab eo, qui accipit aegrotoq; hoc vocauit.

Ἔστι δ᾽ ἄμφω πρόσθεσίς τις: κόλλησιν τοίνυν εἶπε τὴν τῆς σικύας προσβολήν.

Sunt autem ambo appositio quaedam: glutinationem igitur dixit cucurbitulae admotionem.

EXPLICAT vim eius aenigmatis: & quamuis alia in ipso translata verba sint, quod tamen illic plurimum valet, ostendit: non parua enim pars obscuritatis in eo gignitur, quod tamquam de lignorum compactione locutus est. A simili tamen re nomen sumptum est: nam & cum admouentur corpori aegroti cucurbitulae, & cum materies materiei glutine adplicatur, vnum & idem est: adhaesus scilicet quidam adpositusq;. Ille igitur (inquit) auctor inquam huius aenigmatis, appellauit κόλλησιν, adiectum cucurbitulae: quamuis nomen hoc in disticho non sit, sed nunc nomen a verbo conformatum deductumq;: nunc autem aduerbium, quo significatur more glutinis aliquid firmiter haerere.

Καὶ ὅλως ἐκ τῶν εὖ ᾐνιγμένων ἔστι μεταφορὰς λαβεῖν ἐπιεικεῖς: μεταφοραὶ γὰρ αἰνίττονται.

Et demum ex ijs, quae bene aenigmate tractata fuerint, licet nobis sumere translationes probas: translationes namque obscuritatis aliquid in se continent.

SI aenigmata ingeniose apteq; conclusa animaduerterimus, facultatem habebimus illinc translationes non malas sumendi: crebrae enim translationes vsurpatae, aliam orationem efficiunt, & nisi modus in illis adhibeatur, aenigma gignunt, & quae sequuntur. Cicero in iij. de Oratore effici aenigmata ex coaceruatis pluribus translationibus, & ipse affirmat: cum enim plu-
» res continuatas ἀλληγορίαν efficere dixisset, de illa ipsa oratione loquens, inquit. Est hoc ma-
» gnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est: etenim ex hoc genere fiunt ea,
» quae dicuntur aenigmata. Articulum, quem antea hic excusi habebant, sustuli (αἱ μεταφοραὶ γὰρ prius legebatur) quia in nullo scripto inueni: nunc autem quid praeterea suspicer, indicare libuit: vereor enim ne μεταφορᾷ dandi casu, numero vnitatis, scribi debeat, sono tantum vocis variato, nullaque alia immutatione facta: prisca enim exemplaria non extremae vocali literam ι subscriptum habent, vt inferiori aetate fieri coeptum est, sed in ordine aliarum collocatum, vt hic sensus sit huius loci: qui aenigmata conflant, & obscuras has voces studiose fingunt, translatione vtuntur, & ope illius tenebras ei, quod obscure dicere volunt, obducunt. Animaduertendum autem, quomodo hoc accipi debeat. nam videtur aduersari ei, quod dixerat non multo supra, non licere sumere ab alio hoc bonum: si namque illae ducuntur ex ingeniosis maximeq; probatis aenigmatibus, quomodo non sumuntur ab alijs? illic enim ipsa aenigmata sunt excogitata industria & acumine aliorum, quae nihil aliud sunt, quam plurium translationum apta coagmentatio. An non intellexit eas, cum inde ducuntur, vsurpanturque postea in dicendo, proprie vereque posse vocari translationes, sed significare voluit, siquis alicui monstrare studeat, cuiusmodi sint translationes, exemplo illarum, quae multae illic coactae sunt, facile hoc praestare posse.

Ὥστε δῆλον, ὅτι εὖ μετενήνεκται.

Quapropter apparet aenigma illud bene compositum fuisse.

CVM translationes igitur aenigmatis naturam habeant, ex aliquoque probato aenigmate, ingenioseq; conformato, aliqua eruta fuerit, non est dubitandum, quin illa elegans translatio bonaq; futura sit, & laudem ei, qui ipsa vsus fuerit, non paruam allatura: quae autem εὖ μετενηνέχθαι hic dicit Aristoteles, ratione translata & translationem sumptam ratione, Cicero appellat in tertio libro de Oratore.

Καὶ ἀπὸ καλῶν.

Et a pulchris rebus translationes sumendae.

CVM supra, vnde quaedam elegantes translationes atque illustres sumi possent, ostendisset: quidq; in illis seruandum esset accurate docuisset, addit nunc duci etiam illas debere a rebus pulchris speciosisque: pendent enim haec quoque, quamuis valde remota sint, a superioribus illis verbis, δεῖ μεταφέρειν. habet igitur hoc praecepti vim: quod vero ab honestis rebus, simile duci vult, idem significauit, contrarium prohibens damnansque, illic his verbis Cicero. Fu-
» gienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet simili-
» tudo. Nolo morte dici Africani castratam rempublicam: nolo stercus curiae dici Glauciam,
» quamuis sit simile, tamen est in vtroq; deformis cogitatio. Extremis autem his verbis rationem

etiam attulit, cur id ſedulo praecepiſſet: cum enim huiuſcemodi quippiam dicitur, quamuis acute excogitatum ſit, obuerſatur animis auditorum foeditas earum rerum, quae moleſta & odioſa eſt.

Κάλλος δὲ ὀνόματος, τὸ μὲν (ὥσπερ Λυκίμνιος λέγει) ἐν τοῖς ψόφοις, ἢ τῷ σημαινομένῳ, καὶ αἶσχος δὲ ὡσαύτως.

Pulchritudo autem nominis, vna quidem (vt Lycimnius inquit) eſt in ſonis, aut eo, quod ſignificatur, & deformitas vtique eodem pacto.

Lycimnivm, cuius alibi quoque in his libris mentionem fecit, ſophiſtam & ſcriptorem artis dicendi fuiſſe conſtat, qui ſodalis auditorq; fuerit Gorgiae Leontini, vt Halicarnaſſeus quoq; in vita Lyſiae narrat. Cum igitur hic Lycimnius de pulchritudine ac turpitudine nominum diſſereret, affirmabat, aut in ſono, aut in notione, illam inueniri. σημαινόμενον, quod verbo ſignificatur, interpretatus eſt Cicero in erudita illa epiſtola ad Paetum, de hac ipſa re, de qua diſputatur hic, ſcripta.

Ἔτι δὲ τρίτον, ὃ λύει τὸν σοφιστικὸν λόγον.

Adhuc autem tertium eſt, quod ſoluit ſophiſticam rationem.

Nec nihil vidiſſe, neq; omnia oſtendit Lycimnium: duo enim illa, quae praecepit, manifeſto multum valent ad nomen vel honeſtandum, vel deturpandum: eſt tamen tertium quippiam extra illa, ignoratum ab eo, quod & ipſum magnam ad id vim habet. Sed eius etiam auxilio (inquit) fallacem ac ſubdolam rationem diſſoluimus: captioſa enim quaedam argumentatio in ore ſophiſtarum erat, qua multos in diſputando perturbabant: concludebant namq; illi fallaciter, nullam turpitudinem eſſe in verbis: nec pudorem vllo pacto violari poſſe oratione.

Οὐ γὰρ, ὡς ἔφη Βρύσων, οὐθένα αἰσχρολογεῖν.

Non enim, vt affirmauit Bryſo, verum eſt, neminem turpiter loqui.

Brysonem hunc ſophiſten fuiſſe alibi declarauit. Hic igitur princeps auſus eſt dicere neminem obſcene ac turpiter poſſe loqui: rationem eius poſtea Stoici arripuerunt, ſtudioſeq; de-
» fenderunt, vt in illa epiſtola Cicero oſtendit. Sed, vt dico, placet Stoicis ſuo quamque rem
» nomine appellare: ſic enim diſſerunt. Nihil eſſe obſcenum: nihil turpe dictu.

Εἴπερ τὸ αὐτὸ σημαίνει τόδε, ἀντὶ τοῦ τόδε εἰπεῖν.

Siquidem ſignificat idem, hoc, reiecto illo, dicere.

Brysonis argumentum hoc eſt, qui exiſtimabat turpitudinem a ſignificatu verborum non proficiſci: vnde, idem ſignificantium duorum verborum, neutrum altero obſcenius eſſe poſſe affirmabat: ſi enim das, idem ambobus ſignificari: aut neutrum, aut ambo obſcena eodem pacto erunt. maneat hoc, dicebat Bryſo: ſiue hoc, ſiue illud dicas, idem ſignificari, concedas oportet falſo quaedam verba turpia haberi.

Τοῦτο γάρ ἐστι ψεῦδος: ἔστι γὰρ ἄλλο ἄλλου κυριώτερον, καὶ ὡμοιωμένον μᾶλλον, καὶ οἰκειότερον τῷ ποιεῖν τὸ πρᾶγμα πρὸ ὀμμάτων.

Hoc namque falſum eſt: eſt enim aliud alio magis proprium, & rei, quam docet, magis ſimile: magisq; factum ad rem ante oculos conſtituendam.

Prima verba Ariſtotelis ſunt, hoc inficiantis: rationes autem ſtatim ſuggerit, quibus falſo ſenſiſſe Bryſonem confirmat. Quamuis enim (inquit) idem cuncta ſignificent, tamen aliud alio magis proprium eſt, & magis rei illi effingendae & adumbrandae factũ, & cum debeant rebus, quas ſignificant, nomina ſimilia eſſe, quod magis illi aſſimile ſit. vt cum audias nomen, paene, ob ſimilitudinem, tibi rem cernere videare: illa namq; verba rem conſtituere ante oculos dicuntur, quae ipſam exprimunt, & faciem eius ſecum afferunt.

Ἔτι οὐχ ὁμοίως ἔχον σημαίνει τόδε, καὶ τόδε.

Praeterea non eodem modo rem ſe habentem ſignificat hoc atque hoc.

Secvnda ratio, qua premit Bryſonem, & declarat alterum altero vocabulum, honeſtius, aut turpius eſſe: quod eadem ſane res ab vtroq;, non tamen ſimili modo ſe habens, ſed tamquam variata,

variata, diuersaq; ratione spectata, significetur: potest enim eadem res, vt honesta, & vt turpis, a nobis cogitari. Exempli gratia, concumbere cum vxore, si obsceniore vocabulo, quo res haec indicari possit, in ea exponenda vtare: & dare operam liberis dicas, idem significant: verum posterius hoc, quatenus ea res honesta est, illam exprimit: prius illud, quod verecundae aures non ferrent, quatenus foeditatis aliquid in ipsa continetur, eius faciem secum affert. quare altera, pudoris plena locutio est: altera, flagitij ac turpitudinis.

Ὥστε καὶ οὕτως ἄλλο ἄλλου κάλλιον, καὶ αἴσχιον θετέον.

Quapropter sic etiam aliud alio nomen pulchrius, & deformius esse statuendum est.

Hoc atq; illud vocabulum, quod eandem sane rem significat, non significat illam, vt omnino eandem: nullaq; re dissimilem, sed vt quasi variatam & non eodem modo penitus se habentem: idest alia atque alia ipsius rei cogitatione. quare (inquit) hoc etiam pacto alterum altero nomen & honestius & turpius esse existimare debemus.

Ἄμφω μὲν γὰρ τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν σημαίνουσιν, ἀλλ' οὐχ ᾗ καλόν· ἢ οὐχ ᾗ αἰσχρόν.

Ambo namque honestum & turpe significant, sed non qua honestum est, & non qua turpe.

Planvm est (inquit) ambo illa: quorum alterum, obscenum: alterum, honestum habetur, si rem ostendunt, quae partim honesta: partim turpis sit, & honestum & turpe significare: neque enim tunc partes rationesq; ipsius distinguunt: non tamen ea parte, qua, illa, aut honesta tantum est, aut turpis, sed alterum illorum, qua honesta: alterum vero, qua turpis sit.

Ἢ ταῦτα μέν, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ ἧττον.

Siue haec quidem, sed magis & minus.

Qvod si hoc non concedatur, & enixe quispiam tueri velit, non seorsum alterum, vt honestam: seorsum alterum, vt turpem rem ostendere, idem inficiari non poterit, hac aut illa voce rem naturamque ipsius, aut magis, aut minus exprimi: quod satis est ad honestatem, aut turpitudinem verborum confirmandam.

Τὰς δὲ μεταφορὰς ἐντεῦθεν οἰστέον.

Translationes autem hinc ducere oportet.

Valet ἐντεῦθεν, vt suspicor, hic a rebus honestis: nequis tamen error nasceretur, aperte exponit, quid sentiat: confirmato namque iudicio Lycimnij, confutataq; fallacia Brysonis, redit ad id, quod supra breui tradiderat: antequam enim in haec digrederetur, praeceperat duci etiam oportere translationes a rebus pulchris, quod nunc repetit, quomodo pulchra illa intelligi debeant, docens.

Ἀπὸ καλῶν, ἢ τῇ φωνῇ, ἢ τῇ δυνάμει, ἢ τῇ ὄψει, ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει.

Ab ijs, quae pulchra sunt, siue voce, siue vi & potestate, siue aspectu, siue alio quopiam sensu.

Voce inquit: nam quaedam ingrata, & molesta verba sono esse declarauit: sunt autem alia non pauca, speciosa ac suauia: aut vi inquit, idest notione, & intellectu: videtur enim idem hic Aristoteli significare, δύναμιν: quod Theophrasto, διάνοια, in eiusdem rei definitione: posita autem est illa a Demetrio in commentario de elocutione. aut oculis aspectuq;, idest si videantur: nam honestae ac turpes voces iudicantur, si singulos sensus, aut iuuant, aut laedunt, res, quae ab illis significantur. Ab omnibus autem sensibus similia duci, vocesq; transferri, docuit
» eleganter Cicero in iij. de Oratore. Nam & odor vrbanitatis, & mollitudo humanitatis, &
» murmur maris, & dulcedo orationis, sunt ducta a ceteris sensibus: illa vero oculorum multo
» acriora: quae ponunt paene in conspectu animi, quae cernere, & videre non possimus.

Διαφέρει δ' εἰπεῖν. οἷον ῥοδοδάκτυλος ἠώς, μᾶλλον ἢ φοινικοδάκτυλος, ἢ ἔτι φαυλότερον, ἐρυθροδάκτυλος.

Interest enim multum dicere. ceu roseos digitos habens aurora, potius quam puniceos: & quod adhuc deterius, rubeos.

VNDE simile ducatur magni referre, exemplis confirmat: eidem enim sensui res non nullae manifesto alijs gratiores suauioresq; sunt. Cum rosae igitur color aliarum rerum colorem longe superet, translatio, quae ab ipsa ducitur, speciosissimoque ipsius colore, cunctas alias superat, quae ab alijs coloribus, quamuis elegantibus, ducuntur. Qui igitur iuncto nomine, tamquam roseos digitos haberet, cum tamen formosos intelligi vellet, auroram appellauit ῥοδοδάκτυλον, elegantius transtulit nomen, quam qui eandem a puniceo colore φοινικοδάκτυλον vocauit. quod non tam lepidus iucundusq; sit puniceus omnis color, vt est suauissimus illius floris: statim enim, vt appellatur rosa, species eius animo obuersatur. adhuc deterius fecit, qui ἐρυθροδάκτυλον eam dixit: quamuis enim elegans plerunq; color ille sit, non tamen tantopere sensum oculorum oblectat: sunt enim res etiam non nullae rubrae parum gratae aspectu ac molestae.

Καὶ ἐν τοῖς ἐπιθέτοις, ἔστι μὲν τὰς ἐπιθέσεις ποιεῖσθαι ἀπὸ φαύλου, ἢ αἰσχροῦ. οἷον ὁ μητροφόντης: ἔστι δ' ἀπὸ τοῦ βελτίονος. οἷον ὁ πατρὸς ἀμύντωρ.

Et in nominibus adpositis, licet facere adpositiones a malo quopiam, vel turpi. ceu matricida: est etiam a meliore, veluti patris vltor.

CVM metaphorarum naturam iam explicauisset, ad epitheta transit, quae & ipsa locutionem ornant, & aliquid similitudinis habent cum verbis translatis: neque enim rerum, quibus adponuntur, propria nomina sunt, sed proprietates quasdam ipsarum ostendunt: discrepant tamen ab illis, quia epitheton proprio rei adponitur nomini: translatum vero verbum eiecto proprio, ipsius locum subit: commodius autem hoc nunc facit: nactusq; idoneam occasionem, quia exempla postremarum translationum, quae sensibus iucundae sunt, & a speciosis rebus ducuntur, fuerant nomina epitheta: eadem tamen quoque translata nomina erant. Quod igitur in transferendis fieri verbis inquit, idem etiam in ijs, quae adponuntur seruari debere ostendit: nam & a mala turpiq; re sumi possunt, & a meliore, honestioreq; duci: exemplis autem, ex Oreste Euripidis acceptis, hoc explanat. Persona Orestis & laudem, & vituperationem ex vno eodemq; facto in se suscipiebat: nam immanis & pius ille, vna caede, quod incredibile paene est, fuit. qui criminabantur, vt Menelaus in ea fabula facit, matricidam ipsum vocabant: qui defendebant, vt ipse illic inducitur a poëta factum illud suum commendans, vltorem patris, quae summa laus est, dicebant: versiculi Euripidis hi sunt, quorum prior a Menelao: posterior, » ab Oreste ipso pronuntiatur. Ὁ μητροφόντης, ἐπὶ φόνῳ πράσσων φόνον. Ὁ πατρὸς ἀμύντωρ, ὅν σὺ προὔδωκας θανεῖν. Res nunc omnis plana, & aptissimo exemplo valde illustrata.

Καὶ ὁ Σιμωνίδης, ὅτε μὲν ἐδίδου μισθὸν ὀλίγον αὐτῷ, ὁ νικήσας τοῖς ὀρεῦσιν, οὐκ ἤθελε ποιεῖν.

Et Simonides, quando dabat ipsi pusillam pecuniam, qui vicerat mulis, noluit carmen pangere.

ALTERO elegantissimo exemplo vtitur. Simonides melicus, magni ingenij poëta: auarior tamen, cum, qui Olympios ludos mulis vicerat, rogaret eum, vt eleganti aliquo carmine victoriam suam celebraret: nec dignam, vt ei videbatur, mercedem polliceretur, negauit, ostendens se nolle in mulabus ornandis ingenium exercere, cum tamen idem pretium auxisset, cecinit statim Simonides suauissimum carmen: cuius initium hic ponit Aristoteles. Siquis autem, qui fuerit ille quaerat, qui tantopere desiderio Simonideae cantiunculae flagrarit, cũ poëta tamen tam bono, nimis parce ac restricte ageret, Anaxilas is fuit Messenius, qui Rheginis imperauit: idem autem, victoriam eam adeptus, ita gaudio exultauit, vt cunctos Graecos, qui illic conuenerant, conuiuio acceperit: nec defuit tamen acuti ingenij vir, qui nimiam laetitiam, quam ceperat animo ob inané illam victoriam, carpens, dixit. Quid hic fecisset, si equis, non mulis vicisset? Haec accepi ex epitome τῶν πολιτειῶν Heraclidis Pontici: nam addit etiam Heraclides, Simonidem victoriam illam carmine celebrasse, & epinicion cecinisse: cuius hoc ipsum principium esset.

Ὡς δυσχεραίνων εἰς ἡμιόνους ποιεῖν.

Vt qui inducere animum non posset, vt mulas ingenio suo ornaret.

VT qui sibi imperare non posset, vt in mulas carmen conderet: sed toto animo a tam tenui sordidaque materia abhorreret: videri enim voluit argumenti humilitatem causam esse, ne quod rogaretur, Simonides efficeret: cum tamen longe alia res, quod exitus declarauit, impediret: melius autem ex Graeca voce acumen poëtae, & mularum indignitas percipi potuit,

nam ἡμιόνας appellauit, vt quae dimidia sui parte asinos referrent: muli enim & ὀρεῖς a Graecis, & ἡμίονοι dicuntur. Artificium autem laudat poëtae, qui, quod ipse nunc praecipit, optime facere potuit, & cum vituperare vellet, deteriorem partem secutus est, atq; inde ipsas appellauit: & cum, mutato consilio, ornare studeret, meliorem, atque honestiorem arripuit.

Ἐπεὶ δ' ἱκανὸν ἔδωκεν, ἐποίησε. Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.

Postquam autem, quae sibi satis visa esset, dedit, cecinit. Auete celeripedium filiae equorum.

POSTQVAM vero iustam mercedem ille tribuit, cecinit plenum honoris carmen, in ipsas, in quo primum eas salutauit: &, vt ex equis procreatas, honorifice appellauit. Saluete enim (inquit) volucrium equorum filiae: quo nihil ad illas decorandas magnificentius excogitari potuit, quam commemorare ipsas e tam nobili, generosaq; animante ortas.

Καίτοι καὶ τῶν ὄνων θυγατέρες ἦσαν.

Atqui & asellorum filiae erant.

EXPLANAT his verbis artificium Simonidis, qui reliquit, cum ornare mulas vellet, quod dedecoris aliquid in se habet, & prolatum, maculam ipsis aspersisset: captauitq; id, quod erat ad dignitatem ijsdem acquirendam, accommodatum: Quamuis enim (inquit) equorum filiae, a meliore parte generis, illae appellatae sint, non ex equis solis editae sunt, sed ex asinis quoque, tarda admodum viliq; belua.

Ἔτι τὸ αὐτὸ ὑποκορίζεσθαι· ἔστι δὲ ὁ ὑποκορισμὸς, ὃς ἔλαττον ποιεῖ, καὶ τὸ κακὸν, καὶ τὸ ἀγαθόν.

Amplius autem idem nomen diminui: est autem diminutio, ratio, quae minus reddit, vel malum, vel bonum.

VT epithetis omnis res & ornari & inquinari potest, ita alia ratione, siquid mali boniue in aliquo est, minuitur: quorum autem vitium malumq; conterimus, eos ornamus: quorum contra dotem aliquam, aut bonum premimus, eos violamus: de hoc accurate nunc disserit Aristoteles. Graeco verbo vtitur Cicero in ix. epistolarum ad Atticum, qui locus & vim verbi, & rationem eo pacto minuendi declarat: cum enim in epistola sua Pomponius Pompeianorum ex Italia discessum, vel potius fugam, peregrinationem astute appellasset, consilium ipsius intelligens Cicero, respondit. » Et nunc ita video, infinitum bellum iunctum miserrima fuga, quam tu pere» grinationem ὑποκορίζῃ. Perspicuum autem est, quamuis eodem nomine vocentur, longe diuersas tamen esse rationes minuendi, quae significantur. Philosophus loquitur de ὑποκορισμῷ illo, cum verbi notio, variato ipso verbo, minuitur: fit autem ijs de causis, quas diligenter exponit. Orator, cum, vt res odiosa ac molesta extenuetur, nomen immutatur, & pro illo, quod magnam certamque culpam in se habet, quod parua aut nulla reprehensione dignum est, sumitur (quamquam videtur etiam res honesta ac bona ita posse conteri) nec tamen non Graeci etiam auctores passim eodem, quo Cicero, verbo vtuntur, cum alteram quoque illam viam intelligunt, quam sequitur Cicero.

Ὥσπερ καὶ ὁ Ἀριστοφάνης σκώπτει ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις, ἀντὶ μὲν χρυσίου χρυσιδάριον.

Quemadmodum & Aristophanes in Babylonijs facete rem extenuat, pro chrysio chrysidarium dicens.

FABVLAM quandam suam Babylonios inscripsit Aristophanes, quae tamen vetustate amissa est. testimonium inde saepe citant antiqui scriptores: vt Athenaeus, Stephanus, Pollux. Multus autem in minuendis nominibus fuit hic poëta, vt facile quilibet intelligere potest: nam & ἀρχίδιον, & βιβλιδάριον, & πηρίδιον inquit, cum res extenuare vellet, vt veteres grammatici testantur: & ἱμάτιον eadem ratione in nubibus. Antea vero hic in excusis libris χρυσοῦ, mendose legebatur, χρυσίου ipse, vt calamo scripti habent, emendaui, & sane ita legi debet: ab χρυσίον enim χρυσιδάριον, non a χρυσός, deducitur. cum autem minui, quod bonum, & quod malum est, hac ratione docuerit, duo prima bonae rei exempla sunt: reliqua duo (nisi fallor) malae.

Ἀντὶ δ' ἱματίου, ἱματιδάριον· ἀντὶ δὲ λοιδορίας, λοιδορημάτιον, καὶ νοσημάτιον.

Et pro himatio, himatidarium: & pro loedoria, loedorimatium, & nosematium.

EADEM ratione idem poëta, & in eadem, vt (suspicari licet) fabula, pro ἱμάτιον, rem minuens, inquit ἱματιδάριον, quo pusillum vestimentum significatur: & pro λοιδορία, quod verbum valet conuicium, λοιδορημάτιον, quasi leue quoddam & exiguum conuicium: animaduertendum tamen, quamuis a nomine illo, quod muliebri genere dicitur, tradat proficisci λοιδορημάτιον, videri potius ab λοιδόρημα, quod cum idem significet, neutri generis est, deduci. sed in vsu sermonis fortasse hoc non valde erat: & pro νόσημα inquit νοσημάτιον, quasi tenuis & pusillus morbus.

Εὐλαβεῖσθαι δὲ δεῖ, καὶ παρατηρεῖν ἐν ἀμφοῖν τὸ μέτριον.

Caute autem hoc tractare oportet: & seruare in ambobus mediocritatem.

CAVTE autem (inquit) vtramq; rem tractare oportet, & mediocritatem quandam in illis retinere: quod qui non faceret, mirifice peccaret: intelligo autem epitheta, & ὑποκορισμὰς, vt Graecis verbis, quae tamen notiora quam Latina sunt, vtar: intelligo autem in conferendo & malo & bono, quod in amplificando locum non habet: neque enim in Graeco sermone ὑποκορισμοὶ, quod sciam, vim amplificandi habent.

Τὰ δὲ ψυχρὰ ἐν τέτταρσι γίνεται κατὰ τὴν λέξιν.

Frigida autem existunt in quattuor rebus, quod ad locutionem pertinet.

NON in verbis solum frigus est, sed & in sententijs, & in factis hominum saepe inuenitur: quomodo autem id in elocutione efficiatur, nunc accurate docet. Phalereus quoque in libro de elocutione hunc locum subtiliter diligenterq; persecutus est: nam definitionem quoq; Theophrasti adducit, quomodo scilicet doctissimus ille vir, vim huius mali expresserit: frigidum enim ille sermonem esse inquit, qui non seruat suam, aptamq; illarum rerum exponendarum elocutionem, sed modum superat. nec non etiam huius loci, quem nunc in manibus habemus,
» mentionem fecit: verba enim haec ipsius sunt. ἐν δὲ λέξει ὁ Ἀριστοτέλης φησὶ γίνεσθαι τετραχῶς. Quintilianus frigus appellauit, cum de frigore tamen potius, quod ex rebus, quam ex verbis gignitur,
» loqueretur, in v. Quod interrogantis non leue frigus est. In vj. Nam & imperitia, & rusticitas,
» & rigor, & deformitas afferunt interim frigus. Plutarchus etiam in Alexandro indicauit frigus oriri e sententijs ineptis & incredibilibus: cum enim irrideret Hegesiam Magnetem, illum inquam, quem libenter insimulat Aristoteles hoc nomine & alijs, quod scripserat Dianae Ephesiae templum deflagrasse, quia dea, custos eius, domo aberat, occupata nocte illa, vt obstetrix, in partu Olympiadis, inquit vocem hanc tam insulsam fuisse, vt frigore suo potuerit incendium illud extinguere, ψυχρίαν ipse appellauit: in quo mirandum est M. Ciceronem id dictum laudasse in ij. libro de natura deorum: & concinne dictum existimasse. Sed alterum etiam hoc in expositione eius rei notandum est, quam vocem prolatam fuisse ab Hegesia Plutarchus narrat, Latinum scriptorem velle a Timaeo editam fuisse. quare siue memoriae peccatum est alterius horum, siue, quod ab Hegesia prius dictum fuerat, postea in historia sua prodidit Siculus ille. Addere etiam volo, cupioq; ponderari ab his, qui existimare de his rebus possunt, an quod M. Cicero in epistola quadam ad Q. fratrem dixit, cum Appius senatum infrequentem coegisset, tantum fuisse frigus, vt populi conuicio coactus sit ipsum dimittere, ostendat frigus hoc sententiarum, vt accepit Gulielmus Budaeus, an verum naturaleq; frigus, vt ego opinor illic valere.

Ἔν τε τοῖς διπλοῖς ὀνόμασιν. οἷον Λυκόφρων τὸν πολυπρόσωπον οὐρανὸν, Τῆς μεγαλοκορύφου γῆς, καὶ Ἀκτὴν δὲ στενοπόρον.

In duplicibus nominibus. ceu Lycophron caelum dixit πολυπρόσωπον, & telluris μεγαλοκορύφου: & littus στενοπόρον.

VERBA διπλᾶ Cicero iuncta saepe appellauit. Frigus autem primum in duplicibus nominibus esse docet, si iuncta illa nimis duriter fuerint, & longe a consuetudine peruulgataque ratione loquendi: πολυπρόσωπον autem, & μεγαλοκόρυφον, & στενοπόρον, iuncta verba manifesto sunt, & ita iuncta, vt magis poëtas, quã oratores, decere videantur: neq; enim cuncta verba iuncta frigus gignunt, sed ea, quae nimis tumide iuncta sunt: iunctis namque verbis consuetudo etiam vtitur, maxime Graecorum: quorum lingua ad complicanda verba aptior. Docet hoc accurate Phalereus, ac quae vitandae sint nominum iunctiones, admonet. Neque tamen puto, quae Lycophronis exempla hic ponit, continenter ab auctore collocata fuisse, sed ex omnibus ipsius scriptis quae dispersim posita forent, & vitiosiora essent, collecta ab Aristotele fuisse: dixisseq; semel Lycophronem arbitror, πολυπρόσωπον οὐρανὸν. postea alio in loco μεγαλοκορύφου γῆς: & eodem pacto ἀκτὴν στενοπόρον, seorsum a superioribus, quod manifesto intelligitur, cum copula interiecta sit. πολυπρόσωπον autem caelum, quod plurimam variamq; faciem habeat, ob sidera ipsa,

nisi fallor. nam Graecus etiam poëta καλὸν πρόσωπον ἡλίου in carmine suo appellauit: terram vero μεγαλοκόρυφον, quod magnos vertices, arduosque admodum colles sustineret: litus στενόπορον, quod meatum callemq;, illac transeuntibus, angustum praebeat.

Καὶ Γοργίας ὠνόμαζε, πτωχόμουσος κόλαξ.

Et Gorgias nominauit, πτωχόμουσος assentator.

SENTENTIA Gorgiae nihil vitij in se habet: tam affectata ipsius duraq; locutio, reprehensione non caret: frigetq;, quod ad tenue studium omnium assentatorum demonstrandum, vel certi alicuius, in eo artificio tractando, inops ingenium exprimendum valet, verbum finxit: & mendicam musam, complicatis duobus nominibus, eum colere dixit.

Ἐπιορκήσαντας, καὶ κατευορκήσαντας.

Ἐπιορκήσαντας, & κατευορκήσαντας.

NVLLA hic coniunctio, nisi praepositionum, ac verborum est: coniuncta tamen, ita conformata verba veteres appellasse, testimonio quoque Ciceronis confirmari potest, cuius in iij. de Oratore haec sunt verba. Vel coniungendis verbis, vt haec. Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat: Num non vis huius me versutiloquax malitia: videtis enim & versutiloquax, & expectorat, ex coniunctione facta esse verba, non nata. Sed etiam in Oratore hoc declarauit. Quid? in verbis iunctis? quam scite, insipientem, non insapientem: iniquum, non inaequum.

Καὶ ὡς Ἀλκιδάμας, μένους μὲν τὴν ψυχὴν πληρουμένην: πυρίχρων δὲ τὴν ὄψιν γινομένην.

Et vt Alcidamas, furore quidem animam repletam. πυρίχρων autem aspectum factum.

ALCIDAMANTEM oratorem in vitium hoc, frigusq;, crebro incidisse ostendit: cum autem plura eius verba citet, exemplum esse puto πυρίχρων: nullum enim aliud hic verbum coniunctum video: hoc autem & insolenter, & nimis poëtice compositum est: superiorem autem sententiam adduxit (vt puto) cum huic ipsi, in qua frigus est, haereret, vt posterioris vis melius perciperetur. Descripsisse vero his verbis Alcidamantem, vehementiore ira percitum hominem, & qui paene fureret, planum est. Huic autem loco similis est ille Ciceronis in vij. actione in Verrem: nisi quod nullum illic iunctum aspere verbum. Ipse inflammatus scelere & furore, in forum venit: ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emanabat.

Καὶ τελεσφόρον ᾠήθη τὴν προθυμίαν αὐτῶν γενήσεσθαι, καὶ τελεσφόρον τὴν πειθὼ τῶν λόγων κατέστησε.

Et τελεσφόρον putauit alacritatem ipsorum fore: & τελεσφόρον suadelam orationum reddidit.

IN eandem culpam idem lapsus est, cum studium & alacritatem animi τελεσφόρον appellauit. vnde nomen compositum, & quid τελεσφορεῖσθαι Graecis sit ignotum nemini, paulo eruditiori, esse arbitror. vt autem προθυμίαν, ita etiam πειθὼ, vt infra declarat Aristoteles, τελεσφόρον Alcidamas appellauit: eodem verbo μεταφορικῶς Sophocles in Electra vsus est, sine culpa tamen, vt poëta: Clytemnestram enim somnijs perterrefactam, ita induxit loquentem. Ἃ γὰρ προσεῖδον νυκτὶ τῇδε φάσματα, Δισσῶν ὀνείρων ταῦτά μοι Λύκει' ἄναξ. Εἰ μὲν πέφηνεν ἐσθλὰ, δὸς τελεσφόρα. Precatur autem illa Apollinem, vt quae noctu in somnis viderat, si boni aliquid portenderent, ad maturitatem exitumque perduceret: contra, si quippiam aduersi significarent, auerteret.

Καὶ κυανόχρων τὸ τῆς θαλάττης ἔδαφος: πάντα γὰρ ταῦτα ποιητικὰ, διὰ τὴν διπλωσιν, φαίνεται.

Et κυανόχρων maris solum ac pauimentum: cuncta enim haec referunt locutionem poëtarum, ob iuncta ita verba.

CVM excusi libri antea, non pauciq; scripti, θεῖαλλ haberent, secutus auctoritatem antiquissimi codicis, cui adstipulatur vetus quoque tralatio, restitui θαλάττης: quem autem Latini caeruleum colorem, κυάνεον Graeci appellabant: mare vero huius coloris saepe esse ab vtraque gente ijs

nominibus

nominibus traditum est: neque tamen in eo frigus est, quod ἐλάφους matris solum, superficiemq; appellauit, sed quod coniuncto nomine κυανόχρων, cum de colore ipsius loqueretur, dixit: insolens enim haec coniunctio atq; inflata, quod statim Aristoteles ipse declarat: in cunctis enim his exemplis frigus esse tradit propter coniunctionem, complicationemq; verborum.

Μία μὲν οὖν αὕτη αἰτία: μία δὲ τὸ χρῆσθαι γλώτταις. οἷον Λυκόφρων Ξέρξην πέλωρον ἄνδρα.

Una igitur haec causa est: altera autem, vti verbis externis, vt Lycophron Xerxem πέλωρον virum.

Vt malam verborum coniunctionem frigus efficere docuit, ita etiam verba externa confirmat: nam alterum hoc est e quattuor illis rebus, quae vitium hoc gignunt. Ab ijsdem autem scriptoribus exempla huius quoque lapsus sumit. frigus merito excitare potuit Lycophron, vocans Xerxem πέλωρον ἄνδρα, cum ingentem vastumq; significare vellet: peregrina enim vox πέλωρον, & quae nullo modo deceat solutam orationem. Xerxis autem nomen me admonet, vt commemorem, Gorgiam quoq; Leontinum in eodem appellando valde peccasse, vt ostendit Longinus: insimulat enim ipsum, qui vocauerit hunc opulentissimum regem, Iouem Persarum, vt etiam eundem contemptum irrisumq;, qui dixerit vultures tumulos animo praeditos. Quid autem appellet ipse γλῶτταν, docuit in libro de arte poëtarum: vocabulum enim intelligit, quo alia gens natioque, vt suo, vteretur. Vnde Atheniensibus, propria quaedam vocabula, aut Cypriorum, aut Cilicum, aut Siculorum, aut aliorum, qui eodem sermone non vterentur, populorum, linguae erant. Sed etiam barbara prorsus quaedam vocabula, vt gaza, acinaces, & huiuscemodi alia, γλῶτται erant & Graecis & Latinis hominibus. Eusthatius quoq;, cum vim huius nominis exprimeret, affirmauit aliquando valere sermonem, in quo externae, & peregrinae quaedam voces essent: quod confirmat testimonio poëtae, qui inquit γλῶσσ' ἐμέμικτο.

Καὶ Σκίρων, σίννις ἀνήρ.

Et Sciron, σίννις vir.

Sciron latronis hominis nomen est, qui a Theseo interfectus fuit, cum ex illo ipso saxo, iuxta quod latrocinabatur, eum deiecisset. nam scopuli quoque illi ab eo nomen acceperunt. vt » Virgilius in Ciri testatur. Praeterit abruptas Scironis protinus arces. Σίννις autem externa Atheniensib. alijsq; fortasse nonnullis Graecis populis, vox erat: & hominē, qui alijs molestus esset ac maxima detrimenta inferret, significabat. Verum a malefico ingenio, consuetudineq; (vt puto) praetereuntibus nocendi, ac grauia incommoda importandi, alter quoque latro Σίννις appellabatur: eratq; tunc Σίννις viri nomen, non adpositum illi ad studium ipsius prauum indicandum. eius mentionem fecerunt & Xenophon, & Pausanias in Corinthiacis, & alij plu- » res auctores: nam Xenophontis in ij. libro ἀπομνημονευμάτων haec verba sunt. τοὺς γὰρ ξένους ἐξ » ὅτι Σίννις, καὶ ὁ Σκείρων, καὶ ὁ Προκρούστης ἀπέθανον, οὐδείς τι ἀδικεῖτο.

Καὶ Ἀλκιδάμας, ἄθυρμα τῇ ποιήσει.

Et Alcidamas, ἄθυρμα poësi.

Non multo post auctor, vbi de insulsis translationibus agit, hoc ipso exemplo iterum vtitur: nam plura etiam illic verba oratoris huius adducit, & ex quibus sententia ipsius melius percipitur. οὐδὲν τοιοῦτον ἄθυρμα τῇ ποιήσει προσφέρων. Verbum autem peregrinum ἄθυρμα est: & quod in soluta oratione vsurpatum, frigus gignit, ac contemni illum merito facit: significat autem lusum: quod communis sermo Graecorum vocat παίγνιον.

Καὶ τὴν τῆς φύσεως ἀτασθαλίαν.

Et naturae ἀτασθαλίαν.

Est etiam externa vox ἀτασθαλία: & licet vis ipsius notioq; cognita sit, in consuetudine tamen verae Graeciae non erat: ἀτασθαλίαν autem poëtae, quibus peregrinis vocibus vti laudi datur, peccatum lapsumque hominis vocabant.

Καὶ ἀκράτῳ τῆς διανοίας ὀργῇ τεθηγμένον.

Et ἀκράτῳ animi iracundia τεθηγμένον.

Qui ita quandoque locutus fuerat Alcidamas, culpa non carebat: ac risum quoque auditoribus mouebat: est enim elata nimis, insolensq; locutio: verbum autem peregrinum τεθηγμένον, &

omnis

omnis denique ſententia haec verbis expoſita eſt, quae poëtam potius, quam oratorem deceant. θήγειν autem acuere eſt: quo ſane verbo vſus eſt Euripides in Phoeniſſis, cum pugnam Eteoclis ac Polynicis fratrum, aprorum pugnae compararet. κάπροι δ' ὅπως θήγοντες ἀγρίαν γένυν, Συνῆψαν ἴσχυ. Senſus (niſi fallor) huius exempli hic eſt: mera animi incenſus ira punctusq;: in loco enim, qui varie in diuerſis libris legitur, malui antiquiſſimi libri auctoritatem ſequi, in quo ita legitur: cum excuſi antea haberent, καὶ ἀκράτωρ τῆς διανοίας, καὶ ὀργῇ τεθηγμένον, tamquam duo exempla eſſent frigidae orationis. impulit etiam me, vt veriorem hanc lectionem putaré, quod copulam a reliquis quoq; ſcriptis libris abeſſe vidi: vt a vetere etiam tralatione non expreſſam. ἄκρατον vero vocari, quod purum in natura ſua eſt: nec vlla alia re temperatum, planum eſt: quomodo Cicero quoq; & Ariſtoteles in problematibus hoc verbũ ceperunt: qui ambo bilem ἄκρατον appellarunt. Quod ſi impreſſorum antea librorum lectionem quis amet, quam ſane contemnendam non arbitror: locumq; ipſi hic eſſe plane video, praeterquam quod in re tam vetere obſcuraq; nihil certi afferri poteſt, ἀκράτωρ διανοίας, impotens animi accipietur, & externum id verbum habebitur: quod ſane in vſu oratorum non eſt.

Τρίτον δ' ἐν τοῖς ἐπιθέτοις τὸ, ἢ μακροῖς, ἢ ἀκαίροις, ἢ πυκνοῖς χρῆσθαι.

Tertium autem vitium eſt, epithetis vti, ſiue longis, ſiue intempeſtiuis, ſiue crebris.

TERTIVM (inquit) inſulſae orationis genus in epithetis conſtat. ſi aut longa vſurpata fuerint, aut intempeſtiua, aut crebra frequentiaque: tribus enim his modis in adiungendis nominibus peccari poſſe oſtendit. Errauit autem Maioragius, qui μακρὰ reddidit, longe petita: neque enim apte de adiunctis nominibus dicitur ipſa longe peti, vt de translatis: quae ſane, vt omnes magiſtri artis tradunt, vitioſa ſunt: nimisq; obſcura, cum e longinquo ducuntur: neque ita accipi nomen hoc poteſt: dixiſſet enim πόῤῥωθεν, ſi id ſignificare voluiſſet. quin autem longa nimis & prolixa idonea non ſint proſae orationi, dubium non eſt: nimis enim tumidam inflatamq; ipſam reddunt: comici auté poëtae, priſcae illius comaediae, riſus mouendi cauſa, huiuſcemodi nomina aucupantur aut fingunt: & tragici, qui ita granditati, & magniloquentiae ſe putant conſulere, vt Aeſchylus.

Ἐν μὲν γὰρ ποιήσει πρέπει γάλα λευκὸν εἰπεῖν.

In poëſi namque decet album lac dicere.

LAC candidum eſſe, omnes nouerunt: auditoq; nomine lactis candor ipſius ſubito ante oculos obuerſatur: nec tamen ſi poëta, quod minime neceſſarium erat, adpoſuerit, labitur: orator valde peccaret, ſi idem faceret. De omni hac re accurate diſſeruit etiam Quintilianus in viij. libro, quem locum hic adiungere, non inutile (vt arbitror) erit. » Ornat enim epitheton. eo poëtae, » & frequentius, & liberius vtuntur: namque illis ſatis eſt conuenire verbo, cui apponitur, » itaq; dentes albi, & humida vina in his non reprehendimus, apud oratorem niſi aliquid efficitur, redundat. Patet autem hoc exemplum eſſe epitheti inanis, & quod minime requirebatur: quale ipſe ſupra ἄκαιρον vocauit.

Ἐν δὲ λόγῳ, τὰ μὲν, ἀπρεπέστερα: τὰ δὲ, ἂν ᾖ κατακορῆ ἐξελέγχει, καὶ ποιεῖ φανερὸν, ὅτι ποίησίς ἐστιν.

In ſoluta vero oratione, partim horum minime decent: partim autem, ſi fuerint copioſa, arguunt ſtudium dicentis, planumque faciunt eſſe illam poëſin.

LIBERIOR eſt apud poetas vſus epithetorum: in ſoluta oratione timidius cautiusq; rem tractare oportet: multis enim modis ita peccaretur: ſunt enim non nulla epitheta, quae nullo modo conueniunt proſae orationi: a quibus ſibi omnino temperare debet, qui a culpa vult abeſſe: alia, quamuis idonea illi & accommodata ſint, poſſunt fraudi eſſe, ſi quis, ipſis valde delectatus, modum in illis non teneat: prioris (vt puto) generis ſunt, quae prolixa ſupra, intempeſtiuaque vocauit: poſterioris vero, quae crebra ac frequentata frigus gignere dixit: ſi enim haec, licet bona, ad ſatietatem poſita ſint, detegunt nimiam induſtriam, quam in illis captandis orator adhibet: planumq; faciunt poetam illum eſſe, non oratorem. Cum in excuſis antea omnibus, & non nullis etiam ſcriptis legatur, ὅτι ποιητικῶς ἐστιν, fideliores ſcripti libri ὅτι ποίησις habent: quam lectionem vetus quoque tralatio confirmat: quare ita omnino legendum arbitror.

Ἐπεὶ δεῖ γε χρῆσθαι αὐτῇ.

Quia vti ſane decet ipſa.

IN calamo scripto meliore αὐτῷ. si receptam lectionem sequemur, quid significari dicemus pronomine αὐτή? nihil enim supra posuit, nisi fallor, ad quod commode hoc referri possit. si αὐτῷ, vt in antiquissimo libro inueni, eodemque paene modo haerebimus: neque enim numero hoc supra vsus fuerat, sed epitheta, multitudinis numero, dixerat. cum varios igitur discrepantesque ab excusis scriptos libros inuenerim, fortasse vitium scripturae hic est, & αὐτοῖς, vt epithetis intelligamus, legi debet: quam scripturam vetus quoque tralatio secuta videtur: infra tamen muliebri genere inquit. ἡ μὲν γὰρ οὐκ ἔχει τὸ εὖ: intelligitque orationem, quae crebra nimis epitheta habet.

Ἐξαλλάττει γὰρ τὸ εἰωθὸς, καὶ ξενικὴν ποιεῖ τὴν λέξιν, ἀλλὰ δεῖ στοχάζεσθαι τοῦ μετρίου.

Immutat enim variatq; cotidianum sermonem: et speciem quandam peregrinae orationis efficit, verum oportet proponere sibi modum, mensuramque veram huius rei.

IN oratione epitheta profecto collocanda sunt: huiuscemodi enim locutio plura in se bona habet: vsus namque epithetorum, vulgarem communemque vsum loquendi, qui humilis est, variat: non nihilque peregrinitatis affert, verum modus teneri debet. Ratio autem haec, si is adhibebitur, reprehendi non poterit: viam enim, quam tenuit, vt hoc efficeret, Thucydides in oratione, qua facit laudari a Pericle, qui pro patria in proelio occiderant, & in alijs contionibus, non laudauit Halicarnasseus: ille namque, vt grandiorem redderet orationem, tritumque ac plebeium sermonem declinaret, ad poëticam phrasin se contulit, & nomina inflata captauit, vt ornatus ille nimis insolens nouusq; esset: in hac autem sententia exponenda eodem verbo, quo hic vtitur Aristoteles, & supra quoq; ego vtrosq; vsos alibi ostendi, vtitur Halicarnasseus. ἐξαλλάξαι (inquit) τὴν ἑρμηνείαν εἰς ὄγκον ἅμα, καὶ κόσμον ὀνομάτων ἀηθέστερον.

Ἐπεὶ μεῖζον ποιεῖ κακὸν τοῦ εἰκῇ λέγειν: ἡ μὲν γὰρ οὐκ ἔχει τὸ εὖ: ἡ δὲ, τὸ κακῶς.

Aliter enim maius malum parit, quam inconsiderate dicere: haec namque a laude vacua est: haec vero vituperationi obnoxia.

ITA in codicibus scriptis inueni, & ita sane legi debet. antea in excusis τὸ εἰκῇ λέγειν, perperam legebatur. cur tantopere admonuerit in hac re modum a nobis tenendum esse, docet. si quid peccaueris (inquit) dum cultior in sermone esse vis, magis offendes, quam si temere inconsiderateque loquaris: atque id non sine causa: maius enim peccatum est, dum ornamenta sectaris, labi, quam fortuito, & vt multitudo hominum loquitur, dicere: sermo enim vulgaris virtutes orationis non habet: haec oratio, quae cum cuperet exornari, inutilem sibi ornatum alienumq; comparauit, vitio culpaeq; affinis est. Idem etiam vidit M. Cicero: admonuitq; diligenter, vt caueremus, quod in hac re vsu veniret, ostendens locum habere in ceteris omnibus: indicauit
» enim θεώρημα esse καθολικόν. In omnibusq; rebus videndum est quatenus: & si enim suus cuiq;
» modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum.

Διὸ τὰ Ἀλκιδάμαντος ψυχρὰ φαίνεται: οὐ γὰρ ἡδύσματι χρῆται, ἀλλ' ὡς ἐδέσματι τοῖς ἐπιθέτοις.

Unde Alcidamantis scripta frigida esse intelliguntur: non enim vtitur epithetis, tamquam condimento, sed tamquam esca & dapibus.

ET haec causa est (inquit) cur scripta Alcidamantis frigida sint: copia namque epithetorum illa corrumpit: nec enim modum vllum in hac re tenere orator hic potuit: in reprehendendo autem Alcidamante, atque errore illius exagitando, polite ipse locutus est, vt non facile Latine, seruata forma illa sermonis, sententia ipsa efferri possit. ἥδυσμα enim condimentum appellari constat: ἔδεσμα dapes epulaeq; ipsae sunt: ornatus orationis, vt condimentum, modicus esse debet, quod tantum suauiores epulas efficiat: nemo enim in conuiuio condimentis solis vescitur: adsunt enim dapes, quae famem pellant. Imperite igitur Alcidamas ornamentis verborum, non tamquam condimentis dapes, orationé exornare voluit, sed paene ex ipsis orationem, tamquam conuiuium struxit. Ab eadem re verbum transferens in libro de arte poetica, vocauit μελοποιίαν maximum omnium condimentorum, quibus perspergeretur tragaedia. Animaduertendus autem modus est loquendi: posteriori enim tantum parti aduerbium ὡς adiungit: cum videatur etiam priori idem adiungi debuisse: supra tamen quoque ita locutus est, cum, de ornatu orationis loquens, inquit, οὐκ ὀρθῶς ἔχοντος ἀλλ' ὡς ἀναγκαίῳ. Cum vero antea numero multudinis, & ἡδύσμασι & ἐδέσμασι in excusis libris legeretur, vnitatis numero ambo illa nomina scribi volui: ita enim in manu scriptis inueni, & ita in suo exemplari videtur habuisse auctor antiquae tralationis.

Οὕτω

Οὕτω πυκνοῖς, καὶ μείζοσι, καὶ ἐπιδήλοις.

Adeo crebris, & maioribus, & apertis vtitur.

Adeo crebris (inquit) & maioribus, & apertis epithetis vtitur. Quomodo autem peccari posset epitheta adiungendo, atque in frigus incidere, supra ostendens, eadem paene, quae nunc Alcidamanti tribuit, vitia demonstrauit: cum enim nunc perspicuis nimis vtendo eum lapsum esse tradat, respondet (vt arbitror) superiori illi voci, cum intempestiua quaedam esse epitheta docuit: tunc autem intempestatiua sunt, cum res plana, & aperta sua vi est: nec aliquid adponi, vt melius intelligatur, postulat. vt siquis dulce mustum: dentes albos dixerit: nam quod μείζοσιν eundem quoque vsum dicit, respondet hoc verbo superiori, μακρά: longa enim maioribus continentur: quae namque longiora sunt, eadem & grandiora. tertium vitium, quod in eo reprehendit, manifesto idem est cum illo, quod in fraudem ducere posse, huius rei tractandae ignaros, indicauit: eodem enim verbo vsus est.

Οἷον οὐχ ἱδρῶτα, ἀλλὰ τὸν ὑγρὸν ἱδρῶτα.

Veluti non sudorem, sed humidum sudorem.

Hunc locum, vt ab Aristotele hic traditus est, iisdem verbis posuit Phalereus. Otioso autem nimis superuacaneoq; epitheto vsus Alcidamas est, cum sudorem dicens, satis non habuit eum appellare, sed addidit humidum: tamquam aridus aliquis sudor inueniatur, aut ignotum alicui esse possit, hanc esse ipsius naturam. Virgilius namq; cum humida vina appellauit, reprehendi merito non potest: conceduntur enim poëtis huiuscemodi ornatus suauitatis causa: nec tamen illic omnino otiosum id verbum est, sed studium poëtae adiuuat: facitq; id, quod sua vi incredibile erat, multo admirabilius: quamuis enim vinum liquidum esse intelligatur, id tamen, quod ne secari caedique posse videatur, praestat, relatum, rem auget: humida autem natura ipsius ab hoc abhorret.

Καὶ οὐκ εἰς ἴσθμια, ἀλλ' εἰς τὴν τῶν ἰσθμίων πανήγυριν.

Et non in Isthmia, sed in Isthmiorum conuentum ac frequentiam.

Qui ludos, quos Isthmia Graeci, a loco, vbi celebrarentur appellabant (isthmos enim vocabantur angustiae faucesq; Peloponnesi, quae duo maria separant) non isthmia, sed isthmiorum conuentum mercatumque vocat, adponit sane aliquid, quia quod vno verbo dicere poterat, duobus significauit: non tamen esse videtur hic aliquid e genere eorum, quae epitheta grammatici dicunt, sed esse potius haec descriptio quaedam & periphrasis, vt iidem huiuscemodi sermonem vocant, tamquam exemplum tamen frigidae vitiosaeque orationis Aristoteles ponit: & sane non valde periphrasis oratori accommodata est: & si frequentetur ab ipso, reprehensionem illi affert.

Καὶ οὐχὶ νόμους, ἀλλὰ τοὺς τῶν πόλεων βασιλεῖς νομίμους.

Et non leges, sed ciuitatum reges legales.

Excusi antea libri, & scripti quidam habent, βασιλεῖς νόμους: ipse autem extremum verbum immutaui, secutus antiquissimi codicis auctoritatem, cui etiam adstipulatur vetus tralatio: nisi fallor autem res ipsa, diligenter spectata, veriorem hanc esse lectionem docet: affectata enim haec loquendi ratio similis est superiori. Non leges igitur appellauit, vt consuetudo erat, verum addidit plura verba. & ipsum hoc etiam, quo leges eo sermone vocantur, aliter conformauit, quasi dicens ciuitatum reges legales: intellexit autem leges, quae in liberis ciuitatibus regnarent: reges, qui non viuerent ac spirarent, sed in sapientium virorum scriptis manerent. Quod siquis alteram lectionem sequi malit, lapsus hoc pacto erit Alcidamas: quid enim attinuit addere, τοὺς τῶν πόλεων βασιλεῖς? redundat enim hoc totum: &, quamuis adpositum non fuisset, eam vim legum esse intelligitur. Plato tamen quoque in Symposio ita locutus est. » ἃ δ' ἄν τις ἑκὼν ἑκόντι ὁμολογήσῃ, φασὶν οἱ πόλεως βασιλῆς νόμοι δίκαια εἶναι: qui politissimus scriptor fuit, nec minus studij posuit in ornatu verborum, quam in grauitate sententiarum. etsi a quibusdam hoc nomine reprehensus est, quod nimis grandem locutionem secutus fuerit, ac prope accesserit ad phrasin propriam poëtarum: ita enim de ipso existimauit Longinus. quod fecit etiam, vt alteri lectioni assenserim: nisi existimetur, quod in Alcidamante vitiosum fuit, ac ferri non potuit, in Platone nihil culpae habere, cum id affingat Agathoni, qui poëta erat, & tunc ipsum amoris dotes, virtutesque celebrabat: vt ne dum peccauerit Plato, summam laudem mereatur, qui & quid personam deceret, quae loquebatur: & rem ipsam, de qua sermo tunc erat, cogitauit.

Καὶ οὐ δρόμῳ, ἀλλὰ δρομαίᾳ τῇ τῆς ψυχῆς ὁρμῇ.

Et non cursu, sed animi impetu cursiuo.

PERVERSE antea, καὶ οὐ δρομαία, excusi omnes habebant: secutus fidem scriptorum librorum & rem ipsam, δρόμῳ emendaui. Vitium Alcidamantis & hic etiam perspicuum, qui, quod vno verbo dilucide dicere potuit, insulsius atque obscurius pluribus enuntiauit: neque enim δρόμῳ inquit, idest cursu, cum illum significare vellet, sed inde conformato nomine, δρομαίᾳ animi impulsione, appetituq; currendi: naturam enim quasi cursus exprimere voluit: totamque rem descripsit: quod tunc facere minime oportebat.

Καὶ οὐχὶ μουσεῖον, ἀλλὰ τὸ τῆς φύσεως παραλαβὼν μουσεῖον.

Et non museum, sed naturae accepto museo.

IDEM, cum museum appellare oporteret, addidit, quod minime necesse erat, dicens: cum naturae museum accepisset. Museum autem dici locum a musis bonisque artibus frequentatum, manifestum est. Appellat igitur hic quoque τῆς φύσεως epitheton, cum adponatur illi nomini, ad naturam eius explanandam.

Καὶ σκυθρωπὸν τὴν φροντίδα τῆς ψυχῆς.

Et tristem animi curam.

QVOD hic adponitur, e genere est eorum epithetorum, quae passim ab omnibus ita appellantur. non erat autem illud vllo modo necessarium: qui enim curam animi inquit, sollicitudinem & molestiam quandam significat: neque addere oportet anxiam, aut tristem.

Καὶ οὐ χάριτος, ἀλλὰ πανδήμου χάριτος δημιουργός.

Et non venustatis, sed omnifariae venustatis opifex.

IN idem vitium incidit, non gratiae, quod satis fuisset ad rem explanandam tradens, sed omnifariae gratiae opifex ac fabricator: adponens illi nomini, quod minime opus erat.

Καὶ οἰκονόμος τῆς τῶν ἀκουόντων ἡδονῆς.

Et dispensator voluptatis audientium.

ALIVD exemplum eiusdem vitij: hic enim quoq; adposuit, quod minime oportebat. Curator (inquit) dispensatorq; voluptatis audientium: extremum enim hoc relinqui potuit: orator enim, qui voluptatis effector est, auribus eorum, qui audiunt, suauitatem afferre intelligitur.

Καὶ οὐ κλάδοις, ἀλλὰ τοῖς τῆς ὕλης κλάδοις, ἀπέκρυψεν.

Et non ramis, sed siluae ramis abdidit.

ET non ramis texit, inquit: quod satis erat rei significandae, sed siluae ramis occultauit: rami enim siluae manifesto sunt, nec id verbum additum magis rem declarat. Simile huic videtur illud, quod Quintilianus commemorat, emendasse Ciceronem vrbane in Hirtium: cum enim ille in Pansam declamans, dixisset, filium a matre decem mensibus in vtero latum esse, Quid aliae inquit, in penula solent ferre? Cogitandum etiam an idem hoc reprehendere voluerint, qui non probabant, quod ab illo ipso in diuinatione in Verrem dictum est, vt oculis videre possitis: aiebant enim id leuiter a Cicerone, & neoterice dictum esse, quod, purgans, Asconius inquit, sed aptum est asseuerationi.

Καὶ οὐ τὸ σῶμα παρήμπισχεν, ἀλλὰ τὴν τοῦ σώματος αἰσχύνην.

Et non corpus operuit, sed corporis pudorem.

EADEM prauitate iudicij idem abductus, non corpus velauit inquit, sed corporis pudorem: qui enim corpus tegunt, non alia de causa id faciunt, nisi ne dedecoris aliquid admittant, ac pudorem violent, si forte quod coelari oportet, appareat.

Καὶ ἀντίμιμον τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιθυμίαν: τοῦτο δ' ἅμα, καὶ διπλοῦν, καὶ ἐπίθετον. ὥστε ποίημα γίνεται.

Et antimimon animi cupiditatem, hoc autem simul, & duplex est, & epitheton. quare poëma fit.

CVM

CVM excusi antea τίμιον haberent (cui verbo locus hic nullo modo videtur esse posse) eiecto illo, reposui ἀντίμιμον, quod in marginem quoq; quorundam, Venetijs excusorum, librorum iam irrepserat. manauit autem (nisi fallor) e Graeco interprete, qui manifesto ita legit: neq; enim in vllo scripto libro id inueni: vestigiumue ipsius in vetere tralatione extat: & sane, quae in exemplo requiruntur, in ipso sunt: epithetum namque est, & iunctum duplexque nomen. Id vero, quod sustuli, altera harum condicione caret: simplex enim est. vt illud igitur tuto hinc deleri potuit, ita nihil certi habeo, quo firmiter hoc constituam. quare totam rem, vt se habet, eruditis viris cognitam esse volui. Est autem ἀντίμιμον, quod faciem alicuius rei prae se fert, atque illam exprimit. Aristophanes Θεσμοφοριαζούσαις eo vsus est. Ω. μὲν βλέπειν χρὴ πρῶτα μη-χανήματα Ὀφθαλμὸν ἀντίμιμον ἡλίου τροχῷ. Alcidamas igitur, cum animi cupiditatem ἀντίμιμον appellauit, frigide locutus est: adposuit enim nomen, quod, & quia affectatum otiosumque, & quia iunctum, nullo pacto dictioni oratoriae conueniebat: asciuit enim ita ille sibi poëticum stilum, ac poëma illud paulatim fiebat.

Καὶ οὕτως ἔξεδρον τὴν τῆς μοχθηρίας ὑπερβολήν.

Et ita exhedron prauitatis exuperantiam.

HVNC quoque locum & in excusis cunctis & in scriptis libris corruptum, immutaui, ἔξεδρον magis probans (antea namq; ἐξεῦρον, mendose omnino legebatur) hanc tamen lectionem ipse non excogitaui, sed apud Graecum interpretem inueni. Si autem ita scribatur, exemplum (vt opinor) accommodatum erit ei, quod ostendere vult Aristoteles, significando. Hoc enim quoq; nomen, vt superius, & duplex & epitheton est: coniunctum namque est e praepositione, & e nomine. ἔξεδρον autem hic (nisi fallor) valet immensam exuperantiam, quae a sede & tamquam finibus recti exeat: quemadmodum videtur cepisse hoc nomen Athenaeus in v. libro δειπνοσο-φιστῶν, vbi maledicit Platoni: eumque inconstantiae damnat: in sermoneque praecipue, quem inscripsit Charmidem, multa narrat repugnantia dixisse. Cum fingat illic Socratem, nunc quidem occaecatum amore pueri atque ebrium factum, tamquam e potestate exisse: nullamq; suae dignitatis rationem habuisse: nunc autem speciem ipsius, floremq; aetatis despicientem inducat: in hac enim re exponenda ita locutus est. ποιεῖ γὰρ αὐτὸν ἀσυμφώνως· ποτὲ μὲν σκοτοδινιῶν-τα καὶ μεθυσκόμενον τῷ τοῦ παιδὸς ἔρωτι, καὶ γινόμενον ἔξεδρον, καὶ καθάπερ νεβρὸν ὑποπεπτωκότα λέοντος ἀλκῇ: ita enim arbitror legi debere, cum in excusis perperam sit νεκρὸν: vt ita attonitum illum ac timore perculsum, dicat vt hinulum, qui in valentissimam bestiam, leonem inciderit. Videtur vero id verbum ab auibus translatum: illae enim ἔξεδροι, cum in locis aduersis inauspicatisque sidebant vocabantur. Cum autem haec omnia e medijs quibusdam orationibus sumpserit, vt vitiosae tantum locutionis exemplum sint, non est quod miremur, aut plenam sententiam in non nullis non esse: aut desiderari, vt in hac, verbum, vnde casus nominum regantur.

Διὸ ποιητικῶς λέγοντες, τῇ ἀπρεπείᾳ τὸ γελοῖον, καὶ τὸ ψυχρὸν ἐμποιοῦσι, καὶ τὸ ἀσαφὲς διὰ τὴν ἀδολεσχίαν.

Quare, cum poetarum more dicant, quia id minime decet, risum, & frigus inserunt in orationem, nec non obscuritatem propter loquacitatem.

ET quomodo peccarent, & in quot culpas inciderent, & quantam his, apud quos dicerent, sui irridendi facultatem darent, nullius iudicij quidam oratores, ostendit. Cum more poëtarum (inquit) loquantur, quia rem indecoram faciunt (alia enim oratoris locutio est: alia poëtae) ridiculi fiunt, & frigus efficiunt: nec non, quod minime omnium putant, obscuri sunt: obscuritas enim quoq; ex garrulitate illa oritur, & prauo studio cuncta exornandi, vt ipsi arbitrantur: ἀδολεσχία oratio inanis est & otiosa: incidunt enim in hoc vitium homines, cum aut sententijs, aut verbis superuacaneis vtuntur, & quae nullam vim habeant ad id, quod significare volunt, declarandum. inde autem tenebrae existunt: neque enim intelligere possunt, qui audiunt, quid illa eo pertineant, vt etiam, quod iam perceperint, tantopere animo confunduntur, putent se minime percepisse.

Ὅ,τ᾽ ἂν γὰρ γινώσκοντι ἐπεμβάλλῃ, διαλύει τὸ σαφὲς τῷ ἐπισκοτεῖν.

Quodcunque enim ei, qui iam cognoscit, aliquid praeterea inculcarit, frangit claritatem, tenebras offundendo.

QVODCVNQVE enim (inquit) aliquis inculcarit ei, qui rem iam percepit, perdit dissoluitq; illud, quod apertum ac planum iam erat: nam re cognita quodcunq; adiungis, ne dum illustret, caliginem offundit atq; obscurat. ἐπεμβάλλῃ autem eleganter, proprieq; dixit. Plato quoque in Cra-

» in Cratylo in eadem paene re exponenda eodem verbo vſus eſt. ὥστε ἐπεμβάλλοντες πολλὰ ἐπὶ τὰ πρῶ-
» τα ὀνόματα, πλουτῶντες ποιοῦσι μηδ' ἂν ἕνα ἀνθρώπων συνεῖναι, ὅ τι ποτὲ βούλεται τὸ ὄνομα: neq; tamen de interiectione verborum, aut ſententiarũ, antequam prima illa ſententia abſoluta ſit, loquitur, ſed de inculcatis alicui nomini, ſyllabis: illae enim quoq; impediunt, ne vnde ductum id nomen ſit, videri poſſit: demumq; id ſignificare voluit Plato, quod his quoq; verbis M. Varro affirmauit
» de lingua Latina. Multa enim verba, litteris commutatis, ſunt interpollata.

Οἱ δ' ἄνθρωποι τοῖς διπλοῖς χρῶνται, ὅταν ἀνώνυμον ᾖ, καὶ ὁ λόγος εὐσύνθετος. οἷον τὸ χρονοτριβεῖν.

Homines autem iunctis verbis vtuntur, cum res nomen non habuerit, & oratio bene apteque componi potuerit. quale eſt χρονοτριβεῖν.

Cvn aliquid (inquit) vno verbo homines exprimere nequeunt, quod nomen illi rei impoſitum non eſt, confugiunt ad coniungenda verba: & cum apte facileque illa componere poſſunt, libenter hac ratione vtuntur: nam χρονοτριβεῖν, quo exemplo vtitur, eleganter connexum eſt: nec ſimplici verbo tempus terere, quod ita iunctum valet, Graeco ſermone poterat exponi. Homines autem cum dixit, intellexit vulgus imperitorum, & conſuetudinem ipſam ſermonis: oſtendit enim nunc quando iunctis nominibus in ſoluta oratione vtendum ſit, & quomodo illa iungere oporteat: quod facturum ſe antea pollicitus fuerat. Docet igitur imitandam in hac re conſuetudinem: &, cum res cogit, commodeque id facere poſſumus, eſſe verba iungenda.

Ἀλλ' ἂν πολύ, πάντως ποιητικόν.

Verum, ſi multum fuerit, omnino proprium poëtarum genus loquendi euadit.

Qvi, hac coniunctione (inquit) verborũ delectatus, multum huiuſcemodi verba in ſoluta oratione vſurparit, peccabit: & oratio ipſius a peritis, poëtae potius quam oratoris, merito exiſtimabitur. Non potuit autem ferre tam ineptum oratoris cuiuſdam ſermonem Antigonus rex, vt refert Plutarchus: cum enim ita apud eum ille loqueretur (ſignificare volens ob frigidiſſimam
» anni tempeſtatem omnem herbam in agris enectam) χιονοβόλος ἡ ὥρα γενομένη, λεπτοβοτανεῖν ἐποίησε
» τὴν χώραν, interrupto eius ſermone ille, deſine (inquit) mecum, vt cum incondita multitudine agere: nam χιονοβόλος & λεπτοβοτανεῖν iuncta verba ſunt, nec ſatis concinne compoſita, nec vlla neceſſitate affectata. iure optimo igitur acuti ingenij vir eum contempſit, & inſulſum illum modum loquendi turbae reſeruari iuſſit, quae nouitate ſemper capitur, & rectum a vitioſo diſtinguere nequit.

Διὸ χρησιμωτάτη ἡ διπλῆ λέξις, τοῖς διθυραμβοποιοῖς: οὗτοι γὰρ ψοφώδεις.

Quare maximum fructum fert oratio, quae duplicibus verbis conſtat, dithyrambicis: hi namque pleni ſonoris ſunt.

Qvia verba iuncta ſonantem poëſim redolent, locutio, quae ex iunctis vocibus conſtat, aptiſſima eſt dithyrambicis, ac magnas ipſis vtilitates affert: volunt enim illi ſono implere aures, ac mirum in modum tumidi elatique ſunt. Idem tradidit Demetrius in libro de elocutione, vbi & ipſe de frigore orationis diſſerit. Halicarnaſſeus cum in vita Lyſiae inquit, Gorgiam Leontinum prope dithyrambicis quaedam fudiſſe, intellexit (vt puto) verba iuncta: huic enim vitio illum affinem fuiſſe teſtimonio Ariſtotelis didicimus.

Αἱ δὲ γλῶτται, τοῖς ἐποποιοῖς: σεμνὸν γὰρ, καὶ αὔθαδες.

Verba autem externa, poëtis, qui heroicum carmen pangunt, ſunt accommodata: grauitatem enim hoc in ſe continet, ac contumaciae non nihil.

Voces externae fructum ferunt epicis poëtis: peregrinis namque vti verbis grande eſt ac contumax: congruit autem hic ſermo amplitudini perſonarum, quae in illo genere carminis inducuntur: eleganter vero inquit, eſſe ſuperbum, vti peregrinis vocibus, quaſi faſtidientis tritum vſitatumque morem loquendi, nec conſuetudini ſeruientis: is enim, ſi vitam ſpectes, αὐθάδης eſt, qui ſibi putat licere, quod alijs non licet, ac ceteros prae ſe contemnit.

Μεταφορὰ δὲ τοῖς ἰαμβείοις: τούτοις γὰρ νῦν χρῶνται, ὥσπερ εἴρηται.

Translatio autem iambicis: his enim nunc vtuntur, quemadmodum dictum eſt.

Transla-

TRANSLATIO vero ſenarijs verſibus, maxime ſcilicet vtilis eſt: quo nunc metri inquit, genere & tragici & comici poëtae, relictis tetrametris, vtuntur. cur autem translatio apta ſit iambicis, neminem fallere poteſt: cum enim ſenarij communi ſermoni propinqui ſint, & conſuetudo etiam verba ſaepe transferat, non modo vrbanorum, ſed etiam ruſticorum, non poſſunt generi illi carminis, & ijs, qui ipſum frequentant, non conuenire verba translata. Puſilla varietas ſcripturae in antiquiſſimo libro inuenitur, quam tamen indicabo: ita enim illic legitur, ἡ μεταφορὰ τοῖς ἰαμβείοις.

Καὶ ἔτι τέταρτον τὸ ψυχρὸν ἐν ταῖς μεταφοραῖς γίνεται.

Et amplius quartum genus frigidae orationis manet in translationibus.

RESTAT quartum, quod frigus efficit: id autem in translationibus poſitum eſt: nec enim ſemper verba apte transferuntur, ſed inueniuntur etiam translationes indecorae: quibus autem vitijs illae laborent, exponit.

Εἰσὶ γὰρ καὶ μεταφοραὶ ἀπρεπεῖς: αἱ μὲν, διὰ τὸ γελοῖον: χρῶνται γὰρ καὶ οἱ κωμῳδοποιοὶ μεταφοραῖς.

Sunt enim & translationes indecorae, hae quidem propter ſtudium mouendi riſum: vtuntur enim comici poëtae translationibus.

PLVRIBVS de cauſis translata quandoq; verba parum conuenire tradit: quaedam enim translationes indecorae ſunt propter humilitatem, quae riſum ob id mouent: nam hoc facere illas argumento eſſe poteſt, quod comici poëtae translationibus libenter vtuntur, qui vndique riſum captant: cupide autem eoſdem eadem de cauſa vti etiam hyperbolis docuit Phalereus: cum enim, quod fieri nullo pacto poſſit, contineant hyperbolae, riſus facile ratione illa excitatur: intelligit autem priſcae comaediae auctores. quod vero tradit philoſophus in vſu ipſorum eas eſſe, verum intelligitur ex Ariſtophanis fabulis: cum enim multis modis iocetur, non parua pars leporis ac venuſtatis apud eum hinc manat.

Αἱ δὲ, διὰ τὸ σεμνὸν ἄγαν, καὶ τραγικόν.

Hae autem, quia nimis grandes ſunt, & tragicae.

ALIAE vero contra indecorae ſunt, quia nimis grandes, ac tamquam tragicae ſunt. Duo autem haec verba libenter copulare ſolitus eſt Ariſtoteles, vt qui iudicaret, cui alterum congrueret,
» alterum etiam ab eo nullo modo diſcrepare. In ij. libro de rebus ſuperis, τραγικώτερον γὰρ ὄντως καὶ
» σεμνότερον ὑπέλαβον ἴσως εἶναι τὸ λεγόμενον. Idem autem (vt opinor) ſecutus Cicero & ipſe in Bru-
» to inquit: Fuit enim Sulpicius, vel maxime omnium, quos quidem ego audierim, grandis, & (vt ita dicam) tragicus orator. Quidquid autem inflatum, ac tumidum erat, tragicum, quia hoc genere dicendi tragici poëtae vtuntur, vocabatur.

Ἀσαφεῖς δὲ, αἱ πόῤῥωθεν.

Obſcurae autem, quae longe ductae fuerint.

VT autem ſuperiores illae, quia indecorae: ita hae, quia obſcurae, frigidae atque inſulſae ſunt: obſcurae namque ſunt, quae longe ducuntur: vt autem exemplis ipſe confirmat, magni & graues oratores in hoc vitium quandoque lapſi ſunt. M. Cicero, cum cognoſſet ſe vſum in oratore translatione duriore, aliquomodo ſe purgauit: muniuitque ipſam vna harum particularum,
» quae medentur huic malo: inquit enim. Facile eſt enim verbum aliquod ardens, vt ita dicam, notare. Commemorat vero Longinus Ariſtotelem & Theophraſtum ſolitos vocare haec, audacium translationum remedia μειλίγματα: nominat autem ὡσπερεὶ καὶ, οἱονεὶ, καὶ εἰ χρὴ τοῦτον εἰπεῖν τὸν τρόπον, καὶ εἰ δεῖ παρακινδυνεῦσαι. reſpondent autem his, quaſi, tamquam, licet mihi ita loqui.

Οἷον Γοργίας, χλωρὰ καὶ ἔναιμα τὰ πράγματα.

Veluti Gorgias, pallida & ſanguinolenta facta.

VERBA haec nimis longe translata fuiſſe putat, nec Gorgiam probat, qui facta negotiaq; non nulla pallida & ſanguinolenta vocarat. Cicero tamen quoque cruentam pecuniam & cruentum imperium μεταφορικῶς appellauit. Quod ad ſcripturam ipſam vimque horum verborum pertinet, antiquiſſimus liber, vt in excuſis exemplaribus legitur, ἔναιμα habet: quam vocem exprimit etiam vetus tralatio. Sunt tamen plures ſcripti codices, in quibus ſcriptum eſt ἄναιμα, quaſi exanguia & decolorata. quod ſi iiſdem rebus duo haec translata nomina adpoſuit, atque

naturam earum significare voluit, verisimilius est ἄνικμα legi debere: neq; enim videntur posse vllo modo eaedem res eodem tempore pallidae sanguinolentaeq; esse. diuersas tamen ille res diuersis epithetis intelligere potuit (nihil enim certi, cum scripta perierint, vnde haec exempla sumpta sunt, adferri potest) aut χλωρὸν, non pallidum, sed viride ac vegetum hic valet: χλωρὰ vero quae pallent, & quae colorem amiserunt appellari etiam planum est. Cicero in secunda quaestione Tusculana, cum Sophoclis elegantissimam fabulae partem exprimeret, inquit. Iam
» decolorem sanguinem omnem exorbuit. Decolorem igitur reddidit, χλωρὸν: Sophocles enim ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου πέπωκεν ἤδη (ita enim ex Cicerone emendo: non, vt nunc in excusis codicibus apud auctorem ipsum legitur, πέπωκεν) Galenus quoq; multis locis hanc vim habere hoc verbum testatus est, vt in commentario primo in προγνωστικὸν, cum verba haec Hippocratis
» interpretaretur. καὶ τὸ χρῶμα τοῦ ξύμπαντος προσώπου χλωρόν τε ἢ καὶ μέλαν: inquit enim, de mutatio-
» ne coloris in fronte loquens: μετριωτέρα δὲ ἡ ἐπὶ τὸ χλωρὸν: εἰώθασι δὲ οὕτως ὀνομάζειν οἱ παλαιοὶ ποτὲ
» μὲν, τὸ ὠχρὸν: ἔστι δὲ, ὡς οἱ πολλοὶ κράμβας καὶ θριδακίνας καλοῦσι χλωράς: locum autem illum vertens
» Celsus, reddit χλωρὸν perpallidum. in ij. libro capite vj. Color, aut niger, aut perpallidus. In libro quoque, quo docet, quomodo aegri in acutis morbis alendi sint, de eodem nomine accurate agit.

Σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας: κακῶς δὲ, ἐθέρισας.

Tu autem haec turpiter seminasti: male autem messuisti.

HANC etiam locutionem non probat, quod ex translationibus constet, quae nimis longe ductae sunt: & potius poëticam orationem, quam solutam redolent: a rusticis autem operibus sumpta esse nomina planum est: seritur enim frumentum ac metitur, non res aliqua in vita factumque: ille tamen cum flagitiosum initium quorundam negotiorum: malumque finem intelligeret, verbis eius studij proprijs vsus est. Latinus tamen vetus orator hinc materiam ioci duxit, vt Cicero in ij. de Oratore tradit: cum enim quaesitum esset ex ipso ab aduersario, si contra ipsum dixisset, maledicturus ne ipsi foret, vt ceteris, qui dissenserant ab eo, fecerat, Vt sementim feceris, ita metes, inquit.

Ποιητικῶς γὰρ ἄγαν.

Poëtice namque admodum editum est.

PLVRES ac meliores scripti libri ita habent, cum in excusis antea ποιητικὸν legatur: vetus quoq; tralatio lectionem hanc confirmat. sententia sane, vtro modo legas, non variatur. Fines autem sui studij penitus egressum esse Gorgiam docet: tamque e longinquo verba transtulisse, vt personam oratoris abiecisse: sumpsisse autem poëtae, videretur: neque enim modum vllum in ea re tenuerat.

Καὶ ὡς Ἀλκιδάμας, τὴν φιλοσοφίαν ἐπιτείχισμα τῶν νόμων.

Et vt Alcidamas, philosophiam aggerem propugnaculumque legum.

HOC etiam vitio cumulata erant scripta Alcidamantis: nimis enim ille affectate loquebatur, nimisque longe verba transferebat: nam alioqui, nisi in verbis vitium fuisset, sententiae ipsae elegantes, & ingeniosae erant, vt facile quiuis intelligere potest: studium enim sapientiae, ornare illud volens, aggerem propugnaculumque legum esse inquit: significans, qui ei incubuerint, quia domitas habeant libidines, nihil committere contra leges. Adiuuat igitur ita, saepitque leges, philosophia.

Καὶ τὴν Ὀδύσσειαν, καλὸν ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον.

Et Odysseam, pulchrum humanae vitae speculum.

ET Odysseam Homericam, pulchrum humanae vitae speculum appellauit. Quod ad senten-
» tiam vero pertinet, idem Horatius in epistola ad Lollium tradit. Rursus, quid virtus, & quid
» sapientia possit, Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem. Metaphora hic est in verbo κάτοπτρον. Significare autem his verbis voluit Alcidamas, posse homines, quid sibi agendum sit, in illo poëmate, tamquam in speculo, intueri.

Καὶ οὐδὲν τοιοῦτον ἄθυρμα τῇ ποιήσει προσφέρων.

Et nullum tale oblectamentum poesi afferens.

Ἄθυρμα supra, vt externi peregriniq; nominis exemplum posuit: nunc vero, vt translati: nihil tamen vetat, quin idem verbum & externum & translatum simul sit: externum, vt non in vsu eorum, ad quos verba facit, sed ab alia gente mutuatum: translatum, vt in eo ipso idiomate, in quo proprium est, alterius rei proprium, & non eius, ad quam inde importatum est.

Ἅπαντα γὰρ ταῦτα ἀπίθανα διὰ τὰ εἰρημένα.

Cuncta enim haec aliena a persuadendo ob culpas, quae dictae sunt.

EODEM tempore trium eiusdem viri vocum vitium ostendit: erat namque illud idem, & quod mendum vna quaelibet ex illis, idem reliquae continebant. Cuncta autem aliena fuisse (inquit) a fide facienda ob ea, quae antea tradiderat: idest, quia nimis longe ductae erant illae translationes: vt, quamuis res similes inter se forent, tanta tamen loci distantia erat, vt non plane intelligi similitudo posset, atq; ita non fidem facile faceret.

Τὸ δὲ Γοργίου, εἰς τὴν χελιδόνα, ἐπεὶ κατ' αὐτοῦ πετομένη ἀφῆκε τὸ περίττωμα, ἄριστα τῶν τραγικῶν: εἶπε γάρ, αἰσχρόν γε ὦ Φιλομήλα.

Illud autem Gorgiae in hirundinem, postquam, supra ipsum volans, eiecit reliquias ventris, optime tragicorum: dixit enim, Turpe hoc quidem est Philomela.

VOCEM quoque Gorgiae refert, quam subtilem, & elegantem putat: quod si a tragico poëta edita, non ab oratore fuisset, nihil melius ingeniosiusq; dici potuisset: magis enim hic sermo poetam, & eum quidem tragicum, quam oratorem decet. Hoc autem Gorgiae apophtegma Plutarchus etiam in vij. libro symposiacarum quaestionum, paulum immutatis verbis exponit.
» Γοργίας δὲ ὁ σοφιστὴς χελιδόνος ἀφείσης ἐπ' αὐτὸν ἀπόπατον, ἀναβλέψας πρὸς αὐτὴν, οὐ καλὰ ταῦτ' εἶπεν ὦ Φι-
» λομήλα: περίττωμα autem & ἀπόπατον, stercus significare, planum est. Cicero reliquias cibi appellat. Cum ambularet igitur in aperto Gorgias: forteque hirundo, supra caput volitans, ipsum stercore inquinasset, respiciens in illam inquit. turpe tibi hoc sane Philomela.

Ὄρνιθι μὲν γάρ, εἰ ἐποίησεν, οὐκ αἰσχρόν: παρθένῳ δέ, αἰσχρόν.

Aui enim, si fecisset, minime turpe fuisset: virgini autem turpe.

HAEC Aristotelis verba sunt, Gorgiae ingenium laudantis: acumenq; illius vocis interpretantis: si enim, vt auem, ipsam increpuisset, locum reprehensio non habuisset: neque enim aui, quamuis commiserit, turpitudinem vllam ea res affert: sed virgini turpe id factum est, quo nomine illam vocauit.

Εὖ οὖν ἐλοιδόρησεν, εἰπὼν ὃ ἦν, ἀλλ' οὐχ ὃ ἔστιν.

Bene igitur fecit in eam conuicium, cum dixisset, quod fuit, non quod est.

SCITE igitur (inquit) exprobrauit Gorgias hirundini flagitium, quod fecisset, tamquam cum virgine, non aue, sermonem cum ea habens: e Philomela namque illa auis facta fuerat, in quo immutatio est: virginis enim nomine auem appellauit: & ab eo, quod olim fuit, ad id, quod tunc erat, transtulit. Confirmatur autem hoc exemplo, quod Cicero quoq; memoriae prodidit, Aristotelem translationis nomine appellasse etiam verba immutata, & partem ipsius esse voluisse: neque enim, si accurate attendimus, haec metaphora est e genere quattuor illarum, quae proprio nomine ita vocantur, sed videtur hypallage, idest immutatio: nam, relicto proprio nomine, aliud pro illo capitur, quod idem significat: ipsam autem μετωνυμίαν grammatici vocant, eodem illo hoc quoq; testante, quod nomina transferantur. Verba ipsius haec sunt ex Oratore,
» cum diligenter antea vim harum rerum definiuisset, & exemplis etiam illustrasset. Aristoteles
» autem translationi haec ipsa subiungit: & abusionem, quam κατάχρησιν vocat. Animaduertendum praeterea contra ac multi fabulam tradiderant, existimasse Gorgiam Philomelam, in hirundinem: Prognem sororem ipsius, in lusciniam conuersam fuisse: quam etiam opinionem
» secutus est M. Varro. Lusciniola, luctuose canere existimatur: atque esse ex Attica Progne, in
» luctu facta auis: & Virgilius, cum inquit. Quas illi Philomela dapes.

Ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά.

Est autem & imago translatio.

CVM de translationibus ageret, de imaginibus, quae parum ab ipsis discrepant, differere quoq; voluit: primumq; affirmat, quod simillimae sint, imaginem collocari recte posse inter illas: eandemque hanc & metaphoram esse. Suspicari autem possumus easdem virtutes, vitiaq; in imaginibus esse, quae in translationibus inueniantur, quamuis tutius vsurpari ab oratore posse imagines, quam translationes, tradat Phalereus: qui etiam auctor est cunctis, vt, cum translationem aliquid periculi in se habere iudicauerint, ex ea imaginem fabricentur. quod nullo negotio fieri potest: arbitraturque Platonem, qui crebro translationibus vsus est, periculosius fecisse, quam Xenophontem, qui potius imagines sectatus est: an is ab iudicio Aristotelis discrepauerit, qui rarum vsum earum in soluta oratione probat, infra disputabimus.

Διαφέρει γὰρ μικρόν.

Differt enim parum.

Cum imaginem quoq; translationem esse dixisset, his verbis confirmat, se id vere proferre potuisse, quod parum inter illas intersit: simulque, nequis nulla in re ipsas inter se distare falso credens, erraret, quid discriminis inter illas sit, ostendit. Quintilianus libro viij. hunc locum accurate tractauit: & quae a sententia Aristotelis nulla in re discrepent, tradidit. In totum » autem metaphora breuior est similitudo: eoq; distat, quod illa comparatur rei, quam volumus » exprimere: haec pro ipsa re dicitur: comparatio est enim, cum dico fecisse quid hominem, vt » leonem, translatio est cum dico de homine, leo est.

Ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα, Ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν, εἰκών ἐστιν: ὅταν δέ, λέων ἐπόρουσε, μεταφορά.

Quando enim Achillem dixerit, Ut autem leo irruit, imago est: quando vero, leo irruit, translatio.

Qua nam in re distet imago a translatione, exemplis demonstrat: cum enim poëta aliquis dixerit, de Achille loquens, vt leo autem irruebat: impetumq; in hostes faciebat, imago est: cum vero, leo irruebat, particula illa relicta, translatio. In ij. igitur Aeneidos Virgilius, cum inquit » - inde lupi ceu Raptores atra in nebula, εἰκόνα finxit. Cum Horatius in epistola ad Iulium » Florum secundi libri dixit. - post hoc vehemens lupus, & sibi, & hosti Iratus, μεταφοράν. Imagine autem hac pluribus locis vsus est Homerus, vt copiose in xx. libro Iliadis: cum enim Aeneam, stimulis Apollinis concitum, congredi secum velle Achilles vidisset, commotus est atq; in illum ire coepit: animum autem acerrimi iuuenis, incursumque in illum simili hoc explanauit poëta: &, quo facilius tota res perspiceretur, non aliter illum in aduersarium incurrisse dixit, quam leo, qui cum vniuersam regionem deuastaret, coacta manu hominum vndique premeretur ac telis appeteretur: & quae vberius ille in ea collatione persequitur: nec tamen non Aristoteles aliquantulum verba immutauit, vt melius posset ex eodem loco & imaginis, & » translationis exemplum capere: ita enim orditur poëta ipsam. Πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο » λέων ὣς Σίντης: & quae sequuntur. sed etiam in xj. eiusdem operis breuissime, cum impetum de» scriberet Agamemnonis in Antimachi filios: ait enim, - ὃ δ' ἐναντίον ὦρτο λέων ὥς, Ἀτρείδης.

Διὰ γὰρ τὸ ἄμφω ἀνδρείους εἶναι, προσηγόρευσε μετενέγκας λέοντα τὸν Ἀχιλλέα.

Cum enim ambo fortes essent, appellauit, translatione vsus, leonem, Achillem.

Hoc ad translationem pertinet: & quomodo illa efficiatur, quamq; rationem habeat, tradit. Quia (inquit) ambo, & leo, & Achilles, fortes sunt, translato a generosa bestia nomine, leonem Homerus Achillem appellauit. Horatius quoque in iij. libro Odarum fortem militem, ab ea» dem belua ducto nomine, vocauit. Eheu, ne rudis agminum, Sponsus lacessat regius, asperum » Tactu leonem.

Χρήσιμον δὲ ἡ εἰκὼν καὶ ἐν λόγῳ: ὀλιγάκις δέ: ποιητικὸν γάρ.

Utilis autem imago quoq; est in soluta oratione: non multum autem: studij namq; poetarum res propria est.

Quae parum (inquit) discedit a natura translationis, in soluta quoque oratione vtilis est, imago, sed raro tamen: cuius rationem reddens, inquit: magis enim conuenit poëtae, quam oratori, & illius studij proprius hic ornatus est: vsurpauit autem Cicero in orationibus suis imagines, nec Aristoteles protinus abijci debere ipsas affirmat, sed modice ac caute recipi. Cum infrequentes igitur adhiberi iubeat, intellexit (vt opinor) collationes illas, quae copiose ornateque exponuntur, & habent suas redditiones: illae namque poëticum stilum olent, accuratamque diligentiam: nec videntur in prosa popularique oratione tuto posse collocari: tantum enim illud artificium merito suspectum est ijs, qui audiunt. Cicero tamen, pro L. Muraena dicens, huius generis similitudinem protulit: cumque ad rem illustrandam, & ante oculos ponendam, » eam aptam intelligeret, libere vsurpauit. Nam, vt tempestates saepe certo aliquo caeli signo » commouentur, saepe improuiso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa, excitantur: sic » in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas, quo signo commota sit: saepe ita ob» scura est, vt casu excitata esse videatur. Vnde Quintilianus, qui hoc vidit: de hac ipsa loquens, inquit: illam paene poëtico spiritu esse prolatam. In oratione quoque pro A. Cluentio duae

ſunt huius generis collationes. Pro Milone itidem tres: & illae quidem exquiſitae, ſummoq; ſtudio perpolitae: atque in alijs orationibus multae tales reperiuntur. quare non ſolum non vitaſſe, ſibiq; ab illis temperaſſe, verum ſedulo ipſas captaſſe Cicero videtur. Eſt genus aliud imaginum breuius, ac ſine vllo ornatu tractatum, quod ſignificare voluit Phalereus, cum praecepit, vt translationes lubricae in imagines conuerterentur: in quo nullam aliam vim habere videtur particula, quae adponitur, diſtinguitq; ipſam a translatione, niſi munire illam, & ne, vt audax aſperaq; reprehendatur, efficere: eſt enim ipſa tamquā remedium quoddam: vacua namq; ita illa redditur ab eo periculo. Huius vero generis crebrae ab oratoribus adhibentur, & Grae
» cis, & Latinis: ipſarum quoque mentionem fecit Quintilianus, cum inquit. Sunt & illae
» breues, Vagiq; per ſiluas ritu ferarum. & illud Ciceronis in Clodium. Quo ex iudicio, velut
» ex incendio, nudus effugit. Multa alia exempla ipſarum e Ciceronis orationibus ſumi poſſent:
» illud enim in xiij. Philippica huiuſcemodi eſt. Qui, domini patrimonium circumplexus, quaſi
» theſaurum draco. Demoſthenes quoque pro Cteſiphonte, cum inquit. ἀτ' ἐπὶ τούτῳ τῷ καιρῷ
» οὗτος ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας, ὥσπερ πνεῦμα, ἀνεφάνη. nec non in eadem oratione. οὐχὶ σοῦ καταράτες
» τούτες ὥσπερ θηρία, μοι προσβαλλόντων, idem efficere voluit. Sed etiam Iſocrates in ſuaſione ad Phi
» lippum. πράξεις ἀμφότερα σοι φέρειν ἅμα δυναμένας, ὥσπερ καρποὺς: ἡδονάς τε ὑπερβαλλούσας, καὶ τιμὰς
» ἀνεξαλείπτες. Hic (niſi fallor) ſenſus fuit vtriuſque ſcriptoris: liquidoque intelligitur nihil ipſos
inter ſe diſſentire.

Οἰστέαι δὲ ὥσπερ αἱ μεταφοραί: μεταφοραὶ γάρ εἰσι, διαφέρουσαι τῷ εἰρημένῳ.

Vſurpandae autem ſunt, vt translationes: translationes enim ſunt, differentes eo, quod dictum eſt.

VT ſupra φέρειν ἐνθύμημα, φέρειν παράδειγμα ſaepe dixit, ſic etiam nunc, φέρειν εἰκόνας ait. Eodem
» quoque pacto locutus eſt in viij. Topicorum. εἰς δὲ σαφήνειαν, παραδείγματα καὶ παραβολὰς οἰστέον: cum lucem ſcilicet alicui rei & claritatem afferre volumus, vtendum eſt exemplis & collationibus. Sunt igitur (inquit) imagines eodem pacto afferendae & tractandae, quo translationes: & quae in illis ſupra ſeruari debere declaraui, in his quoque cuſtodienda: vnde enim & virtutes & vitia alterius fluunt, inde etiam alterius: & ſane imagines (ait) nihil aliud ſunt, quam translationes, diſtantes ab illis tantum eo, quod oſtendi.

Εἰσὶ δ' εἰκόνες, οἷον ἣν Ἀνδροτίων εἰς Ἰδριέα, ὅτι ὅμοιος τοῖς ἐκ τῶν δεσμῶν κυνιδίοις: ἐκεῖνά τε γὰρ προσπίπτοντα δάκνει: καὶ Ἰδριέα, λυθέντα ἐκ τῶν δεσμῶν, εἶναι χαλεπόν.

Sunt autem imagines, veluti quam edidit Androtion in Hidrieum, ſimilem eum eſſe canibus, vinculis liberatis: illi namque mordent eos, qui in ipſos inciderint: eodem pacto Hidrieum, vinculis ſolutum, eſſe difficilem ac moleſtum.

VT melius, quae imagines ſint, aperiat, quamuis accurate iam, quomodo conformentur docuerit, plures ſubtiles elegantesq; imagines adducit: prima, qua contra Hidrieum vſus eſt Androtion, huiuſcemodi eſt. Coniectus fuerat Hidrieus (vt ſuſpicor) ob flagitium aliquod in carcerem: cum igitur inde emiſſus foret: vinculisq; paulo ante ſolutus, percitus ira, quod paenam ignominiamque illam aequo animo ferre non poterat, paſſim in omnes irruebat: aduerſarius ipſius Androtion ſimilem illum dixit eſſe canibus, qui cum, vincti cathenis, interdiu domi teneantur, vt acriores ſint, ſoluti poſtea in omnes incurrunt. eodem pacto & ipſum ſolutum, eſſe omnibus moleſtum: & ingenio denique acriorem factum. Quod autem χαλεπὸν eum appellauit, nomine vſus eſt, quo naturam aſperiorem canum boni auctores exprimere conſuerunt. Xenophon quoque in extremo v. libro ἀναβάσεως ita locutus eſt, cum inutilem militem & noctu vicinum caſtris agrum depopulantem, accuſaret: inquit enim copias illas Graecorum, ad quas in contione tunc verba faciebat, ſapienter facturas, ſi ſecus ac de canibus fieri conſueuit, de illo ſtatuerint: acres enim canes interdiu vinciunt: noctu autem liberos dimittunt: hunc enim (inquit) ſi prudenter vos gerere vultis, noctu clauſum vinctumque tenebitis: luce autem vinculis liberabitis: χαλεποὺς namque κύνας in hac re exponenda appellauit. patriam vero vitamque perſonarum, quae imagine hac appellantur, cognitam non habeo. Hidriei cuiuſdam, Cariae reguli, qui Mauſoli frater fuit, meminit Iſocrates in ſuaſione ad Philippum, quamuis locus in excuſis ornatiſſimi ſcriptoris codicibus inquinatus ſit: compoſitis enim duabus vocibus errore librariorum, quae ſeiunctae ab auctore poſitae fuerant, illic nunc legitur. καὶ
» μηνιδριέα γε τὸν εὐπορώτατον τῶν νῦν περὶ τὴν ἤπειρον: & quae ſequuntur. cum καὶ μὴν Ἰδριέα legi debeat. Eundem Diodorus Siculus in xvj. libro hiſtoriarum appellauit, tradens illum extincta

Artemiſia

Artemisia sorore regnasse. & Harpocration in lexico, cuius testimonio liquido perspicitur apud Isocratem ita scribi debere.

Καὶ ὡς Θεοδάμας εἴκαζεν Ἀρχίδαμον Εὐξένῳ, γεωμετρεῖν οὐκ ἐπισταμένῳ.

Et Theodamas similem esse aiebat, Archidamũ Euxeno, si nesciisset ille geometriam.

Qvos intelligat mihi plane cognitum non est: quid suspicer tamen, nihil affirmans, & coniecturis, quae ex hoc tantum loco ductae sint, me niti confitens, exponam. Theodamas similem esse dicebat Archidamum Euxeno, qui geometriam non calleret. Euxenus igitur (vt arbitror) deformis, & improbus erat: hoc tamen in se boni habebat, quod erat bonus geometra. siquis igitur geometriam ab Euxeno auferret, nulla in re Archidamus ab eo discreparet: nam ceteris rebus, ac vitijs pares sunt. Vim eandem habere arbitror acutam vocem Polemonis, quam retulit Laërtius in vita ipsius: cum enim admiraretur ille Sophoclem poëtam: valdeque fabulis eius delectaretur: nec vlla in re inferiorem ipsum faceret Homero, dixit Homerum esse Sophoclem epicum: Sophoclem autem, Homerum tragicum: ipse enim quoque vsus est translatione, quae constaret collatione rationis, & tamquam imagine quadam, quo facilius res perspici posset.

Καὶ ἐκ τοῦ ἀνάλογον· ἔσται γὰρ καὶ ὁ Εὔξενος, Ἀρχίδαμος γεωμετρικός.

Et seruata proportione: erit enim & Euxenus, Archidamus, auctus geometria.

Si id verum est, erit quoque Euxenus Archidamus geometria auctus: cum enim nulla alia in re inter se discrepent, nisi quod Euxenus geometriam didicit: Archidamus non didicit, vt pares penitus facti sint, geometria spoliato Euxeno: ita pares erunt, si Archidamo affigetur geometria.

Καὶ τὸ ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ Πλάτωνος.

Et quod in Platonis politia est.

Antea in excusis omnibus mendose ita legebatur. ἐν τῇ πολιτείᾳ διὰ τοῦ Πλάτωνος. sed etiam in multis scriptis codicibus. Antiquissimus solus liber, ex omnibus, quos vidi, hunc locum integrum seruauit: cuius tamen quoque lectionis vestigia in vetere tralatione impressa sunt. Cum vero sensus horum verborum prius obscurus foret, nunc tota res aperta est: significat enim huiuscemodi etiam esse, quod in politia Platonis prolatum est: idest habere comparationem rationis proportionemque.

Οἱ τοὺς τεθνεῶτας σκυλεύοντες, ἐοίκασι τοῖς κυνιδίοις, ἃ τοὺς λίθους δάκνει, τῶν βαλλόντων οὐχ ἁπτόμενα.

Corpora caesorum hostium in bello spoliantes, similes canibus esse, qui mordent lapides, non attingentes illos, qui lapides iecerunt.

Dictvm enim illic est eos, qui in proelijs corpora mortuorum spoliant, rem similem facere catulis, qui lapides, in ipsos coniectos, mordent: eos ipsos, qui iaciunt, dentibus non appetentes: neque tangentes. in quinto libro Politiae imago haec legitur: elegantissimis autẽ verbis omnis ille locus expressus est. ἀνελεύθερον δὲ οὐ δοκεῖ καὶ φιλοχρήματον νεκρὸν συλᾶν, καὶ γυναικείας· καὶ σμικρᾶς διανοίας, πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος, ἀποπταμένου τοῦ ἐχθροῦ, λελοιπότος δὲ, ᾧ ἐπολέμει, ἢ οἴει τι διάφορον δρᾶν τοὺς τοῦτο ποιοῦντας τῶν κυνῶν· αἳ τοῖς λίθοις, οἷς ἂν βληθῶσιν, χαλεπαίνουσι, τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμεναι. Cum in excusis vero libris hic antea praeterito tempore βαλλόντων legeretur, in maiori parte scriptorum codicum praesenti βάλλοντων inueni: quo sane tempore apud Platonem scriptum est, quamuis numerus diuersus sit: antiquissimus autem liber & numerum, & tempus retinet, quae Platoni placuere: τοῦ βάλλοντος enim habet. Sed alia quoque verba in eius rei expositione variauit Aristoteles, vt cuiuis facile intelligere licet. Pacuuius armorum iudicio hac imagine vsus est, cuius verba, citata a Nonio, haec sunt. Nam canis, quando est percussa lapide, non tam illum appetit, qui se icit, quam illum eum ipsum lapidem, qui ipsa icta est, petit.

Καὶ ἡ εἰς τὸν δῆμον, ὅτι ὅμοιος ναυκλήρῳ ἰσχυρῷ μὲν, ὑποκώφῳ δέ.

Et quae in populum Atheniensem dicta est, similem eum esse nauclero, robusto quidem, verum surdastro.

Hvnc locum valde corruptum emendaui: in excusis namque omnibus, & non paucis manu scriptis,

ſcriptis, καὶ ὡς ὁ Δημοσθένης εἰς τὸν δῆμον, legebatur: ſolus antiquiſſimus liber ab omni vitio vacuam lectionem ſeruauit: cumq; ita legi debere planum ſit, integritas eius libri hinc quoque, vt ex plurimis alijs locis, manifeſto perſpicitur, qui, deprauatis omnibus alijs inquinatiſque audacia imperitorum, vnus nihil labis maculaeq; ab illis accepit. Haec certe elegantiſſima imago Platonis eſt, non Demoſthenis, ab eo copioſe ornateque in vj. libro de rep. expoſita: cum enim iam dictum eſſet philoſophos in ciuitatibus inutiles: tuncq; Socrates affirmaſſet, reſpublicas beatas numquam fore, niſi philoſophi eas regere coepiſſent, videbantur haec repugnare. quare cum quaeſitum ex eo foret, quomodo id verum eſſet, inquit. Interrogationem illam egere non ſimplici reſponſione, ſed quae re ſimili allata, imagineq; quadam conformata, conſtaret: idemq; demum euenire in ea oſtendit, quod in naui, ſiue claſſe, quae gubernatore careat: nauclerum autem habeat magnitudine corporis viribuſq;, reliquos, qui in naui ſunt, ſuperantem: eundem tamen ſurdaſtrum coecutientemq;, & qui maritimarum rerum ſcientiam puſillam habeat: illic enim nautae cupiditate imperandi inter ſe concertantes, ſingulique ad ſe curam illam deferri volentes, quamuis artem eam non didicerint: nec vllo modo teſtificari poſſint ſe aptos ad eam regendam, accedere ad nauclerum: precibuſque ſingulos ac minis etiam vtentes, conari ſibi aſſignari clauum: & eos, qui ſtudio ipſorum aduerſentur aemulique ſint eius honoris, e naui eijcere & interficere etiam ſi poſſint: nauclerum vero, tamquam ſtupore, aut vino oppreſſum teneri, vt ſinat omnia ab illis adminiſtrari, ſiue potius diſſipari: & reliqua, quae politiſſimus ſcriptor eleganter exponit. Nauim enim, ciuitatem eſſe voluit: nauclerum, populum: nautas autem illos, ſeditioſos turbulentoſque ciues, qui multitudinem obtuſam aciem habentem: nec audientem conſilia eorum, qui recte conſulunt: nec etiam intelligentem valde, quae ciuitati accommodata ſunt, decipiunt, aut vi adhibita in opinionem ſuam traducunt: nauclerum vero amplo validoque corpore finxit: populus enim ingens multitudo eſt: roburq; ipſius immenſum, quamuis ſinat ſe illis de cauſis, quas narrat, labefactari: & ciuitatem, quam tueri debebat, diripi ac vexari.

Καὶ ἡ εἰς τὰ μέτρα τῶν ποιητῶν, ὅτι ἔοικε τοῖς ἄνευ κάλλους, ὡραίοις.

Et quae in verſus poetarum, ſimiles illos eſſe pueris, in flore aetatis conſtitutis, ſed vacuis a pulchritudine.

Et hoc a Platone excogitatum ſimile fuit: in x. autem libro politiae ipſo vſus eſt: cum enim vniuerſos poëtas imitatores ſimulacrorum virtutis dixiſſet, & omnium aliarum rerũ, quas pangunt: veritatem autem non attingere. quemadmodum pictores (inquit) poenicillo efficiunt, vt aliquis ſutor videatur, quamuis artis eius periti non ſint, ſi colores formaſque illas contemplati fuerint homines, ita qui ſtudio poëtarum tenentur, colores quoſdam ſingularum artium nominibus verbiſque aſpergunt, cum tamen ipſi rationem earum non didicerint, ac tantum imitari ſciant, ita, vt illi ipſi videantur, ſiquis ex verbis eos ſpectauerit. Hocque ipſos praeſtare affirmauit, ſiue de ſutorum arte quis canat, vt certis menſuris carminis, & numeris, & harmonia adhibitis, recte illa dici videantur: ſiue de officio imperatoris: ſiue de alia quapiam re, adeo magnam haec ipſa natura vim ad oblectandum habet: tantopereque capit animos audientium. Spoliata tamen illa (ait) muſices coloribus, ac ſine illis concinnitatibus prolata, ſimilia ſunt eorum vultui, qui in aetatis viriditate exiſtunt, non tamen formoſi ſunt, vt ſubito illi
» fiunt, cum flos dilapſus eſt: ad extremum enim inquit, ἔοικε τοῖς τῶν ὡραίων προσώποις, καλῶν δὲ μή·
» οἷα γίνεται ἰδεῖν, ὅταν αὐτὰ τὸ ἄνθος προλίπῃ. ὥρα autem quid ſit (vnde ὡραῖοι adoleſcentes vocantur) diligenter animaduertendum; affirmat enim Halicarnaſſeus in vita Lyſiae, vnam quoque hanc eſſe illarum rerum, quae cum ſenſu facile percipiantur, aegre tamen oratione exprimi poſſunt: cum enim arduum admodum eſſe ſignificaret, verbis oſtendere, quae nam virtus ea eſſet, quae in omnibus illius oratoris verbis floreret: & quae tanta venuſtas, quae illic appareret, diſſeruit etiam de non nullis alijs rebus, eadem natura praeditis, & quae cum nullo negotio oculis auribusue accipiantur, oratione tamen explanari, ne ab eloquentibus quidem, poſſint: in quibus etiam ὥραν hanc, in corporum pulchritudine dictã, ponit. nam viriditatem illam, ἀκμὴν vocatam a Graecis, omnino non eſſe, teſtatur etiam Ariſtoteles in x. libro de moribus ad Nicomachum, cum voluptatis vim, ac quid efficeret in nobis, explanare volens, ſimili vſus eſt, dixitque ipſam perficere, ad ſummumq; ducere actionem: non tamen vt habitum, qui illic inſit, ipſiq; haereat, ſed vt finis quidam, qui adueniat: non aliter, quam in ijs, qui aetate vigent, in viriditateq; ſunt, ὥρα haec ipſa: conciliare autem hanc multum gratiae, pulchritudinique adiunctam mirifice illam ornare, intelligitur etiam teſtimonio Pindari, qui adoleſcentem celebrans, in quo & ambo
» haec coniuncta erant, & eximia praeter haec virtus, inquit. Διήρχετο κύκλον, ὅσσᾳ βοᾷ. ὡραῖος ἐὼν,
» καλός: κάλλιστά τε ῥέξας.

Οἱ μὲν

Οἱ μὲν γὰρ, ἀπανθήσαντες: τὰ δὲ, διαλυθέντα, οὐχ ὅμοια φαίνεται.

Pueri namque, cum defloruerint: versus autem, cum dissoluti sunt, non pares similesque videntur.

CORRVPTE antea nulloque sensu ἀπαβήσαντες legebatur: vt in scriptis libris inueni, ἀπανθήσαντες emendaui. verbum translatum esse ab ijs, quae oriuntur e terra, planum est. Latino, quod huic respondet, μεταφορικῶς Cicero non nullis in locis vsus est, vt in libro de claris orato- » ribus, cum inquit. Non talis, qualem tu Brute iam deflorescentem cognouisti. ἄνθος autem flos splendorq; est eius aetatis. nam Homerus etiam pubertatis florem dixit in xiij. libro Iliadis, vbi induxit Idomeneum, petentem auxilium a commilitonibus in pugna, cum vidit Aeneam, in flore aetatis constitutum, in se irruentem: quod intelligeret se senem valido iuueni parem » esse non posse. Inquit igitur. καὶ δ' ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅτι κράτος ἐστὶ μέγιστον. Sententia autem huius loci, qua ratio affertur eius similis, haec est: a Platone quoque, diuersis tamen verbis, prolata. Qui enim flore adolescentiae praediti, quamuis non essent, formosi tamen videbantur, flore illo dilapso, non agnoscuntur: & metra quoque poëtarum, cum soluta sunt, quae antea vincta erant, non videntur. vnde simile aptum fuisse intelligitur. Dissoluta autem vocant metra, cũ mensurae illae certae carminis dissipatae fractaeque sunt. Plato scripta poetarum, idem significare volens, dixit nudata musices coloribus, idest spoliata ornamentis illis, quae a musica arte poësis accipit, vt praeter carminum mensuram, harmoniam videatur numerosq; intellexisse.

Καὶ ἡ Περικλέους εἰς Σαμίους, ἐοικέναι αὐτοὺς τοῖς παιδίοις, ἃ τὸν ψωμὸν δέχεται μὲν: κλαίοντα δέ.

Et Periclis in Samios, similes ipsos esse infantibus, qui nutrimentum sumunt, sed plorantes.

ELEGANS etiam haec est Periclis vox, qui dixit Samios valde similes esse infantibus, qui nutrimentum sane in os recipiunt: flentes tamen. Suspicor autem hoc significare voluisse acutum virum, Samios commoda in se collata suscipere, ita tristes tamen tunc esse, vt inuiti accipere illa videantur: nec intelligere se beneficijs augeri, aut iniuste ac sine causa queri de illis, qui ipsos subieuassent, ac commodis non paruis affecissent. Nos quoque patrio sermone, imagine quadam vtentes, insimulamus eos, qui idem, quod arbitratus sum Samios tunc fecisse, gerunt: cum enim videmus quospiam in bonis suis rebus conqueri & angi, dicimus eos facere, quod faciunt in domibus nostris aeluri, quae dum coeunt clamitant. est omnino imago haec parum verecunda, vel obscena potius, sed egregie similis. Aristoteles, qui in viij. libro de historia animantium hoc narrat, quod ego clamitare dixi, vocauit κράζειν, si sequimur auctoritatem veteris fidelisq; exemplaris. nam excusi illic habent κοχάζουσι, quod adnotare volui, vt monitu hoc facilius veniam impetrarem, quod rei turpis meminissem.

Καὶ εἰς Βοιωτοὺς, ὅτι ὅμοιοι τοῖς πρίνοις: τούς τε γὰρ πρίνους ὑφ' αὑτῶν κατακόπτεσθαι: καὶ τοὺς Βοιωτοὺς πρὸς ἀλλήλους μαχομένους.

Et quae in Baeotos, similes ipsos esse ilicibus: ilices enim a semet ipsis caedi. Baeotos autem inter se pugnantes.

VOX etiam, qua idem vsus est in Baeotios, imago est: dixit enim ipsos similes esse ilicibus, nam ilices sua sponte dissiliunt: idem etiam Boeotij faciebant, qui domesticis discordijs, seditionibusq; semet ipsos conficiebant. Quomodo autem dixerit, ilices se ipsas perdere, diligenter quaerendum: intellexerit ne materiam ipsam hoc vitio laborare, vt quidam putarunt. Quod tamen parum verisimile: est enim illa solida ac robusta, & praeterea mortua iam tunc arbor est: siue ramos, quos patulos densosq; habent, vi ventorum agitatos, se mutuo frangere ac dissipare: siue alia quapiam ratione sibi interitum afferre: nihil enim mihi de hoc compertũ est. ab eadem hac arbore simile duxit Aristophanes in Batrachis: cum enim materiae huius natura sit, vt in ignem posita crepitet ac strideat: induceretq; ille Liberum patrem accusantem Aeschylũ, quod nimis excandesceret in disputatione, quam habebat cum Euripide, ac clamorem tolleret, inquit ipsum similiter facere atque ilex, quae flamma correpta clamitat, vsus breui imagine. Σὺ δ', ὥσπερ πρῖνος ἐμπρησθεὶς, βοᾷς. Themistocles quoque imagine arboris vsus est, ad significandum ciuium suorum improbum, ingratumque animum erga se: cum enim in bello & graui fortuna ciuitatis perfugium illud haberent: eiusque consilio mala a se arcerent: tranquillis autem temporibus, ante quam ipsum etiam insigni illa iniuria afficerent, aliqua libenter in re viola-

rent.

rent, ait acutissimus vir, idem sibi vsu venire, quod platanis, ad quas confugiunt, earum se patulis ramis, latisq; folijs tecturi, imbribus ac tempestate viatores: sereno autem caelo, dum praetereunt, decerpunt ipsarum folia: frondesq; inde studiose vellunt. Gratum etiam me facturum studiosis arbitror, si alteram, valde similem huic, adposuero, propter elegantiam vocis, & dignitatem viri, qui ipsius ope contumaciam aduersarij & vanum ingenium confutauit: cum enim Leosthenes apud populum Atheniensem gloriose multa de se praedicaret, Phocion, grauis & sapiens ciuis, dixit verba, quae facis, similia sunt cupressis, quae cum magnae celsaeque sint, fructum nullum ferunt.

Καὶ ὁ Δημοσθένης τὸν δῆμον, ὅτι ὅμοιός ἐστι τοῖς ἐν τοῖς πλοίοις ναυτιῶσι.

Et Demosthenes populum Atheniensem similem esse ijs, qui in nauigijs nausearent.

DEMOSTHENES quoque populum, qui fastidio quodam teneretur: nec aliquid reperire posset, quod sibi placeret, dixit similē esse illis, qui in naui ex agitatu ipsius nausearent. non intelligit autem (vt opinor) Demosthenem, summum oratorem: cuius diuina scripta in manibus habemus, sed alterum Demosthenem, qui eum aetate antecessit, & ipsum in rep. regenda cum laude versatum virum.

Καὶ ὡς Δημοκράτης, ἔικασε τοὺς ῥήτορας ταῖς τίτθαις· αἳ, τὸ ψώμισμα καταπίνουσαι, τῷ σιάλῳ τὰ παιδία παραλείφουσι.

Et vt Democrates, oratores similes dixit esse nutricibus, quae nutrimentum absorbentes, saliua infantes inungunt.

ET vt Democrates, qui similes oratores esse dixit nutricibus, nutrimenta absorbentibus, saliua vero infantes inungentibus: illi enim quoque fructus, quos populus capere debebat, intercipiebant: exiguamq; tantum eorum partem, & vnde nihil roboris acquirere posset, ipsi praebebant: solere autem saepe nutrices, antequam infanti in os inserant, cibum ipsas mandere, & tamquam dentibus mollire, manifestum est: quod tamen a peritis matronis, quia vitia multa in se habet, valde damnatur. Agoracritus apud Aristophanem Equitibus in Cleonem, turbulentum illum ac perditum ciuem, hac imagine vsus est: cum enim, quibus Atheniensis populus aleretur, Cleon sibi pulchre cognitum esse dixisset: in eaque sententia exponenda eo verbo, quod proprium nutricum est, vsus fuisset dicens, ἐπίσταμαι γὰρ αὐτὸν, οἷς ψωμίζεται: eo audito
» Agoracritus inquit. Κᾆτ', ὥσπερ αἱ τίτθαί γε, σιτίζεις κακῶς· Μασώμενος γὰρ τῷ μὲν, ὀλίγον ἐντίθεις·
» Αὐτὸς δ' ἐκείνου τριπλάσιον κατέσπακας. Quasi diceret. simile mihi placet: atque, vt ipsemet narras, vere illas imitaris: tu enim quoque vt illae infantes, improbe doloseque multitudinem alis: cum enim prius nutrimentum conficias, diuq; dentibus teras, huic pusillam partem in os inseris: triplum vero illius auide exorbes. Significare autem σίαλον saliuam, manifestum est. eo verbo quoque vsus est Athenaeus in vj. libro δειπνοσοφιστῶν, cum de adulatoribus Dionysij tyranni, improbissimis ac spurcissimis hominibus, loqueretur, qui expuenti ipsi, sponte os praebebant, vt illud conspueret, saliuamq; postea lingentes, sed etiam vomitum, melle suauiora esse aiebant. Hic autem est Democrates ille (vt opinor) cuius mentionem fecit Plutarchus in commentario, quo collegit praecepta non pauca ad remp. gubernandam accommodata: genus ipsius iocandi non probans, quod aliquando sine causa eos, apud quos diceret, laesisset: aliquando autem de se nimis humiliter atque abiecte sensisset: hoc enim parui animi esse dicit: illud autem insani hominis. magis igitur ille ingenio, quam iudicio valebat. ψωμὸν vero & ψώμισμα Athenienses vocasse cibum, quo infantes alerentur, his exemplis patet. ipse dixi nutrimentum, secutus M. Ciceronem, cuius in oratore haec verba sunt, idem, vt opinor, exprimentis. Sed
» quod educata huius nutrimentis eloquentia est, ipsa se postea colorat & roborat, & quae sequuntur.

Καὶ ὡς Ἀντισθένης Κηφισόδοτον τὸν λεπτὸν λιβανωτῷ ἔικασεν, ὅτι ἀπολλύμενος εὐφραίνει.

Et Antisthenes Cephisodotum, illum tenuem, similem thuri dixit esse: oblectat enim moriens.

QVIBVS summa corporis gracilitas foret, Graeci λεπτοὺς vocabant. plures autem ab Athenaeo in xij. libro δειπνοσοφιστῶν hoc habitu corporis fuisse traduntur: vt Philetas etiam Cous elegorum poëta, qui propter corporis exilitatem pilas plumbeas, ne a vento ambulans euerteretur, circa pedes gestare consuerat. nam Philippides etiam quidam illic mirum in modum tenuis traditur fuisse, vt ab eo etiam πεφιλιππιδῶσθαι verbum, quod extenuatum ac paene consumptum corpore esse significaret, deductum sit. Tenuem autem macrumq;, cum appellauit L. Gellium, impurum

purum hominem, Catullus, λεπτὸν (vt Graeci loquuntur) intellexit: qui tamen eo corporis habitu natura non erat, sed propter libidines, & Veneris nimium vsum gracilis factus fuerat: Duos autem pluresue fuisse Cephisodotos videtur significare; cum tenuem hunc vocet: vt ita ab alijs distinguat: Cephisodoti vero cuiusdam, quem plurimum valuisse dicendo tradit, meminit Demosthenes in oratione aduersus Leptinem, cum alios quoque oratores nomine appellaret. καὶ κηφισόδοτος ἐκ κεραμέων. Huius autem (vt arbitror) breuem orationem posuit Xenophon in vij. libro de rebus Graecorum, quam habuit contra longam Proclis Phliasij, qui Procles suaserat pacem inter Lacedaemonios & Athenienses: & illius conficiendae firmae stabilisq; rationem demonstrarat: & accuratam disputationem eiusdem aduersus Timocraté, vnum legatorum, quos miserant Lacedaemonij Athenas. Suae vocis autem rationem reddens Antisthenes: & qua in re Cephisodotus thuri similis esset, ostendens, inquit: quia laetitia omnes bonos afficit cum absumitur, macieque conficitur: non potest enim, qui tenuior cotidie fit, ab interitu longius abesse. mors autem ipsius, vt perditi ciuis, iustum gaudium excitabat. nam thus, cum, teritur atq; incenditur valde redolere, ob idq; magis oblectare, constat.

Πάσας γὰρ ταύτας, καὶ ὡς εἰκόνας, καὶ ὡς μεταφορὰς, ἔξεστι λέγειν.

Omnes namque has, & vt imagines, & vt translationes licet edere.

PLANVM iam factum esse, quod supra dixerat, ostendit. imagines esse translationes pusilla in re ab illis discrepantes: significat enim id manifesto, quod multis allatis acutorum virorum vocibus, intelligitur ex illis parua immutatione facta & imagines & translationes conficere licere: natura enim harum rerum similis propinquaq; sit necesse est, cum tam facile inter se commutentur: ac nullo negotio altera in alteram transeat: est enim inquit, in arbitrio cuiusuis periti hominis has, & vt imagines, & vt translationes proferre.

Ὥστε, ὅσαι ἂν εὐδοκιμῶσιν, ὡς μεταφοραὶ λεχθεῖσαι, δῆλον ὅτι αὗται, καὶ εἰκόνες ἔσονται, καὶ αἱ εἰκόνες, μεταφοραὶ, λόγου δεόμεναι.

Quapropter, quaecunque, vt translationes vsurpatae, probatae fuerint, non est dubium, quin hae, vt imagines futurae sint, & imagines translationes, quae verborum explicatione egent.

QVARE (inquit) quaecunque voces, vt translationes prolatae, probatae fuerint, ex illis nullo labore imagines fieri poterunt, siquis illas aliter conformare voluerit: commodiusque sibi eo modo proferre esse duxerit, contraq;: imagines enim nihil aliud sunt, nisi translationes, quae egeant conformatione quadam orationis particulaque, quae si adiuncta fuerit, ilico fiunt imagines.

Ἀεὶ δὲ δεῖ τὴν μεταφορὰν, τὴν ἐκ τοῦ ἀνάλογον, ἀνταποδιδόναι, καὶ ἐπὶ θάτερα.

Semper autem oportet translationem, quae proportione constat, mutuo reddere ad alteram partem.

QVID ἀνάλογον in translationibus sit, copiose docuit in libro de studio poëtarum: & eodem hoc exemplo, quo nunc vtitur, illic quoq; vsus est. cuncta tamen explanatius illic copiosiusq; tradidit: narrat enim aperte se vocare comparationem rationum proportionemq;, cum quattuor rebus sumptis eodem modo se habuerit secunda ad primam, vt quarta ad tertiam: tunc enim, qui ornate orationem voluerit, nec suo proprioque nomine rem appellare, vsurpabit pro secunda quartam: siue pro quarta secundam. exempli causa inquit, eandem rationem habet poculum ad Liberum patrem, quam clypeus ad Martem. Vocabit igitur poculum, clypeum Liberi patris. & clypeum, poculum Martis. ἀνταποδιδόναι quid significet, obscurum esse non potest.
» Quintilianus in libro viij. cum de imaginibus dissereret, hoc verbum expressit. Quod facit red
» ditio contraria: quae ἀνταπόδοσις dicitur: Phalereus in commentario de elocutione, vbi de me-
» taphoris disputat, eodem vsus est. ἐ πᾶσαι μέν τοι ἀνταποδίδονται, ὥσπερ αἱ προειρημέναι. Quod enim hic praecipit Aristoteles, omnes translationes huius generis hoc semper habere oportere, vt in se conuertantur: mutuoque reddantur, ille non perpetuum putat: quemadmodum enim non paucas conuerti recte posse confitetur, ita quasdam inueniri, quae non satis apte ex altera parte respondeant, quod ipse exemplo confirmat. an, semper id ita se habere dicens Aristoteles, respexit rei ipsius naturam, quae semper, vt id fieri pateretur, non quam polite beneque efficeretur, cogitauit: necessario enim requiri videtur, vt quod in altera illarum fit: in altera quoque fieri possit, quamuis non tam eleganter apteque geratur: nec Phalereus omnino negauit in quibusdam id locum habere, sed non tam commode tractari efficiq; posse affirmauit. Cum autem

Homerus

Homerus apes βοτρυδὸν, quasi vuae in morem volare dixisset, hac ratione translato nomine vetus quidam poëta (vt Eustathius narrat) imitatus illum, immutauit formam, & cum vim ingentem copiamq; ipsarum significare vellet, examen vuarum vocauit.

Καὶ ἐπὶ τῶν ὁμογενῶν. οἷον εἰ ἡ φιάλη ἀσπὶς Διονύσου: καὶ τὴν ἀσπίδα ἁρμόττει λέγεσθαι φιάλην Ἄρεως.

Et in ijs, quae sub eodem genere sunt. veluti, si patera est clypeus Liberi patris, & clypeum quadrat dicere pateram esse Martis.

QVOD semper euenire tradidit in translationibus, quae ex proportione sumerentur, id etiam contingere in illis, quae sub eodem genere sunt, ostendit: vt scilicet ipsae quoq; commutari possint, retrorsumq; conuerti: vt enim species aliqua pro specie eiusdem generis recte capitur, ita etiam contra fit, vt altera illa species pro hac recte ponatur: quod in duobus alijs translationum generibus non contingere videtur significare: sumitur enim aliquando quoq; pro specie genus, & pro genere species: quattuor enim haec sunt translationum genera.

Ὁ μὲν οὖν λόγος συντίθεται ἐκ τούτων.

Oratio igitur componitur ex his.

QVAE hactenus, ad ornatam locutionem pertinentia, praecepit, eius generis fuerunt, e quibus construitur oratio: idest singula nomina extitere: aut in quibus certe plena perfectaq; locutio non sit: quod manifesto his quoq; verbis declarauit, cum tradat orationem ex his componi. Hinc autem de structura illorum, & quomodo recte, ac sine vitio coniungi inter se possint, vt absoluatur oratio, agit.

Ἔστι δ' ἀρχὴ τῆς λέξεως τὸ ἑλληνίζειν.

Est autem initium locutionis Graece recte loqui.

INITIVM, idest solum ac fundamentum locutionis, & quod magnam in primis vim ad eam commendandam habet, est Graeco sermone recte vti: ac pure emendateque loqui: id enim significat ἑλληνίζειν: omnem autem hanc partem Cicero reliquit, vt quae facilem cognitionem haberet (vt ipse affirmat) & a sua certa scientia accurate tractaretur: nam ad extremum etiam illius disputationis (quaedam enim, quae euitari deberent breui tradidit) inquit.
» Praetereamus igitur praecepta Latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit, & subtilior cognitio, ac ratio lit-
» terarum alit, ac consuetudo sermonis cotidiani, ac domestici libri confirmant, & lectio veterum
» oratorum ac poëtarum.

Τοῦτο δ' ἐστὶν ἐν πέντε. πρῶτον μὲν ἐν τοῖς συνδέσμοις.

Hoc autem situm est in quattuor rebus. primum quidem in coniunctionibus.

QVINQVE in rebus hanc laudem positam putat: quiq; ipsas seruarit: nec in aliqua ipsarum, aut pluribus lapsus fuerit, eum integrum incorruptumq; sermonem editurum docet: primam autem esse inquit in copulis coniunctionibusq; suo loco ponendis: si enim, qui dicit, aut scribit, hoc custodierit, vitium, in quod incideret hoc neglecto, declinarit: atque hac ex parte locutionem integram seruarit.

Ἂν ἀποδιδῷ τις, ὡς πεφύκασι, πρότεροι καὶ ὕστεροι γίνεσθαι ἀλλήλων. οἷον ἔνιοι ἀπαιτοῦσιν.

Si aliquis reddiderit, vt natura ipsis datum est, prius & posterius inter se collocari. vt non nullae requirunt.

COMMVNIS sane planaq; ratio sermonis, quod praecipit Aristoteles, postulat, vt series scilicet coniunctionum ordoq; custodiatur: quaeq; eam naturam habent, vt priores collocari in oratione debeant, ibi collocentur: respondeantq; ipsis, quae ex illis tamquam aptae sunt: ac posteriorem sedem requirunt. Phalereus tamen, vbi de compositione agit, docet hanc rem quandoque neglectam, grandiorem efficere orationem, quod omnis diligentia minuta ac pusilla sit: locus ille accurate animaduersus, quod hic a summo doctore traditur, illustrabit, & posse etiam praeceptum hoc sine reprehensione quandoq; non seruari, ostendet.

Ὥσπερ ὁ, μὲν: καὶ ὁ, ἐγὼ μὲν, ἀπαιτεῖ τὸν, δὲ, καὶ τὸν, ὁ δέ.

Quemadmodum coniunctio μὲν, & coniunctio ἐγὼ μὲν, requirit δὲ, & ὁ δὲ.

A veteribus,& Graecis,& Latinis scriptoribus,litteris mandatum est, Aristotelem, Theodectem, ac reliquos, qui iisdem temporibus sapientiae operam dabant, tres tantum esse voluisse partes orationis, quas postea, qui aetate consecuti sunt, multum auxerunt: illi enim primas ipsius partes nomina, & verba & coniunctiones dixerunt (vt quomodo aliae accreuerint, nunc relinquã) a coniunctionibus Stoici separarunt articulos: aliiq;, consequentibus temporibus, ab iisdem distinxerunt praepositiones, cum primi illi coniunctionum nomine & articulos quoq;, & praepositiones appellarent: atq; ita verborum numerus, non rerum, auctus est. Hoc seruare hic Aristotelem apertum est: neq; enim, cum exempla eius, quod praeceperat, ponit, appellat tantum συνδέσμους, quae coniunctiones suo ac proprio nomine vocatae fuere, verum etiam pronomina, coniunctiones adnexas habentia: nec tamen pronomina vocabulo coniunctionum, sed nominum appellata olim fuere: nam pronomina ipsum illa vocare manifesto declarat, cum inquit. ἐγὼ μὲν: & quod huic respondet, ὁ δὲ: articulus namq; ὁ, adiuncta particula δὲ, vim pronominis habere constat. Dionysius, vbi de compositione verborum agit, & Quintilianus in primo libro, totam rem accurate tradiderunt. Coniunctio igitur μὲν, & ἐγὼ μὲν, vt aperte optimus magister docet, & praeponi debent, & requirunt, vt prior illa, δὲ: ita posterior, ὁ δὲ. quod qui seruarit, recte locutus fuerit: qui secus fecerit, vitiose.

Δεῖ δὲ, ἕως μέμνηται, ἀνταποδιδόναι ἀλλήλοις.

Decet autem, donec recordatur, mutuo reddere.

ADMONET etiam, ne multo post, ac pluribus deniq; interiectis, coniunctio, quae superiori coniunctioni respondeat, reddatur: cum enim, quod prius positum fuit e memoria iam excidit eius, qui audit, posterius, illi respondens, inculcatum, perturbet necesse est.

Καὶ μήτε μακρὰν ἀπαρτᾶν.

Et nullo modo longo interuallo seiungere.

IN calamo scriptis quibusdam exemplaribus legitur, ἀπαντᾶν, hoc sensu (vt puto) & non occurrere, & quasi respondere nimis longe: neque tamen mouendam loco receptam lectionem puto: quam etiam antiquissimus liber, & vetus tralatio confirmant: neque etiam oportet distrahere, ac nimis separare coniunctiones: ille namque distrahit, qui, magno in medio relicto spatio, ipsas valde seiungit: &, quae propinquae debebant esse, pluribus interiectis, valde separat: quod manifesto valet ἀπαρτᾶν.

Μήτε σύνδεσμον πρὸ συνδέσμου ἀποδιδόναι τοῦ ἀναγκαίου· ὀλιγαχοῦ γὰρ ἁρμόττει.

Neque coniunctionem ante coniunctionem necessariam reddere: paucis enim admodum locis congruit.

HOC etiam (inquit) animaduertendum est, ne coniunctio vlla ante necessariam coniunctionem collocetur: id enim vitiosum est, & magnas plerunq; tenebras offundit: quod si alicubi congruit, paucis omnino locis congruit. necessariam coniunctionem appellat, quae apta est e superiore aliquo verbo: nec omitti vllo pacto debet.

Ἐγὼ δ', ἐπεί μοι εἶπεν: ἦλθε γὰρ Κλέων δεόμενός τε καὶ ἀξιῶν, ἐπορευόμην, παραλαβὼν αὐτούς.

Ego autem, postquam mihi dixit: venit enim Cleon orans, dignumque se putans, qui hoc a me impetraret, acceptis mecum ipsis proficiscebar.

EXEMPLVM, quo confirmat, multas interiectas copulas efficere orationem vitiosam: coniunctionem autem nunc videtur appellare etiã ἐπορευόμην, quia id verbum aptum est e prima illa coniunctione, ἐγὼ δὲ (nam quin ἀνταπόδοσις sit ac consequens, dubitari non potest) hae namq; partes vna colligatae debent esse: donecq; illud adpositum fuerit, oratio dissoluta manet, ac sententia imperfecta: illae vero distractae sunt nimis multis coniunctionibus: quattuor enim, antequam id necessarium vinculum adnexum sit, interiecit: si enim in propinquo collocare voluisset: curareq;, vt plana oratio foret, dixisset. ἐγὼ δὲ ἐπορευόμην: nunc antequam, quid fecerit, exponat: cum dixisset. Ego autem, inquit. Postquam mihi rem narrauit: neq; contentus huius rei expositione, quae taceri poterat, aliud statim narrauit, quod magis adhuc distrahit ac diuellit priorem narrationem. Venit namq; Cleon obsecransq; ac postulans a me: ad extremumq; addidit, profectus sum. Cuius autem scriptoris verba sint compertum non habeo: arbitror enim hanc culpam in aliquo notasse, cuius, hoc vitio scatentem locum, demonstrarit.

Ἐν τούτοις

Εν τούτοις γὰρ πολλοὶ πρὸ τοῦ ἀποδοθησομένου συνδέσμου, προεμβέβληνται σύνδεσμοι.

In his enim multae ante copulam, quae reddi debebat, copulae inculcatae sunt.

NON seruatum esse in his verbis docet, quod supra ipse diligenter seruari oportere admonuit: multae namque ante necessariam coniunctionem, & quae omnino reddi debuit, inculcatae sunt aliae coniunctiones, vt tanta earum vis perturbet auditorem: orationemque hac ex parte mendosam efficiat.

Ἂν δὲ πολὺ τὸ μεταξὺ γένηται τοῦ, ἐπορευόμην, ἀσαφές: ἓν μὲν δὴ τὸ εὖ ἐν τοῖς συνδέσμοις.

Si autem multum interuallum extiterit, ante illud proficiscebar, obscuritas oritur: vna iam haec laus est in coniunctionibus.

RESPONDET hoc superiori praecepto, cum docuit oportere, antequam e memoria auditoris elabatur prius verbum, quod expectatur: indeque aptum est, assignare: neque pati magnum interuallum loci, atq; id pluribus verbis sententijsq; refertum, inter illud posteriusq; hoc esse: vt autem, quid vitij locus contineat, ostendimus, cum copulae interiectae aliae sunt, ita si multa multaque inculcata fuerint, gignit haec res obscuritatem. damnat igitur aperte longiores παρενθέσεις: absoluta vero hac parte, testatur se tradidisse, quae primam virtutem locutionis efficiunt: contineri namque illam coniunctionibus recte collocatis.

Δεύτερον δὲ τὸ, τοῖς ἰδίοις ὀνόμασι λέγειν, καὶ μὴ τοῖς περιέχουσιν.

Altera autem, proprijs nominibus res vocare, & non vti ambientibus ipsis.

SVIS (inquit) ac proprijs illarum nominibus singulas res appellare: non, relictis ijs, vti in dicendo illis, quae res complectuntur ac describunt, secundum locum obtinet. Quintilianus in viij.
» libro, cum de perspicuitate dissereret, inquit. Primus enim intellectus est sua cuiusque rei appellatio. Idem autem (vt arbitror) quod hic Aristoteles significat: περιέχοντα enim nomina (nisi fallor) philosophus appellat, cum circumscribitur res pluribus verbis, nec vno exprimitur. Exempla satis accommodata huius vitij indicandi erunt, quae eodem capite Quintilianus
» ponit: accusans eum, qui in actione, Hibericas herbas dixerat, cum spartum significare vellet:
» nec non alium clarum tum oratorem, qui, duratos muria pisces, pluribus verbis obscure protulerat, quod vno aperte dicere poterat, salsamenta.

Τρίτον, μὴ ἀμφιβόλοις.

Tertia, non ambiguis.

TERTIAM laudem esse (inquit) locutionis, vitare ambiguum sermonem: neque ita verba facere, vt oratio ancipitem intellectum contineat: inueniuntur enim sententiae quoque, quae duplicem intellectum habeant, quae ἀμφίβολα vocant: nam, cum singulorum verborum plures notiones sunt, ὁμώνυμα illa appellant.

Ταῦτα δὲ, ἂν μὴ τὰ ἐναντία προαιρῆται.

Haec autem seruanda, nisi aliquis contraria sibi proposuerit.

HAEC (inquit) vtilia praecepta sunt, & diligenter seruari debent ab eo, qui sensa animi sui percipi vult: nullamq; in verbis obscuritatem esse cupit: nam qui contraria pro se facere arbitraretur, fugere haec debet. ἐναντία igitur (inquit) contraria intelligens ei rei, cuius adipiscendae gratia, illa praecepit: ea vero est perspicuitas orationis. ταῦτα autem dicens, complectitur proxime superiora duo praecepta: docuit enim non esse vtendum verbis, quae gyro quodam descriptioneque rem comprehenderent, non singulis proprijsque verbis exprimerent: neque ancipitibus.

Ὅπερ ποιοῦσιν, ὅταν μηθὲν μὲν ἔχωσι λέγειν: προσποιῶνται δέ τι λέγειν.

Quod sane oratores faciunt, cum habuerint nihil, quod dicant: videri tamen volunt aliquid dicere.

HOC ex industria faciunt oratores, vt pluribus scilicet verbis enuntient, quod vno commode possent, & ambiguas voces loquantur, cum ab argumentis, alijsq; rebus, quibus causam adiuuent, destituuntur: videri tamen volunt aliquid dicere.

Οἱ γὰρ τοιοῦτοι ἐν ποιήσει λέγουσι ταῦτα, οἷον Ἐμπεδοκλῆς.

Huiuſcemodi enim in poëſi dicunt haec. ceu Empedocles.

LOCVS ſine dubio obſcurus: vereor etiam ne ſit corruptus. fortaſſe ἐν προαιρέσει legi debet: quod tamen, ne dum affirmem, timide verecundeq; adnotaui, atq; alijs diſcutiendum propoſui: neque enim aut ſcriptorum codicum auctoritate, aut veteris tralationis teſtimonio, opinionem meam confirmare poſſum, ſed tota illa in coniecturis poſita eſt: ſi ita autem (vt ſuſpicor) legeretur, ſententia huiuſcemodi eſſet (niſi fallor) valde accommodata: qui enim cauſam huiuſcemodi habent, quibusq; vtile eſt, non intelligi, ac percipi orationem ſuam, ſtudioſe ac dedita opera, ita loquuntur, atq; haec ambigua verba aucupantur. ἐκ προαιρέσεως auctorem vocare, quod ex induſtria Latini dixerunt, conſtat: infra quoq;, quod non parum iudicium meum adiuuat, eodem paene pacto locutus eſt, vbi de ijs, quae mores, ac naturas hominum indicant, diſſerens, » inquit. καὶ μὴ ὡς ἀπὸ διανοίας λέγων, ὥσπερ οἱ νῦν, ἀλλ᾽ ὡς ἀπὸ προαιρέσεως. In primo autem libro o- » mnino ſimili modo. διὸ καὶ τὰ συμπτώματα καὶ τὰ ἀπὸ τύχης, ὡς ἐν προαιρέσει ληπτέον.

Φενακίζει γὰρ τὸ κύκλῳ, πολὺ ὄν.

Rapit enim in errorem ambitus ille, cum eſt multus.

DECIPIT enim (inquit) ambitus ille ac circuitus verborum, nec veritatem ipſam intelligi ſinit: cum enim, quod paucis exponi potuit, pluribus commemoratum fuerit, multitudo illa verborum fraudi auditoribus eſt: exiſtimant enim res quoque ipſis ſignificari: & aliquid, quod ad rem pertineat, dici: non temporis terendi cauſa verba inaniter fundi.

Καὶ πάσχουσιν οἱ ἀκροαταὶ, ὅπερ οἱ πολλοὶ παρὰ τοῖς μάντεσιν: ὅταν γὰρ λέγωσιν ἀμφίβολα, συμπαρανεύουσι.

Atque ita afficiuntur animo ij, qui audiunt, vt multitudo ipſa a vatibus afficitur: cum enim ediderint voces ambiguas, aſſentitur.

HOC ad poſtremum praeceptum refertur (vt arbitror) quod totum a ſe alienũ putant, qui malam cauſam habent: ne dum enim ancipites voces fugiant, eas ſtudioſe ſectantur: quid autem commodi illinc ducant, exponit. Iudices enim (inquit) & qui audiunt, ita animo afficiuntur, vt multitudo affici ſolet, cum augures audit ambiguas voces edentes: aſſentitur enim ſtulte, atq; inſipienter: quomodo enim aliqui recte probare queunt: veraq; eſſe putare, quae non percipiunt? ambiguae autem ſententiae, cum certi nihil definitiq; ſignificent, quomodo intelligi poſſunt? quare aſſenſione vacare debent.

Κροῖσος, ἅλυν διαβὰς, μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.

Croeſus, Halin ſuperans, magnam peruertet opum vim.

EXEMPLVM, quo confirmat inconſiderate homines aſſentiri vocibus ambiguis. quis enim, niſi deſiderio ac ſpe ſui commodi abductus fuiſſet, non intellexiſſet ſortem hanc ancipitem eſſe, quae edita eſt opulentiſſimo regi Aſiae? & tamen ille hoc non animaduerſo, fortunas omnes ſuas perdidit. Herodotus in primo libro hiſtoriarum totam rem narrat: quamuis verſum ipſum non ponat, eum tamen manifeſto ſignificat, cum oraculi huius mentionem pluribus locis » faciat. Cicero in ij. de diuinatione Latinum fecit. Croeſus, Halyn penetrans, magnam peruer- » tet opum vim: adiunxitq;. Hoſtium vim ſe peruerſurum putauit: peruertit autem ſuam.

Καὶ διὰ τὸ ὅλως ἔλαττον εἶναι ἁμάρτημα, διὰ τῶν γενῶν τοῦ πράγματος λέγουσιν οἱ μάντεις.

Et quia omnino minus peccatum illic eſt, per genera rei edunt vates.

ITA emendaui, ſecutus fidem ſcriptorum codicum: vetus quoque tralatio hanc lectionem ſequitur. in excuſis antea perperam διὰ τῶν λοξῶν legebatur. Nos quoq; vulgo, cum quempiam ſubdole agere, aut ne capiatur vereri, oſtendere volumus, in generalibus eum manere dicimus: minus enim falli poſſunt, qui id faciunt: alia autem hac quoque de cauſa dicit augures generibus vti in praedictionibus ſuis: vt ſunt enim callidi homines, intelligunt minus poſſe labi, qui ea fuerint amplexati: & ad certas res definitasq; non deſcenderint.

Τύχοι γὰρ ἄν τις ἐν τοῖς ἀρτιασμοῖς ἄρτια, ἢ περισσὰ εἰπὼν, μᾶλλον ἢ πόσα ἔχει.

Facilius enim incidet in verum aliquis in ludo paris, vel imparis, si dixerit paria, vel imparia, quam si quot numero habet.

LVDVM intelligit, quem nunc quoque pueri exercent, cum grana nummosue, sinistra manu tegentes, iubent, quibus cum ludunt, par aut impar eorum sit numerus, dicere. Sudas ἀρτιάζειν, hoc ipsum significare volens, inquit esse, τὸ παίζειν ἄρτια, ἢ περιττά. Accurate autem totam rem exponit Pollux in ix. libro ὀνομαστικῶ, vbi de ludis, quorum in conuiuijs vsus esset, agit: hoc ipsum enim ἀρτιάζειν huiuscemodi fuisse tradit: & cum genus quoddam diuinandi esset, in hoc positam diuinationem habuisse, cum manibus alicuius multis astragalis tectis, qui cum eo ludebat, diuinare cogebatur, pares ne numero illi, an impares forent: hunc autem ludum, quemadmodum astragalis, ita etiam fabis, iuglandibus, & amygdalis, & pecunia etiam aliqua, tractari solitum docet. Si testis (inquit) idoneus est Aristophanes, qui in Pluto ita induxit seruum loquentem. στατῆρσιν οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν. Romae quoque in vsu erat, vt docet Horatius in iij. Satyra ij. libri. Ludere par impar. Qui inquit Aristoteles, huic ludo operam dat, minus labetur, si paria, aut imparia illa esse dixerit, quam si definitum aliquem numerum eorum protulerit, & quot manu tenet, dicere voluerit.

Καὶ τὸ, ὅτι ἔσται, ἢ τὸ πότε. διὸ οἱ χρησμολόγοι οὐ προσορίζονται πότε.

Et, futurum id esse, quam quando. qua de causa, qui oracula edunt, non definiunt praeterea tempus.

VT ille quoque, qui simpliciter aliquid fore dixerit, facilius casu verax erit, quam qui tempus certum addiderit: quod augures (inquit) & qui res futuras canunt, diligenter seruant: numquam enim tempus, quo id, quod affirmant fore, futurum sit, definiunt, intelligentes multos errores in illo sitos esse: difficiliusq; dolos suos, quibus imperitos fallunt, ita deprehensum iri. Hinc autem liquido intelligi potest, quid de oraculis Aristoteles, & omni huiuscemodi diuinatione sentiret: aperit enim dolos eorum hominũ, qui his artibus dediti erant, & qua ratione imponerent simplicis ingenij hominibus, docet: adhibebant namque omnes latebras ne tenerentur: atque ita inuolutis verbis ancipitibusque vtebantur, vt semper aliud se intellexisse, atque id, quod primo creditum fuerat, defendi posset. Cicero quoq; in ij. de diuinatione artificium eorum indicat, quod summum ponebant, ne manifesto vmquam in aliquo mendacio deprehenderentur: idem autem ille, quod hic Aristoteles, ostendit praesidio ipsis esse, dicens: Callide enim, qui illa composuit, perfecit, vt quodcunq; accidisset, praedictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. Aeschines in oratione contra Ctesiphontem hoc ipsum etiam sectari gloriosos homines vanosq;, cum aliquid falsi pronuntiant, affirmat: indefinita enim (inquit) & obscura dicere conantur, metuentes ne redarguantur.

Ἅπαντα δὴ ταῦτα ὅμοια. ὥστ᾽ ἂν μὴ διά τινος ἕνεκα, φευκτέον.

Cuncta iam haec similia inter se sunt. quapropter, nisi huiuscemodi aliqua de causa id fiat, fugiendum est.

CVNCTA haec (inquit) paria inter se sunt, atque eandem vim habent: genera (inquam) rerum communiaque prolata, vt indefinita, & ambigua dicta: afferunt enim orationi obscuritatem, & ad fallendos imperitos apposita sunt. His autem accurate expositis, admonitisq; hominibus ἐν παρέργῳ, quot fraudes insidiaeq; sint in vita, vt melius illas cauere possint, redit ad propositum: traditq; ambigua verba vitanda esse, nisi huiuscemodi aliquem finem quispiam sibi proposuerit.

Τέταρτον ὡς Πρωταγόρας τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διῄρει: ἄρρενα, καὶ θήλεα, καὶ σκεύη.

Quarta autem, vt Protagoras genera nominum diuidebat, virilia, & muliebria, & vasa.

PROTAGORAS, ille Abderites, vt indicio huius loci cognouimus, primus genera nominum distinxit: aliaq; virilia, alia muliebria esse dixit: non nulla item alia σκεύη, tamquam vasa instrumentaque: ita enim neutra, quod plerunq; huius generis vasa vtensiliaq; sint, ille appellauit. Aristoteles ipse, qui eandem generum diuisionem fecit in primo libro de arte poëtarum eadem, quod medium inter virilia, muliebriaq; nomina locum teneant, μεταξὺ vocauit.

Δεῖ γὰρ ἀποδιδόναι καὶ ταῦτα ὀρθῶς.

Opus enim est & haec recte reddere.

HAEC enim (inquit) accurate seruanda sunt ei, qui incorruptum sermonem amat: oportetq; & ipsa sine vitio reddere atq; assignare. Cuncta quoque haec breuiter tetigit Cicero in iij. libro de Oratore: quamuis, vt minuta, & omnibus cognita, relinquere se velle ostendisset: sic enim
» locutus est. Atq;, vt Latine loquamur, non solum videndum est, vt & verba afferamus ea, quae
» nemo iure reprehendat: & ea sic, & casibus, & temporibus, & genere, & numero, conserue-
» mus, vt ne quid perturbatum ac discrepans, aut praeposterũ sit: & quae sequuntur. Sed etiam
» in Partitionibus, vbi inquit. Consecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, personis,
» casibus, perturbetur oratio. Quomodo inferioris aetatis grammatici haec vocent, satis omnibus cognitũ est. nam quod ad genera conseruanda pertinet, admonere nunc Aristotelem apertum est: omisit tamen casuum temporumq; sine vitio reddendorum, praeceptionem.

Ἡ δ' ἐλθοῦσα, καὶ διαλεχθεῖσα, ᾤχετο.

Haec autem profecta, & collocuta, subito abijt.

EXEMPLVM locutionis, in qua generum ratio seruata sit: cum enim, qui ita locutus est, muliebre nomen initio posuisset, in eodem genere, & quae illi conuenirent, reddidit: significare namque volens venisse feminam: secumque locutam, postea abijsse, vsus est eiusdem generis participijs appellatis nominibus. Quod si relicto illo genere ad virile, aut neutrum transisset, oratio vitio non caruisset. Cuius autem scriptoris verba sint, nisi forte, vt facile credi potest, conformatum exemplum est ab auctore, non inueni.

Πέμπτον ἐν τῷ τὰ πολλὰ, καὶ ὀλίγα, καὶ ἓν, ὀρθῶς ὀνομάζειν.

Quintum autem in eo positum est, vt multa, & pauca, & vnum, recte nominentur.

DILIGENTIAM quoq;, ne in numeris aliquid perturbatum sit, ponendam esse docet: quod qui neglexerit mediocrem culpam non admittet. Quintum igitur, quod animaduertendum dicit in recta locutione, est appellare multas res & paucas & singulas, vt oportet. Pauca vero numerum vocat, quem Latini non distinguunt a multitudine: posteriores autem Graeci δυϊκὸν, vt pueri quoque nouere, appellarunt: multa, & vnum, quem pluralem, ac singularem nunc grammatici vocant:

Οἱ δ' ἐλθόντες, ἔτυπτόν με.

Hi autem, cum venissent, me percusserunt.

EXEMPLVM orationis, quae nihil vitij habeat in numeris: nam qui ita loquitur, cum vocem, multitudinem significantem, primum vsurpet, ab eo numero non discedit: verum & nomen adiungit, quod illi numero respondet, & verbum: sententia ipsius plana est. Hi (inquit) cum venissent, me percusserunt,

Ὅλως δὲ δεῖ εὐανάγνωστον εἶναι τὸ γεγραμμένον, καὶ εὔφραστον: ἔστι δὲ τὸ αὐτό.

Omnino autem opus est, quod proditum est litteris, facile posse legi, atque etiam proferri: idem autem est.

CORRVPTE antea in excusis libris τὸ εἰρημένον legebatur. vt in omnibus scriptis inueni, γεγραμμένον, excudi volui. Qui rectam (inquit) rationem sermonis retinere vult, faciat, vt quod litterarum monumentis ab eo traditum est, facile, nullaq; cum molestia, & legi, & proferri possit. praeceptum autem hoc non paruam partem huius virtutis continet. Horum autem, qui alterum consecutus fuerit, alterum quoque eodem tempore obtinebit: scripta enim, quae cum leguntur, nihil molestiae lectori afferunt, eadem cum recitantur, molesta dicentibus esse non poterunt.

Ὅπερ οἱ πολλοὶ σύνδεσμοι οὐκ ἔχουσιν.

Quod sane multae coniunctiones non habent.

QVAE res asperiorem orationem efficiant, docet: & quae moras afferat & anagnostae, & oratori. Nimis igitur multas coniunctiones verborum censet euitandas: nam crebriores copulae duram orationem reddunt: nec tamen ita coniunctiones has fugiendas putat, vt nullae in oratione ponendae sint: hoc namque non minus vitium esset, quam illis abundare: fortasseque etiam maius. vt Demetrius, ille Phalereus, ostendit: qui, vt oratio scripta εὐανάγνωστος sit, necessarias esse putat copulas: quae enim oratio coniunctionibus sustentata non erit, vt ille existimat, contrario vitio laborabit.

Οὐδ'

Οὐδ᾽ ἃ μὴ ῥᾴδιον διαστίξαι. ὥσπερ τὰ Ἡρακλείτου.

Neq; etiam ea, quae interpungere leue non est. cuiusmodi sunt scripta Heracliti.

NEC ea, quae sine magno labore interpunctionibus distingui non possunt (cuiusmodi sunt libri Heracliti Ephesij) sunt scilicet εὐανάγνωστα καὶ εὔφραστα: quomodo enim potest aliquis commode legere ac recitare scripta aliqua, nisi videt, vbi insistere oportet: quaeque partes superioribus, quae inferioribus, haerent: necesse enim est, cum hoc accidit, valde lector laboret: nec possit obire munus suum eleganter. Intelligere autem ipsum scripta, quae interpunctionibus, notisque librariorum adhuc distincta non sint, perspicuum est: quae namque ipsas loco positas habent, legere nullus labor est.

Τὰ γὰρ Ἡρακλείτου διαστίξαι, ἔργον: διὰ τὸ ἄδηλον εἶναι ποτέρῳ πρόσκειται, τῷ ὕστερον, ἢ τῷ πρότερον.

Interpungere enim scripta Heracliti, arduum est, quia incertum est, vtri parti admotum sit, illi ne, quae sequitur, siue illi, quae antecedit.

ARDVVM enim (inquit) opus, magnusq; labor est, Heracliti scripta voce, tamquam notis atq; interpunctionibus, distinguere: vt dum legis, vbi sententia absoluitur, insistas. cuius rei causam reddens dicit, quia manifesto non intelligitur, cui parti, membroque saepe verbum haereat: posteriori ne, an priori. Cum, quibus in rebus maneret aperta & plana oratio, doceret Phalereus: affirmaretque multum etiam ad hoc valere, si copulas suis locis collocatas habuerit, a contrario, quod coniunctionibus caret ac dissolutum est, funditus obscurum omne esse ait: cuius rei eandem, quam hic Aristoteles, rationem affert, eodem obscuri scriptoris exemplo vsus: ait enim, Singulorum namque membrorum initia propter dissolutionem, incerta: vt Heracliti scripta sunt: cum enim haec alijs quoq; fortasse de causis obscura & tenebricosa sint, magna ex parte a dissolutione huiuscemodi fiunt.

Οἷον ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ τοῦ συγγράμματος: φησὶ γάρ. Τοῦ λόγου τοῦ δ᾽ ἐόντος αἰεὶ ἀξύνετοι ἄνθρωποι γίγνονται.

Ceu in principio ipsius operis: inquit enim. Rationis huius existentis semper inscij homines sunt.

VERBA Heracliti sunt in principio statim libri posita, vt Aristoteles tradit: in quibus illud correxi, quod cum prius ὄντος & in excusis, & in scriptis pluribus legeretur τοῦ δ᾽ ἐόντος emendaui. Antiquissimus enim liber solus, ex omnibus scriptis, ab excusis dissentiens, habet τοῦ δέοντος. eodem autem pacto scriptum esse apud Clementem Alexandrinum in v. Stromate, qui haec
» ipsa verba Heracliti adducit, in vetustissimo exemplari animaduerti. ἀντικρυς δὲ ὁ μὲν Ἡράκλειτος,
» Τοῦ λόγου τοῦ δέοντος αἰεὶ φησὶν ἀξύνετοι γίνονται οἱ ἄνθρωποι, καὶ πρόσθεν ἢ ἀκοῦσαι, καὶ ἀκούσαντες τὸ πρῶτον: ὁ με-
» λοποιὸς δὲ Μελανιππίδης ᾄδων φησίν. Κλῦθί μοι ὦ πάτερ, θαῦμα βροτῶν, τᾶς ἀειζώου ψυχᾶς μεδέων. Agebat autem illic Clemens (eruditus sane auctor: parum tamen aequus doctrinae ac gloriae Graecae nationis) de furtis Graecorũ scriptorum: quemadmodum & sententijs, & commentarijs quoq; totis antiquiores expilare solerent. Apud Sex. Empiricum vero, qui capite, quo disserit περὶ ἀληθείας, eodem Heracliti testimonio vtitur, τοῦ δὲ ἐόντος legitur, vt putem integram lectionem esse τοῦ δ᾽ ἐόντος: qui autem consuetudinem eius sermonis non tenebant (patrio enim Ionum more illo locutus, ἐόντος inquit) locum corrupisse ac δέοντος imperite scripsisse: vt alios etiam sententiam spectantes ὄντος probasse, & antecedentes duas litteras sustulisse. In Empirici autem exemplari integrior locus (meo iudicio) conseruatus est: nam τοῦ δ᾽ extrita postrema littera, aut τοῦ δὲ plena voce, legi debere declarat ipse Sextus, qui tradit ipsum quodammodo, ita loquentem, monstrasse caelum, quod terram ambit: & quasi manum eo intendisse. De diuina autem ratione illic agi ex Heracliti ipsius verbis manifesto intelligitur: longe enim plura apud Sextum leguntur. cum autem illa & huic loco illustrando valde accommodata sint: nec liber adhuc
» formis excusus ac diuulgatus sit, ipsa ponam. Inquit igitur Sextus. ἐναρχόμενος οὖν τῶν περὶ φύ-
» σεως ὁ προειρημένος ἀνήρ, καὶ τρόπον τινα, δεικνὺς τὸ περιέχον φησί. Λόγου τοῦ δὲ ἐόντος αἰεὶ ἀξύνετοι γίγνονται
» ἄνθρωποι, καὶ πρόσθεν ἢ ἀκοῦσαι καὶ ἀκούσαντες τὸ πρῶτον: γινομένων γὰρ κατὰ τὸν λόγον τόνδε ἄπειροι ἐοίκασι,
» πειρώμενοι ἐπέων, καὶ ἔργων τοιούτων ὁκοίων ἐγὼ διηγεῦμαι κατὰ φύσιν διαιρέων ἕκαστον, καὶ φράζων ὅκως ἔχει: τοὺς
» δὲ ἄλλους ἀνθρώπους λανθάνει ὁκόσα ἐγερθέντες ποιοῦσιν, ὅκως περ ὁκόσα εὕδοντες ἐπιλανθάνονται.

Ἄδηλον γὰρ τὸ αἰεὶ πρὸς ὁποτέρῳ διαστίξαι.

Incertum enim est illud semper, vtri parti adnectendum sit.

CVM ſaepe hoc vſu venire affirmaſſet in ſcriptis Heracliti, vt non bene perciperetur, cum qua ſententia verbum aliquod coniungeretur, exemplo vnius loci vſus, oſtendit incertum eſſe vtri parti adplicari debeat aduerbium ἀεὶ: ſuperiori ne ſententiae, an inferiori magis quadret: Clemens ſane manifeſto priori adnectit. videtur autem ad ſtructuram verborum implendam, more Attico intelligi debere χρὴ, in verbis his Ariſtotelis.

Ἔτι τάδε ποιεῖ σολοικίζειν, τὸ μὴ ἀποδιδόναι, ἐὰν μὴ ἐπιζευγνύῃς ἀμφοῖν ὃ ἁρμόττει. οἷον ἢ ψόφον ἢ χρῶμα: τὸ μὲν ἰδὼν, οὐ κοινόν: τὸ δ' αἰσθόμενος, κοινόν.

Praeterea haec efficiunt, vt aliquis in ſoloeciſmum incidat, non ſuum reddere, ſi non copulaueris cum eo, quod ambobus congruit. ceu ſonum & colorem, aſpiciens, non eſt commune: ſentiens autem, eſt commune.

PRAETEREA (inquit) ſoloeciſmum haec gignunt: maculiſq; inficiunt orationem: non reddere vnicuiq; verbo, quod exigit: ſed vno quodam vtrunque complecti ac deuincire conari: cum enim hoc feceris, niſi quod ambobus congruat elegeris, in vitium incides: eſt enim hoc quoque diligenter animaduertendum. Ἐπιζευγνύναι, quo infra quoque verbo vtitur, valet, vno tamquam iugo ac vinculo duo verba pluraue illigare: vt enim iugo gemini boues, ita etiam vno verbo in oratione duo copulari ac coniungi videntur. Iiſdem autem, quibus ipſe, exemplis vtar, quo res planior ſit: poſſem tamen alienis, & Latinis etiam: nullum enim negotium eſt, aliqua, in quibus idem fiat, inuenire. Si in oratione antea poſueris ψόφον & χρῶμα: nec verba, quorum alterum, priori: alterum, poſteriori voci reſpondeat, reddideris, ſed quod conueniat vnum ambobus quaeſiueris, ἰδὼν aptum eſſe nullo modo poteſt: conuenit enim poſteriori tantum: priori vero repugnat: color enim videtur, non ſtrepitus. quod ſi αἰσθόμενος poſueris, tam priori, quam poſteriori quadrat: ſtrepitus enim, vt colores, ſentiuntur. Auctor veteris tralationis videtur in ſuo exemplari habuiſſe, τὸ μὴ ἀποδιδόναι: ſcriptos tamen libros inueni ea parte cum excuſis conſentientes: quod admonuiſſe volui, praecipue, quia illic durior eſt ſermo, cum videatur intelligi quodammodo debere, ἀλλ' ἐπιζευγνύναι, vt ſupra in exprimendo ſenſu eorum verborum oſtendi.

Ἀσαφῆ δὲ, ἂν μὴ προθεὶς εἴπῃς, μέλλων πολλὰ μεταξὺ ἐμβάλλειν.

Obſcura autem, niſi praepoſitis illis, dixeris, cum res cogit, vt multa in medium inſeras.

VSV ſaepe venit, vt, antequam ſententiam aliquam abſoluamus, non nulla in medium, quae ad pleniorem earum rerum intelligentiam faciant, includamus. Admonet igitur, ſi multa inſeri debent, antequam, quod ad ſententiam priorem perficiendam neceſſarium eſt, reddatur, tutius eſſe illud ipſum prius in oratione collocare: atque ita ſententiam explere: qua abſoluta, quae ſi interiecta fuiſſent, obſcuritatem attuliſſent, poſtea aptiore loco exponentur: nam ſi pauca ſunt, quae narrari debent, collocari in medio commode poſſunt, nec aliquid caliginis obducunt orationi. Obſcurus igitur (inquit) ſermo erit, niſi, cum multa in medium conijcere & quaſi infercire, non verba tantum, ſed ſententias quoq; debes, illud, quod requiritur atque expectatur, initio poſueris: & antequam ea tangas, protuleris. Duo autem, a reliquorum excuſorum lectione hic variaui: cum enim in illis eſſet, καὶ ἂν μὴ προθεὶς, ſecutus auctoritatem antiquiſſimi libri, copulam deleui, & προθεὶς emendaui. Quomodo autem in vitium hoc incidi poſſit, nec non quomodo illud euitari debeat, exemplis ipſe declarat. A Latinis quoque auctoribus multa exempla ſumi poſſent: nam locum illum noſtri poëtae ex opere, quo ruſticas res docuit, quis non fateatur hoc vitio laborare: & quod multa, ante quam primam ſententiam abſoluat, interiecta ſint, obſcuriorem eſſe. Sin autem ad pugnam exierint: multis namque verſibus interiectis, adiunxit. Hi motus animorum, atque haec certamina tanta, & quae ſequuntur.

Οἷον: ἔμελλον γὰρ, διαλεχθεὶς ἐκείνῳ τάδε, καὶ τάδε, καὶ ὧδε, πορεύεσθαι, ἀλλὰ μή: ἔμελλον γὰρ διαλεχθεὶς πορεύεσθαι. εἶτα τάδε καὶ τάδε καὶ ὧδε ἐγένετο.

Veluti. Habebam enim in animo, vbi cum eo locutus eſſem, haec atque haec, & hoc pacto, proficiſci. ſed non. habebam enim in animo proficiſci. deinde Haec, atque haec, & hoc pacto geſta ſunt.

DECLARAT, hoc exemplo verum eſſe, quod dixerat, obſcuritatis non parum habituram orationem, in qua multis in medium coniectis, ad extremum, quod ſuperiorem ſententiam claudit,

dit, positum fuerit: statimq; mutata ratione, si, vt ipse praecepit, factum fuerit, omnes inde tenebras pulsum iri. Sententia horum verborum plana est. Sermone namque cum eo habito: hisq; atq; illis expositis, & vt facta sint, demonstratis, discessurus fui: explicatio enim tot, tamq; variarum rerum, ac modus etiam, quo ipsae administratae sunt, significatus, longo temporis spatio eget, vt non facile videre possint, qui audiunt, cui, quod postea additur, respondeat. Quod si ita dixerit: sermone namq; cum eo habito discessurus fui, posteaq; adiunxerit. & argumentum eius sermonis, & quemadmodum illa gesta sint, oratio perspicua erit, atq; hoc vitio vacabit. Quod autem τάδε καὶ τάδε inquit, rebus illis ipsis non expositis, sed ita locutus, vt intelligi possint, quae incerta & indefinita sunt, supra quoq; de sermone hoc disputaui: cum ad extremum ij. libri inquit, de fallaci conclusione, quae in dialectica materia frequentaretur, disserens. οὐκ ἄρα τὸ καὶ τὸ, ἀνάγκη ἄρα τὸ καὶ τό: nec tamen exempla huius locutionis posui, quod nunc diligenter faciam: Plato enim quoque saepe ita locutus est: vt in vj. libro de legibus, cum incertas personas significare vellet. καὶ ὁμόσας τις ἢ μὴν ἀδυνατεῖν τόν, καὶ τὸν βελτίω ποιεῖν. & pluribus etiam » alijs in locis. Demosthenes quoq; contra Midiam. τί δὴ τὰ, καὶ τὰ πεπονθὼς ὁ δεῖνα, οὐκ ἐλάμβανε » δίκην παρ' ἐμοῦ. Sed etiam Latini scriptores eandem formam loquendi vsurparunt, vt Cicero in » primo libro de inuentione. Nam si legis scriptor existat, & quaerat a vobis, quid dubitetis, quid » possitis dicere, cum vobis hoc, & hoc sit demonstratum? & paulo infra. Quid nam amplius » desideratis iudices, cum vobis hoc, & hoc planum factum sit? & Quintilianus in vj. de con» clusione. Licet & dubitare numquid & nos fugerit, & quid responsurus sit aduersarius his, » & his. & post. Et merito, cum sciret haec, & haec.

Εἰς ὄγκον δὲ τῆς λέξεως συμβάλλεται τάδε, τῷ λόγῳ χρῆσθαι ἀντ' ὀνόματος.

Ad inflationem autem, tumoremque locutionis prosunt haec, definitione vti pro nomine.

QVI grandem (inquit) orationem, tumidamq; efficere cupit, hinc auxilium petere poterit: valent enim ad id plurimum haec omnia: multa autem praecipit, quae id efficere ac praestare possint: quorum primum est, definitione vti alicuius rei, non nomine, quo significatur: definitio namque vim nominis pluribus explicat, quae cuncta nomen in se inuoluta continet. Copia autem illa verborum, descriptioq; eius naturae, amplitudinem quandam affert orationi. Vt hic autem elocutionis ὄγκον Aristoteles appellauit, ita Halicarnasseus in vita Lysiae verborum ὄγκον, vocauit orationem, quae haberet in se grauitatem & amplitudinem non paruam. Locus supra a me, positis etiam ipsius verbis, citatus est.

Οἷον μὴ κύκλον, ἀλλ' ἐπίπεδον τὸ ἐκ τοῦ μέσου ἴσον.

Ceu non circulum, sed figuram a medio aequalem.

EXEMPLI causa (inquit) si circulum appellaturus est, non circulum, sed formam planam a media sui parte: centroq; ad circumferentiam aequalem dicito.

Εἰς δὲ συντομίαν, τὸ ἐναντίον: ἀντὶ τοῦ λόγου ὄνομα.

Ad breuem autem concisamque, contrarium: pro definitione, nomen.

QVI vero breuitati studet, conciseq; ac demisse loqui vult, contra: relicta explicatione nominis, nomen, quo res appellatur, vsurpabit.

Καὶ ἐὰν αἰσχρὸν, ἢ ἀπρεπὲς, ἐὰν μὲν ἐν τῷ λόγῳ ᾖ αἰσχρὸν, τοὔνομα λέγειν: ἐὰν δὲ ἐν τῷ ὀνόματι, τὸν λόγον.

Et si turpe aliquid, aut indecorum, si turpitudo fuerit in definitione, nomen dicere: si autem in nomine, definitionem.

QVI grauitati etiam atque amplitudini orationis seruit, quidquid aut obscenitatem aliquam in se habet, aut parum decorum dictu est, euitare debet: haec enim quoque, nisi declinata fuerit omnem dignitatem orationi eripiunt, atque eam humilem abiectamque reddunt. Verum quia necesse est huiuscemodi aliqua aliquando tangere: turpeque illud, aut indecorum duobus in locis manet, si huiuscemodi quippiam in re fuerit, animaduertere antea diligenter oportet, in nomine ne, an in definitione sit. quod si in definitione turpitudo sit, nomen proferre: si in nomine, definitionem. Hoc quoque seruandae verecundiae gratia custodiuit ipse saepe in libris de partibus, & de ortu animantium. vt cum τὸ λειτεργοῦν μόριον τὴν ἔξοδον τοῦ περιττώματος inquit, ne quod foeditatis aliquid habuisset, si quo nomine pars illa vocatur vsus fuisset, diceret:

fuit enim illa definitio eius nominis, vacans omni turpitudine. Contra in nomine verbisque obscenitas non erit, siquis dare operam liberis dixerit: qui autem rem aperire voluerit, & suis verbis appellare, quae in munere illo obeundo partes corporis concurrunt, pudorem violabit. honestius igitur grauiusque totum illud verbo significare: nec singula nominatim definiteque explicare.

Καὶ μεταφοραῖς δηλοῦν, καὶ τοῖς ἐπιθέτοις, εὐλαβούμενον τὸ ποιητικόν.

Et translationibus orationem illustrare, atq; epithetis, cauentem poëticam phrasin.

PRAETEREA granditatem orationi affert in exponenda re, translationibus & epithetis vti: translationes namque, & epitheta, dignitatem, & grauitatem habent: animaduertendum tamen, ne, dum haec ornamenta nimis auide secteris, in poëticam phrasin incidas. quod Thucydidi contigisse testatur Halicarnasseus: ille namque in contionibus suis cum grandiore oratione vti vellet, non potuit hanc culpam euitare: modumque in ornamentis his colligendis, & oratione amplificanda tenere, sed vsus est (vt ipse loquitur) ποιητικῇ κατασκευῇ.

Καὶ τὸ ἓν πολλὰ ποιεῖν: ὅπερ οἱ ποιηταὶ ποιοῦσιν.

Et vnum multa facere: quod poëtae gerunt.

QVOD in excusis desiderabatur, ἓν restitui, acceptum e calamo scripto libro. Vt supra fecit, vnum hic appellat, quem nunc singularem numerum dicunt: multa, quem pluralem: in octauo autem libro Topicorũ, cum inquit, ἔτι τὸν ἕνα λόγον πολλοὺς ποιεῖν, manifesto aliud significauit. sententia ipsa aperta est. Quintilianus, cum de ornatu orationis loqueretur in viij. libro, inquit. Maxime autem in ornando valebit numerorum illa libertas, nam & Liuius saepe sic dicit. Romanus proelio victor, cum Romanos vicisse significat: & contra Cicero ad Brutum. Populo (inquit) imposuimus, & oratores visi sumus, cum de se tantum loqueretur. Quod genus non orationes modo ornat, sed etiam cotidiani sermonis vsus recipit. Discrimen autem est inter Aristotelis, & Quintiliani praeceptum: Latinus enim rhetor omnem numerorum libertatem vtilem ornandae orationi esse inquit, Aristoteles ampliorem tantum orationem reddere docet, si singulae res, vt multae, proferantur. Quare, si iudicium ipsius verum est, peccaremus, amplitudini studentes, si quae multitudinis numero dici debent, vnitatis numero proferremus: nec tamen fieri non potest, vt quod ad orationem amplificandam non valeat, valeat ad exornandam: nam quod poëtas potissimum hoc frequentare inquit, vt ipse statim exemplis confirmat, apertum est,

Ἑνὸς ὄντος λιμένος, ὅμως λέγουσι: Λιμένας εἰς ἀχαϊκούς.

Vno enim existente portu, tamen dicunt, Achaicos in portus.

CVM enim vnus (inquit) solum portus sit, quem illi intelligunt, canunt tamen, tamquam multi portus forent, λιμένας εἰς ἀχαϊκούς. senarij autem versus finis est: auctorem ipsius non dum comperi. Eodem consilio, vt dignitati sui carminis seruiret, videtur dixisse Sophocles in Oedipode tyranno. καὶ μὴν μέγας ὀφθαλμὸς οἱ πατρὸς τάφοι: vnum enim tantum bustum, vnusq; interitus Polybi regis fuerat, quamuis numero multitudinis τάφοι protulerit. In eadem quoque fabula clarum admodum exemplum est huius libertatis locus hic omnis, ὦ γάμοι γάμοι ἐφύσατ' ἡμᾶς, & quae huius generis, multa illic sequuntur. quare Longinus quoq; ipso vsus est, cum ostendere vellet, casuum, temporum, personarum, numerorum, generum permutationes variare orationem, atque amplificare. nam quod ad vitium crebrorum frequentiumq; pertinet, idem quoq; incommodum posse gignere illa, docuit Quintilianus: & simili etiam, quam stultũ id studium, nimisq; multa opera in eo posita foret, significauit.

Καὶ. Δέλτου μὲν αἵδε, πολύθυροι διαπτυχαί.

Et epistolae quidem hae sunt multifores plicationes.

PRIOREM partem huius versiculi valde corruptam, olim restitui. nollem posteriorem attigisse, dum maiorem fidem, quã oportebat, haberem receptae apud poëtam lectioni: non dubito enim quin, vt citat ipsum Aristoteles, vera lectio sit πολύθυροι, vt prius erat, & in cunctis ipsius, calamo exaratis, exemplaribus constanter legebatur. contingit autem hic, quod alio etiam in loco factum fuisse admonui, vt integra lectio seruata sit apud hunc scriptorem, contaminata vero apud auctorem ipsum. Senarius autem est Euripidis Iphigenia in Tauris, pronuntiatus ab ipsa epistolã Oresti, quem tamen, quis esset, adhuc ignoraret porrigente. Θύρας enim ob similitudinẽ, vocabantur vacuae partes litterarum inter plicationes ipsas. vnde πολύθυροι διαπτυχαὶ vocatae sunt

huiuscemodi

huiuſcemodi plicationes litterarum, multae ac crebrae, quales in longa epiſtola neceſſario exiſtunt. Impellit etiam me, vt credam ita a poëta ſcriptum fuiſſe, quod Heſychius in Lexico tradit θύρχν valere πτύχας ἔχουσαν. Fluxiſſe autem hunc errorem puto ab aliquo, qui neſcierit huius iuncti nominis vim ac notionem. Πολύθρηνοι refelli etiam inde poteſt, quia epiſtola illa minime luctuoſa erat, ſed potius laetitiae plena, cum certiorem faceret Oreſtem rei, quae placere ipſi merito poterat.

Καὶ μὴ συζευγνύναι: ἀλλ᾽ ἑκατέρῳ ἑκάτερον. Τῆς γυναικὸς, τῆς ἡμετέρας.

Et non iugare atque connectere, ſed vtrique vtrumque reddatur. illius mulieris, quae noſtra eſt.

AD ornandam praeterea, grandioremq; orationem faciendam prodeſt, non copulare vincireque vno articulo duos caſus, ſed vtrique ſuum articulum aſſignare. Res ſane intellectu facilis, & quae exemplo quoq;, quod adiungit, valde declaratur: ambo enim qui poſiti ſunt, patrij muliebrium nominum caſus, ſuum articulum praepoſitum habent.

Ἐὰν τε συντόμως, τὸ ἐναντίον: Τῆς ἡμετέρας γυναικός.

Si autem breuiter, contrarium efficere: mulieris noſtrae.

QVOD ſi conciſe loqui vis, contrario ſtudere debes: ideſt vno articulo duo nomina coniungere, vt in iiſdem, quae adiungit, nominibus fit: ordo enim tantum eorum immutatus eſt: & alter articulus relictus.

Καὶ μετὰ συνδέσμου λέγειν: ἐὰν δὲ συντόμως, ἄνευ μὲν συνδέσμου: μὴ ἀσύνδετα δέ.

Et adiuncta copula dicere: ſi autem breuiter, abſque copula, non tamen diſſoluta.

NEC non prodeſt ad orationem amplificandam: grauitatemque illi acquirendam, adiunctis copulis dicere. contra, ſi breuem orationem demiſſamq; efficere vis, copulas remouere oportet: nec tamen diſſoluta omnino loqui. Cur autem praecipiat, ſiquis grandem orationem conformare vult, ne penitus omnes coniunctiones tollat, ac ſoluta diſiectaque loquatur, videndum: an quia quae nullo vinculo illigatur, vitioſa eſt? ſiue potius, quia haec quoque ratio auget, ac grandiorem efficit orationem?

Οἷον, Πορευθεὶς καὶ διαλεχθεὶς: πορευθεὶς διελέχθην.

Ceu, Cum profectus eſſem, & diſſeruiſſem: profectus diſſerui.

PRIMVM exemplum manifeſto eſt orationis, quae copulis nititur: πορευθεὶς καὶ διαλεχθεὶς: ſecundum autem eius, quae coniunctiones non habeat, nec tamen ſoluta diſſipataque ſit. πορευθεὶς διελέχθην: perſpicuum enim eſt nullis hoc copulis vinciri, nec tamen orationem fractam, diſſolutamque eſſe: commutato enim participio in verbum, colligatur: habet enim hic vim copulae vinculique, διελέχθην verbum: eadem ratione, qua ſupra ἐπορευόμην videtur, quia orationem interruptam coniungeret atque illigaret, coniunctionem appellaſſe. Phalereus quoque tantam vim habere putat ad amplificandam orationem coniunctiones, vt ſi complures loco poſitae ſint, quae paruae res ſunt, magnas videri faciant.

Καὶ τὸ Ἀντιμάχου χρήσιμον, ἐξ ὧν μὴ ἔχει, λέγειν: ὃ ἐκεῖνος ποιεῖ ἐπὶ τοῦ Τευμησσοῦ.

Et illud Antimachi vtile eſt, a quibus non habet, dicere: quod ille facit in Teumeſſo.

RATIO praeterea illa Antimachi non mala eſt: cum rem quiſpiam tenuem puſillamque ornare vult, & copioſius de ea diſputare: explicatione namque illa bonorum ſuorum augeri non poteſt, quae aut nulla, aut minuta ſunt. reſtat igitur, vt rebus, quas non habet, praedicandis, longior de ea ſermo habeatur: atque ita dignitas illi aliquo modo acquiratur. Antimachus poëta hac ratione vſus eſt, cum Teumeſſum Boeotij agri collem, exornare carmine ſuo vellet: nam in ſcriptis ſuis fuiſſe illum grandem & inflatum, teſtimonio etiam Latini poëtae intelligimus, qui cecinit. At populus tumido gaudeat Antimacho. Valet autem, niſi fallor, λέγειν ἐξ ὧν, conflare orationem, texereque, his aut illis rebus exponendis.

Ἔστι τις ἠνεμόεις ὀλίγος λόφος.

Eſt quidam, ad ventum expoſitus, puſillus collis.

INITIVM tantum (vt arbitror) exempli poſuit, ſatisq; habuit locum indicare: licebat enim tunc cuilibet

cuilibet reliqua apud poëtam ipsum videre, nunc eo amisso, res obscurior sit necesse est. Eadem quoq; causa fuit (vt ipse aperte narrat) cur Strabo totum carmen non poneret: notum namq; erat: cum enim in ix. libro de Teumesso, exiguo hoc monte loqueretur, inquit. Hic est, quem multis versibus exornauit Antimachus: virtutibus, quibus caret, enumeratis, atque ea tantum, quae hic Aristoteles verba ipsius adiunxit. In primo autem libro Thebaidos Antimachus hunc locum persecutus erat, vt ex Stephano, qui scripsit de vrbibus, intelligere licet: cum enim vnde vocatus esset Teumessus exponeret, plures versus Antimachi adduxit ex eo libro: in quibus, vnde id illi nomen impositum foret, accurate poëta declarat: sunt tamen maculae quaedam in ipsis versibus apud Stephanum.

Αὔξεται γὰρ οὕτως εἰς ἄπειρον.

Amplificatur enim sic in infinitum.

LATVS hic (inquit) est campus augendi aliquid: cum enim, quibus singulae res carent, infinita sint, terminis quoque ratio haec vacet necesse est.

Ἔστι δὲ τοῦτο, καὶ ἐπὶ ἀγαθῶν, καὶ κακῶν, ὅπως οὐκ ἔχει, ὁποτέρως ἂν ᾖ χρήσιμον.

Locus autem est huic rei, & in bonis, & in malis, quemadmodum se non habet, vtro modo fuerit vtile.

ET ornandae (inquit) alicui rei, & conterendae ratio haec vtilis esse potest: ostendendo enim commoda, & incommoda, quibus caret, commendatur aut infamatur res: quorum alterutrum, vt causa postulat: resq; ipsa fert, faciendum est.

Ὅθεν καὶ τὰ ὀνόματα οἱ ποιηταὶ φέρουσι, τὸ ἄχορδον, καὶ τὸ ἄλυρον μέλος.

Unde & nomina poëtae ducunt, ἄχορδον, *&* ἄλυρον *cantum.*

VNDE (inquit) poëtae nomina quaedam sumpserunt, atque in vocibus quibusdam fingendis rationem hanc secuti sunt: cum enim ἄχορδον & ἄλυρον dixerint, manifesto a rebus, quibus caret, cantum vocarunt. cum concentus scilicet dissimilis est concentui illi, quem nerui fidesque edunt: qui expers est eius suauitatis, quae funditur ex chordis & lyra.

Ἐκ τῶν στερήσεων γὰρ ἐπιφέρουσιν.

A priuationibus enim eo comportant.

SIGNIFICANTVR (vt puto) hoc verbo ἐπίθετα. nam Demetrius quoque, cum de adpositis
» nominibus loqueretur, ipso vsus est: ἔνιοι δὲ καὶ ἀσφαλίζονται τὰς μεταφορὰς ἐπιθέτοις ἐπιφερομένοις, ὅταν
» αὐτοῖς κινδυνώδεις δοκῶσιν. ὡς ὁ Θέογνις παρατίθεται τὸ τόξο φόρμιγγα ἄχορδον, ἐπὶ τοῦ τόξου βάλλοντος. cum volunt igitur munire, quod dixerint, & in tuto ponere poëtae, huc confugiunt: atque ἐπίθετα fingunt, sumpta a rebus, quibus id, quod periculose dictum videbatur, caret: haec enim intelligit Aristoteles, quibus vnumquodq; orbatum est: quae στερήσεις communi vocabulo appellat, quamuis propria quaedam nominis huius in categorijs, & in physicis libris notio sit.

Εὐδοκιμεῖ γὰρ τοῦτο ἐν ταῖς μεταφοραῖς λεγομέναις ταῖς ἀνάλογον.

Laudem enim hoc maxime adipiscitur in translationibus, quae sunt e proportione.

ADIVNGERE aliquod rebus nomen, sumptum ab ijs, quibus illae orbatae sunt, vt in superioribus exemplis planum factum est, praecipue laudem habet: probaturque in translationibus, quae ἐκ τοῦ ἀνάλογον constant: quae vis horũ verborum sit, ipse statim exemplo declarat. Animaduertendum autem discrepantes ab excusorum maiore parte hic esse calamo scriptos libros: ita enim habent. ἐν ταῖς μεταφοραῖς λεγομένον τοῖς ἀνάλογον ταῖς ἀνάλογον: quam lectionem sequitur vetus quoque tralatio.

Οἷον, τὸ φάναι τὴν σάλπιγγα εἶναι μέλος ἄλυρον.

Veluti affirmare tubam esse cantum ἄλυρον.

TRANSLATIONEM ἐκ τοῦ ἀνάλογον huiuscemodi esse constat. ponamus Primum tubam. Secundum tubae sonum, qui est ἀνώνυμος. Tertium lyram. Quartum melos: ita enim vocatur lyrae sonus. siquis igitur pro secundo quartum sumat: siue secundum pro quarto, erunt verba translata: idest si, tubae sonum significare volens, dixerit melos: aut si cum melos dicere debuisset, accepit pro illo sonum tubae: si proprium ille suumq; nomen haberet. Verum quia

vocasse sonum tubae melos, durius videbatur: est enim longe sumptum (vt enim lyrae sonus suauis: ita tubae asper) vt culpam reprehensionemq; declinaret, qui ita verbum transtulit, addidit ἄλυρον, quod verbum a re, qua caret, conformatum est. Haec est & analogiae ratio & huius exempli vis. Videtur autem Aristoteles σάλπιγγα, non instrumentum vocasse, quod tubam appellamus, sed ipsius sonum.

Τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθική, καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογος.

Decorum autem in se habebit oratio, si fuerit apta perturbandis animis, & si moribus conueniet, responderitq; rebus, de quibus agitur.

REM nunc, vt difficilem, ita valde vtilem ad faciendam fidem tractat, quod decorū orationis appellant: est enim in oratione quoq; τὸ πρέπον, non solum in vita ac factis. Cum multa autem requirantur, vt locutio hoc bono non careat, tunc (inquit) quod decet illa habebit, cum naturas hominum, mores, & omnem vitam exprimet. quam orationem Graeci ἠθικὴν appellant. nec non cum commotum animum dicentis, & hac aut illa perturbatione vexatum significabit: quam ijdem παθητικὴν vocant. illa quoque, quod decet retinebit, quae rebus, de quibus sermo est, conueniet, & tamquam proportione respondebit.

Τὸ δ' ἀνάλογόν ἐστιν, ἐὰν μήτε περὶ εὐόγκων, αὐτοκαβδάλως λέγηται: μήτε περὶ εὐτελῶν, σεμνῶς.

Respondet autem rebus, si neque de rebus, quae tumorem in se continent granditatemque, tenuiter abiecteque dictum fuerit: neque de tenuibus, ampliter.

CVM rei, de qua agitur, aptam etiam consentaneamque orationem esse debere dixisset, vt, quod deceat, habeat, in quo positum sit consentaneum ἀνάλογόνque, nunc declarat: in orationeque id esse inquit, cum de amplissimis rebus & quae omnem ornatum sustinent, non tenuiter quispiam exiliterq; dixerit: neque contra de humilibus, grauiter atque ample. Cum αὐτοκιβδήλως antea in excusis perperam legeretur, αὐτοκαβδάλως correxi: est autem, vt veteres grammatici testantur, αὐτοκαβδάλως summisse, tenuiter: nam αὐτοκάβδαλα etiam poëmata dicuntur humilia abiectaq;, & quae ex tempore facta sunt.

Μήτ' ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπῇ κόσμος: εἰ δὲ μή, κωμῳδία φαίνεται.

Neque in tenui nomine manserit ornatus. quod si seruatum non fuerit, videbitur esse comaedia.

TVNC etiam, quod decet, habebit oratio, cum humili ac vili nomini epitheton grande ornatusq; adiunctus non erit: quod qui non seruant, mirifice peccant: non erit autem ille sermo oratoris, sed comici poëtae, qui, vt risum saepe moueant, cui rei in primis student, huiuscemodi multa aucupantur.

Οἷον ποιεῖ Κλεοφῶν.

Quale facit Cleophon.

QVOD (inquit) crebro studioseque facit Cleophon: Est autem Cleophon hic poëta ille, cuius meminit etiam in primo libro de arte poëtarum, cum de oratione, quae proprijs nominibus constet, loqueretur: cum enim eam humilem esse tradat, inquit scripta Cleophontis, & Stheneli poëtarum, satis certum eius rei exemplum esse: sed etiam in commentatio captiosorum elenchorum eundem in Mandrobulo fabula adducit.

Ὁμοίως γὰρ ἔνια ἔλεγε, καὶ εἰ εἴποιεν ἄν, πότνια συκῆ.

Similiter enim non nulla dixit, ac si ita loqueretur, veneranda ficus.

PARTICVLAM εἰ restitui, acceptam ex antiquissimo libro: cui lectioni vetus quoque tralatio adstipulatur: nam correctionem eius mendi, quod excusos olim & scriptos multos libros occuparat, easdem auctoritates secutus, probaui: ου enim pro συκῆ hic quondam legebatur. Cum igitur quā tenuis abiectusq; foret in fabulis suis Cleophon, ostendere vellet, ac quantopere risui captando hac ratione studeret, ait eum similiter quaedam dicere, ac si venerandam ficum appellasset: rem tam humilem vilemq; nomine eo, quod naturae praestanti admodum ac caelesti conuenit. Non vocauit igitur, si lectio haec vera est, ita in poëmate suo Cleophon ficum, sed id ab Aristotele prolatum fuit, vt exprimeret, quam valde ille hoc sectari soleret, vt non reformidaturus fuerit tam grandi nomine, tam tenuem rem, ornare.

Παθητικὴ δὲ, ἐὰν μὲν ᾖ ὕβρις, ὀργιζομένου λέξις.

Apta autem ad motus animi excitandos, si contumelia imposita fuerit, oratio irati hominis.

Cvm de graui aliqua contumelia agetur, irati personam subibit orator: plenamq; irae ac stomachi orationem fundet: contumelia enim tantam illam iram mouisse credetur: huiuscemodique oratio, quae a commoto animo proficiscitur, contumelia affecto conuenit: ac, si hoc fecerit, seruabit id, quod decet: neque enim oportet eum, qui magnam aliquam iniuriam acceperit, aut se accepisse credi vult, sedato animo ac lenibus dictis illam exponere. vnde merito traditur Demosthenes increpuisse eum, qui cum patrocinio ipsius vti vellet, quod se caesum a quodam, maleque acceptum verberibus diceret, soluto tranquilloque animo id referret: negauit enim ita se rem habere, neq; ipsum eam iniuriam, quam diceret, accepisse: cumq; ille vocem intenderet ac clamaret id omnino factum esse, nunc demum (inquit) audio vocem iniuriam passi hominis ac vulnerati. Quo etiam, pro argumento, narrat Cicero se vsum fuisse contra M. Calidium ad diluendum crimen, quod cum reo obiecisset, sibi eum venenum parauisse, lente tamen nimis ac solute id egisset: neque enim facultate ille hac permouendi atque incitandi animos audientium praeditus erat. Sed vt ad Aristotelem redeamus, docet nunc aliud genus orationis conuenire alijs motibus animorum: peccaturumq; eum magnopere, qui hoc non seruarit; & exempli gratia dicendi genus, proprium irati, & quod illo modo affecto quadrat, tribuerit ei, qui leni animo & tranquillo est: & si non solum certa quaedam nomina esse ostendit singulorum motuum, sed etiam variandum modum, rationemque illa edendi, quod intelligitur ex verbis, quae sequuntur: quod enim inquit, δυσχεραινόντως καὶ εὐλαβουμένως videtur potius valere ad sensum animi indicandum, quam ad certa quaedam verba vsurpanda. Quod tradit Cicero in extremo iij. libro de Oratore, facit ad ὑποκριτικήν: praecipit enim, vt vocem variet orator, mutata materia, variatisq; motibus animorum: totamq; rem persequitur accurate, atq; erudite: cuius praeceptionis initium est. Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumat, & quae sequuntur.

Ἐὰν δὲ ἀσεβῆ καὶ αἰσχρὰ, δυσχεραινόντως καὶ εὐλαβουμένως λέγειν.

Si autem impia & turpia, cum stomacho & indignatione, cauteque dicendum est.

Qvod si (inquit) impia turpiaq; facta tractanda sunt, dicere oportet cum indignatione ac stomacho: nec non caute timideq;: & ita demum, vt intelligaris res illas auersari, atque ab ipsis toto animo abhorrere. In antiquissimo libro hic varietatis hoc inueni, quod patrio ille casu nomina habet, quae in alijs omnibus aduerbij naturam retinent: δυσχεραινόντος enim & εὐλαβουμένου in eo legitur: nihil tamen a recepta lectione immutaui.

Ἐὰν δὲ ἐπαινετὰ, ἀγαμένως: ἐὰν δὲ ἐλεεινὰ, ταπεινῶς: καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων δὲ, ὁμοίως.

Si autem laudabilia, cum laetitia: si vero miserabilia, humiliter. aliaque itidem eodem pacto.

Qvod si honesta, & laude digna illa fuerint, libenter & cum voluptate quadam animi, ipsa exponere oportet, vt intelligaris te illis delectari. Si miserabilia, humiliter ac demisse. Eadem autem (inquit) ratio in alijs seruanda erit: habent enim omnes materiae sua genera dicendi, semperque, si, quomodo affectus animo est ostendere vult orator, operam dare debet, vt rebus, de quibus agit, accommodet orationis modum. Ἐπαινετὰ autem, verbum ex verbo exprimens, laudabilia dixi, quomodo in partitionibus suis, & alibi M. Cicero locutus est. Quae autem essent laudabilia dictum est. Vnde intelligi etiam potest, quae vere talia sunt.

Πιθανοῖ δὲ τὸ πρᾶγμα, καὶ ἡ οἰκεία λέξις.

Sua autem propriaque eius locutio facit, vt res facta facile credatur.

Praeter cetera, quae in oratione posita, fidem rei acquirunt, sua atq; accommodata illi oratio ad persuadendum plurimũ valet: est magna vis in elocutione, si sua ac propria illarum adhibeatur, ad fidem rebus ipsis acquirendam: nec tamen hoc, si vere cogitare volumus, a natura tantum ipsius locutionis proficiscitur, quantum ab errore quodam & infirmitate humani consilij: quod ipse nunc accurate exponit.

Παραλογίζεται γὰρ ἡ ψυχὴ, ὡς ἀληθῶς λέγοντος, ὅτι ἐπὶ τοῖς τοιούτοις οὕτως ἔχουσιν.

Decipitur.n.animus, tamquã vere dicat, quia in huiuscemodi reb. sic homines se habent.

ANIMVS enim eorum, qui audiunt, in errorem rapitur, qui putat dicentem, vere, & vt res habet, loqui: nec cogitat totam illam orationem posse fictam ac commenticiam esse: decipitur autem, abductus fallaci quadam conclusione, quam ipse sibi struit: animaduertit enim saepe huiuscemodi temporibus mortales ita se habere: vulgo namq;, cum huiuscemodi quippiam ipsis contingit, ita affecti animo sunt: de captione autem hac, quae παρὰ τὸ ἑπόμενον est & vocatur, in ij. horum librorum egit, cum locos indicaret fallacium argumentorum.

Ὡς οἴονται, εἰ καὶ μὴ οὕτως ἔχει, ὡς ὁ λέγων, τὰ πράγματα οὕτως ἔχειν.

Quare putant, & si non ita se habet, vt qui dicit, res ita se habere.

HAEC res, praue iudicata, errorem parit: stulteq; homines sentire facit: in quo autem fallun-
tur, huiuscemodi est. Vident, cum huiuscemodi quippiam illis mali, bonique euenit, ita ho-
mines se habere consuesse: quare arbitrantur rem ipsam sic se habere, vt qui dicit, oratione sua
simulat se habere: & si vere res ita se non habet. Haec verba, putat Aristoteles aperire posse
hanc fallaciam, quae in multis rebus versatur, & ab eo quoq; alijs in locis diligenter exposita
» est, vt in primo quoq; de arte poëtarum: idem enim significare voluit, cum inquit. ἔστι δὲ τοῦτο
» παραλογισμός: οἴονται γὰρ ἄνθρωποι, ὅταν τουδὶ ὄντος ἢ γινομένου, τόδε γίνεται, εἰ τὸ ὕστερόν ἐστιν, καὶ τὸ πρότερον
» εἶναι ἢ γίνεσθαι: τοῦτο δέ ἐστι ψεῦδος. non retorquetur igitur, retroque agitur consecutio, vt illi putant,
& hinc omnis error oritur. Exemplo conemur hoc illustrare: quorum aduersae res sunt, de
fortunae iniquitate queruntur, ac miserabili oratione statum illum suum deplorant. qui igi-
tur se miseros esse praedicant, & atrocissimam iniuriam a fortuna se accepisse dicunt, aduersis
rebus premuntur: quod falsum est, & prauo iudicio hominum concluditur: neque enim si po
sterius est, prius quoq; necessario est: posterius autem hic intelligetur. conflictari & misera-
biliter loqui: prius enim est aduersa fortuna vti.

Καὶ συνομοιοπαθεῖ ὁ ἀκούων ἀεὶ τῷ παθητικῶς λέγοντι, κἂν μηθὲν λέγῃ.

Et similiter afficitur semper, qui audit, atq; affectus est, qui dicit, quamuis nihil dicat.

QVI audit eodem affectu semper tenetur, quo orator, si παθητικῶς ille dicit: idest si commotum
eius animum, & hoc aut illo affectu praeditum oratio ipsius prae se fert: quamuis orator fingat
simuletq;, & verba tantum proferat, nec rem vllam sustineat, quae tanta atrocitate verborum
egeat. Quanta igitur vis sit concitatae huius orationis, hinc facile percipitur, si simulata etiam
fictaq;, in eosdem affectus auditores trahit. Idem autem & Horatium in epistola de arte poë-
tica, & Ciceronem saepe tradidisse, notum est. Μηθὲν λέγειν significat nihil afferre firmum ac
validum ad aliquid probandum: non, omnino silere, vt supra hoc ipso in libro locutus est, cum
» inquit, ὅπερ ποιοῦσιν, ὅταν μηθὲν ἔχωσι λέγειν: προσποιοῦνται δέ τι λέγειν. & in vij. de moribus ad Nico-
machum, vbi ijsdem verbis vsus, affirmauit, qui aiunt vitam beatam ascendere in rotam, nihil
dicere. Simplicius in categorias huius locutionis meminit: ac, quae vis ipsius esset, accurate
docuit: affirmat enim consuetudinem fuisse, vt, cum arbitrabantur quempiam aliquid de ea re
dicere, quam non intelligeret, dicerent, οὐδὲν λέγεις, quamuis ille de illa ipsa re verba faceret ac di-
sputaret. Cicero quoq; hunc modum dicendi vsurpauit. In ij. libro Tusculanarum. Omit-
» tamus igitur hunc, nihil prorsus dicentem. de Fato, cum rationem Epicuri refelleret. Ita cum
» attulisset nullam causam, quae istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi dicere vide-
» tur, cum id dicat, quod omnium mentes aspernentur ac respuant: & ante ipsum Terentius (vt
» puto) e Graeco in Latinum sermonem transtulit Eunucho. Abi sis: nihil dicis Parmeno. In
antiquissimo libro discriminis hoc est, quod συνομοπαθεῖ illic legitur.

Διὸ πολλοὶ καταπλήττουσι τοὺς ἀκροατάς, θορυβοῦντες.

Qua de causa multi consternant eos, qui audiunt, tumultu in animis eorũ excitato.

QVA de causa (inquit) multi oratores, hoc intelligentes (ita commoueri scilicet eos, qui audiunt,
vt ipsorum oratio ipsos commotos ostendit) quasi tumultu quodam & trepidatione excitata:
ipsiq; vehementer perturbati, statu mentis mouent, & tamquam attonitos reddunt auditores:
καταπλήττειν hoc significare, apertum est. Halicarnasseus quoq; in vita Lysiae, cum de Gorgia
loqueretur, eodem verbo vsus est: ille namque, cum legatus Athenas venisset, in contione,
quam ad populum habuit, ob ornatum granditatemque orationis admiratione stuporeque im-
» pleuit omnes, qui audierunt. κατεπλήξατο τοὺς ἀκούοντας ἐν τῇ δημηγορίᾳ. vnde Lucretius, cum de
amatorum ingenio dissereret, qui deliciarum suarum vitia minuere solent, vel potius in bonum
» conuertere, cecinit. Magna atque immanis, κατάπληξις: mulier inquit, quae immenso ac
vasto corpore erit, appellabitur κατάπληξις, quasi, quae tamquam numen aliquod, stupidos
homines teneat.

Καὶ ἠθικὴ δὲ αὕτη, ἡ ἐκ τῶν σημείων δεῖξις, ὅτι ἀκολουθεῖ ἡ ἁρμόττουσα ἑκάστῳ γένει καὶ ἕξει.

Et moralis vtique est haec a signis demonstratio, quia comitatur, quae congruit vnicuique generi atque habitui.

ORATIO praeterea morata haec est (inquit) non tantum commouet animum auditoris: intelligit autem (vt ipsemet sua declaratione ostendit) argumentationem, quae a signis ducitur: locutionem autem illam demonstrationem vocat, quia fidem faciunt auxilio ipsius: probantq; eo, tamquam signo, se accepisse exempli causa, iniuriam, cum ita se oratione affectos ostendant, vt illi ipsi sunt, qui vere acceperunt: captione autem hac cuncta signis vtentia argumenta laborant: vnde nunc ita ipsam vocat. Affert autem statim accurate rationem, cur tradiderit illā, quemadmodum vtilis est perturbandis animis, fideiq; eo pacto rei acquirendae, ita etiam valere ad mores orationi aspergendos: alia namque ait, & alia locutio varios, longeque inter se diuersos mores, & ingenium declarat: singula enim hominum genera, siue aetate illa, siue sexu, siue natione, siue alia quapiā re distinguantur, dissimilesq; praeterea ipsorū habitus, sua quaedam propriaq; consequitur oratio: qua cū quispiam vtatur, indicio erit, & ipsum esse eiusmodi.

Λέγω δὲ γένος μὲν καθ' ἡλικίαν. οἷον παῖς, ἢ ἀνήρ, ἢ γέρων.

Voco autem genus quidem spectata aetate. ceu puer, siue vir, siue senex.

GENERA hic intelligo (inquit) singulas aetates, vt pueros, viros, senes: supra enim quoq; vitam hominum, in tres has aetates distinxit. cuncti igitur pueri genus conficiunt, vt viri quoque, ac senes duo alia genera. Cuncta autem haec genera suos quosdam & proprios mores habent, quod philosophus in ij. libro diligenter docuit.

Καὶ γυνή, καὶ ἀνήρ.

Et femina, & vir.

MVLIER quoq;, ac vir genera conficiunt, nam genus muliebre, ac virile quoq; dicitur. hic igitur genus manifesto sexum significat: muliebre autem genus suos mores habet: &, vt muliebre, ita etiam virile, qui mores & mulieres omnes, & viros sequuntur.

Καὶ Λάκων, ἢ Θετταλός.

Et Lacon, siue Thessalus.

NATIO hic vocabulo generis intelligitur: nam Latinos etiam scriptores genus appellasse populum, ac gentem aliquam, constat. Sunt etiam certi quidam mores singularum nationum, vt Lacones, fortes in proelijs: Athenienses, pij: Poeni, fallaces.

Ἕξεις δέ, καθ' ἃς ποιός τις τῷ βίῳ: οὐ γὰρ καθ' ἅπασαν ἕξιν οἱ βίοι ποιοί τινες.

Habitus autem, per quos homo qualis est vita: non enim per omnem habitum vitae sunt quales.

NVNC, quos habitus intelligat, ostendit, postquam quot modis genus caperetur, docuit: habitus enim (inquit) accipi volo, quamuis stabiles omnes consuetudines, &, quae non facile discuti possunt, ita appellentur, quibus vita hominum hoc aut illo modo informetur: neque enim minutarum quarundam rerum, & quae vitam variare nequeunt, vt sunt etiam leuiores non nullae artes, habitus morata oratione significantur, sed magnarum, & propter quas quispiam hoc, aut illo modo factus dici potest.

Ἐὰν οὖν καὶ τὰ ὀνόματα οἰκεῖα λέγῃ τῇ ἕξει, ποιήσει τὸ ἦθος.

Si igitur & verba sua propriaque illius habitus ediderit, efficiet mores.

QVI igitur (inquit) nominibus aptis, accommodatisq; habitui vsus fuerit, mores orationi affinget: diuersis enim habitibus diuersa nomina conueniunt. quod si, quae & habitui illi, & generi, cuius est, non conuenirent, nomina vsurparet, oratio illa numquam mores exprimeret. quod tamen non valde fit: comitatur enim plerunque, (vt docuit) sua propriaq; ipsis locutio.

Οὐ γὰρ ταὐτά: οὐδ' ὡσαύτως, ἄγροικος ἂν καὶ πεπαιδευμένος εἴπειεν.

Non enim eadem, neque eodem pacto agrestis homo, & disciplina imbutus diceret.

EXEMPLO

EXEMPLO hoc declarat diuersae naturae ac moribus, diuersam orationem conuenire: neque enim (inquit) eadem vmquam diceret: neque eodem pacto, quae dicit, proferret, rudis atque agrestis homo, & bonis artibus excultus, liberaliterq; educatus: vt enim id magis explanaret, sumpsit habitus animi valde discrepantes: ingeniaq; inter se contraria, vt sunt rustici hominis, & eruditi politiq; viri. Exigua hic in re discrepat a reliquis antiquissimus liber: particulam enim ἂν, non semel hic positam habet: ita namq; illic legitur ὡσαύτως ἂν ἀγροικος ἂν. id autem vt negligentia librarij committi potuit, ita etiam ex consuetudine Attici sermonis nasci: cuius valde studiosus Aristoteles fuit: testantur enim grammatici in eodem membro Athenienses illam iterare solitos: quod testimonijs etiam & Platonis, & Aristophanis, verum esse intelligitur.

Πάσχουσι δέ τι οἱ ἀκροαταί, καὶ ᾧ κατακόρως χρῶνται οἱ λογογράφοι.

Afficiuntur autem ij, qui audiunt non nihil etiam illo, quo, ita vt fastidium gignant, vtuntur, qui orationes scribunt.

MOVENTVR etiam (inquit) ij, qui audiunt: ac non nihil afficiuntur, ratione illa, qua qui domi orationes scribunt, sine modo vtuntur, vt satietatem afferant: valet enim hic πάσχουσι afficiuntur animo, commouentur: quae tamen res in errorem eos rapit, ac falli tandem facit. Inutilis igitur (ait) ratio quoq; illa ad persuadendum non erit, qua tamen nimis frequenter, & ita vt fastidium gignant, vtuntur, qui orationes antequam habeant, domi scriptitant: hi enim, cum otij satis ad scribendum haberent, haec artificia studiose captabant.

Τίς δ' οὐκ οἶδεν. Ἅπαντες ἴσασι.

Quis hoc nescit. Cuncti nouerunt.

HAEC est callida illa ratio, & quae modice temporeq; vsurpata, non parum valet ad animos auditorum alliciendos: cum scilicet, quasi increpando illos, assentiri sibi oratores cogunt audientes. Cum autem ad satietatem ipsa vti dicat λογογράφους, arbitror eum in primis Isocratem intellexisse, qui otiose domi orationes scribebat, & cuius libri referti sunt hoc modo dicendi: plurima enim inde exempla, diligenter a me animaduersa, ponere possem: in Panegyrico enim inquit. τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὅτι συνθῆκαι εἰσίν. & in Euagora Κόνωνα δέ, τίς οὐκ οἶδεν ὅτι δυστυχησάσης τῆς πόλεως ἐξ ἁπάντων ἐκλεξάμενος, ὡς Εὐαγόραν ἦλθε. & infinitis demum locis. Demosthenes quoque in causa Ctesiphontis illam non semel vsurpauit, vt in alijs quoq; orationibus. τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ἰταλιωτῶν: τίς δὲ βαρβάρων. & infra, τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν πάντων. Sed etiam Cicero bis pro Milone, vt cum inquit. An est quisquam, qui hoc ignoret, & cum. Sed quis non intelligit omnes tibi partes, & quae sequuntur. Vt intelligere autem facile licet, idem non vno tantum modo, sed duobus agebant, quos ambos hic videtur significare voluisse. quare duobus ex verbis, quae in excusis antea dijuncta erant (ἅπαντες enim illic legebatur) vnum conflaui: sententiasque inter se cohaerentes, interpunctione separaui. quemadmodum etiam in calamo quodam exarato exemplari legi animaduerti: vt enim vafra hac ratione vtentes τίς οὐκ οἶδεν? quaerebant: ita etiam aliquando πάντες ἴσασιν, idem in animis auditorum efficere volentes, aiebant. Isocrates in suasione ad Philippum. Οὐ τὴν φιλίαν ἅπαντες ἴσασιν ὑμᾶς τε καὶ Λακεδαιμονίους μᾶλλον ἀγαπήσαντες, ἢ τῶν συγκατασκευασάντων ἑκατέροις ὑμῶν τὴν ἀρχήν. item in prooemio Panathenaici. καίτοι πάντες ἴσασι τὴν μὲν ἑτέρων πολλούς, οὐχ ὑπὲρ τῶν τῇ πόλει συμφερόντων, ἀλλ' ὑπὲρ ὧν αὐτοὶ λήψεσθαι προσδοκῶσι, δημηγορεῖν τολμῶντας. Sed etiam, quod ad hanc confirmandam lectionem non parum valet, numquam apud vllum oratorem inueni coniunctas has sententias: idem enim paene vtraq; significatur.

Ὁμολογεῖ γὰρ ὁ ἀκούων αἰσχυνόμενος, ὅπως μετέχῃ, ὅπερ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες.

Concedit enim, qui audit, pudore impulsus, vt particeps sit eius, cuius reliqui omnes.

QVOMODO haec res fructum ferat oratori, ostendit: id autem ab eius, qui audit, simplicitate nascitur, qui credit, quae orator affirmat, vera esse: nec fraudes eius, insidiasq; intelligit. cum igitur ille asserit omnibus hominibus id cognitum esse, ac neminem prorsus ignorare, veritus ne e comitatu reliquorum extrahatur, ac quod cuncti mortales norunt, solus ignoret, & ipse incognitae rei stulte assentitur.

Τὸ δ' εὐκαίρως, ἢ μὴ εὐκαίρως χρῆσθαι, κοινὸν ἁπάντων τῶν εἰδῶν ἐστι.

Tempore autem, aut intempestiue vti, commune est omnium formarum.

HOC ad id pertinet, quod dixerat, multos, ex ijs maxime, qui orationes scriptitant, in hoc peccare, quod ad satietatem hoc vtantur: quos nullo modo imitari debemus: est enim vtendum eo opportune, non intempestiue: vtroq; enim modo vti ipso licet, vt ceteris omnibus praeceptorum

generibus. Huiuscemodi quiddam significare (vt opinor) voluit, cum in libro, quo vitia exponuntur fallacium conclusionum inquit. ἐστι δὲ καὶ καλῶς, καὶ μὴ καλῶς τοῦτο ποιεῖν: quae enim quoq; res sua vi prosunt, male tractatae, obsunt.

Ἄκος δ' ἐπὶ πάσῃ ὑπερβολῇ τὸ θρυλλούμενον.

In omni autem nimio remedium est mali, illud, quod vulgo fertur.

SCRIPTI calamo libri ἐπὶ πάσῃ ὑπερβολῇ habent, dandi casu: quam lectionem probaui: in excusis antea, patrio casu πάσης ὑπερβολῆς legebatur. Quomodo culpa illa, in quam plurimi incidebant, eorum, qui alijs orationem scriberent, vitari possit, ostendit: ὑπερβολὴν autem hic (nisi fallor) non intelligit quam grammatici appellant, cum aliquid, quod fieri non possit, augendae rei gratia, aut minuendae dicitur: sed hunc esse sensum huius loci arbitror. Remedium non huius tantum mali, sed omnium huiuscemodi vitiorum, cum modus non tenetur, sed iusti finis praetereuntur: id enim significare hic ὑπερβολὴν puto: in quacunq; re aliquis debitam mensuram non seruat. Remedium igitur erit vox, quae circunfertur, & in ore omnium est, προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ: hanc enim intelligit, quae a Quintiliano quoq;, cum & ipse de remedio huiuscemodi mali loqueretur, in viij. libro, vbi de ornatu agit, adducta est: quod enim adiungit Aristoteles. Δεῖ γὰρ αὐτὸν αὑτῷ προεπιπλήσσειν, non peruagata illa vox est, sed confirmatio ipsius, & praeceptum inde sumptum: illam enim, vt omnibus notam, non adposuit.

Δεῖ γὰρ αὐτὸν αὑτῷ προσεπιπλήττειν.

Opus enim est ipsum semetipsum increpare.

DECET ipsum illum, qui dicit, se ipsum voce corripere. Oratorem oportet, cum aliquid parum recte se proferre intelligit, se ipsum castigare. Apud Quintilianum προεπιπλήσσειν legitur, quasi ante quam illud, quod periculosius esse intelligit, proferat, sibi increpare: ἐπιπλήσσειν enim arbitror expressisse Lucretium, cum in iij. libro, diuinam illam προσωποποιΐαν inducens, inquit. Deniq; si vocem rerum natura repente Mittat, & hoc alicui nostrum sic increpet ipsa. Nec multo post iterum. Non merito inclamet magis, & voce, increpet acri.

Δοκεῖ γὰρ ἀληθὲς εἶναι, ἐπεὶ οὐ λανθάνει γε, ὃ ποιεῖ, τὸν λέγοντα.

Videtur enim verum esse, postquam non fallit, quod facit, oratorem ipsum.

CVM hoc fit, quod ab oratore dicitur, quando ipse sibi ipsi correctionem adhibet, verū, rectumq; esse videtur, quoniam oratorem ipsum, quod temptat, non fallit: & tamen id aggreditur, quod si silentio locum illum praeterueheretur, existimari posset lapsus ob imprudentiam esse: nec intelligere illum, quantam rem, quamq; admirandam proferat, quod nunc de illo iudicari nullo modo potest, cum se munire voluerit.

Ἔτι τοῖς ἀνάλογον μὴ πᾶσιν ἅμα χρῆσθαι: οὕτω γὰρ κλέπτεται ὁ ἀκροατής.

Praeterea his, quae proportione sibi respondent, non omnibus simul vti: ita enim artificium fugit eum, qui audit.

MAGNAM semper diligentiam adhibeat orator oportet, ne artificium agnoscatur: quae enim ceteroqui iuuant, si nimia fuerint, vehementer nocent. Supra praecepit, aptam & accommodatam rebus orationem esse debere, neque id nunc mutat: nam ἀναλογία seruanda est: verumtamen posset hoc etiam bonum, nisi modus custodiretur, in vitium verti. quare admonet, ne oratores omnibus eodem tempore, quae sibi ἀναλογίᾳ respondent, vtantur: quod si fiet, vt non cuncta ἀνάλογα sint, & quippiam a ceteris dissentire videatur, fallit res eum, qui audit atq; latet: idest studium oratoris auditorem fugit: nec dolum, qui adhibetur, intelligit.

Λέγω δέ. οἷον, ἐὰν τὰ ὀνόματα σκληρὰ ᾖ, μὴ καὶ τῇ φωνῇ, καὶ τῷ προσώπῳ, καὶ τοῖς ἁρμόττουσιν.

Dico autem, veluti, si verba dura fuerint, ne & voce, & vultu, & ceteris, quae congruunt, duris vtatur.

NEQVIS alicui scrupulus restet, huius praecepti vim copiosius explicabo, inquit. si nomina dura & aspera fuerint, non dura etiam voce & vultu vti oportet: reliquisque omnibus, quae congruunt duris illis nominibus: σκληρὰ autem nomina μεταφορικῶς dici planum est, vt reliqua etiam, quae hic dura appellat: durum enim vocatur, quod ictus repellit: nec facile secari ac

frangi

frangi potest: neq; tamen Aristoteles duram vocem intellexit, vt Cicero (quamuis ambo aliunde transtulerint) qui pro Cn. Plancio inhumanum & immisericors dictum, ita appellauit: vtrunque enim verbum ab ipso alio significatu sumptum est.

Εἰ δὲ μὴ, φανερὸν γίγνεται ἕκαστον, ὅ ἐστι.

Si vero non, perspicua fient singula, quae sunt.

QVOD si non fit, vt quippiam scilicet ab alijs discrepet, latere non potest artificium oratoris: cunctaq; perspicua fiunt: ac ficta simulataq; esse cognoscuntur: & suspectam habere is, qui audit, merito incipit tantam illarum rerum inter se conuenientiam.

Ἐὰν δὲ τόδε, μὲν: τὸ δὲ μὴ, λανθάνει, ποιῶν τὸ αὐτό.

Si autem hoc sane, illud vero minime, non deprehenditur orator, & si idem facit.

SI vero eorum aliquod seruatum fuerit: aliquod autem, tamquam negligentia praetermissum: quod tamen callide relictum sit, non intelligitur consilium oratoris: fallitq; eum qui audit: ac nihilominus tamen efficit orator, quod vult: desideriumq; suum ad exitum perducit: cum enim minime putatur, tunc maxime vtitur artificio, & astuta ratione persuadendi: artificium enim maximum omnium est, tegere ac dissimulare artificium.

Ἐὰν οὖν τὰ μαλακὰ, σκληρῶς: καὶ τὰ σκληρὰ, μαλακῶς λέγηται, ἀπίθανον γίγνεται.

Si igitur, quae sunt mollia, duriter: & quae dura, molliter dicta fuerint, fit, quod prorsus alienum est a persuadendo.

HAEC vis huius praecepti esse videtur. Vt saepe non nulla eorum, quae proportione sibi respondent, relinquenda sunt, ita committi nullo pacto debet, vt oratio discrepet a rebus, de quibus agitur: argumentoque ipsi non conueniat: nam si mollia, duriter (inquit) aut contra dura, molliter extuleris, fide careat oratio necesse est: nec vmquam, quod in animum induxeris, ea ratione persuadeas. semper igitur locutio ἀνάλογος esse debet.

Τὰ δὲ ὀνόματα, τὰ ἐπίθετα, καὶ διπλᾶ, πλείω, καὶ τὰ ξένα, μάλιστα ἁρμόττει λέγοντι παθητικῶς.

Vocabula autem adposita rebus, & duplicia plura, & externa, maxime congruunt ei, qui finem habet perturbare animos dicendo.

FIDEM suam liberat: pollicitus enim supra fuerat se, quo tempore: quoque loco impune, & peregrina, & iuncta, & facta nomina ab oratore vsurpari possent, indicaturum: quod nunc facit. Qui igitur concitate loquitur, sine reprehensione potest plura etiam adposita alijs nomina (quae epitheta vocant) & iuncta itidem plura vsurpare: nec non etiam externa ac peregrina: non tamen tam libere ac large: externorum enim vsum concedit, sed non plurium: epitheris namque iunctisque verbis, consuetudo quoque sermonis vtitur aliquando: copia illorum frequentiaque offendit ac vitio datur. Externorum vero vsus simpliciter, non suis locis receptus, quamuis modicus, vitiosus est: peregrinae namque voces magis, quam illae poësin redolere videntur.

Συγγνώμη γὰρ ὀργιζομένῳ, κακὸν φάναι οὐρανόμηκες, ἢ πελώριον εἰπεῖν.

Ignoscitur enim ei, qui iratus est, si dixerit se malum accepisse οὐρανόμηκες, *siue* πελώριον.

IGNOSCITVR enim (inquit) irato, cum iniuriam, quam accepit, exponens, dixerit se perpessum esse damnum siue flagitium, οὐρανόμηκες, aut πελώριον, cum ingens, aut immensum significare vult: quod scilicet magnitudine sua caelum attingat: vastumq; admodũ sit. Quod ei conceditur, qui ira percitus est: si alius diceret, qui nulla re commotum animum haberet, reprehensione non careret, vel potius merito exploderetur: neque enim ferre possunt aures huiuscemodi verba, cum a sedato animo dicentibus proferuntur, vt ferunt, cum a stomachantibus, frementibusq; dicuntur: neq; tamen tunc etiam non intelligunt vitium insolentiamq; ipsorum, sed veniam dant, quia vident doloris magnitudinem ita eos perturbasse, vt non intelligant, quid agant. οὐρανόμηκες, iunctum verbum esse: πελώριον autem, peregrinum, constat.

Καὶ ὅταν

Καὶ ὅταν ἔχῃ ἤδη τοὺς ἀκροατὰς, καὶ ποιήσῃ ἐνθουσιάσαι.

Et cum tenuerit iam auditores: effeceritque, vt valde commoti animo sint.

PRAETEREA commode etiam his, apteq; vti poterit, cum in sua manu iam auditores habuerit: & animos ipsorum ita affecerit, vt quasi furore illo, qui diuinus esse traditur, agantur: tunc enim illi, quid ab oratore fiat, non attendunt: & imponi sibi aequo animo patiuntur. Hoc significare voluit Cicero (vt arbitror) cum in Oratore inquit. » Id autem tum valet, cum is, qui audit, » ab oratore iam obsessus est ac tenetur: non enim id agit, vt insidietur & obseruet, sed iam fauet, » processumq; vult: dicendiq; vim admirans, non anquirit, quod reprehendat.

Ἢ ἐπαίνοις, ἢ ψόγοις, ἢ ὀργῇ, ἢ φιλίᾳ.

Vel laudibus, vel vituperationibus, vel ira, vel amicitia.

QVOMODO diuinum hunc afflatum inserant in animos eorum, qui audiunt, ostendit: laudibus scilicet, aut vituperijs eorum exponendis: aut ira odioque: aut contra amicitia, ac desiderio erga aliquos, in pectoribus ipsorum excitandis.

Οἷον καὶ Ἰσοκράτης ποιεῖ ἐν τῷ πανηγυρικῷ ἐπὶ τέλει: Φήμην δὲ, καὶ μνήμην.

Quale etiam Isocrates facit in Panegyrico ad extremum. Famam autem, & memoriam.

QVEM locum intelligat, dubitari non potest: ipsemet enim aperte illum demonstrat: mendum tamen, quod hic erat, delere necesse fuit: neq; enim γνώμην locum hic habet, vt in excusis & scriptis codicibus antea legebatur, sed manifesto μνήμην legi debet, vt apud auctorem nunc legitur. nec est, quod quispiam arbitretur verbum hoc illic corruptum ac vitiosum esse: mirifice enim sententiae quadrat, vt quod hic prius positum fuerat, inde alienum est. Exemplum autem hoc est orationis vehementioris, & quae ita cepit animos auditorum, vt faueant ipsi: ac siquid etiam ab eo insolens asperumque prolatum fuerit, animaduersuri & notaturi non sint: ita enim ipsos incendit laude ac spe summae gloriae, vt verba non attendant, sed in cogitatione earum rerum occupati sint, & quasi iam illis frui sibi videantur. Locus totus, ad extremum nobilissimae orationis positus, hic est. » φήμην δὲ καὶ μνήμην καὶ δόξαν πόσην τινὰ χρὴ νομίζειν, ἢ ζῶντας ἕξειν, ἢ πλευ- » τήσαντας καταλείψειν: τοὺς ἐν τοῖς τοιούτοις ἔργοις ἀριστεύσαντας. Excitare namq; Graecos ille, impellereque ad id bellum voluit a fama gloriaque, qua viui erant fruituri: memoriaque, quam mortui posteris erant relicturi; desiderio autem magno earum rerum his verbis inflammauit animos auditorum.

Καί. Οἵτινες ἔτλησαν.

Et. Qui quidem tolerauerunt.

FATEOR hoc exemplum me diu multumque torsisse: nullus autem labor erat inuenire haec verba apud Isocratem, nisi deformata illic fuissent: indicauit enim locum, vbi illa legerentur: verbo vero hoc ipso corrupto: quod exemplum est huius locutionis, vix facultas vlla relinquebatur illum inueniendi: neque enim ex alijs verbis cognosci potuit, cum tacta tantum sententia sit, non tota allata. In oratione autem ipsa, non ἔτλησαν, vt oportuit, sed ἐτόλμησαν, mendose scriptum est: quod manifesto intelligitur testimonio Aristotelis: quamuis enim notio illius verbi sententiae conueniat, non tamen olet illud peregrinitatem, aut poëticam phrasin: est enim tritum in consuetudine sermonis: hoc autem est licentiae poëtarum proprium. Confirmat hanc lectionem, & omnem cuiuis penitus scrupulum euellit, quod, cum idem scriptor in oratione περὶ τῆς ἀντιδόσεως, vbi multos locos ex suis orationibus adduxit, hanc etiam extremam panegyrici partem adponeret, ἔτλησαν illic quoque, vt hic apud doctorem nostrum, legitur, vt admirandum sit hoc verbum integrius in omnibus locis custoditum esse, quam vbi in primis conseruari debuit. locum vero illum, si vllus est, qui hanc grandem excelsamq; orationem requirat, in primis illam flagitare perspicuum est: est enim vehemens admodum illic Isocrates in laudandis factis veterum illorum Atheniensium, fortissimorum virorum: atque ita affecerit animos eorum, qui inde orti audiebant, necesse est, vt si diuino furore correpti ac lymphati forent. » Καίτοι (inquit) πῶς ἂν ἐκείνων ἄνδρες ἀμείνους ἢ μᾶλλον φιλέλληνες ὄντες ἐπιδειχθεῖεν, οἵτινες ἔτλησαν ἐπιδεῖν; & quae sequuntur: ἔτλησαν autem, tolerarunt: perpessi sunt: aequo animo tulerunt: nullo rerum suarum damno commoti sunt: quorum tot incommoda & tam grauia, oculis spectata, animos non fregerunt. Haec intellectum eius verbi aperiunt, non tamen reddunt, quod nunc ab Aristotele illic vere laudatur.

Φθέγγονταί τι

Φθέγγονταί τε γὰρ τὰ τοιαῦτα ἐνθουσιάζοντες· ὥστε καὶ ἀποδέχονται δηλονότι ὁμοίως ἔχοντες.

Sonant enim huiuſcemodi, pleni diuini furoris. quapropter & qui audiunt, recipiunt eodem pacto animo affecti.

ORATORES, qui quaſi mentis compotes non ſunt, huiuſcemodi verba fundunt: quae ij etiam qui audiunt, eodem pacto animo affecti, recipiunt probantq;. Graecam vocem in epiſtola ad Q. fratrem vſurpauit Cicero. Sed abeſt etiam ἐνθουσιασμός. Vim eius expreſſit in oratione pro Archia, Poëtam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu afflari: idem, quod hic tradit Ariſtoteles, ſignificauit etiam Cicero in Oratore, cum, de verſibus loquens, quos in oratione per imprudentiam dicunt, inquit. Sed non attendimus, neq; exaudimus nos metipſos: nam verba quaedam, quae in contentionibus ipſis, ac motu illo animi ſine reprehenſione afferuntur, poſtea ſedatis animis a maleuolis exagitari poſſe, declarauit in eodem libro Cicero, cum ait. Facile eſt enim verbum aliquod ardens (vt ita dicam) notare: idq;, reſtinctis iam animorum incendijs, irridere. Huiuſcemodi autem verba plane intelligit, de quibus nunc agitur.

Διὸ καὶ τῇ ποιήσει ἥρμοσεν· ἔνθεον γὰρ ἡ ποίησις.

Unde & poëſi res congruit: diuinum enim quiddam poëſis eſt.

QVARE (inquit) haec ipſa, & iuncta, & peregrina, & facta verba: quae oratores etiam, cum tamquam diuino ſpiritu afflantur, fundunt, ſtudio poëtarum congruêre. Rationem autem huius rei reddens, ait: poëſis enim diuina quaedam res eſt, & quae egregie in primis tractatur, cum ij, qui illi dant operam, dei pleni ſint.

Ἢ δὴ οὕτω δεῖ, ἢ μετ' εἰρωνείας· ὅπερ Γοργίας ἐποίει.

Siue igitur hoc pacto licet attingere hoc, ſiue cum vtimur ironia: quod Gorgias faciebat.

HAEC, quae magis propria poëtarum ſunt (inquit) aut vſurpari in oratione poſſunt, temporibus, modiſq;, quibus oſtendimus: aut cum diſſimulatione ea, quam εἰρωνείαν vocant, orator vtitur: nam illi quoque, qui aliud dicit ac ſentit, conceditur, vt haec verba, quae ſunt extra conſuetudinem ſermonis, vſurpet. quod ſedulo (inquit) Gorgias Leontinus facere conſuerat. Quod vero hanc conſuetudinem Gorgias habuerit, & cum diſſimulatione vteretur, peregrina & inuſitata verba pronuntiare ſolitus ſit, ſtemus oportet teſtimonio auctoris, cum ex ſcriptis ipſius, quae perierunt, intelligi hoc nullo modo poſſit. in iij. libro de republica, quod ad huiuſcemodi ingenium Gorgiae declarandum non nihil facit, fatetur Ariſtoteles ſe compertum non habere, an quaedam, quae illic ipſe narrat, anquirens ille rem protulerit: ſiue diſſimulatione vtens ac ludens, vel potius vtrique rei ſimul incubuerit. Γοργίας μὲν οὖν ὁ Λεοντῖνος· τὰ μὲν, ἴσως ἀπορῶν· τὰ δ', εἰρωνευόμενος, ἔφη, & quae ſequuntur.

Καὶ τὰ ἐν τῷ Φαίδρῳ.

Et quae ſunt in Phaedro.

VT Socrates ipſe fecit, in eo ſermone, quem habuit de amatorijs rebus in Phaedro, in quo, diuino ſpiritu ſe afflatum ſimulans, fudit grandia verba, & elatiore oratione ſaepe vſus eſt, quod indicauit, etiam dicens. ὥστε, ἐὰν ἄρα πολλάκις νυμφόληπτος, προϊόντος τοῦ λόγου, γένωμαι, μὴ θαυμάσῃς· τὰ νῦν γὰρ οὐκ ἔτι πόρρω διθυράμβων φθέγγομαι, & poſt. Οὐκ ᾔσθου ὦ μακάριε, ὅτι ἤδη ἔπη φθέγγομαι· ἀλλ' οὐκ ἔτι διθυράμβους, καὶ ταῦτα ψέγων· ἐὰν δὲ ἐπαινεῖν τὸν ἕτερον ἄρξωμαι, τί με οἴει ποιήσειν;

Τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτε ἄρυθμον.

Formam autem locutionis decet, neque totam pedibus conſtare, neque vacuam eſſe a numeris.

HAEC ad numeroſam orationem pertinent. σχῆμα λέξεως appellat hic, formam orationis, ſpeciemque continuationis ipſius: neque enim nunc diſſerit de figuris verborum, quas Graeci, dicendi magiſtri, σχήματα λέξεως vocant: & Cicero lumina orationis, & tamquam geſtus vocare ſolet, cum locutio a vulgari & ſimplici more loquendi variatur. ἔμμετρον igitur formam orationis eſſe non vult, ideſt quaſi verſus, certis quibuſdam dimenſionibus aſtringi: nec tamen ἄρυθμον, ideſt

numerorum

numerorum prorsus expertem probat: cuius iudicij sui causam statim affert. Cum hic autem Aristoteles de melioribus orationis numeris agat, quiq; iucundius perueniant ad aures audientium: totumq; hoc, quod numerosum in oratione dicitur, ab eruditis hominibus, qui tempore ipsum consecuti sunt, magnam vim habere existimetur ad gratiam oratori conciliandam: nec non vim etiam, neruosq; argumentis acquirendam, tota res diligentius est animaduertenda: Cicero namque, non in idoneis tantum numeris, pedibusq; id positum putat, verum etiam fieri non numquam, aut luminibus orationis, eorumque concinnitate, aut apta constructione verborum, cum videatur noster tantum, quod ad numeros pertinet, curare: quorum ope aut sententiarum, membrorumq; initia stabilem gradum, auribusq; accommodatum habeant, aut comprehensiones apte, suauiterq; cadant: agit enim nunc de dignitate orationis, specieq; ipsius honesta, quae proficiscitur a numeris. quod vere proprieq; numerosum appellatur, quamuis formas, concinnitatesq; ambituum, membrorumq; diligenter persequatur, intellexeritq; & ipse hanc rem multum valere ad oblectandos animos eorum, qui audiunt: auctoritatemq; sententijs comparandam: nam structuram verborum seorsum, aptamque eorum iuncturam, in qua explicanda recentiores laborarunt, non videtur tetigisse: hic tamen elegantioribus numeris tantum fieri vult, quod auditores oblectet: & in quo aures eorum acquiescant. Cicero autem qui hanc rem erudite: subtiliterq; tractauit, numerosum fieri in oratione tradit, tribus iam a me demonstratis rebus. Cuius etiam iudicij fuit Dionysius Halicarnasseus, qui librum elegantem scripsit de componendis verbis, in quo etiam plura docentur, quae nulla in re discrepant ab ijs, quae a Cicerone, in oratore formando, praecepta sunt: est enim liber ille plenus elegantioris doctrinae, totumque hunc locum copiose, accurateq; explanat, cum affirmet disciplinae huius, quae pertinet ad aptam verborum collocationem, tria munera esse: quorum primum sit, videre, quod verbum cum quo verbo iunctum pulchre, suauiterque strui, ac copulari possit: alterum autem intelligere quomodo omnium, quae constrni, iungique simul debeant, singula formata verba meliorem structuram videri faciant. Tertium vero, si quid forte eorum, quae sumuntur ad eam rem, eget aut expolitione, aut partis alicuius ablatione, scire quo nam pacto, quomodoque ad vsum illum, ad quem capitur, apte conformetur. Quod, vt facilius, quale sit, doceat, & quasi ante oculos eorum, qui audiunt, constituat, vtitur simili artium earum, quae efficiunt aliquid labore atq; opera sua, quod oculis cernatur: idest fabrorum, & aedificandarum domorum, & nauium struendarum: qui enim aedificium aliquod moliendum suscepit, cum materiem omnem comparauit, qua in opere conficiendo vti cogitat, idest lapides, trabes, lateres, tegulasq;, ac reliqua omnia, ad id necessaria, struit iam, componitq; opus ipsum, tria haec curans, summoque studio attendens: cum quo scilicet potissimum lapide, materiaque, aut latere, quem lapidem, aut lignum, aut laterem construere oporteat. Postea quo nam pacto singula illa, quae adhibentur, copulari iungique debeant: quoque sui latere, parteque firmiorem sedem, stabilioremque habeant. Tertium vero est, si quid non bene cohaerere cum alio potest, abscindere inde, remouereque, quod obstat, aut adiungere, quod ad idem efficiendum valeat, ac deesse illic videatur, atq; ita ipsum eiusmodi efficere, vt firme considat, apteque alij applicetur: quod etiam seruari a fabris naualibus in aedificanda classe tradit. Eandem autem rationem esse huius structurae nominum, verborum, reliquarumq; partium orationis pluribus docet: bene namque compositae orationis causam esse vult aptam eorum iuncturam, quae quidem tribus rebus diligenter seruatis efficitur: aut apta scilicet nominum collocatione (haec vero custoditis item tribus illis efficitur: quibus significandis, aperteque explanandis, vtile esse censuit superiorum artium rationem tradere: quidque illae facerent, demonstrare) aut membrorum, incisorumque eleganti iunctura: magni enim interest quo ordine illa vna collocata sint: vt enim bene structa membrorum collocatio, & suauitatem non paruam auribus gignit, & vim acquirit orationi, ita haec res negligenter tractata vtrique rei obest: offendit namque aures, & languentem, fractamq; orationem reddit. Tertium positum est in formis, & tamquam luminibus orationis: sunt namque in verbis, eorumque certo quodam ordine splendores non parui, qui & ipsi si adhibiti sint, sua sponte, nulla oratoris aperta industria, oblectant mirifice aures auditorum: nec tantum verborum haec concinnitas adiuuat hanc partem, verum etiam conformatio sententiarum, speciesq; ipsarum idem praestat, quod accurate docetur ab erudito hoc scriptore. Immutantur autem manifesto, atque aliter conformantur membra comprehensionum, vt concinnitas haec efficiatur, cum aut aliquid alicui membro additur, vt par, aequaleque alteri sit, quod ad sententiam explendam non necessarium esse videbatur, aut inde quippiam demitur, si forte sententia plene exposita, efficiat id membrum prolixius, quam oporteat, nec respondeat mensurae reliquorum, quae eadem comprehensione continentur. Vt autem, reliquis nunc duabus rebus relictis, quod ab Aristotele hic quaeritur, numeros orationis videamus: numerum esse dixerunt veteres musici, & qui artem eorum numerorum tradiderunt, temporum ordinem: tempus vero esse voluerunt particulam pedis, aut minimam vocis mensuram.

Plato,

Plato, idem euoluens, motus ordinem definiuit. Longinus vero quidam, magister dicendi magni nominis, Plotini auditor, Porphyrij doctor, affirmauit numerum hunc oratorium esse metri spiritum: vt autem concentus est consensus rerum differentium, acuti soni & grauis, ita numerus hic, celeris & tardi motus consensus est. nam inter metrum, ac numerum non paruum discrimen esse plures & Graeci, & Latini scriptores docuerunt: ac qui diuersas has res confudere, pro eodemq; cepere, valde peccasse ostenderunt: metrum namque, vbi syllaba non est, locum habere non potest: numerus autem hic & in syllabis inuenitur, & sine illis manet: & sonus namque fabrorum ferrariorum, cum incudem tundunt, & motus, crepitusq; digitorum & auium volatus, huiuscemodiq; alia multa rhythmum habere existimantur. Praeterea metrum certa, ac fixa tempora habet: productum scilicet, ac correptum communeue: rhythmus vero, vt ipsi commodum est, tempora ducit: saepe enim breue tempus longum facit: contraque productum corripit: quae causa fuisse existimatur, vt, quia tantum sibi permitteret, ac nihil definiti haberet, vocatus sit spiritus metri a Longino: vt a nostrae gentis hominibus, qui rebus his student, eadem fortasse de causa, aër cantus vocetur, quia potius iudicium aurium sequantur, quam normam aliquam certam, qui eo vtuntur. Totum hoc accurate quoq; tradiderat Porphyrius, vt Simplicius in commentarijs in categorias refert, qui cum syllabas breues ac longas, natura tales esse, ostendere vellet, non ita appellari, quia longo aut breui tempore dicerentur, nulla re alia discrepare metricum a rhythmico dixit, nisi quia eorum alter naturalibus longitudinibus vtitur: alter vero immutat libere naturas vtriusq; temporis: cum enim rhythmicus metrum, quod e dactylis constet in paeonium numerū vertit, longis syllabis vtitur, vt breuibus: & quandoq; etiam contra breues producit. Qui vero poëma condit, ac ratis, definitisq; mensionibus astrictus est, cum difficultate premitur, & audere aliquid cogitur, elementa ipsa Graeco in sermone immutat. exempli gratia, quod ξηρὸν erat, secunda eius nominis littera variata, ξερὸν dicit, & Διόνυσον aucta tertia, temporeque illi addito Διώνυσον. Cum igitur tantopere inter se differant metra a numeris, ac longe diuersas inter se rationes habeant, factum est, vt alterum eorum ab oratoribus reciperetur & in omni soluta oratione locum haberet: alterum vero penitus repudiaretur, nec sine magna ipsius labe posset admitti: neque tamen ita omnino numeros cepisse videtur Cicero (quod etiam de Aristoteleis rhythmis dici potest) vt rhythmici ipsi, magistri ipsorum, acerrimiq; obseruatores capiebant: neque enim, quod ipsi libere faciunt, tempora pedum Cicero commutat, sed pedes potissimum illos in oratione adhiberi vult, qui temporibus constent, aptis rebus illis explicandis: idest celeribus, aut tardis, vt natura ipsarum est, tractarique illae debent, & qui conueniant, aut initijs, aut clausulis membrorum: numeros autem potius, quam pedes vocare videtur, quia non vnius tantum tempora pedis intelligit, sed minimum duorum, saepe etiam plurium, vt duorum, triumue pedum concentus, numerus haberi debeat. Vnde etiam narrat Quintilianus Ciceronem solitum a nonnullis reprehendi, quod orationem constare numeris oportere diceret, tamquam ipsam ad rhythmos alligaret, qui censerent ipsum ita numeros accipere, vt rhythmici ipsi suos rhythmos capiebant: praecipue autem vocem illius solitam incessi, quod dixisset Demosthenis fulmina non tantopere vibrari potuisse, nisi numeris contorta ferrentur: a qua etiam culpa non putat se posse ipsum tueri, si omnino rhythmos intellexit, potiusq; cum aduersarijs sentire cogi: cuius etiam rei rationem reddit, docens ita rhythmos ab ipsorum auctoribus tractari, vt eodem pacto in soluta oratione adhiberi non possint: idemq; etiam cognitum habuit (de quo supra a me citatis testimonijs magnorū auctorum actum est) omnium verborum tempora contra ipsorum naturam modulatione produci, aut corripi posse, quod nullo modo auderent oratores, sed studiose aucupari verba solere, interuallis illis praedita, quae rationi ipsorum, temporique conueniant: aut idem collocatione eorum, ordineque praestare, si forte aliena illa sint a numeris, quos sectantur. Cum autem inter metra, ac rhythmos tantum intersit, inde etiam optimus auctor abesse a versu orationem, nec certis mensuris illigari voluit, nec tamen carere numeris, ac similitudine quadam cantus oportere existimauit: cum autem, qui maxime numeri illi exornandae apti forent ostenderet, quamuis alios quoque non nullos funditus non eijciat, paeanas tamen in primis probauit, & cum initium maxime, ac finem membrorum numeris adiuuari vellet, contraria eius pedis genera contrarijs locis opportuna esse docuit, & principium namque conuersionum stabilem gradum habere, & easdem in graui syllaba, perfectaq; insistere voluit: nec tamen putare possumus ipsum hoc perpetuo seruari voluisse: multa enim inde, magnaque incommoda sequerentur: quae & a posterioribus significata sunt, & facile a tanto viro intelligi poterant, sed cum, quem maxime probaret, edere cogeretur, paeana omnibus praeposuit: bonis etiam, quae in eo sunt, indicatis. Quare, qui pares huic sunt assimilesq;, posse pro illo capi sine periculo videntur, ac non modo non contra ipsius iudicium, verum etiam illo ipso auctore: nam in tenuibus rebus exponendis iambo locum recte esse posse, quis non fateatur? & contra amplioribus negotijs tractandis idoneum dactylum ac spondeum? quamuis autem hunc ipsum numerum Cicero

non

non improbaret, alios tamen ei praeponendos censuit, & a iudicio Aristotelis libere dissensit, qui ipsum, vt optimum, semper probauit: ipse namque dichoreo praecipue delectatur: quod, praeter quam, quod ipse met aperte testatur, scripta quoque eius declarant, in quibus hic numerus saepe comprehensiones claudit, sed idem etiam cretico multum tribuit, qui non numero syllabarum, sed temporum mensura par est paeani: ex longa enim & breui, & longa conflatus est, cum paean quattuor syllabis constet: vnde simplex non esse pes intelligitur: simplices namque pedes trium syllabarum numerum non excedunt, vt verius ille numerus, quam pes, dicatur: quo etiam nomine summum doctorem Cicero reprehendit, quod, qui plures habeat, quam tres syllabas, in pedibus numerarit: duobus autem his antelatis, ceteris omnibus paeana praeponere Cicero videtur, nam contra eundem quoq; accurate disputauit, causam, quae persuasit illi, vt maxime accommodatum clausulis eum existimaret, non probans, quae erat, quod extremam productam syllabam paean hic habet: valdeq; contumeliosa voce in tantum virum vsus est, eum vidisse parum dicens, cui omnes fatentur res etiã occultissimas cognitas, ac perspectas fuisse: ne-
» gat enim quicquam ad rem esse postrema quam longa sit: & sane cuncti, qui de metris scripserunt in omni genere versus, nihil ad rem esse dixerunt, extrema syllaba longa sit, an breuis: significantes (vt opinor) legem carminum non impedire duorum ne temporum, an vnius sit postrema syllaba, auresq; ferre posse qualiscunq; ea fuerit: nam, nihil discriminis omnino inter illas intelligi, nullo modo arbitror eos putasse, cum manifesto mora longior sit, si duorum, quam si vnius temporis syllaba proferatur, quamuis breuis adiuuari videatur, sustineriq; spatio illo inani inter finem antecedentis, initiumq; consequentis versus, quod ita aliquid ei temporis accrescat. Hoc etiam Quintiliano visum est, qui a Ciceronis iudicio dissentiens, contra id ipsum
» copiose disputauit, scribens. Neq; enim ego ignoro in fine pro longa accipi breuem, quod vi
» detur aliquid vacantis temporis ex eo, quod insequitur, accedere: aures tamen consulens meas,
» intelligo multum referre, vtrum ne longa sit, quae claudit, an pro longa. Quod etiam exemplis confirmat, docens pleniorem esse clausulam, quae spondeo constet, quam, quae choreo. quod si nihil omnino referret correpta, an producta sit vltima, non duobus nominibus appellari, sed idem pes haberi deberet, cum tamen iudicio aurium liquido intelligatur longe alium eorum sonum esse. vnde non defuisse tradit non nullos, qui longae postremae tria tempora darent, vt illud, quod breuis accipit ex inani spatio, quod dixi, productae quoque syllabae, quae in extremo collocata est, accederet: eadem ratione, qua versus, solutaeque orationis membra vocibus aut vnius, aut duarum syllabarum constantia, relinquere in medio dictionum illarum plura tempora eruditi scriptores tradiderunt, ac negotijs lentis exponendis apta esse, imitarique eorum tarditatem sua prolixitate: & contra, quae verbis longioribus ac multarum syllabarum constent, celeriora esse, atque alicuius facti velocitatem exprimere, quod rara vacua tempora in medio paucarum illarum vocum interiecta habeant. Sed, vt locum ipsum Ciceronis, quem non plane probat Quintilianus, accuratius videamus. an intellexit Cicero quoq; extremae correptae temporis aliquid accedere? atque ita e breui longam fieri? quod etiam in producta eadem de causa vsu veniat, quia par tempus ipsi quoque ex inani illo interuallo, ac mora adhaereat, vnde
» productior adhuc fiat: idq; significauit, cum inquit. Quoniam nihil ad rem est postrema quam longa sit: longã enim appellat, quae breuis natura erat: deque illa, vt longa, cum additum illi tempus sit, loquitur: nec non magis minusq; longam inueniri ostendit. Quod tamen animaduertisse Quintilianus non videtur: hunc enim arbitror sensum eorum verborum. Si longa extrema syllaba fuerit, adiuncto ipsi tempore, cum antea breuis foret, recte illic manet, nec quicquam ad legem versus, & aurium iudicium refert, duorum ne temporum, aut trium sit: idest posterior ne illa syllaba tempus longae superet, an consueto spatio, atq; interuallo contenta sit. Sonorum autem omnium optimum iudicem esse potuisse Aristotelem facile intelligimus, cum musices etiam, modorumque, vt reliquarum ingenuarum artium peritissimus fuerit, quod percipitur manifesto ex ijs, quae subtiliter eruditeq; ad harmoniam pertinentia disputauit: vt omittam, quae de ijsdem rebus in viij libro de rep. disseruit, sed in numero etiam librorum, quos Aristoteles scripsit, exponendo tradidit Laërtius, ipsum de arte musica vnum edidisse: quamuis Cicero quoque, quod ad numeros orationis facit, egregie cognorit, atque intelligatur certo huius ipsius rei studiosissimus fuisse: multumq; sibi, quod in dicendo idoneos numeros adhiberet, ac viam rationemq; eorum traderet, placuerit. Neque ego me arbitror posse inter tantos viros, leuiter inter se dissentientes, sententiam ferre: nec tantum mihi stulte arrogo, qui si sententias eorum percipere potuero, non parum mihi, in tanta harum rerum nostri corporis obscuritate, inscitiaq; fecisse videbor: cum enim a non nullis adhuc bonis artibus caligo, quae superioribus temporibus offusa est, pelli non potuerit, haec in primis in tenebris latet, atque altius obruta est. Potuit disciplina quoq; diuersarum aetatum iudicia ipsorum variare, cum Cicero nimis Asiatico generi dicendi deditus fuisse quondam existimatus sit, quod numeros mobiliores adhibebat: vnde cum Aristoteles choreum pedem improbet, vt nimis celerem, ac paene

currentem

currentem, ipse numero in primis illo delectatur, frequenterq; eum vsurpat, qui e geminato choreo constet, atq; inde dichoreus appellatur. Halicarnasseus, qui virtutes ac vitia componendorum verborum diligenter quaesiuit, & huius rei accuratus magister fuit, naturā omnium simplicium pedum demonstrauit: quiq; ex illis grandes atque ampli forent, & qui contra minuti atq; humiles, docuit: nec vnum, aut alterum, ceteris neglectis, vtilem esse voluit, sed conuenire illos maioribus negotijs tractandis: hos vero tenuioribus rebus indicandis testatus est: exemplisq; positis optimorum auctorum Thucydidis, Platonis, Demosthenis, id verum esse confirmauit: qui in grauioribus rebus oratione explicandis, grandioribus pedibus amplioribusq; semper vsi sunt: neque huic, aut illi tantum addicti fuere. Quod si quando illis necessitas imposita foret abiectiorem aliquem, molliorемq; pedem admittendi (neque enim omnes res nominibus appellatae sunt, quae grauibus aut honestis pedibus constent, sed non paucae verbis ostenduntur humilioribus ac languidioribus, si interualla, quibus praedita sunt, spectes) huic malo remedium adhibebant, illosq; ipsos abiectos, fractosq; numeros coniunctione grandiorum seueriorumq; occulebant: vt vicinis illis, ex omniq; latere circumfusis, humilitas illorum, mollitudoq; non appareret: vnde etiam, vt alij pedes alijs crebriores in oratione sint, non tantum certorum verborum, pedibusq; illis, sua vi ornatorum, conquisitione fieri certum est, quantum transmutatione verborum, & collocatione, vt & ab Halicarnasseo, & a Quintiliano planum factum sit e grauibus & seueris versibus, leues ac teneros fieri, verborum ordine tantum immutato: nulla alia de causa, nisi quia pedes variantur in diuersa nominum structura, ac longe alij fiunt.

Τὸ μὲν γὰρ, ἀπίθανον: πεπλάσθαι γὰρ δοκεῖ, καὶ ἅμα καὶ ἐξίστησι.

Hoc enim nullo modo aptum est ad persuadendum: fictum namque studiose videtur: simulque eicit e potestate, auertitque a re eum, qui audit.

QVAE enim (inquit) certis mensuris distincta est oratio, persuadere nullo modo potest: summo namque artificio conformata intelligitur: hoc autem valde alienum est a facienda fide. sed aliud etiam non paruum vitium in se habet, quod a rebus, de quibus agitur, auditores abducit. quomodo autem id fiat, & quo traducat, breuiter ostendit. Huiuscemodi quippiam significare voluit Cicero in Oratore, cum & ipse, de eodem compositae orationis incommodo disserens, » inquit. Detrahit praeterea actionis dolorem: aufert humanum sensum actoris: tollit fundi- » tus veritatem & fidem: quamuis bona, quae in se actor habet potius corrumpere eam dicat, quam a rebus grauibus ad elegantias festiuitatesq; orationis considerandas animum auditoris traducere, quod Aristoteles ipsam efficere declarat. nam hanc sententiā esse horum verborum plane arbitror, & hunc ex illis sensum Phalereus quoque elicuit: qui eundem paene locum » persequens, inquit: τῇ γὰρ περιαυτολογίᾳ, μᾶλλον δὲ κακοτεχνίᾳ, προσέχων ὁ ἀκροατὴς, ἔξω γίνεται θυμοῦ παντός: significans eum, qui audit, dum inane illud ornandi studium, vel prauum potius artificium attendit, atq; eo mentem conuertit, abijcere ex animo omnem iram, qua commotus erat contra reum, ex atrocitate illa rerum, delinitum ea suauitate. Tertio autem membro Cicero peritiores melius iudicabunt: duarum enim, quae huius rei hic traduntur causarum, priorem tantum illic videtur attingere. Ἐξίστησι valet hic, auocat auditores a materia, de qua agitur, causaq; ipsa, ad concinnitates orationis. Phalereus, si idem omnino exprimere voluit, e commotione eripit, & quasi incendio animorum eum, qui audit, intellexit.

Προσέχειν γὰρ ποιεῖ τῷ ὁμοίῳ, πότε πάλιν ἥξει.

Facit enim, vt mentem conuertat ad simile, quando iterum veniet.

QVASI enim (inquit) arrectis auribus stare facit, & expectare quando par illi simileque ad aures ipsius accedet. ἥξει autem, veniet, translato ab animantibus verbo, quae pedibus gradiuntur: » idest ex oratoris ore exibit. vt Sophocles in Oedipode tyranno. Ἀλλ᾽ εἰ λέγει μέν τοι τοῦτο τοὔνειδος » τάχ᾽ ἂν ὀργῇ βιασθὲν μᾶλλον ἢ γνώμῃ φρενῶν. Sed alio etiam in loco idem tragicus in eadem fabula. M. quoq; Cicero eodē pacto vsus est Latino, quod huic respondet in Partitionibus, vbi inquit. » Nam quae venientibus malis obstat, fortitudo. in epistola quoq; M. Antonij ad Hirtiū & Cae- » sarem dictum est Bellum quo veniat, & Demosthenes etiam ita locutus. εἰ δὲ δὴ πόλεμός τις ἥξει. Dum autem in hac cogitatione toti occupati sunt, ac paene prouident, quo actor peruenturus sit, ante ipsum saepe verba illa pronuntiant: quod facere passim videmus (inquit) pueros, qui verba praeconū praeripiunt, quibus vtuntur in tralaticijs edictis: nam posse hoc intelligi etiam ab imperitis & solitum euenire, ostendit Phalereus, qui de locutione veterum sophistarum, quae tota constaret e periodis, disserens, ait aliquando etiam, qui audiunt, edere ante ipsos, extremas partes finesq; comprehensionum ipsarum, & prius quam ab oratore exierint, clamitare: cum praesentiant, quid dici ab illis debeat. nam vltimas partes edictorum, antequam praeconis ore emittantur, pueros etiam nostros solere clara voce efferre, notum est.

Ὥσπερ οὖν τῶν κηρύκων προλαμβάνουσι τὰ παιδία τό, τίνα αἱρεῖται ἐπίτροπον ὁ ἀπελευθερούμενος, Κλέωνα.

Quemadmodum igitur pueri anticipant praecones, quem sumit patronum, qui manumittitur, Cleonem.

VT totam rem magis explanet: quantamque vim habeat ad animos eorum, qui audiunt a causa abducendos, artificiosa nimis oratio, & quae certis definitisq; numeris vtatur, aperte doceat, simili quodam vtitur: contingereq; ea in re inquit, quod vulgo accidit, cum pueri prouident, quae praecones edituri sunt, & ante ipsos pronuntiant: qui enim huiuscemodi orationis auditores sunt, quae dimensiones certas statasq; habent, & ipsi intelligentes quo res peruentura sit, & auide expectant illas, & saepe ante illos ipsos enuntiant. Idem hoc aliquando vsu venire in membris ambituum, quae similiter desinunt, significauit Longinus, quem locum videtur accepisse a nostro hoc auctore: parereq; studium illud tantum incommodi inquit, vt praesentientes, qui audiunt, terminationes futuras, ipsi prius eas, quasi succinant, vt in cantorum choro fieri mos est. Vt hinc autem percipere licet, serui, qui in libertatem vindicabantur, tutorem aliquem sibi apud Graecos asciscebant: eiusque nomen praeco clara voce pronuntiabat. intelligentes igitur pueri Cleonem potissimum appellatum iri, ante praeconem ipsum Cleonis nomen clamabant. Dionysius quoq; Longinus, grauis scriptor, & magni iudicij vir, in libro, quem inscripsit περὶ ὕψους, ad extremum, vbi enumerat multa, quae aduersantur generi dicendi excelso & amplo, in alijs etiam inquit, extenuare ipsum ac conterere numeros quosdam pedesque fractos & eneruatos: qui numeri in dicendo efficiant idem, quod praestant cantilenae quaedam lyricorum: vt enim illae auditores abstrahunt a re, rapiuntq; ad se, sic, quae exponuntur malis numeris vitiosisq; deprauata, non motum orationis inserunt in aures eorum, qui audiunt. sed numeri illius, ita vt aliquando ipsi praesentientes, terminationes eas ante illos, qui verba faciunt edant, vt in grege cantorum crepidinem eam, terminumq; ambitus. Articulum autem, qui in excusis eodem casu Κλέωνα antecedebat, sustuli: in nullo enim scripto libro repperi: nec sane manere illic commode videtur posse. Animaduertendum praeterea similitudinem, ἀνταπόδοσιν non habere, sed ijs, qui legunt, relinquere Aristotelem, vt reddant, quod collationi huic perficiendae necessarium est: non enim id obscurum incertumq; est.

Τὸ δὲ ἄρυθμον, ἀπέραντον.

Quod vero vacuum est a numeris, infinitum est.

QVAM culpam sustineat alterum genus vitiosae orationis, quod ἄρυθμον appellauit, significat, ἀπέραντονq; esse dicit: idest fine, & termino carere. id autem nullo modo probat: vt enim quae certos quasi fines terminosq; habet, ita eam, quae nullis terminis clausa est, reijcit.

Δεῖ δὲ πεπεράνθαι μέν, μὴ μέτρῳ δέ: ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον.

Decet autem extremum habere, finirique orationem, non tamen certa mensura: iniucundum enim est, intelligiq; non potest, quod infinitum est.

OPORTET autem (inquit) orationem terminari: non tamen exquisita quadam certaq; dimensione, cuiusmodi metrum est: supra enim damnauerat, & minime omnium aptam oratori hanc dictionem esse affirmarat. nunc etiam ingratum & iniucundum esse dicit, quod finem nullum, neq; vltimum habeat: & praeter quam quod insuaue est, cognosci etiam non posse. Huic autem vitio haeret oratio, quae rhythmo vacat: est enim rhythmus finis ac terminus quidam mirifice aptus solutae orationi. Qui igitur certis pedibus tamquam poëma, definiebant orationem, non peccabant in eo, quod orationem termino includebant (claudi enim illa omnino definiriq; debet) sed culpam non paruam admittebant, quod aptos idoneosque prosae orationi terminos non adhibebant.

Περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα: ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμός, ῥυθμός ἐστιν.

Terminantur autem cuncta numero: numerus autem formae locutionis rhythmus est.

CVNCTAE enim res (inquit) ἀριθμῷ finiuntur: hic autem ἀριθμὸς formae orationis, rhythmus est. Cum autem Latini boni auctores, nomine generis, vt Aristoteles vult, rhythmum numerum appellarint, quomodo hic locus commode Latine reddi possit non video, nam si ἀριθμὸς numerus reddatur, perturbetur lector necesse est, cum sciat rhythmum etiam, de quo hic disputatur, numerum

numerum appellari: & haec causa fuit, cur Graecis nominibus vsus sim: non defuerunt tamen inferioris aetatis interpretes, qui, vt seiungerent ipsos, rhythmum, oratorium numerum verterunt. Hic autem ordo videtur esse totius argumenti, quo numerosam orationem esse oportere confirmat, rhythmi genere illo reiecto, quod proprium est studij poëtarum: metro scilicet: ipsum enim quoq; rhythmus est: cum enim locutionis ipsius suo in cursu formae numerus finisq; rhythmus sit, concluditur orationem, quae rhythmo vacet, vacare etiam numero: cum vero res omnes numero terminentur, ea de causa infinitam esse: indeq; iniucundam: quaeq; non satis percipiatur, ostendit: in exquisitioribus enim libris ab eo demonstratum est, quod fine caret, vt infinitum cogitatum, cognosci non posse. Rhythmum autem, numeri, idest ἀριθμῦ, partem esse, significauit etiam in problematibus: vbi rationem afferens, cur cuncti mortales rhythmo oblectentur, inquit id fieri, quia ille notum & ordinatum ἀριθμὸν habet: mouetq; nos ordine temporis seruato. quae res apta naturae est: ideoq; iucunda.

Οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά.

Cuius & metra segmenta sunt.

CVIVS, rhythmi scilicet, metra poëtarum sunt particulae, quod inde abscissa sint: metrum enim rhythmi pars est: astrictior namque rhythmus est.

Διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή: ποίημα γὰρ ἔσται.

Unde rhythmum habere oportet orationem: non autem certam mensuram: poëma enim erit.

CVM planum iam factum sit, neq; ἔμμετρον, neque ἄρυθμον orationem esse debere: demonstrataque sint vitia vtriusque locutionis, mediam quandam viam sequendam statuit, & certas illas dimensiones fugiendas: docens, qui hoc non caueret, in poëma incisurum: numerum tamen, sed ne eum quidem certum, semperq; eundem, retineri iubet. Hunc locum expressit manifesto Cicero in Oratore, cum, facto praeclaro antea de Aristotele testimonio, adiunxit. Is igitur
» versum in oratione vetat esse: numerum iubet: versum autem orationem habere dixit, quae esset ἔμμετρος: habebat enim numerosa oratio plurimos, & acerrimos aduersarios, quos cum auctoritate doctissimorum & grauissimorum virorum etiam refellere vellet, confugit ad Aristotelem: quod etiam fecit Dionysius Halicarnasseus, in libro de compositione verborum: cum enim ab eadem causa staret, huius maxime loci auctoritate, qui dissentirent, confutare se posse existimauit.

Ῥυθμὸν δέ, μὴ ἀκριβῶς: τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν μέχρι του ᾖ.

Rhythmum autem, non exquisite. hoc autem obtinebitur, si quodam tenus factum fuerit.

HVNC etiam ipsum rhythmum non exquisite habere debet, & quasi adamussim: ἀκριβῶς autem non male exquisite reddi opinor: nam quas ἀκριβεῖς τέχνας Graeci, Cicero artes exquisitas vocauit: commode etiam aliquando: huic certe loco aptius, astricte: eandem enim sententiam re-
» ferens Cicero in iij. de Oratore inquit. Non astricte, sed remissius numerosam esse oportet. Cum autem se difficilem quandam rationem postulare intelligeret, demonstrat, quomodo illa seruari possit: nam hoc fiet (inquit) nisi nimis curiosus quispiam in hac re fuerit, & cum aliquantulum numerorum suauitati indulxerit, ex nimia illa & morosa eorum obseruatione se liberarit. Hunc locum videtur intellexisse Demetrius, cum inquit: debere nos, nisi exquisite paeanas pedes adhibeamus, ita tamen orationem struere, vt multum retineat eius numeri, & paeanica omnino sit: addidit enim hoc Aristotelem ipsum videri praecipere.

Τῶν δὲ ῥυθμῶν, ὁ μὲν ἡρῷος, σεμνός.

E numeris autem, herous grandis est, dignitatisq; plenus.

HEROVM appellat, dactylum & spondeum: ambo enim heroico carmini familiares: nam de dactylo dubitari non potest: hic enim pes maxime huic generi versus dignitatem, atque am-
» plitudinem affert. Quintilianus libro ix. Et herous, qui est idem dactylus, Aristoteli amplior. Demetrius, vbi & ipse de numerosa oratione differit, heroum spondeum vocasse videtur: quod exemplo posito ab eo, perspicuũ fit: ex productis enim syllabis constat. Pro eodem autem pede ponuntur, quia, quamuis syllabis discrepent, temporibus tamen inter se congruunt. In iij. de

Oratore Cicero anapaestum etiam heroi nomine contineri tradit: ipse enim quoq; internallis par est superiorib. duobus, nec omnino ab heroico carmine excluditur, quamuis in eo frequens » sit. Quare primum ad heroum nos dactyli, & anapaesti, & spondei pedem inuitat: & quae sequuntur. Aristotelem autem intelligit, quem tamen, quomodo nos inuitare ad hos pedes dicat, quos hic aperte fugiendos praecipit, non video: ipse certe in Oratore, cum eundem hunc locum exprimeret, cum Aristotele sentit, & hunc pedem prosae orationi parum aptum esse tra- » dit. verba ipsius haec sunt. Quod longe Aristoteli videtur secus, qui iudicat heroum nume- » rum grandiorem, quam desideret soluta oratio: sibi igitur ipsi aduersatur. Dicerem locum eum deprauatum esse, ne confiteri cogerer Ciceronem, cum libros illos scripsit, peruerse praeceptum hoc accepisse, & in re tanti momenti lapsum fuisse: siue memoriae vitio, negligentiaq;, quod a scriptore hoc dictum numquam fuerat, litteris mandatum affirmasse: mendosum tamen illum non esse confirmat, quod in eodem libro post de heroo, vt de recepto, probatoq;, lo- » quitur: inquit enim. Neque vos paean, aut herous ille conturbet, ipsi occurrent orationi: ipsi, » inquam, se offerent, & respondebunt, non vocati: infraq;. Eorumq; verborum iunctio nascatur a proceris numeris, ac liberis, maxime heroo, & paeane priore, aut cretico. Quamuis autem lectionem non variarim: quid tamen in antiquissimo libro, diuersum ab excusis, inuenerim, indicabo: habet enim ille, τῶν δ' εὐρύθμων: quam scripturam manifesto sequitur vetus tralatio, vt fortasse εὐρύθμους vocarit numeros, pedesq; aptae orationi idoneos: nam in orationem solutam omnes cadere manifestum est, & testimonio optimorum scriptorum confirmatur: praesertim, cum, paucorum natura exposita, dicat restare solum paeana. Duodecim autem esse simplices pedes accurate ostendit Halicarnasseus: ab eoq; acceptum Quintilianus refert. Si vera est igitur haec lectio, secum Aristoteles diligenter perpenderat naturam omnium pedum: reliqueratq;, quos penitus alienos putabat ab oratione soluta, sed eorum etiam ipsorum, quos recte recipere illam certis temporibus existimauit, partitionem fecit: neq; enim omnes eandem vim habere, atq; idem praestare intelligebat, e numeroq; horum ipsorum iubet omitti, natura eorum aut nimis grandi, aut nimis humili, abiectaq; demonstrata, siue parum virili ac molli, quos heroi nomine appellat, & iambum, & trochaeum: quae fortasse Ciceroni causa fuit peccandi: videns namq; eos primo aspectu εὐρύθμους vocatos, credidit ipsos omnibus locis laudatos, atq; alijs pedibus praepositos: non animaduertens accurate, quid de illis statim Aristoteles praeciperet: quamuis vix ita Cicero decipi potuisse videatur: nam si ita legendum hic est, non magis εὐρύθμους appellauit tres illos, quos heroi nomine significat, quam iambū, ac trochaeum, quos Cicero tunc » etiam cognouit ab Aristotele repudiatos: inquit enim. Nam cum sint numeri plures, iambum » & trochaeum frequentem, segregat ab oratore Aristoteles, qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemq; nostrum. Vt siquis omnino quaerat, quae res in errorem Ciceronem rapuerit, potius credi debeat causam illi praebuisse labendi, quod vidit eum numerum vocatum σεμνὸν: id enim videtur laudis esse: infra enim quoq; huiuscemodi quippiam habere illam oportere tradit, dicens. δεῖ δὲ σεμνότητα κινῆσαι. Potuit ita suauiores pedes vocare Aristoteles: εὐρύθμουςq; dicere, intelligens illos, cum alijs collatos, magis aures oblectare: superareq; reliquos iucunditate quadam, quā sua vi obtinerent, quamuis non omni generi orationis apti forent, sed eorum alteri, qui granditatem in se habent, rebus tenuibus mediocribusq; exponendis parum idonei essent, vt humiles contra, aut molles nullo modo rebus grandioribus quadrarent, sed poscerent parem sibi materiem, ac narrationem. Halicarnasseus in libro de collocatione verborum, cum orationem solutam recipere numeros, atq; illis ornari probare vellet, vtereturq; auctoritate huius philosophi, ita locutus est, vt videatur aliquantum hanc scripturam confirmare.
» Καὶ ὅτι ἀληθῆ ταῦτά ἐστι, καὶ οὐδὲν ἐγὼ καινοτομῶ, λάβοι μὲν ἄν τις καὶ ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους μαρτυρίας τὴν πίστιν:
» εἴρηται γὰρ τῷ φιλοσόφῳ τά τε ἄλλα περὶ τῆς λέξεως τῆς πολιτικῆς ἐν τῇ τρίτῃ βίβλῳ τῶν ῥητορικῶν τεχνῶν, οἵαν
» αὐτὴν εἶναι προσήκει. καὶ δὴ καὶ περὶ τῆς εὐρυθμίας, ἐξ ὧν τις τοιαύτη γένοιτο: ἐν ᾗ τοὺς ἐπιτηδειοτάτους ὀνομάζει
» ῥυθμοὺς, καὶ τὴν χρήσιμος ἕκαστος αὐτῶν καταφαίνεται. καὶ λέξεις παρατίθησί τινας, αἷς πειρᾶται βεβαιοῦν τὸν λόγον.
Cum igitur tradat ipsum disseruisse περὶ τῆς εὐρυθμίας, praeter quam, quod idem paene nomen vsurpat, ostendere videtur eū collegisse omnes elegantiores rhythmos: nam, quod addit ipsum nomine appellare cunctos aptissimos eleganti orationi numeros, aut sex hos intelligit, in illisq; complectitur quinque, quos non omnino videtur hic probare Aristoteles: aut, cum multitudinis numero vtatur, paeana, qui est duplex, significat. Paeanes enim maxime accommodati esse, & omni vitio carere dicti sunt: quod enim adiungit Halicarnasseus, quibus etiam in locis apti illi, vtilesq; sint, Aristotelem quoq; indicare, mirifice quadrat huic sententiae: neque enim de alijs vllis numeris, nisi de vtroq; paeane, hoc facit, declarans alterum eorum initijs: alterum clausulis comprehensionum, conuenire.

Καὶ λεκτικός.

Et orationi aptus.

Nisi

NISI vitij aliquid hic subest, valet λεκτικὸς hoc in loco, sonorus ac grandiloquus. quod sane mirum videtur, cum omnis locutio λέξις a Graecis vocetur: vnde ipse aliquando suspicatus sum desiderari particulam negandi: legiq; debere, οὐ λεκτικὸς: in excusis tamen nullis, aut scriptis codicibus eam inueni: quae vero res me mouerint, vt eam defecisse putarim, peruulgata lectione retenta, nunc indicabo. In libro de arte poëtarum ipse inquit. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον ἐστιν, & quae sequuntur: id autem hic etiam repetit, qua in re conuenit illi cum Graecis omnibus ac Latinis scriptoribus: nam Ciceronis verba sunt: Sunt enim qui iambicum, putent, quod sit orationi simillimus. Demetrius. ὁ δὲ ἴαμβος εὐτελὴς καὶ τῇ τῶν πολλῶν λέξει ὅμοιος. Iambus igitur humilis abiectusq;, consensu omnium, pes est: contra herous, amplus. quomodo igitur, tantopere inter se diuersi, λεκτικοὶ ambo recte appellentur, quaeso homines cogitent. Praeterea video Ciceronem, Graecae linguae peritissimum, reddidisse λεκτικὸν, quod sit orationi simillimus. Sed quod multo maximum apud me est, Demetrius, hunc eundem locum persequens, ac paene ijsdem, quibus Aristoteles verbis, non esse aptum familiari sermoni hunc pedem dicit. ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ οὐ λογικὸς, ἀλλ' ἠχώδης: vocauit enim λογικὸν (nisi fallor) quem λεκτικὸν hic noster dixerat: & cur minime orationi accommodatus esset, exposuit: sonorũ enim nimis & vocalẽ esse affirmauit. Cicero autẽ in Oratore manifesto haec verba vertit, cũ inquit. Quod longe Aristoteli videtur secus, qui iudicat heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio: quod si quis attente haec verba perspexerit, intelliget non sine causa me inficiandi particulam necessariam hic existimasse: nam in verbis Ciceronis expressa illa videtur, quamuis in sermone Aristotelis collatio non sit.

Καὶ ἁρμονίας δεόμενος.

Quique requirit harmoniam.

QVAE vis horum verborum sit, accurate cogitandum. Cicero, cum hunc locum adumbraret, nihil protulit, quod ad hanc partem pertineret, sed eam reliquit. Demetrius, qui plene (vt arbitror) reddidit, ita expressit. οὐδὲ ἔρρυθμος, ἀλλ' ἀνάρρυθμος, nisi pro ἔρρυθμος, εὔρυθμος legendum sit: nam orationem εὔρυθμον mirifice probant veteres Graeci auctores: ἔρρυθμον, damnant: est enim ἔρρυθμος, quae nullam sui partem negligenter contextam habet, sed totam certis numeris illigatam: quam etiam ἔμμετρον vocant. εὔρυθμος vero, quae sparsos, & non certis sedibus collocatos numeros habet. sed de hoc plura Halicarnasseus, qui etiam inter duo haec verba discrimen hoc esse affirmat: & sane in duobus priscis Phalerei exemplaribus, hoc in loco εὔρυθμος, non ἔρρυθμος legitur. si igitur (vt ipse suspicor) idem alijs verbis tradere voluit Phalereus, ἁρμονίας δεόμενος valet, ἀνάρρυθμος. Et eget concentu, idest ab numero, quem libenter recipit soluta oratio vacuus est. Dicit autem (nisi fallor) egere hunc numerũ harmonia, quod vbi ea non sit, non valde ipse accommodatus esse possit: tuncq; vigeat, cum harmoniam coniunctam habet, quae prosae orationis comes non est, sed poëmatum propria: vnde parum aptus esse intelligitur orationi solutae. Halicarnasseus, vbi de compositione agit, naturamque numerorum explicat, quae vis dactyli sit docens, inquit. πάνυ δέ ἐστι σεμνὸς καὶ εἰς κάλλος ἁρμονίας ἀξιολογώτατος: cum & ipse magis illum graui carmini conuenire, significare vellet: multum enim valere inquit, ad elegantem harmoniam efficiendam: afferreq; eo speciem ac dignitatem non paruam. Idem fortasse, obscurius tamen, intellexit Demetrius, dicens eum ἠχώδη esse, quasi valde sonorum.

Ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις, ἡ τῶν πολλῶν.

Iambus autem ipsa est locutio multitudinis.

CVM simillimum orationi iambicum numerum in Oratore esse dixit, idem Cicero significauit: nam non multo antea. Senarios vero, & Hipponacteos effugere vix possumus: magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio. Horatius quoque in epistola de arte poëtica. Alternis aptum sermonibus eum dixit. λέξις igitur ἡ τῶν πολλῶν, cotidianus sermo, ac vulgaris plebeiaque oratio est.

Διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες.

Quare maxime ex omnibus versibus iambicos edunt, qui dicunt.

EX hoc etiam intelligi posse inquit, verum esse, quod dixerat: iambum scilicet esse ipsum sermonem imperitorum, quod per imprudentiam, qui dicunt, facilius versus iambicos, quam vllum aliud genus carminis fundunt: id enim manifesto declarat, ex ipsis constare communem sermonem: nam illis, qui in alio versuum genere condendo multum studij posuissent, fortasse dum dicerent, fluerent inuitis illi ipsi versus, in quibus exercitati forent: omnibus autem, quamuis alij quoque aliquando, frequentius tamen iambici senarij. In

antiquissimo libro, cui adstipulatur vetus quoque tralatio, πάντες, virili genere, nominandi casu eiusdem numeri legitur.

Δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι, καὶ ἐκστῆσαι.

Opus est autem granditatem gigni, & mente mouere.

CVR damnet iambum, ostendit: quia humilem scilicet abiectamque orationem facit: minime vero decet ita dicere oratores: oportet namque ab illis (inquit) in dicendo effici granditatem quandam atque honestam speciem orationis. Hanc autem partem (vt puto) his verbis eleganter expressit Cicero in Oratore, vbi sententiam Aristotelis de melioribus numeris exponit. » Plenam tamen eam vult esse grauitatis, vt eos, qui audient, ad maiorem admirationem possit traducere: secutus autem auctoritatem antiquissimi codicis, cum quo facit vetus quoque tralatio, scripsi σεμνότητα: in excusis enim antea σεμνοτέραν erat. Recte vero dici σεμνότητα solutae quoq; orationis grauitatem, confirmat Halicarnasseus, qui cū de bacchio pede loqueretur: formamq; ipsius virilem admodum esse dixisset, addidit. καὶ εἰς σεμνότητα λογίαν ἐπιτήδειον. nam, quod sequitur, verbum, vt in scriptis omnibus inueni excusisq;, vno excepto, custodiui: neque enim accedo sententiae illorum, qui legi maluerant, ἐκστῆναι. sed etiam Cicero (vt quilibet, qui attente cogitarit, perspiciet) ita legisse intelligitur.

Ὁ δὲ τροχαῖος, κορδακικώτερος.

Trochaeus vero pronior est ad cordacem.

IN Oratore Cicero. Trochaeum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, cordacem appellat, » quia contractio, & breuitas dignitatem non habet. Quintilianus, Aristotelem & ipse intelli- » gens, inquit. Choreum, vt nimis currentem, damnet: eiq; cordacis nomen imponat. Cordax saltationis genus est mollioris, & nullam grauitatem retinentis, vt veteres etiam grammatici tradunt. In libro, quo describuntur naturae, & vitae hominum, qui Theophrasti nunc attribuitur, cum vecordem hominem auctor eius significare vellet, non dubitaturum etiam ipsum inquit, sobrium cordacem saltare. Demosthenes quoq;, cum intemperantem vndiq;, delicatamq; vitam Philippi Macedonis indicare vellet, eum mollibus etiam his saltationibus delectari dixit, quas κορδακισμοὺς appellauit. Cum igitur Aristoteles κορδακικώτερον trochaeum vocauit, significauit (vt arbitror) eum nimis incitatum, ac tenerum esse, vt cordax, appellata saltatio, erat: non enim eum plane cordacem esse dixit, vt Cicero: secutusq; ipsum Quintilianus, accepisse videtur, sed multum retinere eius naturae, & incitatiorem, quam oporteret esse, vt saltatio illa erat, prorsus lasciua ac mollis: vel familiarem esse & aptum illi impudicae, & parum virili saltationi: non tam autem contractionem breuitatemq; syllabarum eneruare illum, quam celeritatem prolapsionemq; puto, ex producta syllaba in breuem: nam qui & interuallis, & syllabis par ipsi est, iambus, mutato tantum earum ordine, non est omnino abiectus ac tener.

Δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα: ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα.

Declarant hoc tetrametra: sunt enim cursui volubilitatique idoneus rhythmus tetrametra.

REM ita se habere, incitatioremque hunc numerum esse, quam oportet, declarant (inquit) tetrametra, quae frequentem ipsum recipiunt: paene enim & ipsa currunt. Halicarnasseus, cum exemplo, quam mollis tenerque hic numerus esset, ostendere vellet, Archilochi hunc ver- » siculum protulit, qui totus e trochaeis constat. θυμὲ θυμ' ἀμηχάνοισι κήδεσι κυκώμενε. Sed multa etiam apud Hephestionem in Enchiridio: idem autem Dionysius, quem hic τροχερὸν numerum, quasi currentem ac lubricum, videtur appellasse Aristoteles, ἐπιτρόχαλον vocauit: haec » enim verba ipsius sunt. ὅτι οὐκ ἐπιτροχάλους καὶ ταχεῖς, ἀλλ' ἀναβεβλημένους καὶ βραδεῖς τοῖς οἰκτι- » ζομένοις προσήκει ἀποδίδοσθαι. de iambicis autem loquebatur, nisi forte hic aliquid mendi subest: in antiquissimo enim libro τροχαῖος ῥυθμὸς legitur: quam lectionem sequitur quoque vetus tralatio.

Λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μέν, ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι: οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν.

Restat autem paean, quo vtebantur, auctorem ipsius secuti Thrasymachum: nec tamen poterant dicere, qui foret.

RESTAT (inquit) paean, quem immittere in orationem cum coepiſſet Thraſymachus, antiqui ſane illi ipſum frequentabant: nec tamen quis hic numerus eſſet, dicere poterant. quid faceret tantum videbant: rationem autem eius, naturamque non tenebant: nam auctor ipſius immiſcendi orationi Thraſymachus, ne ipſe quidem hoc intelligebat: nec qui monſtratum ab ipſo adhibuerunt, hoc excogitarunt. Erat igitur vſus ipſius vetus: diſciplina noua: ſe enim hoc aperuiſſe videtur ſignificare philoſophus. Hunc puto ſenſum eſſe totius huius loci: nam, quae in excuſis antea libris erant, verba deleui. ὡς ἐν ἀποῤῥήτῳ: praeter quam enim, quod in antiquiſſimo libro non leguntur, vetusq; tralatio illa non exprimit, repugnant manifeſto ſententiae verborum, quae ſequuntur: ſi enim tamquam arcanum quoddam ac myſterium ſibi ſcientiam eius reſeruabant, poterant tradere illam, ſed nolebant. Infra vero aperte dicitur, eos quis hic tam aptus numerus foret, neſciſſe: nec vim ipſius oſtendere potuiſſe. vt Cicero quoque hunc locum accepiſſe videtur: quamuis non omnino ſententiam eius probem: neque enim
» Ariſtoteles dicit, omnes tunc eo vti, vt ipſe interpretatur, qui inquit. Eoque ait vti omnes, ſed
» ipſos non ſentire cum vtantur, ſed veteres tantum eo vſos ſignificat: neque non ſentire cum vtantur: cur enim eo vſi fuiſſent, niſi ſuauem illum eſſe gratumque auribus percepiſſent? ſed non potuiſſe illos, qui vtebantur, vim naturamque eius explanare, & cur tantopere oblectaret, docere.

Ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιάν, καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων.

Eſt autem tertius paean: & qui aptus eſt ab ijs, qui dicti ſunt.

TOTVM hunc locum Cicero expreſſit: cuius verba, vt melius intelligantur, continentia po-
» nam. Eſſe autem tertium ac medium inter illos: ſed ita factos eos pedes eſſe, vt in eis ſingu-
» lis modus inſit, aut ſexquiplex, aut duplex, aut par. Sequi autem ordine praecedentes duos pedes paeana philoſophus videtur ſignificare: deincepsq; poſitum eſſe, quod rationem eam contineat, quae rationem priorum duorum numerorum ſequitur: ratio namque prima in numeris, par eſt: ſecunda dupla: tertia, ſexquiplex: quarta, hemitritos. ἐχόμενος autem, haerens alicui, coniunctusq; illi valet: Cicero tamen ita hoc nomen accepiſſe videtur, tamquam valeret, haberi eum, contineriq; a duobus illis prioribus, & quaſi in medium eorum recipi, cingique ambobus: vnde medium ipſorum vocauit. nec tamen medium intellexit, vt opinor, poſitura ac loco (quamuis poſitura quoque aliquo modo medius dici poſſit) ſed vi, ac natura, & qui ex ſuperioribus illis quaſi conflatus ſit: nam quattuor (niſi fallor) pedes ad duo genera redigit. quorum generum alterum, duplum eſt: alterum, aequale. Cum tertium igitur hoc ſexquiplex ſit, medium eſt inter illa, & vtriusq; quaſi partem retinet: ratio enim ſexquiplex media eſt inter rationem duplam ac parem: ſuperat enim altera pars alteram, toto, in ratione, quae duplex vocatur: in pari vero neutra, nec ſuperat, nec ſuperatur. quare vere eruditeq; Ariſtoteles, ſexquiplicem, vel ſexquialteram, vt hodie appellatur: quae ſane ſuperat: dimidio tamen, non toto ſuperat, mediam eſſe dixit: & pedem, cuius tempora hanc rationem haberent, pendere ex illis affirmauit.

Τρία γὰρ πρὸς δύο ἐστί.

Tria namque ad duo collata, eſt.

ITA in manu ſcriptis inueni, & ita ſane legi debet: antea mendoſe in excuſis, τρία δὲ. Rationem enim reddit, cur paean iam traditos pedes ordine conſequatur: ſiue, vt Cicero voluit, ab ipſis contineatur: & quaſi medius illorum ſit: in eo namque tria interualla ad duo conferuntur: tres enim correptas habet, quae totidem tempora continent: vnam productam, quae duo: rationes autem has ſpatijs temporum, non ſyllabis metitur.

Ἐκείνων δὲ ὁ μὲν, ἓν πρὸς ἕν.

Illorum autem alter, vnum ad vnum.

IDEST par ad par. heroum autem intelligit: in quo ſiue dactylus, quique eſt idem, tamquam retro actus, anapaeſtus, ſiue ſpondeus accipiatur, duo tempora cum duobus temporibus conferuntur.

Ὁ δὲ, δύο πρὸς ἕν.

Alter vero, duo ad vnum.

IAMBVM trochaeumque ſignificat, in quibus duorum temporum ad vnum ratio conſideratur.

Ἔχεται

Ἐχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος: οὗτος δ᾽ ἐστὶν ὁ παιάν.

Apta autem est ab his rationibus sexquiplex: hic autem est paean.

RATIO autem sexquiplex (inquit) ordine sequitur has rationes: deincepsq; posita est: vt si quis enumerare ipsas, seruata earum serie, velit, statim, illis expositis, hanc appellet: quarum ipsarum altera modum duplicem: altera, parem habet: paean autem rationem hanc in se continet. Non sine causa igitur (hoc enim probare voluit Aristoteles) diximus eum tertium esse ac subsequi, nullo interiecto, illos: siue medium ipsorum & quasi ab illis cinctum contentumque.

Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι: καὶ διότι μετρικοί.

Alij igitur ob ea, quae sunt exposita, dimittendi, & quia proprij sunt versuum.

ALII igitur (inquit) repudiandi sunt, explicatis iam de causis: horum autem, humilitatem: horum granditatem atque amplitudinem: horum mollitudinem cursumque in culpa esse docuerat. sed alia adhuc (addidit) causa, cur fugere eos oporteat, adferri potest: conficiuntur enim » ex ipsis versus. Cicero vero ita extremum hoc videtur expressisse: Iambus enim & dactylus in » versum cadunt maxime: itaque, vt versum fugimus in oratione, sic hi sunt euitandi continuati » pedes: aliud enim quiddam est oratio, nec quicquam inimicius, quam illa versibus. μετρικοὶ igitur reddit, in versum cadunt maxime: quod non penitus respondet ei, quod ait Aristoteles, qui ita locutus videtur: dixisseque eos versibus aptos, quia ex paeane versus omnino non conficitur: quae res facit, vt facilius fallat, nec intelligatur ab ijs, qui audiunt: qui enim frequentantur carminibus poëtarum, pedes nullo negotio animaduertuntur. μετρικοὶ quoque vocantur, qui rationem versuum tradunt: qui tenent artem numerorum, quamuis hi potius Graecis rhythmici sint. Aristoteles tamen illo verbo eos appellat in ij. libro de partibus animalium. quo loco de vsu linguae disserit. eius verba sunt. ποίας δὲ ταύτας, καὶ πόσας, καὶ τίνας ἔχει διαφορὰς δεῖ πυνθάνεσθαι παρὰ τῶν μετρικῶν. & si non me fallit Michaelem Ephesium in declarationibus suis falso putare significare voluisse auctorem eo nomine poëtas.

Ὁ δὲ παιὰν ληπτέος: ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν.

Paean autem sumendus: a solo namque ex ijs, qui dicti sunt, non conficitur versus. quapropter maxime fallit.

PAEAN, vt vitijs, quibus superiores illi abundant, caret, ita ob aliam quoque causam, qua illi euitandi, retinendus & amplexandus est: omnium enim supra expositorum numerorum paean solus versum non conficit: nec pangere carmen ex vno illo pede licet, vt praeter ceteros fallere possit eos, qui audiunt: nec notari deprehendique ab ipsis. Ciceronis haec verba sunt, quibus » hunc locum exprimere voluit: superiora autem illa consequuntur. Paean autem minime est » aptus ad versum: quo libentius eum recepit oratio: magis tamen ipsum alienum a versibus philosophus, quam Cicero facit, cum nullo modo ex eo confici posse carminis vllum genus affirmet. cum igitur a poëtis paean frequentatus non sit, quamuis aliquando feriat aures auditorum, cognosci non facile poterit: non enim ei assuetae sunt, vt pedibus illis, ex quibus poëtae genus aliquod carminis texerunt: nec numerum esse intelligunt, vt magis, quam alij latere hac de causa, clamque esse possit. mirifice igitur vtilis erit orationi, nec artificium oratoris aperiet.

Νῦν μὲν οὖν χρῶνται τῷ ἑνὶ παιᾶνι, καὶ ἀρχόμενοι.

Nunc igitur vno tantum paeane vtuntur, & exordientes.

SVI temporis oratores insimulat, qui duobus modis peccabant, & quod vno tantum paeane vtebantur: atque illo quidem initio comprehensionum, cum duo genera ipsius sint, & quod initium tantum ipsarum curabant: finem exitumque negligebant. ipse autem docens principium a fine discrepare oportere, altero etiam, qui fini aptus est, ostendit vtendum. cum vero initij ac finis contraria ratio sit, contraria etiam eorum paeanum natura erit.

Δεῖ δὲ διαφέρειν τὴν τελευτὴν τῆς ἀρχῆς.

Oportet autem differre extremum a principio.

AFFIRMAT, quod illi non putabant, oportere omnino distinctum variumque esse finem ambitus a principio. quare vnus idemque numerus ambobus non conuenit: contraque multum discriminis

discriminis inter ipsos sit necesse est: numeri enim ipsi sunt, qui haec variant: & vt internosci facile possint, efficiunt.

Ἔστι δὲ παιᾶνος δύο εἴδη, ἀντικείμενα ἀλλήλοις: ὧν τὸ μὲν ἓν, ἀρχῇ ἁρμόττει, ὥσπερ καὶ χρῶνται.

Sunt autem paeanis duae species, contrariae inter se: quarum vna quidem principio congruit, quemadmodum & ipsa vtuntur.

Dvo tantum genera paeanum tradit, quorum prius a longa incipit: posterius, in eadem insistit. Artis numerorum magistri duo alia, media horum, genera tradiderunt, & qui secundam productam & qui tertiam: reliquas vero omnes correptas habent: omnemq; demum pedem, qui cum quattuor syllabis constet, vnam tantum earum longam habet, reliquas breues, paeana vocarunt, quacunq; in sede longa collocata sit. In iij. vero libro de Oratore Cicero totum hunc locum effinxit, & exempla quoq; Latina posuit. Ab eodem illo maxime paean probatur, qui est duplex, nam aut a longa oritur, quam tres breues consequuntur, vt haec verba, definite, incipite, comprimite: aut a breuibus deinceps tribus, extrema producta atque longa, sicut illa sunt: domuerant, sonipedes: atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeane: posteriore, finiri.

Οὗτος δ' ἐστὶν, οὗ ἄρχει μὲν, ἡ μακρά: τελευτῶσι δὲ, τρεῖς βραχεῖαι. Δαλογενὲς, εἴτε λυκίαν. Καὶ. Χρυσεοκόμα ἕκατε παῖ διός.

Hic autem est, cuius initium est syllaba longa: terminant autem tres breues.

Cvivsmodi sit prius illud genus paeanis docet, quod principio membrorum congruit: esseq; illum inquit, cuius initium est producta syllaba, tres vero breues ipsum terminant. Ex hymno autem in Apollinem verba haec prima sumpta sunt: quem ita inuocat, vt qui Deli ortus esset, & Lyciam etiam coleret: duo autem integri paeanes sunt, abundatq; syllaba in extremo. Cum autem ἤπι λυκίῃ, antea in excusis legeretur, ἤπι λυκίαν emendaui, secutus fidem antiquissimi libri: quamuis sint etiam scripti, in quibus ἤπι λυκίαν legatur. Quod vero in laudibus Apollinis canendis hi numeri soliti essent adhiberi, qui paean & ipse vocabatur, hoc nomen consecuti sunt. Eiusdem itidem paeanis aliud exemplum: ab aliquo sumptum, qui Apollinis & ipse laudes caneret: distincta autem haec verba esse a superioribus, copula declaratur, quae eius rei gratia adposita fuit. Cum excusi antea haberent ἑκάτη, legi volui ἕκατε, vt in scriptis codicibus inueni, & vt exempli ratio requirit: ita autē Apollo vocabatur, quacunq; de causa hoc nomen illi impositum foret. quod testatur quoq; Strabo in xiij. libro, vbi docet insulas quasdam hecatonnesos appellatas, quod Apollini dicatae forent. ὥστε ἑκατόννησοι, οἷον ἀπολλόννησοι: ἕκατος γὰρ ὁ ἀπόλλων: tres autem paeanas posterius hoc exemplum contineret, nisi tertio syllaba in extremo deesset.

Ἕτερος δ' ἐξ ἐναντίας, οὗ βραχεῖαι ἄρχουσι τρεῖς: ἡ δὲ μακρὰ, τελευταία. Μετὰ δὲ γᾶν, ὕδατα τ' ὠκεανὸν ἠφάνισε νύξ.

Alter autem e regione, cuius breues tres initium sunt: longa extrema. vt μετὰ δὲ γᾶν, ὕδατα τ' ὠκεανὸν ἠφάνισε νύξ.

Alter autem paean, ex altera parte huic respondens, est, cuius initium sunt tres breues: excipit autem illas ac pedem claudit, postrema producta: exemplum vero e vetere aliquo poëta sumptum, cuius scripta vetustate perierunt: quattuor autem paeanas continet, vt cuilibet facile perspicere licet. Sententia horum verborum, quamuis ad rem nihil hoc faciat, haec esse videtur: post terram autem aquasq;, oceanum obscurauit nox ac tenebras illic obduxit.

Οὗτος δὲ τελευτὴν ποιεῖ.

Hic autem efficit extremum.

In iij. etiam libro de Oratore Cicero, sententiam hanc referens, inquit. Hunc ille clausulis aptiorem putat, quas vult longa plerunq; syllaba terminari: intellexit autem philosophus, finem efficere eum dicens, hunc numerum: cum postremam productam habeat, indicare terminari illic oportere orationem. in longo illo spatio, quo extrema syllaba pronuntiatur, posse commode, qui dicit legitue, insistere.

Ἡ γὰρ βραχεῖα, διὰ τὸ ἀτελὴς εἶναι, ποιεῖ κολοβόν.

Breuis namque, quia est imperfecta, reddit debilem, & mancam.

Brevis

BREVIS enim (inquit) quia inchoata imperfectaque est, finem imminutum ac mancum facit: nec habet interuallum idoneum ad quiescendum. Quare contrarius huic paean, cum huiuscemodi sit: postremamq; breuem habeat, non est aptus clausulis membrorum. Quae autem res mutilatae, parteue aliqua sui orbatae, appellentur κολοβὰ, declarauit ipse in iiij. libro μεταφυσικῶν: non omnes enim, vnde aliquid ablatum est, ita vocari recte possunt: κολοβὸν enim, quod mutilatum est, ac iustam mensuram non habet, appellatur. Quod vero breuem syllabam imperfectam esse tradit, inueniuntur etiam non nullae ex ijs, quae longae habentur, ac duobus temporibus praeditae sunt, quae cum tempora illa plena integraque habeant, a rhythmicis longa minores, breuioresq; dicuntur: vt prima dactyli pedis syllaba. quare breuis eadem de causa, quod vnicum tantum tempus habeat, imperfectaq; esse intelligitur.

Ἀλλὰ δεῖ τῇ μακρᾷ ἀποκόπτεσθαι.

Sed opus est longa syllaba terminari.

COMPREHENSIO verborum (inquit) longa syllaba terminari debet: arbitror enim Ciceronem recte fecisse, qui terminari ἀποκόπτεσθαι reddidit: cum enim orationis pars aliqua concluditur, tamquam abscinditur, abrumpiturq; a consequentibus sententijs: & haec causa est, cur elegantissime philosophus ἀποκόπτεσθαι dixerit, finiri significare volens. Terminari igitur producta syllaba clausulae debent, & finem ipsum perspicuum esse: intelligiq; ab ijs, qui audiunt, quod longa syllaba efficit ob tarditatem, moramque, quam in se habet: cum contra breuis aures praeteruolet, & saepe auditores fallat.

Καὶ δήλην εἶναι τὴν τελευτὴν, μὴ διὰ τὸν γραφέα: μηδὲ διὰ τὴν παραγραφὴν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν.

Atque extremum perspicuum esse, non studio librarij, neque ob notam adpositam, sed propter rhythmum.

FINEMQVE ipsum perspicuum esse, atque apparere oportet, non opera diligentiaq; librarij, aut quia nota aliqua in margine adposita sit, verum ostendente illum numero, vt cum eo veneris, numerusq; ille auribus perceptus sit, intelligatur manifesto illic insistendum esse: vt nulla neque interpunctio, neq; nota extra posita, ad id demonstrandum necessaria sit. Hunc sensum esse huius loci puto: de quo tamen, vt melius res intelligatur, pluribus disputabo. in primis vero, quod verbum immutaui, qua auctoritate id fecerim, testabor: vbi enim in excusis antea γράφοντα legebatur, γραφέα restitui, secutus fidem antiquissimi libri: cui adstipulatur vetus etiam tralatio. Significauit autem eo verbo librarium, vt Cicero quoq; putauit, qui (nisi fallor) hunc locum adumbrare voluit, cum in Oratore inquit. Non solum, quod ait Aristoteles & Theophrastus, ne infinite feratur, vt flumen, oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu librarij, sed numero coacta debet insistere: primorum enim verborum sententiam supra Aristoteles exposuit, vbi rhythmum in oratione necessarium esse ostendit, sitque ἀπέραντος: consequentium vero Cicero aperte hinc duxit. Sed etiam in iij. de Oratore, vbi ait: Interspirationis enim, non defatigationis nostrae: neque librariorum notis, sed verborum & sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt, hunc locum respexisse atque effingere voluisse existimari potest: non vt fidus tamen interpres, & qui apposite vim eorũ verborum exprimeret, sed qui inde sententiam elicuerit: & vt ei commodum fuit, conformauerit: nam scriptionem etiam ad pronuntiationem traduxit. Duobus autem modis, non valde dissimilibus, indicare videtur Aristoteles in scripto intelligi posse venisse finem extremum ambitus alicuius ac membri: quod aut librarius ipse orationem interpunxerit, atque ita membra distinxerit: aut in margine postea ab aliquo signi aliquid, seu scripti adpositum sit, quo id declaretur: quod (vt opinor) significare voluit, cum inquit. μηδὲ διὰ τὴν παραγραφὴν: ita enim antiqui Graeci res in margine librorum adscriptas: notasue adpositas appellare consuerant: hoc enim intellectu cepit hoc nomen Isocrates ἐν ἀντιδόσει. Ἀρξάμενος ἀπὸ παραγραφῆς ἀνάγνωθι τὰ περὶ τῆς ἡγεμονίας αὐτῆς. & Simplicius in iij. librum naturalis auscultationis de motu, vbi cum Alexandrum insimulasset, addidit. Κἂν ὡς ἀπὸ παραγραφῆς ἡ λέξις προστεθεῖσα, συγκεχύσθαι ἐν τῇ βίβλῳ δοκῇ: nam γραφέα valere etiam librarium, & qui exscribit, eiusdem testimonio confirmatur, qui in commentarijs in categorias, inquit. ἀλλὰ γραφέως ἁμάρτημα τοῦτο ὑπολαμβάνουσιν.

Ὅτι μὲν οὖν εὔρυθμον δεῖ εἶναι τὴν λέξιν, καὶ μὴ ἄρυθμον.

Oportere igitur locutionem numerosam esse, & minime vacuam a numeris.

QVID tanto studio supra a se factum sit, breui repetit: narrat enim se ostendisse orationem idoneis

neis numeris aspersam esse oportere, quam vocat εὔρυθμον: & nullo modo vacare numero: spoliatamque illo esse. Ἄρυθμον autem Cicero intellexit (vt hoc quoque indicem) cum in Oratore inquit extra numerum. Quia nec numerosa esse, vt poëma: neque extra numerum, vt sermo vulgi est, debet oratio. Et in eodem libro, concludens sententiam suam. Perspicuum est igitur numeris astrictam orationem esse debere, carere versibus.

Καὶ τίνες εὔρυθμον ποιοῦσι ῥυθμοὶ, καὶ πῶς ἔχοντες, εἴρηται.

Et qui numeri numerosam eam reddunt, & quomodo se habentes, dictum est.

PLANVM etiam factum est (inquit) qui numeri orationem huiuscemodi reddant: paeanas enim hanc vim habere demonstrauit. quod autem addit, & quomodo se habentes, ordinem locumq; significare puto, quo pacto scilicet collocati: eorum enim alterum, initijs: alterum, clausulis accommodatum docuit. Mendum autem hinc sustuli: cum enim excusi antea haberent ποιοῦσι ῥυθμὸν, accusandi casu, numero vnitatis, restitui ῥυθμοὶ, vt in antiquissimo libro legitur: cui accedit vetus etiam tralatio.

Τὴν δὲ λέξιν ἀνάγκη εἶναι, ἢ εἰρομένην, καὶ τῷ συνδέσμῳ μίαν.

Locutionem autem necesse est esse, siue aptam inter se, & quasi vinctam, vnamque factam beneficio coniunctionis.

ELOCVTIONEM nunc diuidit: duoq; ipsius genera tradit: alteram enim esse, quae copulis iungatur, opeq; earum continens iugisq; fiat, nullis vero ambitibus vinciatur: neque vllo in loco vnquam terminetur, nisi tota sententia absoluta sit: alteram autem, quae comprehensionibus constet, ac partes sibi respondentes habeat: sitque ipsa sua vi sine copulis vllis satis connexa, atque iuncta, quam κατεστραμμένην vocat, quod mutuo se membra ipsius spectent, & quasi conuertantur. Vnde Phalereus constare ambitum dixit è membris incisisq;, quae εὐκατάστροφα sint: quod eleganter conuertantur: ipse enim quoque locutionem eandem eodem pacto appellauit, quamuis contrariam eius esse dicat, quam vocat διῃρημένην, quasi dissectam ac solutam, cum Aristoteles ipsi εἰρομένην opposuerit: & sane vtraque ipsius contraria. & διῃρημένη namque & εἰρομένη commune hoc habent, quod non conuertuntur: ambitibusue vllis constant, quamuis alijs rebus dissimiles inter se sint. nam εἰρομένην (nisi fallor) intellexit orationem, quamuis hoc nomine illic vsus non sit, initio libri ipsius, vbi, quare inuenta membra sint, quodque munus sustineant in oratione, declarat. Solutam autem illam appellauit Quintilianus, qui in nono libro & ipse, vt Phalereus facit, orationem in duo genera diuisit, ac tertium reliquit. Aquila tamen quidam, qui de figuris luminibusq; orationis libellum scripsit, triplicem illam esse vult: amboq; genera, quae Aristoteles hic explicat, complectitur: & dissectum tertium solutumque addit, a Demetrio Quintilianoque pertractatum. Συνδέσμῳ μίαν intelligit, quae copulis iungatur, & beneficio illarum vna fiat. quod si coniunctionibus destitueretur, plures essent: ita etiam locutum esse auctorem in commentario, περὶ ἑρμηνείας, vbi de oratione disserit, notum est. Sed etiam in ij. libro posteriorum Analyticorum. verba ipsius haec sunt. λόγος δὲ εἷς ἐστι, διχῶς: ὁ μὲν συνδέσμῳ, ὥσπερ ἡ Ἰλιάς. & quae sequuntur.

Ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί.

Cuiusmodi sunt in dithyrambis anabolae.

GENVS hoc orationis explanare, & quasi digito monstrare cupiens, simili quodam vsus est, quod tunc rem ante oculos constituebat: cum quid ἀναβολὴ foret, omnibus cognitum esset: nunc re, vetustate, parum intellecta, & vsu eius omisso, non magnam lucem affert. Demetrius quoque id omisit. est autem ἀναβολὴ, vt veteres grammatici tradunt, cantiunculae exordium: illas autem longiore ductu confici solitas, ipsius indicio intelligere licet. Lepidissimus comicus de animabus dithyrambicorum loquens, quae vetere studio, corpore etiam solutae istius tenebantur, inquit. ξυνέλεγοντ' ἀναβολὰς ποτώμεναι. Idem Homerus significauit, cum ait. ἤτοι ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν. nam aliam etiã esse notionem huius nominis, & eam peruulgatã, constat.

Ἢ κατεστραμμένην, καὶ ὁμοίαν ταῖς τῶν ἀρχαίων ποιητῶν ἀντιστρόφοις.

Siue contortam, & similem priscorum poëtarum antistrophis.

AVT contra (inquit) in se conuersam atq; ita vinctam: quae scilicet comprehensionibus constet: quarum haec natura est, vt partes illae suas connexas habeant, vt quasi extrema pars, retro acta, primae adplicetur: vt planius autem & hanc, quae foret, ostenderet, similem ipsam esse dicit

priscorum

priscorum poëtarum antistrophis. non multum autem ne hoc quidem simile adiuuat, cum scripta illa perierint: nec videre nunc vlla ratione possimus, quae ratio antistropharum earum foret. Non sine causa priscorum addidit: inferiores enim poëtae ex eo tempore, quo imitari coeperunt, totosq; se studio imitationis dediderunt, dithyrambos sine antistrophis his pangebant: illis autem antea, cum simplicius adhuc carmen esset, non carebant: quod ipse memoriae prodidit in problematibus.

Η μὲν οὖν εἰρομένη λέξις, ἡ ἀρχαία ἐστιν.

Vincta igitur, textaque locutio est prisca illa.

Cvm iam, cui potissimum rei similis foret locutio εἰρομένη ostendisset, cuiusmodi nunc illa sit declarat, indicans, qui ea vsi essent, ac genus hoc dictionis amassent: vt scriptis ipsorum animaduersis, non imago ipsius, sed illa ipsa cognosci ac deprehendi possit. εἰρομένην igitur locutionem inquit esse priscam omnem: non dum enim cognitis periodis, ita scribebant veteres auctores, vt singulae paene sententiae absolutae forent: quae postea coniunctionibus vincirentur, atque ita ex multis vna foret.

Ἡροδότου Θουρίου ἥδ' ἱστορίης ἀπόδεξις.

Herodoti Thurij haec est editio historiae.

Excvsi antea libri ἥδε ἐστιν ἀπόδειξις: calamo exarati ita habent: quam scripturam vetus quoque tralatio sequitur. Apud Demetrium, qui eodem exemplo vtitur: Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἱστορίης ἀπόδεξις, ἥδε, legitur. Cur eundem igitur, veterum rerum auctorem, quidam antiquorum scriptorum Thurium: quidam Halicarnasseum vocent, quaerendum esset, nisi Plutarchus in commentario de exilio hunc scrupulum euulsisset: sedes enim Herodotum mutasse tradit, & qui Halicarnassi natus esset, vna cum reliquis colonis publice Thurios migrasse. Idem etiam narratur epigrammate in Herodotum ipsum: quod legitur apud Stephanum, vbi de noua ipsius patria Thurijs agit: ex quo tamen colligitur eum, inuidiam ciuium declinantem, Halicarnasso cessisse. Vnum adhuc restat, quod non conuenit. Apud Demetrium namque & Plutarchum particula ἥδε, ad extremum posita est, cum hic mediam sedem teneat. Esse autem haec verba e principio primi libri sumpta, nemini ignotum est: nec tamen arbitror tam illa significare voluisse, quam quae sequuntur etiam: magna enim ex parte scripta Herodoti huiuscemodi sunt.

Ταύτῃ γὰρ πρότερον μὲν, ἅπαντες: νῦν δὲ, οὐ πολλοὶ χρῶνται.

Hac enim prius omnes: nunc autem non multi vtuntur.

Affert rationem, cur εἰρομένην locutionem priscam merito appellarit: docet enim ipsam superioribus temporibus omnes vsurpare solitos: inferiore autem aetate eandem a plurimis dimissam: a paucis autem admodum retentam, qui meliore inuenta, veteri tamen adhuc, quamuis vitiosae atque insuaui, haerebant.

Λέγω δὲ εἰρομένην, ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτὴν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ.

Voco autem textam, quae nullum per se finem habet, nisi res, quae memoratur, ad finem peruenerit.

Aperit nunc verbis naturam connexae orationis, ac declarat quae sit, non simili, vt ante fecerat, sed accurata explicatione. Intelligo (inquit) iunctam orationem, quae finem nullum per se habet, nisi res, quae exponitur, ad finem peuenerit, & tota narrata fuerit: καθ' αὑτὴν enim intelligit diuersum a fine totius comprehensionis: quae scilicet nullo, nisi sententiae perfectae atque absolutae: nec vlterius procedentis, termino claudatur: huiuscemodi autem oratio periodis, ac membris minime distincta est.

Ἔστι δὲ ἀηδὴς, διὰ τὸ ἄπειρον: τὸ γὰρ τέλος πάντες βούλονται καθορᾶν.

Est autem iniucunda, quia extremo terminoque caret: finem enim cuncti volunt spectare.

Inivcvndvm esse, quod fine careret, supra etiam dixerat. nihil igitur suauitatis haec oratio habere potest, quae ex se extremum atq; vltimum non habet, & quod transactum iam est, pendet ab eo, quod consequitur: est autem innatum animis omnium, vt finem semper, quo peruenturi sunt, aspicere cupiant: quod his, qui huiuscemodi scriptum legunt, non contingit.

Διόπερ ἐπὶ τοῖς καμπτῆρσιν ἐκπνέουσι καὶ ἐκλύονται: προορῶντες γὰρ τὸ πέρας, οὐ κάμνουσι πρότερον.

Quapropter cursores in flexionibus ipsis exspirant, & dissoluuntur: ante oculos enim habentes prius extremum, non tantopere laborant.

CVM dixisset, cupere omnes mortales finem spectare, quo tendant: operamq; dare, vt eum semper videant: illo enim cognito, eo sedatiore animo feruntur: ignorato autem sollicitantur, id exemplo cursorum confirmat, qui cum in stadio ad flexiones illas, quas καμπτῆρας appellant, peruenerint, vnde finis non conspicitur, tunc omnes vires contendunt: & ita spiritum effundunt atque anhelant, vt prope dissoluantur, quod ab ipsis antea non fit, quia ipsum cernant. Hunc sensum ex communi receptaque lectione elicio: quam, cum in cunctis manu scriptis inuenerim, & certa quoque ipsius vestigia in vetere tralatione extent, veram puto. Alteram autem illam. πόῤῥω ὄντες γὰρ τοῦ τέλους, ab interprete Graeco fluxisse puto, quam suspicari possumus ab ipso fictam conformatamque fuisse: mira est enim hominis audacia in verbis Aristotelis immutandis, & ad suas quasdam sententias redigendis. Cum autem excusi antea haberent καὶ οἱ δρομεῖς, haec verba sustuli, quia in nullo scripto libro inueni: neque a vetere tralatione illa expressa vidi. puto declarationem quondam fuisse, vt quispiam, quod desiderari putarit, addiderit: intelligi enim oportere, qui in stadio currant: siue equos potius quadrigarios.

Ἡ μὲν οὖν εἰρομένη τῆς λέξεώς ἐστιν ἥδε.

E genere igitur omni locutionis, quae texta & quasi vincta est, haec est.

HAEC est (inquit) elocutionis forma illa, quam εἰρομένην vocaui: haec scilicet, quam & simili indicato, & exemplo illius ipsius posito, & natura eiusdem expressa, nunc significaui. Hoc autem addidit, vt quod ad eam explicandam pertinebat, iam absolutum doceret: & ad aliam demonstrandam transiret. Aquila vero, cuius supra memini, ita illam descripsit. » Aut perpetua, » quam Graeci εἰρομένην λέξιν appellant: quae ita connectitur, vt superiorem elocutionem semper » proxima sequatur, atque ita seriem quandam significatus rerum explicet.

Κατεστραμμένη δὲ, ἡ ἐν περιόδοις.

Contorta autem, quae ambitibus constat.

ALTERVM genus locutionis, contrarium superioris, definit: docetq; orationem κατεστραμμένην, idest quasi intortam, esse eam, quae periodis constat. Idem autem tradidit Phalereus, qui eandem locutionem, eodem nomine appellauit. Aquila quoque cum inquit. Alia autem, quae » ex ambitu constat, quem ambitum, Graeci περίοδον appellant, κατεστραμμένην intellexit. multis autem multisq; nominibus Latini veteres scriptores periodum appellarunt. Cicero in Ora» tore. In quo quaesitum est, in toto ne circuitu illo orationis, quem Graeci περίοδον: nos, tum » ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circunscriptionem, » dicimus. Quintilianus in ix. libro. Καὶ περίοδον, quae est vel ambitus, vel circunductio, vel continuatio, vel conclusio.

Λέγω δὲ περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν, αὐτὴν καθ' αὑτήν.

Voco autem ambitum, locutionem, quae principium habet & terminum, ipsam per semet ipsam.

EVOLVIT naturam rei, qua in superiore descriptione vsus fuerat: periodumque esse dicit, orationem, quae principium habet ac finem ex se se, non aliunde importatum. Phalereus, cum & ipse naturam periodi quaereret, huius definitionis mentionem fecit, mirificeq; eam laudauit: nec non accurate, & quem sensum haberet, vndeq; ei hoc nomen impositum foret, explicauit. Principium autem & finem habere periodum ipsam ex se inquit, quia proprijs quibusdam, diuersisq; a reliqui sermonis finibus concludatur, vt perfectam sua vi sententiam conficiat. Nec me latet in libris suis de arte dicendi Trapezuntium aliter hunc locum interpretatum esse, qui existimauit dixisse Aristotelem principium ac finem, quod recentiores rhetores πρότασιν & ἀπόδοσιν: cuius tamen iudicium non probo: neque enim animaduertisse ille videtur verba, quae hic consequuntur, αὐτὴν καθ' αὑτὴν, quae declarant ita locum accipi debere: illis enim distinguit a superiore genere locutionis, quod nullos terminos vmquam habet, nisi res ipsa suum finem sortiatur.

Καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον.

Et magnitudinem, quae facile cerni posit.

PRAETEREA magnitudinem & tamquam corpus, quod facile mentis oculis lustrari possit. Εὐσύνοπτος autem res dicitur, quae tota simul conspici potest. in libro quoq; de arte poëtarum magnitudinem εὐσύνοπτον appellauit, cuius cunctae partes vno aspectu acciperentur. M. Varro, cum Theophrasti locum verteret e primo libro de stirpibus, in conspectu reddit. Theophrasti verba haec. » Ἐν δὲ Συβάρει δρῦς ἐστιν εὐσύνοπτος ἐκ τῆς πόλεως. Varronis vero. Item Sybari quercus, quae est in oppidi conspectu. εὐσύνοπτον tamen hic commode eo pacto reddi non potest. Comprehensionem igitur magnitudinem habere dicens oportere μεταφορικῶς, quae vno aspectu oculorum videatur, docuit illam prolixam admodum esse non debere: vt partes ipsius animo totae percipi simul possint: quae namque tam longas partes haberet, vt eodem illae tempore mente non facile perciperentur, vitio non careret: ac paene ambitus nomen amitteret.

Ἡδεῖα δ' ἡ τοιαύτη, καὶ εὐμαθής.

Iucunda autem est huiuscemodi oratio, & docilis.

VT superiorem locutionem damnauerat, vitiaq; ipsius diligenter exposuerat, ita hanc laudat, dotesq; eius praedicat: nam & iucundam esse, & facile percipi tradit: cuius rei, nequis falsis laudibus eam ornare ipsum putet, rationem reddit.

Ἡδεῖα μὲν, διὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν τῷ ἀπεράντῳ.

Iucunda quidem, quia contrario modo se habet, atque illa, quae infinita est.

VT insuaue, quod interminatum est: ita contra, suaue ac iucundum, quod terminatum ac definitum est: possidet autem id manifesto haec dictio, vt superior illa contrarium huic virtuti vitium possidebat. Insuaue autem est indefinitum, quia natura ab eo aliena est: & terminatis rebus delectatur.

Καὶ ὅτι ἀεί τι οἴεται ἔχειν ὁ ἀκροατής, τῷ ἀεὶ πεπεράνθαί τι αὐτῷ· τὸ δὲ μηδὲν προνοεῖν εἶναι· μηδὲ ἀνύειν, ἀηδές.

Et quia, qui audit, semper se tenere aliquid arbitratur, quia semper terminatum aliquid ipsi sit: nihil autem prouidere, neque perficere, iniucundum est.

ALIVD etiam in ea est, quod admodum delectat: is enim, qui audit, semper se aliquid tenere arbitratur, quia semper aliquid determinatum ac conclusum iam habet: contra autem nihil prouidere, & ad nullius rei absolutam explicationem peruenire, quo vitio abundat iuncta ac contexta dictio, iniucundum ac molestum. Quomodo, quamuis tota res tradita non sit, auditor tamen putet se iam aliquid profecisse: & alicuius partis compotem factum esse, docet Phalereus initio statim sui commentarij, sumpto exemplo ab historia Xenophontis, qua Cyri iunioris bellum contra fratrem ornatissime scripsit. quod autem ad structuram orationis verbaque pertinet, quamuis indefinito tempore, non praesenti positum verbum ὑπαρκτικὸν sit; interiectaque sit noua sententia, coniungi tamen debet cum extremo horum verborum, vt insuaue hoc totum esse intellexerit. In antiquissimo praeterea libro quiddam est valde diuersum a communi lectione: neque enim ἀνύειν illa, sed ἀνοίγειν habet: vetus quoque tralatio manifesto hanc scripturam sequitur. ἀνοίγειν autem μεταφορικῶς dicens, nihil patefacere atque aperire videtur intellexisse: quia noui nihil appareat: nihil quod iam visum, perceptumque non sit, se offerat, vt ambae hae sententiae vitium monstrent contrariae locutionis, & in eadem persona maneant: nam ἀνύειν videtur potius ad oratorem pertinere, qui nihil absoluat ac perficiat: quod est molestum ijs, qui audiunt: nihil vero prouidere, ad auditorem manifesto pertinet. Ne cui autem nimis durum nouumque videatur, ita capi ἀνοίγειν, testimonio eruditi politique scriptoris confirmabo, transferri etiam ipsum ad huiuscemodi res solitum, quae corpore carent: non dici tantum de foribus fenestrisque, cum reserantur: quae vsitata notio est huius verbi. Halicarnasseus namque in arte dicendi, vbi docet quomodo declinari possint vitia prooemiorum, in quae incurrebant imperiti, inquit, oportere etiam in principio orationis aperire ac patefacere caussam, commonstratis breui rebus, de quibus omnis contentio futura est cum aduersario: hoc
» enim verbo illic vsus est. Δεῖ δὲ ἐν τῷ προοιμίῳ καὶ παρανοίγειν τὸ πρᾶγμα τῶν κεφαλαίων, προδηλοῦντα περὶ
» ὧν ὁ ἀγὼν γενήσεται.

Εὐμαθὴς

Εὐμαθὴς δὲ, ὅτι εὐμνημόνευτος: τοῦτο δὲ, ὅτι ἀριθμὸν ἔχει ἡ ἐν περιόδοις λέξις, ὃ πάντων εὐμνημονευτότατον.

Docilis autem, quia memoriae facile mandatur: hoc autem, quia numerum habet locutio, quae constat ambitibus: quae res, praeter ceteras omnes, multum valet ad memoria quippiam retinendum.

Εὐμαθὴς autem (inquit) est, beneq; ac sine labore percipitur, quia nullo negotio memoriae mandatur: melius enim eorum vis intelligitur, quae haerent memoriae firme, quam eorum, quae praetervolant: quod bonum etiā, vnde acceperit, exponit. Locutio enim (inquit) quae periodis constat, habet numerum (numerum autem hic intelligo ἀριθμὸν: vt supra, cum dixit cunctas res terminari ἀριθμῷ) res autem ita definitae, numeroq; distinctae, omnium rerum maxime memoria comprehenduntur.

Διὸ καὶ τὰ μέτρα πάντες μνημονεύουσι μᾶλλον τῶν χύδην: ἀριθμὸν γὰρ ἔχει, ᾧ μετρεῖται.

Unde & cuncti recordantur magis versus, quam solutam orationem: numerum enim habet, qui mensura ipsius est.

Et haec causa est (inquit) cur facilius omnes versus recordantur, quam solutam orationem, & nullis mensuris distinctam: hoc enim quoq; addere voluit, tamquam corollarium: quamuis ad rem iam traditam confirmandam aliquid etiam valeat: habent namque versus poëtarum numerum: quo numero quasi mensurantur, vt nihil vltra excurrat, atque effrenate feratur. Χύδην hic quae in prosa, pedestriq; oratione scripta sunt, appellare videtur: Isocrates χύδην, inconsiderate, nulloq; delectu habito vocauit: eius enim haec verba sunt e Panathenaico. Ὁμοίως ἂν εἶναι δόξαιμι τοῖς εἰκῇ καὶ φορτικῶς καὶ χύδην, ὅ τι ἂν ἐπέλθῃ λέγουσιν. Antiquissimus liber secus ac excusi & scripti codices, accusandi casu hic μέτρα habet: sequiturq; illum vetus tralatio.

Δεῖ δὲ τὴν περίοδον, καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι: καὶ μὴ διακόπτεσθαι, ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα.

Oportet autem ambitum definiri absoluique sententia, & non abrumpi. veluti iambici Sophoclis.

Locvs hic valde obscurus est, quia non plane intelligitur, laudet ne, an reprehendat Sophoclem, structuramq; ipsius virtutem hanc habere velit, an contrariae culpae affinem ipsum tradat: nam si, vt Sophoclis versiculum, quem ponit, adducit, lapsus memoriae erit: est namque ille Euripidis. in re igitur incerta quid suspicatus sim, ostendam: de oratione enim agit, quae ambitibus constet: ipsam autem, ne perturbet auditorem, oportere indicat ita factam esse, vt singulae comprehensiones integras absolutasq; sententias contineant, nulla re interiecta, quod quae, antequam perficiantur, aliud, ab ea sententia alienum, attingunt, atque ita dirimuntur, saepe dent ansam errandi: videtur enim admonere, nequis, nondum perfecta comprehensione ipsa, aliquid adiungat, quod ad inchoatam sententiam non faciat. Oportet igitur (inquit) ambitum, vt ceteris sui partibus perfectum esse, ita etiam sententia: nec suis rebus, quaeq; eum complerent, relictis, alijsq; inculcatis, abrumpi ac dirimi, vt se habent senarij Sophoclis: versiculos autem ipsius hoc habere velit, vt vna cum sententia perfectas absolutasq; comprehensiones habeant, an contra, non perspicitur. versus sane, qui sequitur, vitio hoc praeditus est. si vitiosae igitur orationis, & quae hac parte laboraret, exemplo tantum vsus est, nomen poëtae imprudenter mutauit: si vero, vt Sophoclis senarij dicens, intellexit eos carere hoc vitio: nec habere abruptas comprehensiones, valde durum est eum, Sophoclis nullo loco indicato, statim adponere locum Euripidis, quamuis ipsum nomine non appellarit: neque eum huic culpae obnoxium esse dixerit. Cum autem δεῖ δὲ τῇ περιόδῳ, antea in excusis legeretur, secutus fidem antiquissimi exemplaris, cui se comitem adiungit vetus tralatio, scripsi alio casu τὴν περίοδον: & sane ambitum ipsum hoc habere intelligere debemus, vt vna cum sententia excurrat ac terminetur: id enim quoque Demetrio placuit, quod testatus est, cum inquit, debere periodum constare membris aut incisis, quae impleant atq; adaequent sententiam, quae exponenda est, nec deficiant aut superent.

Καλυδὼν μὲν ἥδε, γαῖα Πελοπείας χθονός.

Calydon est haec, vrbs Pelopeae telluris:

EVRIPIDIS versiculum hunc esse tradit Graecus interpres e fabula Meleagro, quod etiam confirmatur testimonio Luciani, qui in symposio, vel Lapithis, vt Euripidis, & hunc, & qui ipsum consequitur, citat: καὶ Εὐριπίδης: Καλυδὼν μὲν ἥδε· γαῖα Πελοπείας χθονὸς ἐν ἀντιπόρθμοις πεδί' ἔχουσ' εὐδαίμονα. Ijdem autem, suppresso auctoris nomine, a Demetrio quoque adducuntur: multos ex eadem fabula, qui deinceps sequebantur, posuit Graecus interpres: quos vnde hauserit nescio, nisi forte tragoediam illam, quae nunc perijt, vidit: sunt autem hi. Οἰνεὺς δ' ἀνάσσει τῆσδε γῆς Αἰτωλίας Πορθάονος παῖς: ὅς ποτ' Ἀλθαίαν γαμεῖ Λήδας ὅμαιμον Θεστίου παρθένον. Cum Euripidis igitur versus sint, fortasse cum Sophoclis structuram laudarit, ab Euripide exemplum vitiosae huiuscemodi orationis sumpsit, ne nomine quidem illius citato. Eandem autem culpam sustinere reliqui etiam versus, & totus ille locus videtur: neq; enim arbitrari possumus, cum hunc versiculum adduxit, in vno ipso vim omnem exempli fuisse, sed locum potius, versiculum vnum adducentem, indicare ipsum voluisse. aut igitur ita locus accipiendus est, aut est μνημονικὸν ἁμάρτημα.

Τοὐναντίον γὰρ ἔστιν ὑπολαβεῖν τῷ διαιρεῖσθαι: ὥσπερ καὶ ἐπὶ τοῦ εἰρημένου, τὴν Καλυδῶνα εἶναι τῆς Πελοποννήσου.

Licet enim contrarium accipere, quia dissectus est, veluti in eo, quod dictum est, Calydonem oppidum esse Peloponnesi.

HOC, non diligenter seruatum, tantum incommodi affert, vt contrarius aliquando sensus, falsusq; inde eliciatur. Contingit (inquit) quandoq;, vt longe alia sententia, si diuisa, dissectaque comprehensio fuerit, ex ipsa ducatur: vt in versiculo illo, qui seiunctus a reliquis hoc manifesto valet. Calydonem oppidum esse Peloponnesi: quod perspicue falsum est: est enim Aetoliae vrbs, quae regio contra Peloponnesum posita est. Siquis in huiuscemodi oratione, quae periodis abruptis constet, perperam diuidat separetq;, quod coniunctum esse debet (est autem huic lapsui valde illa obnoxia) causam dabit alicui errandi, putandiq; longe aliter se rem habere, ac vere se habet. vt (inquit) in loco monstrato. Suspicabitur Calydonem oppidum esse Peloponnesi: verba namque ille. Καλυδὼν μὲν ἥδε, cum a reliquis, quae sententiam complent, diuulsa sint: intelligo autem, Οἰνεὺς δ' ἀνάσσει, & quae sequuntur, si interiectae orationis parti adnexa fuerint, quae est. γαῖα Πελοπείας χθονὸς, in errorem inducent: facientq;, coniuncta cum illis, vt Calydon vrbs Peloponnesi esse falso accipiatur.

Περίοδος δὲ ἡ μὲν, ἐν κώλοις: ἡ δὲ, ἀφελής.

Ambitus autem hic quidem constat membris: hic vero simplex est.

AMBITVM, de quo locutus erat, non vnius generis esse inquit: alterum enim membris constare affirmat: alterum vero simplicem esse: nec vllis membris distinctum. Subtiliter autem, accurateq; de periodis disseruit Phalereus: quam vero hic noster ἀφελῆ, ipse ἁπλῆν appellat. verbo igitur inter se discrepant, re idem sentiunt: eadem enim notio est vtriusque verbi. ἀφελὴς περίοδος, est simplex ambitus, & qui in partes dissectus non sit, vt qui ex membris constat: quae quattuor summum sunt: minimum autem duo, sed ex tribus etiam membris fiunt. Cum autem membrum valde productum, & longitudinem, & ad extremum flexionem habuerit, tunc simplex ambitus appellatur: flexionem autem, vt extrema scilicet ipsius pars quasi retro agatur: atque ita primae adnectatur, orbemque conficiat: vnde periodi illae vocantur: quae enim aut breuis foret, aut ad extremum non flecteretur, simplicis ambitus nullam partem teneret.

Ἔστι δὲ ἐν κώλοις μὲν λέξις, ἡ τετελειωμένη τε καὶ διῃρημένη, καὶ εὐανάπνευστος.

Constat autem membris locutio, quae perfecta est, & distincta, facileque pronuntiari potest.

COMPREHENSIO, quae membris constet, locutio est (inquit) perfecta, & ad exitum perducta: nec non quae distinctas partes habet, & spiritum oratoris non impedit ac moratur, sed prona ad pronuntiandum est. Quae igitur, ita facta, locutio erit, comprehensio ex membris constans erit: nec enim, si inchoata imperfectaq; foret, comprehensio esset: quae vero seiunctas distinctasq; partes non haberet, ex membris constans comprehensio numquam esset, vt quae aegre magnaq; cum molestia pronuntiaretur: est enim illud proprium munus membrorum, & nullam aliam ob causam res inuenta est, nisi vt spiritum dicentis adiuuet: prolato enim membro insistit aliquantum ac quiescit orator, vt ita laborare nullo modo possit.

Μὴ ἐν τῇ διαιρέσει, ὥσπερ ἡ εἰρημένη περίοδος, ἀλλ' ὅλη.

Non in diuisione, veluti dictus ambitus, sed tota.

In tamen a virtute, non a vitio proficiscatur oportet: possent enim inueniri quoq; non nullae, quae hac re non carerent: nec tamen, cum ea ortum causamque malam haberet, probarentur. non quia igitur (inquit) dissecta fractaque sit, prona ad pronuntiandum esse debet: ita enim quoq; dissectae partes, cum earum breues ambitus sint, nulla cum molestia pronuntiantur, vt ex adductis e tragoedia versibus apparuit: sed, quia membrorum distinctione multas requietes nacta sit, continuo ductu tota facile pronuntiatur. In antiquissimo codice verbum εἰρημένη non legitur: nec vetus quoq; tralatio id exprimit: videtur tamen illud hic necessarium: indicat enim manifesto locum supra traditum. καλυδὼν μὲν ἥδε: & quae sequuntur.

Κῶλον δ' ἐστὶ τὸ ἕτερον μέρος ταύτης.

Membrum autem est altera pars huius.

Qvam vim habeant vocabula, quibus vsus fuerat: quomodoq; accipi debeant, ostendit. Cum autem alteram periodum membris inniti dixisset, quid membrũ sit, primo docet: membrumq; (inquit) est altera pars huius: huius autem, compositae scilicet comprehensionis verborum: partes enim distinctae earum κῶλα a Graecis: membra a Latinis appellata sunt. Cicero versus etiam aliquando vocauit: cum alteram autem partem dixerit, significauit se ex duobus membris fieri comprehensionem velle, quod etiam adnotauit Phalereus, qui de hac definitione membri, quam philosophus attulit, accurate disputauit: docuitq; Archidemum, sumpta Aristotelea definitione: eoq;, quod ab Aristotele adiunctum ei fuerat (id autẽ est. γίνεται καὶ ἁπλῆ περίοδος ἔστιν) ambitum hunc, quem περίοδον vocant, apertius perfectiusq; definisse: membrum enim est (inquit) siue simplex ambitus verborum, siue compositi ambitus pars.

Ἀφελῆ δὲ λέγω, τὴν μονόκωλον.

Simplicem autem ambitum voco, qui constat vno membro.

E Demetrij libro quispiam non sine causa suspicaretur, hic aliquid defecisse: affirmat enim ille, definito membro Aristotelem haec verba adiunxisse. γίνεται δὲ καὶ ἁπλῆ περίοδος, quae hic nusquam nunc leguntur: quamuis autem nihil certi de hoc a me tradi possit, contenderim tamen ea verba hic numquam posita fuisse: ac potius sententiam Aristotelis, quam verba, quibus in ea explicanda vsus ille fuerat, Demetrium protulisse: morem enim ille habebat (quod facile ex multis locis eius commentarij intelligere licet) verba antiquorum scriptorum, sententia conseruata, variare: &, vt commodum ipsi erat, saepe adducere. Cum autem (vt quid mei iudicij de hac re sit, aperiam) supra simplicem quandam comprehensionem esse dixisset: nunc autem, quae illa sit, declaret, ex superiore loco, & hoc sententiam illam conflauit: ἔστι namq; cum finxit Aristotelem scripsisse, expressit haec verba philosophi, cum dicit se simplicem comprehensionem vocare, quae constat ex vno membro: nam hoc etiam non conuenire inter illos apertum est: quod alter ἁπλῶ: alter ἀφελῆ: quae constat vno membro: sententia eadem, nomine diuerso, periodum vocauit. Appellare autem Aristotelem, quae vnico tantum membro constat, periodum, certum est (quamuis Cicero huiuscemodi inuenire neget) cum supra partitus sit periodum in eam, quae membris diuisa est, & in simplicem: cum enim paulo ante inquit, alteram periodi partem esse membrum: huius addidit, intelligens periodi, quae ex membris constaret.

Δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα, καὶ τὰς περιόδους, μήτε μειούρους εἶναι: μήτε μακράς.

Opus est autem, & membra, & ambitus, neque mutilatos esse, neque longos.

De iusta nunc mensura, & comprehensionum harum, & membrorum agit: nisi enim modus in vtraq; re seruatus sit, non mediocriter peccabitur: nec vna ratio est peccandi. nam & nimium, & parum hic quoq; laedit. Hoc etiam in Oratore Cicero praecepit, cum de periodo dissereret: quam τετράκωλον esse fere vult. Constat enim ille ambitus, & plena comprehensio, e quattuor fere partibus: quae membra dicimus, vt & aures impleat: & neue breuior sit, quam satis sit, neque longior (quamquam vtrumq; non numquam, vel potius saepe accidit: vt aut citius insistendum sit, aut longius procedendum) ne breuitas defraudasse aures videatur, neue longitudo obtudisse. Ijsdem autem vitijs obnoxia quoque membra sunt, vt philosophus tradit: nam, & breuiora, & longiora esse, quam oporteat, possunt. Quod in extremo vero mutilum diminutumq; est, μείουρον significat: versus quoq; non nullos, qui in fine tempore deficerent atque claudicarent, Graeci μειούρους vocabant.

Τὸ μὲν γὰρ μικρὸν, προσπταίειν πολλάκις ποιεῖ τὸν ἀκροατήν.

Quod enim pusillum est, efficit, vt is, qui audit saepe labatur.

QVID incommodi vtrunq; vitium afferat, exponit: quod enim (inquit) breue exiguumq; est, insistere sape cogit auditorem: vel potius labi, & tamquam in salebra haerere: quomodo autem id fiat, diligenter docet.

Ἀνάγκη γὰρ, ὅταν ἔτι ὁρμῶν ᾖ ἐπὶ τὸ πόῤῥω, καὶ τὸ μέτρον, οὗ ἔχει ἐν ἑαυτῷ ὅρου, ἀντισπασθῇ, παυσαμένου, οἷον πρόσπταισιν γίνεσθαι, διὰ τὴν ἀντίκρουσιν.

Necesse enim est, quando adhuc cum impetu fertur ad id, quod longinquum est, mensuramque termini eius, quem in semetipso habet, retractus fuerit, cessante illo, tamquam prolapsionem fieri, propter incursum eum.

VNDE lapsus ille, offensioq; existat, exponit. Necesse est (inquit) cum is, qui audit, adhuc vltra tendit animo, & longius procedit: ad mensuramq; illam termini, quem animo concepit: in seq; habet, festinat, retrorsum trahatur (quod fit, cum orator subito, & ante expectatum cessat) necesse inquam est, tamquam offensionem gigni, quia incurrit ceu in molem, quae obiecta est: diuersi ab eo, quem sibi proposuerat, termini: quam molestum autem hoc esse debeat, facile omnes intelligunt. Communem lectionem secutus, hunc sensum, non malum (nisi fallor) ex toto hoc loco elicio: quam tamen non nulli variare sine causa conati sunt, auctore Graeco interprete, qui omnia semper, quae non intelligit, contaminat. Hanc autẽ nulla varietate in cunctis scriptis libris inueni: vetus quoq; tralatio eius vestigia impressa habet. Ὅρον appellat circunscriptionem, qua terminatur sententia aliqua. Cum longiorem igitur sibi in animo cursum constituisset auditor: putaretq;, antequam absolueret sententiam, desineretq;, ad eũ, quem ipse sibi fixerat terminum, peruenturum dicentem, illo cessante, ipse vi inde auellitur ac concidit. Quod vero inquit προσπταίειν γίνεσθαι, indefinitum verbum pro nomine sumpsisse videtur: modus sane hic loquendi, propter consequens eiusdem temporis verbũ, duriusculus est. Imitari igitur rem illam verum casum significauit, addens οἷον: causam autem prolapsionis aperuit, & quod potissimum tamquam praecipitem ageret auditorem, docuit, scribens, διὰ τὴν ἀντίκρουσιν. Ἀντίκρουσις vero est, cum solida res in solidam incurrit, & quod resistat, atque impetum eius retardet, inuenit: qui autem concitatiore cursu feruntur: nec aliquid, quod obstet, se inuenturos arbitrantur, cum incurrunt repente in aliquid, retro impelluntur ac cadunt. Hoc sane notum omnibus esse potest, & aliquando cuilibet contigerit necesse est: ipse tamen in problematum segmento vj. cum rationem redderet, cur qui contento cursu feruntur, cum quispiam se ipsis currentibus obiecerit, incidunt in molestum morbum, diuulsionem, quam Graeci σπασμὸν vocant, totam rem exponit, hoc pacto. Cum enim currente quopiam, vehementer in anteriorem partem partibus corporis impulsis, aliquis se opposuerit, vsu venit, vt vna retro trahat ac rapiat in contrarium, cum illae adhuc ante suo motu ferrentur.

Τὰ δὲ μακρὰ ἀπολείπεσθαι ποιεῖ.

Quae vero prolixa sunt praestant, vt is, qui audit, destituatur.

PRODVCTA autem ac longa membra periodorum (quod enim nunc vitium in ijs sit, declarat, cum curtorum iam ostendisset) auditorem deficere cogunt, relinquuntq; eũ: quia cursus ipsius mensuraque, quam animo statuerat, tam longe non procedit, sed cum terminum suum nacta est, insistit: quod simili explanat.

Ὥσπερ οἱ ἐξωτέρω ἀποκάμπτοντες τοῦ τέρματος: ἀπολείπουσι γὰρ καὶ οὗτοι τοὺς συμπεριπατοῦντας.

Non aliter atque, qui extra terminum excurrunt: relinquunt enim hi quoque illos, qui secum deambulant.

EXEMPLO vna deambulantium, rem ita se habere confirmat: qui enim eadem spatia non seruant, sed vltra statutum terminum progrediuntur, post se relinquunt, quos habent comites suae deambulationis: illi namque vltra terminos certos non excurrunt. Quod autem in animo fiat, docere voluit similitudine eorum, quae cotidie in corporibus nostris videmus euenire: cum haec aperta sint, & oculis cernantur: illa vero non possint, nisi intelligentia cognosci, & huiuscemodi rebus illustrari.

Ὁμοίως δὲ καὶ αἱ περίοδοι, αἱ μακραὶ οὖσαι, λόγος γίνεται, καὶ ἀναβολῇ ὅμοιον.

Simili autem modo & ambitus, qui longi sunt, oratio fiunt, & quiddam simile anabolae.

EODEM pacto (inquit) prolixae comprehensiones, naturam suam amittunt, & orationes fiunt; resq; omnino similis melicorum poëtarum anabolae. vnde manifesto percipitur, ἀναβολὴν lyricorum poëtarum, cui supra similem esse dixit locutionem εἰρομένην, longiore cursu confici solitam: sicut ἀντίστροφον, cum qua contulit orationem κατεστραμμένην, angustiore gyro: ὁμοίως vero, quod inquit, aliud, quod item absurdum est, videtur significare: neque enim simile est superiori posterius hoc, sed contrarium. In antiquissimo autem libro hoc diuersum ab alijs offendi, quod vbi ceteri λόγος, ipse ἄλογος habet: quam etiam lectionem sequitur vetus tralatio: cum igitur nihil immutarim, quin tamen hoc notum facerem, praetermittere nolui.

Ὥστε γίνεται, ὃ ἔσκωψε Δημόκριτος, ὁ Χῖος, εἰς Μελανιππίδην, ποιήσαντα ἀντὶ τῶν ἀντιστρόφων, ἀναβολάς. Οἵ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων. Ἡ δὲ μακρὰ ἀναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη.

Quapropter gignitur, quod in Melanippidem dixit Democritus Chius, qui pro antistrophis cecinerat anabolas. Profecto sibi ipsi malum struit, qui alij struit. Longa autem anabole molestissima est ei, qui fecerit.

QVARE (inquit) idem hic vsu venit, quod Democritus Chius alia in re contempsit: & elegans ipsius vox huc transferri potest: in Melanippidem enim lyricum ille ludens, qui cum antistrophas in carmine facere deberet, si consuetudinem aliorum sui generis poëtarum seruare voluisset, anabolas fecerat, notum Hesiodi praeceptum, leuiter immutatum, & ad sententiam, quam volebat, ab ipso conformatum, protulit: nam cum malum consilium ei, qui consiliũ dat, pessimum esse Hesiodus dixisset: productam anabolem valde molestam esse ei, qui fecit, Democritus significauit: nec solum odiosam esse auditoribus, sed auctoribus ipsius, quod etiam euenire de prolixa nimis comprehensione affirmat Aristoteles. Cum autem Hesiodium illud duobus versibus contineatur, in posteriore versu immutatio facta est: ita enim cecinit vetus ille » poëta. ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. priorem vero, vt ab auctore acceperat, Democritus edidit. Has autem parodias (sic enim appellant) valde vtiles esse ad iocandum planum est. vnde comici prisci poëtae in fabulis suis illas frequentabant. atque ita risum spectatoribus mouebant.

Ἁρμόττει γὰρ τὸ τοιοῦτον καὶ εἰς τοὺς μακροκώλους λέγειν.

Quadrat enim hoc in eos, qui prolixos ambitus faciunt.

APTE dici potest hoc etiam inquit in eos, qui prolixa membra comprehensionum fingunt: nam & sibi ipsis, & ijs, qui audiunt, molestiam exhibent. Ἁρμόττει λέγειν, conuenit quadratque in illos. aptum est illis irridendis.

Αἵ τε λίαν βραχύκωλοι, οὐ περίοδος γίνεται· προπετῆ οὖν ἄγει τὸν ἀκροατήν.

Qui autem ambitus valde breuia membra habuerint, non ambitus erunt: praecipitem vtique auditorem agunt.

COMPREHENSIONES, quae breuia praeter modum membra habent, περίοδοι non sunt, inquit: siquis vim huius nominis cogitet: περίοδος enim circuitio, ac circunductio quaedam est, nomenque impositum habet a vijs, quae orbem & circum conficiunt: contra enim hae auditorem praecipitem rapiunt, cum ipsarum tamquam iter fractum sit. vt non sine periculo capitis: cum saepe labi cogatur, auditorem secum vehant. Hinc autem saepe translato nomine προπετῶς inconsiderate, vel potius petulanter significat. Isocrates in Panathenaico. » ἔπειτα μὴ προπετῶς ἀποφαίνεσθαι, περὶ ὧν οὐκ ἴσασιν. Idem in suasione ad Philippum, προπέτειαν Cyri minoris appellauit: cum temeritatis illum damnaret, quod partam iam victoriam certamque, nimia elatione animi: virtutisq; suae ostentandae cupiditate, corrupit.

Τῆς δὲ ἐν κώλοις λέξεως, ἡ μὲν, διῃρημένη ἐστίν· ἡ δὲ, ἀντικειμένη.

Locutionis autem, quae constat membris, vna quidem diuisa est: altera vero e regione sita.

ORATIONIS,

ORATIONIS, quae ex membris constat, non vnum genus esse inquit: alia enim διῃρημένη vocatur, quod membra soluta liberaq; habeat, quorumque partes mutuo se non spectent: alia autem ἀντικειμένη, in qua singula paene verba mutuo sibi respondent, ac posterioris membri voces, opponuntur vocibus prioris. Cum vero vnitatis numero antea hic ἐν κώλῳ excusi haberent, secutus easdem auctoritates, quas soleo, ἐν κώλοις restitui.

Διῃρημένη μὲν, οἷον. Πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων, καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων.

Diuisa quidem, veluti. Saepe miratus sum eos, qui celebres mercatus coëgerunt: & certamina gymnica instituerunt.

LOCVTIO, quae diiuncta membra comprehensionum habet, huiuscemodi est, inquit: exemplis enim nunc vtriusq; naturam illustrare vult. Initium autem primum orationis Isocratis, quam panegyricum appellauit, apertum est: nec non duo ipsius membra separata esse, nulloq; inter se tamquam vinculo connexa. Duo vero, quae in exemplo aliter hic, quam apud auctorem ipsum legebantur, emendaui, quia animaduerti antiquissimo libro cum ea lectione conuenire.

Ἀντικειμένη δὲ, ἐν ᾗ ἑκατέρῳ τῷ κώλῳ, ἢ πρὸς ἐναντίῳ ἐναντίον σύγκειται, ἢ ταὐτὸ ἐπέζευκται τοῖς ἐναντίοις.

E regione autem sita, in qua vtrique membro, siue ad contrarium contrarium adpositum est: siue idem adiunctum est contrarijs.

ILLA contra oratio (inquit) ἀντικειμένη erit, in qua vtroq; in membro, aut ad contrarium, contrarium constitutum erit, aut quae idem verbum contrarijs, quod ea vinciat adiunctum habebit. Exemplum, ex eadem luculentissima oratione sumptum, totam rem illustrabit: non nulla tamen aliter hic, quam apud Isocratem ipsum leguntur, quod in cunctis fere his exemplis euenit. Cum inciderim autem in locum Theophrasti e libris, quos scripsit de elocutione, vbi haec ipsa ἀντίθεσις & quae sit, & quot modis fiat, accurate explicatur, operaepretium me facturum arbitror, si eum adposuero: nam lucem etiam huic loco aliquam afferet, & pleniorem totius rei scientiam gignet: quae namque maxime ipsius species elegans sit, & ab omni reprehensione remotior, indicat: vt enim tempore, modiceq; vsurpata haec concinnitas, mirifice ornat orationem, ita non suo loco posita, ac sine modo captata, plurimum nocet: tribus autem ille modis effici in oratione ἀντίθεσιν hanc affirmat: nec aliam vllam rationem esse contrarijs contraria opponendi. verba ipsius haec sunt, ab Halicarnasseo in Lysiae vita citata, cum falso putasse Theophrastum ostendere vellet, orationem, pro Nicia imperatore editam, ab eo oratore scriptam, ac sine causa Lysiam ab ipso insimulatum. Nimis crebrum autem auctor ipsius, & parum apto ad eum accipiendum loco, hunc ornatum orationis adhibuerat. vt vitio oratio illa, cuiuscunq;
» fuerit, non caruerit. ἀντίθεσις δ' ἐστὶ τριττῶς· ὅταν τῷ αὐτῷ τὰ ἐναντία, ἢ τῷ ἐναντίῳ τὰ αὐτὰ, ἢ τοῖς ἐναν-
» τίοις ἐναντία προσκατηγορηθῇ: τοσαυταχῶς γὰρ ἐγχωρεῖ συζευχθῆναι. Cum igitur Aristoteles duos modos videatur significare, sodalis vero ipsius tres esse voluerit (nisi fallor) in numero non dissentiunt: alter enim duorum illorum, qui ab Aristotele allati sunt, duplex est: partesq; continet illas, in quas a Theophrasto dissectus est: intelligo autem posteriorem modum, cum idem scilicet contrarijs adiunctum ac copulatum est: id enim praestari potest, & cum eidem contraria adiunguntur, & cum contrario eadem: nam altera illa simplex ratio ab ambobus eodem pacto, ac paene ijsdem verbis tradita est. Addit vero Theophrastus, quod ex illis vitiosum sit, osten-
» dens. τούτων δὲ τὸ μὲν ἴσον καὶ τὸ ὅμοιον, παιδιῶδες, καθάπερ ἢ ποίημα. διὸ καὶ ἧττον ἁρμόττει τῇ σπουδῇ: φαίνεται
» γὰρ ἀπρεπὲς, σπουδάζοντα τοῖς πράγμασι, τοῖς ὀνόμασι παίζειν, καὶ τὸ πάθος τῇ λέξει περιαιρεῖν: ἐκλύει γὰρ τὸν ἀκροατήν: cum enim par omnino ac simile membrum membro fuerit, & longitudine scilicet sua, numeroque syllabarum, & nominibus in eo positis, quia nimis elaboratum est: industriamque ingentem prae se fert, & non minorem, quam poëma aliquod in se habeat, potius puerilis studij proprium id esse, quam grauis oratoris tradit, ac nullo modo conuenire rebus seueris tractandis: esse namq; indecorum, cum, si res spectetur, serio agas, verbis ludere ac iocari: praetereaq; affirmat, quod & Phalereus etiam & Cicero testatus est, locutione illa extingui omnem motum ex animis auditorum: causam autem eius incommodi esse, quia dissoluit iudicem, eumq;, qui audit, suaui illa ac festiua constructione verborum. exemplis autem vitium huius rei significa-
» re volens, his vsus est, sumptis ex oratione, quae Lysiae putabatur: inquit enim. οἷον ὡς ὁ Λυσίας
» ἐν τῇ τοῦ Νικίου ἀπολογίᾳ, βουλόμενος ἔλεον ποιεῖν. Κλαίω ἀμάχητον καὶ ἀναυμάχητον ὄλεθρον: ἱκέται μὲν αὐτοὶ
» τῶν θεῶν καθίζοντες: προδόται δὲ τῶν ὅρκων ἡμᾶς ἀποφαίνοντες. ἀνακαλοῦντες δὲ συγγένειαν. θυμοῖεν. omnia autem, quae culpauit, in se ipsam habere planum est. hoc vero positum ab auctore, exemplum

est

est ἀντιθέσεως illius, cum idem contrarijs, quod illa vinciat, respondet: verbum enim ὤνησαν complectitur τοὺς ὑπομείναντας, & τοὺς ἀκολουθήσαντας: quorum nominũ notio contraria inter se est. ipse tamen statim, quid contrarij in ipso sit, non ostendit, sed ad extremũ breui significat vim vtriusque exempli: sequuntur enim haec ipsa apud auctorem verba, quae conficiunt alterum exemplum: rationem namq; ipsis attulit eius, quod comprehensione hac ediderat: οἷον ἀμφοτέρους δ' ὤνησαν, καὶ τοὺς ὑπομείναντας, καὶ τοὺς ἀκολουθήσαντας.

Τοῖς μὲν γὰρ, πλείω τῆς οἴκοι προσεκτήσαντο: τοῖς δὲ, ἱκανὴν τὴν οἴκοι κατέλιπον. Ἐναντία: ὑπομονὴ, ἀκολούθησις: ἱκανὸν, πλεῖον.

His namq; plura, quam quae domi possidebant, compararunt: his vero, vt quod agri domi haberent, satis esset effecerunt. contraria sunt, manere & sequi, quod satis est, & quod superat.

EXEMPLVM hoc est prioris modi, quod dixit. ἢ πρὸς ἐναντίῳ ἐναντίον σύγκειται. verba contraria sunt, προσεκτήσαντο, & κατέλιπον: quae vero nomina inter se contraria sint in duobus his membris accurate ipse demonstrat: quae namq; sequuntur, verba ipsius sunt. quibus tradit contraria inter se esse quattuor illa nomina. cum autem diuersis casibus antea ipsa in excusis libris legerentur, nominandi casu omnia, vt in calamo exaratis offendi, legi volui: ἐναντία enim neutri generis est, non muliebris: valetq; hic, quae Cicero in Oratore Graecos nominare ἀντίθετα tradit. & sane Halicarnasseus ita vocat, vbi & ipse cumulatas his elegantijs Isocratis periodos in vita ipsius docet: quamuis aliquando etiam ἀντίστροφα appellarit. sententia totius loci haec est: laudat enim Isocrates consilium antiquorum Atheniensium, qui magnis copijs ex omni Graecia collectis, intulerunt bellum barbaris, atque imperij fines valde propagarunt: nam ex Asiae maritimis locis ipsos & ex insulis eiecerunt. Affirmat igitur ita illos & ijs, qui secuti sunt ipsos in bellum, & ijs, qui domi manserunt, profuisse: ijs enim satis agri, quo se alerent, reliquerunt: ijs vero multo maiorem, quam domi possidebant, acquisiuerunt: quod enim τῆς generandi casu, vnitatis numero emendaui, feci id hortante optimo exemplari, & re ipsa: intelligi enim debet χώρας, vt est apud auctorem.

Ὥστε καὶ τοῖς χρημάτων δεομένοις: καὶ τοῖς ἀπολαῦσαι βουλομένοις. ἀπόλαυσις κτήσει ἀντίκειται.

Quapropter & pecunia egentibus: & partis rebus frui volentibus. frui & quaerere rem e regione posita inter se sunt.

SENTENTIA imperfecta: neque enim vnde haec verba regantur, adpositum est. Ex eadem vero oratione exemplum acceptum, quod & ipsum aliquantulum immutatum est: ita enim
» hic locus apud Isocratem legitur. ὥστε καὶ τοῖς χρημάτων δεομένοις, καὶ τοῖς ἀπολαῦσαι τῶν ὑπαρχόντων
» ἐπιθυμοῦσιν, ἀμφοτέροις ἁρμόττειν. Ciuitas Atheniensium consilio suo ita remp. constituit, vt & his & illis conueniret. Quae sequuntur verba, quibus haec membra e regione sibi respondere indicatur, Aristotelis sunt: prioris enim membri intellectum, quo Isocrates dixit viam veteres Athenienses inuenisse, qua prodessent illis, qui pecunia egebant, expressit Aristoteles verbo κτήσιν: quod rei familiaris comparationem manifesto significat: contrarium autem id est aliquo modo ἀπολαύσει: quod valet, rei ante partae fructus & confectio.

Καὶ ἔτι. Συμβαίνει πολλάκις ἐν ταύταις καὶ τοὺς φρονίμους ἀτυχεῖν, καὶ τοὺς ἄφρονας κατορθοῦν.

Et praeterea. Vsu venit saepe in huiuscemodi rebus, & prudentes aduersis rebus vti, & stultos secundis.

PERGIT, ex eadem oratione sumpta, exempla ponere: non tamen hic, vt supra fecerat, quae in his contraria sunt, ostendit: manifesto namque illa intelliguntur: prudentes enim ac stulti contrarij inter se sunt, vt deici fine sibi proposito, aduersoq; aliquo casu premi: ac consequi, quod volueris, secundasq; res nancisci. Sustuli hinc verbum, quod a melioribus etiam scriptis abest: in excusos autem omnes irrepserat: neque enim ἐν πόλεσι ταύταις, vt illi habebant, legi debet, sed πράξεσιν intelligi: quod ex oratione ipsa etiam Isocratis facile quiuis cognoscere po-
» test. ita vero se locus omnis apud auctorem habet: Ὁρῶσα δὲ περὶ μὲν τὰς ἄλλας πράξεις οὐ ταραχώδεις
» οὔσας τὰς τύχας, ὥστε πολλάκις ἐν αὐταῖς καὶ τοὺς φρονίμους ἀτυχεῖν, καὶ τοὺς ἀνοήτους κατορθοῦν: ornat enim Athenas, consiliumq; illius ciuitatis laudibus summis effert, quod toto pectore studijs

sapientiae

ſapientiae incubuerit, rationemq; in primis coluerit: cognouit enim (inquit) alijs in rebus exiſtere adeo turbidos inexpectatoſque caſus, vt ſaepenumero in illis prudentes, miſeri: inſipientes, fortunati ſint.

Εὐθὺς μὲν τῶν ἀριστείων ἠξιώθησαν· οὐ πολὺ δὲ ὕστερον τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης ἔλαβον.

Ilico quidem donis, quae dantur fortibus viris, ornati ſunt: non multo autem poſt imperium maris acceperunt.

EXEMPLVM ex eadem oratione acceptum. Intelligit autem veteres Athenienſes, quos, cum in bello aduerſus Perſas ſtrenue ſe geſſiſſent, ſtatim dicit praemia, quae viris fortibus dari ſolita ſunt, obtinuiſſe: non multoq; poſt imperium maris ſua virtute acquiſiſſe: membra quoque haec contraria eſſe, apertum eſt.

Πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης· τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας· τὸν δ' Ἄθω διορύξας.

Nauigaſſe quidem terram: ambulaſſe autem mare. Helleſponto quidem iuncto: Athone autem perfoſſo.

BINAE hae, continentes etiam apud auctorem, comprehenſiones ſunt: quae ambae duobus membris, inter ſe contrarijs, conſtant. Sermo autem eſt de Xerxe Perſarum rege, ingentibusq; ipſius apparatibus ac factis. Has quoque eleganter expoſitas, & incredibiles ſententias Iſocrates in Panegyrico poſuit: quae contraria in ijs ſint (ſunt enim illuſtria) a quouis intelligi arbitror. Totum vero locum, praepoſtero tamen ordine, Cicero in ij de finibus, exprimere conatus eſt.
» Vt ſi Xerxes, cum tantis claſſibus, tantisq; equeſtribus, & pedeſtribus copijs, Hel-
» leſponto iuncto, Athone perfoſſo: maria ambulauiſſet, terram nauigaſſet. Sed etiam Lucretius in iij. libro, vbi de interitu copioſe, & eleganter diſputat.

Καὶ φύσει πολίτας ὄντας, νόμῳ τῆς πόλεως στέρεσθαι.

Et cum natura ciues eſſent, lege ciuitate priuari.

EX eadem oratione locus acceptus: apud Iſocratem tamen ipſum extrema pars aliquantulum immutata: illic enim τῆς πολιτείας ἀποστερεῖσθαι legitur. loquitur autem illic de inſtitutis aequiſſimis antiquorum Athenienſium, qui oppida, quae imperio eorum tenerentur, libera eſſe & a multitudine regi volebant: rem atrocem & non ferendam putantes, vt alia non nulla, quae narrat, fieri, ita qui natura ciues eſſent, lege ab adminiſtratione ciuitatis pelli.

Οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν, κακῶς ἀπώλοντο· οἱ δὲ, αἰσχρῶς ἐσώθησαν.

Hi namque ipſorum male perierunt: hi vero turpiter conſeruati ſunt.

EX eadem oratione ſumptum exemplum. Quae contraria hic ſint, apertum eſt: & aduerbium namque aduerbio: & verbum verbo e regione ſtat. loquitur autem de copijs Perſarũ in Graeciam tranſportatis: hi enim ipſorum, male perierunt: hi vero, turpiter conſeruati ſunt.

Ἰδίᾳ μὲν, τοῖς βαρβάροις οἰκέταις χρῆσθαι· κοινῇ δὲ, πολλοὺς τῶν συμμάχων περιορᾶν δουλεύοντας.

Priuatim quidem barbaros ſeruos habentes; publice autem ſociorum ſeruire multos non curantes.

E panegyrico quoque hic locus acceptus eſt: non nulla tamen aliter apud auctorem ipſum leguntur: quod illic legitur ἀξιοῦν, culpa fortaſſe librarij hic omiſſum eſt: non parum enim (vt arbitror) ſententiam adiuuat, quae tamen ſine illo, aliquem ſenſum habet: contra turpe autem foedus, cum Perſarum rege icto diſputat: viamque quaerendam dicit, qua paenas capiant tantae iniuriae: dignitatique ac ſaluti Graecorum in reliquum conſulant: turpe namque eſſe priuatim ipſos poſtulare, vt barbaris pro mancipijs vtantur: publice autem aequo animo pati magnam partem ſociorum illis ſeruire.

Ἢ ζῶντας, ἕξειν· ἢ τελευτήσαντας, καταλείψειν.

Siue viuentes habituros: ſiue mortuos relicturos.

LOCVM

Locvm hunc, in cunctis libris corruptum, restitui: non enim ἄξειν, vt antea, sed ἕξειν, legi debet, & huic verbo indefinito, quod sequitur, & ipsum eodem tempore positum, aduersatur. vt contrarij etiam inter se sunt, qui viuunt: &, qui mortem obierunt. Verba autem haec apud eundem scriptorem in extremo panegyrico leguntur, post illum locum, quem supra citauit, cum de locutione concitatiore disputaret: & quando, ferentibus auribus auditorum, liceret oratori epitheta plura, ac iuncta peregrinaq; verba vsurpare, doceret.

Καὶ, ὃ εἰς Πειθόλαον τὶς εἶπε καὶ Λυκόφρονα ἐν τῷ δικαστηρίῳ.

Et quod in Pitholaum quidam dixit, & Lycophronem in foro.

Vox praeterea, quae ab aduersario coniecta est in Pitholaum & Lycophronem, eiusdem generis est: ex contrarijs enim artificiose conformata fuit. In foro autem illos acuto hoc dicto vulnerauit, qui scelus ipsorum, nec ferre ipse poterat: nec ignorari ab alijs vllo modo volebat. Pitholaus autem & Lycophron Thebes, vxoris Alexandri Pherei, fratres fuere: qui ab illa ipsa ad caedem tyranni impulsi, eum interfecerunt: ac primis quidem temporibus moderate se gerentes, amplissimos honores a ciuibus consecuti sunt: postea mutato consilio, quam alijs eripuerant iniustam potestatem, sibi asciscentes, dominatum ciuitatis occuparunt. contra eos bellum diu gessit Philippus Macedo: ipsi tamen post Onomarchi, Phocensium imperatoris, aduersam pugnam interitumque, spoliati socijs, vrbem ei tradiderunt: fideque ab ipso accepta, coacta magnu mercennariorum ad Phayllum confugerunt. Haec Diodorus in xvj. libro narrat. Plutarchus quoq;, quae ad necem tyranni pertinent, in Pelopida exponit. Hi tamen tres fuisse fratres tradunt, qui Alexandrum dolo necauerint: Tisiphonum enim tertium vocant. Fuerint ne autem hi, qui nunc appellantur ab Aristotele, affirmare non ausim. Praeterea, cum ignotus sit qui illis ita maledixerit: nec non quo in oppido haec in ipsos dicta fuerint, omnia obscuriora fiunt. Citatur etiam ab Harpocratione in lexico testimonium Lycurgi, acerbissimi illius accusatoris, ex oratione contra Lycophronem: si quippiam id forte ad hunc locum facit. Animaduertendum vero quod ἐν δικαστηρίῳ inquit: nec fori ipsius, cum plura Athenis essent, nomen posuit. nam aut alibi iudicia exerceri solita esse, aut certum aliquod communi omnium nomine appellatum fuisse, mihi compertum non est. videbatur autem aut forum, in quo hoc prolatum esset, appellare debuisse: aut hoc ipso supersedere. Et tamen in ij. quoq; libro ἠθικῶν, quae magna inscribuntur, eodem pacto ipse locutus est. οἷον ὑγὸν φασί ποτε κρινόμενον ἐν δικαστηρίῳ, ὅτι πατέρας τύπτοι: & quae sequuntur: nec non Plutarchus in vita Demosthenis.

Οὗτοι δ' ὑμᾶς, οἴκοι μὲν ὄντες, ἐπώλουν: ἐλθόντες δ' ὡς ἡμᾶς, ἐώνηνται.

Hi quidem vos, cum domi essent, vendiderunt: cum venissent autem ad nos, emerunt.

Contraria hic manifesto sunt: domi existentes, & profecti ad nos: vt vendebant, & emerunt: nec non vos, & nos, si ita legi debet: in antiquissimo namque libro eodem pacto ambobus locis legitur: ὑμᾶς scilicet, quod tamen vix locum hic habere potest. Quod si manifesto teneretur, & a quo, & contra quos, & vbi, haec dicta in iudicio forent, de vera germanaq; lectione dubitari non posset, quae in diuersis codicibus valde varia inuenitur: praecipue in pronominibus dissentiens. nam sunt libri etiam, in quibus ἐώνηται, non ὄντες legatur. Videtur autem contumeliosa haec vox, bimembri ambitu comprehensa, in eos iacta, qui pecunia, quam comparassent in suis ciuibus hostibus emancipandis, eadem postea vterentur in illis ab ijsdem emendis, atq; in seruitutem sibi adiudicandis.

Ἅπαντα γὰρ ταῦτα ποιεῖ τὸ εἰρημένον.

Cuncta enim haec efficiunt, quod dictum est.

Qvod antea, ne longior in re non valde difficili foret, post singula exempla, non fecerat, nunc simul breuiq; facit: in omnibus enim supra adlatis exemplis eandem vim esse tradit: ἀντικειμένηνq;, siquis Graeco nomine eam appellare velit, locutionem illam esse affirmat.

Ἡδεῖα δέ ἐστιν ἡ τοιαύτη λέξις, ὅτι τὰ ἐναντία γνωριμώτατα καὶ παράλληλα, μᾶλλον γνώριμα.

Suauis autem est huiuscemodi locutio, quia contraria maxime nota sunt, & cum prope posita sunt, magis nota sunt.

Haec autem locutio, in qua contrarijs opponuntur contraria (inquit) cum suauis sit, tantam suauitatem hinc accipit: duas autem huius rei radices indicat: suauem enim esse vult, & quod contraria,

contraria, quibus constat, maxime nota sunt, alterum scilicet ex altero: colligata namq; inter se sunt: ac multis modis simul connexa: eademque iuxta collocata, melius adhuc intelliguntur: quae autem maior voluptas, quam quae ex perfecta cognitione capitur? nam scientia vna animum nostrum ali, optimi auctores tradiderunt. Cum igitur oblectare ipsam animos fateatur: causasq; huius voluptatis diligenter aperiat, non tamen inde, quod numerosa sit, eam iucundam esse dicit: quod putauit Cicero, vt supra etiam breui declaraui: habere enim hanc vim orationem, in qua opponuntur contraria ille existimauit, quemadmodum eam etiam, quae casus habet in exitu similes, & in qua paribus paria redduntur (de quibus infra statim philosophus disputabit) vt suapte natura numerosa sit: relationem enim contrariorum efficere numerum omnino Cicero voluit: nec tamen Aristoteles hic, vbi de virtute ipsius dotibusque agit, hoc tangit.

Καὶ ὅτι ἔοικε συλλογισμῷ: ὁ γὰρ ἔλεγχος συναγωγὴ τῶν ἀντικειμένων ἐστίν.

Et quia similia sunt syllogismo: elenchus enim collectio est oppositorum.

PRAETEREA (inquit) iucunditatis non parum habet, quod imitatur ratiocinationem, quam syllogismum vocant: elenchus enim, qui & ipse syllogismi species est, contrariorum collectio est. quod si accurate animaduertemus, oratio haec, quae contraria opposita habet, hoc ipsum est. Elenchum autem, ratiocinationem μετὰ ἀντιφάσεως vocari ab hoc auctore, quia conclusionem habet oppositam priori conclusioni, manifestum est. Iucundus vero is est, quod omnia certa planaq; reddit. Iucunda igitur haec etiam erit, quod perspicuam nobis scientiam tradit.

Ἀντίθεσις μὲν οὖν τὸ τοιοῦτόν ἐστιν.

Huiuscemodi autem omne oppositio est.

HAEC ad ea, quae iam tradita sunt pertinent: narrat enim cum hoc pacto contrarijs contraria opposita fuerint, vt fuere in locis ab ipso monstratis, vocari artificium illud vno verbo ἀντίθεσιν. Hoc autem exposito, similes huic orationis elegantias alias, concinnitatesq; explicat.

Παρίσωσις δὲ, ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα.

Adaequatio autem, si aequalia fuerint membra.

VOCATVR vero (inquit) παρίσωσις, cum aequalia membra fuerint: idest cum verba verbis quasi dimensa & paria responderint. vt Cicero appellare consueuit: quam autem παρίσωσιν hic Aristoteles appellat, Demetrius, vt posteriores dicendi magistri, ἰσόκωλον vocat. Omnis autem haec doctrina facilis, & a veteribus huius artis doctoribus diligenter pertractata est.

Παρομοίωσις δὲ, ἂν ὅμοια τὰ ἔσχατα ἔχῃ ἑκάτερον τῶν κώλων.

Assimilatio vero, si extremas partes similes habuerit vtrunque membrum.

VT παρίσωσις membrorum aequalitatem continet, ac prope numero pares syllabas, ita παρομοίωσις, de qua nunc agit, similitudinem extremarum partium membrorum: idest initij ac finis: in vtroq; enim παρομοίωσις est. Demetrius, qui de his luminibus orationis accurate disseruit, tamquam genus παρομοίωσιν esse vult: ἰσόκωλα autem partem, formamq; ipsius appellat.

Ἀνάγκη δὲ ἢ ἐν ἀρχῇ, ἢ ἐπὶ τελευτῆς ἔχειν.

Necesse autem est siue in principio, siue in extremo habere.

HAS (inquit) similitudines, quas dixi, necesse est aut initio alicuius membri, aut ad extremum inueniri: vtroque enim loco recte concinneq; collocantur. Hermogenes vero, cum & ipse de
» his luminibus orationis dissereret, παρισώσεις has appellauit: inquit enim. γίνονται δὲ αἱ παρισώσεις
» καὶ κατ᾽ ἀρχὰς καὶ κατὰ τέλος: & quae sequuntur.

Καὶ ἀρχὴ μὲν, αἰεὶ τὰ ὀνόματα.

Et principium quidem semper nomina habebit.

PRINCIPIVM semper nomina similia dicens habere, initium membri intelligit, non primam partem verbi, quod primum in membro positum fuerit, vt Hermogenes fecit, cuius haec sunt
» verba. καὶ κατ᾽ ἀρχὰς μὲν, οἷον προσήκει προθύμως, καὶ ὁ Πλάτων, Παυσανίου δὲ παυσαμένου: quod si verborum in primis syllabis similitudinem spectauit, eo potius nomine vti debuit, quo similia illa inter se esse declarantur, quam quo paria aequaliaq;: similitudo namque, qualitatis: aequalitas vero, quantitatis est. Quamuis autem aequale simileq; quandoque confundantur, vbi scru-

pulum

pulum id inijcere potest ac turbare animos lectorum, officium est accurati scriptoris apposite loqui. Cum tamen Plato, cuius ille vtitur exemplo, addiderit: διδάσκουσι γάρ με ἰσα λέγειν οἱ σοφοί: significare ille fortasse aequalitatem syllabarum, non similitudinem nominum voluit: pares enim numero in vtroq; sunt: vt etiam in verbis Demosthenis, προσήκει προθύμως, siue Xenophontis illa putes: Xenophon enim ante illum ita haec ipsa verba composuit, in contione Thrasybuli, quae est in ij. libro de rebus Graecorum, siue potius consuetudinem rhetorum sui temporis Plato sequutus est, qui ita loquebantur: recentiores certe, vbi id fiebat, quamuis impares syllabae verborum eorum forent, παρίσωσιν vocabant, vt alterum oratoris eiusdem locum ex oratione pro Ctesiphonte, φιλίππῳ φίλων. & contra Aeschinem fallae legationis, φίλιππον φιλεῖν τὴν πόλιν. Nomina vero similia appellat Aristoteles, quae tota sui formatione parum inter se discrepantia fuerint, non similiter tantum desinunt aut incipiunt.

Ἡ δὲ τελευτὴ, τὰς ἐσχάτας συλλαβάς: ἢ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος, πτώσεις: ἢ τὸ αὐτὸ ὄνομα.

Extremum autem, vltimas syllabas, siue ipsius nominis casus, siue ipsum nomen.

IN exitu membrorum fit, & cum extremae syllabae similes inter se sunt, aut eiusdem nominis casus, aut demum ipsum nomen. Hinc etiam colligitur, quod aperte traditum est a Demetrio, παρομοίωσιν genus esse: cum complectatur & ὁμοιοτέλευτα, & ὁμοιόπτωτα.

Ἐν ἀρχῇ μὲν, τὰ τοιαῦτα: Ἀγρὸν γὰρ ἔλαβεν ἀργὸν παρ' αὐτοῦ. Δωρητοί τ' ἐπίλοιο: παραῤῥητοί τ' ἐπέεσιν.

SIMILIA nomina, initio membrorum posita, huiuscemodi (inquit) sunt: duo autem exempla, quibus rem aperiat, adfert: priore munus alicuius extenuare voluit, qui ita locutus est, dicens quempiam desertum agrum ab illo dono accepisse: sic enim legi debet: corrupte tamen antea ambobus in locis ἀγρὸν excusi habebant: in manu scriptis recte legitur. Agellum autem incultum, ἀργὸν, quasi ignauum & inertem, Graeci vocabant. Isocrates in Panegyrico. τῶν δὲ ἀπειρῶντας διὰ ἀφθονίαν χώρας, τὴν μὲν πλείστην αὐτῆς ἀργὸν περιορῶντας. Plutarchus in Pericle de Anaxagora physico loquens. καὶ τὴν χώραν ἀφῆκεν ἀργὴν, καὶ μηλόβοτον. prius horum verborum Cicero expressit, cum in v. de finibus de Democrito loquens, inquit. Agros deseruit incultos. quod etiam Anaxagoram fecisse ipsum in v. libro Tusculanarum narrat: posterius vero egregie Horatius reddidit in epistola ad Iccium. Miramur, si Democriti pecus edit agellos Cultaq;. sed idem etiam superius reddidit, cum in j. libro Odarum cecinit. Pone me pigris vbi nulla campis. Lusit quoq; in similitudine horum verborum Xenophon in viij. libro Κύρου παιδείας, cum Pheraulam Persen, tenuitatem patris exponentem, ita loqui fecit. ἐπεὶ δὲ μειράκιον ἐγιγνόμην, οὐ δυνάμενος τρέφειν ἀργὸν, εἰς ἀγρὸν ἀπαγαγὼν, ἐκέλευσεν ἐργάζεσθαι. Phalereus, cum & ipse de membris, quae παρόμοια vocant, dissereret, altero exemplo vsus est: versum autem Homeri eum esse, in nono Iliadis, pronuntiatum a Phoenice, suadente Achilli, vt simultatem, quam gerebat cum Agamemnone, deponeret, notum est: narrauit enim ille alios quoque olim honestos viros, muneribus delinitos: verbisq; placatos, iram abiecisse.

Ἐπὶ τελευτῆς δέ: Ὠιήθησαν αὐτὸν παιδίον τετοκέναι. ἀλλ' αὐτοῦ αἴτιον γεγονέναι.

In extremo autem. Putarunt ipsum infantē peperisse: sed ipsius causam extitisse.

IN exitu ac fine membrorum, quomodo παρομοίωσις fiat, exemplo hoc declarat, quod vnde acceptum sit, ignoro: extremas autem hic tantum syllabas pares, similesq; esse, perspicuū est. Particulam autem negandi, quae in excusis initium exempli erat, non recepi, quia ab omnibus scriptis libris abesse illam vidi: nec veterem etiam tralationem ipsam exprimere. veritus igitur ne ab aliquo ex ingenio hic posita sit, malui in re dubia, antiquorum librorum fidem, quam incertum auctorem sequi. patrio etiam casu in ijsdem posterius membrum αὐτοῦ habet, cum in excusis id nomen antea accusandi casu foret.

Ἐν πλείσταις δὲ φροντίσι, καὶ ἐν ἐλαχίσταις ἐλπίσι.

In cura autem magna: & in spe parua.

QVAMQVAM hi quoq; ijdem casus diuersorum nominum sint, non tamen casus ipsos nunc respicit: est enim hoc quoq; exemplum eorum membrorum, quorum plures in extremo sunt similes syllabae: in antecedente namque, quod similitudinem in eodem tempore verborum habuit, casus spectari non potuerunt. Diuersorum vero nominum casus (qui ornatus orationis a recentioribus huius artis praeceptoribus, ὁμοιόπτωτον vocatur) inter παρόμοια non enumerat: illa namq; παρόμοια noster dicit, in quibus syllabarum similitudo est, quae non semper in ijsdem

diuersorum nominum casibus inuenitur: neq; enim omnes generandi aut dandi casus, cum diuersae sunt nominum flexiones, similiter desinunt, verum tantummodo ij, qui eiusdem flexionis sunt, quamuis inueniantur etiam huius generis, quae hoc non seruent. Hi vero si in exitu membrorum collocentur, ὁμοιοτελεύτων nomine continentur: quod si alibi constituti fuerint, ab ipso non attenduntur. ὁμοιοτέλευτα autem, cum eiusdem generis omnia non sunt, & singulas tantum & plures syllabas in extremo similes habere possunt.

Πτώσεις δὲ ταὐτοῦ. Ἄξιος δὲ σταθῆναι χαλκοῦς, οὐκ ἄξιος ὢν χαλκοῦ.

Casus autē eiusdem. Dignus autē, qui statueretur ex aere, qui non dignus esset aere.

VALDE quoque hic elegans verborum ambitus est: cuius membra eiusdem nominis varios casus, diuersasq; terminationes habent: hoc enim puto ipsum intellexisse: πτώσεισq; appellasse, vt consueuit, κατακλήξεις ἀνομοίας: non quinq;, qui a grammaticis casus nominum vocantur: dissimilis enim est finis terminatioq; eiusdem nominis, quia littera posteriori voci adiuncta est. Similia autem haec nomina vocari possunt, quemadmodum nunc facit Aristoteles, quia remoto hoc discrimine, ceteris rebus similia sunt, vel eadem potius. Variaui igitur hic lectionem: contuliq; me ad auctoritatem antiquissimi libri, cui etiam adstipulatur vetus tralatio: ille namque σταθῆναι χαλκοῦς habet, non χαλκοῦ, vt excusi antea libri. Ita autem optimos auctores loqui consuesse, certum est, vt dicerent quempiam, cuius imago ex aere facta esset, χαλκοῦν erectum esse.
» Demosthenes contra Aristocratem. εἰ γὰρ μὲν παρ' ὑμῖν τοιοῦτό τι πράξαντας χαλκοῦς ἱστάντες, καὶ ταῖς
» μεγίσταις δωρεαῖς τιμῶντες ἐφαίνεσθε: & quae sequuntur. In eum autem dicta vox est, qui cum nullius pretij homo esset, maximos tamen honores aut consecutus erat, aut decerni sibi postulabat. lusit autem qui in eum dixit, in verbo χαλκοῦς: ex aere enim statuae fiebant, & vilissima pecunia, vt quae ex eadem materia esset χαλκὸς appellabatur: asse enim dignum illum non esse: & abiectissimo nummo significare voluit.

Ταὐτὸ δ' ὄνομα. Σὺ δ' αὐτὸν καὶ ζῶντα ἔλεγες κακῶς; καὶ νῦν γράφεις κακῶς.

Idem autem nomen. Tu autem in ipsum & viuentem dicebas male: & nunc in mortuum scribis male.

IDEM nomen, nulla re variatum, cum & ipsum concinnitatem efficere in extremis membris positum dixisset. exemplum nunc huius rei affert, in quo aut verbum defecit culpa librariorum, aut integram vocem hanc plenamq; ipse non rettulit: non parum autem adiuuat elegantiam ipsius, si quod hic desideratur, suo loco positum fuerit: quamuis ad id, quod nunc tradit, non
» valde necessarium sit: posterior enim pars ita fideliter adduci debuit. Καὶ νῦν ἀποθανόντα γράφεις κακῶς. Demetrius certe, qui bis hoc exemplo vsus est, & quo loco de membris, quae similiter desinunt: & vbi de euidentia ac perspicuitate orationis disserit, ambobus locis ἀποθανόντα posuit. Reponere hic illud ausus non sum, quia in nullo aut excuso aut scripto inueni: insimulat autem concinne structa haec vox eum, qui improbe cuipiam, & viuo maledixerat, & mortuo eidem non parcebat.

Ἀπὸ συλλαβῆς δέ. Τί ἂν ἔπαθες δεινόν, εἰ ἄνδρ' εἶδες ἀργόν;

In syllaba autem. Quid vtiq; accepisti malum, si hominem vidisti ignauum?

EXEMPLVM hoc eorum est, in quibus singularum tantum syllabarum in extremo similitudo est: supra enim generatim inquit, finem membrorum similes extremas syllabas habere: quo sane vtrunque tam in pluribus, quam in vna similiter terminantibus syllabis contingere significauit. cum autem exempla posuisset eorum. quae plures syllabas in extremo similes habent, nunc eorum, quae vnam tantum. Corripiunt vero haec, tanto artificio composita verba, vt puto, eum, qui non satis iusta de causa fremeret ac moleste ferret, tamquam grauem iniuriam accepisset: quid enim noui (inquit) nactus es, aut quod atrox facinus sustinuisti, si inertem hominem inuenisti?

Ἔστι δὲ ἅμα πάντα ἔχειν ταὐτό, καὶ ἀντίθεσιν εἶναι τὸ αὐτό, καὶ πάρισον, καὶ ὁμοιοτέλευτον.

Potest autem fieri, vt idem simul omnia habeat: & oppositio sit idem, & adaequatio: & similiter desinens.

INVENITVR aliquando sententia, quae vna omnibus his luminibus illustrata sit: in qua scilicet & contraria contrarijs opponantur, & membra paria sint: eademq; similiter desinant. cum autem singula ornatū afferant, quanto omniū elegantissima futura sit, quae omnibus abundarit

(si suo loco ac tempore illa vsurpata fuerit) facile perspici potest. Animaduertendum autem, cum eandem vocem omnia simul habere posse dicat, non omnia tamen ipsum, quae supra tradidit, significare: neq; enim repetit, quae in initijs similitudinem inter se habent: alijs igitur repetitis, hoc quoq; (vt arbitror) intelligi voluit. Cum vero plures, his insignibus ornatae Graecae voces, a me proferri possent, ea, quam edidisse Gorgiam Leontinum de Cimone Atheniensi, summo viro, Plutarchus narrat, contentus ero: cum enim recte vti illum patrimonio docere vellet, inquit ipsum rem familiarem κτᾶσθαι μὲν, ὡς χρῷτο: χρῆσθαι δὲ, ὡς τιμῷτο. nam & contraria contrarijs opponuntur, & membra sunt aequalia: & in initijs ac finibus similitudines existunt. Eodem pacto cum succurrant non paucae Latinae, praesertim a M. Cicerone editae, hanc, qua pro Milone vsus est in redarguendis inimicis rei, falsisq; ostendendis illis, quae ab ipsis obijciebantur, ponam: hoc enim ambitu verborum clausit omnẽ illam disputationem: " Nam qui non " paenam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quaerendam, non interitum putauit. Enthymema igitur est περίοδος, q; τετράκωλος, atq; idem ἰσοσύλλαβον. Antiquissimus codex ὁμοιόπτωτον habet.

Αἱ δ' ἀρχαὶ τῶν περιόδων σχεδὸν ἐν τοῖς Θεοδεκτείοις ἐξηρίθμηνται.

Principia autem ambituum ferme in ijs, quae sunt ad Theodectem, enumerata sunt.

PRINCIPIA autem, capitaq; comprehensionum (inquit) in Theodecteis libris ferme enumerata sunt: non intelligit tamen (nisi fallor) absolute initia, sed ita facta instructaq;, vt docuit: idest quae paria paribus reddita habeant. Accurate praeterea cogitandum, an Θεοδέκτεια appellet libros, quos ipse de artificio dicendi a se scriptos ad Theodecten miserit, siue quos Theodectes Phaselites, ipsius sodalis, scripserit: nam vetus haec quaestio est, & priscis etiam temporibus agitata, vt Quintilianus quoq; in ij. ostendit, cuius haec verba sunt. " A quo non dissentit " Theodectes, siue ipsius id opus est. quod de rhetorice, nomine eius, inscribitur: siue (vt creditum est) Aristotelis. nam τέχνην ῥητορικὴν Theodectis nomine circumferri solitam, plures auctores tradunt: vt Stephanus, vbi de ipsius patria loquitur: vt Antiphanes comicus apud Athe" naeum: cuius hic versiculus est, ὁ τὴν Θεοδέκτου μόνος ἀνδρικῶς τέχνην. Quae appellantur etiam ἠθικὰ Νικομάχεια, non defuerunt qui crederent a Nicomacho Aristotelis filio scripta, non ad eũ a patre missa: in qua opinione Cicero quoque fuit: neque tamen hoc ipsi soli in mentem venit, sed de Graecis auctoribus, vt alia omnia eius generis, transtulit: inde enim id ortum existimare omnino debemus: cum Laërtius & ipse videatur ita sensisse in Eudoxi vita: qui narrat a Nicomacho litteris mandatum esse, Eudoxum voluptatem summum bonum dixisse: hoc vero manifesto legitur in x. eorum librorum. verisimile autem est id ipsum a suae gentis hominibus accepisse: cum enim ita quidam inscriptos libros viderent. vt, ἠθικὰ Νικομάχεια: ἠθικὰ Εὐδήμεια: ῥητορικὰ Θεοδέκτεια, fallebantur, credentes ab illis ipsis scriptos, quorum nomen praeferebant, cum ad eos missi ab auctoribus ipsorum forent: ita enim hic loquitur Aristoteles, vt existimem omnino, quos intelligit, ab ipso scriptos libros fuisse: verisimile enim est ipsum scripta sua citare. Laërtius quoq; in monimentis Aristotelis notandis, huius artis mentionem facere videtur: inquit enim. τέχνης τῆς Θεοδέκτου εἰσαγωγῆς α: si ita legi debet. nam in pluribus calamo exaratis eius operis exemplaribus, diuersam ab hac lectionem inueni: συναγωγῆς enim cuncta habent.

Εἰσὶ δὲ καὶ ψευδεῖς ἀντιθέσεις. οἷον καὶ Ἐπίχαρμος ἐποίει. τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν: τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγώ.

Extant autem & falsae oppositiones. quale & Epicharmus faciebat. Tunc quidem in illis ego eram: tunc autem apud illos ego.

SVNT etiam (inquit) simulatae quaedam, falsaeq; antitheseis, cum duobus in membris quippiam, quod oppositum videatur, nec tamen vere sit, positum est. Epicharmus Siculus, ludens quandoque ita scripsit: ne dum enim in verbis ipsius, quae adposuit, contrarij aliquid adlatum sit, illud ipsum repetitum est. Idem exemplum Epicharmi a Demetrio capite, quo de periodis disserit, adductum est: qui sane plenius hanc rem exponit.

Ἐπεὶ δ' ἀφώρισται περὶ τούτων, πόθεν λέγεται τὰ ἀστεῖα καὶ τὰ εὐδοκιμοῦντα, λεκτέον.

Quia autem scriptum est de his, vnde ducuntur vrbanae voces, & quae valde probantur, dicendum est.

His explicatis (inquit) aperiendum est, vnde acutae quaedam elegantesq; voces ducuntur: sermonesq; demum omnes vrbani & qui mirum in modum probari, & a peritis & a multitudine solent: vt enim Graeci ἀστεῖα ab oppido (quod ἄστυ vocant) ita Latini lepidos hos suauesq; sermones ab vrbibus, vrbanitates appellarunt: quia qui vrbes incolunt: coetusq; politorum hominum frequentant, in sermone venustiores fiunt: rustici autem homines & indocti ab omni elegantia concinnitateq; orationis abhorrent. Neque tamen credendum est eadem esse ἀστεῖα haec, quae vocat atq; εὐδοκιμοῦντα: & illa, quae ab eodem & hoc ipso in libro & alijs etiam in locis appellata sunt γελοῖα: a Latinis vero ridicula, ioci ac facetiae, vt non nulli falso putarunt: & ij maxime, qui in alios dicere parati sunt: scrutanturq;, adhibita in hoc summa cura, si qua in re valeant, existimationem aliorum laedere: longe enim alij sunt ioci, & sententiae graues, acutae tamen & ipsae, plenaeq; venustatis, vt fines etiam ambarum diuersi: nec non semina quoq; atq; elementa: neq; enim consilium eorum, qui edunt vrbanas voces, est mouere risum, sed aspergere suauitate aliqua ac lepore animos auditorum, quae suauitas oriatur ex sententijs iucundis gratisq; auribus politorum hominum. ea autem, quae M. Cicero significat paucis verbis in ij. libro de oratore, vbi per Antonij personam disserit de ridiculis: vocatque sententias graues, eadem sunt (vt opinor) atq; haec, quae hoc ipso loco a nostro auctore diligenter praecipiuntur de his vrbanis vocibus. nam de ridiculis Aristoteles disseruerat in ijs, quae tradidit de arte poetarum, vt ipse met non vno loco testatur. qui autem attendet, nullo negotio cognoscet nullam harum, quas hic collegit, a grauibus & ingeniosis viris editarum, vrbanarum vocum excitare risum, sed oblectare animos eorum, qui audiunt, elegantia sua & lepore: & cum proprium sit facetorum dictorum, pungere, saltem leuiter, famam aliquorum: ostendereq; turpitudinis deformitatisq; non nihil in ipsorum factis corporeque existere, nihil huiuscemodi gerunt vrbanae voces; meritoque omnibus probatae ac laudatae, sed potius dignitatem personarum aperiunt atque ornant honestos viros. Suspicor igitur, vt dixi, odoratum etiam fuisse, significareq; voluisse M. Ciceronem haec ἀστεῖα, vbi disserens de ridiculis, inquit. » Sed hoc mementote, quoscunq; locos attingam, vnde ridicula ducantur, ex ijsdem locis fere etiam graues sententias posse duci, tantummodo interest, quod grauitas honestis in rebus seuere: iocus in turpiculis & quasi deformibus ponitur. Videndum tamen an vere dixerit ex ijsdem locis graues sententias duci, ex quibus ridicula ducantur: sed corrigere voluit hoc, nimis communiter editum, addens fere. Valet etiam non parum ad haec distinguenda, quod docet Plutarchus in libro, quem inscripsit πολιτικὰ παραγγέλματα: cum enim collegisset multas vrbanas voces grauium personarum, ostendere volens magis huiuscemodi omnia, quae ornatum magnum prae se ferrent, conuenire deliberandi generi, quod appellat πολιτικὸν, quam iudiciali, infra non paucis interiectis, tradit ridicula, σκώμματα vocata, quia laedunt, inuruntque dolorem non paruum, aliena inde esse: nec accommodata vllo pacto illi, nisi cum aliquis lacessitus fuerit, & vt ipse prius laesus violatusq; est, ita etiam inimicum vulnerarit. quod mirifice congruit cum his, quae tradidit M. Cicero de ridiculis: opinionemque meam firmat, qui dixi contrarias his voces, idest, quae argutae lepidaeq; sunt: nec tamen obijciunt aliquid, quod vehementer pungat, vocatas illic esse sententias graues, si quis omnino tueri velit, non esse penitus diuersas vrbanas voces a salibus quibusdam ac facetijs: quod tamen facere, vt opinor, nemo deberet, cum, quae traduntur multo infra ab auctore, paene ad extremum libri, scrupulum funditus omnem euellant: tangit enim illic, quod oportebat de ridiculis: suo ac proprio nomine, γελοῖα ipsa vocans, significansque accommodata aliquando esse oratori: fructumque ipsi aliquem ferre, indicato praeterea loco, vbi accurate de illis disseruit. In re autem, quae plures fefellit, tradenda, volui experiri, quid alij de hoc sentirent, eruditi & ingeniosi viri: neque enim dubium est, quin qui de iocis ridiculisq; nostra aetate, siue Latine, siue Etrusco sermone scripserint, distinguere ipsa a vocibus vrbanis, grauibusq; non potuerint. quare, an mecum in hoc faceret, qui in reliqua omni vita, consilijsque capiendis de rebus honestis, numquam a me dissensit Baccius Valorius, iuris ciuilis peritissimus, & omni polita doctrina, & nobili viro digna, qualis in primis ille est, instructus, quaesiui: probareque ipsum sententiam meam, ac prorsus veram putare cognoui. quod testatus sum, vt ita quoq; auctoritatis non parum opinioni meae adiungerem.

Ποιεῖν μὲν οὖν ἔστι τοῦ εὐφυοῦς, ἢ τοῦ γεγυμνασμένου: δεῖξαι δὲ τῆς μεθόδου ταύτης.

Conformare igitur has, ingeniosi viri proprium est, siue exercitati: indicare autem, officium huius artis.

Edere sane huiuscemodi voces (inquit) atq; conformare, est aut acuti ingeniosiq; viri, aut valde exercitati: monstrare vero viam rationemque, quomodo fingi possint, huius ipsius disciplinae

proprium:

proprium: vt hic autem lepide vrbaneq; dicere ingeniosi hominis esse vult, quem εὐφυῆ vocat: ita in libro de studio poëtarũ, carmen pangere εὐφυοῦς esse dixit. Quod autem ποιεῖν inquit, cum fingere & quasi fabricare huiuscemodi voces significare vellet: opus est enim ipsas ingenij vi & sedulitate conformare, ita supra vsus est eodem hoc verbo, praecipiens de exemplis, quae non eruuntur e vetere memoria, sed finguntur, qualia sunt collationes & fabellae. inquit igitur illic, quoq; ποιεῖν μὲν οὖν ἐστι τοῦ εὐφυοῦς.

Εἴπωμεν οὖν καὶ διαριθμησώμεθα: ἀρχὴ δ' ἔστω ἡμῖν αὕτη.

Tradamus igitur, & enumeremus: principium autem sit nobis hoc.

CVM studij huius sit haec explanare, nosq; ipsum tradendum susceperimus, id aggrediamur (inquit) cunctaq; enumeremus (intelligit autem ἀστεῖα) initio hinc sumpto: altius enim, vt omnia melius percipiantur, id repetamus. Duo autem in paucis his verbis, secutus fidem antiquissimi exemplaris, immutaui: non magni sane ponderis: quae tamen omitti non debuerint: cum enim excusi antea haberent, διαριθμήσωμεν, scripsi διαριθμησώμεθα: inueni enim sape hunc politum auctorem, vt alios etiam probatissimos scriptores, ita locutum: & hoc verbo, quod formam patiendi habet, vsum, cum actum significare vellet: cumq; in ijsdem ἔσαι legeretur, ἔστω imperandi modo, emendaui.

Τὸ γὰρ μανθάνειν ῥᾳδίως, ἡδὺ φύσει πᾶσιν ἐστίν: τὰ δὲ ὀνόματα σημαίνει τι.

Discere enim facile, natura iucundũ est omnibus: nomina autem significant aliquid.

NATVRA (inquit) hoc omnibus innatum est, vt voluptatem sentiant, cum facile quippiam, ac sine vlla molestia perdiscunt: hoc ita planum est, vt confirmatione non egeat. Praeterea cuncta nomina aliquid significant. conclusum igitur iam aliquo modo est: nec, stantibus illis, labefactari vllo modo potest, quaecunque nomina nobis cognitionem afferant, suauissima esse: facilis enim scientia illa sit necesse est, cum singulis tantum verbis conficiatur: μανθάνειν vero nouam rerum notitiam accipere significat. M. Varro, σημαίνειν exprimere volens, ostendere aliquando inquit. vt in libris de lingua Latina. Et multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant.

Ὥστε, ὅσα τῶν ὀνομάτων ποιεῖ ὑμῖν μάθησιν, ἥδιστα.

Quapropter quaecunque nomina pariunt in nobis intelligentiam, iucundissima sunt.

CVM percipere aliquid nullo cum labore hominibus iucundum sit: nominaque cuncta hoc habeant, vt aliquid nobis ostendant, planum est, quaecunq; nobis aliquid noui tradunt, gignuntq; in animis nostris alicuius rei intelligentiam, illa suauissima esse. Animaduertendus vero elegans modus dicendi ποιεῖν μάθησιν, quo non multo post iterum vtitur: valet autem inserere scientiam alicuius rei.

Αἱ μὲν οὖν γλῶτται, ἀγνῶτες: τὰ δὲ κύρια, ἴσμεν.

Externa igitur vocabula, nobis ignota sunt: propria vero rerum scimus.

EXTERNA igitur (inquit) vocabula ignota nobis sunt: propria rerum nomina, iam scimus. non possunt igitur haec iucunda esse, aut suauitatem magnam aliquam importare, si ea, quae supra posuimus, vera sunt: neque enim animos nostros erudiunt, aut nouam aliquam scientiam tradunt: primum autem remouet, quae idonea non sunt: alterum enim horum, quia nimis alienum: alterum, quia nimis familiare, repudiat.

Ἡ δὲ μεταφορὰ ποιεῖ τοῦτο μάλιστα.

Translatio autem efficit hoc maxime.

TRANSLATIO vero (inquit) hoc praeclare facit: reliquaque nomina hac virtute vincit: mediam enim quasi quandam viam inter haec tenet: neque enim omnino ignota est, neq; prorsus communis & vsitata: quomodo autem, ipse statim docet.

Ὅταν γὰρ εἴπῃ τὸ γῆρας, καλάμην, ἐποίησε μάθησιν καὶ γνῶσιν, διὰ τοῦ γένους: ἄμφω γὰρ ἀπηνθηκότα.

Quando enim appellauerit aliquis senectutem stipulam, efficit vt discamus, & cognoscamus per genus: ambo enim defloruerunt.

CVM enim (inquit) senectutem quispiam stipulam appellarit, notionem in nobis ea translatio gignit, quaq; antea tenebamur, ignorationem pellit: genus enim statim cogitamus: illo autem, praesidio partium ipsius inuento, a translatione scientiam eam accepimus: duceq; illa, quod antea ignorabamus, cognouimus: ambae enim res viriditatem, floremq; amiserunt, senectus scilicet in homine: ac stipula in frumento: genus autem hic non proprie vocat: neq; enim genus vere est, quod ipsa complectitur, sed commune quoddam eorum. Vlysses vero in xiij lib. Odysseae, cum Eumaeo subulco longum sermonem habens, multaq; de virtute sua praedicans, cum species ipsius non bene responderet praeclaris illis factis, inquit. νῦν δ' ἤδη πάντα λέλοιπεν. Ἀλλ' ἔμπης καλάμην γέ σ' οἴομαι εἰσορόωντα Γινώσκειν: ἦ γάρ με δύη ἔχει ἠλιβὰ πολλή. Nam stipulam significare hic καλάμην, vt in primo quoq; libro de rebus superis, certum est: illic enim inquit, rem, quam tradebat, simili illustrare volens. ὥσπερ ἐν ἀρούραις καιομένης καλάμης: quod Virgilius his verbis descripsit. Atq; leuem stipulam crepitantibus vrere flammis. Ab agro etiam, operibusq; rusticorum, translatis verbis, ingeniose Antigonus rex acerbitatem suam in tributis exigendis excusauit: cum enim Alexandrum talem non fuisse quidam diceret, merito inquit: ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐθέρισε τὴν Ἀσίαν: ἐγὼ δὲ καλαμῶμαι. Ille scilicet messim fecit in hac terra: ego stipulã colligo. significans ita, Alexandrum refertam Asiam: se vero, exhaustam exinanitamq; accepisse.

Ποιοῦσι μὲν οὖν καὶ αἱ τῶν ποιητῶν εἰκόνες τὸ αὐτό: διόπερ ἂν εὖ, ἀστεῖον φαίνεται.

Efficiunt igitur idem & imagines poëtarum: quapropter si bene res tractata fuerit, perspicitur vrbanitas.

DE affinitate translationum imaginumq; inter se, & quam parua in re discrepent, supra traditum est. Vt igitur paria multa alia habent, ita idem hac in re, quod translationes efficiunt. Quare (inquit) si recte imago sumpta fuerit, vrbanum totum illud videbitur. Hic εὖ restitui, e calamo exaratis libris erutum; quod ab omnibus excusis aberat: sine eo autem mancus locus erat, nec intelligi vllo pacto poterat. si imagines igitur (inquit) bene ductae fuerint: si suas virtutes retinuerint, sermo concinnus venustusq; videatur, necesse est. Poëtarum autem imagines vocat, non quia commode etiam aliquando ab oratoribus non vsurpentur, sed quia propriae sunt illius studij: supra enim quoq; id demonstrauit, cum modicum earum vsum in soluta oratione esse dicens, eiusq; rationem afferens, addidit: ποιητικὸν γάρ.

Ἔστι γὰρ ἡ εἰκών, καθάπερ εἴρηται πρότερον, μεταφορὰ, διαφέρουσα προσθέσει.

Est enim imago, quemadmodum prius dictum est, translatio, quae differt tantum particula apposita.

CVR oblectet imago, ac paene eadem, quae praestat translatio, efficiat, docet. Idem autem mirum nemini videri debet: est enim imago translatio quaedam, a vera tantum translatione parua adiunctione, differens: nam aut οἷον, aut ὡς, aut huiuscemodi quippiam apud Graecos: ceu vero, aut veluti, aut par his, aduerbium, apud Latinos initio adiunctum habet. In extremo horum verborum scriptis libris inter se non conuenit: sunt enim, in quibus προθέσει legatur, cum alij vna plus littera habeant προσθέσει, quam veriorem lectionem puto: quis enim non videt imaginem particula superare translationem, vt a me quoque modo significatum est, & in hoc ipsas inter se discrepare.

Διὸ ἧττον ἡδὺ, ὅτι μακροτέρως.

Quare minus iucunda res est, quia prolixius id fit.

QVARE (inquit) minus iucunda est: quod ab illa, licet pusilla, adiunctione proficiscitur: minus enim haec suauem ipsam reddit: causa autem aperta est: tardius namq; fit cognitio atque intelligentia eius: quantumque temporis in parte illa absumitur, tantũ imago suauitatis amittit. Nisi forte, non particulam tantum hanc intellexit, sed prolixiorem sermonem, qui in explanatione illarum consumitur: cum egeant semper explicatione, oporteatq; accurate declarare, quibus in rebus conueniat similibus ipsis inter se: quod ex superioribus imaginibus liquido intelligitur. Videtur autem hoc illic Aristoteles vocare λόγον, vt inde etiam percipitur, quod dixit imagines has esse translationes, quae egeant ratione, & quasi postulent vt hac parte explanentur: ita enim fortasse potius verbum id accipiendum, quam putandum particulam ὡς, illo significare ipsum voluisse. quamquam, quod traditis ipsis adiungitur, est tamquam declaratio illius ὡς, quod in fronte ipsarum ponitur. Cum causam afferret in Oratore Cicero, cur omnes translatis & alienis magis delectarentur verbis, quam proprijs & suis, inter ceteras

translationum

translationum dotes hanc etiam posuit, ac breuitatem illarum merito plurimum delectare declarauit. Vel quod inquit, singulis verbis res, ac totum simile conficitur.

Καὶ οὐ λέγει, ὡς τοῦτο ἐκεῖνο· οὔκουν οὐδὲ ζητεῖ τοῦτο ἡ ψυχή.

Et non dicit hoc esse illud: atqui hoc ne quaerit quidem animus.

PERTINERE hoc videtur ad imaginem: proximus enim sermo de illa fuit: sensum autem horum verborum hunc esse puto, vt tradat (ostendere adhuc imaginem ad hoc minus aptam volens) non dicere ipsam hoc illud esse, quod facit translatio, quae Achillem leonem vocat, sed esse vt illud, adiuncta particula similitudinis: id est generosae illi bestiae parem: quod tamen intelligi debeat a contrario: neque enim verbis expressum est. ὡς autem hic non arbitror valere ceu, nec accipi debere vt particulam, quae adiungitur imaginibus, sed habere eam vim, quam indicaui. Hoc ipsum vero (addit philosophus) tunc auditoris animus non quaerebat, neq; scire id vllo modo cupiebat: in virtute enim Achillis intelligenda, factisq; ipsius per se explorandis, totus occupatus erat: non cui rei similis esset indagabat. cum igitur auocet illum a cognitione illius rei, quam in primis scire optabat: traducatq; alio, minus grata sit necesse est. Quod si quis auctoré velit ad metaphoram transire: putetq; hoc ad ipsam pertinere, accipiens ὡς, vt notam imaginis, quia semper eget explicatione, ita locum interpretabitur, vt magis ingrata imago sit eam ob causam: quod translationi non contingit: nec enim scrupulum vllum ipsa in animum eius, qui audit, inijcit (nisi nimis longe sumpta ac vitiosa sit) id autem a perspicuitate ipsius nascitur: vt ζητεῖν valeat addubitare, & quod plene cognitum non habeas, inuestigare. Planum autem est his argumentis nunc ipsum docere, anteponendam esse translationem imagini. οὔκουν, sono in posteriorem syllabam translato; & eo quidem medio flexoque, vt in melioribus scriptis inueni, emendaui.

Ἀνάγκη δὴ, καὶ λέξιν, καὶ ἐνθυμήματα ταῦτα εἶναι ἀστεῖα, ὅσα ποιεῖ ἡμῖν μάθησιν ταχεῖαν.

Necesse iam est, & locutionem, & enthymemata haec esse vrbana, quaecunque pariunt nobis intelligentiam celerem.

EX ijs, quae sunt explicata, necessario sequitur (inquit) & locutionem, & argumenta haec vrbana esse, quae in cognitionem ~~alicuius rei celeriter nos ducunt: supra~~ enim ostenderat scientiam rerum percipere nobis iucundum esse, praesertim cum cito paritur.

Διὸ οὔτε τὰ ἐπιπόλαια τῶν ἐνθυμημάτων εὐδοκιμεῖ (ἐπιπόλαια γὰρ λέγομεν τὰ παντὶ δῆλα, καὶ ἃ μηδὲν δεῖ ζητῆσαι) οὔτε ὅσα εἰρημένα, ἀγνοούμενα ἐστιν.

Quapropter neq; illa, quae in promptu sunt enthymemata probantur (in promptu enim esse dicimus, quae omni homini plana sunt: quaeque nihil opus est quaerere) neque illa, quae cum edita iam sunt, ignorata adhunc sunt.

VNDE (inquit) ex omnibus enthymematibus, ea, quae in promptu sunt & eminent, nec probantur, nec laudem vllam habent: nihil enim noui nobis afferunt: ἐπιπόλαια autem intelligimus (ita enim vocat illa: ego, quae in promptu sunt, dixi) quae omnibus hominibus perspicua sunt, & quae nulla mentis agitatione indigent: & vt haec grata acceptaq; esse non possunt, ita nec illa, quae exposita, adhuc ignorantur: spissior enim tardiorq; est scientia, quae ita acquiritur: in prioribus nulla vis est noua cognitione nos expoliendi: posteriorum dura, difficilisque nimis doctrina.

Ἀλλ' ὅσων, ἢ ἅμα λεγομένων ἡ γνῶσις γίνεται, καὶ εἰ μὴ πρότερον ὑπῆρχεν, ἢ μικρὸν ὑστερίζει ἡ διάνοια.

Sed quorumcunque, siue statim vt edita sunt, perceptio ipsorum in nobis fit, & si prius non erat, siue paruo interuallo animus noster posterior est.

SED illa enthymemata valde probentur necesse est, quae, dum exponuntur, in cognitionem nos ducunt, vt idem tempus & explicationi illorum, & scientiae nostrae satis sit: aut si ingenium nostrum consequi non potest argumenti explicationem, vt vna cum eo ad finem perueniat: paulo tamen post eodem & ipsum accedat. Ὑστερίζειν in ij. etiam horum librorum dixit, cum de virtute enthymematum, locis iam, sedibusq; ipsorum indicatis, differens, idem, quod hic repetit, affirmaret,

affirmaret. Verbum autem a corporis ad ingenij cursum translatum est. vt autem ὑστερίζειν, ita ὁμοδρομεῖν, & προτρέχειν, vel προάγειν, translatis verbis dicebant. vt Plutarchus in commentario περὶ μουσικῆς, de sensu ingenioq; locutus est. Quod auté (inquit) καὶ εἰ μὴ πρότερον ὑπῆρχεν: quamuis scilicet antea in nobis cognitio illa non foret, indicare videtur posse etiam nos, cũ rem prius cognitam accipimus, oblectari: sunt tamen scripti libri, in quibus, καὶ οὐ μὴ legatur, quasi Attico more locutus exceperit, quae antea tenebamus: quod illa audita placere magnopere non possint: non oportere namque recordationem in nobis fieri auditione illa, sed nouam alicuius rei scientiam gigni. Antiquiss. tamen codex cum altera lectione facit, & vetus item tralatio.

Γίγνεται γὰρ, οἷον μάθησις: ἐκείνως δὲ, οὐδέτερον.

Gignitur enim, quasi perceptio: illo autem modo, neutrum.

CVM enim hoc fit (inquit) efficitur in animis nostris quasi perceptio quaedam: addiscimusque aliquid: eo autem pacto, neutrum contingit. illo (inquam) quem reiecimus, modo: qui tamen duas partes habet, cum aut nimis plana, aut nimis obscura sunt: nisi posteriorem tantum intelligit: cum argumenta etiam explicata non percipiuntur: tunc enim neutrum fit: id est, nec simul, nec paulo post intelliguntur. quare ingrata sint, necesse est.

Κατὰ μὲν οὖν τὴν διάνοιαν τοῦ λεγομένου, τὰ τοιαῦτα εὐδοκιμεῖ τῶν ἐνθυμημάτων.

Quod pertinet igitur ad sententiam eius, quod dicitur, huiuscemodi enthymemata laudem adipiscuntur.

OSTENDIMVS (inquit) si intellectus sensusq; vocis, non verborum forma spectetur, quae enthymemata probari possint, & lepida atq; vrbana haberi: docet enim se duarum partium alteram absoluisse, vt ad alteram iam aggrediatur, ac lectorem excitet.

Κατὰ δὲ τὴν λέξιν, τῷ μὲν σχήματι, ἐὰν ἀντικειμένως λέγηται.

Quod vero ad locutionem, figuramq; eius, si contraria contrarijs opposita fuerint.

CVM docuerit, quae enthymemata sententiae bonitate iucunda esse possint, nunc quae virtute locutionis probentur, declarat. Non simplex autem res est: nam orationem & forma, collocatioque verborum exornat, & verba etiam ipsa apta & elegantia quocunq; modo posita, illustrant: nunc, de forma: paulo post, de singulis nominibus differet. Quae igitur, de quo supra multum disseruit, contraria contrarijs opposita habuerint, grata (inquit) erunt: exemplo autem totam rem confirmat.

Οἷον. Καὶ τὴν τοῖς ἄλλοις κοινὴν εἰρήνην, νομιζόντων τοῖς αὑτῶν ἰδίοις πόλεμον. ἀντίκειται πόλεμος εἰρήνῃ.

Veluti. Et quae ceteris omnibus communis pax erat, existimantibus fortunis suis bellum: opponitur bellum paci.

HVIVS exempli vim ipsemet explanat: ostenditq; in ea sententia contrario contrarium verbum opponi: bellum (inquam) paci. Sumptum vero illud est ex Isocratis libro, quem misit ad Philippum: loquitur autem de Graecis quibusdam hominibus, qui inuidia moti, criminabantur regem ipsum Macedonum, & perturbare quietum statum suarum ciuitatum studebant: dicens ipsos, cum alijs omnibus communis pax sit, existimare tamen priuatis suis rebus vtilius bellum. Sententia igitur aperta est, & locus inuentu facilis, nisi corruptus apud auctorem ipsum foret: fateor enim hunc quoque ex illis esse, qui mihi molestiae multum exhibuerunt: vt vix, quid consilij de ipso caperem, mecum statuere possem, nisi antiquum fidelemque codicem inuenissem: a quo maculae, quae turpiter inquinarunt excusos libros, abessent: custoditur autem ille in Medicea bibliotheca. ac scriptum deniq; habet, lectione omni ex parte consentiente Aristoteleae huic. καὶ τὴν εἰρήνην, τὴν τοῖς ἄλλοις κοινὴν, πόλεμον τοῖς αὑτῶν ἰδίοις νομιζόντων, cum in excusis legatur, καὶ τῆς εἰρήνης, ὅσης τοῖς ἄλλοις κοινῆς, τὸν πόλεμον αὑτῶν ἰδίων εἶναι νομιζόντων, contaminata multis modis vera scriptura. nam dubitare nunc de integritate ipsius nullo pacto debemus, tot testimonijs confirmata. ἴδια autem valere hic rem familiarem ac patrimonium denique, planum est: quod etiam supra eodem in libro bis positum significauit. In oratione quoque de pace idem politissimus scriptor eodem sensu hoc verbum saepe vsurpat. quodam etiam in loco idem, quod hic, ipsi contrarium opponit, hoc pacto. ὡς διὰ τὴν τῶν κοινῶν ἐπιμέλειαν, οὐ δυνάμενοι τοῖς αὑτῶν ἰδίοις προσέχειν τὸν νοῦν.

Τοῖς δ' ὀνόμασιν, ἐὰν ἔχῃ μεταφοράν, καὶ ταύτην, μήτ' ἀλλοτρίαν: χαλεπὸν γὰρ συνιδεῖν: μήτ' ἐπιπόλαιον: οὐδὲν γὰρ ποιεῖ πάσχειν.

Nominibus autem, si habuerit translationem, atque hanc, neque alienam: arduum enim est videre: neque tenuem, & in promptu existentem: nullum enim motum gignit in nobis.

Ex vocabulis autem gratia, decorq; acquiretur orationi, si aliunde illa sumpta fuerint, translationemq; habuerint. verum quia non omnis translatio eodem modo delectat, sed habet haec quoque res suas virtutes ac vitia, translatio primum aliena esse non debet: ita autem vocat ductas a rebus, parum propinquis affinibusq;: cuius rei statim rationem reddit: arduum enim est (inquit) res valde remotas vno aspectu intueri: neque etiam eminens nimis & in promptu: huiuscemodi enim quoque animum auditoris non commouet, neq; quippiam in eo gignit: id enim existimo valere πάσχειν: affici (inquam) animo hoc aut illo pacto, perfundique voluptate, aut alia quapiam re. Demosthenes contra Aeschinem, exposito Satyri comici pio postulato in conuiuio Philippi. τοσοῦτον κρότον καὶ ἔπαινον καὶ θόρυβον παρὰ πάντων γενέσθαι, ὥστε τὸν Φίλιππον παθεῖν τι καὶ δοῦναι: affirmat enim tantum plausum excitatum ab omnibus fuisse, qui praesentes aderant: adeoque laude ac significatione omnia repleta, vt commotus rex sit, concesseritq;, quod rogabatur. Non debemus autem mirari rursus ipsum de translationibus agere, quamuis accurate illas ante explicauerit: supra enim multa praecepit, quae vtilitatem illarum in multis rebus demonstrarent, & omnem rationem earum traderent: nunc earundem vim ad expoliendam orationem: vrbanamq; efficiendam, tradit: magnam enim partem vrbanae dictionis ab illis proficisci docet. Receptas igitur translationes inter se nunc comparat: quaeque huic rei accommodatiores sint, ac valeant elegantiorem orationem reddere, declarat: quam praeceptionem in hunc locum, tunc ab eo non tactam, erudite distulit.

Ἔτι εἰ πρὸ ὀμμάτων ποιεῖ: ὁρᾶν γὰρ δεῖ τὰ πραττόμενα μᾶλλον, ἢ μέλλοντα.

Et praeterea si constituit rem ante oculos. aspicere enim potius oportet, quae geruntur, quam quae postea geri debent.

Translatio praeterea probabitur, si ante oculos ré constituet: vt enim animus plene commoueatur, videre oportet res: maioremque profecto vim habent, quae luminibus cernuntur, quam quae auribus accipiuntur. cognouit etiam hoc M. Cicero: praecepitq;, cum in secundo de oratore dissereret de genere illo facetiarum, quod re tractari dicit: inquit enim. Est autem haec huius generis virtus, vt ita facta demonstres, vt mores eius, de quo narres, & sermo, & vultus omnes exprimantur, vt ijs, qui audiunt, tum geri illa, fieriq; videantur, quae fiant, non quae postea fieri debeant. Quae vero in excusis hic antea & non nullis scriptis, verba legebantur, ὡς ἤδη ἐνεργοῦντα, deleui: neque enim in antiquissimo codice illa inueni: nec vetus tralatio exprimit: declarationem autem quondam alicuius fuisse puto, qui ante tempus, quid valeat πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, ostendere voluerit: quod facit ipse infra diligenter. Insolenter autem de se hoc loco, suoque iudicio loquitur Maioragius, qui improbe nimis accusat alios in his, in quibus ipse fortasse maiori culpae atque errori affinis est: praedicat enim peccasse me, qui putarim loqui hic auctorem, vbi tradit, quid constituat rem ante oculos, de translatione, cum intelligat locutionem. quod vero adiungit, perspici id plane ex ijs, quae sequuntur, omnino falsum est, vt vtar eodem verbo, quod ipse in me criminando vsurpauit: declarat enim illa facere hoc certas quasdam metaphoras: reliqua autem valere docet ad vrbanas voces, & quae merito probentur, efficiendas. nam erratum ipsius ita magnum est, vt admirari omnes debeant, quomodo in hoc lapsus sit, qui aetatem omnem consumpserit in litteris docendis: vertit enim ἐνέργειαν euidentiam: & tamquam haec sine vlla dubitatione sit notio huius nominis, non nititur opinionem suam confirmare. quis autem nescit duo haec Graeca vocabula, valde similia inter se, & quae vna tantum littera discrepent, ἐνέργεια, & ἐνάργεια longe aliud valere, cum alterum eorum actum ostendat: alterum autem euidentiam & perspicuitatem? neque est, quod existimarit erratum hoc esse scripturae. nam, vt nomine, ita etiam verbo, participioq;, inde conformato, auctor vsus est: dixitq; ἐνεργοῦντα, quod in altero illo locum non habet. Praeterea Phalereus, idem praecipiens, locumq; hunc totum exprimens, ἐνάργειαν perspicuitatemq; id praestare tradit: & ipse quoque ἄψυχα ἐνεργοῦντα appellauit, idest res inanimas, cum finguntur aliquid moliri & efficere, hac virtute praeditas esse dixit. Hoc igitur praeter sententiam testificatur ipsam, quae mirifice conuenit, veram hanc lectionem esse: si tamen ita putasset, maculamq; hic haesisse iudicasset, ostendere debebat, peccatumque librarij confutare. Sed his relictis translationes verbaque, in quibus cernitur actus: quaeque significant aliquid geri tunc atque administrari,

ponere

ponere rem ante oculos: virtuteq; hac praedita esse, apertum est: & multa exempla, quae ponit Aristoteles, hoc indicant. Sed ipse quoq; in extremo huius disputationis, claudens ipsam, testatur ita se rem habere.

Δεῖ ἄρα τούτων στοχάζεσθαι τριῶν, μεταφορᾶς, ἀντιθέσεως, ἐνεργείας.

Oportet igitur tria haec sibi proponere, translationem, oppositionem, actum.

IN calamo scriptis ita legi, melioremq; hanc lectioné putaui. In excusis antea libris, ὅτι δεῖ τριῶν στοχάζεσθαι τούτων: nec enim noui aliquid affert, sed quae antea proposuerat, breui complectitur. Quod igitur (inquit) ad expoliendam orationem, & omni vrbanitate condiendam, pertinet, huiuscemodi est. Dabimus igitur operam, vt tria haec, quae ostendimus orationem exornare, consequamur. ea autem sunt: translatio: verba inter se opposita: nec non quae in actu sunt. ordinem tamen eum, quem supra tenuerat, non seruat: nam de antithesi nominum antea in accuratiore hoc de illis sermone se acturum pollicitus erat: postea de translatione: tertio loco de verbis, quae quasi aliquid agere inducuntur: nam quod ad extremam hanc rationem pertinet, Quintilianus quoque libro viij. naturam eius euoluit. Ἐνέργεια ab agendo ducta, & cuius propria sit virtus, non esse, quae dicuntur, otiosa: eandemq; post significauit, dicens. Cum rebus, sensu carentibus, actum quendam, & animos damus: qualis est. - & pontem indignatus Araxes. Intelligit autem philosophus ἐνέργειαν, id, quod supra vocarat πρὸ ὀμμάτων: qui enim inducit res inanimas, agentes aliquid, is ante oculos eorum, qui audiunt, res ponit.

Τῶν δὲ μεταφορῶν τεττάρων οὐσῶν, εὐδοκιμοῦσι μάλιστα αἱ κατὰ ἀναλογίαν.

Cum autem translationes sint quattuor, laudem maxime adeptae sunt, quae proportione constant.

CVM variae translationum species non eandem vim ad orationem condiendam habeant, demonstrato nunc earum numero: quae meliores, reiq; huic aptiores sint, docet: huiuscemodique esse inquit, quae ex analogia fiunt: nam & a genere ad speciem: & contra. & a specie ad speciem, quae sub eodem genere sit, verba transferuntur, vt accurate ipse in primo de arte poetarum docuit.

Ὥσπερ Περικλῆς ἔφη, τὴν νεότητα, τὴν ἀπολομένην ἐν τῷ πολέμῳ, οὕτως ἠφανίσθαι ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ εἴ τις τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξέλοι.

Quemadmodum Pericles inquit, iuuentutem, quae caesa fuerat in bello, e ciuitate ereptam esse, non aliter atque, si quis ver eximeret ex anno.

CELEBRIS haec Periclis vox est. nam in primo quoque horum librorum eam adduxit. Herodotus in Polymnia huiuscemodi quiddam a Gelone Syracusarum rege dici facit, militum suorum virtutem obscure praedicante: mancasque sine ipsis fore reliquorum Graecorum copias innuente: loquebatur autem ille cum Lacedaemoniorum, & Atheniensium legatis. Καὶ αἰνίσσοντες τῇ Ἑλλάδι, ὅτι ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ αὐτῇ ἐξαραίρηται. Quae vero vis eius vocis esset, diligenter Herodotus exponit.

Καὶ Λεπτίνης περὶ Λακεδαιμονίων, οὐκ ἐᾶν περιιδεῖν τὴν Ἑλλάδα ἑτερόφθαλμον γενομένην.

Et Leptines de Lacedaemonijs. Permittendum non esse, vt Graecia lusca fieret.

IN aduersis rebus Lacedaemoniorum Leptines, saluti illorum prospiciens, suadebat (vt opinor) Atheniensibus, ne Graeciae alterum oculum effodi sinerent. De Graecia autem illum, vt de muliere locutum esse, perspicuum est: cuius forma corrumperetur, si nobilissima ciuitas, quae tamquam alter ipsius oculus esset, euerteretur: alter enim erant Athenae. Plutarchus quoque in libro πολιτικῶν παραγγελμάτων, Phocionis, sapientis illius & boni ciuis, quandam satis itidem grauem & prudentem vocem refert, quam non alienum puto huc transferre. Cum enim post interitum Alexandri magnum iustumque odium populus Atheniensis exprompsisset, quo flagrabat aduersus Macedonas, ascitis sibi socijs reliquis rebuspublicis, bellum aduersus eos gerere coepit, duce Graecarum copiarum Leosthene, qui initio bene rem gesserat, Antipatrumq; in oppido Lamia inclusum circumuallabat. populo igitur Atheniensium valde laeto ob eam victoriam, dixit ille, placere sibi stadium eius belli: metuere tamen se dolichum ipsius, idest longitudinem: cursus enim ita longissimus in stadio appellabatur. vnde δολιχο-

δρόμοι

δρόμοι vocabantur cursores, qui illi conficiendo pares essent. Sed cum de ipsis Hieronymus Mercurialis, summus medicus, & omni varia doctrina, nobilique viro digna, instructus, diligenter disseruerit in ij. suorum de arte gymnastica librorum, verbum amplius de cursibus his aut stadij, aut dolichi non addam. Eadē, qua leptines, metaphora vsus est Cicero pro L. Manilia. » Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, extinctū esse voluerunt. Et in iij. de natura » deorum. Hi duos illos oculos orae maritimae effoderunt. Leptines igitur (hanc enim vim puto esse huius vocis) officium esse dicebat bonorum ciuium, non sinere ciuitatem sua nihil interesse, quid de Lacedaemonijs fieret, arbitrari: nec oportere vllo pacto ita illam sentire, vt permitteret Spartam penitus extingui, sed operam dandam omnibus esse, vt resp. illis opitularetur: nec pateretur praedae esse inimicis, declarans, si aliter ab ipsis fieret, sine magno totius Graeciae damno id non futurum. Cimon, cum idem consilium vrgeret, & ipse eodem pacto conformata voce vsus est: maximeq; ipsa mouit (vt traditur) Athenienses, suadens μήτε τὴν Ἑλλάδα χωλὴν: μήτε τὴν πόλιν ἑτερόζυγα περιιδεῖν γεγενημένην. Non deerant tamen Athenis, qui affirmarent non debere illam subleuari: nec e malis, quibus tunc oppressa erat, eripi: sed oportere Spartam iacere, & conculcari spiritus, ac contumaciam eius vrbis: qua in sententia Plutarchus, qui haec » narrat, eodem paene modo loquendi, quo Leptines, vsus est. ἀλλ' ἐᾶν κεῖσθαι καὶ πατηθῆναι τὸ φρόνη- » μα τῆς Σπάρτης. Sed ad Leptinis vocem redeamus. meminit quoque ipsius Plutarchus in eodem libro, cum doceret sententias, γνώμας vocatas, historias, fabellas, translationes, locum magis habere in deliberationibus, quam in iudicijs: quibus omnibus inquit, moderate tempestiueque vtentes, maxime mouere eos, qui audiunt. cum autem plures huiuscemodi sententias indicet, primam omnium ponit hanc ipsam Leptinis, auctoris ipsius nomine suppresso, sed illam etiam Periclis, qui iussit Athenienses operam dare, vt tollant nubeculam maculamq; Piraei portus. Restat autem hic scripulus in verbis: vereor enim, ne alterum horum indefinitorum verborum, quae hic leguntur, in hac voce exponenda, abundet: eadem enim notio est vtriusq; ipsorum, vnumque rei ostendendae satis erat, quod intelligi etiam licet duobus exemplis, quibus ipse vsus sum: Cimon enim, cum idem paene significare vellet, dixit περιιδεῖν: Plutarchus autem in simili sententia ἐᾶν. addere autem placet tertium Isocratis, qui in oratione, cuius index est ἀρεοπαγιτικὸς de eadem prorsus re ac tempore loquens: narransq; venisse legatos Lacedaemoniorum Athenas post recuperatam ab ipsis rempublicam supplices, qui peterent, vt auxilium sibi ferrent contra Thebanos, nec aequo animo paterentur, quod sua ciuitas euersa esset ab inimicis, inquit. καὶ δεησομένους μὴ περιιδεῖν σφᾶς αὐτοὺς, ἀναστάτους ὑπὸ Θηβαίων γενομένους.

Καὶ Κηφισόδοτος, σπουδάζοντος Χάρητος εὐθύνας δοῦναι περὶ τὸν Ὀλυνθιακὸν πόλεμον, ἠγανάκτει: φάσκων εἰς πνῖγμα τὸν δῆμον ἔχοντα, τὰς εὐθύνας πειρᾶσθαι δοῦναι.

Et Cephisodotus, festinante Charete, cum adhuc bellum Olynthiacum maneret, rationes reddere operae suae nauatae in eo, stomachans id, dixit ipsum in furno populum habentem, conari rationes reddere.

Cephisodotus quoq; eleganti metaphora iniquitatem Charetis indicauit, qui cum Atheniensis populus Olynthiaco bello premeretur, administratae a se reip. rationem reddere studebat: dixit enim ipsum rationes referre cupere, cum in furno inclusum populum haberet: in angusto autem & arcto loco significare voluit: sciebat enim populum, alijs rebus occupatum, & opera ipsius egentem, quidquid Chares postulasset, concessurum.

Καὶ παρακαλῶν ποτὲ τοὺς Ἀθηναίους εἰς Εὔβοιαν ἐπισιτισομένους, ἔφη δεῖν ἐξιέναι τὸ Μιλτιάδου ψήφισμα.

Et cum hortaretur aliquando Athenienses, vt in Euboeam frumentatum irent, dixit oportere exire Miltiadis plebiscitum.

Idem Cephisodotus, cum hortaretur Athenienses, vt in Euboeam frumentatum irent, inquit oportere exire plebiscitum Miltiadis. in historiam hanc non dum incidi. Demosthenes sane contra Aeschinem. τίς ὁ τὸ Μιλτιάδου καὶ Θεμιστοκλέους ψήφισμα ἀναγινώσκων? nihil tamen, quod hunc locum adiuuet. Translationem vero hic esse puto, quia inquit, scitum exire: cum intelligere vellet (nisi fallor) quae decreto illo continerentur. ἐξιέναι autem dicebatur populus, cum instructus armis, ad bellum proficiscebatur.

Καὶ Ἰφικράτης, σπεισαμένων Ἀθηναίων πρὸς Ἐπίδαυρον καὶ τὴν παραλίαν, ἠγανάκτει, φάσκων αὐτοὺς τὰ ἐφόδια τοῦ πολέμου παρῃρῆσθαι.

Et

Et Iphicrates; cum Athenienses cum Epidauro, & omni ora maritima foedus fecissent, stomachabatur, dicens ipsos viatica belli sustulisse.

IPHICRATES, clarus bellicis rebus, cum Athenienses cum Epidauro ciuitate, & omni illa maritima ora foedus fecissent, aegre id tulit, stomachansq; inquit, ipsos belli viatica sustulisse: vtilitates autem, quae caperentur e bello, μεταφορικῶς viatica illum appellasse, manifestum est. Σπείσασθαι icere foedus significat: quo verbo Cicero quoq; in xv. ad Atticum vsus est. Et σπείσασθαι vult cum Bruto, & Cassio. Cum in excusis vero antea ἐπίδημον legeretur, vt in antiquissimo libro inueni, ἐπίδαυρον emendaui: cuius lectionis indicium quoq; extat in vetere tralatione. oppidum autem fuisse Epidaurum in intimo Saronico sinu, veteres scriptores tradunt.

Καὶ Πειθόλαος τὴν πάραλον, ῥόπαλον τοῦ δήμου.

Et Pitholaus nauem paralum vocauit clauam populi.

HANC veram huius loci lectionem puto: nam quod in excusis est, τὴν πάραλον τοῦ μήδου, & mancum & deprauatum credo: & sane ita paene in antiquissimo libro legitur: in extrema namq; tantum voce turbatum illic est: cum habeat ille, μήδμου. ex quo corrupto verbo, duae (vt arbitror) lectiones fluxerunt, & eorum, qui eiecta quarta eius nominis littera, μήδου, legerent: & qui deleta prima, tertiaq; in locum eius retracta, δήμου emendarent. Πάραλον vero sacram nauim fuisse incredibilis celeritatis, manifestũ est, cui nomen impositum aiunt a Parhalo quodam heroe, quem intellexit Cicero in actione vj. in Verrem, cum inquit. » Quid Athenienses vt ex marmore, Iacchum aut Parhalum pictum? » Eam autem cum grauior aliquis casus vrgeret, quo res posceret, mittere Athenienses solebant: ideoque fortasse, quod male cogitantes opprimeret, eosque metu, damnoque in fide retineret, Pitholaus μεταφορικῶς clauam populi appellauit: nihil tamen certi.

Σηστὸν δὲ, τηλίαν τοῦ Πειραιέως.

Sestum autem oppidum arcam frumentariam Piraei.

SESTVM in Hellesponto oppidum fuisse constat: vnde magnam vim frumenti Athenienses domum conuehebant: importato enim fere vtebantur ob agri sterilitatem. idem igitur Pitholaus Sestum appellauit, Piraei arcam frumentariam: vt enim, cum priuatus aliquis frumentum emere vult, ad frumentarios negotiatores accedit, arcasque frumento refertas: ita Athenienses Sestum cum onerarijs nauigabant, easque frumento onustas reportabant. Eandem vim habuit: idemq; paene significauit vox illa M. Catonis sapientis, qui Siciliam cellam penariam reip. nominauit. Τηλίαν autem Aristophanes & in Pluto, & in Vespis appellauit: vt Aeschines etiam contra Timarchum. Deprauatum tamen est hoc nomen in antiquissimo libro incuria librarij: legitur enim illic τὴν λείαν: quod erratum sequitur etiam vetus tralatio: in multis tamen scriptis illud integrum mansit.

Καὶ Περικλῆς τὴν Αἴγιναν ἀφελεῖν ἐκέλευσε: τὴν λήμην τοῦ Πειραιέως.

Et Pericles Aeginam iubebat tollere, maculam Piraei.

HAEC Periclis vox valde nota ac peruulgata est: qua suasit ciuibus suis, vt Aeginam tollerent, Piraei portus maculam, labemq; ipsam appellans, genere illo translationis, quod est κατὰ ἀναλογίαν: vt enim λήμη oculi vitium est: quod lucem ipsius vsumq; impedit, ita lumen eius portus gloriamq; laedebat parua illa insula, ipsi obiecta & opposita. Plutarchus in Pericle eam retulit: nec non in commentario, quo docuit, ne iucundam quidem esse vitam inductam ab Epicuro. Athenaeus tamen in iij. δειπνοσοφιστῶν Demadi eam tribuit, vbi non pauca eius oratoris dicta exponit, in quibus ea vis erat, de qua hic disserit Aristoteles: illum autem (vt puto) memoria fefellit. Vt autem a Pericle prolata vox haec est, imaginis potius, quam translationis speciem habet: exemplum tamen nunc translationis esse vult, ob eandem paene harum rerum naturam: non valde enim laborandum est, siquis ex imagine translationem facere velit: est autem & haec ex analogia, quia quam rationem habet iuuentus ad ciuitatem, in qua nata est, eandem ver ad annum: cuius elegantior pars est. Qui igitur, sublatam bello iuuentutem intelligens, dixerit e ciuitate ver exemptum esse, huiuscemodi translatione vsus erit.

Καὶ Μοιροκλῆς οὐδὲν ἔφη πονηρότερον εἶναι, ὀνομάσας τινὰ τῶν ἐπιεικῶν: ἐκεῖνον μὲν γὰρ ἐπὶ τρίτων τόκων πονηρεύεσθαι: αὐτὸν δὲ ἐπὶ δεκάτων.

Et Moerocles

Et Moerocles nihil inquit improbius esse, cum appellasset quempiam probum & moderatum virum: illum enim in tertijs foetibus improbitatem colere: se vero in denis.

IN viri huius nomine, qui vrbana hac voce vsus est, mendum antea erat: Μυροκλῆς namque legebatur, quae macula idem nomen apud Demosthenem etiam in excusis libris inquinauerat: mentionem enim eius facit in oratione de falsa legatione, vt furis cuiusdam minuti, narrans eum ab Eubulo reum factum: sed vetera quoq; oratoris exemplaria Μοιροκλῆς illic habent, vt hoc in loco antiquissimus codex: Harpocration etiam in lexico ita illum nominat, qui Salaminium eum facit: numeratq; in illis, qui Athenis non obscure in rep. versati sint. Vis autem huius exempli non omnino mihi percepta est: nec plane, quae translatio in his verbis sit e genere earum, quae ex collatione rationis fiunt, video, de quibus hic agitur: nescioq; an luserit etiam in duplici notione verbi τόκος: quamuis lepos huius dicti in ὁμωνυμίᾳ manere, traditus non sit: cum enim τόκος foetus valeat, quod nummi crediti alios pariant, foenus sic vocare consuerunt: & poëtae etiam passim ita vocant filios: nam verba ipsa hoc significare videntur: sed obscurior aliquis sensus subest. Moerocles etiam nihilo se improbiorem (inquit) illo esse, cum appellasset quempiam probum ac modestum hominem: ipsum namq; in tribus foetibus improbitatem exercere: se vero, in decem: aliud enim hoc scripturae discrimen in antiquissimo libro: πονηρότερος namq; virili genere: nominandi casu, illic legitur: non vt in excusis antea, neutro: quam lectionem veriorem ducens, recepi: comparationem enim fecit inter se atq; illum, docens se nulla re improbiorem esse: non diuersas alias personas inter se contulit: si duos namq; alios inter se contulisset, non alterum eorum tantum, sed ambos nomine appellasset. Huius autem admirabilis (vt opinor) dicti rationem reddidit consequentibus verbis.

Καὶ τὸ Ἀναξανδρίδου ἰαμβεῖον ὑπὲρ τῶν θυγατέρων πρὸς τὸν γάμον ἐγχρονιζουσῶν, Ὑπερήμεροί μοι τῶν γάμων αἱ παρθένοι.

Et ille Anaxandridae senarius super filiabus, quae migrabant iustum nubendi tempus. Intra diem non gerunt, quod ad nuptias pertinet, meae virgines.

EANDEM rationem (inquit) habet versiculus senarius Anaxandridae, quem de filiabus suis retulit, quae legitimum nubendi tempus transierant. Proprie enim ὑπερήμεροι dicuntur, qui intra diem iudicij non adfuerunt: qui legitimum tempus transire passi sunt: translato igitur ille a iudicijs, foroq; nomine, virgines suas grandes, quae domi propter paupertatem sedebant, ὑπερημέρους eleganter appellauit. Longinus quoq; apte idem hoc nomen ad aliud transtulit, loquens de hominibus nonnullis, qui non valde confidunt viribus ingenij sui: metuuntq; ne labores ipsorum scriptaq; spatium aliquod temporis post mortem eorum mansura sint: inquit enim, εἰ δέ τις αὐτόθεν φοβοῖτο μὴ τοῦ ἰδίου βίου καὶ χρόνου φθέγξαιτό τι ὑπερήμερον, & quae sequuntur: significat enim, quod superet extremum tempus vitae suae, sed vna cum ipso interiturum sit. Cum vero in excusis antea hic Ἀλεξάνδρου legeretur, secutus auctoritatem antiquissimi libri, nomen id immutaui, infra quoq; Anaxandridae poëtae meminit.

Καὶ τὸ Πολυεύκτου εἰς ἀποπληκτικόν τινα Σπεύσιππον: τὸ μὴ δύνασθαι ἡσυχίαν ἄγειν ὑπὸ τῆς τύχης ἐν πεντεσυρίγγῳ νόσῳ δεδεμένον.

Et illud Polyeucti in Speusippum quendam, apoplexia oppressum. non posse hominem quiescere a fortuna, in quinque foraminum morbo vinctum.

POLYEUCTUS Sphettius Atheniensis orator fuit: cuius Plutarchus, alijq; veteres scriptores mentionem fecerunt: narrat autem ille in Demosthenis vita, ipsum fuisse vnum eorum, quos, expugnatis Thebis, Alexander poposcit ab Atheniensibus, vt sibi traderentur, vt vehementer aduersatos eius rebus, acerrimosq; inimicos Macedonum. Vox autem ipsius, edita in Speusippum attonitum hominem, & cuius corpus morbo illo stupebat, eandem vim habuit: omnis namque vrbanitas ipsius constabat ex eo genere translationis: cum enim ipsum, multa in republica molientem, ac nulla certa in sententia permanentem, increparet, inquit, ipsum non posse conquiescere, quamuis a fortuna in pentesyringo morbo colligatus fuisset: naturam namque ipsius volubilem vicisse vim eius morbi, qui alios omnes prosternit ac domat. eo igitur significauit ingenium ipsius instabile ac varium: nec enim mobilem inquietumque corpore, sed animo ostendere voluit, quamuis in pentesyringo corporis membra constringerent: in verbo autem, quod, vt ab ipso prolatum est, Graecum posui, omnis lepos & elegantia mansit: erat enim πεντεσύριγγον vincli quoddam genus, quo sontes homines in carcere vinciebant: ita appellatum, quod quinque foramina

haberet, in quae brachia, pedes, caputq; insererent, vt nulla ratione illinc exire, tamq; arcto vinclo se nexi exoluere ac liberare possent. Illius meminit Aristophanes in equitibus. Δῆσαι σ' ἐκέλευε πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ. Vnde igitur verbum translatum sit, apparet: idem autem apoplexia facere consueuit: is enim quoq; morbus ita corpus eorum, quos oppressit, impedit: muneribusq; suis orbat, vt neq; manus, nec pedes, nec caput, officium suum faciant.

Καὶ Κηφισόδοτος τὰς τριήρεις ἐκάλει μύλωνας ποικίλους.

Et Cephisodotus vocabat triremes pistrina varia.

PISTRINA, officinasq;, in quibus moleretur frumentum, μύλωνας virili genere Graeci vocant: quae frumentum Athenas comportarent triremes, μύλωνας Cephisodotus, translato inde nomine proportione, appellabat: varios autem accipio, distinctos varijs coloribus, pictosq;: naues enim pingere consuerant. In iiij. Georgicorum. Et circum pictis vehitur sua rura phaselis. Adiuncto igitur ornatu illo, ac pictura, μύλωνας, quod paene idem munus praestarent, Cephisodotus triremes dixit.

Ο κύων δὲ τὰ καπηλεῖα, τὰ Ἀττικὰ φιδίτια.

Et canis, cauponas Attica phiditia.

DIOGENES Cynicus, cui a moribus, consuetudineq; illa omnibus maledicendi, nomen impositum est, cauponas, Attica phiditia appellabat: accusauit autem hac voce intemperantiã Atheniensium, qui turpiter in cauponis viuerent, ac desideria ventris gutturisq; satiarent: continebatur autem eadem voce laus Lacedaemoniorum: illi enim institutas publicas cenas habebant, quas phiditia vocabant: in quibus, quod nomen etiam indicabat, summa cum parsimonia viuebant, eoq; tenuissimo victu delectabantur: cum contra, Athenienses delicatas epulas sectarentur, quos acerbe perstringit. Phiditia autem, non philitia vocatas eas cenas puto: quod, vt alia nunc testimonia omittam, liquido confirmat Porphyrius in iiij. libro de non necandis ad epulandũ animantibus. Διὸ καὶ φειδίτια προσηγόρευον ταῦτα, εἴτε ὡς φιλοσοφίας καὶ φιλοφροσύνης ὑπάρχοντα αἴτια, ἀντὶ τοῦ λάμβδα τὸ δ λαμβάνοντες, εἴτε ὡς πρὸς εὐτέλειαν, καὶ φειδὼ συμβιβάζοντα. Nam Cicero quoq; in v. libro Tusculanarum quaestionum eorum mentionem fecit. Antiquissimus vero liber, non καπηλεῖα, vt reliqui, quos vidi scripti & excusi, sed καπηλικὰ habet: quam lectionem videtur quoque exprimere vetus tralatio.

Αἰσίων δὲ, ὅτι εἰς Σικελίαν τὴν πόλιν ἐξέχεαν.

Aesion autem, in Siciliam ciuitatem effudisse.

CVM magnitudinem copiarũ, quas in Siciliam miserant Athenienses, immensumq; hominum numerum Aesion significare vellet, inquit, ipsos effudisse ciuitatem in Siciliam: effundi autem aqua, vinumque proprie e vase aliquo dicitur, non multitudo hominum e ciuitate. Quare translationem esse manifestum est. In oratione, quam scripsit de pace, Isocrates numerum etiam militum illorum nauiumq; posuit: affirmauitq, fuisse quadraginta milia: triremes autem cclx. vt non sine causa dicere potuerit Aesion Athenienses, ciuitatem in Siciliam effudisse. Aesionis vero huius, vt arbitror, meminit Plutarchus in Demosthene: eiusque vocem retulit, qua, quid sui iudicij esset de antiquis ac sui temporis oratoribus, qui Athenis remp. administrabant, ille indicauit.

Τοῦτο γὰρ μεταφορὰ, καὶ πρὸ ὀμμάτων.

Hoc enim translatio est, & constituit rem ante oculos.

HAEC auctoris verba sunt, docentis vtrunq; bonum habere in se hanc vocem: nam & translatio est, & rem ante oculos constituit: exhauriri enim vrbem, & omnem turbam ex ea, tamquam e vase aliquo aquam fundi, tibi cernere videris.

Καὶ ὥστε βοῆσαι τὴν Ἑλλάδα.

Et, ita vt clamauerit Graecia.

QVI etiam sic locutus est, vt Graecia inclamarit, idem effecit: μεταφορικῶς enim prouincia, vt mulier aliqua, clamorem edere, non proprie dicitur. auctorem vero huius vocis adhuc inuenire non potui: neque enim apud Isocratem legitur: arbitror autem hoc quoque ab Aesione prolatum fuisse: quod Aristoteles significare videtur. eadem (nisi fallor) virtus est loci illius Demosthenis in oratione contra Aeschinem fallae legationis. ταῦτ' οὐχὶ βοᾷ, καὶ λέγει ὅτι χρήματ' εἴληφεν Αἰσχίνης: res enim, quae sine animo sunt, vt animi compotes, clamitare dicuntur: & sub

& sub aspectu quoq; totum negotium subijcitur. Isocrates quoq;, in suasione ad Philippum, eadem immutatione vsus est, dicens ipsum videre posse vniuersam Graeciam suspensam atque erectam esse ob ipsius mandata: ὀρθὴν enim ἑλλάδα appellauit. Simile autem his exemplis est Ennianum illud, quod citauit M. Cicero non vno loco, Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Καὶ τοῦτο τρόπον τινὰ, μεταφορὰ, καὶ πρὸ ὀμμάτων.

Et hoc aliquo modo, translatio est, & ante oculos.

VOCEM quoq; hanc aliquo modo translatam esse dicit, & ante oculos rem constituere: apparet enim & ante oculos paene obijcitur, vniuersa regio, quae tamquam mulier, animoq; praedita, vociferetur. Hinc autem etiam percipitur verum esse, quod Cicero in Oratore ait: Aristotelem & hypallagem, & abusionem, translationi subiungere: proprium namq; hic nomen proprio commutatum est: & pro Graecis sumpta est Graecia: ex eodem certe genere translationum non est. vnde fortasse, inquit τρόπον τινὰ, vt Cicero in iij. de Oratore. » Haec autem, quae aut immutata esse dixi, aut aliter intelligenda, ac dicerentur, sunt translata quodam modo: » coniunctionem autem hic restitui, acceptam ex antiquissimo codice: ac verba etiam ad seriem, quam in eo habent, reuocaui: quibus in rebus cum illo etiam facit vetus tralatio: excusi enim antea, καὶ τοῦτο πρὸ ὀμμάτων τρόπον τινὰ μεταφορὰ, mendose.

Καὶ ὥσπερ Κηφισόδοτος εὐλαβεῖσθαι ἐκέλευε, μὴ πολλὰς ποιήσωσι τὰς συνδρομὰς, ἐκκλησίας.

Et quemadmodum Cephisodotus iubebat, vt cauerent, ne multos facerent bellicos incursus, contiones.

ADMONEBAT Cephisodotus (vt puto) viderent Athenienses, ne dum nimis turbide in contionibus publicas res administrarent, multos verius concursus, quã contiones cogerent: erant enim contiones turbulentae, quae a seditiosis hominibus impetu potius, quam more legibusq; excitabantur: quales ipse intellexit: erant aliae sedatae, quae ἔνθετοι vocabantur: in quibus composite ordineq; omnia fiebant. Nisi fallor igitur Cephisodotus vitium priorum illarum significans, appellauit συνδρομὰς, intelligens ἐκκλησίας, non tamen id verbum proferens: additum enim illud ab Aristotele puto, qui vim antecedentis translati verbi significare hac tamquam declaratione, voluerit: συνδρομὴ enim proprio nomine est impetus hostilis, repente excitatus, cũ ex multis locis multi quopiam irruunt. Plutarchus in Cimone, vbi de terrae motu, qui paene Spartam euertit, loquitur. » οἱ γὰρ εἵλωτες ἐκ τῶν ἀγρῶν συνέδραμον πανταχόθεν, ὡς συναρπασόμενοι » τοὺς σεσωσμένους τῶν Σπαρτιατῶν.

Καὶ Ἰσοκράτης πρὸς τοὺς συντρέχοντας ἐν ταῖς πανηγύρεσι.

Et Isocrates ad eos, qui vndique concurrunt cum mercatus illi celebres fiunt.

IN libro, quem scripsit ad Philippum Macedonem Isocrates, ita locutus est, cum vtilitatem suarum scriptionum extolleret: orationum autem, quas sophistae in conuentibus totius Graeciae haberent, extenuaret: inquit enim obstrepere illic auribus plurimorum, & ad omnem illam multitudinem, quae diuersis ex locis eo concurrebat, verba facere, esse inanem laborem, & qui nullos fructus ferret sumere: contra autem cum certa aliqua persona sermonem instituere, saepe incredibilia bona efficere. » ὅτι τὸ μὲν ταῖς πανηγύρεσιν ἐνοχλεῖν, καὶ πρὸς ἅπαντας λέγειν τοὺς συντρέχοντας ἐν αὐταῖς, πρὸς οὐδένα λέγειν ἐστίν. » Hinc quoq; manifesto intelligitur consuetudo nostri huius doctoris in citandis testimonijs, auctoritatibusq; veterum scriptorum: neq; enim cuncta ipsorum verba fideliter adducit, illis contentus, quae exemplo necessaria sunt: duo namque hic verba reliquit, ad id, quod ostendere volebat, non facientia: & pro nomine, quod conuentus illos apud eum referebat, conuentus ipsos eodem numero: & casu posuit.

Καὶ, οἷον ἐν τῷ ἐπιταφίῳ. διότι ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷ τάφῳ, τῷ τῶν ἐν Σαλαμῖνι τελευτησάντων κείρασθαι τὴν ἑλλάδα, ὡς συγκαταθαπτομένης τῇ ἀρετῇ αὐτῶν τῆς ἐλευθερίας.

Et, veluti in funebri oratione. Dignam rem esse, vt in sepulchro eorum, qui in Salamine interfecti fuissent, tonderetur Graecia, tamquam simul cum virtute ipsorum libertas sepeliretur.

SVMPTVM hoc exemplum est ex oratione Lysiae, quae inscribitur ἐπιτάφιος τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς: quin illam autem, quamuis auctoris nomen non posuerit, intellexerit Aristoteles, dubitare non debemus: notum namq; tunc omnibus erat, vnde promptum foret: valde enim celebris fuit haec venustissimi oratoris, qua laudauit eos, qui missi ad auxilium ferendũ Corinthijs in proe-
» lio interfecti essent, oratio: sic certe in ea legitur. ὡς ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ τότε κείρασθαι τὴν Ἑλλάδα,
» καὶ πενθῆσαι τοὺς ἐνθάδε κειμένους, ὡς συγκαταθαπτομένης τῆς αὐτῶν ἐλευθερίας τῇ τούτων ἀρετῇ. Cum autem dixerit Aristoteles, τῶν ἐν σαλαμῖνι τελευτησάντων, interpretatus est (nisi fallor) nomen τῷδε; quo Lysias vsus fuerat: neq; enim ipse manu monstrare potuit sepulchrum, vt orator fecerat: dictum enim illud fuit manifesto δεικτικῶς. Sententia autem, & grauis admodum & ornata haec est. Aequum esse in sepulchro, quo conderentur, qui in Salamine occubuerant, Graeciam tonderi, quia vna cum virtute ipsorum, fortitudineq; animi, libertas totius gentis sepulta foret. moris autem Graecorum fuisse, vt in domesticis funeribus luctuq; capillos sibi tonderent, tradidit etiam copiose Cicero in ij. libro Tusculanarum. Vsus autem est eodem hoc verbo translato Epaminondas Thebanus, cum quae honeste praeclareq; in bello gessisset, in elegia commemoraret: non tamen e suo proprioq; solo in alienum ipsum comportans, idem significauit: in-
» tellexit enim illo conteri & extenuari. versus eius est, Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτα μὲν ἐκείρατο δόξαν.
» Cicero, qui sententiam eam expressit, eandem translationem seruauit: inquit enim. Consilijs
» nostris laus est attonsa Laconum. Κείρασθαι autem in Graeco dicta est Sparta, vt a Lysia Graecia: neque tamen siue Graecia, siue Sparta vere tonsa erat.

Εἰ μὲν γὰρ εἶπεν, ὅτι ἄξιον δακρῦσαι, συγκαταθαπτομένης τῆς ἀρετῆς, μεταφορὰ, καὶ πρὸ ὀμμάτων.

Si namq; dixisset, dignam rem esse, vt lugeret, quia simul cum illis virtus sepeliretur, translatio fuisset, atque ante oculos.

PLVRES virtutes habere hunc locum ostendit: summoque artificio confectum esse: si enim inquit) ita forte orator dixisset, Rem dignam esse, quam omnes lugerent, cum tanta virtus ipsorum sepulturae daretur, translatio in eo fuisset: sed etiam alterum ornatum habuisset: rem namque ante oculos eorum, qui audiebant, constituisset: illi enim lacrimantibus oculis tamquam vidissent atrox id spectaculum: nam de translatione dubium non est: neq; enim virtus, corporis expers, & quae animo tantum cernatur, sepeliri potest. His tamen duobus ornatibus contentus non fuit accuratus & ingeniosus scriptor, & tertiam quandam concinnitatem addidit.

Τὸ δὲ, τῇ ἀρετῇ τῆς ἐλευθερίας, ἀντίθεσίν τινα ἔχει.

Illud autem cum virtute libertas, oppositionem quandam in se continet.

CVM idem vero (inquit) addidit, cum virtute libertate, voluisse ipsum contrarium quoddam referre contrario: & hac quoq; ἀντιθέσει expolire locum illum, apparet. Adiunxit autem (vt puto) Aristoteles τινά: neq; enim vere virtuti libertas opponitur, sed ex aliqua tantum parte: vt non integra haec omnino ἀντίθεσις sit: vt foret si quis virtuti, vitium: libertati, seruitutem: paci, bellum: vitae, mortem, opponeret: haec enim magis contra stant, atq; aduersantur sibi ipsis.

Καὶ ὡς Ἰφικράτης εἶπεν. Ἡ γὰρ ὁδός μοι τῶν λόγων διὰ μέσου τῶν Χάρητι πεπραγμένων ἐστί.

Et vt Iphicrates dixit. Iter orationis meae est per medium rerum a Charete gestarum.

IPHICRATES quoq; (ait) eleganter dixit. Iter orationis meae erit per medias res a Charete gestas: significare autem (vt arbitror) Iphicrates voluit, se res gestas Charetis omnes expositurum: nec extremas tantum earum partes, sed intimas etiam tacturum: vel in oratione, quam de alia re habiturus esset, se per medias illas transiturum ac perrupturum: amico ne autem animo, an hostili id facturus fuerit, & cum eius laude, an vituperatione, affirmare non ausim. Eodem pacto locutus est Plutarchus in Nicia, cum Timaei historici arrogantiam irrideret, qui stulte sperauit se posse in earundem rerum enarratione summos scriptores, & Thucydidem & Philistum, superare: quiq; ab illis eximie feliciterq; tractati fuerant, locos copiose & ipse persecutus est: & quasi per medias ipsorum laudes quadrigas egit.

Μεταφορὰ κατὰ ἀναλογίαν, καὶ τὸ διὰ μέσου, πρὸ ὀμμάτων ποιεῖ.

Translatio proportione constans, & illud per medium, ante oculos ponit.

TRANSLATIO (inquit) haec est, & e genere translationum earum, quae maxime probantur: quod enim orationis cursum viamq; appellauit, μεταφορικῶς locutus est. quod per medium inquit rerum gestarum, rem ante oculos constituit: facta enim Charetis ita exposita, findi ac diuidi paene videntur. Cum autem multitudinis numero supra dixisset διὰ μέσων πεπραγμένων: nunc, cum de medio seorsum loquatur, ac res ipsas relinquat, ad vnitatis numerum transijt; μέσου enim legitur in scriptis omnibus libris.

Καὶ τὸ φάναι παρακαλεῖν τοὺς κινδύνους τοῖς κινδύνοις βοηθήσοντας, πρὸ ὀμμάτων μεταφορά.

Et affirmare conuocare pericula periculis opem latura, translatio ante oculos.

QVIS ita locutus sit, nec ipse tradit, nec ego adhuc inueni: sententia sane obscurior. quid suspicer auctorem huius vocis significare voluisse, indicabo. Dicere praeterea (Aristoteles inquit) oportere pericula conuocare periculis auxilium latura, & implotanda pericula ad periculorum praesidium, ante oculos constituit & translatio est: quasi dicere ille voluerit, nullam certiorem esse viam eripiendi se e maximis periculis, quam periculose aliquid aggredi: qui autem vt periculi aliquid euitent, rem aliam periculi plenam temptant, pericula inuocant, periculis opem allatura.

Καὶ Λυκολέων ὑπὲρ Χαβρίου. Οὐδὲ τὴν ἱκετηρίαν αἰσχυνθέντες αὐτοῦ, τὴν εἰκόνα τὴν χαλκῆν.

Et Lycoleon pro Chabria. Neque ipsius supplicationem veriti, statuam aheneam.

NEC non Lycoleon, cum pro Chabria diceret, inquit. Ne imaginem quidem ipsius ex aere reuerentes, quae officio fungitur supplicantis, illi scilicet parcetis? atque adeo ingrati & duri eritis, vt veterum ipsius beneficiorum vobis in mentem non veniat? sed acerbe aliquid contra ipsum statuetis: nec pudor etiam vos statuae, quam ei erexistis, capiet, quae vobis pro illo supplicat? Hoc sane ille significare voluit, breuius tamen, elegantiusq; dixit: ipse enim non supplicabat tunc, qui reus erat, Chabrias, sed a patrono statua ipsius dicitur hoc munus in magno periculo eius, quem reddebat, obire: appellauit enim imaginem ἱκετηρίαν. Vt enim supra significaui me arbitrari ἐκκλησίας, quod addidit, declarationem esse antecedentis translati nominis συνδρομάς, ita nunc censeo τὴν εἰκόνα τὴν χαλκῆν scholion esse illius ἱκετηρίας, quamuis additum non sit, quod hoc aperte ostendat: admonui enim olim, & exemplis positis confirmaui, non solitos veteres illos, quod recentioris aetatis fecerunt, adponere δηλονότι: aliudue quid, quod idem declararet. Hunc autem olim habitum supplicantium fuisse & ramulum oleae, lana inuolutum, gestare illos manu consuesse, plures auctores tradunt. Cum vero in excusis antea foret ἐγχωθέντι, emendaui αἰσχυνθέντες, vt in scriptis omnibus inueni: nec sententiam inchoatam esse, si ita legatur, tantũ valere debet, vt antiquam lectionem repudiemus: plura enim exempla, quorum sententia absoluta non est, ab Aristotele in his libris ponuntur.

Μεταφορὰ γὰρ ἐν τῷ παρόντι, ἀλλ' οὐκ αἰεί: ἀλλὰ πρὸ ὀμμάτων: κινδυνεύοντος γὰρ αὐτοῦ ἱκετεύει ἡ εἰκών. τὸ ἄψυχον δὴ ἔμψυχον.

Translatio enim est praesenti tempore, sed non semper, verum ante oculos: exposito enim ipso periculis supplicat imago. itaque inanime fit animale.

ILLO Chabriae tempore, aduersisq; ipsius rebus translatio fuit: nec enim semper translatio: numquam tamen non ante oculos constituebat: hoc namq; amittere non poterat. id Aristoteles ipse accurate exponit: dum enim (inquit) in periculo versatur Chabrias, supplex est statua iudicibus: quod enim rei experti animi, animus tribuitur: deq; ea, vt animali, sermo habetur, transfertur aliquo modo verbum: nisi fallor enim hoc addidit, quod genus translationis esset, significare volens: ex analogia namque & vero illo, maximeq; probato genere non est. Supra autem ostendi, μετωνυμίαν, quam vocant grammatici: ὑπαλλαγὴν rhetores, ipsum translationem appellare: nomen enim tranfertur etiam, cum pro eo, cui statua erecta est, statua ipsa ponitur. Cum vero in excusis & scriptis reliquis numero multitudinis legeretur, κινδυνευόντων γὰρ αὐτῶν: vt in antiquissimo libro legi animaduerti, ad vnitatis numerum reuocaui: vnius enim Chabriae, qui in iudicium vocatus erat, salus in discrimine versabatur.

Τὸ ὑπόμνημα τῶν τῆς πόλεως ἔργων.

Commentarium factorum ciuitatis.

COMMENTARIVM, statuam, huiuscemodiq; aliquid vocare publicorum operum, sermo est translationem in se continens: si enim suo nomine vti voluisset, μνημόσυνον monimentumque ipsam appellasset. Qui igitur ita locutus est, siue Lycoleon ille, siue alius fuit, translato verbo vsus est: appellauitq; statuam, atq; imaginem viri, commentarium, tamquam illa continerentur, narrarenturq; res gestae a ciuitate, vt libro ac commentario quodam: qui enim eam aspiciebant, veterum honeste factorum recordabantur. Quamuis nihil certi de hoc afferri possit, suspicor tamen eiusdem oratoris verba fuisse, quae superiora illa sequerentur, interrupta autem hic sint declaratione auctoris: siue de eodem Chabria alibi in eadem causa dicta sint. Isocrates quoq; hac ipsa translatione videtur vsus, cũ laudauit consiliũ Ionum in Panegyrico: recteq; dixit fecisse, qui lege vetuerint, additis etiam execrationibus, nequis aedificaret instauraretue templa incensa a Persis, vt posteris id esset testimonium illorum impietatis: appellauit enim hoc ὑπόμνημα. vt etiam in oratione, quam scripsit de pace.

Καὶ πάντα τρόπον μικρὸν φρονεῖν μελετῶντες· τὸ γὰρ μελετᾶν, αὔξειν τί ἐστι.

Et omni modo humiliter sentire meditantes: meditari enim amplificare aliquid est.

SINCERA haec est huius loci lectio, quam fideliter etiam scripti multi codices conseruarunt: in excusis tamen non nullis quaedam sine causa immutata erant. Verba autem sunt Isocratis e panegyrico, vbi de abiecta humiliq; institutione Persarum loquitur, & in quibus studijs illi tenerentur docet, quo facilius immodicam illam seruitutem tolerarent: vt mirandum non sit, si illi postea in rebus gerendis tam ignauiter timideq; se gererent: mores enim ipsorum vitamque exponit, in qua cuncta eodem tendebant, & ad effeminandos eorum animos inuenta erant, dicens. ἐξεταζόμενοι δὲ πρὸς αὐτοῖς τοῖς βασιλείοις, καὶ προκυλινδούμενοι, καὶ πάντα τρόπον μικρὸν φρονεῖν μελετῶντες: θνητὸν μὲν ἄνδρα προσκυνοῦντες: & quae sequuntur. Vim huius exempli consequentibus verbis ipse interpretatur, ostenditq; proprio nomine μελετῶν dictum non esse: qui enim meditantur (id enim est μελετῶντες) quomodo rem augeant, toto animo cogitare solent: hi autem spiritus minuere, frangereq; animos, & humilia deniq; sapere, longa assiduaque cogitatione studebant.

Καὶ ὅτι τὸν νοῦν ὁ θεὸς, φῶς ἀνῆψεν ἐν τῇ ψυχῇ: ἄμφω γὰρ δηλοῖ τι.

Et mentem deum lumen accendisse in animo: ambo enim alicui rei claritatem adferunt.

CVIVS haec verba sint, non dum repperi. Praeterea (inquit) qui dixit, mentem deus lumen accendit in animo, translatione vsus est ex collatione rationis: ambo enim (addit Aristoteles hoc docens) mens, scilicet, atque lumen, fulgent ac lumine suo illustrant, patefaciuntque res antea obscuras. cum igitur ambo idem efficiant, recte alterum pro altero sumptum est. Similitudinis autem aliquid habet cum eo, quod in Bruto a M. Cicerone dictum est. Vt enim hominis decus ingenium, sic ingenij ipsius lumen est eloquentia.

Οὐ γὰρ διαλυόμεθα τοὺς πολέμους, ἀλλ' ἀναβαλλόμεθα.

Non enim bella dissoluimus, sed in aliud tempus reycimus.

VERBA sunt Isocratis e Panegyrico, vbi conatur persuadere Graecis, vt mutuas inimicitias deponant: veramq; pacem ac firmam, non simulatam instabilemq; faciant, & morem sui temporis exponit, accusatque, qui frustra inter se foedera de pace ferirent: neque enim (inquit) bella dissoluimus, sed differimus: idoneumq; tempus, quo grauius aliquod malum nobis iniungere possimus, expectamus, vt pax haec dici nullo modo possit, sed procrastinatio belli.

Ἄμφω γὰρ ἐστὶ μέλλοντα, καὶ ἡ ἀναβολὴ, καὶ ἡ τοιαύτη εἰρήνη.

Ambo enim haec futuri temporis sunt, & procrastinatio: & huiuscemodi pax.

CVM disertus ille vir (inquit) & accuratus scriptor, hanc sententiam his verbis edidit, verba transtulit, & eo genere translationis vsus est, quod in primis probatur: huiuscemodi enim paci, & dilationi belli in hoc inter se conuenit, quod vtraeque futurum tempus spectant: cum enim omnia, in quibus analogia continetur, commune quiddam habeant, in quo rationis similitudo posita sit, Aristoteles translationes ἐκ τοῦ ἀνάλογον, ex hac ipsa communione indicat. ἀναβολὴ autem in iudicijs, alijsq; rebus dici solebat, cum aliquid in aliud tempus reiciebatur.

Καὶ τὸ, τὰς συνθήκας φάναι τρόπαιον εἶναι, πολὺ κάλλιον τῶν ἐν τοῖς πολέμοις γινομένων:

τὰ μὲν γὰρ, ὑπὲρ μικρῶν καὶ μιᾶς τύχης: αὗται δὲ, ὑπὲρ παντὸς τοῦ πολέμου: ἄμφω γὰρ νίκης σημεῖα.

Et affirmare foedera trophaeum esse, multo pulchrius quam, quae in bellis statuuntur: haec enim pro paruis rebus gestis, & vno prospero facto: foedera autem pro omni bello: ambo enim victoriae indicia.

ET hoc ex eadem oratione sumptum exemplum est, vbi Isocrates queritur de iniquo foedere, quod Graeci cum rege Persarum, victi bello, ferire coacti fuerant: docetq; ipsis ea re turpem aeternamq; maculam inustam esse, narrans eum imposuisse illis necessitatem in columnis e lapide ea incidendi: in templisq; deorum immortalium consecrandi: statim enim hac sententia » exposita, inquit. πολὺ κάλλιον τρόπαιον τῶν ἐν ταῖς μάχαις γινομένων: τὰ μὲν γὰρ ὑπὲρ μικρῶν ἔργων, καὶ μιᾶς » τύχης ἐστίν: αὗται δὲ ὑπὲρ παντὸς τοῦ πολέμου, καὶ καθ' ὅλης τῆς Ἑλλάδος ἑστήκασιν. translatione autem hic quoque Isocrates vsus est, & e probato maxime genere translationum eam sumpsit. Hunc igitur locum adducens Aristoteles, huiuscemodi est (inquit) dicere foedera trophaeum esse multo speciosius, honestiusq;, quam quae in bellis statuuntur: trophaea enim saepe cum minutis proelijs hostes superauimus, & rebus semel bene gestis, ponuntur: foedera autem omni bello ex sententia confecto: addit autem ipse, in quo translationis vis maneat declarans: ambo enim haec insignia, ac notae victoriae: foedera autem, quae a victoribus cum victis fiunt, vt illa fuerunt, ita vere vocari possunt: omniaq; demum cum condiciones ab aliquibus feruntur, non cum accipiuntur: non possent enim, quae superati in bello, aut etiam pares iciunt, victoriae indicia ac monimenta appellari.

Ὅτι καὶ αἱ πόλεις τῷ ψόγῳ τῶν ἀνθρώπων μεγάλας εὐθύνας διδόασιν: ἡ γὰρ εὔθυνη, βλάβη τις δικαία ἐστίν.

Et ciuitates vituperationi hominum magnas paenas dare: relatio enim rationum, paenaque inde profecta, detrimentum quoddam iustum est.

SENTENTIA (nisi fallor) huiuscemodi est. Cum turpiter quippiam, iniusteque ciuitates faciunt, quamuis impune posse facere quidquid illis visum fuerit, videantur, tamen & ipsae magnas paenas luunt suorum peccatorum: ab hominibus namque postea vituperantur, atq; omnibus contumelijs conscinduntur: subtiliter autem, eleganterq;, quicunque ille fuit, hanc sententiam complexus est: quod ostendit Aristoteles: εὔθυνη enim inquit, ex legibus acceptum detrimentum est. Non valere autem [illegible] εὐθύνας, quod in superiore Cephisodoti voce in Charetem, apertum est: illic enim rationes referre significauit, hic paenas soluere significat: vtrumque autem intellectum eius esse veterum scriptorum testimonio comprobatur. initio quoque huius exempli emendaui ὅτι καὶ, vt in cunctis calamo exaratis inueni, cum excusi antea ἔτι καὶ, haberent: vetus etiam tralatio restitutam a me lectionem confirmat: verbum vero illud a me immutatum, auctoris eius vocis fuisse puto.

Ὅτι μὲν οὖν τὰ ἀστεῖα ἐκ μεταφορᾶς τε τῆς ἀνάλογον λέγεται, καὶ τοῦ πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, εἴρηται.

Voces igitur vrbanas duci e translatione, quae proportione constat, atque eo, quod ante oculos constituit, traditum est.

SE multis atque elegantibus exemplis, quae cuncta eius generis sunt, docuisse ostendit, vrbanitates concinnasq; locutiones duci e genere illo translationis, quod proportione fit: nec non ex ijs etiam verbis, quae ante oculos auditorum rem constituunt: quod ipse πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν vocauit: ne quis autem sermone hoc turbetur, quo ipso, antequam vim eius explanasset, vsus fuerat: aut si notionem eius percipiat, quomodo id comparare queat, nesciat, totam nunc rem accurate exponit.

Λεκτέον δὲ τί λέγομεν πρὸ ὀμμάτων, καὶ τί ποιοῦσι, γίνεται τοῦτο.

Ostendendum est autem, quid vocamus ante oculos, & quid gerentibus nobis, existit hoc.

QVAE vis sit eius sermonis, quo iam supra vsus fuerat, docet: & postquam tantum boni in se, id quod significat, habet, quomodo illud parati possit: haec enim sibi nunc tradenda, nequis in his haereat, existimat. quamuis autem ποιεῖν non addiderit, imminutaq; sententia ita sit, cum tamen πρὸ ὀμμάτων dixit, id ipsum intellexisse planum est.

Λέγω

Λέγω δὴ πρὸ ὀμμάτων ταῦτα ποιεῖν, ὅσα ἐνεργοῦντα σημαίνει.

Dico autem ante oculos haec facere, quaecunque significant res quaspiam, quae aliquid moliantur.

INTELLIGO (inquit) ante oculos ponere cuncta nomina, quae significant ostenduntq; res, quae agant aliquid, non quae cessent: translata enim quoq; eleganter verba, nisi res, quae gerant aliquid ac tunc ipsum in aliquo munere versentur, significent, non constituunt ante oculos eorum, qui audiunt ipsas. Exemplo autem primum docet, extare etiam translationes, quae actum non significent.

Οἷον τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα φάναι εἶναι τετράγωνον, μεταφορά· ἄμφω γὰρ τέλεια, ἀλλ' οὐ σημαίνει ἐνέργειαν.

Ceu probum virum affirmare quadratum esse, translatio: ambo enim perfecta sunt, sed non significant actum.

VT si quis (inquit) probum virum dixerit τετράγωνον, translato verbo manifesto vsus erit, nullus tamen actus in eo intelligitur. quare non constituit rem ante oculos: & alterum bonum habet eorum, quae gratiam leporemq; afferunt orationi: altero, caret. In primo etiam de moribus ad Nicomachum ostendere volens, probum virum, & qui ad summum venerit, perfectusq; vndiq; sit, aduersos casus magno animo toleraturum, atque in omni iniquitate fortunae se ita
» gesturum, vt nihil melius elegantiusque fingi possit, inquit. καὶ τὰς τύχας οἴσει κάλλιστα, καὶ πάντη
» πάντως ἐμμελῶς, ὅ γ' ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου. Nec tamen philosophi ipsius extrema verba sunt, sed Simonidis melici, vt e Platonis sermone percipitur, qui & haec, & alia non nul-
» la, vt Simonidis in Protagora adducit. λέγει γάρ που Σιμωνίδης πρὸς Σκόπαν τὸν Κρέοντος τοῦ Θετταλοῦ,
» ὅτι ἄνδρα ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπόν· χερσί τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον ἄνευ ψόγου τετυγμένον.
Adeo autem probata est haec Simonidis translatio doctissimis viris, itaq; monimentis ipsorum celebrata, vt in nostrum etiam patrium sermonem peruenerit: quis enim nescit Dantem etiam suo in poëmate tetragonum vocasse apposite hominem, qui aduersis casibus non frangitur, sed resistit fortiter ipsis. Dionysius quoq; Halicarnasseus in vita, quam scripsit Isaei oratoris dixit de Anaximene Milesio, studuisse eum huic summae laudi: neruosq; ingenij omnes in hoc contendisse, vt in cunctis generibus scriptorum eximius perfectusq; foret, cum historias scripserit, & poëtam etiam monimentis suis declararit, & artes quoq; dicendi ediderit: nec non attigerit etiam dicendi contentiones, cum & in deliberationibus, & in forensibus causis versatus sit. incubuisse igitur ipsum in hanc gloriam, significare volens, conatumq; summum absolutumq; esse in his studijs, τετράγωνον illum voluisse esse inquit. Cum autem & numeri quidam a Graecis τετράγωνοι appellarentur, quod perfecti forent, ab eorum perfectione, vir quoq; absolutae virtutis, ita μεταφορικῶς vocabatur. Plutarchus quoq;, cum quaereret, cur Romani maribus nona ab ortu die nomina imponerent: feminis vero octaua, de quadrato numero disputauit: cumque nouem, primum τετράγωνον esse dixisset, qui ex impari ac perfecta trinitate constaret, addidit, oportere eodem pacto virum, quadratum esse ac περιττόν, idest eximium ac praestantem (eodem enim hoc verbo illi appellant & imparem numerum, & hominem qui emineat inter alios) nec non eundem perfectum & absolutum.

Ἀλλὰ τὸ, ἀνθοῦσαν ἔχοντος τὴν ἀκμήν, ἐνέργεια.

Hoc autem significat. Florentem habentis viriditatem, actus.

HIC sermo vtrunq; habet & translationem, & actum: nam de translatione dubium non est: in verbo autem translato actum quoq; inclusum esse, facile intelligitur: status enim aetatis florens cum dicatur, agere inducitur. Quia vero cunctos calamo exaratos ἔχοντος habere vidi, & eodem casu id nomen apud auctorem ipsum positum est, ita emendaui, cum in excusis antea ἔχοντα legeretur: quia autem locus omnibus tum notus erat, non oportere censuit Aristoteles plenam integramq; sententiam adducere: quod in magna parte horum exemplorum seruauit. sunt autem Isocratis verba e suasione, quam scripsit ad Philippum regem: cum initio ille orationis suae quasi se purgat, quod confectus aetate, tam grande argumentum cepisset: quodq; egere videretur iuuenili robore ac praestantissimo omnium ingenio: neque enim sibi ignotas esse vires suas, sed confidere se studio consequendae laudis ac desiderio fortunas Graecorum adiuuandi, & hanc, & alias non nullas difficultates superaturum. Ita autem ille locutus est:
» ἀλλ' εἰδὼς μὲν τὸν λόγον τοῦτον οὐ τῆς ἐμῆς ἡλικίας δεόμενον, ἀλλ' ἀνδρὸς ἀνθοῦσαν τὴν ἀκμὴν ἔχοντος, καὶ τὴν
» φύσιν πολὺ τῶν ἄλλων διαφέροντος.

Καὶ τό.

Καὶ τὸ. Σὲ δ', ὥσπερ ἄφετον, ἐνέργεια.

Et illud. Te vero, tamquam ſolutum vinculis, liberumque, actus eſt.

HAEC vera eſt huius loci lectio: nullos tamen inueni libros, in quibus illa ſine macula conſeruata ſit, ſed in cunctis ἀφετίον mendoſe legitur. Ex eodem autem ad Philippum libro exemplum hoc quoq; ſumptum eſt: cum enim illi ſuaderet, vt bellum regi Perſarum inferret, & in Aſiam cum exercitu proficiſceretur, inquit. Oportere ſane ceteros ab Hercule oriundos, & qui ciuilibus inſtitutis ac legibus aſtricti ſunt, illa vrbe contentos viuere, in qua aetatem degerent: ipſum vero, quaſi liberum ac ſolutum iam factum, decere vniuerſam Graeciam, patriam (vt auctor ipſe ſtirpis eius fecerat) exiſtimare. verba ipſius haec ſunt. σὲ δ' ὥσπερ ἄφετον γεγενημένον, πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα πατρίδα νομίζειν. In verbo igitur ἄφετον, actus intelligitur: ita autem vocabantur animantes, quae ſine cuſtode tutae vbiq; vagabantur: nec in vllius poteſtate erant, ſed deo dicatae ac conſecratae viuebant. De vi huius nominis erudite Budaeus in commentarijs ſuis diſputauit. Illo quoq; vſus eſt Euripides in fabula, quam inſcripſit Ionem, vbi inducit ſenem hominem, Creuſae ſeruum, cum era loquentem: exponentemq; illi occultas (vt putabat) viri nuptias: dicentemq; ex alia vxore ipſum filium ſuſcepiſſe, quem educandum dediſſet Delpho cuipiam. ille autem in Apollinis templo liber ſolutusq;, vt facilius falleret, aleretur. verba poëtae haec ſunt. ὁ δ' ἐν θεοῦ δόμοισιν ἄφετος, ὡς λάθοι, παιδεύεται. Plutarchus praeterea in vita Lyſandri, narrans exiſtimaſſe multos cum Lacedaemone diſceſſit, ſoluturus vota, quae Hammoni (vt aiebat) nuncupauerat, fuiſſe eam ſpeciem quandam peregrinationis: nam veram itineris illius cauſam extitiſſe, quod ephoros metueret: nec iugum legum ferre poſſet, in poteſtateq; aliorum eſſe, qui foris imperare omnibus conſueſſet: hoc autem ſimili explanare volens, inquit. vt equus, qui e libera paſtione pratoq;, rurſus ad praeſepium, atq; opera vetera reuocatur. ὥσπερ ἵππος ἐκ νομῆς ἀφέτου καὶ λειμῶνος αὖθις ἥκων ἐπὶ φάτνης.

Καὶ Τοὐντεῦθεν οὖν Ἕλληνες ἀΐξαντες ποσίν.

Et Hinc igitur Graeci pedibus concitati ſtimulatique.

HIC locus in excuſis valde deprauatus erat, ſed ne in ſcriptis quidem integer inuenitur: nonnulla tamen in ipſis, vt videtur, veſtigia reſtant verae lectionis, non eadem tamen in cunctis: ſunt enim, in quibus, τοῦ λαβεῖν Ἕλληνες legatur: in alijs autem τοὐλοῦθρον Ἕλληνες. extant etiam, in quibus τοὐλουθέροις δ' Ἕλληνες, ſcriptum ſit: quae tanta ſcripturae varietas ſuſpicionem etiam mihi maiorem mouit. Arbitror igitur ita, vt feci, emendari oportere: intellexiſſeq; Ariſtotelem puto hunc ſenarium Euripidis, qui eſt Iphigenia in Aulide: pronuntiatur autem illic ab Agamemnone, diligenter fideli ſeruo exponente, quae res eum angeret: nec ſomnum capere noctu ſineret, & cur demum tantae eo in loco copiae cogerentur: tunc enim narrabat Menelaum ipſius fratrem, accepta iniuria a Paride, ſtimulo illo agitatum, Graeciam omnem perluſtraſſe, ac vetus iuſiurandum commemoraſſe, quo fidem dederant Helenae proci, ſe inimicos ei futuros, qui matrimonium illud violaſſet: armiſq; Helenam repetituros: qua re audita (inquit) ſubito ipſi armis arreptis concitato pede hic conueniunt: extremam autem hanc ſententiam his verbis protulit. Τοὐντεῦθεν οὖν Ἕλληνες ἀΐξαντες δορὶ Τεύχη λαβόντες. Apud Euripidem igitur in extremo verſu varietas eſt. Interpres quoq; Graecus, quamuis, cuius verſus foret, non oſtendiſſet: neque integrum illum alijs ſui partibus poſuiſſet, tradit tamen in quibuſdam libris δορὶ legi: vt fortaſſe corrigi debet: cum tamen crebro loci veterum auctorum aliter citentur, quam apud eos legantur, nihil contra omnium librorum fidem volui variare.

Τὸ ἀΐξαντες, ἐνέργεια, καὶ μεταφορά.

Illud ſtimulati, actus eſt, atque translatio.

MONSTRAT nunc verbum, in quo exempli vis eſt: cum ἀΐξαντες enim (inquit) dixerit Euripides, verbo eo vſus eſt, quo & translatio & actus contineretur: a curſoribus autem illud ſumptum puto: ſed etiam rem ante oculos ponit: cernitur enim paene ſtudium illorum feſtinatioq;, qua e diuerſis locis multi ſubito eodem confluerent. ἐξαΐξαντες autem, addita illi nomini praepoſitione, hic ſcripti meliores habent. valet autem ἐξορμήσαντες.

Καὶ ὡς κέχρηται Ὅμηρος πολλαχοῦ, τῷ τὰ ἄψυχα ἔμψυχα λέγειν, διὰ τῆς μεταφορᾶς.

Et quibus vtitur Homerus multis locis, cum faciat res inanimes animales, vi translationis.

HOMERVS (inquit) saepe hac ratione vsus est, & actum rebus etiam sensu, animoq; carentibus dedit: quod philosophus infra multis exemplis confirmat. Homerum autem nomina se mouentia inducere, actum illis dando, dixisse quandoq; Aristotelem Plutarchus quoque testatur in commentario, quo causam quaesiuit, cur suis temporibus Pythia oracula versibus non ederet: cuius haec verba sunt. Ἀριστοτέλης μὲν οὖν μόνον Ὅμηρον ἔφη κινούμενα ποιεῖν τὰ ὀνόματα διὰ τὴν ἐνέργειαν: & quae sequuntur.

Ἐν πᾶσι δὲ τὸ ἐνέργειαν ποιεῖν, εὐδοκιμεῖ. οἷον ἐν τοῖς δε.

In omnibus autem actum gignere, laudem inuenit. ceu in his.

CORRVPTVS antea locus erat, mendoseq; in excusis ἐναργὴς legebatur: manuscripti ἐνέργειαν habent: quod & vetus tralatio, & res ipsa confirmat: infra ipse. ἐν πᾶσι γὰρ τούτοις, διὰ τὸ ἔμψυχα εἶναι, ἐνεργοῦντα φαίνεται. Semper igitur (inquit) actum rebus tribuere: idest ipsas aliquid agentes inducere, mirifice probatum est: quod in his ipsis locis Homerus summa cum laude fecit.

Αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Rursus versus campum voluebatur saxum impudens.

HIC Homeri versus e necyia est, quam in xj. libro Odysseae descripsit: in excusis vero poëtae exemplaribus legitur, αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο. Sententiam Lucretius diuinitus expressit: fortasse etiam actum: aliter tamen, quam Homerus, saxo dedit, canens. - quod tamen a summo iam vertice rursum Voluitur, & plani raptim petit aequora campi: quum enim raptim ipsum petere dicit, tamquam de animali re, non inanima loquitur. Homerus epitheto sensum eum habere declarauit, cum ab omni pudore vacuum lapidem appellauit.

Καὶ - ἔπτατ' ὀϊστός.

Et, Volauit sagitta.

QVVM sagittam etiam volare dixit, idem fecit. Ita autem locutus est poëta in xiij. libro Iliadis, cum cecinit Helenum sagitta Menelai pectus percussisse, quae tamen illinc, nullo vulnere inflicto, subito auolauit: dat enim sensum sagittae: ac de illa, tamquam aue, loquitur, actum ipsius exprimens. Πριαμίδης μὲν ἔπειτα κατὰ στῆθος βάλεν ἰῷ θώρηκος γύαλον: ἀπὸ δ' ἔπτατο πικρὸς ὀϊστός. & quattuor interiectis versibus iterum.

Καὶ - ἐπιπτέσθαι μενεαίνων.

Et, Ardens desiderio volandi.

IN verbo μενεαίνων sensum intelligi, manifestum est: cupiens enim significat, & toto animo expetens: quod de re inanima, vt sagitta est, proprio nomine dici non potest. in quarto autem Iliadis versus est. Id etiam indicauit Eustathius, qui locum eum declarans, affirmauit μενεαίνων dixisse poëtam, tamquam de re aliqua praedita sensu loqueretur.

Καὶ ἐν γαίῃ ἵσταντο λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι.

Et, In tellure stabant, cupientia corpus attingere.

NON semel hic versus apud Homerum est: de spiculis autem loquitur, quorum non pauca inquit, antequam in hostem inciderent, humi figebantur, quae incredibili desiderio se sanguine, ac corpore hostium exaturandi tenebantur. & in xj. Iliadis, & in xxj. eiusdem operis versus legitur. Quod autem nunc summus doctor demonstrare conatur, quanta vis in nominibus translatis sit, & quae quippiam agere, quamuis animo vacent, inducantur, egregie hic versus declarat: & eo quoque vsus est Plutarchus in extremo capite συμποσιακῶν, vbi de partibus saltationis agit: rationem enim illarum explicans, idem illic euenire, quod in studio poëtarum, docet: alijs namque nominibus vtuntur poëtae, cum rem ostendere tantum & significare volunt: alijs autem, cum amplificare aliquid student, & imitatione exprimere: tradit enim solere ipsos tunc noua nomina cudere: aliundeq; verba transferre. exemplis autem & ὀνοματοποιιῶν, & μεταφορῶν, ex Homero sumptis, & non nullis ante prolatis, addidit καὶ τὰ βέλη φέρεσθαι λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι. Quamuis res haec satis plana foret, tamen locum illum indicare, vbi & consilium poëtarum explanatur, & non pauci loci excellentium scriptorum illustrantur, non inutile existimaui.

Καὶ - αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο μαιμώωσα.

Et Cuspis

Et, Cuspis autem pectus pertransibat cupida caedis.

Ex xv. Iliadis versus. Sermo illic est de Menelao, qui hasta percussit humerum hostis in proelio: cuspis enim (inquit) per pectus magno impetu transijt: cupida caedis, ac bellici furoris plena: in nomine autem adiuncto hastae, actus cernitur: nec sine animo, vt erat, hasta a poëta inducitur.

Ἐν πᾶσι γὰρ τούτοις, διὰ τὸ ἔμψυχα εἶναι, ἐνεργοῦντα φαίνεται: τὸ ἀναισχυντεῖν γὰρ, καὶ μαιμᾶν, καὶ τἆλλα, ἐνέργεια.

In omnibus enim his, quia sunt res animales, perspiciuntur agere: impudenter enim se gerere, & cum impetu animi moueri, & alia, sunt actus.

OMNIBVS (inquit) in his locis, quia praedita haec animo sunt, agere & administrare aliquid videntur: sed etiam ostendit ipse, quibus potissimum in verbis actus appareat: ij autem supra a me quoque monstrati sunt. Hunc locum intellexit Demetrius, cum, de iudicio Aristotelis loquens, & quam eximiam ille translationem putasset, ostendens, in hanc sententiam inquit. Optima vero translatio videtur Aristoteli, quae vocatur κατ᾽ ἐνέργειαν: actumq; habet: cum scilicet res, quae animo carent, inducuntur agentes aliquid, tamquam animi compotes. Adiungens autem Aristoteles διὰ τὸ ἔμψυχα εἶναι, non vere illas animi participes res intellexit, sed ita vocauit, quia huiuscemodi illae fictae erant, ac sermo de ipsis, vt de rebus animalibus, ab Homero habitus fuerat.

Ταῦτα δὲ προσῆψε διὰ τῆς κατ᾽ ἀναλογίαν μεταφορᾶς: ὡς γὰρ ὁ λίθος πρὸς τὸν Σίσυφον, ὁ ἀναισχυντῶν, πρὸς τὸν ἀναισχυντούμενον.

Haec autem adtexuit per translationem, quae proportione constat: vt enim saxum ad Sisyphum, ita ille, quem nihil pudet, ad illud, cuius nihil pudet.

ARTIFICIVM Homeri demonstrat, & qua ratione ipse vsus, tantopere poëma suum ornarit, & rebus sensu carentibus animum, actumq; tribuerit. Haec enim (inquit) admouit affixitq;, secutus similitudinem rationum, translatisq; verbis ex analogia vsus: quod ipse in primo tantum eorum exemplorum docet: explicat enim accurate totam rem: quam enim rationem (ait) habet lapis ad Sisyphum, eandem qui non erubescit, ad eam rem, cuius ipsum non pudet. Quartum igitur secundo applicuit: lapidemq; ipsum impudentem ea de causa dixit. Eadem autem virtus in Latino summo poëta saepe inuenietur: cum enim in carmine de rebus rusticis » cecinit, - & ipsa suas mirantur Gargara messes: &, Miraturque nouas frondes, & non sua » poma: & - neque audit currus habenas: Hometum imitatus, idem fecit. Sed in pastorali » quoq; lusu cum inquit. Nec tantum Rhodope miratur, & Ilsmarus orphea, Quantum omnis » mundus gaudet cantante Sileno.

Ποιεῖ δὲ καὶ ἐν ταῖς εὐδοκιμούσαις εἰκόσιν ἐπὶ τῶν ἀψύχων ταὐτά.

Facit autem eadem & in imaginibus probatis de ijs rebus, quae sunt animi expertes.

HOMERVM nunc tradit, quod in translationibus studiose fecerat, in imaginibus etiam texendis ijs praecipue, quae apud eum maxime probantur, summa arte facere: cum enim saepe de inanimis rebus loquatur, sensum animumq; illis tribuit. quod & exemplum, quod adiungit, a poëta ipso sumptum, & consequens ipsius sermo declarat. Imaginem autem hanc ex illis esse, quae in primis laudantur, certum est: quod vidit praeclare ipse, adnotauitq;, maximi ingenij ac iudicij vir.

Κυρτά, φαληριόωντα: πρὸ μὲν τἆλλα, αὐτὰρ ἐπ᾽ ἄλλα.

Gibbosi, spumantes, quidam praeeuntes, post quidam sequentes.

VERSVS ex Iliadis libro xiij. qui saepe a veteribus scriptoribus adducitur, propter plures, quas in se habere virtutes existimatus est: alij autem alia in ipso animaduerterunt. Demetrius, cum animum, actumq; affingere fluctibus, Homerum, animaduersum ab Aristotele, adnotasset, quod hic sane ipse facit, arbitratur etiam, poëtam, quod coniunctionem inde sustulerit, dignitatem versui attulisse: grandioremq; eum effecisse, quam si dixisset κυρτὰ καὶ φαληριόωντα. Sed his nunc relictis, non inducere poëtam fluctus otiosos, sed in motu atque agitatu: partimq; eorum praecedere: partim vero subsequi: nec non alia omnia illis affingere, quae animo tantum vtentia praestant, perspicuum est: in imagine autem exponenda haec verba posita a poëta esse, manifestum

manifeſtum eſt: ſimilem enim eſſe inquit, Troianorum impetum in hoſtes, procellae ventorum, quae in mare ingruit, ac fluctuum magnam vim excitat: vnde etiam videtur cognoſci, quas grammatici παραβολὰς vocant, Ariſtotelem appellare εἰκόνας: illo autem vti nomine, cum alterum genus exempli eius, quod factum conformatumq; eſt ab oratore, ſignificare vult.

Κινούμενα γὰρ καὶ ζῶντα ποιεῖ πάντα.

Moueri enim & viuere facit cuncta.

VT ſupra oſtendi ποιεῖ accipi debere, ita hic Homerus manifeſto intelligitur fingere omnia moueri, ac viuere, quae ſua ſponte moueri non poſſunt, & proprijs muneribus vitae orbata ſunt.

Ἡ δ' ἐνέργεια, μίμησις.

Actus autem eſt imitatio.

VOCARE hic videtur ἐνέργειαν, actus ipſius effictionem atque adumbrationem: cum ſcilicet inducit poëta res agentes aliquid, & actus ipſarum imitatur atque exprimit: eſt autem imitatio illa, quia res agentes ipſa redduntur atque effinguntur: rationem enim affert, cur ab Homero poëta ſcilicet atque imitatore id crebro vſurpatum ſit; ſeruat enim praecipue tunc, quod poëtae proprium eſt.

Δεῖ δὲ μεταφέρειν, καθάπερ εἴρηται πρότερον, ἀπὸ οἰκείων, καὶ μὴ φανερῶν.

Oportet autem transferre, vt prius traditum eſt, a ſuis proprijſque & minime apertis, ac planis.

VT ſupra (inquit) docuimus, a rebus affinibus propinquisq;, non tamen omnino perſpicuis, transferre nomina oportet: quod ſi ab alienis, aut in promptu poſitis, ſumantur, vitioſa erit translatio: & ne dum ornet, orationem inquinabit. Cum antea, quomodo enthymematibus gratia acquiri poſſet, oſtenderet, quae a vocabulis proficiſceretur, inquit translationem hoc in primis efficere, quae aliena non eſſet, μὴτ' ἀλλοτρίαν ipſe dixit: opponi autem οἰκεῖον, τῷ ἀλλοτρίῳ, notum omnibus eſt. Eodem autem loco affirmauit illam in promptu eſſe non debere, conſpiciq; nullo negotio ab omnibus poſſe: cuius etiam rei cauſam attulit, quod planae expoſitaeque omnibus non afficerent animos auditorum, neq; oblectarent. Vnde manifeſto intelligitur hic legi debere cum particula negandi μὴ φανερῶν, vt ipſe emendaui: non vt in excuſis antea ſine illa erat, φανερῶν. ita autem quoque ſcriptum eſſe animaduerti in antiquiſſimo libro. quare dubitari de immutanda lectione nullo pacto poteſt, cum & conueniat ita ſibi ipſi auctor, & in optimo exemplari, reſtituta a me, fideliter conſeruata ſit. verum ea etiam, quae ſequuntur, illam veram integramque eſſe declarant: laudantur enim qui in diſſimilibus remotisq; rebus acumine ingenij ſui, praeclaraq; eruditione, ſimile videre potuerunt, atque inde apte verba tranſtulerunt.

Οἷον καὶ ἐν φιλοσοφίᾳ τὸ ὅμοιον καὶ ἐν πολὺ διέχουσι θεωρεῖν, εὐστόχου.

Veluti in philoſophia, ſimile in valde diſtantibus rebus aſpicere, ſollertis hominis proprium eſt.

VT in ſtudio (inquit) ſapientiae, quam philoſophiam vocant, acuti ſollertisq; hominis eſt, ſimile in rebus valde inter ſe diſtantibus cernere: & tamen hoc mirabiliter eruditi homines faciunt, ita, qui ingenio valebit, apte transferre verba poterit: ſi quid ſimile namque eſt in rebus diſſimilibus, eum non latebit: imperiti autem, & rudes ſimilitudines in rebus, quae parum, aut nihil inter ſe diſtant, captare poſſunt: ſubtilitate vero opus eſt, vt e diſparibus eliciatur: quod Alexander quoque Aphrodiſienſis in iij. librum Topicorum rettulit.

Ὥσπερ Ἀρχύτας ἔφη, ταὐτὸν εἶναι διαιτητὴν καὶ βωμόν, ἐπ' ἄμφω γὰρ τὸ ἀδικούμενον καταφεύγει.

Quemadmodum Archytas dixit, idem eſſe arbitrum, atq; aram: ad ambo enim haec, quod iniuriam accepit, confugit.

ARCHYTAS Tarentinus, eruditionis ſummae vir, in rebus valde diſſimilibus ſimilitudinem inuenit: idem enim eſſe inquit, arbitrum, atque aram, quod ad ambo, qui iniuriam accepiſſent, confugerent. Arbitrum autem intelligit e genere eorum, qui Athenis per ſingulas tribus lecti

res iudi-

res iudicarent: qui autem iniuria laesi sunt, ad homines, aut ad deos confugere solere, ab ijsque precibus petere, vt iniurias suas vlciscantur, manifestum est: nam ceteroqui vehementer dispares inter se sunt iudices, atq; arae deorum immortalium.

Ἢ εἴ τις φαίη ἄγκυραν καὶ κρεμάστραν τὸ αὐτὸ εἶναι: ἄμφω γὰρ ταυτότι: ἀλλὰ διαφέρει τῷ ἄνωθεν, καὶ κάτωθεν.

Vel siquis diceret, anchoram, & vncinum, aptum e lacunari, idem esse: ambo enim quiddam idem praestant: discrimen tantũ hoc in ipsis est, e superiore, & inferiore loco.

Avt siquis (inquit) dixerit anchoram & cremastram idem esse: ambo enim idem praestare videntur: discrimen tamen hoc inter illa, quod alterum eorum ex imis locis: alterum e superis ac lacunari denique pendet. Aristophanes in nubibus κρεμάθραν appellauit, in qua e tecto suspensa improbissime sanctissimum virum finxit res superas contemplari: ita autem induxit » Strepsiadem senem, auditorem quendam Socratis percunctantem. φέρε, τίς γὰρ οὗτος ὁ ἐπὶ κρεμάθρας ἀνήρ. interpres vas esse dixit, in quo moris foret, quae superessent, cibaria seruare: ego κρεμάστραν vncum potius ipsum, in quo vas aliudue suspendi posset significare hic credo: ille enim pluribus quasi ramis, anchoram reddere videtur. Ab eadem autem re, cum essent plures vrbes, Larissae appellatae, quaedam in edito monte posita & suspensa, Cremaste vocabatur: cuius etiam meminit Liuius in primo libro de bello Macedonico.

Καὶ τὸ ἀνωμαλίσθαι τὰς πόλεις, ἐν πολὺ διέχουσι ταυτό: ἐν ἐπιφανείᾳ καὶ δυνάμει τὸ ἴσον.

Et adaequatas esse ciuitates, in valde distantibus rebus idem est, in superficie & opibus, potestateque aequalitas.

Civitates quoq; (inquit) ὡμαλίσθαι, qui dixit, in rebus dissimilibus, valdeq; distantibus similitudinem perspexit: quid enim magis dissimile dici potest, quam superficies, & fortuna imperiumq; ciuitatis? cum tamen potentia ipsarum adaequata est, nec earum aliqua eminet atque alij antecellit, ὡμαλίσθαι ciuitates commode dicuntur, verbo a superficie translato: proprio enim nomine ὁμαλότης in superficie dicitur. Intellexisse hic autem Aristotelem puto locum Isocratis e libro ad Philippum Macedonem, vbi ille ostendit, se quoque intelligere nullo modo id ad exitum perduci potuisse, quod suadebat Philippo, illo tempore, quo Athenae principatũ Graeciae obtinebant, aut cum postea Sparta rerum potita est: nullo enim negotio vtramlibet ipsarum disturbaturam ea consilia fuisse. cum autem cunctae adaequatae iam sint, ob incommoda multa accepta in bello, existimare se viam eius rei conficiendae facilem esse: ipsius verba haec » sunt. νῦν δ' ἐξ ὁμοίως ἔγνωκα πρὸς αὐτήν: οἶδα γὰρ ἁπάσας ὡμαλισμένας ὑπὸ τῶν συμφορῶν. Quamuis autem sine praepositione ἀνὰ magister ille dicendi ὡμαλισμένας ciuitates dixerit: noster vero addiderit ad idem verbum ἀνὰ, non tamen hoc variat: contrariumq; ostendere facit iunctum hoc verbum: ἀνωμάλωσις namque idem valet apud hunc auctorem in ij. πολιτικῶν, vbi de rep. Philolai disserit, idest aequalitas.

Ἔστι δὲ καὶ τὰ ἀστεῖα τὰ πλεῖστα διὰ μεταφορᾶς, καὶ ἐκ τοῦ προεξαπατᾶν.

Conficiuntur autem plurimae vrbanae voces per translationem, atque ex eo, quod prius falso acceperat, deceptusq; fuerat.

Magna autem (inquit) pars vrbanorum, elegantiumq; sermonum a translationibus ducitur: nec non ex errore quodam, ex verbis dicentis orto, cum illa primo alio spectare viderentur: & longe diuersam sententiam prae se ferre: ostendebat enim ille se quippiam velle dicere: paulo vero post aliud, longe illo melius aptiusq;, dicit. quod est προεξαπατᾶν: antequam verum aperiatur, decipere eum, qui audit: is enim, cum aliud ipsum dicturum suspicaretur, postea vero elegantius quippiam percipit, quam putarat, adiuuatur.

Μᾶλλον γὰρ γίνεται δῆλον, ὅτι ἔμαθε, παρὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν: καὶ ἔοικε λέγειν ἡ ψυχὴ ὡς ἀληθῶς: ἐγὼ δὲ ἥμαρτον.

Magis enim planum apertumque fit ipsum didicisse, postquam contrario modo se nunc habet, videturq; animus dicere. ego autem prius errori affinis fui.

Qvomodo lepos bonitasq; huiuscemodi vocibus acquiratur, posteriore maxime a re duarum harum, quas nuper appellauit, narrat: magis enim planũ fit cuipiam inquit, qui scientia alicuius

rei auctus est, ipsum didicisse: cum contra se habet, ac diuerso modo de aliqua re sentit, atq; paulo ante sentiebat: & sane animus eius ipse secum dicere videtur: quanto modo in errore fui, vel potius. ego autem lapsus eram, nec bene sensum eius interpretari poteram. Vt hic autem animum videri dicere inquit, ita in xviij. eorum problematum, quae ad concentum sonorum pertinent, aures: cum significare vellet ipsas illud ipsum quasi affirmare ac testari: vt enim harum rerum animus iudex est, ita sonorum aures: cumq; aliquid dictum, dignae sunt quibus credatur: ait igitur, καὶ ἔοικεν ἡ ἀκοὴ λέγειν ὅτι ἡ αὐτή. quod adnotasse volui ob similitudinem sermonis.

Καὶ τῶν ἀποφθεγμάτων δὲ τὰ ἀστεῖα ἐστὶν ἐκ τοῦ μὴ, ὅ φησι, λέγειν. οἷον τὸ τοῦ Στησιχόρου. ὅτι οἱ τέττιγες αὐτοῖς χαμόθεν ᾄσονται.

Et ex omnibus acutis vocibus, quae vrbanae sunt, inde proficiscuntur, quia non intelligit, quod dicit, qui loquitur, cuiusmodi est illud Stesichori. futurum prorsus esse, vt ipsis cicadae humo canant.

Ex omni etiam numero apophthegmatum (inquit) quae in primis venuste & vrbane dicta sunt, hinc gratiam illam leporemq; ducunt, quod aliud dicunt, ac verba ipsa sonant. quod eadem de causa fit: decipitur enim primo animus eius, qui audit, atq; eminente illo sensu abducitur: postea, re melius perspecta, erroreq; agnito, gaudet se eum depulisse: exemplum huius rei vocem Stesichori adducit: quam etiam in ij. horum librorum posuit, vbi de sententijs egit: de illa autem ipse illic copiose disputaui.

Καὶ τὰ εὖ ᾐνιγμένα διὰ τὸ αὐτὸ, ἡδέα: μάθησις γὰρ, καὶ λέγεται μεταφορά.

Et quae recte obscurata fuerint, in aenigmaq; versa eadem de causa iucunda sunt: perceptio enim fit, & translatio editur.

Praeterea (inquit) qui obscure quaedam dicta, quae aenigmata vocantur, iucunda esse sentiunt: nec tamen, vnde voluptas illa oriatur, intelligunt, sciant eandem, quam exposuimus supra rem, suauitatem illam gignere. Nam qui primo falsus est, didicit: & ex errore, in quo antea versabatur, clarius se profecisse cognoscit: eodemq; tempore, quod ipsum quoque eos, qui audiunt, valde capit, translata verba proferuntur: in aenigmatibus enim contineri plures translationes, ipse supra docuerat. εὖ ᾐνιγμένα vero: idest voces apte subtiliterq; in aenigma conformatas, intelligit, quae ex affinibus ac similibus ducta sint: quaeq; similitudinem rationis habeant cum his, quae ab ipsis significantur.

Καὶ ὃ λέγει Θεόδωρος, τὸ καινὰ λέγειν.

Et quod dicit Theodorus, noua dicere.

Id etiam (inquit) quod Theodorus affirmat, valde oblectat: res scilicet nouas dicere: Theodorum autem Byzantium (vt opinor) intelligit, veterem sophistam, cuius & Plato & Cicero saepe mentionem fecerunt.

Γίγνεται δὲ, ὅταν παράδοξον ᾖ, καὶ μὴ (ὡς ἐκεῖνος λέγει) πρὸς τὴν ἔμπροσθεν δόξαν.

Efficitur autem, cum praeter sententiam admirabileque fuerit: & non (vt ille dicit) responderit priori opinioni.

Res nouas inauditasq; proferre tradiderat Aristoteles orationem reddere elegantem ac venustam: quaeq; non parum iucunda sit ijs, qui audiunt: nunc quomodo id efficiatur, ostendit: supra enim quoque explicatione illius, πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, contentus non fuit, sed docuit etiam, quomodo id confici compararíq; posset. id igitur etiam nunc seruat: neq; enim tantum praecipit sententias inauditas esse proferendas, quod reddant illae orationem venustiorem, sed viam etiam rationemq; huius rei aperit, & quomodo id fiat ostendit: fit enim (inquit) cum inopinatum id, ijs, qui audiunt admirabileq; fuerit, & nullo modo consentiens opinioni, quam prius de ea re habebant: in hac enim re explananda verbis ipsius illius vtitur, qui huius rationis auctor demonstratorq; fuerat: id autem significauit, addens: vt ipsemet aiebat. Adnotandum autem, cum dixerit παράδοξον, quo manifesto significatur, oportere vocem illam repugnare opinioni, cur addiderit, καὶ μὴ πρὸς τὴν ἔμπροσθεν δόξαν: quibus itidem verbis ostenditur, nullo modo eam conuenire debere veteri opinioni: siquis tamen diligenter attenderit, inueniet ipsum ita saepe locutum, vt, cum aliquid dixerit, statim, quod idem valeat: paremque vim habeat, afferat: in primo enim libro de arte poëtarum, prope a principio, idem fecit: declarare enim volens, quibus in rebus inter se discrepent artes non nullae, quamuis commune ipsarū studium sit, imitatio, inquit, ἢ τῷ ἑτέρως καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον: nec multo

post

post iterum. ἢ ὡς τὸν αὐτὸν, καὶ μὴ μεταβάλλοντα: qui enim idem est, intelligitur non immutatus: haec autem ἰσοδυναμοῦντα Graeci appellant, cuius formae orationis exempla plura inueniuntur apud Graecos ac Latinos oratores. Sophocles quoq; in Oedipode tyranno parem superiori sententiam adiunxit, contrarium ipsius inficiando tollens: ita enim induxit regem ipsum loquentem. γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτά μοι προσήλθετ' ἱμείροντες. & in eadem fabula infra. ἑκόντα, κοὐκ ἄκοντα.

Ἀλλ' ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς γελοίοις τὰ παραπεποιημένα.

Sed quemadmodum, qui in ridiculis, ea, quae lepide variata.

AN vacet articulus οἱ, accurate videndum: in scriptis tamen ille libris inuenitur. quod si forte retinendus est, intelligere verbum oportebit, vnde aptus sit: vt huiuscemodi aliquis sensus conficiatur, vt in iocis ridiculisq;, qui sectantur παραπεποιημένα: qui illa edunt. si vero ille abesset, valeret hic locus, quam etiam vim habent, ornandi scilicet orationé ac venustiorem reddendi, παραπεποιημένα: ob sensum subito aduenientem, & tamquam nouum conformatum. παραπεποιημένα autem vocat, nomina, ad risum excitandum leuiter immutata. Non nimis audacter etiam putaret aliquis ὥσπερεὶ legi hic debere.

Ὅπερ δύναται καὶ τὰ παρὰ γράμμα σκώμματα.

Quam vim potestatemq; habent facetiae, quae mutatis litteris, fiunt.

CVM omni modo, quo posset, significare vellet quantam vim habeat ad delectandum, error, qui primo animum auditoris occuparit, agnitus, ostendit etiam sales, qui παρὰ γράμμα vocantur, quod litterae immutatione fiant, idem praestare: haec enim quoq; facetia primo decipit: animus namq; auditoris alio ferebatur: expectabatq; diuersum ab eo aliud prolatum iri. In epistola ad Volumnium Eutrapelum Cicero eodem nomine hunc iocum vocauit, cum inquit. Nisi » bellum παράγραμμα. Idem tamen in ij. de Oratore παρονομασίαν videtur eundem appellare, vbi » etiam, quomodo gignatur, his verbis docet. Alterum genus est, quod habet paruam verbi im- » mutationem: quod in littera positum, Graeci vocant παρονομασίαν, vt nobiliorem mobiliorem Cato: & quae sequuntur. Ex ipsius etiam libris exempla multa capi possent, vt e ij. Philippi- » ca. En cur magister eius ex oratore arator factus sit. & ex xj. Nec paratum solum, sed peri- » tum atque fortem. Si sequeremur tamen Plutarchum, qui in his, quae sedulo collegit, incensus cupiditate Homerum ornandi, docuit exemplis duobus ipsius positis, quod lumen orationis foret παρονομασία, intelligeremus nullo negotio longe aliam esse Homericam παρονομασίαν, ab hac M. Ciceronis: vocat enim ille eo nomine figuram, cum idem verbum repetitur in oratione, aut statim, aut post breue spatium loci. in Ciceroniana autem, non integrum nomen, sed vna tantum littera nominis immutatur, vt exemplis, quae ponit, planum fit. quare hic locus ea de causa videbatur potius dicendus proficisci a genere illo, quod ipse quoq; in epistola appellauit παράγραμμα, vt hic facit Aristoteles: & si infra exemplum eius ponit, quod ipsi non videtur conuenire: neq; enim vna tantum littera, sed totum plenumque nomen variatur: pro πέδιλον enim, quod expectabatur, χίμετλον redditum est. An non posuit Aristoteles hoc, vt exemplum ridiculi, cuius nomen est παράγραμμα, sed alicuius e genere illorum, quae supra ipse appellauit παραπεποιημένα: diligenter enim hoc animaduertendum: est enim (nisi fallor) satis obscurum, vt quod inquit: ἐξαπατᾷ γὰρ referri debeat ad illud. ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς γελοίοις τὰ παραπεποιημένα: ita enim quoq; dilucide aliquo modo imponitur ijs, qui audiunt. Verba Plutarchi, » quibus describit παρονομασίαν, sunt haec. τῆς δὲ ὁμοίας χάριτος ἔχεται καὶ ἡ παρονομασία, ὅταν παρὰ τὸ » προκείμενον ἕτερον ὄνομα ἐμφερὲς τεθῇ οὐδενὸς κατὰ σύμμετρον διάσημα. οἷον ἐστιν. ὃς δή ποτ' ἀλ Δρύαντος παῖς κρα- » τερὸς Λυκόοργος. καὶ ἐν ἄλλοις. Τῶν ἤτοι Προθόος θοὸς ἡγεμόνευεν.

Ἐξαπατᾷ γὰρ καὶ ἐν τοῖς μέτροις: οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ ἀκούων ὑπέλαβεν. ἔστειχε δ' ἔχων ὑπὸ ποσσὶ χίμετλα. ὁ δ' ᾤετο πέδιλα ἐρεῖν.

Decipiunt enim & in versibus: non enim quemadmodum qui audit, accipiebat. Ibat autem, sub pedibus habens perniones. hic autem putabat calceos dicturum.

CAVSAM huius rei affert: cur scilicet tantopere oblectet haec litterae immutatio: decipit enim (inquit) auditorem, qui aliud putabat ipsum dicturum, ac diuersam iam animo sententiam conceperat. Idem autem (addit) ridiculi genus, quod praeter expectationem vocatur, non in sermonibus solum, & omni soluta oratione in vsu est, verum etiam in versibus: quod carmine ipse hoc adducto veteris poëtae confirmat, vel parte potius carminis: est enim non integer hexameter. ἔστειχε δ' ἔχων ὑπὸ ποσσὶ χίμετλα. Lusit autem in hoc subtiliter poëta ille, credebaturque dicturus esse πέδιλα, quod calciamenta valet: dixit autem χίμετλα, idest perniones: ita

enim appellant Graeci vlcera, quae ex hyberno frigore in pedibus manibusq; oriuntur: maxime in pueris. In eodem autem verbo eodem pacto iocatus est venustissimus comicus in fabula, quae a vespis inscribitur: cum enim Philocleonem induceret, recusantem Laconicas (erant enim calciamenti quoddam genus Laconicae) filiusq; vrgeret, vt indueret: ostenderetq; nulla, nisi eius generis, accipere eum posse, senex conquerens calamitatem suam, quod ne in senectute quidem aliquid commodi consecuturus esset, inquit. - κακοδαίμων ἐγώ, Ὅστις ἐπὶ γήρᾳ χίμετλον οὐδὲν λήψομαι. vt putauit interpres, contra id, quod expectabatur, dicens χίμετλον: calciamenta enim tutum ipsum ab eo morbo reddere poterant, quod praecipue, qui nudis pedibus ambulant, ipso laborent. Cicero quoque huius ioci, qui παρὰ προσδοκίαν vocatur, eundem ortum causamq; esse dixit: conuenitq; ipsi in hoc mirifice cum Aristotele. In ij. namq; libro de Oratore inquit. Sed scitis esse notissimum ridiculi genus, cum aliud expectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum mouet: & post. Natura enim nos, vt ante dixi, noster delectat error: ex quo, cum quasi decepti sumus expectatione, ridemus.

Τοῦτο δ᾽ ἅμα λεγομένου δεῖ δῆλον εἶναι.

Oportet autem hoc ilico vt prolatum est, perspicuum esse.

Vt bellum (inquit) hoc ridiculum videatur, non oportet eum, qui audit, in eliciendo ex eo sensu diutius laborare, sed quod prius falso creditum fuit, statim verbis expositis discuti: veramq; sententiam vna cum prolatione verborum perspicuam fieri, quamuis primo non intelligeretur, quo res peruentura foret.

Τὰ δὲ παρὰ γράμμα ποιεῖ, οὐχ ὃ λέγει, λέγειν, ἀλλ᾽ ὃ μεταστρέφει ὄνομα.

Ridicula autem, quae constant immutatione litterae, faciunt, vt non quod dicit, dicat, sed quod distortum nomen valet.

Ridicvla, quae, quod litterae parua immutatio fiat, in eaq; omnis fallacia contineatur, παράγραμμα vocantur, hanc vim habent, vt qui illa vsurpat, non quod nomen ipsum valet, dicat: idest non attendi debeat, quod nomen, nulla re immutatum, sed quod leuiter variatum significet: nec ipse sane, qui ita locutus est, aliud intellexit, quam quod verbum inuersum significat. Hunc sensum esse arbitror horum verborum, vt ποιεῖ λέγειν nihil aliud valeat: posterius autem duorum horum verborum addidi, acceptum ex antiquissimo libro: cum quo facit etiam vetus tralatio.

Οἷον τὸ Θεοδώρου εἰς Νίκωνα τὸν κιθαρῳδόν, θράττει σε.

Cuiusmodi est illud Theodori in Niconem citharaedum, θράττει σε.

Vt Theodori vox illa (inquit) in Niconem citharaedum, θράττει σε: visus est enim ille primo dicere, vt notio eius verbi, illa persona ac tempore positi est, perturbat, commouet te: obscure tamen Theodorus ipsum Thracem esse, aut ex ancilla natum eius terrae, significare voluit: multa enim mancipia, e Thracia comportata, in Graecia seruiebant. Thratta autem mulier eius regionis ab Atticis vocabatur: quod tam planum est, vt exemplis confirmare non oporteat. Plato etiam Parmenide verbo θράττειν vsus est. ἤδη μέντοι ποτέ με καὶ ἐθράττησεν. sed cuncti quoque veteres scriptores: est enim vsitatum ac frequens.

Προσποιεῖται γὰρ λέγειν τὸ θράττει σε, καὶ ἐξαπατᾷ: ἄλλο γὰρ λέγει.

Simulat enim dicere turbat te, & imponit ei, qui audit: aliud enim dicit.

Simvlat enim (inquit) dicere: conturbat te: ac decipit, in erroremq; inducit auditorem: aliud enim dicit. id autem huiuscemodi est. Thratta te mater genuit: tam diuersa enim sententia e parum dissimili sermone elicitur: vt suspicor autem, παράγραμμα est, quod θράττει σε dixit, & θρᾷττ᾽ εἶ σε, scilicet serua mulier procreauit, intellexit. quod si omnino illum ex ancilla natum non innuit: neque ita commutatis verbis id tetigit, verbum tamen id auditum, opinionem hanc subito in mentem auditorum inserit: intelligiturq; obijcere voluisse, qui dixit, eum barbarum esse: quae turpis macula & ipsa erat. Desiderio autem impulsus rem illustrandi, exemplum & ipse afferam, quod aut valde aptum est ad rem declarandam, aut ego nihil huius animaduersionis intelligo. Fuit enim ciuis quidam noster, vt sunt varia mortalium ingenia, homo vanus ac mendax, qui in sermone quodam narrabat se cuncta Galliae Cisalpinae oppida perlustrasse, multis ipsorum nomine appellatis, vnus tunc eorum, qui adstabant, ac bene cognitum hominem habebat, vir lepidus, ac facetus, quaesiuit ex ipso an Veronam aliquando visisset, quod non putabat.

Διὸ μαθόντι ἡδύ· ἐπεὶ, εἰ μὴ ὑπολαμβάνῃ Θρᾷκα εἶναι, οὐ δόξει ἀστεῖον εἶναι.

Quare iucundum est ei, qui iam didicerat, quia nisi cognosset eum Thracem esse, non visum fuisset vrbanum.

INDE autem (inquit) voluptas efficitur, voxq; illa grata est ei, qui audit: intelligit enim, se demum didicisse, quod paulo antea male acceperat, ac pristinus error, ita pulsus, ipsum non parum delectat: leporem vero nullum, nec suauitatem in ea voce visum iri affirmat, nisi qui audit eo sensu capit, quem inuersa illa significat: & intelligit Thracem illum esse, in quem dicta est, indicari: ὑπολαμβάνειν enim valere hic videtur, accipere: & hanc notionem inde elicere: quomodo etiam paulo supra hoc ipso verbo vsus est, cum ait. ὥσπερ ὁ ἀκούων ὑπέλαβεν. Nisi aliquis putet hoc in loco significare ὑπολαμβάνειν, suspicatur: quasi Aristoteles ostendat necessarium esse, vt auditor rem eam antea leuiter cognitam, aut suspectam saltem habeat: quod, nisi hoc sit, non existimaturum vmquam eum vocem illam vrbanam ac venustam esse, quia verum sensum ipsius non percipiat: cum enim res penitus ipsi noua atque inaudita sit, ita indicatam non intelligi: contra autem, si suspicabatur antea se rem ita habere, tactam etiam eo pacto, subito agnosci ac percipi.

Καὶ τὸ, βούλει αὐτὸν πέρσαι.

Et illud. Vis ipsum πέρσαι.

ALIVD exemplum & ipsum (vt suspicari licet) acerbae contumeliosaeq; vocis: cuius tamen ratio obscurior est: nihil enim addidit, quod ad sensum, quem habet, patefaciendum valeat: nec auctorem eius ostendit, vt aliquid adminiculo illo, quod eam illustret, inuestigari possit: in parua autem immutatione nominis omnem venustatem illius manere arbitror: de huiuscemodi enim nunc agit lepidis vocibus. In verbo autem πέρσαι fallaciam fuisse, verisimile est: nam ne Persas homines significare eum voluisse putem, facit, quod vrbanitas eo pacto aliam rationem haberet: & e duplici notione nominis, nulla litterae inuersione facta, manaret: πέρσαι verbum indefinito genere esse, populariq; significare, apertum est. Lusit igitur, qui ita locutus est, & cum aliud se dicere velle ostenderet, aliud significauit. cognitus postea ab auditore error, qui animum ipsius paruo temporis spatio tenuerat, mirifice ipsum oblectauit. Cum autem, vt cupiebam, locum hunc adiuuare planumq; reddere diligentia mea non potuerim, quomodo familiaris meus alium huius auctoris valde obscurum ac deprauatum correxerit, indicabo. hic autem ipse, in quo idem nomen est, ac iucunda recordatio cari sodalis, in mentem mihi illum reuocarunt: cum enim non longe ab initio primi libri de arte poëtarum, vbi de varijs generibus imitationum disputat, passim nunc in omnibus exemplaribus legatur. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ
τοὺς διθυράμβους, καὶ τοὺς νόμους ὡς πέρνας, καὶ κύκλωπας Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος, μιμήσαιτο ἄν τις. arbitrabatur ille, vnius tantum litterae immutatione facta, πέρσας legi debere: verbum enim illud nullum ibi accommodatum sensum habet: litteris autem proditum est, Timotheum eo nomine celeberrimum carmen edidisse, cuius etiam meminit Plutarchus in vita Philopaemenis, vbi narrat Nemeis ludis Philopaemenem, iterum praetorem Achaeorum, ac paulo antea victorem praeclarae pugnae, eo accessisse cum delecta iuuentute: pauloque post, certantibus inter se citharaedis, in theatrum ingresso illo cum pulcherrimo comitatu, forte Pyladem citharaedum, Timothei Persas canentem, cantum suum ita incoepisse. κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον. quae res conuertit omnium oculos in summum illum imperatorem, vt plausum etiam ingentem dederint: visa est enim sententia mirifice conuenire & auctoritati illius viri, & spei ipsorum: confidebant enim se virtute ipsius veterẽ Graeciae dignitatem recuperaturos. Sed idem etiam eruditus scriptor in commentario, quo docet, quomodo accipere decet adolescentem voces poëtarum, poëmatis eiusdem mentionem fecit, dicens vere etiam Timotheum in Persis Graecos hortatum esse, vt pudorem colerent, qui multum adiuuat bellicam virtutem. Possem alijs multis exemplis vti, si opus foret, confirmantibus ita vocatum a Timotheo generosum quoddam carmen fuisse. Nam Sudas quoq; cum scripta eius appellaret, huius meminit. quod verisimile est illic intelligi ab Aristotele. Philoxenum enim Cyclopis amores cecinisse certo tenetur. quare necessario videtur hoc nomen ad alterum illum poëtam pertinere. Cum autem officium in primis me impulerit vt hoc adnotarem, restat nunc nomen eius, qui hoc acute viderit, aperire: fuit autem Franciscus Medices, qui summo ingenio praeditus, grauiq; ac recondita doctrina ornatus, a me semper ob amicitiam, qua coniunctus cum eo fui, aliquam occasionem nacto, studiose praedicabitur, ac veris laudibus ornabitur.

Δεῖ δὲ ἀμφότερα προσηκόντως λεχθῆναι.

Opus est autem ambo haec, vt conuenit, decetque, dici.

QVI cuipiam hoc pacto maledicere vult, animaduertat oportet, vt ambo commode dicantur: idest, vt in eius personam ambo cadant. exempli gratia, nisi rumor esset ex ancilla ortum Niconem, & aliquid ei accidisset, quod non sine causa eum perturbare potuisset, ne dum risum excitasset, frigida admodum, & insulsa res fuisset: cum vtrunque ei conuenit, salsum lepidumq; totum negotium est.

Οὕτω δὲ καὶ τὰ ἀστεῖα.

Sic autem & vrbanas voces.

VT in salibus iocisq; amarioribus, quos σκώμματα vocauit, errorem ac fallaciam, quae primo gignitur in animis auditorum, risum mouere atq; oblectare docuit, ita in vrbanis his sermonibus, idem eandem rem efficere declarat: de ijs namq; agebat, quos ἀστεῖα supra quoq; appellauit, cum illos ipsos explicare coepit: statim autem eos effici, conflariq; etiam inquit, quando auditoribus imponeretur. Fallaciam autem hanc mirabiliter facere ad oblectandos auditores, leporemq; ac venustatem orationi conciliandam, probare volens, vt alijs non nullis rationibus id constituit, ita etiam affirmauit eandem rem, materiam bellam esse multorum iocorum: salesq; elegantes inde proficisci: qua re declarata ad eosdem redit vrbanos lepidosq; sermones tractandos: non in litterarum tamen immutatione, sed in diuersarum rerum significatione positos eos tradit: genus autem hoc eadem de causa lepidum venustumq; esse dicit: luditur enim in eo, quod inopinatum inexpectatumq; profertur: idem enim nomen, non eodem intellectu, iteratur, quo antea sumptum fuerat. Is vero, qui audit, idem valere existimans, primo fallitur: postea se in ea re deceptum intelligens, noua atq; vera cognitione delectatur.

Οἷον τὸ φάναι Ἀθηναίοις τὴν τῆς θαλάττης ἀρχὴν, μὴ ἀρχὴν εἶναι τῶν κακῶν: ὄνασθαι γάρ.

Cuiusmodi est affirmare Atheniensibus maris ἀρχὴν, non fuisse ἀρχὴν malorum: inde namque fructus magnos cepisse.

EXEMPLO nunc res illustratur: quod tamen satis apte Latinis verbis explicari non potest: nec eandem vim, in hunc sermonem translatum, habebit: neq; enim principium Latinis, vt ἀρχὴ Graecis, & regnum, & initium significat: in quo duplici eius verbi significatu omnis elegantia manet. Principatus autem, cum summa potestas in ciuitate vocetur, & ipsum non respondet Graeco verbo: neque enim idem initium valet. Vt affirmare igitur (inquit) Atheniensibus maris imperium, non esse initium malorum: multas enim, ipsi, magnasq; vtilitates inde ceperunt. Haec sane eorum verborum sententia est: sed, vt ante ostendi, eandem elegantiam non habet.

Ἢ ὥσπερ Ἰσοκράτης, τὴν ἀρχὴν τῇ πόλει, ἀρχὴν εἶναι τῶν κακῶν.

Vel quemadmodum Isocrates ἀρχὴν ciuitati, ἀρχὴν esse malorum.

EADEM difficultas, laborq; est in voce hac Isocratis exprimenda: nam & ipsa eadem paene est, atq; in eodem verbo vim omnem positam habet: hoc tantum discriminis inter eas est, quod prioris, quicunq; fuit, auctor, id, quod non nulli, re docti, affirmabant, negabat: imperium maris reip. Atheniensium originem omnium malorum fuisse: Isocrates contra id de Lacedaemonijs affirmabat (de eadem enim gente hae sententiae editae non sunt.) In suasione autem, quam misit ad Philippum, eam his verbis expressit. ὡς ἄν τις φαίη, τότε τὴν ἀρχὴν αὐτοῖς γενέσθαι τῶν παρόντων κακῶν, ὅτε τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης ἐλάμβανον, ἐκ ἂν ἐξελεγχθείη ψευδόμενος. sed in oratione etiam de pace, ipsam, eosdem accusans, paene ijsdem verbis protulit. Animaduertendum autem, an hunc ornatum sermonis inferiores rhetores διαφορὰν vocarint, quia idem verbum iteratum longe aliam rem significat, ac cum primo vsurpatum fuit.

Ἀμφοτέρως γὰρ, ὃ οὐκ ἂν ᾠήθη τις ἐρεῖν, τοῦτ' εἴρηται, καὶ ἐγνώσθη, ὅτι ἀληθές.

Ambobus enim modis, quod non putasset aliquis dicturum, hoc dictum est: & cognitum est id esse verum.

QVOD tantam huiuscemodi vocibus gratiam conciliare ostendimus (inquit) in ambabus his, contrarijs inter se duorum scriptorum sententijs, inuenitur: in priore namq; & in posteriore, id, quod nemo vmquam expectasset, prolatum est: inexpectatum enim quiddam accepit auditor, quod cum belle se habere, recteq; dictum cognouerit, oblectatur, nec paruam inde voluptatem sentit: posterior enim eiusdem vocis intellectus, vt prior, illic locum habebat: & rei

ipſi, de qua ſermo erat, mirifice conueniebat: ἀληθὲς autem hic, vt multis alijs locis, quod rectum & accommodatum eſt, ſignificat.

Τό, τε γὰρ τὴν ἀρχὴν φάναι ἀρχὴν εἶναι, οὐθὲν σοφὸν, ἀλλ' οὐχ οὕτω λέγει.

Dicere enim principium eſſe principium, nihil argutiarum in ſe habet, ſed non ita dicit.

Qvi non cogitaret (inquit) diuerſo intellectu ἀρχὴν ſumptam eſſe, vocem hanc deſpiceret, atque inſulſam prorſus exiſtimaret: quid enim ſubtilitatis habet, dicere principium eſſe principium? ſed hoc nec intellexit, nec vnquam dicere voluit. Quae ad extremum conſequentis ſententiae in excuſis duo verba leguntur, hic quoque antiquiſſimus liber poſita habet: ita namque apud eum eſt. ἀλλ' οὐχ οὕτω λέγει, ἀλλ' ἄλλως. cum autem nihil immutarim, volui hanc varietatem ſcripturae notam eſſe.

Καὶ ἀρχὴν, οὐχ ὃ εἶπεν, ἀπόφησιν, ἀλλ' ἄλλως.

Et ἀρχὴν, non quod dixit, negat, ſed aliter.

Et ἀρχὴν (inquit) non quam antea dixerat, intellexeratque, negat, ſed aliam, & longe ab illa diuerſam, ἀρχὴν. Loqui autem nunc Ariſtoteles videtur de illo, qui ἀρχὴν dixerat, non eſſe ἀρχὴν, quemadmodum cum antea inquit, ἀλλ' οὐχ οὕτω λέγει, de Iſocrate: ille namque ἀρχὴν, dixerat eſſe ἀρχὴν. Niſi hac etiam parte ſequi velimus antiquiſſimum librum, in quo non ἀπόφησιν, verum αὐτὸ φησὶν legitur: ita enim in Iſocratea tantum ſententia perpendenda manſiſſet: atque eſſet haec quaſi declaratio eius, quod dixerat, non hoc pacto ipſum accepiſſe: vt maioris lucis gratia rem explicare voluerit.

Ἐν ἅπασι δὲ τούτοις, ἐὰν προσηκόντως τὸ ὄνομα ἐνέγκῃ, ὁμωνυμίᾳ ἢ μεταφορᾷ, τότε τὸ εὖ.

In omnibus autem his, ſi apte, atque vt conuenit, nomen protulerit, ideſt aequiuocatione, ſiue translatione, tunc probe recteque res adminiſtratur.

In cunctis autem his (inquit) politis elegantibusq; vocibus (intelligit autem vrbanorum ſermonum genus, quod ἀστεῖα vocauit: quoq; res diuerſae eodem vocabulo ſignificantur) tunc virtus eſt, cum qui loquitur apte concinneq; nomen protulerit, ac quod vtriq; conueniat ac quadret. quod per homonymiam aut translationem fit: quae enim viae ſint potiores id praeſtandi, demonſtrauit: has autem potiſſimum appellauit: cuncta namque diuerſas res ſignificantia nomina, vt generatim loquar, aut aequiuoca ſunt, aut translata. ὁμωνυμίᾳ autem & μεταφορᾷ dandi caſu videtur legi debere. vt ſane in antiquiſſimo libro legitur, quamuis excuſi codices nominandi, perperam habeant. φέρειν vero ὄνομα frequens bonis auctoribus modus eſt loquendi. » Ipſe in tertio libro de moribus ad Nicomachum. τὸ δ' ὄνομα τῆς ἀκολασίας ἐπὶ τὰς παιδικὰς ἁμαρ- » τίας φέρομεν.

Οἷον ἀνάσχετος, οὐκ ἀνάσχετος.

Veluti ἀνάσχετος, οὐκ ἀνάσχετος.

Exemplvm obſcurius: neque enim a quo pronuntiata ea ſententia ſit dicere habeo: nec certam omnino rationem eius nominis, quod duplex eſt, & non eodem intellectu ambobus locis poſitum, afferre poſſum. Ανάσχετος, nomen viri eſſe poteſt, & ita ſe res habet, vt ſuſpicor: qui fortaſſe, quod importunis moribus eſſet, ac petulans, intolerabilis dici potuit: id enim valet ἀνασχετὸς: in multis autem hoc nominibus euenire docet, minutus interpres Homeri, Euſta- » thius, vt in eo etiam, quod par huic ſimileq; eſt. Haec ipſius verba ſunt. Καὶ Ανεκτος μὲν προπα- » ροξυτόνως, κύριον: ἀνεκτὸς δὲ ὀξυτόνως, ὁ φορητός. ὁμοίως καὶ Νικήτης μὲν, κύριον: νικητὴς δὲ, ὁ νικήσας. Hoc tamen aduerſari huic explicationi videtur: quod ſi variatur ſonus, non videtur eſſe ὁμωνυμία: vt idem enim penitus nomen ſit, requirere illa videtur. in ſcriptis autem quoque (nullum enim hac parte diſcrimen eſt) in antepenultima ſemper ille poſitus. antiquiſſimus vero liber, diſcrepans a reliquis omnibus, priore loco habet ἄχετος.

Ὁμωνυμίαν ἀπέφησεν, ἀλλὰ προσηκόντως, εἰ ἀεὶ δὶς.

Aequiuocationem negauit, ſed apte, ſi ſemper bis.

Qvi ita locutus eſt (inquit) non quod antea affirmarat, negauit: quamuis hoc rudes, imperitiq; crediderint,

crediderint, sed alterum vocis illius significatum, quo antea ipsam non ceperat: ὁμώνυμος enim vox est. Idem igitur nomen, non eandem rem, negauit. Addit autem quomodo hoc tractari debeat, vt dignitatem habeat. Fit autem commode tota res dicens, apteque, si semper verbum iteratur.

Καὶ. Οὐκ ἂν γένοιο μᾶλλον, ἢ σε δεῖ ξένος, ξένος.

Et. Nullo modo efficereris magis, quam te oportet, hospes, hospes.

Copvla, qua indicat aliud exemplum se ponere, auctoris est: sequitur autem senarius: qui terminatur verbo, quod statim repetitur. videtur vero illud, ita iteratum, initium fuisse consequentis versiculi. Quod ad sententiam pertinet, haec (nisi fallor) vis est horum verborum. Nullo modo fieri potes magis hospes, quam deceat esse hospitem. quasi dicat, securo animo de ista re sis: neq; enim potes in istam partem peccare. non eodem autem intellectu semper id nomen capit: semel enim hospitem simpliciter intelligit: semel ipsum officium suum retinentem, cogitat. In quo seruando non potest modus vmquam transiri. atque ita anceps illius nominis significatus, nisi aliquis credat praecipientis animo, modoq; illum pronuntiatum fuisse, hoc pacto. Vide ne magis hospes sis, quam hospitem esse deceat.

Ἢ οὐ μᾶλλον ἢ σε δεῖ, τὸ αὐτό.

Siue non magis, quam te oportet, idem.

Ita hunc locum accipi debere puto. Quemadmodum in superiore exemplo verbum ξένος, non eodem intellectu repetitum est, ita, si tibi commodum est, ac res postulat, cum aliud praecipere aut vetare vis, idem nomen iterare potes, & eandem sententia illa venustatem habebit. quasi dicat, ne verearе hanc culpam: non enim fieri id vllo modo posset. addito autem, quod ratio ipsa requirit, iteratum ac diuerso sensu positum. Tamquam igitur (inquit) quemadmodum hoc vrbanum esse docui in nomine hoc ξένος, diuerso intellectu, cum duplex verbum sit, repetito, ita & in alijs res procedet.

Καὶ. Οὐ δεῖ τὸν ξένον ξένον ἀεὶ εἶναι: ἀλλότριον γὰρ καὶ τοῦτο.

Et. Non oportet hospitem hospitem semper esse: alienum enim & hoc.

Hoc quoq; iterati nominis exemplum est. quod ὁμωνυμίαν habeat. Non decet hospitem semper esse hospitem. qua in sententia alter ab altero significatus diuersus est. quod indicauit ipse addens: alienum namq; & hoc est: id enim hoc valet. sunt diuersae notiones eius verbi.

Τὸ αὐτὸ καὶ τὸ Ἀναξανδρίδου, τὸ ἐπαινούμενον. Καλόν γ' ἀποθανεῖν, πρὶν θανάτου δρᾶν ἄξιον.

Idem valet & illud Anaxandridis, quod in primis fertur. Pulchrum est mori, antequam geras aliquid morte dignum.

Celebris quoq; (inquit) Anaxandridis vox, multumq; laudata, eandem vim habet: ferebatur autem illa in primis, & quia grauis dignitatisq; plena erat: & quod elegantibus, apteque structis verbis continebatur: senariolo vero exposita est, cuius sententia. Pulchrum profecto est mori, antequam quicquam morte dignum geras: poëta enim non inelegans Anaxandrides fuit, multasq; fabulas docuit: vt Sudas quoque narrat. versiculum item senarium ipsius Aristoteles adducit in vij. libro de moribus ad Nicomachum.

Ταὐτὸν γάρ ἐστι τῷ εἰπεῖν: ἄξιον γὰρ ἀποθανεῖν, μὴ ὄντα ἄξιον ἀποθανεῖν.

Idem enim est hoc, atque si dicas. dignum enim est mori, morte dignum non existentem.

Qvod sermoni suauitatem, ornatumq; adiungebat, si in versiculo Anaxandridis expressum non erat, tamen in sententia inclusum manebat: & qui acute perspiceret, facile illic ipsum spectaret. id autem est, verbum ipsum venuste iteratum. Cum id protulit inquit Aristoteles, ipsum hoc protulit. Sententiam autem eandem, vt elegantissime enuntiari posse putat, enuntiat: & vt vim eius concinne exprimat, tribus modis verba conformat. In senario suo comicus ille pulchrum esse dixerat mori: ipse, vt hac etiam concinnitate eum expoliret, καλόν, in ἄξιον transmutauit: quod verbum eodem versu, non eodem significatu, iteratur: melius enim venustiusque esse censuit id adponere: nam sententia vtro verbo vtare, non variatur.

Η, ἄξιον

Ἢ, ἄξιον γ' ἀποθανεῖν, μὴ θανάτου ἄξιον ὄντα: ἢ μὴ ποιοῦντα θανάτου ἄξια.

Siue, dignum est mori, morte dignum non existentem: siue non gerentem morte digna.

INITIVM praeclarae sententiae, postquam semel vt eleganter dici potuisse putat, immutauit, non variat: extremum, vt quam apposite venusteq; exprimat, laborat. cum autem primo verbum indefinito tempore vsurpasset, pro illo nunc nomen patrio casu ponit, & morte dignum ait: tertio autem, magis rem explanans, inquit: non gerentem res morte dignas.

Τὸ μὲν οὖν εἶδος τὸ αὐτὸ τῆς λέξεως τούτων: ἀλλ' ὅσῳ ἂν ἐλάττονι καὶ ἀντικειμένως λεχθῇ, τοσούτῳ μᾶλλον.

Forma igitur locutionis eadem est horum omnium: sed quanto minore gyro, & opposite dicta fuerint, tanto magis.

NON dici potest, quantum saepe, non variato sensu: variatis autem verbis, aut ordine etiam verborum immutato, ornetur, aut corrumpatur tota res. Hoc manifesto tradit Aristoteles: forma enim (inquit) & omnis sane locutionis figura, eadem est, harum dico trium vocum: verumtamen quanto breuius, magisque opposite prolata fuerit, tanto elegantior habetur, magisque probatur.

Τὸ δ' αἴτιον, ὅτι ἡ μάθησις διὰ μὲν τὸ ἀντικεῖσθαι, μᾶλλον: διὰ δὲ τὸ ἐν ὀλίγῳ, θᾶττον γίνεται.

Causa vero huius est, quia perceptio magis fit, cum e regione posita sunt: quia autem pusillo in spatio, celerius.

CVR tantopere delectet oratio in vrbanis his, quas vocat, politisq; vocibus, quae minore circuitu verborum exponitur, oppositasq; res continet, explanat: faciunt enim (inquit) contrariae res prope collocatae, melius rem intelligi: breuitas autem temporis, celerius percipi: cur autem amari non debeat oratio, quae, quod magnopere cupimus, praestat? & discere enim exquisite & sine molestia, ac labore discere optamus.

Δεῖ δὲ ἀεὶ προσεῖναι, ἢ τὸ πρὸς ὃν λέγεται: ἢ τὸ ὀρθῶς λέγεσθαι.

Opus est autem semper adesse, siue in quem dicatur, siue rectũ vsum harum vocum.

NON parui (inquit) artificij indigent elegantes hi politiq; sermones, nec a quolibet recte tractari possunt: necesse enim est, semper habeant aut personam, in quam quadrent, aut elegantem structuram, summamq; locutionis virtutem: id enim (nisi fallor) appellat ὀρθῶς λέγεσθαι. quod si altero horum caruerint, ea parte claudicabunt, nec vrbanae admodum, sed paene vulgares voces videbuntur.

Εἰ τὸ λεγόμενον ἀληθὲς, καὶ μὴ ἐπιπόλαιον.

Si quod dicitur verum est, & non in promptu solum leueq; est.

CORRVPTE in alijs excusis & scriptis quibusdam libris legitur, ἢ τὸ λεγόμενον: scripti tamen alij recte habent εἰ τὸ λεγόμενον: ita enim videtur legi debere, quod vetus quoque tralatio confirmat. sententia huiuscemodi est. Oportet supra explicatas virtutes orationem habere, si quis vult sententiam ipsam veram: id est grauem, honestamque esse, & non inanem, & quae cuiuis in mentem facile veniat. Ἀληθὲς hic significare prorsus graue arbitror. quod e contrario quoq; perspicitur: vt enim verum esse voluit Aristoteles, ita tenue, & quod in promptu omnibus sit, negat. & sane eodem intellectu ἀληθὲς cepisse videtur, cum supra hoc ipso in libro inquit. δοκεῖ γὰρ ἀληθὲς εἶναι: ἐπεὶ δ' λανθάνει γε, ὃ ποιεῖ, τὸν λέγοντα. Nam quod ad hunc dicendi modum pertinet, quem hic restitui, elegantem illum esse, & optimo huic scriptori vsitatum, constat. vt in ij. libro de moribus ad Eudemum, cum exemplo ostenderet artes, quae in moliendo aliquo opere manent, non in quaerendo fine, sed in ijs, quae illo perducunt, occupari: finem
» enim, quo peruenire volunt, firmum iam ac statutum habent: ait enim. ἐπεὶ δὲ δεῖ τόδε ὑγιαίνειν,
» ἀνάγκη τόδε ὑπάρξαι, εἰ ἔσται ἐκεῖνο. & in problematibus, vbi quae ad harmoniam pertinent, quaerit: cum enim simili, id, de quo illic agebatur, constituere vellet, inquit. Quemadmodum ex oratione, demptis quibusdam coniunctionibus, rationem Graeci sermonis corrumpi: contra autem sublatis alijs, nihil incommodi gigni. id autem fieri, quia sunt copulae quaedam, quibus

saepe

saepe vti necesse est, siquis orationis formam retinere vult: aliae autem nullo pacto: in extrema enim hac sententia inquit. ὡ ἴσω λόγος, vt legitur in antiquissimis duobus exemplaribus: nam in excusis locus deprauatus est. Idem igitur hic quoque valebit. oportet (inquam) hoc, & illud sermoni adesse, siquis elegantem sententiam, ornatumq; ex eo elicere vult.

Ἔστι γὰρ ταῦτα χωρὶς ἔχειν.

Fieri enim potest, vt haec seorsum diunctaeque sint.

NON sine causa (inquit) duo illa coniuncta oportere esse dixi: cumq; id fit, omnes numeros explesse orationem eam, vereq; politam, vrbanamq; appellari: alterum enim illorum absque altero habere potest: quod ipse verum esse, atq; inueniri in non perfectis vndique absolutisq; vocibus, exemplo quoq; confirmat.

Οἷον ἀποθνήσκειν δεῖ, μηθὲν ἁμαρτάνοντα: ἀλλ' οὐκ ἀστεῖον.

Ceu Mori oportet, nihil peccantem, sed non est vrbanum.

SENTENTIA grauis, probaq; est. decet mori nihil in vita delinquentem: nihil tamen elegantiae concinnitatisque in verbis: neque ita conformatus sermo vllo pacto vrbanus habendus, quod ipse aperte testatur: eadem autem sententia, quae nunc, simplicissimis verbis exposita, vrbana non potest haberi, summo infra artificio expressa: ambabusq; virtutibus ornata, vrbana eximie fit.

Τὴν ἀξίαν δεῖ γαμεῖν τὸν ἄξιον: ἀλλ' οὐκ ἀστεῖον.

Dignam oportet vxorem ducere dignum, sed non est vrbanum.

ORNATVS hic sermo est: non parum enim elegantiae repetitum verbum, & quasi oppositum habet: non dum tamen perfectus est, & qui omnes virtutes habeat: ambo enim, quae supra ostendit, coniungantur oportet: ipse alterum tantum habet: altero caret. sententia horum verborum plana est, nec vllus scrupulus in ipsis esse potest: est enim tamquam ὑποθήκη, quae vetat eos, qui humili genere nati sunt, claris parentibus ortas virgines vxores ducere: affirmatq; dignas honestis viris, ac dignitate aliqua praeditis, copulari decere: id enim ἄξιον, vt lepos in hac voce sit, cum diuerso ac supra sensu capiatur, significare videtur. Eleganter quoque Tibullus, & huic loco conuenienter ex persona Sulpiciae, nobilis mulieris, - Cũ digno digna fuisse ferar.

Ἀλλ' ἐὰν ἅμα ἄμφω ἔχῃ. Ἄξιον γ' ἀποθανεῖν, μὴ ἄξιον ὄντα τοῦ ἀποθανεῖν.

Verum, si simul ambo habuerit. Dignum vtique est mori, non existentem dignum mori.

CVM neutram harum rerum, quae requiruntur, vt vox aliqua concinna vrbanaq; fit, seorsum positam, vim habere eam dixerit, vt cumulatam ipsam absolutamq; vndiq; reddant, atq; id exemplis confirmarit, nunc aperte testatur oportere vtraq; re illam ornatam esse: id autem in exemplo, quod sequitur, esse perspicuum. dignum sane est, decetque virum mori, cum dignus non est, qui moriatur.

Ὅσῳ δ' ἂν πλείω ἔχῃ, τοσούτῳ ἀστειότερον φαίνεται.

Quanto autem plura habuerit, tanto vrbanius esse perspicitur.

VNVM autem aut alterum modum esse harum concinnitatum: nec posse sine culpa eum augeri, nemo existimare debet: quanto enim (inquit) plures horum ornatuum habuerit, tanto vrbanior sermo erit. Quomodo autem hoc fieri possit, ostendit, multasq; rationes expoliendi sermonis, de quibus tamen supra copiosius disseruit, tangit.

Οἷον εἰ καὶ τὰ ὀνόματα μεταφορὰ εἴη, καὶ μεταφορὰ τοιαδί, καὶ ἀντίθεσις, καὶ παρίσωσις, καὶ ἔχοι ἐνέργειαν.

Veluti, si nomina translatio fuerint, & translatio talis, & oppositio, & adaequatio, & habuerint actum.

CEV (inquit) si verba, quibus elegans vrbanaq; haec oratio constat, translata fuerint: nec e quouis earum genere, sed e probatissimo: idest ex collatione rationis aliunde sumpta sint: & contrarijs contraria opposita illic fuerint: sed etiam membra comprehensionum aequalia extiterint,

& actum

& actum praeterea quendam in eadem nomina aliqua prae se ferant. Haec & singillatim omnia exornant orationem, & cuncta simul, exiguo in gyro explicata, mirum in modum eam illustrant. Quod autem hunc locum antea deprauabat, vitium correxi: ἀντισωσις enim, numquam supra vsurpatum ab eo nomen, quod excusi habebant, deleui, & ἀντίθεσις reposui, acceptum ex antiquissimo libro: quo verbo semper in hac re appellanda vsus est. vetus etiam tralatio hanc lectionem confirmat.

Εἰσὶ δὲ καὶ αἱ εἰκόνες, ὥσπερ εἴρηται καὶ ἐν τοῖς ἄνω, αἰεὶ, εὐδοκιμοῦσαι τρόπον τινὰ μεταφοραί.

Sunt autem & imagines, quemadmodum dictum est in his, quae supra tradita sunt, semper probatae aliquo modo translationes.

CVM maiorem venustarum vrbanarumq; vocum partem constare dixisset translationibus: sintque imagines translationes, & e maxime probato genere ipsarum, sequitur, vt & ipsae idem efficiant: ac multum valeant ad orationem vrbanam politamq; reddendam. declarat igitur diligenter affinitatem imaginum ac translationum, quae ex proportione sunt: nam quod hic τρόπον τινὰ inquit, non idem omnino esse significauit imagines, ac translationes: quamuis ex eo genere translationum conflatae forent, quod laudem in primis meruit: idest e translationibus, quae constant ex collatione rationis: sed paruum quiddam inter eas discrimen versari, quod quale foret, supra demonstrauit. Aduerbium vero temporis αἰεὶ, cum superiore sententia coniungi debet: hoc sensu scilicet, vt a me declaratum est, vbicunq; supra de illis mentionem feci: multis enim locis imagines translationes esse dixit: inferiori parti quomodo haerere possit, non video.

Αἰεὶ γὰρ ἐκ δυοῖν λέγονται, ὥσπερ ἡ ἀνάλογον μεταφορά.

Semper enim e duobus ducuntur, quemadmodum translatio, quae proportione constat.

PROBAT imagines esse translationes, & translationes maxime probatas: neque enim omnem translationem illae referunt, sed optimum genus cunctarum translationum: cum enim ex duobus imagines constent, sicut translationes ex collatione rationis, dubium esse non potest, quin ipsae eius tantum generis translationes sint.

Οἷον ἡ ἀσπὶς, φαμὲν, ἐστὶ φιάλη Ἄρεος: καὶ τόξον, φόρμιγξ ἄχορδος.

Ceu clypeus, dicimus, est poculum Martis: & arcus cithara sine fidibus.

HANC translationem esse: ducique e duabus rebus, constat: e clypeo inquam, ac patera. Sed vno hoc exemplo contentus non est: alterum enim adducit, quod & ipsum e comparatione rationis conformatum est: ait enim. Et arcus etiam cithara, vacua a fidibus: non enim simpliciter cithara, vt clypeus etiam absolute patera non est, sed patera Martis. Theognis autem, vetus poëta, cum arcum appellare vellet, pro τόξον posuit φόρμιγγα: non tamen (vt Phalereus ostendit) absolute φόρμιγγα dixit, sed ἄχορδον addidit, & epitheto translationem, quae alioqui periculosior fuisset, muniuit.

Οὕτω μὲν οὖν λέγουσιν, οὐχ ἁπλοῦν: τὸ δ' εἰπεῖν τὸ τόξον, φόρμιγγα: ἢ τὴν ἀσπίδα, φιάλην, ἁπλοῦν.

Sic igitur dicentibus non est simplex: dicere autem arcum citharam, siue poculum clypeum, simplex est.

CVM intelligeret se vsum esse genere translationis infrequentioris in exemplo ponendo, id adnotat: docetq; non vnam rationem esse translationis huius, quae ex collatione rationis conflata sit, sed duobus modis illam tractari: quorum alterum, simplicem vocat: alterum nullo modo simplicem esse vult: qui enim, cum arcum intelligeret, citharam inquit: aut, cum clypeum, pateram, simplici illo genere translationis huius vsus est: qui vero clypeum pateram esse Martis, aut arcum citharam, quae fidibus caret, hic non simplici genere vsus fuerit. Simplicem autem communiorem fuisse, magisq; vsitatum puto: quod videtur etiam testari ipse in primo libro de arte poëtarum: cum enim quattuor res necessarias esse ad huiuscemodi translationes ostendisset, quae ita inter se affectae forent, vt quam rationem secunda ad primam haberet, eandem quarta ad tertiam: affirmassetq; capi, aut pro secunda quartam, aut contra pro quarta secun-

ta secundam: qui simplex modus est (vt nunc ab ipso appellatur) huius translationis, addidit,
" καὶ ἐνίοτε προστιθέασιν ἀνθ' οὗ λέγει, πρὸς ὅ ἐστιν. quibus verbis significare voluit, hunc non simplicem modum, vt statim affirmat, sensum animi sui, & quomodo capi vellet ea verba, declarans: cum enim (inquit) eandem rationem habeat patera ad Liberum patrem, quam clypeus ad Martem, appellabit aliquis, qui ita transferre voluerit, pateram, clypeum Liberi patris: & clypeum, pateram Martis. quod etiam alio exemplo statim explicat, vt cuicumque commodum erit, facile videre poterit. Ex vtroque autem genere, & simplici inquam, & non simplici translationum, confici puto imagines: quae & ipsae aut simplices sint, aut non simplices: potiores autem esse, quae imitentur non simplices translationes ipse manifesto infra ostendit.

Καὶ εἰκάζουσι δὲ οὕτως.

Imaginibus autem ita vtuntur.

Εἰκάζειν, similem aliquẽ alicui beluae, aut homini, aut deo esse dicere, hic significat: vt supra quoq; eodem intellectu cepit. Sed etiam in iiij. libro de ortu animantium, vbi de monstris disputat: adiungit enim consuesse non nullos facetos homines, cum deformitatem alicuius perstringere volunt, dicere ipsum similem caprae sufflanti, aut arieti cornu petenti: in ea enim re exponenda hoc verbo vsus est. Cicero quoque in ij. libro de Oratore, cum de iocis disputaret, docuit mouere risus has quoq; imagines: duasq; elegantes admodum exposuit: inquit enim. Valde
" autẽ ridentur, & imagines, quae fere in deformitatem, aut aliquod vitium corporis ducuntur,
" cum similitudine turpioris: & quae sequuntur: locum enim illum indicare non alienum existimaui. vt autem ad sententiam huius loci veniam, docet Aristoteles sic fingere etiam non nullos imagines solere.

Οἷον πιθήκῳ αὐλητήν.

Ceu tibicinem simio similem esse dicunt.

Omnis his locus valde obscurus est: ac vereor ne non paruis maculis inquinatus sit. In diuersis certe manu scriptis libris varie legitur, vt diligenter adnotabo: postquam, quomodo purgare omnino eum possim, non video. nam quod ad haec verba pertinet, in antiquissimo libro dandi casu extremum verbum legitur: inueni etiam, qui αὐλητικῷ haberet. sunt tamen scripti quoq;, in quibus, vt in excusis, accusandi casu legatur. Suspicor vero sententiam eorum esse (receptam namq; lectionem sequor) εἰκάζουσιν, ac similem esse dicunt simiae tibicinem. hoc autem (nisi fallor) ita faciebant, & hanc similitudinem in illis videbant, quod tibicines quoque, vt simiae, contracto corpore: manibusque ad os appositis, cum tibias inflant, vt bestia illa sedent.

Λύχνῳ ψακαζομένῳ εἰς μύωπα: ἄμφω γὰρ συνάγεται.

Et distillanti lucernae lusciosum: ambo enim contrahuntur.

Verba, quibus imago exponitur, mendosa puto: & fortasse hic aliquid defecit: nec vna tantum caussa me ita suspicari facit: nam & variatam lectionem inueni in scriptis codicibus: antiquissimus enim liber λύχνῳ habet: cui adstipulatur vetus tralatio. praeterea quem locum hic praepositio εἰς habeat, non dispicio: neq; enim, vt infra inquit. εἰς ὑπωπιασμένον, ita videtur hic recte accipi posse εἰς μύωπα, cum seorsum totam imaginẽ non ponat, vt illic facit, vbi narrat, quid ab acuto homine dictum sit in eum, qui crebris maculis distinctam faciem habebat: sed videtur dicere debuisse, εἰκάζουσιν: idest similem aiunt esse lusciosum lucernae, aut lupo: quoquomodo legi debet: μύωπα namque, qui eo vitio oculorum laboret, aciemq; hebetem atque imbecillam admodum habeat, significare omnino hic arbitror. quod etiam intelligitur ex verbo, quod addit συνάγεται: hi enim, vt acutius videant, quod volunt, contrahere palpebras consueuerunt: nec aliter id aspicere possunt, quod etiam in problematum segmento xxxj. ipse ostendit,
" quaestionem hanc proponens. διὰ τί οἱ μύωπες, συνάγοντες τὰ βλέφαρα, ὁρῶσιν. non tamen, quae contractio fiat, aut in lucerna, aut in lupo stillantibus, apparet: qua ipsa in re similitudinem esse testatur, cum vtraq; contrahi tradat. ψακαζομένῳ autem, vt in cunctis calamo exaratis inueni, restitui: antea enim excusi libri ψεκαζομένῳ: nec tamen vnius litterae immutatio notionẽ huius nominis variat. ψακάδες, vt ψεκάδες, guttae stillaeq; sunt. Quae potui ad hunc locum illustrandum cum fide in medium attuli: nec omnem tamen eius caliginem discussi.

Τὸ δὲ εὖ ἐστιν, ὅταν μεταφορὰ ᾖ.

Bene autem lausque hic erit, cum translatio fuerit.

Tvnc

TVNC (inquit) imagines probae sunt, virtutemq; habent, cũ translatio inclusa in ipsis est: praeceptum autem quoddam, normamque nunc praebere videtur, qua imagines belle se habere intelligamus.

Εςι γὰρ εἰκάσαι τὴν ἀσπίδα φιάλην Ἄρεως.

Licet enim imagine vtentem, vocare clypeum poculum Martis.

EXEMPLVM hoc est imaginis, quae ex translatione confecta sit: &, vt ex optimo genere illarum, ita etiam, quod non simplicem rationem habeat. vtitur autem ijsdem rebus, quibus in translatione ipsa explicanda vsus fuerat: possumus enim (inquit) ita conflare imaginem, vel licet imagine vtentem, clypeum pateram Liberi patris esse dicere. Receptam hic lectionem retinui, quam & in pluribus & in fidelioribus libris inueni: vidi tamen, qui dandi casu φιάλῃ haberet: & sane in ea, quae sequitur, imagine, eodem pacto hoc verbo vtitur: & dandi casum adiungit.

Καὶ τὸ ἐρείπιον ῥάκει οἰκίας.

Et parietinas similes esse dicere lacerae domui.

HANC veram puto lectionem: in excusis enim antea mendose legebatur οἰκίτου: antiquissimus sane liber habet οἰκίας, quod verbum item exprimit vetus tralatio, sed eius etiam satis certa vestigia extant in reliquis scriptis codicibus, qui cum integrum id nomen non habeant, occasionem dederunt errandi librarijs: videntur enim lapsi esse, quod compendiariae scripturae rationem non perceperint. in nullo certe scripto exemplari οἰκίτου inueni. Res autem ipsa, si ita legatur, mirifice quadrat: & similes esse dicere parietinas aliquas ῥάκει domus: si enim diligenter attendimus, similis haec imago est superiori: vt enim clypeus est Martis, ita parietinae domus: relicto autem vterq; proprio nomine, translato vsus est: & vt clypei nomine suppresso: similem eum fecit paterae Martis, ita nunc parietinas similes hic dicit ῥάκει domus. vt autem patera proprie non est Martis, ita ῥάκος domus non est: verum & illa Liberi patris, & hoc pallij. ἐρείπια domorũ fragmenta significare, & vt Latini homines loquebantur, parietinas, apertum est. ῥάκος, vt ἐρείπιον scissam domum, sic palliolum fractum valere, omnes norunt. vt autem ἐρείπιον se habet ad domum, ita ῥάκος ad pallium. pro secundo igitur quartũ capit: & quod pallij proprium est, ab eo sumptum, tribuit domui: quae ratio est translationum ex collatione rationis.

Καὶ τὸν Νικήρατον φάναι Φιλοκτήτην εἶναι δεδηγμένον ὑπὸ Πράτυος: ὥσπερ εἴκασε Θρασύμαχος, ἰδὼν τὸν Νικήρατον ἡττημένον ὑπὸ Πράτυος ῥαψῳδοῦντα: κομῶντα δὲ καὶ αὐχμηρὸν ἔτι.

Et Niceratum affirmare Philoctetem esse demorsum a Pratya, quemadmodum Thrasymachus assimilauit ipsum, cum aspexisset Niceratum, victum in contentione cantus a Pratya, cum coma prolixa, & squallore totius corporis.

HISTORIA ignotior: quantum tamen suspicari possum ex ijs, quae breui ab Aristotele traduntur. Pratys ῥαψῳδός, cum eiusdem studij homine Nicerato, in certamen venerat, vter melius caneret, munusq; illud suum elegantius obiret: in qua contentione victus Niceratus, parũ aequo animo se superatum ferebat. sordidatum igitur illum & incompta prolixaq; coma squallentem, vt, qui graui fortuna conflictantur, esse solent, cum vidisset Thrasymachus, Philoctetam sibi illum videri dixit, morsum a Pratya. nam de squallore Philoctetis sordibusque, & de morsu, qui ei a serpente inflictus esset, & tragoediae, & veteres Graeci grammatici loquuntur.

Ἐν οἷς μάλιστα ἐκπίπτουσιν οἱ ποιηταὶ, ἐὰν μὴ εὖ: καὶ ἐὰν εὐδοκιμῶσιν.

In quibus rebus maxime labuntur poëtae, nisi probe rem tractarint, quamuis ceteris in rebus recte probentur.

ANCIPITEM rem esse, & quae non tuto tractari possit, imagines docet: hunc enim esse ornatum illum, in quo fingendo poëtae, nisi eximie perficere eum potuerint, ejciuntur. nec mediocres tantum, sed valde etiam probati: & qui alias culpas facile vitarent: Ἐκπίπτειν significat labi
» & explodi. Ipse in primo de arte poëtarum: ἐπεὶ καὶ Ἀγάθων ἐξέπεσεν ἐν τούτῳ μόνῳ. Verbum hoc
» expressit Cicero in ij. libro de Oratore. Et cum sint populares multi, varijq; lapsus, vitan-
» da est acclamatio aduersa multitudinis. Nec non M. Varro in vij. de lingua Latina, de Ennio
» loquens. Imitari dum voluit Euripidem & ponere etymon, lapsus est. Cum in excusis vero prius mendose legeretur, καὶ ἐὰν εὖ, εὐδοκιμῶσιν: locum correxi, & quam a cunctis paene scriptis: melioribus certe, abesse vidi, particulam deleui. nam si sensus auctoris fuisset, si recte feliciterque tractatae imagines fuerint, summam laudem capiunt poëtae,

indicandi modo ἀδοκιμῶσι dixisset: eodem scilicet, quo paulo ante vsus fuerat, scribens ἐκπίπτωσι: omnes tamen & excusi, & scripti, habent ἀδοκιμῶσι: vetus quoque tralatio hoc confirmat.

Λέγω δ', ὅταν ἀποδιδῶσιν.

Intelligo autem, cum reddiderint.

CVM supra, numero multitudinis, dixisset, poëtas in hoc ornatu tractando saepenumero labi: nuncq; ostendens, qui locus praecipue lubricus sit: inducatq; ipsos, ad vnitatem redeat, quaerendum cur fecerit. intellexerit ne illum ipsum, qui incidit in hoc vitium, dum reddit: siue imaginem reddere dicit, intelligens eum, qui ipsa vtitur. Suspicari praeterea aliquis posset, legi debere, sono tantum vocis immutato, ἀποδιδῶσιν: atq; ita omnis scrupulus euelleretur: & sane huius lectionis vestigia visuntur in vetere tralatione.

Ὥσπερ σέλινον, οὖλα τὰ σκέλη φορεῖ.

Tamquam apium, leuia gerit crura.

SENARIVM hunc versum esse, planum est; cuius hic sensus. Non aliter atque apium esse soleat, crura leuia: ab omniq; asperitate aliena gerit. Apij folia leuorem habent: qui leuia igitur molliaq; crura habere quempiam ostendere voluit, similia apio habere eum dixit.

Ὥσπερ Φιλάμμων ζυγομαχῶν τῷ Κωρύκῳ.

Tamquam Philammon concertans cum Coryco.

SENARIVS est incerti auctoris: imaginis vero exemplum esse constat. continetur autem ea translatio: translatum enim manifesto est ζυγομαχῶν: proprioq; nomine id verbum dicitur de bubus, qui cum socij eiusdem operis sint: iugumq; aequabiliter sustinere debeant, contendunt inter se, & alter in alterum id reiciunt: vnde quicunq; postea socij eiusdem muneris, concertant inter se, ζυγομαχῶν translato inde verbo dicuntur. Philammonem Corycumq; homines fuisse arbitror, aliqua inter se societate vinculoq; coniunctos: inter quos tamen & crebrae & magnae discordiae viguissent. Cum igitur quispiam contentiones aliquorum acres esse demonstrare vellet, simili illo vsus est: ac pares eas esse inquit notis illis insignitisq; concertationibus. Philammonis athletae, qui victor ex Olympicis certaminibus discessit, mentionem fecit Demosthenes pro Ctesiphonte.

Καὶ τὰ τοιαῦτα πάντ' εἰκόνες εἰσίν: αἱ δ' εἰκόνες ὅτι μεταφοραί, εἴρηται πολλάκις.

Et huiuscemodi cuncta translationes sunt a specie ad speciem: imagines autem esse translationes, saepe dictum est.

HVIVSCEMODI cuncta (inquit) ne in exemplis colligendis longior sim, imagines sunt. Esse vero imagines translationes, tam crebro a me supra dictum est, vt repetere id probareq; non oporteat. Hoc igitur quoque bonum: mirificusq; hic ornatus orationis, translationibus acceptum referri debet.

Καὶ αἱ παροιμίαι μεταφοραὶ ἀπ' εἴδους ἐπ' εἶδός εἰσιν.

Prouerbia quoque translationes sunt a specie ad speciem.

PROVERBIA praeterea (inquit) & ipsa, translationes sunt: non tamen eius generis, e quo fiunt imagines. quod autem id sit, saepe iam declaratum est: sed earum, quae a specie, quae sub aliquo genere sit, ad speciem fiunt. Cum vero species appellet hunc & illum, qui studio suo, commodum aliquod spectantes, malum sibi procurarunt, manifestum est genus ipsum intelligere totum illud: damnum sibi importare sedulitate sua, dum bonum sectantur. vt locutus est in primo libro, vbi exempli naturam declarauit: genus enim illic quoque vocauit, qui petant custodes corporis habere in animo imponere libertati ciuium.

Οἷον ἄν τις ὡς ἀγαθὸν πεισόμενος αὐτὸς ἐπαγάγηται, εἶτα βλαβῇ, ὡς ὁ Καρπάθιός φησι, τὸν λαγώ: ἄμφω γὰρ τὸ εἰρημένον πεπόνθασιν.

Ceu siquis ad se portet aliquid, vt emolumentum inde accepturus, postea inde malo conflictetur, vt Carpathius inquit leporem: ambo enim, quod dictum est, sustinuerunt.

CEV

CEV (inquit) si quis quippiam, vt aliquod commodum inde capturus, domum comportarit, postea detrimento ex ea re affectus fuerit. vt Carpathius leporem aiunt: ambo enim in eundem casum inciderunt: & ille scilicet ipse, qui spe falsus est: cuiusq; casus vt illustretur, prouerbium affertur, & Carpathius: cum autem idem ambobus ex eadem re vsu venerit, manifestum est contineri ipsos communi illo, & tamquam genere, quod est, malum inde accipere, vnde bonum expectabatur. quare, qui prouerbio illo, vt alterum confirmet, vtitur, aperte transfert a parte ad partem. Prouerbium notum est: de ijs dici solitum, qui sibi ipsis damno forent: qui enim Carpathum incolebant insulares homines, cum leporem non haberent, par leporum in insulam summo studio comportarunt: illi autem postea numero valde aucti, vt est foecundum animal, fructus agrorum corrumpebant. Et alij Graeci scriptores, & Pollux in quinto libro hoc tradit.

Ὅθεν μὲν οὖν τὰ ἀστεῖα λέγεται, καὶ διότι, σχεδὸν εἴρηται τὸ αἴτιον.

Vnde igitur vrbanae voces ducuntur, & quare, ferme causa exposita est.

QVOD proposueramus (inquit) praestitimus: vnde enim vrbani sermones, elegantesq; ducuntur, ostendimus: sed etiam causam, cur tantopere illi oblectent, attulimus.

Εἰσὶ δὲ καὶ εὐδοκιμοῦσαι ὑπερβολαὶ, μεταφοραί.

Sunt autem probatae quoque hyperbolae, translationes.

VT imagines, vt prouerbia, sic etiam hyperbolae ingeniosiores, ob idq; laudatae, translationes (inquit) sunt. Quod statim exemplo confirmat. Naturam hyperboles expressit: nec tamen, quod par esset Graeco, Latinum nomen inuenit, Cicero in Topicis: eius enim haec verba sunt. » Aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendae rei gratia dicatur, aut minuendae, quae ὑπερβολὴ dicitur. superiectionem Quintilianus vocauit in viij. libro, vbi de omni illarum vi, & quot modis fierent, non indiligenter disseruit: eadem certe, quae a Demetrio Phalereo, graui politoq; scriptore traduntur, rettulit.

Οἷον εἰς ὑπωπιασμένον. Ὠιήθητε γὰρ αὐτὸν εἶναι συκαμίνων τάλαρον.

Veluti in eum, qui rubris maculis faciem distinctam habebat. Putassetis enim esse illum mororum fiscinam.

ANTIQVISSIMVS liber ita habet. ᾠήθη ποτὲ δ᾽ ἂν αὐτὸν εἶναι συκαμίνων κάλαθον: nihil tamen variaui. Vetus quoq; tralatio magna ex parte eandem lectionem sequitur: in hoc tantum ab illa discedit, quod videtur ᾠήθητο suo in exemplari scriptum habuisse. ipse sane aut ᾠήθητε, aut ᾠήθης legerem: putassetis illum, & quae sequuntur, aut diuerso numero, si ad vnum sermo dirigatur, putasses. Ὑπώπιον sugillatum Latino verbo appellarunt, quo tamen Cicero vsus non est: Graecum enim vsurpat: rem ipsam, & vnde potius saepe gigneretur, significare voluit, cum in » libro vij. in Verrem inquit. Ex mulierum morsu vestigia libidinis atq; nequitiae. ὑπωπιασμένος igitur, qui multis huiuscemodi notis vultum distinctum habet: siue e verberibus etiam plagisq; maculae illae sint: nam Aristophanes quoq; Εἰρήνῃ ciuitates ὑπωπιασμένας vocat, male acceptas in bello, & in quarum facie vestigia veterum plagarum apparerent. Τάλαρον alio nomine Grae» ci calathum appellarunt: vnde factum est, vt in diuersis libris, altero hoc verbo idem vas » appellaretur. Latini, vt arbitror, fiscinam. Pro L. Flacco. Homini enim Phrygi, qui » arborem fici numquam vidisset, fiscinam ficorum obiecisti: neq; tamen συκάμινον ficum significare dico: sunt enim συκάμινα mora. Hunc autem colorem illa inducere, noto etiam Vir» gilij carmine planum est. Sanguineis frontem moris, & tempora pingit. Eodem pacto lusit maledicus quidam Athenis in potentissimum, fortunatissimumq; hominem L. Syllam: qui etiam numerum adhibuit acutae voci, qua morum illum esse, farina respersum, significauit. Συκάμινόν ἐσθ᾽ ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον: crebri namq; rubores candidam ipsius faciem variabant.

Ἐρυθρὸν γάρ τι τὸ ὑπώπιον.

Rubrum enim quoddam sugillatum est.

EST enim (inquit) rubrum quiddam sugillatum, qui color in moris quoq; est: hoc autem cum tradat, declarat translationem in ea voce inclusam fuisse: dixerat enim hyperbolas summe laudatas esse translationes. Cicero certe, cum in primo libro epistolarum ad Atticum inquit. » Auli F. vero ita se gerit, vt eius consulatus, consulatus non sit, sed Magni nostri ὑπώπιον, μεταφορικῶς locutus est: maculam enim intellexit, & labem, quae Cn. Magno aspergebatur ex facinoribus Afranij consulis: ipse enim totis suis opibus, reliquis autem omnibus inuitis, Afranium in amplissimum eum locum perduxerat.

Ἀλλὰ τὸ πολὺ σφόδρα.

Sed valde multum.

QVOMODO ex translatione hyperbole facta sit, docet. verum quia modus (inquit) seruatus non est, & incredibilis quaedam multitudo macularum ea oratione exposita est, translationis nomen amisit, & hyperbole coepta est appellari.

Τὸ δὲ, ὥσπερ τὸ καὶ τὸ, ὑπερβολὴ, τῇ λέξει διαφέρουσα.

Illud autem, quemadmodum hoc & hoc, hyperbole est, quae locutione tantũ differt.

Ex imaginibus etiam hyperbolas fieri docet: cum enim ὥσπερ τὸ καὶ τὸ dixit, imagines (nisi fallor) significauit: ita autem ipsas conformari apertum est. nam quod τὸ bis posuit, imagines omnes, ita conflatas, intelligi voluit, quaecunq; alicui in mentem venirent: neq; enim illae deesse possunt: ipse autem statim duo exempla, quibus paulo quoque antea vsus fuerat, huic rei ostendendae apta, posuit: consuetudo autem sermonis indefinita exempla: nec certae vlli rei addicta, hoc pacto indicat. Sic etiam locutus est hoc ipso in libro infra, vbi Gorgiae consilium rationemq; aperit: qui aiebat numquam sibi orationem defuturam: ad extremum enim posuit. ἢ τὰ καὶ τὰ ποιεῖ. ipse supra, pluribus exemplis allatis & Graecorum, & Latinorum scriptorum, de hoc disputaui. Imaginem igitur omnem esse dicit hyperbolen, quae locutionis tantum forma ab ipsa discrepat. rem autem ita se habere exemplis confirmat: imaginibus enim superioribus allatis, parua immutatione facta, ex ipsis conformat hyperbolas. Hoc etiam neminem ignorare volo (inquit) imagines esse hyperbolas: non omnino quidem illas: verba enim aliquantulum variata sunt: non tamen varietas ea tanta, vt non facile illae eaedem esse intelligantur: sublatis namque ijs, quae propria imaginum sunt: hyperbolis statim sua species redditur.

Ὥσπερ Φιλάμμων ξυγομαχῶν τῷ Κωρύκῳ.

Quemadmodum Philammon concertans cum Coryco.

VTITVR superioribus imaginum exemplis, vt declaret modo dicendi differre hyperbolas ab imaginibus: nec non quomodo conformari possint hyperbolae, educiq; ex collationibus, docet. Constat autem ita conformatam, imaginem esse.

Ὠιήθητ' ἂν αὐτὸν Φιλάμμωνα εἶναι, μαχόμενον τῷ Κωρύκῳ.

Putassetis ipsum Philammonem esse, pugnantem cum Coryco.

SIC pronuntiata, nec translatio, nec imago est, sed hyperbole: si forte praesentes rixae (inquit) adfuissetis, putassetis ipsum Philammonem esse, cum Coryco concertantem. Eodem pacto Virgilius rem extulit. - credas innare reuulsas Cycladas. Antiquissimus liber hic ᾤηθεις vnitatis numero habet: in alijs vero nonnullis, ᾠήθη δ' ἄν. Minores autem fuerint contentiones, de quibus loquebatur, necessarium videtur: quas cum augere vellet, atrocibus illis similes esse dixit: quibus maiores paene nullae dici aut excogitari poterant: hanc enim in hoc exemplo hyperbolen esse puto.

Ὥσπερ σέλινον, οὖλα τὰ σκέλη φορεῖν: ᾤηθην δὲ οὐ σκέλη, ἀλλὰ σέλινα ἔχειν, οὕτως οὖλα.

Tamquam apium leuia gerere crura. Putaui autem non crura, sed apia habere, adeo leuia habet.

HOC quoq; imaginis exemplum est: cuius sententia supra explanata. in verbis hoc tantum discrimen est, quod hic indefinito tempore φορεῖν protulit, cum supra tertiam personam id verbum referat, & indicandi modo positum sit. Statim autem eadem ratione, qua supra, ex ea hyperbolen conformauit: cuius hyperboles prima pars hic quoq; variata est, atq; in diuersis libris aliter legitur: antiquissimus enim habet ᾤηθησαν: in quibusdam autem legitur ᾤηθη.

Εἰσὶ δὲ ὑπερβολαὶ, μειρακιώδεις: σφοδρότητα γὰρ δηλοῦσιν.

Sunt autem hyperbolae pueriles: motum enim vehementiorem animi declarant.

HYPERBOLAE autẽ (inquit) pueriles sunt, & illi aetati praecipue conueniunt: vehementẽ enim quendam animi motũ ostendunt, quales in pueris, qui vehementes in vtranq; partẽ nimis sunt, inueniuntur. In scriptis omnibus libris σφοδρότητα legi, cum in excusis antea σφοδρότερον legeretur: vetus quoq; tralatio hanc lectionem sequitur. quare, veram eam iudicans, recepi.

Διὸ ὀργιζόμενοι λέγουσι μάλιστα. Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε, κόνις τε.

Qua de causa irati maxime ita loquuntur. Neque si mihi tot dilargiretur, quot arena, & tellus.

VNDE (inquit) qui commotum animum valde habent, iraq; perciti sunt, incredibilia huiusce modi multa efferre solent, atque hyperbolas in primis dicere, eam ob causam, quod ita animo affecti sunt. Id autem ipse exemplo Achillis demonstrat, qui Agamemnoni iratus, muneraq; eius reijciens, cũ legatis ab eo missis in hac sententia locutus est: Nec si mihi etiam, quaecunq; arena maris, terraq; occuluntur, dilargitus fuerit, animum meum placabit: sibiq; restituet. Versus autem non nulli apud poëtam interiecti sunt inter hunc, cuius sententiam expressi, & eos, qui hic ipsum sequuntur, quos reliquit Aristoteles, & ad aliam infra hyperbolem transijt. Hoc etiam admonere volo. in cunctis, quos vidi scriptis libris secunda persona hic legi δοίης: aliter atq; apud poëtam ipsum: lectionemq; hanc, veterem item tralationem sequi: potest enim verbis inde sumptis aliquis ita cum quopiam loqui, ac sensum animi sui obstinati indicare: quod tam commode in consequente sententia fieri non potest.

Κούρην δ' οὐ γαμέω Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο, Οὐδ' εἰ χρυσείῃ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι: Ἔργα δ' Ἀθηναίῃ.

Filiam autem Agamemnonis vxorem non capiam, neque etiam, si cum aurea Venere de pulchritudine contendat: operibus autem manuum cum Minerua.

VT munera oblata respuit, ita etiam condicionem matrimonij Achilles repudiauit, cum regis nomine filiam ipsius oratores illi polliciti essent: negauit enim se eam ducturum vxorem, quamuis specie corporis ac pulchritudine cum Venere certare posset: industria autem artibusq; muliebribus, cum Minerua. quae ratio loquendi omnem modum, veritatemq; excedit: neq; enim mortalis quisquam immortali naturae par est vlla in re. Tertium autem huius sententiae versum, vt in scriptis codicibus inueni, dimidiatum posui, cum excusi antea illum integrum haberent.

Χρῶνται δὲ μάλιστα τούτῳ οἱ Ἀττικοὶ ῥήτορες.

Vtuntur autem hoc maxime Attici oratores.

VT leues, hic Atticos oratores accusare videtur, qui in dicendo puerilem hanc rationem, nimis augendi aut minuendi rem, frequentent: quomodo enim non criminatur illos, si, quod pueris in vsu esse solet, eos praeter alios facere ostendit? Interposita autem hic sententia haec est de studio Atticorum oratorum: quae enim adiungit, superioribus respondent.

Διὸ πρεσβυτέρῳ λέγειν, ἀπρεπές.

Quapropter seniorem ipsas vsurpare, indecorum est.

QVOD puerile est, nullo modo senibus conuenire potest: magnopere igitur illi cauere debent, ne hyperbolis vtantur: nec enim in ea aetate excusationem res habet.

Δεῖ δὲ μὴ λεληθέναι, ὅτι ἄλλη ἑκάστῳ γένει ἁρμόττει λέξις.

Minime autem opus est nos fallere, aliam singulis generibus congruere locutionem.

ALIVD nunc aggreditur docere: diuersa scilicet dicendi genera, diuersam orationem requirere: nec vnum eundemq; stylum omnibus conuenire. quae etiam res bono oratori cognita esse debet, vt variatis causis, longe aliud & ipse genus dicendi sumat.

Οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ γραφικὴ καὶ ἀγωνιστική: οὐδὲ δημηγορικὴ καὶ δικανική.

Non enim eadem est idonea scribendo, & forensibus concertationibus: neque etiam contionalis & iudicialis.

DOCET vtilem admodum ac necessariam hanc praeceptionem esse: neque enim eadem est (inquit) locutio, qua orationes domi scribunt, aliudue quid, quod postea in manus sumptum, legatur: quaq; in forensibus studijs, ceterisq; contentionibus vtuntur: neq; eandem dictionem deliberatiuum genus (quod quia in contionibus de rep. Athenienses deliberabant, contionale

 appellat)

appellat) ac iudiciale requirit. γραφικὴ igitur locutio est apta rebus scribendis, monimentisque litterarum tradendis: ἀγωνιστικὴ vero actioni accommodata: qua, cum inflammato animo sunt, aut inflammare auditores volunt, oratores vtuntur.

Ἀμφω δὲ ἀνάγκη εἰδέναι: τὸ μὲν γάρ ἐστιν, ἑλληνίζειν ἐπίστασθαι: τὸ δέ, μὴ ἀναγκάζεσθαι κατασιωπᾶν, ἄν τι βούληται μεταδοῦναι τοῖς ἄλλοις.

Ambo autem necesse est tenere: alterum enim est scire vti Graeco sermone: alterum vero non cogi silere, si quis voluerit participem aliquem facere suar. cogitationum.

Qvi aliquo in numero esse volunt (inquit) ambo scire ac cognoscere debent: neq; enim alterum sine altero magnum aliquem fructum ferre posset. Intelligit autem & γραφικὴν & ἀγωνιστικὴν locutionem. seiunctae namque illae sunt, & altera, sine altera manet: cum enim inquit. τὸ μὲν γάρ ἐστιν ἑλληνίζειν ἐπίστασθαι, significauit ἀγωνιστικὴν: vtilem scilicet forensibus pugnis contentionibusq; locutionem: quam in recta solum ratione Graeci sermonis positam vult: neque enim exquisitam compositionem requirit: cuiusmodi sermo est, quo subito vti in re aliqua exponenda consueuimus: verum sat est, si ea, quae ad ἑλληνισμὸν pertinent, seruata fuerint: neque enim ferri vllo modo posset, qui contra illa peccaret: supra autem ipsa accurate tradita sunt. qui autem facultate hac caret, is omnino ea lingua vti nescit, vt qui scribendi rationem ignorat, nequit, siqua vult scribendo alijs impertiri: neq; certiores, quae sua aut illorum interesse illos scire existimarit, absentes amicos facere, sed silere cogitur: hoc enim ad alteram partem pertinet: significatq; orationem γραφικὴν. non valet autem hic κατασιωπᾶν, quod saepe apud bonos auctores, silentium fieri iubere, sed ipsum silentio aliquid praeterire ac tacere.

Ὅπερ πάσχουσιν, οἱ μὴ ἐπιστάμενοι γράφειν.

Quo laborant, qui scribere nesciunt.

Qvo in statu (inquit) condicioneq; sunt, qui scribendi rationem non tenent: cum enim hac facultate, laudeq; careant, necessario coguntur tacere: nec vlla ratione valent scriptis animi sui sensum alijs aperire.

Ἔστι δὲ λέξις, γραφικὴ μέν, ἡ ἀκριβεστάτη: ἀγωνιστικὴ δέ, ἡ ὑποκριτικωτάτη.

Est autem locutio, apta quidem scribendo, quae maxime exquisita est: concertationibus autem, quae potissimum expetitur a fabularum actoribus.

Dictio apta scriptionibus est (inquit) quae exquisitissima est: nihil enim otiosum, ac negligens in scriptis inueniri debet, sed omnia perfecta & absoluta: contra autem iudicijs, certaminibusque apta, quam ἀγωνιστικὴν vocant, illa est, quae actionem excitat. ὑποκριτικὴν ipsam vocant, quod hanc in primis persequantur histriones: & in ea maxime artem, studiumque suum ostentent.

Ταύτης δὲ δύο εἴδη: ἡ μὲν γάρ, ἠθική: ἡ δέ, παθητική.

Huius autem duae species: vna enim ipsarum moralis: altera vero excitandis animi motibus accommodata.

Hypocriticae huius orationis partes duas esse dicit: quarum altera naturas & mores effingit, quam ἠθικὴν vocant: altera, quae commotionum plena est, & quomodo affectus animo sit, qui dicit, ostendit. παθητικὴν vocant. De his duobus generibus accurate disseruit Cicero in libro de Oratore.

Διὸ καὶ οἱ ὑποκριταὶ τὰ τοιαῦτα τῶν δραμάτων διώκουσι.

Quapropter actores huiuscemodi fabulas sectantur.

Histriones, qui, quibus in rebus studium suum eluceat, optime intelligunt, fabulas eas hac de causa sectari dicit, in quibus concitata omnia & perturbata sunt: nec non quibus mores certarum personarum subtiliter exprimuntur: τὰ τοιαῦτα enim cum inquit & moratas & patheticas fabulas intellexit: quamuis enim histrionum ars magis in motibus animi turbidis reddendis valeat, mores tamen quoque actione effinguntur. Cum autem videret magis in affectibus exprimendis actionem requiri, quã in moribus indicandis, hanc partem, quae praecipua ipsius est, vt solam, illi videtur tribuere. Demetrius, qui quamuis de officio arteq; histrionum tunc consulto nõ ageret, tamen non negligenter de hac re disseruit, inquit. πᾶν δὲ τὸ ἀπαθὲς ἀνυπόκριτον: quasi

quasi ostendens, irritum esse studium histrionum, nec posse quicquam efficere in oratione, quae vehemens incensaq; non esset, & ad perturbandos animos accommodata. Esse autem non fabulas solum aliquas, sed paene poëtas totos morales, testimonio doctissimi hominis confirmari
» potest: apud Nonium enim Varronis Parmenone haec verba leguntur. In argumentis, Cae-
» cilius poscit palmam: in ethesin, Terentius: in sermonibus, Plautus. Nec tamen moralem appello, qui de moribus disserat, praeceptaq; vtilia vitae regendae tradat, sed qui mores omnium aetatum, ac fortunarum, in personis, quas inducit, egregie oratione exprimat.

Καὶ οἱ ποιηταὶ τοιοῦτοι.

Et poëtae ipsi tales.

POETAE quoq; ipsi sectantur huiuscemodi histriones, qui naturis moribusq; hominum voce gestuq; corporis exprimendis: nec non animorum affectibus indicandis, apti valde sunt: studium enim suum artificio illorum commendari multum posse intelligunt: morum enim affectuumq; diligens expressio poëmatis ipsius splendor ac virtus est.

Βαστάζονται δὲ οἱ ἀναγνωστικοί. οἷον Χαιρήμων: ἀκριβὴς γάρ, ὥσπερ λογογράφος.

Probantur autem, qui placent, cum leguntur. veluti Chaeremon: exquisitus enim, vt qui domi orationes scribunt.

Ἀναγνωστικοὺς (vt arbitror) appellat poëtas, qui non in scena tantum placebant, quantum cum domi legerentur, & accurate considerarentur: poëtas autem appello scripta poëtarum, vt cum Terentium saepe dicimus, fabulas Terentij intelligimus. Sic autem Demetrius quoq;, de disso-
» luta oratione agens, locutus est. Διὰ τοῦτο καὶ Μένανδρον ὑποκρίνονται, λελυμένον ἐν τοῖς πλείοσι:
» Φιλήμονα δὲ ἀναγινώσκουσιν. Significat autem hic (nisi fallor) βαστάζονται, probantur: βαστάσαι enim quoq; δοκιμάσαι significare, veteres grammatici testantur: siue in manibus gestantur. cuiusmodi vero intelligat, ostendere volens, addit. vt Chaeremon. Causam autem, cur probetur, afferens, inquit: exquisitus enim est absolutusq;, vt qui orationes scribunt, esse consuerunt: quod supra quoque tradiderat.

Καὶ Λικύμνιος τῶν διθυραμβοποιῶν.

Et Licymnius e numero dithyrambicorum.

LICYMNII, vt sophistae, alias meminit, & qui libros de arte dicendi scripsisset: nunc vero eiusdem mentionem facere videtur, vt poëtae, e genere eorum, qui dithyrambici vocarentur: quorum erat stylus sublimis ac tumidus: nec tamen scripsisse ipsum lyricum carmen puto, sed potius ita nunc appellatum, vt qui formam dicendi grandem & excelsam, assimilemq; locutioni horum poëtarum, sectaretur: quod affirmat etiam Halicarnasseus, qui & Gorgiam, & hunc ipsum Licymnium, & Polum, tradit tumido atque elato stylo delectatos, vt quaedam non valde
» dissimili oratione dicerent, atque vtuntur hi ipsi poëtae. Δηλοῖ δὲ τοῦτο Γοργίας τε ὁ Λεοντῖνος, ἐν
» πολλοῖς πάνυ φορτικήν τε καὶ ὑπέρογκον ποιῶν τὴν κατασκευήν, καὶ οὐ πόῤῥω διθυράμβων ἔνια φθεγγόμενος. In ea enim sententia exponenda verbis Platonis vsus est, qui increpantem seipsum Socratem in Phaedro eadem finxit proferre.

Καὶ παραβαλλόμενοι οἱ μὲν τῶν γραφικῶν ἐν τοῖς ἀγῶσι, στενοὶ φαίνονται: οἱ δὲ τῶν ῥητόρων, εὖ λεχθέντες, ἰδιωτικοὶ ἐν ταῖς χερσίν.

Et collatae inter se orationes horum, hae quidem illorum, qui domi scribunt, in forensibus contentionibus angustae videntur: oratorum autem, rectae habitae, cum in manibus sunt, humiles vulgaresq; existimantur.

INTELLIGO λόγοι. orationes inquam scriptae, & orationes in foro, aut in contione habitae, si inter se comparantur, huiuscemodi inueniuntur: domi enim scriptae, atque in foro postea, contentionibusq;, quos ἀγῶνας vocant, recitatae, humiles, angustaeq; videntur. contra actorum orationes, quae dictae etiā magnopere placuerunt, exceptae ac litteris mandatae, atq; ita sumptae postea in manus, vulgares tenuesq; videntur: vt sermo multitudinis esse solet. Discrepat hic vero antiquissimus liber ab excusis: γραφῶν enim habet, non vt illi, γραφικῶν: eam quoque manifesto lectionem sequitur vetus tralatio: intelligit autem (vt puto) quos λογογράφους & ipse alibi: & multi auctores vocarunt: qui, vt legantur illae postea, orationes scribunt. ῥήτορας vero qui in foro versantur, & in senatu etiam copiose ornateque sententias dicunt. ἰδιωτικοὺς λόγους

videri

videri inquit: idest similes illis orationibus, quas imperiti dicerent. quos vt Latini externo verbo, ita Graeci suo, ἰδιώτας appellant. Intelligit autem ab artificio omni vacuas. Perturbatior videtur antiquissimus codex hac parte: nec omnino mendo carere: ita enim habet. οἱ δὲ τῶν ῥητόρων ἢ τῶν λεχθέντων. Sed alij etiam sunt scripti codices, in quibus patrio multitudinis casu extremum verbum legatur: quo etiam casu ipsum vetus tralatio exprimit. cum variauerim nihil, volui tamen hoc notum facere.

Αἴτιον δ', ὅτι ἐν τῷ ἀγῶνι ἁρμόττει.

Causa autem huius est, quod in forensi contentione id congruit.

HOC ad habitas summa cum laude orationes pertinet: rationem enim reddit, cur scriptae illae postea, diligenterq; consideratae, non respondeant hominum iudicio, quod antea de illis fecerant. Causa autem (inquit) huius rei est, quod multae res, quae in editis orationibus displicent, illic congruunt: idest in contentionibus, & actione denique ipsa.

Διὸ καὶ τὰ ὑποκριτικά, ἀφῃρημένης τῆς ὑποκρίσεως, οὐ ποιοῦντα τὸ αὑτῶν ἔργον, φαίνεται εὐήθη. οἷον τὰ ἀσύνδετα.

Quapropter scripta, quae actioni accommodata sunt, cum actione carent, minime munus suum obeuntia, putantur esse fatua atque insulsa. cuiusmodi sunt partes orationis dissolutae.

ET haec causa est (inquit) cur illa, quorum vis omnis in actione posita est: cur loca inquam quaedam, quae actionem praecipue mouent, actione sublata, cum munere suo non fungantur, insulsa ac frigida videntur. vt sunt (inquit) quae ἀσύνδετα vocant, idest dissoluta, & nullis copulis sustentata. ἀσύνδετα autem, & διαλελυμένα idem significare, apertum est. Demetrius, qui omnem hunc locum copiosius persecutus est, totam rem accurate tradit. nam inde etiam factum narrat, quod Menandrum comicum, qui magna in parte suarum fabularum dissolutus esset, in scena potius recitarent, quam domi legerent: verba ipsius paulo supra a me posita sunt. Sed idem etiam dissolutionem ὑποκριτικὸν esse, & studio histrionum egere, ostendere volens, versiculo veteris poëtae vtitur, è quo cunctae copulae exemptae sunt: affirmat enim, qui eum proferre velit, cogi inuitum etiam voce, ac gestu rem adiuuare: quod aliunde non proficiscatur, nisi a dissolutione illa, & coniunctionum omnium eiectione.

Καὶ τὸ, πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν, ἐν τῇ γραφικῇ, ὀρθῶς ἀποδοκιμάζεται: ἐν δὲ ἀγωνιστικῇ, καὶ οἱ ῥήτορες χρῶνται.

Et saepe idem dicere in oratione, idonea scriptioni, recte improbatur: in ea vero, quae conuenit contentionibus, & oratores ipsa vtuntur.

DE his agit, quae alicui generi congruunt: ab alio autem aliena sunt. cuius generis etiam est eandem sententiam iterare ac crebro repetere: cum enim in orationibus, quae scribuntur, vt edantur: huiuscemodiq; omni locutione, hoc non sine causa damnetur, in ea dictione, quae contentionibus exprimendis accommodata est: quaque vtuntur, quum quasi cum aduersario manus contulerunt, locum habet, & oratores hoc, qui veras causas agunt, frequentant. Hunc autem locum, valde in excusis codicibus deprauatum, correxi, secutus fidem antiquissimi libri, in quo ita, ne minima quidem varietate, legitur. Planum autem est, vt excusi antea habebant, ἀποδεικτικῇ nullum hic idoneum sensum habere: mirifice autem conuenire, si ἀγωνιστικῇ scribatur: supra enim locutionem partitus in eam, quae rebus scribendis: monumentisq; litterarum mandandis, apta esset: & in eam, quae studijs oratorum concertationibusq; exprimendis seruiret posteriorem hanc eodem nomine vocarat. quare, in eadem diuisione manens, quod nunc praecipit, tradit ab ea alienum esse: huic autem quadrare, & vsu quoq; receptum esse. Confirmat etiam hanc lectionem Aquila quidam rhetor, qui libellum confecit de figuris verborum ac sententiarum: vbi enim παλιλογίαν explicat, docere volens ipsam, non ad ornandam tantum orationē, sed ad pugnam dicendi accendendam, vt loquitur, valere, testimonio summi huius do
» ctoris vtitur, dicens. Ideoque & Aristoteli & iteratio ipsa verborum ac nominum, & repeti-
» tio frequentior, & omnis huiusmodi motus actioni magis & certamini, quam stylo videtur
» conuenire. qua de re in iij. rhetoricarum libro artium disserit: actionem enim & certamen di-
» cens, ἀγωνιστικὴν λέξιν exprimere voluit: vt stylum appellans, γραφικὴν. Sed etiam motum (nisi fallor) vocauit, quam Graeci magistri huius artis μεταβολὴν. hunc autem manifesto ille locum intellexit, quem in manibus habemus. Est praeterea aliud in optimo illo exemplari, cuius

vestigium

vestigium non apparet in reliquis libris: ὃ namq; post restitutum a me verbum, illic legitur, quod si verum est, valet, quo ipso in loco ac parte actionum suarum & oratores hanc repetitionem sententiarum vsurpant. cum autem id non receperim (reddit enim structuram orationis duriorem, ac sine illo pulcherrime sententia manet) quin tamen id admonerem, omittere nolui, praesertim cum in libro illo inuenerim, a quo adiutus, superiorem tam turpem maculam hinc deleui.

Ἔστι γὰρ ὑποκριτικά.

Sunt enim accommodata studio histrionum.

Et hunc locum corruptum emendaui: excusi enim antea, vnitatis numero, muliebri genere ὑποκριτική habebant: cum multitudinis in antiquissimo libro, neutroq; genere, legatur: Intelligit autem dissoluta membra, & nullis copulis illigata: nec non earundem, de qua nunc disserebat, iterationem: quae omnia ὑποκριτικὰ esse inquit. idest gestum mouere: actionemq; secum trahere, vt requirant operam ac studium histrionum, ac sine illo inania frigidaq; videantur.

Ἀνάγκη δὲ μεταβάλλειν τὸ αὐτὸ λέγοντας· ὅπερ ὥσπερ ὁδοποιεῖ τῷ ὑποκρίνεσθαι.

Necesse autem est immutari eos, qui idem dicunt, quae quidem res quasi viam muniit ad actionem.

Necesse (inquit) est variare distinguereq; orationem, eos; qui idem dicunt: nec aliter vllo modo facere possunt: variare autem & sono vocis, & gestu corporis immutato: rebusq; ijs omnibus, quae sensus animi nostri patefaciunt: & alijs etiam non nullis rationibus, quae distinguendae orationi adhibentur: de quibus etiam disseruit erudite copioseq; Halicarnasseus in libro de compositione verborum. easdem autem (vt opinor) intellexit Isocrates in libro, quem scripsit ad Philippum Macedonem: cum intelligere se ostenderet, quot quantisq; rebus inferiores essent, quae legerentur, illis orationibus, quae agerentur, auribusq; acciperentur. destitutae autem illis, quae optimae sunt, mediocres viderentur: inquit enim. ἐπειδὰν γὰρ ὁ λόγος ἀποστερηθῇ τῆς τε δόξης τοῦ λέγοντος, καὶ τῆς φωνῆς, καὶ τῶν μεταβολῶν, τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις γιγνομένων: & quae sequuntur. Hoc igitur quasi viam munire dicit & aditum patefacere actioni. De vi vero Graeci verbi, ὁδοποιεῖν, quod & elegans est, & ab hoc saepe vsurpatur, antea disputaui: mendose tamen hic prius τὸ ὑποκρίνεσθαι legebatur, cum τῷ dandi casu manifesto legi debeat. Quod confirmat & antiquissimus liber, & vetus tralatio. Iisdem etiam auctoritatibus ductus, quod hic ab excusis aberat, ὥσπερ, restitui: id autem, quam vim habeat, & quantopere hic aptum sit, facile omnes videre possunt: significat enim speciem illius rei praebet, & tamquam id efficit, si non vere omnino pleneq; praestat: quemadmodum etiam infra, vbi prooemij naturam similibus quibusdam explanat: addit enim cuncta illa initia esse, atque οἷον ὁδοποίησις: adhibentur namque hae particulae translationi molliendae, quae durior visa fuerit.

Οὗτός ἐστιν, ὁ κλέψας ὑμῶν· οὗτός ἐστιν, ὁ ἐξαπατήσας· οὗτος, ὁ τὸ ἔσχατον προδοῦναι ἐπιχειρήσας.

Hic est, qui vos compilauit: hic est, qui decepit: hic est postremum, qui hostibus prodere conatus est.

Vnde acceptum hoc exemplum sit, ostendere non possum: nec nomen auctoris proferre. sententia verborum aperta est: idem enim repetitur. dicta autem sunt commoto admodum animo: quod declarant etiam figurae, quae propriae sunt formae eius dicendi, quae vocatur σφοδρότης. intelligo autem ἀσύνδετον, δεικτικόν, ἐπαναφοράν. quare aptum exemplum sunt orationis, quae adiuuat studium histrionis, quod crebras mutationes in ea pronuntianda gignantur. Hic est, qui vos expilauit: hic, qui decepit: hic, qui postremum prodere vos hostibus temptauit.

Οἷον καὶ Φιλήμων ὁ ὑποκριτὴς ἐποίει, ἔν τε τῇ Ἀναξανδρίδου γεροντομανίᾳ· ὅτε λέγει Ῥαδάμανθυς καὶ Παλαμήδης.

Quale etiam Philemon histrio faciebat in Anaxandridis Gerontomania, vbi loquitur Rhadamanthys & Palamedes.

Philemon comicus poëta fuit, valde nobilis, non tamen hunc, sed histrionē quendam intelligit eodem nomine appellatum: ille enim hoc, quod praecipit Aristoteles, semper faciebat, & in Anaxandridis fabula, quam γεροντομανίαν vocabant, quod in ea (vt puto) insani stultique senes inducebantur, & in prologo piorum: εὐσεβεῖς enim, id est pij, alterius fabulae inscriptio erat.

Locum

Locum etiam, vbi potissimum huiuscemodi quiddam exprimere soleret in gerontomania, demonstrat, hoc pacto: quando verba faciunt Rhadamanthys ac Palamedes. Huius vero fabulae mentionem fecit Athenaeus in xiiij. libro δειπνοσοφιστῶν: qui sermonem etiam in ea habitum de Rhadamanthy, & Palamede docet, vt inuentoribus facetiarum. sed verba haec etiam poëtae ipsius adducit. καίτοι πολύν πονοῦμεν τὸν ἀσύμβολον, εὗρε γελοῖα λέγειν Ραδάμανθυς, καὶ Παλαμήδης. Antiquissimus liber, non ὑποκριτής, vt excusi, sed ὑποκριτικὸς habet: quam lectionem sequitur quoq; vetus tralatio.

Καὶ ἐν τῷ προλόγῳ τῶν εὐσεβῶν, τὸ ἐγώ.

Et in prologo Euseborum illud, Ego.

Locvm indicat in prima parte fabulae, quae εὐσεβεῖς inscripta erat, in quo hoc facere consuerat Philemon: illic enim inquit, vbi illud ἐγὼ saepe repetitum est, non malus actor fabularum Philemon artem suam exercebat: & in eadem sententia, paulum immutatis verbis prolata, diuersa voce ac gestu vtebatur: vt suspicor autem a pronomine eo sententia illa, pluries iterata, incipiebat: vt enim οὗτος, qui dicit, gestu ostendit aliquem: manumq; ad eum intendit, ita qui ἐγὼ inquit, se ipsum monstrat: amboq; haec pronomina conficiunt σχῆμα δεικτικόν. Nisi vero fallor, ornatus etiam ille, qui superius exemplum illustrat, inferius hoc quoq; exornabat: intelligo autem, quam relationem Latini, ἐπαναφορὰν Graeci vocant: pronomen enim οὗτος, in tribus deinceps membris primo loco positum, tamquam lumen id orationis gignit: sed tamen hoc nunc non spectat noster doctor. Cum vero fabula illa perierit, nec locus apud poëtam ipsum spectari possit, ab Aristoteleq;, quasi digito demonstratus sit, irritum hoc exemplum est.

Εὰν γάρ τις τὰ τοιαῦτα μὴ ὑποκρίνηται, γίνεται, ὁ τὴν δοκὸν φέρων.

Nisi enim aliquis huiuscemodi locos actione adiuuerit, fit, quod aiunt, qui trabem gestat.

Nisi enim (inquit) aliquis huiuscemodi locos voce, gestuq; corporis adiuuerit, aut ab histrione in scena recitari audierit, res frigida prorsus & insulsa fit: id enim prouerbium, quod adiungit, significare opinor, quod tamen nullo alio loco inuenire potui: cur autem tunc, qui huiuscemodi quippiam gereret, trabem portare diceretur, diuinare non ausim.

Καὶ τὰ ἀσύνδετα ὡσαύτως. Ἦλθον, ἀπήντησα, ἐδεόμην: ἀνάγκη γὰρ ὑποκρίνεσθαι.

Et ea, quae dissoluta sunt eodem pacto. Ueni, occurri, rogaui: necesse enim est in his motu corporis vti.

Vt loci, quos supra ostendit, operam histrionis requirunt, ita quae dissoluta sunt, & ab coniunctionibus vacua: quod ipse statim exemplo confirmat. Exemplum sane diuersum est: praeceptum idem, quod a Demetrio de hac re agente, affertur: de quo etiam ante disserui. Dissolutionem (inquit ille) in oratione aptam esse studio histrionum, exemplo hoc confirmatur. ἐδεξάμην, ἔτικτον, ἐκτρέφω φίλε: sic namq; solutum hoc, coget etiam nolentem aliquem se motu corporis actioneq; adiuuare: hanc enim vim habet, ac tamquam necessitatem imponit, sublatio illa coniunctionum, quae fulciunt orationem. Huius etiam rei exempla multa sumi possent ex orationibus Demosthenis, ac Ciceronis. cuiusmodi est hoc Graeci oratoris e libro contra Androtionem. ὁμοῦ μετοίκους, Ἀθηναίους: δέων, ἀπάγων, βοῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. Iulius quoq; Rufinianus in libello, quem confecit de figuris, exempla quaedam posuit huius schematis, quod noster quoque, vt magistri dicendi, vocat ἀσύνδετον, apud quem tamen mendose, vna littera, culpa librariorũ, mutata, legitur ἀσύνθετον: longe.n. alia oratio est, quae merito incomposita vocaretur.

Καὶ μὴ, ὡς ἓν λέγοντα, τῷ αὐτῷ ἤθει καὶ τόνῳ εἰπεῖν.

Et non, tamquam vnum edentem, eodem habitu animi & sono vocis dicere.

Forma illa sermonis studium histrionis postulat, nec recitari potest, quin gestu adiuuetur, quod ipse manifesto ostendit: necesse enim (inquit) est voce, vultu, omni denique motu corporis adiuuare, nec, vt vnum dicentem, eodem habitu animi, ac tono vocis vti.

Ἔτι ἔχει ἴδιόν τι τὰ ἀσύνδετα: ἐν ἴσῳ γὰρ χρόνῳ πολλὰ δοκεῖ εἰρῆσθαι.

Habent praeterea quiddam peculiare dissoluta: aequali enim parique tempore multa dici videntur.

HABENT praeterea (inquit) aliud peculiare quiddam, quae dissoluta sunt, nec copulis distincta; aequali enim tempore multa dici videntur: exiguo (inquam) illo, quod vni tantum rei exponendae satis est, plura videntur dici: quod non mediocre lucrum est dicentis: id autem cum errore quodam hominum fiat, quae origo sit huius fallaciae, ostendit.

Ὁ γὰρ σύνδεσμος ἓν ποιεῖ τὰ πολλά· ὥστε ἐὰν ἐξαιρεθῇ, δῆλον ὅτι τοὐναντίον ἔσται τὸ ἓν πολλά.

Coniunctio enim vnum reddit ea, quae multa sunt: quare si sublata fuerit, planum est contrarium effectum iri: quod vnum inquam est, multa.

COPVLAE enim (inquit) natura haec est, vt quae multa erant, vnum reddat. contra igitur, si exempta illa fuerit, perspicuum est, quod vnum antea erat, multa statim factum iri: contrariae namque res a contrarijs gigni solent: nulla autem hic re, nisi verborum ordine immutato, clariorem lectionem venioremq; reddidi: multum enim caliginis afferebat, sententiamq; huius loci valde perturbabat, aduerbium τοὐναντίον perperam consequenti sententiae adnexum.

Ἔχει οὖν αὔξησιν. Ἦλθον, διελέχθην, ἱκέτευσα, πολλά.

Habet igitur amplificationem. Veni, narraui, supplicaui, multa sunt.

HABET igitur (inquit) ratio haec, copularumq; sublatio, ea de causa vim augendi: si namque, quod vnum est, vt multa videantur facit, profecto amplificat rem: quod ipse exemplo quoque confirmat veteris scriptoris, qui tria verba praeterito tempore nullis coniunctionibus deuincta, posuit: quorum sententia erat. Veni, narraui, supplicaui. Hinc autem ablatas esse copulas, manifestum est: ἀσύνδετον ipse appellat. Nam hac ratione, quod dicitur, videri plura, testatur ipse: eamq; vnam ob causam hoc exemplum attulit.

Δοκεῖ δὲ ὑπερορᾶν ὅσα εἶπον, ὅσα φημί.

Videtur autem cuncta despicere, quae dixi, quae affirmo.

ALTERVM, quod idem valet, exemplum. Nam ὅσα εἶπον, ὅσα φημί, cum vnum sit, hac ratione plura videri, nemo est, quin perspiciat. Hic est, quem e communi lectione sensum elicio: quae tamen in scriptis quoque multis, non solum excusis, extat. nunc, quomodo legatur in antiquissimo libro, indicabo: extrema namque duo verba inde absunt, quae ne vetus quidem tralatio exprimit: nec particula etiam δὲ in eo posita est: sed in alijs quoque scriptis codicibus illa non inuenitur. verum etiam extremum superioris sententiae verbum huic parti adnexum habet: omnisq; hic denique locus ita apud eum legitur. πολλὰ δοκεῖ ὑπερορᾶν, ὅσα εἶπον· τοῦτο δὲ. & quae sequuntur: vt fortasse vnius scriptoris verba sint, quae superioribus, in quibus ipsis tantum exempli vis sit, haereant, ac totius loci intellectus hic fuerit. Conuento illo, totaque re ipsi exposita: sed precibus etiam adhibitis, visus est quaecunque cum eo egit, negligere. Vnus quisq; de tam incerta re, vt volet, existimet.

Τοῦτο δὲ βούλεται ποιεῖν καὶ Ὅμηρος ἐν τῷ. Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν. Νιρεὺς Ἀγλαΐης. Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος.

Hoc facere vult Homerus in eo loco. Nireus, qui e Symo. Nireus Aglaiae filius. Nireus, qui formosissimus.

HOC quoq; (inquit) Homeri consilium fuit, atq; idem efficere studuit: vt vnum scilicet plura viderentur, cum Nireum ornare volens, hac fallacia vsus est: idem namq; repetens, quod vnum erat, plura videri fecit, ac tenues res Nirei hac ratione auxit. Trium autem versuum initia hic, non integros illos posuit, qui apud poëtam in nauium catalogo leguntur. Hic etiam poëtae locus a Phalereo diligenter animaduersus, ac multum laudatus: qui non vnam tantum hanc figuram in eo adnotat, sed aliam etiam: continet enim geminam exornationem: ambae autem, cum ab Aristotele quoque rectius significatae sint, ab eo dilucide exponuntur: appellat enim ille & relationem ipsam: quae ad augendas res plurimum valet, & dissolutioná membrorum.

Περὶ οὗ γὰρ πολλὰ εἴρηται, ἀνάγκη καὶ πολλάκις εἰρῆσθαι. εἰ οὖν καὶ πολλάκις, καὶ πολλὰ δοκεῖ.

De quo enim multa dicta sunt, necesse est saepe dictum esse. si igitur & saepe, & multa videntur.

OMNEM

OMNEM dolum nunc detegit: &, vnde error oriatur, ostendit. Idem autem est, qui saepe mortales falli facit, & a vero abducit: quod putant consequutiones quasdam conuerti, quae naturam, vt conuertantur, non habent: fallacia enim hinc existit. De quo multa dicta sunt, necesse est non semel, sed saepe dictum sit. si igitur saepe dictũ est, multa etiam dicta esse videntur: quod tamen ne dum necessario consequatur, saepe falsum est: idem enim verbum locutioue, vt supra multis exemplis ostendit, alio, atq; alio sono vocis modoq; repeti potest. Antiquissimus liber hoc diuersum ab excusis habet, quod πολλὰ λέγεται in eo legitur.

Ὥστε ηὔξησεν, ἅπαξ μνησθείς, διὰ τὸν παραλογισμόν, καὶ μνήμην πεποίηκεν, οὐδαμοῦ ὕστερον αὐτοῦ λόγον ποιησάμενος.

Quapropter amplificauit, cum semel tantum eius meminisset, vi huius fallaciae, fecitque, vt in memoria restaret, & si nusquam postea ipsius mentionem vllam fecit.

QVARE (inquit) hac captione vsus Homerus, & Nireum, & ipsius res valde ornauit, cum semel tamen solum in praeclaro illo opere eius mentionem fecisset: tantam enim vim habuit hoc poëtae artificium, vt in memoria omnium Nirei nomen semper haeserit, quamuis de ipso postea verbum nusquam fecerit. Eadem sententia a Phalereo repetitur, qui addit, praesidio huius vafrae rationis, studiosos Homeri Nirei nomen non minus in animo insculptum habere, quam Achillis & Vlyssis, qui singulis paene versibus celebrantur.

Ἡ μὲν οὖν δημηγορικὴ λέξις, καὶ παντελῶς ἔοικε τῇ σκιαγραφίᾳ· ὅσῳ γὰρ ἂν πλείων ᾖ ὁ ὄχλος, πορρώτερον ἡ θέα.

Locutio igitur contionalis, penitus par, similisq; est vmbratili picturae: quanto enim maior fuerit turba, tanto longinquius spectatur.

NATVRAM contionalis dictionis exprimere cupiens, similem eam esse tradit picturae, quam vmbratilem vocant: Graeci σκιαγραφίαν dicebant: quanto namq; maior turba fuerit eorũ, quae descripta sunt, longinquius spectari possunt: minuta enim opera, nisi prope accedas, non cernas. Eadem ratio est huius locutionis: cuius vsus cum in maximo conuentu & frequentia hominum sit, minus illa minute exquisiteq; fieri debet. sed verba verbis ita coagmentare oportet, vt oratio crassior ac sonantior fiat: atque ita facilius ad aures auditorum, qui spatio loci remoti sunt, perueniat: quanto enim magis incondita crassaq; fuerit, tanto melius accipietur. ὄχλον vero hic non appellat turbam, quae in contione stat: loquitur enim nunc de pictura vmbratili: sed operum illorum molem, quamuis ὄχλος multitudo incondita ac vulgus vocetur. Vnde boni auctores διόχλῳ aliquid esse dixerunt, cum est peruagatum iam, & in ore vulgi.

Διὸ τὰ ἀκριβῆ περίεργα καὶ χείρω φαίνεται ἐν ἀμφοτέροις.

Quare quae exquisita sunt superuacanea, & deteriora in vtrisq; esse perspiciuntur.

QVARE (inquit) exquisita & affabre facta non requiruntur, sed inanem potius operam superuacaneamq; magistri declarant: nec tantum, περίεργα, sed etiam deteriora sunt, quam rudia illa, impolitaque ambabus in rebus. Superuacanea autem, quia non attenduntur: nec diligentia, qua confecta sunt, perspicitur: deteriora vero, quia minus ita efficiunt, quod volunt, & quod propositum esse debet vtriusq; artis.

Ἡ δὲ δίκη, ἀκριβεστέρα. ἔτι δὲ μᾶλλον ἡ ἐνὶ κριτῇ: ἐλάχιστον γάρ ἐστιν ἐν ῥητορικοῖς.

Iudiciale autem genus exquisitius est. adhuc autem magis dictio, quae ad vnum existimatorem habetur: minimum enim illic est, quod subsidiis artis dicendi iuuari possit.

IVDICIALE genus ac forensis dictio, exquisitior esse debet: multo namq; minor iudicum numerus est, quam contionis: magis adhuc exquisita, quae ad vnum iudicem habetur: cuius rei statim ipse caussam affert: qui enim (inquit) ad vnum iudicem dicunt, paruam facultatem habent vtendi adminiculis artis: idest a caussa discedere non valde possunt: nec quae excogitarunt oratores, vt iudicibus imponerent, vsurpare: neq; enim hae res fructum aliquem hic ipsis ferrent. De hac re questus etiam Cicero est, cum pro Deiotaro apud Caesarem dictatorem diceret: his verbis. » Moueor etiam loci ipsius insolentia: quod tantam caussam, quanta nulla vmquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conuentum, & eam » frequentiam, in qua oratorum studia niti solent: studia enim oratorum appellauit (vt arbitror) τὰ ῥητορικά: & secum male agi significauit, quod locum parum idoneum caussae illi agendae haberet:

beret: idem (vt opinor) intellexit, cum in iiij. libro Tusculanarum inquit. De quibus dici non est necesse, ne rhetorum aperiamus mysteria: vtile est enim vti motu animi, qui vti ratione non potest: mysteria enim appellat, quia in se illa oratores continebant: &, ne suspecta actio eorum esset, ac fidem amitteret, tecta alijs esse volebant.

Εὐσυνόπτον γὰρ μᾶλλον τὸ οἰκεῖον τοῦ πράγματος, καὶ τὸ ἀλλότριον: καὶ ὁ ἀγὼν ἄπεστιν, ὥστε καθαρὰ ἡ κρίσις.

Facilius namq; perspicitur, quod suum propriumq; est rei, & quod alienum: & contentio abest. quare integra puraque est existimatio.

Facilius enim (inquit) si apud vnum, paucosue iudices dicas, perspici potest, quod suum ac rei proprium est, & quod alienum. eripitur igitur omnis facultas oratori iudicium deprauandi: intelliguntur enim artes ipsius: nec non contentiones illae, iactationesq; oratorum illic locum non habent. vera igitur iudicia fiunt, incorruptaq;: omni labe, fraudeq; remota, quae corrumpere animos iudicum solent.

Διὸ οὐχ οἱ αὐτοὶ ἐν πᾶσι τούτοις εὐδοκιμοῦσι ῥήτορες, ἀλλ' ὅπου μάλιστα ὑποκρίσεως, ἐνταῦθα ἥκιστα ἀκρίβεια ἔνι.

Quapropter non ijdem oratores in omnibus his laudem adipiscuntur, sed vbi maxime requiritur actio, illic minime locum habet exquisita oratio.

Et haec causa est (inquit) cur non omnes oratores in omnibus diuersis generibus summa cum laude versantur: vbi enim actionem valde res requirit, locum illic exquisita & accurata dictio non habet: incondita namq; magis, & commoto animo prolata postulat actio, atq; in illis se iactare ac vires suas exercere potest: diligenti vero structura exquisitaq; impeditur. Oratores igitur, qui ita dicunt, placere in eo genere non possunt: illud autem, ἀλλ' ὅπου μάλιστα ὑποκρίσεως, plenum non videtur: intelligi enim debet aliquid, quod sententiam perficiat, vbi actione in primis opus est.

Τοῦτο δέ, ὅπου φωνῆς: καὶ μάλιστα, ὅπου μεγάλης.

Hoc autem, vbi voce: & maxime, vbi magna.

Actio (inquit) requiritur, vbi voce opus est: in primisq; vbi magna: nam non omnes etiam fabulas eadem voce indigere, significauit Cicero in j. libro de Officijs: vnde alij histriones, huic fabulae: alij, alij magis accommodati erant.

Ἡ μὲν οὖν ἐπιδεικτικὴ λέξις, γραφικωτάτη.

Demonstratiua igitur locutio maxime apta est ad scribendum.

Totum hunc locum expressit, siue potius exprimere voluit, Quintilianus, qui iudicium etiam auctoris interpretatur, & qua de causa putet eum ita censuisse exponit. verbis igitur ipsius antea hic positis, an ille aberret a sententia philosophi, considerabimus. In libro v. Namq; Aristoteles idoneam maxime ad scribendum demonstratiuam, proximamq; ab ea iudicialem putauit: videlicet quoniam prior illa, tota esset ostentationis: haec secunda, egeret artis vel ad fallendum, si ita poposcisset vtilitas: consilia fide, prudentiaq; constarent. Non videtur autem optimus doctor dictionem, demonstratiui generis propriam, maxime aptam dicere ad scribendum, quoniam tota ostentationis sit. sed, quia orationes illae scribebantur, vt legerentur, sumptaeq; postea in manus, diligenter perpenderentur. sed neque iudicialem secundum locum tenere voluit, quia egeret artis ad fallendum: sed quoniam haberentur ad paucos iudices, & aliquando etiam ad singulos, vt siquid in illa negligens foret, inconditeq; compositum, non lateret: sed ab illis, non omnino rudibus hominibus, animaduerti sedato animo, perspiciq; commode posset. quod cũ in contionibus non contingeret (cum imperita enim illic multitudine res erat: in conuentuq; hominum turbulentorum orationes illae habebantur) ideo postremum locum huic generi assignat: minimeq; omnium has exquisitas subtilesq; esse vult: non ea de causa, qua ipse existimauit: sermo autem auctoris hic est de exquisita magis aut minus oratione: non de ornatu splendoreq; ipsius, vt Quintilianus videtur accepisse.

Τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἀνάγνωσις.

Officium enim ipsius est lectio.

SCRIBVNTVR enim (inquit) hae, vt in manibus habeantur leganturq;: quare omnibus orationis virtutibus refertae debent eſſe: reliquae alium finem habent. ἔργον autem appellat officium, & cui rei maxime ſeruit: vt cum ſupra dixit ὑποκριτικά, ſpoliata actione, munere ſuo non fungi: quod ereptum ipſis, cui inuentae factaeq; erant, foret. verbi vero ἀνάγνωσις notio aperta eſt: vnde ſupra poëtas quoſdam, quod cum legerentur, placerent, ac tunc maxime virtus eorum eniteſceret, ἀναγνωστικοὺς vocauit. Hinc autem intelligitur ſine cauſa Hieronymum peripateticum accuſaſſe Iſocratem: cum enim fateretur orationes ipſius pulchre legi, nec tantum illum ornatum verborum ac ſententiarum huic rei quicquam officere, non tamen in contione ſublata voce ſonoq;, & adhibita actione eaſdem poſſe recitari, non debuit hoc illi vitio dare atq; eo nomine politum ſcriptorem reprehendere: ſi namq; ille ſatisfecit ei rei, cui inuentae orationes hae ſunt, laudandus potius quam vituperandus fuit: intelligitur autem hoc manifeſto teſtimonio Ariſtotelis: illud vero iure optimo ab ipſo requiri expectariq; non potuit: verius namq;, ſi id perſecutus fuiſſet, culpa non caruiſſet. quod cum ille optimus magiſter eius artis intelligeret, ſcriberetq; orationes ſuas, vt otioſe legerentur, non vt in conuentu hominum dicerentur, vt ipſe met multis locis declarat, magno conſilio declinauit, & orbem illum comprehenſionum, ſplendoremq; verborum ac ſententiarum captauit, qui orationem expolirent, nec copia etiam officium ipſius impedirent. Sed parum ille philoſophus aequus fuit gloriae Iſocratis, quod teſtimonio etiam Ciceronis intelligimus: ac dum ſuſceptas a maioribus inimicitias exercere voluit, non vidit ſe a iudicio principis ſuae familiae diſſentire. Verba autem ipſius adducuntur ab Halicarnaſſeo in vita Iſocratis.

Δευτέρα δὲ ἡ δικανική.

Secunda autem eſt iudicialis.

SECVNDVM exquiſitae orationis gradum habere dicit iudicialem elocutionem: intelligens quod ſupra indicaui: nam tertium poſtremumq; contionalem, & quae ad inconditam turbam plebemq; haberetur: de qua primo diſputauit.

Τὸ δὲ προσδιαιρεῖσθαι τὴν λέξιν, ὅτι ἡδεῖαν δεῖ, καὶ μεγαλοπρεπῆ, περίεργον.

Diuidere praeterea locutionem, dicendo oportere eam eſſe iucundam, et magnificam, ſuperuacaneum eſt.

QVIA non nulli rhetores inueniebantur, qui his diuiſionibus non contenti, alias minime neceſſarias afferrent, eos nunc accuſat, & inanem laborem ſuſcipere docet: velle enim (inquit) praeter ea, quae ad orationem pertinentia tradita ſunt, noua quaedam praecipere, affirmareque oationem ſuauem ac magnificam eſſe debere, ſuperuacaneum eſt.

Τί γὰρ μᾶλλον ἢ σώφρονα, καὶ ἐλευθέριον; καὶ εἴτις ἄλλη ἤθους ἀρετή.

Quid enim magis, quam temperantem, et liberalem? & ſiqua alia morum virtus eſt?

CVR enim (inquit) vna hac tantum virtute excolenda ſit? & non reliquis quoque omnibus, quae vitam ac mores ornant? cur (inquam) magis eam magnificam eſſe oportet, quam temperantem, liberalem, & ſi qua huiuſcemodi virtus eſt, quae plures ſane ſunt: acri autem hac interrogatione premit redarguitq; illos ea parte, qua aiebant orationem magnificam eſſe oportere: poſteriori enim primum parti occurrit: accurata namq; tota haec eſt, & vehemens contra illos diſputatio. Animaduertendum vero aliter hic capere ipſum, μεγαλοπρεπῆ locutionem, quam Demetrius faciat, qui amplam & grandem intellexit: ipſe namq;, quae virtutem magnificentiae reddat, ita vocauit.

Τὸ γὰρ ἡδεῖαν εἶναι ποιήσει δῆλον ὅτι τὰ εἰρημένα: εἴπερ ὀρθῶς ὥρισται ἡ ἀρετὴ τῆς λέξεως.

Iucundam enim eam profecto efficient, quae dicta ſunt, ſi quidem recte definita eſt virtus dictionis.

CVM alteram iam eorum ſententiam confutaſſet: alteram nunc (priorem inquam) aggreditur, ac docet ſuperuacaneam hac quoque parte praeceptionem ipſorum eſſe: quod ſeorſum dicerent, iucundam eam eſſe oportere: iucundam enim orationem efficient ea, quae ſupra explicata ſunt: niſi forte nos lapſi ſumus, cum, quae virtus eſſet locutionis, tradidimus: quod ſi vere id definiuimus, alia requirenda non ſunt, quae eam iucundam efficiant: iucunda enim abunde erit, cum illis non carebit. Diſcriminis hoc eſt in antiquiſs. libro: quem ſequitur etiam vetus tralatio, quod τὸ δὲ ipſe, non γὰρ habet: videtur tamen ſcriptura haec magis conuenire concitatiori

concitatiori huic sermoni, & grauiter vrgenti aduersarium: illa autem contra, formam potius quandam praeceptionis prae se fert.

Τίνος γὰρ ἕνεκα δεῖ σαφῆ, καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι, ἀλλὰ πρέπουσαν;

Cuius enim causa oportet eam planam, & non humilem esse, sed quae deceat rem?

QVOD enim consilium nostrum fuisse hi putant (inquit) & quo deniq; praecepta illa spectasse, cum diximus apertam orationem esse oportere: non tamen humilem, sed quae, quod deceat, seruet? Pertinet vero hoc manifesto ad refellendum, quod illi volebant, elocutionem esse μεγαλοπρεπῆ: docet enim, quae dilucida erit, nec nimis abiecta tenuisq;, sed medium in hac re decorumque custodierit, hoc quoque non desideraturam, sed habituram τὸ πρέπον: cui rei a se quoque prouisum sit.

Αν τε γὰρ ἀδολεσχῇ, οὐ σαφής: οὐδὲ αὖ σύντομος, ἀλλὰ δῆλον ὅτι τὸ μέσον ἁρμόττει.

Si namque garrula fuerit, non erit plana, neque concisa: manifestum enim est medium congruere.

DVAE, contrariae inter se res, idem incommodum gignunt: si enim loquaciter (inquit) multa complexa fuerit, aperta numquam erit: neque contra, si breuis nimis & concisa. sed nemini dubium esse potest, quin medium congruat: paucis autem verbis cuncta fere repetit, quae supra de virtute locutionis pluribus disputauit. πρέπουσαν vero vocat, quae dignitatem habeat: nec tenuis nimis humilisque: nec contra praeter modum elata sit. Duas hinc maculas deleui: in ambabus autem tollendis calamo exaratorum codicum praesidio vsus sum: vbi enim mendose legebatur, οὐδὲ ἂν συντόμον, ἀλλὰ δῆλον ὅτι τὸ μέσον ἁρμόττειν: & σύντομος recto casu: & ἁρμόττει instantis temporis persona tertia, emendaui.

Καὶ τὸ ἡδεῖαν τὰ εἰρημένα ποιήσει, ἂν εὖ μιχθῇ τὸ εἰωθὸς, καὶ ξενικὸν, καὶ ὁ ῥυθμὸς, καὶ τὸ πιθανὸν ἐκ τοῦ πρέποντος.

Et iucundam, quae dicta sunt efficient, si recte mixtum fuerit, quod in consuetudine est, & peregrinum, & numerus, & quod valet ad persuadendum, quia seruatum sit, quod decet.

SVAVEM autem (inquit) eam iucundamque efficient, quae tradita supra sunt: si mixta ex consuetudine multa fuerint: & non nulla praeterea a communi vsu sermonis remota, & quae peregrinitatem oleant: si numerus etiam insertus, & vis quaedam persuadendi fuerit: quae inde gignitur, quod id quod decet omnibus modis seruatum sit, & oratio illa dicenti accommodata: hoc enim non parum oblectare, intelligi licet, quia, quod decoro caret, iniucundum ac molestum est.

Περὶ μὲν οὖν τῆς λέξεως εἴρηται, καὶ κοινῇ περὶ ἁπάντων, καὶ ἰδίᾳ περὶ ἕκαστον γένος. λοιπὸν δὲ περὶ τάξεως εἰπεῖν.

De locutione igitur dictum est, & communiter de omnibus, & seorsum de vnoquoque genere. restat autem de ordine dicere.

QVOD ad elocutionem (inquit) pertinet, absoluimus (illa autem altera pars huius libri erat) nam & generatim de omni locutione disputauimus, seorsumq; de illis, quae huic, aut illi generi dicendi accommodatae sunt: quare ad alteram partem transibimus, ac de collocatione partium orationis accurate disseremus. Paucis igitur his verbis, & quid adhuc in hoc libro actum sit, repetit: & quod consequatur, dicendumq; restet, indicat.

Εστι δὲ τοῦ λόγου δύο μέρη: ἀναγκαῖον γὰρ τό, τε πρᾶγμα εἰπεῖν, περὶ οὗ: καὶ τοῦτ' ἀποδεῖξαι.

Sunt igitur duae partes orationis: necesse enim est, rem dicere, de qua: & tunc ipsam confirmare.

ORATIONIS autem (inquit) partes duae sunt: necesse enim est rem dicere, de qua lis & controuersia est: quod cum feceris, argumentis illam confirmare restat: nec alterum sine altero vllo

pacto esse potest. Discrepat hic antiquissimus liber a reliquis & scriptis, & excusis codicibus: vbi enim illi καὶ τότε habent, ipse καὶ τοῦτο: intelligitur autem ita manifesto πρᾶγμα: & hanc ipsam rem, quam exposueris, probare: vetus quoq; tralatio eam lectionem adiuuat: ex vtraq; tamen paene idem sensus elicitur.

Διὸ εἰπόντα, μὴ ἀποδεῖξαι: ἢ ἀποδεῖξαι μὴ προειπόντα, ἀδύνατον: ὅ τε γὰρ ἀποδεικνύων, τὶ ἀποδείκνυσι: καὶ ὁ προλέγων, ἕνεκα τοῦ ἀποδεῖξαι, προλέγει.

Quapropter cum dixeris, non confirmare: siue confirmare, cum prius non dixeris, exitum non habet: qui enim confirmat, aliquid confirmat: & qui prius exponit, vt confirmet, exponit.

QVARE (inquit) cum rem narraris, postea non confirmare: aut confirmare, nisi antea rem exposueris, & ratione caret, & praestari non potest: qui enim (ait) argumentis vtitur, quippiam confirmat: & qui rem antea exponit, vt postea confirmet, exponit. Haec ad verbum paene ex auctore expressa sunt. Dissentit autem ille a iudicio dicendi magistrorum hac in re: & breuior esse cogitat: multa, quae illi ponebant, amputans: ne temere autem hoc facere videatur, a primo ortu proficiscitur, & huius rei solum ac fundamentum, quod sit, docet. De ordine autem dispositioneque acturus, orationem in partes diuidit: ordo enim collocatioque partium est.

Τούτων δὲ, τὸ μὲν πρόθεσίς ἐστιν: τὸ δὲ, πίστις.

Horum autem vnum, propositio est: alterum autem, probatio.

HORVM autem (inquit) alterum propositio est: alterum vero probatio: vtrum ipsorum, propositio sit: vtrum, probatio, apertum est: qui enim rem dicit, manifesto proponit: qui argumentis vtitur, confirmat.

Ὥσπερ ἂν εἴ τις διέλοι ὅτι τὸ μὲν, πρόβλημα: τὸ δὲ, ἀπόδειξις.

Quemadmodum, si quis diuidat, tradens, hoc quidem, quaestionem esse: hoc autem, demonstrationem.

EADEM (quasi inquit) ratio est harum rerum: ac reliquarum artium, quae ita partiuntur: & alterum, quaestionem vocant: alterum, demonstrationem: respondet enim propositio, quaestioni: probatio vero, demonstrationi. vtraq; sane res valet ad aliquid confirmandum: distant tamen, quod in his, remissior est: in illis, exquisitior ratio faciendae fidei. πρόθεσιν quoque rhetores vocare consuerant partem orationis, quae exordium statim consequitur, ante quam narrationi opera detur: in qua, quae postea in rationibus argumentisq; adferendis dici deberent, antea exponerentur: eam autem Lysiam custodire solitum, docet Halicarnasseus, vt quandoque etiam omisso prooemio, illinc exorsus sit. ibi vero tamquam campus quidam μεθόριονque vtriusque formae posita erat: praeparabaturque ea auditor, docilisque ad consequentem orationem fiebat.

Νῦν δὲ διαιροῦσι γελοίως.

Nunc autem diuidunt ridicule.

IN rhetoras sui temporis inuehitur, qui partes orationis insulse, vt ipse declarat, diuidebant: nec tamen quomodo ipsi partiri soliti essent, exponit: percipitur tamen id ex ijs, quae contra illos accurate disputat. Plures autem, magnopereq; inter se discrepantes, fuerunt opiniones veterum magistrorum de hac re: quod testatus etiam Cicero est in secundo de Oratore his verbis.
» Vt eas item quattuor, quinque, sexue partes, vel etiam septem (quoniam aliter ab alijs digerun-
» tur) in quas est ab his omnis oratio distributa: nec ij tantum, qui aetate doctorem hunc nostrum antecesserunt, inter se dissensere, verum etiam qui consecuti sunt: nemo tamen paucioribus, quam ipse, contentus fuit: numerumue earum magis contraxit.

Διήγησις γὰρ πού τοῦ δικανικοῦ λόγου μόνου ἐστίν: ἐπιδεικτικοῦ δὲ καὶ δημηγορικοῦ πῶς ἐνδέχεται εἶναι διήγησιν, οἵαν λέγουσιν.

Narratio enim iudicialis tantum orationis est: demonstratiuae autem, & deliberatiuae quomodo vsu venire potest, vt sit narratio, qualem ipsi dicunt.

NON

NON ſe habet (inquit) res, vt illi opinantur: qui narrationem partem eſſe volunt orationis, vt exordium, vt perorationem: quomodo enim pars eſſe poteſt, quae communis non eſt omnium dicendi generum? ſed illius ſolum, quod iudiciale appellant. demonſtratiui enim, ac deliberatiui, qualem ipſi volunt, nullo modo narratio eſſe poteſt. οἵαν λέγουσιν enim intelligo, cuiuſmodi narrationem illi fingunt. Non negat igitur narrari aliquid in demonſtrandi etiam genere, deliberandiq; Ariſtoteles: id enim prorſus falſum fuiſſet, ſed non recipere genera illa narrationem, quam magiſtri illi dicendi fingebant: iubebant enim rhetores, quos inſimulat, certo quodam loco ac poſt prooemium collocari narrationem: in genere namque demonſtratiuo non ita res, quae laudem aut vituperationem alicui afferant, narrari infra docebit, ſed per totam orationem ſpargi narrationem: in deliberandi vero nullum eiuſmodi narrationis vſum eſſe, ſed interdum alia ratione, diuerſaq; de cauſa quippiam narrari. Iſocratem, & qui ab eo diſciplinam acceperant, in partibus orationis poſuiſſe narrationem, teſtimonio etiam Halicarnaſſei cognoſcimus: ipſe namq; in vita Lyſiae, qui praecipue ſe doctorem illum in diuiſione ipſa partium orationis ſequi oſtendit, ita partitur.

Ἢ τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον.

Siue ea, quae contra aduerſarium.

ITA priſci rhetores partem orationis appellarunt. Quintilianus, vt infra oſtendemus, refutationem vocat: eam autem Ariſtoteles eadem de cauſa non recipit: neque enim communis eſt omnium generum, ſed iudicialis ſolius: quomodo enim locum in deliberatiua oratione habere poſſunt, quae contra aduerſarium dicuntur? non enim argumenta illic aduerſariorum confutantur, ſed publica vtilitas quaeritur: a demonſtratiuo autem eadem illa prorſus aliena ſunt.

Ἢ ἐπίλογον τῶν ἀποδεικτικῶν.

Siue perorationem demonſtratiuarum.

PERORATIONEM etiam inter partes orationis numerari eadem de cauſa non debere affirmat, quod in demonſtratiuo genere nullus vſus ipſius ſit: neque oporteat vllo pacto repetere cuncta, quibus vita alicuius honeſta, aut turpis demonſtrata eſt: ἀποδεικτικὰ namq; hic valere arbitror, quae ſumpta ſunt ad virtutes meritaq;: ſiue contra ad vitia factaq; improba declaranda. quod ſedulo fit in his orationibus: ἀπόδειξις enim quoq; harum rerum dicitur, vt in Panathenaico non ſemel hoc verbo vſus eſt Iſocrates: quo ipſo in libro ad extremum diſertus ſcriptor teſtatus eſt, non conuenire eius generis, cuius illa erat, orationibus, enumerationem.
» περὶ μὲν οὖν, ὧν ὑπεθέμην, ἱκανῶς εἰρῆσθαι νομίζω· τὸ γὰρ ἀναμιμνήσκειν καθ᾽ ἕκαστον τῶν εἰρημένων οὐ πρέπει τοῖς λό-
» γοις τοῖς τοιούτοις: laudari autem ipſa, Athenienſes: vituperariq; Lacedaemonios, conſtat.

Προοίμιον δὲ καὶ ἀντιπαραβολὴ, καὶ ἐπάνοδος, ἐν ταῖς δημηγορίαις τότε γίνεται, ὅταν ἀντιλογία ᾖ.

Prooemium autem, & mutua congreſſio, et reuerſio in contionibus tunc exiſtunt, cum illic fuerit contraria diſputatio.

SED ne hae quoque partes (inquit) quas illi communes omnium, neceſſariaſq; eſſe putant, in deliberationibus ſemper requiruntur: ſed tunc ſolum, cum inter eos, qui ſententias dicunt, controuerſia quaedam exoritur, & alter alterius vitam, fidemq; criminatur: nam ſaepenumero apud ſenatum, aut multitudinem, cum ſententiae dicuntur, contingit accuſare improbum ciuem, & inutilia ſuadentẽ, & innocentiam ſuam integritatemq; tueri. Verum, non vt in deliberatione, & quia deliberatio ſit, ea aguntur: quod ſupra etiam ipſe declarauit, vbi, quae contra aduerſarium diſputantur, aliena eſſe a deliberationibus, docuit. ἐπάνοδον vero in vſu fuiſſe veterum teſtatur etiam Hermogenes: &, quid ſignificare illo ſoliti ſint, oſtendit: capite enim περὶ
» μεθόδου δεινότητος inquit. τὴν δὲ ἀνακεφαλαίωσιν, καλοῦσιν ἐπάνοδον. partem igitur perorationis, qua res antea copioſius tractatae breui repetuntur, ita appellabant. priore autem intelligebant ſuarum, cum aduerſarij argumentationibus, collationem.

Καὶ γὰρ ἡ κατηγορία καὶ ἡ ἀπολογία πολλάκις, ἀλλ᾽ οὐχ ᾗ συμβουλή.

Etenim accuſatio & defenſio ſaepe inuenitur, ſed non ea ratione, qua deliberatio eſt.

CVM conſtet verſari ſaepenumero in deliberando accuſationem defenſionemque, nemo dubitare poteſt, quin contentio quoque illic inueniatur: vnde partes hae, alienae natura ab hoc

genere, tunc vsurpantur. Existunt autem in deliberatione inter eos, qui contraria suadent, & accusatio & defensio: verum non vt deliberatio tunc illa tractatur. quare ex accidenti ipsae tunc habentur: non enim aptae sunt ad deliberationes, sed iudicia constituunt, in quibus sua vi cum aduersario pugna concertatioq; committitur, non forte, vt illic, existit. Receptam hanc lectionem probo, quamuis in calamo exaratis codicibus legatur ἡ συμβουλὴ, articulo nominandi casu posito. quid vero valeat hic ᾗ, explicaui. Ita autem loquitur philosophus, cum aliquid tale, quale dicitur, ceteris rebus, quae ipsi haerent, non animaduersis, significare vult, vt cum ait. φρόνιμος ᾗ φρόνιμος: & μεγαλόψυχος ᾗ μεγαλόψυχος: hi enim & vt ita animo affecti, ponderari possunt, & vt alijs non nullis rebus, quae nihil ad habitus illos faciant, praediti: quod etiam alijs in rebus vsu venit.

Ἀλλ᾽ ὁ ἐπίλογος ἔτι οὐδὲ δικανικοῦ παντός. οἷον ἐὰν μικρὸς ὁ λόγος, ἢ τὸ πρᾶγμα εὐμνημόνευτον.

Sed peroratio praeterea non est omnis iudicialis, ceu si pusilla fuerit oratio, & res talis, vt facile memoria mandetur.

HIC antea in excusis libris mendosus locus erat: ita enim legebatur. ἀλλ᾽ ὁ ἐπίλογος: ἔτι δὲ οὐδέ. lectionem, quam restitui, in omnibus calamo exaratis inueni, ac veram prorsus puto. eius sententia haec est. ostenderat iam prooemium: collationem illam argumentorum: enumerationem, iudiciorum propria esse: in quo genere versatur assidua contentio cum aduersarijs, & certa accusatio ac defensio. in deliberationibus vero, cum inter eos, qui consilium dabant, existerent personarum insectationes: nunc rem augens, & quam falsa sit eorum opinio, magis declarans, affirmat, ne perorationem quidem semper necessariam esse in iudicijs, vt in pusillis orationibus: nec enim, quae paulo ante dicta sunt, elabi iam e memoria potuere: & cum res ipsa nullo negotio memoria retinetur, vt nulla opus sit repetitione. quibus omnibus rebus manifesto declarauit, non esse in vniuersum orationis partes, quas ipsi prisci rhetores tribuebant: hae enim verae propriaeque partes, sine quibus totum manere non potest.

Συμβαίνει γὰρ τοῦ μήκους ἀφαιρεῖσθαι.

E longitudine enim demi aliquid solet.

IN excusis antea libris ἀφαιρουμένου legebatur: ἀφαιρεῖσθαι scribi volui, quia in manu scriptis ita legi: sed vestigia quoq; ipsius in vetere tralatione extant. Quod ad sententiam pertinet, hanc vim puto esse horum verborum, vt doceat eos stulte admodum facturos, qui partem aliquam dempserint e pusilla oratione: multa enim tollebant, qui in perorando, quae pluribus dicta fuerant, paucis enumerabant: contingit enim (inquit) e longa magnaq; re partem abscindere: e pusilla, nullo modo. quare liquido intelligitur ob eam causam locum in exiguis orationibus non habere perorationem.

Ἀναγκαῖα ἄρα μόρια πρόθεσις, καὶ πίστις.

Necessariae igitur partes sunt, propositio, & probatio.

ITA interpungi orationem, & scribi totum hunc locum, debere arbitror: nam in excusis antea εἶναι, non ἄρα, perperam legebatur: scripti tamen omnes, quos vidi, hanc lectionem retinent: conclusio autem est totius disputationis. Confutatis igitur (inquit) sententijs rhetorum, explosisq; eorum erroribus, sequitur iudicium nostrum verum esse, qui necessarias tantum partes diximus, propositionem ac probationem.

Ἴδια μὲν οὖν ταῦτα: τὰ δὲ πλεῖστα, προοίμιον, πρόθεσις, πίστις, ἐπίλογος.

Propriae igitur hae: plurimae autem, prooemium, propositio, probatio, peroratio.

PROPRIAE sane (inquit) veraeque partes hae duae sunt: qui vero plures facere volunt, numerum harum transire non debent. quattuor autem appellat: superioribus namque duabus adiungit, vtraque ex parte, & quae quasi latera earum cingant, exordium ac perorationem. Veteres vero dicendi magistri prooemium sequi volebant narrationem, quam cum auctor inter partes nullo modo ponendam esse censeat, sedem illam propositioni assignat. De iudicio Aristotelis, & omni denique hoc loco his verbis agit Quintilianus: sumpta autem illa sunt e libro iij. quo in loco de partibus causarum iudicialium disputat. Hoc quoque idem aliquatenus nouat, quod prooemio non narrationem subiungit, sed propositionem. Verum id facit,

quia propositio est genus: narratio species videtur, & hac, non semper: illa, semper, & vbique credit opus esse.

Τὰ γὰρ πρὸς τὸν ἀντίδικον, τῶν πίστεών ἐστι.

Quae namque contra aduersarium adferuntur, partes sunt probationum.

CONTRA hanc sententiam argumentatur eodem loco Quintilianus, & iudicium Aristotelis non sequitur: antecedunt vero haec supra posita a me verba. Tamen neq; ijs assentior, qui detrahunt refutationem, tamquam probationi subiectã, vt Aristoteles: haec enim est, quae constituat: illa, quae destruat. Manifesto autem hic intelligitur, appellare Quintilianum τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον, refutationem. Quod autem, cur ab eius sententia discedat, rationem reddens inquit. Haec enim est, quae constituat, illa quae destruat: πίστιν ipse constituere, confirmareque vult: τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον vero, destruere, & argumenta aduersarij refellere. Qua de causa cum diuersa eorum munera sint, alteram alterius partem habendam non putat: falso tamen & imperite ita sensit, vt qui prorsus videatur nescisse, non minus, quae refellunt, quam quae confirmant argumenta, probationes esse, vt Aristoteles, & in superiore libro, & alijs etiam locis declarauit. Rem autem ita se habere, si disserendi artem non didicerat, ex Partitionibus etiam Ciceronis potuit animaduertere: qui, cum filius dixisset. Nempe ea sequuntur, quae ad faciendam fidem pertinent, ait, Ita est: quae quidem in confirmationem, & in reprehensionem diuiduntur. nam in confirmando, nostra probare volumus: in reprehendendo, redarguere contraria.

Καὶ ἡ ἀντιπαραβολὴ αὔξησις τῶν αὑτοῦ: ὥστε μέρος τι τῶν πίστεων: ἀποδείκνυσι γάρ τι ὁ ποιῶν τοῦτο.

Et mutua collatio amplificatio est suarum rerum: quapropter pars quaedam est probationum: confirmat enim aliquid, qui hoc facit.

HAEC etiam probationis pars est: qui enim ea vtitur, res suas auget: neque enim alia de causa hoc facit, nisi vt suas argumentationes augeat: aduersariorum minuat. Cum idem igitur, quod iam probatum est, amplificet: adiuuetq; illius fidem, & ipsa probationum illarum pars est, quod affirmat addens: constituit enim omnino aliquid, qui hoc facit: idest qui, quae iam probata sunt, amplificat: nã supra etiam amplificationem inter probationũ genera collocauit.

Ἀλλ' οὐ τὸ προοίμιον, οὐδ' ὁ ἐπίλογος, ἀλλ' ἀναμιμνήσκει.

Sed neque prooemium, neque peroratio, sed in memoriam redigit.

EXORDIVM autem (inquit) & peroratio hanc vim non habent, nec rem vmquam confirmant: sed posterius ipsorum tantum repetit antea exposita, & in memoriam auditorum redigit: quare probationum pars haberi non possunt. recte igitur haec retinuimus: illa reiecimus, & inclusa in primis illis esse iudicauimus: iudicium enim hic suum confirmat Aristoteles, & quod nouauit, non sine summo consilio se nouasse ostendit. Perorationem autem, vt prisci illi, nunc capit, qui enumerationis vim tantum eam habere putabant: nam ipse, cum partes illius esse velit & amplificationem & collationem argumentorum, probandi quoque ipsi facultatem vsumque relinquit.

Ἔσται οὖν, ἄν τις τὰ τοιαῦτα διαιρῇ, ὅπερ ἐποίουν οἱ περὶ Θεόδωρον, διήγησις ἕτερον, καὶ ἐπιδιήγησις, καὶ προδιήγησις, καὶ ἔλεγχος, καὶ ἐπεξέλεγχος.

Erit igitur, si aliquis huiuscemodi diuiserit, quod faciebant, qui Theodori sectam sequebantur, narratio aliud, & supranarratio, & praenarratio: & confutatio, & supra confutatio.

MINVTAM nimis, & superuacaneam diligentiam non nullorum reprehendit, qui cum nihil noui attulissent, tamen noua nomina fingebant. Quod ad partes igitur (inquit) orationis pertinet, quid sentiremus, ostendimus: nam alij, in primisq; Theodorus, ille Byzantius, multo plures faciebat: non nulla autem nomina ponit, quibus ille orationem minutissime conciderit: nam alia etiam idem excogitarat, vt ostendit eruditissimus scriptor in Phaedro: ipse enim quoq;, has ineptias contemnens, inquit. καὶ πίστωσιν οἶμαι, καὶ ἐπιπίστωσιν, τόν γε βέλτιστον λογοδαίδαλον Βυζάντιον ἄνδρα: Τὸν χρυσὸν λέγεις Θεόδωρον. Τί μήν. καὶ ἔλεγχόν γε καὶ ἐπεξέλεγχον, ὡς ποιητέον ἐν κατηγορίᾳ, καὶ ἀπολογίᾳ. Corrupte tamen antea hic in excusis ἐπέλεγχος legebatur: calamo exaratos tamen ἐπεξέλεγχος habere animaduerti.

Δεῖ δὲ εἶδος τι λέγοντα, καὶ διαφοράν, ὄνομα τίθεσθαι.

Concessum autem est, vt qui formam aliquam dicit, & rem ab alijs discrepantem, nomen ipsi imponat.

HOC contra minutos non nullos, nimisq; exquisitos magistros dictum est, nec sine stomacho quoq;, vt apparet, qui inanem laborem caperent, & in minutissimis rebus ingenia contererent. oportet enim (inquit) noua nomina ponere, si nouam aliquam rem, nec antea ab alijs vmquam animaduersam, afferas. Quod si, (vt Theodorus fecit) eidem rei plura nomina imposueris, contemnere, & inane tuum studium, puerileq; exagitabitur. Εἶδος vero idem hic intelligit, quod intellexit in libro, quem de sophisticis elenchis scripsit, cum ait. ὥσπερ γὰρ ἡ ἐν ἀγῶνι ἀδικία, εἶδος τι ἔχει, καὶ ἔστιν ἀδικομαχία τις, οὕτως. & quae sequuntur: rem enim [illegible] naturam aliquam significat, quae sua quadam, & ab alijs diiuncta definitione, compre[illegible]. διαφορὰν, autem, idest rem, quae ab alijs discrepet, neq; eandem cum illis naturam habeat. Hoc ipso verbo eodem intellectu vsus est in libro περὶ ἑρμηνείας, cum de natura verbi disputaret: ait enim. τῇ δὲ διαφορᾷ ὄνομα οὐ κεῖται. nam eruditus etiam eius libri interpres Hammonius, locum illum declarans, inquit. διαφορὰν καλεῖ τὴν ἑτερότητα τοῦ ἀορίστου ῥήματος πρὸς τὸ ὡρισμένον. Illic autem nouum nomen merito requirebatur, quo distingueretur indefinitum verbum a definito: vt in iij. etiam libro de moribus ad Nicomachum, vbi aptius esse putat eum, qui improbe aliquid facit: nec tamen paenitet ipsum postea fecisse, cum diuersus sit ab eo, qui facto illo angitur, quamuis ambo sponte non fecerint, diuerso nomine appellare, dicens. ἐπεὶ γὰρ διαφέρει, βέλτιον ὄνομα ἔχειν ἴδιον: diuersae enim res sunt, ac diuersam vim habent. quare diuersis quoq; nominibus ostendi debebant: quod tamen negligentia hominum praetermissum fuerat. Theodorus contra, quum minime oporteret, ac res eaedem essent, nihilq; inter se discreparent, nomina, morose nimis, imponebat.

Εἰ δὲ μή, γίνεται κενὸν, καὶ ληρῶδες.

Si non, inane studium est, & nugatorium.

NON est cunctandum (inquit) cum forma aliqua adfertur, resq; dicitur, quae ab alijs differat, noua nomina imponere: sin vero hoc non est, totum negotium inane, & nugatorium habendum est: & omnis deniq; curiosi illius hominis minuta industria explodi debet.

Οἷον Λικύμνιος ποιεῖ ἐν τῇ τέχνῃ, ἐπέρωσιν ὀνομάζων, καὶ ἀποπλάνησιν, καὶ ὄζους.

Cuiusmodi Licymnius facit in arte, qui nominat haec irruptionem, & aberrationem, & ramos.

IN quam culpam (inquit) maxime Licymnius incidit in arte, quam scripsit: multa enim nomina nullo modo necessaria finxit: ex omnibus autem (vt puto) libris haec tam vetusta, & inutilia nomina exciderunt. Nam quod in excusis ἐπέρρωσιν hic legebatur, in calamo exaratis quibusdam, ἐπέρχεσιν scriptum esse animaduerti: in antiquissimo vero libro, quem secutus sum, ἐπέρωσιν. De veritate scripturae, & omnium horum nominum vi, origineque nihil certi, quod afferam, habeo. Ἀποπλάνησις ab eo appellata fuisse videtur, digressio: cum orator scilicet errat ac vagatur, longe discedens a proposita materia. Ὄζοι, qui translato ab arboribus nomine, in oratione vocati ab ipso forent, non possum diuinare: ab eadem certe re καρποὶ sumpti sunt, ita dictae olim quaedam formae argumentorum, siue ornatus orationis, nisi mendum est apud Ciceronem in primo libro epistolarum ad Atticum. quod non puto, cum in fidelissimo exemplari ita legatur: & vnde omnes, qui excusi postea sunt, fluxere. inuentum autem cunctarum, quae nunc extant, M. Tullij epistolarum volumen fuit, studio & diligentia Francisci Petrarcae, viri optimi, &, summi suo in genere, poëtae, vbi minime, vt narrat, putasset, cum multas prius bibliothecas frustra scrutatus esset. seruatur autem modo, quem ipse inde sua manu diligenter descripsit, in Medicea bibliotheca. Huiuscemodi quaedam nomina, artem dicendi adiuuantia, edit, inductus ab Aristophane νεφέλαις Socrates: quae tamen & ipsa nunc obsoleuerunt.

Τὸ μὲν οὖν προοίμιον, ἐστὶν ἀρχὴ λόγου: ὅπερ ἐν ποιήσει, πρόλογος, καὶ ἐν αὐλήσει, προαύλιον.

Prooemium igitur est principium orationis, quale in poësi prologus, & in cantu tibicinum, proaulium.

RELICTIS aliorum ineptijs, ad ea, quae ipse decreuit, reuertitur, & singulas partes orationis accurate

accurate pertractat: indeq;, vnde orationis ipsius principium ducitur, initium sumit. ab exordio (inquam) quod hac in re eandem rationem habere dicit, quam in fabulis poëtarum prologus: in tibicinis studio id, quod προαύλιον vocant. De hac re agens in iiij. libro Quintilianus Graecum prooemij nomen valde celebrauit: & rei, quam valet, exprimendae, mirum in modum aptum esse significauit. Quae autem, de hoc disserens, scripsit, cum pauca non sint, ac sine vllo negotio apud auctorem inueniantur, hic non adponam.

Πάντα γὰρ ἀρχαὶ ταῦτ᾽ εἰσί.

Cuncta enim haec principia sunt.

CVM principium orationis, exordium esse dixisset: idemq; diuersa in re illud praestare, quod in studio poëtarum fabulisque prologus: in arte tibicinis cantilenisque illis, quas νόμους vocabant, προαύλιον, quod dixerat, confirmat: ostendens qua nam in re conueniat ipsi cum rebus illis: affirmatq; cuncta haec principia esse. Vnde Cicero saepe, cum prooemium intelligat, commune multarum rerum nomen vsurpans, principium appellat. Plato in iiij. libro de legibus, cum magnam vim habere ad mores emendandos, auctoritatemq; legibus acquirendam prooemia legum, quae appellat, docere vellet, paene idem, quod hic Aristoteles, tradidit: omnium namque orationum, vt aliarum etiam rerum, quae vocis participes sunt, dixit prooemia inueniri, & tamquam commotiones aliquas, quae non vacanté arte aggressionem quandam habeant: multum quidem illam valentem ad id, quod confici & ad exitum perduci debeat: vnde cum id in citharoedorum artis νόμοις, omnique parte musices inueniatur, prooemiaq; earum rerum admirabiliter conflata iam sint, miratur quod nemo verorum νόμων legumq; nulla principia composuerit: nec tamen varia haec diuersarum rerum principia nominibus distinguit, vt Aristoteles facit, sed orationum proprio vocabulo cuncta appellat. In alijs autem sermonibus hoc diligenter seruat. locus expressus non longe ab extremo libri positus est.

Καὶ οἷον ὁδοποίησις τῷ ἐπιόντι.

Et tamquam viae munitio illi, qui eo contendat atque irrumpat.

PRIORIS nominis vim notam esse arbitror: initio enim primi libri, quid valeat ὁδοποιεῖν, declaraui. Videtur autem Cicero in ij. libro de Oratore hoc nomen expressisse, cum de pluribus
» muneribus prooemij disserens, inquit: aut aditum ad causam & munitionem principium habere: posterioris vero nominis naturam hanc esse existimo, vt cum viae munitionem illa dixerit, munitionem significarit ei, qui illac iter facere velit, & quasi incurrere: de incursu enim militum, & impetu, quem faciunt subito in agrum hostilem, dici hoc verbum solitum est: illi enim quoque iter patefactum, si per difficilia & aspera loca transeundum est, requirunt. Ari-
» stoteles ipse in ij. de rep. οἱ δὲ ἔχοντες, ἀμύνειν οὐ δυνήσονται τοὺς ἐπιόντας. Demosthenes in prima Olyn
» thiaca, de Philippo rege loquens. ἀλλ᾽ ὡς ἐπιὼν ἅπαντα τότε ἤλπιζε τὰ πράγματα ἀναιρήσεσθαι.

Τὸ μὲν οὖν προαύλιον ὅμοιον τῷ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοιμίῳ.

Proaulium igitur est simile prooemio demonstratiuarum orationum,

NON vnam quoque, eandemq; naturam exordia habent in cunctis generibus dicendi, vt ipse nunc manifesto declarat: cum enim exordia cuncta, & prologis fabularum, & illis, quae ante legitimum sonum a tibicine canuntur, similia sint, tamen haec magis huic rei: haec illi paria, similiaque sunt, vt demonstratiui exordia cantui illi tibicinum cum inflant, seq; ad legitimum sonum, atque auditores praeparant. In sermone, quem inscripsit Phaedrum Plato in simili ex-
» ponendo hoc nomen vsurpauit. καὶ γὰρ νῦν μοι ἔδοξε ὥσπερ τοῦ τῆς Ἀθηνᾶς νόμου προαύλιον σομαυλῆσαι. Cicero vero in ij. de Oratore, cum ex Antonij persona de prooemijs disputans, inquit. Conne-
» xum autem ita sit principium consequenti orationi, vt non tamquam citharoedi prooemium,
» affictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur, προαύλιον (vt puto) expressit. quod si ille de iudiciali genere sermo non fuisset: praeceptaq; ea cuncta genera spectassent, non parum Cicero peccasset, qui, quod cuidam generi dicendi valde accommodatum est, ab omnibus remouisset: auctoritate enim Aristotelis, & exemplis summorum oratorum intelligitur, exordia, quae imitantur principia tibicinum, & extrinsecus quaesita sunt, valde demonstratiuo generi conuenire.

Καὶ γὰρ οἱ αὐληταὶ ὅ, τι ἂν εὖ ἔχωσιν αὐλῆσαι, τοῦτο προαυλήσαντες, συνῆψαν τῷ ἐνδοσίμῳ.

Tibicines enim, quidquid habuerint, quod recte canant, hoc ipsum praecinentes, adnectunt endosimo.

TIBICINES

TIBICINES enim(inquit)consuerunt,cum tibias inflare incipiunt,quodcunq; tenuerint,quod commode recteq; canere possint, quamuis alienum id sit ac valde remotum, illud ante legitimum cantum,& quem sibi tunc proposuerunt,aggredi: ita tamen,vt illud postea ἐνδόσιμα adplicent: ita enim vocauit partem eam,quae inter prolusionem, ac verum cantum posita est: & tamquam copula coniungit ambas illas, valde inter se distantes, res. Quod ait igitur: quodcunq; belle canere habuerint, ita accipio, vt valeat, ante quam institutum cantum ordiantur: quod diuersum scilicet ab ipso sit,dummodo id eximie tibijs exprimere possint: qua in re similes illis erunt oratores,cum quidquid ipsis in mentem venerit, nulla ratione habita longinquitatis, si elegans sibique aliquo modo aptum existimarint, arripiunt. Secutus autem antiquissimi codicis fidem: cui adstipulatur etiam vetus tralatio, restitui particulam εὐ, quae in excusis non legebatur.

Καὶ ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις δεῖ οὕτω γράφειν: ὅ, τι γὰρ ἂν βούληται, εὐθὺ εἰπόντα, ἐνδοῦναι καὶ συνάψαι.

Et in orationibus demonstratiuis oportet sic scribere: quodcunque enim voluerit statim attingentem, endosimon aggredi, & adnectere.

EADEM ratio est(inquit) eorum, qui in eo genere orationis scribunt:scribuntur enim fere(quod non multo antea quoque testatus est) antequam habeantur, demonstratiuae orationes:oportet enim cum orator quidquid ei commodum fuerit,ingrediens dixerit,copulare,coniungereq; illud cum oratione ipsa. Planum igitur est,licere laudanti aliquid aut vituperanti, inde initium auspicari, vnde vult. quod autem,vsus verbo proprio citharoedorum,alterum addidit aequale ac par, interpretari secundo voluit primum illud translatum, & quae vis ipsius hic foret, aperire.

Ὅπερ πάντες ποιοῦσι παράδειγμα τὸ τῆς Ἰσοκράτους Ἑλένης προοίμιον.

Cuius omnes exemplum faciunt prooemium Helenae Isocratis.

CVIVS (inquit) instituti, consuetudinisq; oratorum, quicunq; exemplum afferre voluerunt, cuncti ad exordium Isocratis,quo vsus est in laudatione Helenae, confugerunt: atque eius testimonio fieri id cum laude,non solum sine reprehensione posse,comprobarunt. Animaduertendus autem elegans modus loquendi, quo infra etiam hoc ipso in libro vsus iterum est.
» ὥσπερ Σοφοκλῆς ποιεῖ παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης: idest ita belle eximieque tractauit, vt id postea exemplum omnibus foret,& studiose a ceteris exprimeretur: semperq; ante oculos haberetur. Sed etiam politissimus scriptor in Panegyrico,vbi de beneficijs,quae acceperant reliqui Grae-
» ci a rep. Atheniensium, disputat. τῆς μὲν κυρίας γενομένης: τοῖς δ' αὐτὴν παράδειγμα ποιήσασα. Demosthenes quoque in extremo libro de falsa legatione,ac multis alijs locis.

Οὐθὲν γὰρ οἰκεῖον ὑπάρχει τοῖς ἐριστικοῖς καὶ Ἑλένῃ.

Nihil enim commune est sophistis cum Helena.

NVLLA enim (inquit) in re conuenit Helenae cum sophistis: neque commune quicquam illi inter se habent,vt de altero eorum disserens, in alterius sermonem commode transire potuerit. Cum autem Isocrati propositum esset tota oratione Helenam laudare, in exordio tamen contra sophistas copiose disputauit. Nihil igitur magis remotum,& a materia alienum dici, cogitariq; potest. In Antisthenem autem maxime inuehitur Isocrates: contra quem etiam Aristoteles in iiij. libro metaphysicorum accurate disputat. Totum vero hunc locum breuiter exprimit Quintilianus: verba hic eius adponam:& ne sententiam interrumpere cogar,concidens
» illum, quae ad inferiores etiam sententias pertinent, vna legentur. In iij. libro. In demon-
» stratiuis vero prooemia esse maxime libera existimat. Nam & longe a materia duci hoc, vt in
» Helenae laude Isocrates fecerit: & ex aliqua rei vicinia, vt idem in Panegyrico, cum queritur
» plus honoris corporum, quam animorum virtutibus dari: & Gorgias in Olympico, laudans
» eos, qui primi tales instituerunt conuentus. In hoc autem genere cum tradat hunc nostrum maxime libera existimare prooemia, non aberrat sane a sententia ipsius, quippe cum ita soluta illa velit esse, vt aliquando etiam penitus seiuncta a re capiantur: nec tamen peiora, quae huiuscemodi sint, existimasse illum intelligere licet, quia indicauit aliud bonum, quod illa secum haberent. Alia autem e propinquo loco duci recte posse Quintilianus, quod inquit, de eo verbum non facit Aristoteles: vidisse tamen illum id verum esse, intelligitur exemplis, quae posuit: laudare namque aut vituperare auctores eorum conuentuum, quamuis materia non esset eorum librorum, non tamen ab ipsa remotum valde fuit. illa vero aperte Aristoteles

propria

propria huius generis facit. Materiam igitur ſpectauit ille, aut longinquam, aut vicinam. Ariſtoteles autem locos indicauit, vnde ſiue remotam, ſiue propinquam materiam haberent, ducerentur: neque enim ita vaga eſſe voluit, vt neſciant vnde petenda ſint, qui illis vti volunt: aut a laude igitur ac vituperatione ſumi dicit, quae propriae ſunt huius generis partes: aut a ſuaſione ac diſſuaſione, quae deliberatiui: aut ab ijs, quae in eum, qui audit, feruntur: quod iudicialis eſt generis.

Ἅμα δὲ καὶ ἐὰν ἐκτοπίσῃ, ἁρμόττει μὴ ὅλον τὸν λόγον ὁμοειδῆ εἶναι.

Simul autem & ſi a materia digreſſus fuerit, longeque abierit, congruit vniuerſam orationem non eſſe vniuſmodi.

PRAETERQVAM quod orator hoc pacto poteſt quidquid ei commodum eſt proferre, gratia etiam orationi acquiritur ex varietate illa rerum orta. vna (inquit) cum ſuperiore bono hoc quoq; aderit, quod, ſi in exordio orator ab argumento aberrarit, & longe vagatus fuerit, mirifice conuenit totam orationem parem ſibi, vniuſmodiq; non eſſe. Ἐκτοπίζειν valet hic deſerere locum ac materiam, quam tibi propoſueris, & in aliam quaſi regionem migrare: eſt enim manifeſto translatum. in libris de natura animantium eodem verbo vtitur Ariſtoteles, vbi de auibus, quae ſedes mutant, loquitur.

Λέγεται δὲ τὰ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοίμια ἐξ ἐπαίνου, ἢ ψόγου. οἷον Γοργίας μὲν ἐν τῷ ὀλυμπικῷ λόγῳ. Ὑπὸ πολλῶν ἄξιοι θαυμάζεσθαι ὦ ἄνδρες Ἕλληνες.

Ducuntur autem prooemia orationum demonſtratiuarum ex laude ac vituperatione, vt Gorgias in Olympico. Quos multi vehementer admirentur digni ſunt o viri Graeci.

DVCVNTVR (inquit) exordia orationum harum, quae pompae ſunt & oſtentationis, ex laude, aut vituperatione. exempla, quibus hoc confirmat, e Gorgia Leontino, & Iſocrate ſumpta, vt ſupra oſtendi, Quintilianus interpretatus eſt: Olympicum Gorgiae vetuſtatem ferre non potuiſſe: Panegyricum Iſocratis in manibus eſſe, notum eſt. Orationem vero hanc, quam in maxima illa quinquennali celebritate conuentuq; habuit, magnam dignitatem attuliſſe Gorgiae, teſtatur Pauſanias in Eliacis: nomen enim oratoris ipſum inde, & ex legatione, quam obijt ad Athenienſes, reportaſſe tradit. Quod autem, cum excuſi hic antea ὀλυμπιακῷ haberent, detracta penultima ſyllaba, ὀλυμπικῷ emendaui, non temere feci, ſed antiquiſſimi libri auctoritatẽ in eo ſecutus ſum: Attici autem ſcriptores ita paſſim loquuntur, cum reliqui Graeci ſyllabam ei nomini addant: id etiam animaduerterunt antiqui grammatici. Orationis quoq; huius Gorgiae meminit Philoſtratus in vita ipſius, qui itidem ὀλυμπικὸν λόγον eam vocauit, ac magnopere argumentum eius laudat: narrat enim, cum videret ſophiſtes illae Graeciam inteſtinis malis ſeditionibusq; agitatam, ad concordiam illam, pacificationemq; hortatum eſſe: ſuaſiſſeque, vt vellent ſpolia belli praemiaq; non captas Graecas vrbes eſſe, ſed tellurem imperiumq; barbarorũ.

Ἐπαινεῖ γὰρ τοὺς τὰς πανηγύρεις συνάγοντας: Ἰσοκράτης δὲ ψέγει. ὅτι τὰς μὲν τῶν σωμάτων ἀρετὰς, δωρεαῖς ἐτίμησαν: τοῖς δ' εὖ φρονοῦσιν, οὐθὲν ἆθλον ἐποίησαν.

Laudat enim eos, qui mercatus illos celebres inſtituerunt: Iſocrates autem vituperat, quia corporum virtutes donis ornauerant: doctis autem viris, ſapientibuſque praemium nullum ſtatuerant.

PRIMIS eius libri verbis poſitis, explicat quid eo exordio contineretur: non tamen initium item Panegyrici affert, ſed relicto illo conſilium Iſocratis aperit, ac quid illic agat, exponit: vituperare (inquam) ipſum auctores eorum certaminum, quod virtutes corporis ampliſſimis muneribus ornaſſent: animi vero dotibus, ſapientiaeq; nullum praemium ſtatuiſſent. Hinc autem quoque perſpici poteſt (quod veteres ſcriptores tradiderunt) quam libenter omnibus in rebus Ariſtoteles Iſocrati aduerſatus ſit: cum enim principio Panegyrici ille accuſaſſet eo nomine maiores, Ariſtoteles in xxx. problematum ſectione oſtendit, antiquos hoc ſummo conſilio feciſſe, & eius rei acutiſſimas cauſas attulit, quibus planum facit, nec potuiſſe ipſos hoc, nec debuiſſe vllo modo inſtituere: laudatque denique iudicium ipſorum, quod Iſocrates vituperat.

Καὶ ἀπὸ συμβουλῆς. οἷον ὅτι δεῖ τοὺς ἀγαθοὺς τιμᾶν. Διὸ καὶ αὐτὸς Ἀριστείδην ἐπαινεῖ.

Et a suasione. veluti Rectum est probos viros honorare. quapropter & ipse Aristidem laudat.

DVCVNTVR etiam exordia (inquit) hoc in genere a suasione ac dissuasione: consilioq; deniq; aliquo dando, vt si quis dicat. Oportere probos viros ornare, & hanc causam esse, cur ipse Aristidem laudandum susceperit: ne desit scilicet huic officio celebrandi honestos viros: planum enim est, qui ita agit, consilium dare alijs, vt ita se gerant, & exemplo etiam sui impellere, cum, quod alijs suadet, ipse faciat: ac faciat, quia intelligat, id magnopere interesse reipublicae, percipitur, etiam hoc exemplo, quemadmodum principium connecti debeat consequenti orationi.

Ἢ τοὺς τοιούτους, οἳ μήτε εὐδοκιμοῦσι· μήτε φαῦλοι, ἀλλ᾽ ὅσοι ἀγαθοὶ ὄντες, ἄδηλοι. ὥσπερ Ἀλέξανδρος ὁ Πριάμου.

Siue huiusmodi, qui neque probantur, neque homines nequam sunt, sed eos, qui probi cum sint, non sunt adhuc cogniti. quemadmodum Alexander Priami filius.

ALIVD exemplum ordiendae orationis a suasione: non ab aliquo (nisi fallor) ita tractatum, sed potius excogitatum ac fictum ab auctore: vt e superiore parte repeti hic quoque debeat illud, oportere. quasi dicat, aut si claros omnino, & illustres viros ornandos tibi non proposueris, ita ages, & a suasione itidem principium duces tuae orationis, dicens, decere hos praecipue homines laudare, atque omni verborum honore afficere, qui vulgo non celebrantur: neque tamen, quod inutiles reipublicae fuerint, consceleratique relinquuntur, sed qui, cum probi sint, negligentia hominum in tenebris latent: qualis Alexander Priami regis filius fuit, qui cum praeclaras virtutes habuisset: ac praecones ipsarum nactus non esset, obscurus erat: tamquam non valde probos viros, qui celebres sint, quia superuacaneum foret: neque improbos, quia nefarium, deceat laudare. Cum igitur quid mei iudicij sit de hac re aperuerim, non negarim posse quoque exempla haec ex orationibus aliquibus accepta esse: ac fortasse etiam in eodem prooemio superior, inferiorque sententia posita fuit, praesertim cum infra, omni re explicata, adiungat, tamquam vnius scriptoris cuncta fuerint, ex eodemque loco sumpta: qui ita agit, consilium dare, ac quid gerendū sit in eo negotio praecipere. nisi potius volumus (quod verius puto) id commune esse vtriusque, & illius, qui ornat clarum virum, & illius, qui obscurum: vt vtrunque complexus sit, intellexeritq;, & qui hoc, & qui illo modo agit, a suasione incipere. Non insulse quoq; suspicaretur aliquis hoc sumptum esse ex oratione, quae Parim ornabat, & Alexander inscripta erat. cuius in ij. horum librorum mentionem fecit. Duo autem hinc menda sustuli, quae & primam, & extremam partem huius loci inquinabant: cum enim initio, ἢ οὐ τοιούτους excusi, & in extremo ἀλλήλοις haberent, secutus fidem antiquiss. libri ἢ τοὺς τοιούτους, & ἄδηλοι, emendaui: vetus quoque tralatio hanc lectionem exprimit.

Οὗτος γὰρ συμβουλεύει.

Hic enim consilium dat.

QVI sic loquitur, inquit (Aristotelis namque haec verba sunt) manifesto consilium dat. Haec autem in exordio dicta erant: possunt igitur recte prooemia, vt testati sumus, a suasione duci.

Ἔτι δ᾽ ἐκ τῶν δικανικῶν προοιμίων. τοῦτο δ᾽ ἐστὶν, ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατήν, εἰ περὶ παραδόξου λόγος, ἢ περὶ χαλεποῦ, ἢ περὶ τεθρυλλημένου πολλοῖς, ὥστε συγγνώμην ἔχειν.

Amplius autem e prooemijs iudicialijs: hoc autem est ex ijs, quae referuntur ad auditorem, si habetur oratio de re admirabili, & quae repugnet opinionibus: siue de re ardua, siue peruulgata, & quae sit in ore omnium, vt ignoscatur nobis.

DVCI etiam exordia hoc in genere ait a prooemijs, quae propria sunt iudicialis generis: quae autem illa sint, ostendit, cum adhuc naturam eorum, quod postea facit, non aperuerit: idest ex ijs, quae personam auditorum respiciunt. Tunc autem (inquit) id praecipue fit, cum orationem habituri sumus aut de incredibili re, aut ardua, aut peruulgata, multisq; communi. vt ea ratione veniam ab ijs, qui audiunt, impetremus: nobisq; postea illi ignoscant, si quid, quod non magnopere eos delectet, parumue probabile videatur, protulerimus. mendum etiam hinc sustuli: vbi enim in impressis λόγου legebatur, λόγος restitui, idq; auctoritatem scriptorum codicum, & rem ipsam secutus, feci.

Οἷον

Οἷον Χοιρίλος. Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται.

Veluti Chaerilus. Nunc autem, quando cuncta iam definita sunt.

HIC est Chaerilus ille, qui carminibus Horatij, vt malus poëta, proscissus fuit: nec non etiam ab Aristotele ipso in viij. libro Topicorũ damnatus est. Exemplum tamen ab ipso nunc capit: initio namq; ille sui poëmatis ignosci sibi oportere dixerat, quod de rebus vulgaribus scribere cogeretur: primi enim poëtae, qui, meliore fortuna vsi, tempore ipsum antecesserant, elegantiores omnes materias occuparant. Haec colliguntur ex non ineleganti hoc carmine ipsius,
» quod in Graecis commentarijs legitur. Ἆ μάκαρ, ὅσις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῶν, Μουσάων θερά-
» πων, ὅτ' ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών: Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασαι: ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι Ὕστατοι ὥστε δρόμου κα-
» ταλειπόμεθ', οὐδέ τοι ἔσαι, Πάντη παπταίνοντα, νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι.

Τὰ μὲν οὖν τῶν ἐπιδεικτικῶν λόγων προοίμια ἐκ τούτων, ἐξ ἐπαίνου, ἐκ ψόγου, ἐκ προτροπῆς, ἐξ ἀποτροπῆς, ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατήν.

Prooemia igitur demonstratiuarum orationum ex his ducuntur, ex laude, & vituperatione: ex suasione & dissuasione: ex ijs, quae referuntur ad auditorem.

SCRIPTI omnes codices λόγων habent, quos secutus sum: excusi antea libri mendose λεγόμενα. Breui autem hic repetit, quae supra tradiderat, atq; exemplis diligenter confirmarat.

Δεῖ δὲ, ἢ ξένα, ἢ οἰκεῖα εἶναι, τὰ ἐνδόσιμα τῷ λόγῳ.

Opus est autem, vel externa alienaque, vel sua propriaque esse endosima orationi.

DE hoc etiam supra disputarat: prooemia enim aut remota a re, & quasi peregrina, aut accommodata rei esse debent: translato autem a citharoedis nomine, principia orationum ἐνδόσιμα hic appellare videtur, cum supra tamen ita vocasset, in tibicinum citharoedorumq; studio, quod interiectum est inter προαύλιον, ac legitimum cantum: idest initium exorsumq; ipsius: vt si sumpta ab hac arte voce nunc vocare voluerit, quod illi respondet in oratorum studio, videatur intellexisse, quod inter exordium ac narrationem positum est, copulatq; diuersas illas partes: ac fortasse praeceperit ipsam quoque hanc partem naturam prooemij aliquo modo retinere, cum possit & ipsa, remota alienaq; esse: nec non affinis & assimilis reliquae orationis: remota autem, idest non ex ipsa re argumentoq; sumpta: ita tamen, vt cum ipsa coniungi aliquo modo possit. Videtur vero non valde consentaneum, cuius officium est, vt coniungat partes inter se multum discrepantes, ab altera earum posse omnino diuersum esse: nec quicquam cum ipsa commune habere. Οἰκεῖα vocat ἐνδόσιμα, suaq; ac propria illius orationis, quae ducuntur ex argumento rebusq; ad illud, de quo verba facturi sumus, pertinentibus.

Τὰ δὲ τοῦ δικανικοῦ προοίμια δεῖ λαβεῖν, ὅτι ταὐτὸ δύναται, ὅπερ τῶν δραμάτων οἱ πρόλογοι, καὶ τῶν ἐπῶν τὰ προοίμια.

Prooemia autem iudicialis oportet tenere idem valere, quod valent fabularum prologi, & heroici carminis exordia.

COPIOSE, diligenterq; expositis exordijs generis demonstratiui, ad alterum genus transit: vndeq; ipsa in iudicijs duci debeant, & quae vis eorum sit, declarat: constare enim nobis oportet (inquit) iudiciorum prooemia idem valere, quod fabularum prologi: nec non epici carminis initia. δράματα autem fabulas poetarum, idest tragoedias, comoediasq; appellauit. Cur autem hoc nomine vocatae illae sint, exponit in libro primo de arte poetarum: nam ἔπη, heroico versu scripta poemata significare, notum arbitror. Graeca voce etiam vsus est Cicero in epistola quadam ad Q. fratrem.

Τὰ μὲν γὰρ τῶν διθυράμβων, ὅμοια τοῖς ἐπιδεικτικοῖς.

Principia namque dithyramborum similia sunt demonstratiuis prooemijs.

PRINCIPIA enim (inquit) dithyrambicorum, nihil moror nec aliquid simile cum exordijs iudiciorum habere intelligo: sunt enim similia principijs orationum, quae demonstratiuo in genere habentur: quod accurate paulo antea probatum fuit. similia autem illis esse dixit, quia vtraq; disiuncta ab re atque aliena sumunt.

Διὰ σὲ καὶ τὰ δῶρα, εἴτε σκῦλα.

Propter te tuaque dona, siue spolia.

EXEMPLVM e lyrico poëta sumptum, cuius scripta vetustate absumpta sunt: quam vim autem hic illud habeat, nullo modo nunc intelligere possumus, testimonioq; auctoris stemus necesse est. Ita autem legitur in omnibus scriptis libris, sed ne alia quidem vlla verba praeter haec, exprimit vetus tralatio: in excusis tamen quibusdam multa accreuerant, quae ab Aldino quoq; exemplari absunt. quare inania putaui, ac reieci.

Ἐν δὲ τοῖς λόγοις, καὶ ἔπεσι δεῖγμα ἐστι τοῦ λόγου.

In fabulis autem & heroicis poëmatibus specimen est eius, quod exponi debet.

VIDETVR hic λόγους, fabulas poëtarum appellare: vt alijs quoq; locis hoc verbum vsurpauit. in earum autem principio, vt in principio etiam epicorum carminum, tradit oportere specimen esse, & indicium eius, de quo postea poëmatibus illis agitur. Non immutandam igitur censeo lectionem, quamuis vetus tralatio prologis reddat, atq; ita quoq; Graecus interpres legat: nam scripti etiam libri ita habent, & sententia vera est: si enim, vt sequitur verbum ἔπεσι, ita προοιμίοις legeretur, aliter sentirem: supra namq; docuit prologis exordia respondere, in diuersis generibus poëmatum. cum igitur prooemia epici carminis non appellarit, sed poëmatis nomen posuerit, puto ipsum vocabulum, quo vocantur initia fabularum, reliquisse, ac fabulas ipsas appellasse: & sane in prologis fabularum, & exordijs epici poëmatis, non est specimen, quemadmodum hic loquitur, sed ipsa sunt specimen, & ea de causa illic adnectuntur.

Ἵνα προειδῶσι, περὶ οὗ ἦν ὁ λόγος: καὶ μὴ κρέμηται ἡ διάνοια: τὸ γὰρ ἀόριστον πλανᾷ.

Vt prouideant, de quo sermo futurus est, & non suspensus sit animus: quod enim indefinitum est, errorem parit.

CAVSAM affert, cur requiratur, vt in fabulis, atque epicis carminibus, sit specimen exemplarq; totius operis: vt ante videant (inquam) qui audiunt, leguntq;, de quo sermo futurus est, & ne animus ipsorum suspensus sit: vsu autem hoc venire solere declarans: rationemq; eius reddens, inquit. Quod enim indefinitum est, huc & illuc vagari homines facit, & nihil certi, quod sequantur, habere. mens autem siue animi pars illa, quae hoc munere fungitur, translato verbo suspensa dicitur, cum minime perspicit, quo peruentura res sit, atque auide finem expectans, incerta manet: quod non parum est molestum.

Ὁ δοὺς οὖν, ὥσπερ εἰς τὴν χεῖρα, τὴν ἀρχὴν, ποιεῖ ἐχόμενον ἀκολουθεῖν τῷ λόγῳ.

Qui tradidit igitur, tamquam in manum, principium, is facit, quod restabat, vt adipiscatur percipiatque orationem.

QVANTAM opem afferant huiuscemodi res, exponit, & quam facile arrepto, aliquo principio, postea possint sequi, ac percipere totam rem, qui audiunt, narrat. Qui praebuit igitur (inquit) ac tamquam in manum porrexit principium, facit eum, qui tenet, percipere id, quod sine eo auxilio numquam intellexisset. Est autem elegans modus hic loquendi, & aliunde manifesto translatus: ne tamen durior alicui translatio videretur, a rebus, quae tangi possunt, ad rem, quae animo tantum percipitur (neque enim erat huiuscemodi hoc principium, vt manu teneretur) muniuit eam: addens, tamquam in manum. De rebus autem solidis ita dici, consuetudinem esse, planum est: Aristoteles in libro viij. de moribus ad Nicomachum. ἡ μὲν πάμπαν ἀγοραία ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα. id expressit (vt arbitror) M. Cicero in epistola, qua C. Caesari Trebatium commendauit. Totum deniq; hominem tibi trado de manu (vt aiunt) in manum.

Διὰ τοῦτο. Μῆνιν ἄειδε θεά. Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα.

Ob hoc. Iram cane dea. Dic mihi musa virum.

HANC rationem (inquit) secuti sunt optimi quiq; poëtae: & hoc facere voluit Homerus, cum vtrunque opus exorsus est. initium autem & Iliadis, & Odysseae, primis vtriusque poëmatis verbis positis, adducit.

Ἡγέο μοι λόγον ἄλλον, ὅπως Ἀσίας ἀπὸ γαίης Ἦλθεν ἐς Εὐρώπην πόλεμος μέγας.

Dux mihi sis alius narrationis, quomodo ab Asia tellure venit in Europam bellum magnum.

INITIVM

INITIVM poëmatis hoc esse, perspicuum est: & ex Aristotelis testimonio, qui vt exemplum huius rei id posuit, & ex verborum ipsorum notione. Quod mendose in excusis omnibus libris multitudinis numero, patrio casu, λόγων ἄλλων antea legebatur, emendaui, & ad accusandi casum vnitatis reuocaui: ita autem quoq; legitur in antiquiss. libro: quem sequitur etiam vetus tralatio. est vero ita integer hexameter, & non plenus perfectusq; alter, plus tamen, quam dimidiatus. poëtae nomen proferre non possum. sensus verborum est. Dux mihi sis, praeitoq; aliud carmen, quo exponatur quomodo ex Asia terra bellum ingens in Europam venit.

Καὶ οἱ τραγικοὶ δηλοῦσι περὶ τὸ δρᾶμα: κἂν μὴ εὐθύς, ὥσπερ Εὐριπίδης, ἀλλ' ἐν τῷ προλόγῳ γέ που δηλοῖ.

Et tragici poëtae indicant, quod continetur in fabula: & si non ilico, quemadmodum Euripides, in prologi vtique parte aliqua aperit.

TRAGICI etiam poëtae indicare breuiter, & aperire solent, quod tota fabula continetur: argumentum scilicet: quod nisi ilico in fronte, primaque parte hoc fecerint, vt frequentius facere solent, non committunt tamen, vt extra prologum hoc faciant: sed antequam absolutus ille sit, paucis, quae explicari postea debent, complectuntur. Quid in tragoedijs prologus sit, quo intellectu posuisse eum hic id nomen puto, docet ipse in primo libro de arte poëtarum: omnem enim tragoediae partem, quae ante chori accessum posita est, prologum vocari tradit.

Ὥσπερ καὶ Σοφοκλῆς: Ἐμοὶ πατὴρ ἦν Πόλυβος.

Quemadmodum & Sophocles: Mihi pater erat Polybus.

LOCVM sumptum esse e tragoedia, quam Oedipodem tyrannum vocat, apertum est: ita enim illic Oedipodes stirpem, quam putabat suam, exponens, locutus est. Ἐμοὶ πατὴρ μὲν Πόλυβος ἦν Κορίνθιος: Μήτηρ δὲ, Μερόπη Δωρίς: ἠγόμην δ' ἀνὴρ. Id vero mihi scrupulum non paruum affert, quod explicatio haec generis fortunarumque Oedipodis extra prologum a Sophocle inducitur: in tertio enim actu tragoediae posita est. quare vereor, ne μνημονικὸν ἁμάρτημα sit: nisi versum illum intellexit Aristoteles, in quo argumenti non nihil narratur: qui sane in prologo est. ἦν ἡμῖν ποτ' ἄναξ Λάϊος ποθ' ἡγεμών: pronuntiatur autem a Creonte. Tota res accurate videnda. Qui vero Euripidis vitam scripsit, Thomas quidam grammaticus, affirmat, quod postea a tragicis seruatum fuit, initio fabulae argumentum explicare, atque ita quasi manu auditorem ad ea, quae sequuntur, ducere, inuentum fuisse eius poëtae: in ea autem sententia exponenda paene eodem verbo vsus est, quo paulo supra Aristoteles, vt hinc videatur ille id accepisse: quamuis non omnino idem dicat.

Καὶ ἡ κωμῳδία ὡσαύτως.

Et comoedia eodem pacto.

QVOD tragoedia seruat (inquit) id etiam comoedia diligenter custodit: vt aut statim scilicet, aut prima saltem in parte fabulae argumentum explicetur: nulla tamen e comoedia exempla adducit, vt e tragoedia fecerat. In comoedijs autem, quae nouae vocatae sunt, hoc fieri solitum, e fabulis Terentij, ac Plauti facile intelligimus: quis enim non videt in Andria, Simonem hoc munere fungi. In Heautontimorumeno, Menedemum? in Adelphis, Micionem? primae namque hae, quae in scenam veniunt, personae, argumentum narrant. Animaduertendum tamen has ne intellexerit, an quas priscas appellabant: quamuis harum etiam exemplo vti potuit: regnante enim Alexandro inuentae atq; agi coeptae sunt. Philemonem certe, quae secuta est aetate, floruisse tradunt. Sed in priscis etiam ipsis, vt ex Aristophanis fabulis perspicere licet, idem fiebat: νεφέλαις enim Strepsiades personam prologi sustinet: Dionysius βατράχοις, ac tum maxime id agit, cũ seruo narrat, quae res impulerit ipsum, vt tam longum ac periculosum iter susciperet, & ἱππεῦσι Demosthenes: cũ enim quaesisset e conseruo homine, socioq; illorũ malorũ, an vellet se totã rem narrare spectatoribus, annuissetq; ille, inquit. νῷν γάρ ἐστι δεσπότης: & quae sequuntur: exponit enim ingeniũ moresq; eri diligenter: & Cleonis, alterius conserui, improbitatẽ & iniurias: & cuncta demũ, quae reliqua fabula aguntur, paucis exponit.

Τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου, καὶ ἴδιον, τοῦτο, δηλῶσαι τί ἐστι τὸ τέλος, οὗ ἕνεκα ὁ λόγος.

Maxime igitur necessarium munus prooemij & proprium, hoc est, patefacere, qui est finis, cuius adipiscendi causa habetur oratio.

Ad oratores nunc, relictis poëtis, redit: cumq; nonnulla alia iudiciali in genere prooemiorum munia sint, hoc maxime necessarium, propriumq; eorum esse affirmat, indicare, qui sit finis, cuius causa oratio haberi debet: maxime autem necessarium (inquit) quia si hoc omitteret, officio suo deesset: nec, quod ab eo in primis postulatur, praestaret. proprium vero, quia id nullius alius sit orationis partis, vt alia quaedam, quae communia ipsi cum alijs partibus sunt.

Διόπερ, ἂν δῆλον ᾖ, καὶ μικρὸν τὸ πρᾶγμα, οὐ χρηστέον προοιμίῳ.

Quapropter, si plana fuerit, & parua res, nihil opus est prooemio.

Perspicitur (inquit) manifesto ex his, posse quandoq; recte supersederi prooemio: de quo etiam supra disseruerat, cum duas tantum necessarias esse partes orationum ostenderet: quando enim illud sine reprehensione omitti posset aperiens, eadem, quae nunc facit, tempora at-
» tulit. Cicero quoque in ij. de Oratore idem praecepit. Itaq; in paruis atque frequentibus
» causis ab ipsa re est exordiri saepe commodius. Hoc nonnunquam commisisse Lysiam in vita ipsius narrat Halicarnasseus, vt ἀπροοιμιάστως scilicet & abrupte inciperet, ac narratione vteretur principio suae orationis: & vero hoc ille facere potuit, qui tenues ac minutas in primis causas agebat.

Τὰ δὲ ἄλλα εἴδη, οἷς χρῶνται, ἰατρεύματα, καὶ κοινά.

Reliquae autem species, quibus vtuntur, medicamenta sunt, & communia.

Cetera dicit, quae praeter breuem rei explicationem, in his prooemijs assumuntur, non esse semper necessaria, sed tamquam remedia quaedam ac curationes adhiberi, quibus, si quid, nobis aduersum, in animo iudicum insederit, sanare ac tollere possimus: nec non quibus illuc, quae prodesse nobis queant, inserentes, ita illos, vt nobis commodum est, conformemus. Quid igitur hic valere ἰατρεύματα putarim, ostendi. videtur autem hoc verbum superiori respondere, quod maxime necessarium esse dixit munus prooemij. nam quod nunc eadem haec communia esse inquit, alteri manifesto respondet, quod idem munus proprium esse affirmauit.

Λέγεται δὲ ταῦτα ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ τοῦ ἀκροατοῦ, καὶ τοῦ πράγματος, καὶ τοῦ ἐναντίου.

Ducuntur autem haec ab eo, qui dicit, & ab eo, qui audit, & ab re, & ab aduersario.

Vnde illa ipsa ducantur, docet (intelligit autem extra verum munus prooemiorum posita, quae ἰατρεύματα vocarat) aut enim ex persona oratoris, aut auditoris, aut ex re ipsa, aut ex aduersarij etiã persona capiuntur: quae cuncta infra diligenter explicat. Hunc ipsum paene locũ expressit
» Cicero, cum in ij. de Oratore inquit. Sed cum erit vtendum principio (quod plerunq; erit)
» aut ex reo, aut ex aduersario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, sententias duci licebit. Animaduertendum vero diligenter, quem insimulet Quintilianus in iiij. libro, vbi, vnde ducantur prooemia, tradens, triplicem personarum rationem reprehendit: quam scriptor quidam huius artis probarat, qui personam rei & aduersarij & iudicis tantum attigerat: actoris autem omi-
» serat. Verba ipsius haec sunt, totum hunc locum persequentis. Beneuolentiam aut a perso-
» nis ducimus, aut a causis accipimus: sed personarum non est, vt plaeriq; crediderunt, triplex ra-
» tio. ex litigatore, & aduersario, & iudice: nam exordium duci nonnumquam etiam ab actore causae solet. aut igitur in auctorem hunc nostrum illa non diriguntur, aut sine causa ipsum, improbeque inuasit. Dicentis namque nomine Aristoteles, non reum tantum, sed actorem etiam appellauit: ambosq; hos vno nomine coniunxit, vt liquido intelligitur: ita enim semper praecepta, quae eos spectant, dat, tamquam idem sit actor, ac reus: sed etiam verbum ipsum, quo vtitur, potius ostendere personam actoris, quam rei, qui tacet, cum qui pro se dicat habet, videtur: vt fortasse Ciceronem intellexerit: quod verisimilius est, qui reum vocat: infraq; in re explicanda, quomodoque singulis personis spectandis, prooemia tractanda sint, nihil quod actoris causae personam respiciat, addit.

Περὶ αὑτοῦ μὲν καὶ τοῦ ἀντιδίκου, ὅσα περὶ διαβολὴν λῦσαι καὶ ποιῆσαι.

De semetipso quidem atque aduersario, quaecunque ad criminationem faciunt, vel ad dissoluendam, vel ad excitandam.

Personam oratoris, aduersarijq; coniungit. Quod ad inferendum (inquit) crimen, dissoluendumq; pertinet, ex his personis ducitur: quamuis idẽ locus ambobus non quadret, vt ipse

aperte

aperte ostendit. Cum, generandi casu, antea διαβολῆς excusi haberent, accusandi, vt in scriptis melioribus inueni, emendaui.

Ἐστὶ δὲ οὐχ ὁμοίως· ἀπολογουμένῳ μὲν γὰρ πρῶτον τὰ πρὸς διαβολήν· κατηγοροῦντι δ' ἐν τῷ ἐπιλόγῳ, δι' ὃ δέ, οὐκ ἄδηλον.

Tractatur autem non eodem pacto: illi namque qui defendit, primum, quae valent ad criminandum, sunt refellenda: accusanti autem in peroratione: causa vero huius non est obscura.

EADEM sane res non eodem modo a diuersis personis tractanda est: qui enim se defendit, in primis criminibus occurrere debet: eaq; diligenter purgare: accusatorem vero in peroratione criminari oportet. Causa autem (inquit) aperta est: quam tamen ipse accurate exponit. Cum igitur altera parte non discedat a praeceptis magistrorum huius artis: ipsi enim quoq; censebant oportere eum, in quem ab accusatore coniecta maledicta forent, initio orationis suae illa refellere, falsoque sibi obiecta demonstrare: altera non sequitur iudicium ipsorum: volebant enim illi in principio quoq; accusatorem criminando reo operam dare, non extremae orationi id reseruare, vt iubet Aristoteles. id intelligitur ex verbis Halicarnassei, qui in vita Lysiae hoc narrat: cum antea ostendisset se in illis rebus ponderandis, viaq; ac ratione Lysiae explicanda, secuturum esse praecepta Isocratis, ac discipulorum eius.

Τὸν μὲν γὰρ ἀπολογούμενον, ὅταν μέλλῃ εἰσάξειν αὑτόν, ἀναγκαῖον ἀνελεῖν τὰ κωλύοντα. ὥστε λυτέον πρῶτον τὴν διαβολήν.

Necesse enim habet qui se purgat, cum debeat insinuare semetipsum, tollere, quae impediunt. quapropter debet primum crimen dissoluere.

REVS (inquit) cum omnia facere debeat, vt se insinuet, necessario, quae obstant, remouere debet: dum enim vigent crimina, omnis ipsius conatus irritus foret. disijcere igitur criminationem aduersarij in primis oportet. Hoc seruare Ciceronem in defensione, quam scripsit pro Milone notum est: idem etiam, cum ad id se accingeret, suis esse partes hoc accurate facere significauit.
» Sed antequam ad eam orationem venio, quae est propria nostrae quaestionis, videntur ea
» esse refutanda, quae in senatu saepe ab inimicis: ab improbis saepe iactata sunt.

Τῷ δὲ διαβάλλοντι, ἐν τῷ ἐπιλόγῳ διαβλητέον, ἵνα μνημονεύσωσι μᾶλλον.

Sunt autem inferenda crimina ab eo, qui criminatur in peroratione, vt magis recordentur.

QVI criminatur (inquit) in peroratione crimina in aduersarium ponere debet, vt firmius illa memoriae auditorum haereant: nam si prima parte orationis collocata forent, obruerentur rebus, quae postea ab eo ipso dicerentur: neque enim possunt iudices facile prima, nouis postea rebus inculcatis, recordari.

Τὰ δὲ πρὸς τὸν ἀκροατήν, ἐκ τοῦ εὔνουν ποιῆσαι, καὶ ἐκ τοῦ ὀργίσαι· καὶ ἐνίοτε δὲ ἐκ τοῦ προσεκτικόν, ἢ τοὐναντίον· οὐ γὰρ ἀεὶ συμφέρει ποιεῖν προσεκτικόν.

Quae autem ad auditorem referuntur, inde apta sunt, vt beneuolum nobis ipsum reddamus, & iram moueamus: & aliquando etiam vt attentum faciamus: siue contra: non enim semper prodest causae attentum facere.

QVAE ad auditorem pertinent, materiam quoq; nobis praebent multorum prooemiorum: ea autem sunt, cum conciliare nobis iudicem, ac beneuolum facere studemus, aut in aduersarium incitare: is enim hoc in genere auditor est, & apud eum agitur: quamuis alij saepe multi sint, qui, quae dicantur ab oratore, accipiant: nam ex persona etiam iudicis prooemia gignuntur, cum aut attentum illum, aut contra negligentem reddimus: non enim semper (inquit) attentum facere vtile est. Quintilianus aduersus hunc locum accurate disputauit: verba hic eius
» adponam e quarto libro, vbi de exordio disputat, sumpta. Nec me, quamquam magni
» auctores in hoc duxerint, vt non semper facere attentum, & docilem iudicem velim: non quia
» nesciam id, quod ab illis dicitur, esse pro mala causa, qualis ea sit non intelligi: verum quia
» istud, non negligentia iudicis contingit, sed errore: dixit enim aduersarius, & fortasse persuasit,

nobis opus est eius diuersa opinione, quae mutari non potest, nisi illum fecerimus ad ea quae dicemus, docilem & attentum. Iudicium autem summi doctoris verum est, nec labefactari vllo pacto potest: hoc enim ille (vt suspicor) cogitauit. Quaedam interdum loca in causis inueniri, quae nulla ratione defendi possint. cum igitur ea infirmioribus argumentis purgare conemur (neq; enim intacta omnino relinquere, ac dissimulare possumus) prodest iudicem ab accurata eorum animaduersione abducere, vt cum negligentius, quae a nobis dicta fuerint, acceperit: neque ipsorum vim perpenderit, perpurgasse nos ea existimet, quae nequaquam dissoluta purgataque esse cognouisset, si attentius, quae dicta sunt a nobis, examinasset. In his namq; criminibus, quae probabilibus aliquibus argumentis dissolui possunt, dubitandum non est, quin argumentis niti, & ad ipsa subtiliter percipienda iudicem attentum facere debeamus: verum cum non nisi plumbeo gladio nos tueri: imbecillioribusq; rationibus possimus, quae si diligenter ab ijs, apud quos agimus, notarentur, suam infirmitatem aperirent, planũ est ipsum ab illis explorandis, attenteq; considerandis auocare, mirifice causae nostrae prodesse.

Διὸ πολλοὶ εἰς γέλωτα πειρῶνται προάγειν.

Quapropter multi nituntur ad risum rem perducere.

HVNC quoq; finem habere dicit multos, qui extorquere iudici risum conantur: ac summo studio in iudicijs, serijsq; rebus tractandis risum excitant: nihil enim aliud student, nisi vt abducant iudicem, nec attente eum rem perspicere sinant. Hoc etiam saepe prodesse, affirmauit Quintilianus, ac multas in se vtilitates habere: quare cum hoc laudet, nescio quomodo, si sibi constare vult, superius praeceptum reprehendere possit. Huic diuersa virtus, quae risum iudicis mouendo, & illos tristes soluit affectus, & animos ab intentione rerum frequenter auertit. Prodest autem, quod admonet Aristoteles, non in foro solum, rebusq; iudicandis, verum etiam in omni disputatione graui, ceu in quaestionibus sapientiae, atq; optimarum artium, vt Pisis aliquando factum est: cum enim duo, docti viri, & qui illic publice docerent, contenderent inter se de re obscura ac difficili: eorumq; alter videret se premi ab aduersario: nec posse facile sententiam suam tueri, confugit ad auctoritatem Augustini Suessani, cuius erat tunc in eo gymnasio existimatio dignitasq; magna: dixitq; ita ipsum de hoc sentire. respondit facetus homo, ac iocosus, Rolandi ensis Terigis in manu, qui a nostris poëtis dicitur fortissimi illius viri famulus fuisse. tunc omnis corona ridere coepit, atq; ita, qui quasi vinctus erat, iamq; tenebatur, e laqueo se eripuit.

Εἰς δὲ εὐμάθειαν ἅπαντα ἀνάξει, ἐάν τις βούληται, καὶ τὸ σπουδαῖον φαίνεσθαι: προσέχουσι γὰρ μᾶλλον τούτοις.

Ad docilitatem autem cuncta perducunt, si quis huic rei studuerit, & ad efficiendum, vt vir probus moderatusq; habeatur: magis enim adhibent mentem his.

QVAE docilem iudicem faciunt, ostendit: εὐμάθειαν autem docilitatem Cicero, εὐμαθῆ docilem appellauit. Omnia autem dicit eam vim habere, vt ad docilitatem deducant, intelligens cuncta, quae recte in principijs orationum vsurpantur: quibus addidit, huiuscemodi de se opinionem excitare, vt probus videare vir, quia tales in primis attente audiuntur. valde vero coniunctam esse attentionem docilitati, planum est. Id autem Cicero quoq; in primo libro de inuen tione testatus est his verbis. Et cum docilem facere velis, simul attentum facias oportet: nam is maxime docilis est, qui attentissime est paratus audire. quod inquit, ἐάν τις βούληται, hoc (vt opinor) valet. siquis hoc agit ac studet ea, quae dicit percipi eximie ab ijs, qui audiunt: vt enim tempora quaedam incidunt, quibus attentum iudicem non esse praestat, ita etiam quibus ea, quae dicuntur non penitus cognosci & intelligi ab eo vtile sit: nisi idem potius tempus sit, idest vtilitas causae ratioque. Aliter tamen obscuratur oratio, &, vt aegre percipi possit, efficitur: aliter ab attentione abducuntur oratores.

Προσεκτικοὶ δὲ, τοῖς μεγάλοις, τοῖς ἰδίοις, τοῖς θαυμαστοῖς, τοῖς ἡδέσι. διὸ δεῖ ἐμποιεῖν ὡς περὶ τοιούτων ὁ λόγος: ἐὰν δὲ μὴ προσεκτικούς, ὅτι μικρὸν, ὅτι οὐδὲν πρὸς ἐκείνους, ὅτι λυπηρόν.

Procliues autem sunt ad attendendas res magnas, proprias, admirabiles, iucundas. quare inculcare oportet sermonem omnem futurum de huiuscemodi rebus: si vero minime attentum, admonebimus, rem esse paruam, nihil facere ad eos, esse tristem atque odiosam.

CVNCTI

Cvncti autem (inquit) attenti esse solent magnis rebus, suis ac proprijs, admirabilibus, iucundis, accipiendis. Cum huiuscemodi igitur hominum ingenium sit, inijcere crebro oportet, & auribus ipsorum inculcare, te de ijs ipsis rebus dicturum esse: contra autem si ab attentione abducere eos vis, ostendere debes, pusillum id esse, de quo agitur: nihil ad eos pertinere, molestum quoque, & quod aegritudinem ipsis afferat. Respondet autem hoc parti illi: quod supra ex re quoq; sententias duci dixerat, ad prooemia conformanda. verum, quia non semper prodesse affirmarat attentum iudicem facere, a re quoque ipse docet, quomodo possimus & attentum & non attentum, vt nobis commodum est, eum reddere. In quo etiam animaduertendum, cum quattuor numeret genera rerum, quae valeant iudices attentos reddere: posteaque tradat, quae tollendae attentioni accommodata sint, quod admirabilibus opponatur, eum non exposuisse. id vero studio breuitatis videtur fecisse. Sunt autem contraria admirabilium, cotidiana, peruulgata & consentanea.

Δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν, ὅτι πάντα ἔξω τοῦ λόγου τὰ τοιαῦτα· πρὸς φαῦλον γὰρ ἀκροατήν, καὶ τὰ ἔξω τοῦ πράγματος ἀκούοντα.

Decet autem minime nos fallere, huiuscemodi cuncta esse extra causam: ad malum enim auditorem, & qui auscultat, quae extra rem sunt, faciunt.

Ne incideret in culpam, cuius dicendi magistros primo libro insimulauerat, ostendit, se intelligere quid praecipiat: &, vt omnibus etiam alijs idem notum sit, facit. Quod si iudices, quales esse deberent, forent: auresq; rebus, quae alienae a causa sunt, obstructas haberent, se omnibus his praeceptis supersessurum libenter fuisse. Hoc autem (inquit) certo scire debemus, huiuscemodi omnia artificia extra rem esse: & aduersus deprauatum, corruptumq; auditorem valere, & qui libenter, quae extra causam sunt, accipit: nec enim, φαῦλον appellans, intelligit alijs vitijs inquinatum, sed non bene munere suo fungentem: seque abduci a vero astutis his rationibus patientem. Initio huius operis, cum sui temporis rhetoras reprehenderet, quod hic dicit ἔξω τοῦ λόγου, quasi extra causam ac propositum, vocauit ἔξω τοῦ πράγματος: idest seiunctum a re & materia, de qua agitur.

Ἐπεί, ἂν μὴ τοιοῦτος ᾖ, οὐθὲν δεῖ προοιμίου.

Quia, nisi talis fuerit, nihil opus est prooemio.

Nisi enim (inquit) huiuscemodi iudex foret, sed integer ac sibi constans, non valde opus foret prooemio. hoc autem protulisse hunc nostrum testatus est Quintilianus in iiij. his verbis.
» Aristoteles quidem in totum id necessarium apud bonos iudices negat. Sed etiam in xij. cum
» dixisset. Quod si mihi des consilium iudicum sapientium, per quam multa recidam, addidit cum etiam prooemium apud tales superuacaneum esse Aristoteles existimet.

Ἀλλ' ἢ ὅσον τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς, ἵνα ἔχῃ, ὥσπερ σῶμα, κεφαλήν.

Praeterquam vt res exponatur summatim, vt habeat, tamquam corpus, caput.

Non in totum abiudicat prooemium Aristoteles, apud bonos etiam & sapientes iudices, vt censuit Quintilianus, sed modicum quendam vsum habere ostendit: proprium tamen illum, & qui eripi ipsi numquam possit: nullas enim ei alias partes relinquit, nisi vt rem breui narret: nam remoto penitus illo, manca decurtataq; videretur oratio: habet enim rationem capitis in ea exordium. Non omnino tamen exponere, quae contineantur in causa, inquit, prooemij esse: id enim munus est narrationis, & partis illius, quam ipse πρόθεσιν vocauit, sed summatim, quae illa sint, indicare. Hactenus scilicet, donec iudex, qua de re agatur, intelligat: nisi enim argumentum perceperit, multa incommoda inde nascantur necesse est.

Ἔτι τὸ προσεκτικοὺς ποιεῖν πάντων τῶν μερῶν κοινόν, ἐὰν δέῃ· πανταχοῦ γὰρ ἀνιᾶσι μᾶλλον ἢ ἀρχόμενοι.

Praeterea facere attentos commune est omnium partium, si oportuerit: omnibus enim alijs in locis relaxant animos, potius quam cum incipiunt.

Praeterea (inquit) quod pleriq; putant, proprium prooemij esse: nec alibi recte attingi posse: reddere scilicet iudices attentos, proprium ipsius munus non est, sed commune illi cum ceteris omnibus orationis partibus: neque enim cunctandum, vbicunque res postulet, id facere: vel potius necessarium magis in reliquis, quam in hac parte est: cuius etiam rei rationem reddit, affirmans, verisimile esse, eos, qui audiunt, omnibus locis potius, quam in principio

studium suum relaxaturos: negligenterq; atque oscitanter audituros: erecto enim animo semper initio rerum tractandarum sumus: postea vero imbecillitate, humani ingenij, defatigamur. M. certe Cicero in media oratione pro A. Cluentio rogauit iudices, vt se attente audirent, sed tamen, cum ostendere vellet, tunc aliquo modo causam eam incoeptam esse defendi, cum antea illa res suo nomine numquam in iudicium vocata esset. quare, quae supra dixerat potius pertinebant ad id ostendendum, erroremq; veterem declarandum, quã ad causam eam dicendam.

Διὸ γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάττειν, ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες ἀκροῶνται.

Quare ridiculum est initio hoc praestare, quo tempore maxime cuncti attento animo auscultant.

QVARE (inquit) res stulta est, & quae risu explodi debeat, oratorem in principio suae orationis studiose hoc facere, cum minime oportet: sponteq; sua ij, qui audiunt, attenti sunt: cuncti enim initio alicuius orationis, expectatione moti, nouitateq; ipsa delectati, arrectis auribus stant. Habemus autem vnde Cicero acceperit, quae ab Antonio contra vulgares rhetoras in ij. libro de Oratore disputari facit: totum enim hunc locum manifesto transtulit: quamuis contra Graecos, adiutus a Graecis: copijsq; ipsorum instructus, pugnare, videri nolit. verba Ciceronis haec
» sunt. Nam & attentum monent Graeci, vt principio faciamus iudicem, & docilem: quae
» sunt vtilia, sed non principij magis propria, quam reliquarum partium: faciliora etiam in prin-
» cipijs, quod & attenti tum maxime sunt, cum omnia expectant, & quae sequuntur.

Ὥσθ' ὅπου ἂν ᾖ καιρός, λεκτέον.

Quapropter, vbicunque occasio tulerit, dicendum est.

QVAPROPTER (inquit) non in principio orationis danda est opera, vt attentum iudicem faciamus, sed, cum tempus hoc poscere videbitur, tunc huiuscemodi vocibus attentio eorum excitanda est. Nihil sane vetat, quin & in principio quoque aliquando id commode aliqua ratione fieri possit: neq; ipse id negat, sed insimulat illos, qui omnium orationis partium commu-
ne, prooemij proprium munus esse aiebant. cum contra potius, si rem ipsam spectes, a principio abhorreat, atq; natura prooemij, attentum facere eum, qui audit. ac solum tunc conueniat, cum huiuscemodi causa est, vt quod contra naturam ipsius est, ipsum tunc postulet. Quan-
topere autem dissentiat ab Aristotele Quintilianus manifesto intelligi licet: qui attentionem in ijs numeret, quae quamuis per totam orationem custodiantur, initijs tamen maxime necessaria sint.

Καί μοι προσέχετε τὸν νοῦν· οὐθὲν γὰρ μᾶλλον ἐμὸν, ἢ ὑμέτερον.

Et mihi mentem adhibete: nihilo enim magis mea, quam vestra interest.

CVM alio mentes conuertisse, negligenterq; orationem suam accipere iudices videt orator, his, atque huiuscemodi vocibus excitare illos debet, & ad studium se attente audiendi reuocare: Adhibete animum verbis meis: neque enim mea magis, quam vestra res agitur: commune namque negotium hoc est. Nam, quod supra praecepit, posse illos excitari, si illorum interesse, de quo agimus, aut magnum esse, aut admirabile docuerimus: prior vox, a priore: posterior, a posterioribus duobus pendet. quomodo autem, pollicendo rem illam voluptati ipsis fore, attentos facere auditores possimus, exemplo non declarauit, cum supra tamen id in ijs, quae attentionem gignunt, numerasset. Halicarnasseus quoque in vita Lysiae, cum praecepta erigendorum iudicum tangeret, inquit, oportere aliquando precibus ab ipsis petere, vt attente audiant. cum vero, quae sua vi sine aperto studio oratoris hoc praestarent, enumeraret, admirabilia & παράδοξα tantum appellauit.

Καὶ. Ἐρῶ γὰρ ὑμῖν, οἷον οὐδεπώποτε ἀκηκόατε, δεινὸν: ἢ οὕτω θαυμαστόν.

Et. commemorabo enim vobis, quale numquam audistis, atrox facinus, siue adeo admirabile.

ALIA ratio excitandi iudices a magnitudine facti, quod exponi debet, siue nouitate. Rogo vos, vt attente verba mea audiatis: narrabo enim acerbissimum facinus, ac numquam alias auditum: siue (inquit) eiusmodi, vt nihil vmquam tam admirabile acceperitis.

Τοῦτο δ' ἐστὶν, ὥσπερ ἔφη Πρόδικος, ὅτε νυστάζοιεν οἱ ἀκροαταὶ, παρεμβάλλειν τῆς πεντηκονταδράχμου αὐτοῖς.

Hoc

Hoc autem est, quemadmodum inquit Prodicus, quando dormitarent auditores, inculcare ipsis in medium aliquid demonstrationis eius, cuius merces essent quinquaginta drachmae.

HANC vim (inquit) habet celebris etiam Prodici Cij vox, qua dormientes discipulos excitabat: solebat enim ille in medio sermone inijcere aliquid ipsis demonstrationis eius: quam, quod quinquaginta drachmis ipsam venderet, πεντηκοντάδραχμον appellabat. Quintilianus libro iiij. hunc locum tetigit. Contraq; est interim prooemij vis etiam non in exordio. Nam iudices & in narratione nonnumquam, & in argumentis, vt attendant & vt faueant, rogamus: quo Prodicus velut dormitantes eos excitari putabat. Non excitabat tamen Prodicus iudices his vocibus, vt Quintilianus videtur intellexisse, quarum exempla ponit Aristoteles: rogans scilicet, vt attenderent ac fauerent, sed discipulos, cum otiose oscitanterq; verba ipsius acciperent, inijciendo aliquid de ingentis pretij illa demonstratione, vigilantiores reddebat. Quare, si id significare voluit, prorsus lapsus est. quod vero ad verbum νυστάζειν pertinet (id autem Graecis somniculosum esse, sopitisq; sensibus valet, vt Plato quoq; in v. de legibus illo vsus est, cum scientiam numerorum celebrans, in alijs ipsius laudibus hanc maximam posuit, quod ingenio inertem ac somniculosum excitat. verba haec eius sunt. τὸ δὲ μέγιστον, ὅτι τὸν νυστάζοντα καὶ ἀμαθῆ φύσει, ἐγείρει) dormitantes reddidit Quintilianus: nam Plutarchus, cum Ciceronis vocem Graecis verbis exponeret, qua ille quibusdam in locis suarum orationum Demosthenem sibi videri dormitare dixerat, Graeco hoc verbo vsus est. Horatius certe in eadem re exponenda dormitare dixit. & idem Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus. Plato autem in Cratylo, quid Prodicus suo illo iuncto verbo intelligeret, exposuit. Εἰ μὲν οὖν ἤδη ἐγὼ ἠκηκόειν παρὰ Προδίκου τὴν πεντηκοντάδραχμον ἐπίδειξιν, ἣν ἀκούσαντι ὑπάρχει περὶ τούτου πεπαιδεῦσθαι, ὥς φησιν ἐκεῖνος, οὐδὲν ἂν ἐκώλυσέ σε αὐτίκα μάλα εἰδέναι τὴν ἀλήθειαν περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος: νῦν δὲ οὐκ ἀκήκοα, ἀλλὰ τὴν δραχμιαίαν. Apud Sudam quoque, vbi de Prodico loquitur, legitur. πρῶτος δὲ οὗτος τὴν πεντηκοντάδραχμον ἐπίδειξιν ἐποιήσατο. Cum quinquaginta igitur drachmas a discipulis, si rationis eius explicationem audire vellent, exigeret Prodicus (vnde quoq; admirabilem illam esse, atq; habere in se vtilitatem mirificam crederetur) cum dormitantes ipsos videbat, aliquam partem demonstrationis eius in medio sermone inijciebat: cuius dignitate illi celebritateq; commoti, ad audiendum excitarentur, somnumq; longe pellerent. Pertinet igitur hoc ad id, quod extremum posuit, ostendens nos idem effecturos, si admirabile illud esse affirmauerimus. παρεμβάλλειν valet hic inserere atque inculcare: vnde versus adulterini, παρεμβεβλημένοι dicuntur. videtur autem intelligi debere verbum, vnde generandi casus aptus sit. Fuit etiam Prodicus, vt opinor, alter medicus, qui litigabat cum his, qui ei suae operae exiguam mercedem dabant: superiori namque sophistae in pecuniae cupiditate non cedebat. meminit ipsius Aristoteles in vij. libro de moribus ad Eudemum.

Ὅτι δὲ πρὸς τὸν ἀκροατὴν, οὐχ ᾗ ἀκροατὴς, δῆλον: πάντες γὰρ ἢ διαβάλλουσιν, ἢ φόβους ἀπολύονται ἐν τοῖς προοιμίοις.

Planum autem est referri ad auditorem, non qua ratione auditor est: cuncti namq; siue criminantur, siue metum discutiunt in prooemijs.

CVM supra haec omnia extra causam esse, dixisset, id verum esse nunc confirmat: quod enim (inquit) cum auditore, non vt auditore, hi agunt, hinc etiam manifestum fieri potest, quod vniuersi in principijs aut criminantur, aut metum disijciunt, quaeq; malum, aut periculum ipsis comportare videbantur, remouent: iudex enim, vt iudex, non audit, nisi quae ad rem causamue faciunt: quare prooemia ad eum minime, vt talem, pertinent.

Ἄναξ: ἐρῶ μὲν οὐχ ὅπως σπουδῆς ὕπο.

Rex, narrabo quidem non me prae studio.

SENARIVM esse Sophoclis ex Antigona, pronuntiariq; ab eo, quem miserant, qui Polynicis corpus, ne sepulturae traderetur, custodiebant, manifestum est: metu enim perterritum, quod ea expositurus esset, quae ipsi displicerent, narrat regi, se saepe in via constitisse, cogitantem, quid agere melius esset: atque omni deniq; ratione initio suae orationis conatur periculum a se amoliri, neq; se alicui culpae affinem esse docere. Nam paulo post idem inquit, velle se, antequam quid factum sit contra interdictum ipsius, aperiat, rem suam agere, atque ostendere opera sua id admissum non esse: neq; se etiam auctorem eius effectoremq; nouisse. quare non posse merito ob id in malum incidere, incommodumq; aliquod. Apud poëtam ipsum οὐχ ὅπως τάχους legitur,

gitur, cuius tamen interpres in declaratione sua πτωχῶς ponit. Quae autem hic verba sequuntur τί φροιμιάζῃ, apud Sophoclem non leguntur: eadem tamen paene sententia a Creonte alijs verbis exponitur: cognouit enim ille aliquid incommodi natum ex tam accurata nuntij, ante quam rem narraret, sui purgatione. poëtae verba paulo post a me ponentur.

Τί φροιμιάζῃ;

Quid longis vteris exordijs?

APVD Euripidem Iphigenia in Tauris, Thoas rex Iphigeniam manifesto deprehensam, obscureq; respondentem ac tergiuersantem, his ipsis verbis percunctatur. τί φροιμιάζῃ νεοχμόν. ἐξαῦδα σαφῶς: quae intellexisse Aristotelem existimare debemus: nisi alicui durum videatur, ex vna in alteram fabulam, & a Sophocle ad Euripidem tanto cum silentio ipsum transisse, & ne coniunctionem quidem καὶ posuisse, vt alias facere consueuit. Sed haec temporibus illis indicare sat erat, quibus scripta tragicorum, non eruditis tantum hominibus, sed imperitis quoq;, multum in theatro sedentibus, cognita & percepta erant.

Καὶ οἱ πονηρὸν τὸ πρᾶγμα ἔχοντες, ἢ δοκοῦντες: πανταχοῦ γὰρ βέλτιον διατρίβειν, ἢ ἐν τῷ πράγματι.

Et qui malam causam habent, siue putant se habere: omnibus enim in locis melius est morari, quam in ipsa re.

ILLI quoq; (inquit) qui malam causam habent: aut se habere putant, huc se conferunt, & ambages quaerunt: intelligi namq; debet προοιμιάζονται: haec enim plaerunque est ratio prooemiorum: & illic, quae extra rem, & causam sunt, tractantur. Non sine causa autem hoc illos facere docens, ait: quouis enim in loco ipsis praestat, quam in causa ipsa permanere, cum partim eius nullam attingere sine damno queant.

Διὸ οἱ δοῦλοι οὐ τὰ ἐρωτώμενα λέγουσιν, ἀλλὰ τὰ κύκλῳ: καὶ προοιμιάζονται.

Quapropter serui non exponunt, quae quaesita sunt ex ipsis, sed quae, tamquam orbem conficiunt: & exordijs vtuntur.

SERVI quoq; (inquit) callida hominum natio, & ad omnem malitiam iniquitate fortunae instructa, non respondent ad interrogata, cum vrgemus illos, & alicuius flagitij coarguere volumus, sed ambages loquuntur: & quae rem potius vndiq; circunstant, quam rem ipsam: ita enim, sententiam secutus, reddiderim τὰ κύκλῳ: quemadmodum in primo libro locutus est, cum appellauit (laudationum rationem tradens) nobilitatem, puerilemq; institutionem, τὰ κύκλῳ. Idem quoque verbum Sophocles in Antigona vsurpauit, vel potius Creontem regem ita loquentem induxit. εὖ στοχάζῃ, κἀποφράγνυσαι κύκλῳ τὸ πρᾶγμα. intellexit tamen rex nuntium illum se vndique munire: & tamquam sepimentum inducere, vt ita tutus sit, nec expugnari possit. quod autem addidit, καὶ προοιμιάζονται, valet, principia sermoni suo accurata affigunt, & in excusandis se ipsis magnam partem orationis consumunt. Vim huius verbi expressit in ij. Georgicorum Virgilius - Non hic te carmine ficto, Atq; per ambages, & longa exorsa tenebo: id est rem ipsam explicabo: in quibusq; alij multum operae, temporisq; consumere consuerunt, cuncta dimittam.

Πόθεν δ' εὔνους δεῖ ποιεῖν, εἴρηται: καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον τῶν τοιούτων.

Vnde autem beneuolos facere oportet, traditum est, & singula alia huiuscemodi.

HOC vnum eorum est, quae ad eum, qui audit, pertinent: tertio autem loco hic positum est: supra vero primo. Rhetores quoque, cum munia prooemiorum tradunt, tria haec afferunt, quae hic ab Aristotele exponuntur. fieri (inquam) illis iudices beneuolos, dociles, attentos: vt Cicero in Partitionibus. Sumuntur autem trium rerum gratia: vt amice, vt intelligenter, vt attente audiamur. & Halicarnasseus in vita Lysiae, vbi ipsum tria haec eximie semper tractasse narrat. Cum igitur hoc restaret, docet se antea de hoc affatim disseruisse, & quae hic necessaria sunt, inde petenda esse: neque tamen id hoc ipso in libro supra fecit, sed in ij. vnde etiam sumi possunt, quae ad commouendum animum iudicis valent: eumq; aduersario iratum faciendum: ac siqui alij affectus in eo excitandi sunt: locus enim ille haec omnia copiose explicauit.

Ἐπεὶ δ' εὖ λέγεται, Δός μ' ἐς Φαίηκας φίλον ἐλθεῖν, ἠδ' ἐλεεινόν, τούτων δεῖ δύο στοχάζεσθαι.

Quia

Quia autem bene dictum est. Concede mihi, vt ad Phaeacas amicus veniam, siue miserabilis, haec duo sibi proponere opus est.

QVI conciliare sibi animos iudicum volunt, dare operam debent, vt aut amici illis ipsis, aut miseratione digni videantur. hoc praecipit nunc Aristoteles: cum enim apud optimum poëtam vidisset, sapientem hominem Vlyssem precari a Minerua, vt ita a Phaeacibus exciperetur, ad quos naufragus accedebat, vt aut bene ipsis cupere, aut miserabilis videretur: vereq; id dictum putaret, inde cognouit maxime, quid nobis proponere debemus. Versus autem ille est in xiiij. libro Odysseae ad extremum. Hoc quoq; praecepit Cicero, cum in ij. de Oratore, quomodo ducerentur sententiae ad prooemia conformanda, a persona eorum, quorum res est, doceret. Ex reo, quae significent virum bonum: quae, liberalem: quae, calamitosum: quae, misericordia dignum.

Ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς οἴεσθαι δεῖ ποιεῖν συνεπαινεῖσθαι τὸν ἀκροατὴν, ἢ αὐτὸν, ἢ γένος, ἢ ἐπιτηδεύματ' αὐτοῦ, ἢ ἄλλως γε πως.

In prooemijs autem demonstratiuis moliri oportet, vt is, qui audit, arbitretur laudari vna cum eo, quem suscepimus omni laude cumulandum, siue se, siue familiam, siue studia sua, siue alio quopiam modo.

IN demonstratiui generis exordijs operam dare debemus, vt ij ipsi, apud quos dicimus, putent se vna cum ijs, quos laudandos nobis proposuimus, ornari, aut si non ipsos, familiam, aut studia artesue eorum: & in eos denique aliquo modo laudes, quas alijs tribuimus, redundare.

Ὃ γὰρ λέγει Σωκράτης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ, ἀληθές: ὅτι οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν, ἀλλ' ἐν Λακεδαιμονίοις.

Quod enim inquit Socrates in oratione, qua laudauit mortuos in bello pro patria, verum est, arduum non esse Athenienses apud Athenienses laudare, sed apud Lacedaemonios.

CONFIRMAT hoc testimonio Socratis, qui apud Platonem nihil negotij esse dixerat laudare Athenienses Atheniensibus, & ad illos luculentam orationem de praeclaris eorum factis, virtutibusq; habere: quemadmodum contra, rem molestam ac perdifficilem esse, apud hostes inimicamq; aliquam gentem aliquos verbis celebrare: & qui aequis auribus orationem eorum non accipiant. In v. libro Tusculanarum quaestionum Cicero Graeco nomine hanc orationem appellauit: in Oratore autem pluribus Latinis Graecum verbum expressit, hoc pacto. Sed in populari oratione, qua mos est Athenis laudare in contione eos, qui sint in proelijs interfecti. Vocari etiam sermonem ipsum Menexenum, notum est. Platonis verba, quibus, quod indicat Aristoteles, significauit, haec sunt. Εἰ μὲν γὰρ δέοι Ἀθηναίους ἐν Πελοποννησίοις εὖ λέγειν, ἢ Πελοποννησίους ἐν Ἀθηναίοις, ἀγαθοῦ ἂν ῥήτορος δέοι, τοῦ πείσοντος, καὶ εὐδοκιμήσοντος: ὅταν δέ τις ἐν τούτοις ἀγωνίζηται, οὕσπερ καὶ ἐπαινεῖ, οὐδὲν μέγα δοκεῖν εὖ λέγειν.

Τὰ δὲ τοῦ δημηγορικοῦ, ἐκ τῶν τοῦ δικανικοῦ λόγου δεῖ: φύσει δὲ ἥκιστα ἔχει: καὶ γὰρ καὶ περὶ οὗ, ἴσασι.

Prooemia autem generis contionalis sumenda sunt a prooemijs generis iudicialis: natura enim minime in se continet: nouerunt enim etiam de quo.

PRINCIPIA (inquit) deliberationum a iudiciali genere sumuntur: nam sua ac propria nulla habent: natura enim (inquit) hoc genus minime indiget prooemijs. cuius rei statim causam affert: quod enim prooemij primum munus est, vt breuiter ostendatur, qua de re sermo haberi debet, hic minime necessarium est: est enim hoc illis iam notum. Cicero in Partitionibus principia huic generi non eripit, sed in angustum illa cogit, his verbis. Principia autem in sententijs dicendis breuia esse debebunt: non enim supplex, vt ad iudicem, venit orator, sed hortator, atque auctor: Alia tamen de causa, vt ex verbis eius percipitur, quam hic noster: quod enim illic non requiri ostendit, non est exordij proprium munus, vt supra patefactum est, quamuis frequenti in vsu oratorum sit. Cum excusi vero antea hic numero multitudinis λόγων haberent, secutus fidem antiquissimi libri, vnitatis numero, eodem casu, λόγου emendaui: vetus quoque tralatio hanc lectionem exprimit: arbitror autem λόγον valere hic, γένος.

Καὶ οὐδὲν δεῖται τὸ πρᾶγμα προοιμίου, ἀλλ' ἢ δι' αὑτὸν, ἢ τοὺς ἀντιλέγοντας. ἢ ἐὰν μὴ ἡλίκον βούλει ὑπολαμβάνωσι, ἀλλ' ἢ μεῖζον ἢ ἔλαττον.

Ac nullam in partem res eget prooemio, nisi vel propter ipsum, vel aduersarios, vel si tantam non esse rem existimarint, quantam tu vis, sed siue maiorem, siue minorem.

PRAETEREA (inquit) res ipsa sua sponte prooemio non eget. quod si quando non reicit, persona potius eius, qui agit, aut aduersarij, quam res ipsa id recipit, non nullisq; alijs huiuscemodi temporibus, quae ipse exponit: & Quintilianus quoq;, qui hunc locum expressit, ostendit: » haec enim ipsius verba sunt e tertio libro. Aristoteles quidem, nec sine causa, putat, & a nostra, » & ab eius, qui dissentiet, persona duci frequenter in consilijs exordium: quasi mutuantibus » hoc nobis a iudiciali genere: non numquam etiam, vt minor res, maiorue videatur: quod enim ait, & a nostra, & ab eius, qui dissentiet, persona, manifesto haec verba vertit. ἀλλ' ἢ δι' αὑτὸν, ἢ τοὺς ἀντιλέγοντας. nam quod ad posterius verbum pertinet, ita quoque supra Aristoteles locutus est, cum, contra rhetoras sui temporis disserens, quando egerent prooemijs deliberationes indicauit. ὅταν ἀντιλογία ᾖ.

Διὸ ἢ διαβάλλειν, ἢ ἀπολύεσθαι ἀνάγκη, καὶ ἢ αὐξῆσαι, ἢ μειῶσαι.

Quapropter vel criminari, vel obiecta crimina refellere necesse est: vel amplificare, vel minuere.

HAEC superioribus respondet: tunc enim persona aduersarij quasi poscit prooemia, cum crimina in eam inferenda sunt: eius autem, qui dicit, cum illata dissoluenda: nam cum id, de quo agitur, minus quam ratio nostra postulat, videbitur, amplificare illud oportebit: cum vero maius, conterere atq; extenuare. Cicero quoque extremum hoc crebro fieri in prooemio affir- » mat, his verbis. Sed amplificatio, quamquam habet proprium locum: saepe etiam primum: » postremum quidem fere semper.

Τούτων δὲ ἕνεκα προοιμίου δεῖται, ἢ κόσμου χάριν. ὡς αὐτοκάβδαλα φαίνεται, ἐὰν μὴ ἔχῃ.

Horum autem causa opus est prooemio, vel ornatus causa, ne tenuia videantur atque abiecta, quae adferuntur, nisi habuerint.

HORVM (inquit) quae exposuimus gratia, recipiunt deliberationes exordia: nam praeter supradicta tempora principium etiam adfigi huic generi potest ornatus causa, ne tenuis nimis oratio, & subito temereq; effutita videatur: illa enim dignitatem nullam habere potest. αὐτοκάβδαλα autem carmina leuia vocantur, vt supra quoq; a me traditum est, cum nulla praeparatione animi multi versus subito funduntur. Hoc quoque Cicero posuit, cum tria, quorum » aliquid omne principium habere deberet exponens, inquit. Aut quoddam ornamentum » ac dignitatem.

Τοιοῦτον γὰρ τὸ Γοργίου ἐγκώμιον εἰς Ἠλείους.

Huiuscemodi enim est laudatio Gorgiae in Eleos.

Τοιοῦτον intelligo, αὐτοκάβδαλον & inconditum, & quod prima sui parte, speciem nullam, dignitatemue retineret. Cum autem de genere deliberandi loqueretur, ostenderetq;, cur adfigenda illi essent prooemia, quodq; vitium in se continerent suasiones dissuasionesq;, quae eo carerent, exemplum attulit orationis in alio genere scriptae: ad culpam tamen demonstrandam, qua, quae sine principio essent orationes eius generis, praedictae forent, nihil rettulit e quo genere exemplum caperet.

Οὐδὲν γὰρ προεξαγκωνίσας, οὐδὲ προανακινήσας εὐθὺς ἄρχεται. Ἦλις πόλις εὐδαίμων.

Cum enim nihil prius brachia excitasset, neque eadem concussisset, ilico incipit. Elis ciuitas beata.

A studio athletarum translata haec verba sunt, qui, antequam manus cũ aduersario consererent, se ad pugnam praeparabant, partesq; maxime corporis, quibus in concertatione vsuri erant, vt illis aptioribus, valentioribusq; vterentur, commouebant: non nullaque interim faciebant,

quae ſpeciem in ſe ac venuſtatem quandam haberent. Hunc locum (vt opinor) expreſſit Cicero in ij. libro de Oratore, cum de principijs & ipſe dicendi diſputans, quamque accurata illa eſſe deberent oſtendens, inquit. In quo admirari ſoleo non equidem iſtos, qui nullam huic rei operam dederunt, ſed hominem in primis diſertum, atq; eruditum Philippum, qui ita ſolet ad dicendum ſurgere, vt quod primum verbum habiturus ſit, neſciat: & ait idem, cum brachium concalefecerit, tum ſe ſolere pugnare, neq; attendit eos ipſos, vnde hoc ſimile ducat. & quae ſequuntur. Immutauit tamen hoc: quod a gladiatoribus ſimile, non vt philoſophus fecerat, ab athletis duxit: Romae namq; cum Cicero ſcribebat, ac multo ſuperioribus etiam temporibus, crebra munera gladiatorum populo dabantur: Ariſtotelis vero aetate gladiatores in Graecia non pugnabant: multisq; poſtea ſeculis crudele hoc ſpectaculum a mitiſſima gente receptum eſt. vt commemorat T. Liuius in xlj. libro: Perſes enim, Philippi filius primus gladiatorium munus in Graecia edidit: athletarum autem frequens vſus erat: vnde vterq; verba tranſtulit a re tunc nota ac peruulgata. Ambobus vero his hominum generibus in hoc conueniebat inter ſe, quod & viribus eodem tempore, & venuſtati ſeruiebant. Eodem igitur pacto, vt ſi illi ſine hac diligentia elegantiaue, in harenam deſcenderent, ita Gorgiam dicit orationem ſuam ſubito aggreſſum, in medium argumentum inuaſiſſe: dixiſſeq;. Elis fortunata ciuitas: cuncta enim, quae ad ſpeciem adhibentur, reliquit. Ἐξαγκωνίζειν ſignificat brachiorum partem, quam ἀγκῶνα vocant, extendere: atque ita, quaſi vinctam illigatamq;, illam expedire, atq; omnem inde torporem eijcere. ἀνακινῆσαι vero, brachia manusq; commouere ac concutere: quo etiam crebro motu illa calidiora & agiliora redderentur. Plato quoq; in iiij. libro de legibus, cum de prooemijs ſuarum legum diſputaret, hoc ipſo verbo vſus eſt (locus omnis ſupra a me Latinis verbis expoſitus) qui tamen, ne duriuſcula translatio videretur, particula addita, ipſam molliuit, ac breuem ex ipſa imaginem formauit: loquens autem ille communiter, inquit. ὅτι λόγων πάντων, καὶ ὅσων φωνὴ κεκοινώνηκε, προοίμιά τέ ἐστι, καὶ σχεδὸν οἷόν τινες ἀνακινήσεις: & quae ſequuntur.

Περὶ δὲ διαβολῆς, ἓν μὲν τὸ, ἐξ ὧν ἄν τις, ὑπόληψιν δυσχερῆ ἀπολύσαιτο: οὐδὲν γὰρ διαφέρει, εἴτε εἰπόντος τινός, εἴτε μή.

De criminatione autem, vnum quidem eſt, e quibus aliquis opinionem triſtem odioſamque euelleret ex animis: nihil enim refert, ſiue illa opera alicuius eo inculcata fuerit, ſiue non.

CVM in ſententijs dicendis principia etiam duci docuerit, vel a criminandis ijs, qui diſſentient, vel a criminibus diſſoluendis, vias nunc oſtendit, quibus dilui crimina poſſint: de diluendis autem, prius quam de inferendis agit, quia prooemiorum, de quibus nunc praecipit, magis proprium hoc eſt: illud vero perorationum, vt ipſe antea affirmauit. Primum praeceptum huiuſcemodi eſt. Quaecunq; adiuuant ad delendam ex animis hominum malam de te exiſtimationem, cuncta proderunt etiam ad crimina depellenda: nihil enim refert, ſiue ſermone alicuius maleuoli orta ſit praua illa opinio, ſiue ſua ſponte excitata: quare vtilis ſemper haec ratio eſt. incipere autem nos ſaepe praue de aliquo ſentire, vel ex nefarijs aliquibus ipſius vocibus, vel factis apertum eſt: haec tamen criminatio appellari non poteſt. Cum oratione vero & indicio alicuius, qui aut improba aliqua facta, aut turpia deſideria eius nobis aperuerit, id fit, tunc illa διαβολὴ Graece, criminatio Latine appellatur.

Ὥστε τοῦτο καθόλου.

Quapropter hoc in vniuerſum verum eſt.

PRAECEPTVM hoc ſemper vtile eſſe demonſtrat: in vniuerſumq; prodeſſe. vt quae delendae malae de nobis opinioni accommodata ſint, ſua ſponte: non artificijs hominum excitatae, eadem quoque valeant ad illata ab aduerſario crimina depellenda.

Ἄλλος τρόπος, ὥστε πρὸς τὰ ἀμφισβητούμενα ἀπαντᾶν.

Alius modus, tamquam aduerſus ea, de quibus omnis controuerſia nobis cum aduerſario in foro eſt, obuiam ire.

ALIA ratio eſt (inquit) diluendae criminationis, occurrere ipſi eadem via, qua criminibus illatis occurrere ſolemus: factisq; improbis, quorum in iudicio arguamur: & de quibus omnis lis & controuerſia nobis ſit cum aduerſario: illa namque ἀμφισβητούμενα vocantur. Cum in excuſis autem & hic, & non multo poſt in tertia ratione, quam tradit, diſcutiendae criminationis,

τόπος legeretur, vt inueni in antiquissimo libro, τρόπος ambobus in locis emendaui, vetus quoq; tralatio hoc confirmat. saepe autem inter se verba haec ob similitudinem ab imperitis librarijs immutantur. vocare ipsum τρόπους, confutandi duo illa genera, quorum alterum in captionibus verborum manet: alterum vero in sententia imponit, notum est: eodem quoq; pacto loquitur illic non multo post, cum dicit tres modos esse elenchorum, qui e multiplici notione verborum & ancipiti sermone proficiscuntur.

Ἢ ὡς οὐκ ἔστιν, ἢ ὡς οὐ βλαβερὸν, ἢ οὐ τούτῳ, ἢ ὡς οὐ τηλικοῦτον, ἢ οὐκ ἄδικον, ἢ οὐ μέγα, ἢ οὐκ αἰσχρὸν, ἢ οὐκ ἔχον μέγεθος: περὶ γὰρ τοιούτων ἡ ἀμφισβήτησις.

Siue inficiando rem esse, siue non esse eam detrimentosam, siue non huic ipsi, siue non tantam, siue non iniustam, siue non magnam, siue non turpem, siue quae magnitudinem in se non habeat: de huiuscemodi enim rebus controuersia existit.

QVOMODO aliquis resistere consuerit in iudicijs criminibus, quorum reus sit, narrat: & quae praecipue arripere ac tenere: status autem causarum appellant ipsos posteriores huius artis magistri: aut enim inficiando, aut nihil cuiquam detrimenti ex ea re natum ostendendo, aut non huic, qui se queritur damnum accepisse, aut non tantum damni factum: vt autem ab vtili, ita ab aequo argumentabimur. aut iniquum id non esse, aut non magnam culpam. sed etiam ab honesto: aut non turpe id esse docentes, aut pusillam rem, magnitudinisq; expertem esse: de huiuscemodi enim rebus (inquit) controuersia existere solet. Quod mendosum hic erat, castigaui: quorundam scriptorum librorum, & eorum quidem meliorum, fidem & veterem tralationem secutus: antea enim ἢ οὐ τοῦτο legebatur: dandi vero casu τούτῳ legi debere, certum est. innuit autem hoc pacto (nisi fallor) statum illum, quem recentiores translationem vocarunt: cum enim ipsum aperte non tradiderit, semina tamen eius quaedam citra nomen posuit. quod testatus etiam est Quintilianus: hunc enim locum arbitror eum intellexisse: qui namque inficiari non potest detrimentum a se illatum esse, sed ait eum ipsum, qui de hoc queritur, damni nihil fecisse, remouet causam ab actore: nec iure ab ipso secum agi posse docet: quod etiam in status, quaestionesue translatiuas cadit: neq; enim tantum translatione vtitur, qui alium auctorem esse eius facti, cuius insimulatur, non se docet, verum etiam, qui accusatori ius agendi non esse, aut contra hunc, aut hoc tempore, aut hac lege ostendit. In primo vero libro hanc controuersiam reticuit Aristoteles, vbi, iudiciale genus explicans, non nihil, quod ad status causarum pertineret, tetigit: neq; enim existimo quid sit, ipsum hic significasse, idest definitiuum statum: qui sensus ex altera lectione fortasse eliceretur. nam hunc etiam fere non ponit, vbi ceteros appellat: sed qualis res sit quaerendum putat: qualitas enim hic rerum potius, quam natura spectatur: & illam magis, quam hanc, quaerere oratores solent. Praeterea si, quid sit, nunc intellexisset, verum earum quaestionum ordinem (vt opinor) custodisset: cum tamen hic manifesto, quae ad rei qualitatem faciunt, antea tradat: vis enim prius naturaq; ipsius: postea autem qualitas quaerenda foret.

Ὥσπερ Ἰφικράτης πρὸς Ναυσικράτην: ἔφη γὰρ ποιῆσαι, ὃ ἔλεγε, καὶ βλάψαι, ἀλλ' οὐκ ἀδικεῖν.

Quemadmodum Iphicrates aduersus Nausicratem: confessus enim est se fecisse, quod dixit: atque obfuisse, sed tamen iniuste minime facere.

VT egit (inquit) atque innocentiam suam ostendit, Iphicrates aduersus calumniatorem Nausicratem: ait enim se fecisse, quod obijciebat, laesisse etiam: nihil tamen iniqui se admisisse, quod possint detrimenta quoq; aliquibus iuste importari. Hic est autem Nausicrates ille orator, cuius mentionem quoq; fecit Plutarchus in Cimone, narrans eum dixisse Citiaeas bustum eius imperatoris colere ac venerari solitos. Ita quoq; M. Ciceronem causam T. Milonis defendisse notum est. quod ipse quoq; testatur, vt alijs locis, ita etiam his verbis. » Illud iam in iudicium venit, non occisus ne sit, quod fatemur, sed iure, an iniuria. » quod multis antea in causis iam quaesitum est.

Ἢ ἀντικαταλλάττεσθαι ἀδικοῦντα: εἰ βλαβερὸν, ἀλλὰ καλὸν: εἰ λυπηρὸν, ἀλλ' ὠφέλιμον, ἤ τι ἄλλο τοιοῦτον.

Vel compensare, si iniuste fecisse arguatur: si detrimentosum, at honestum: si molestum & cum dolore fuit, at vtile, siue quippiam aliud huiuscemodi.

AVT si inique fecisse quispiam arguatur: nec factum inficiari aut purgare possit, compensare rem hoc pacto. si detrimentosum alijs quippiam gessit, at id honestum ijsdem fuit. Si triste, ac molestum, at illis ipsis vtile, aut aliquid huiuscemodi afferre deniq; oportet, quod non male omnino cum illis actum declaret: id vero, cum inique nos fecisse fateamur.

Ἄλλος τρόπος, ὡς ἔστιν ἁμάρτημα, ἢ ἀτύχημα, ἢ ἀναγκαῖον.

Alius modus, erratum esse, vel infortunium, siue necessitate sibi imposita gestum.

ALIVS (inquit) modus ratioq; depellendi a se illarum crimen, quod arguaris fecisse, docere id lapsum quendam erratumq; esse, aut fortunae culpa factum, aut necessitate aliqua tibi imposita, viq; adhibita, commissum: ijs enim homines ignoscere consuerunt: neque enim ex sententia nostra fiunt, neq; a consilio voluntateq; proficiscuntur.

Οἷον Σοφοκλῆς ἔφη τρέμειν, οὐχ ὡς ὁ διαβάλλων ἔφη, ἵνα δοκῇ γέρων, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης: οὐ γὰρ ἑκόντι εἶναι αὐτῷ ἔτη ὀγδοήκοντα.

Veluti Sophocles tremere se, non vt criminator, affirmauit, vt senex videatur, sed necessario: non enim sponte sua se premi annis octoginta.

CVM obiecisset calumniator quidam optimo omnium tragicorum poëtarũ, toto corpore ipsum tremere, vt ob malam aetatem facilius veniam ab iudicibus impetraret, inquit Sophocles tremere se, non, quemadmodum improbus ille affirmaret, vt senex videretur, sed necessario: non enim ad numerum se octoginta annorum sponte sua venisse: sed lege & imperio naturae. non libenter se graui illa aetate premi; ac si in sua potestate positum foret, multos se inde annos dempturum fuisse.

Καὶ ἀντικαταλλάττεσθαι τὸ, οὗ ἕνεκα: ὅτι οὐ βλάψαι ἐβούλετο, ἀλλὰ τόδε: καὶ οὐ τοῦτο, ὃ διεβάλλετο ποιῆσαι: συνέβη δὲ βλαβῆναι: δίκαιον δὲ μισεῖν, εἰ, ὅπως τοῦτο γένηται, ἐποίουν.

Et commutare finem exitumque eius facti, se obesse noluisse, verum hoc efficere: & nullo pacto hoc, quod improbe arguit, moliri: euenit autem, vt incommodum inde acciperet: iustum vero fuisse, se odio haberi, si, vt hoc efficeretur, gessisset.

COMPENSARE quoq; damnum fine atq; vltimo non est cunctandum: docereq; se numquam laedere ipsum in animo habuisse, sed hoc, aut illud facere: quod autem verisimile erit, reique accommodatius proferet, vt etiam affirmare numquam facere se illud cogitasse: quod autem damnum acceperit, casu factum esse. dignum autem odio futurum fuisse, si, vt illud efficeretur, id commissum a se fuisset. Prius exemplum significat ἁμάρτημα: cum obfuturos nos minime putantes, sed alio fine proposito imprudentes laedimus: posterius vero, ἀτύχημα, cum aliud ageremus, aliud inopinatum extitisse, vnde damnum alicui datum sit.

Ἄλλος, εἰ ἐμπεριείληπται ὁ διαβάλλων, ἢ νῦν, ἢ πρότερον, ἢ αὐτὸς, ἢ τῶν ἐγγύς.

Alius, si in eorum numero est, qui criminatur, siue hoc ipso tempore, siue prius, siue ipse, siue propinquorum aliquis.

ALIVS modus est. diligenter animaduertere, an calumniator in illis contineatur & insit, qui culpam illam admisisse, creduntur, aut si nunc non sit, praeteritisne temporibus vmquam fuerit: quod si non ipse, aliquis saltem ei propinquus, aut sanguine coniunctus.

Ἄλλος, εἰ ἐμπεριλαμβάνονται, οὓς ὁμολογοῦσι μὴ ἐνόχους εἶναι τῇ διαβολῇ.

Alius, si continentur in illis, quos omnes fatentur non esse affines ei culpae.

ALIVS modus. Videre, an criminatio eadẽ cadat in eos, quos omnes minime affines esse crimini illi confitentur: an in eo numero contineantur, quos omnes liberos esse ea culpa intelligunt.

Οἷον, εἰ ὅτι καθαρὸς ὁ μοιχὸς, καὶ ὁ δεῖνα, καὶ ὁ δεῖνα ἄρα.

Veluti, si adulter est purus: & ille igitur atque ille.

QVI ab omni scelere vacui erant, καθαροὶ dicebantur, quasi puri, ac fine macula: vt venti quoq; qui nebulas pellerent, ac serenitatem inducerent, καθαροὶ vocabantur. Aristoteles in libro

adumbratorum elenchorum, doloq; vtentium, in ancipiti hac voce ostendit, sophisten aduersarium lusisse, cum quaesisset ex illo, an aquilo purus esset. Cum autem, qui hominem interfecisset, purus mundusq; esse non videretur, apud Euripidem Ion, in fabula ab ipso inscripta, hoc verbo vsus, affirmat, qui hostem necarit, nullo scelere contaminatum haberi debere. Idem
» vero expressisse arbitror Horatium, cum initio elegantis odae inquit. Integer vitae, scelerisque purus. Si igitur, qui immundus inquinatusq; imprimis habetur, adulter: is purus esse intelligitur: & hic atq; ille, qui & ipsi eodem crimine laborabant, puri esse existimari debent: valet enim ad alios subleuandos detecta cognitaq; innocentia aliquorum, qui eidem culpae affines creduntur. Sunt sane plures scripti libri, in quibus repetitum sit hoc pacto idem verbum. καὶ ὁ δεῖνα, καὶ ὁ δεῖνα ἄρα: non pauci tamen, neque ij deteriores, qui semel tantum habent, sed nec vetus tralatio iterat.

Ἄλλος, εἰ ἄλλους διέβαλεν, ἢ ἄλλος αὐτούς, ἢ ἄνευ διαβολῆς ὑπελαμβάνοντο, ὥσπερ αὐτὸς νῦν, οἳ πεφήνασιν οὐκ ἔνοχοι.

Alius, si alios criminatus est, siue alius quispiam ipsos, aut sine alicuius criminatione existimabantur, quemadmodum ipse nunc, qui cogniti sunt non esse affines culpae.

Alivs (inquit) locus. videre, an qui nunc te criminatur, alijs temporibus alios criminatus sit: aut alius quispiam eosdem illos in crimen vocarit: aut si, quamuis crimen in eos illatum non fuerit, eidem tamen culpae obnoxij vulgo existimati sint, qua ipse nunc premitur, qui tamen postea affines illi non esse declarati sint: si enim planum factum erit, innocentes alios, probosq; viros, eum antea criminatum esse, facile credent omnes tunc ipsum mentiri, atque omnis eius criminatio fide carebit: quemadmodum etiam si praeteritis temporibus alios, item honestos homines, aut alicuius criminis falso insimulatos fuisse, aut aliqua infamia iniuste flagrasse patefactum fuerit, te quoque falso in crimen vocari potuisse declarabit, & non parum subleuabit.

Ἄλλος, ἐκ τοῦ ἀντιδιαβάλλειν τὸν διαβάλλοντα: ἄτοπον γάρ, εἰ ὃ αὐτὸς ἄπιστος, οἱ τούτου λόγοι ἔσονται πιστοί.

Alius, inde nobis vtilis, mutuo criminari eum, qui te criminatur: absurdum enim est, si ipse non dignus est, cui credatur, vt eius verbis fides habeatur.

Alia ratio huiuscemodi est, inquit. contra criminari, qui te criminetur, ac studium potius ponere in criminando aduersario, quam in se purgando, & quasi ijsdem artificijs illum petere, quibus ipse te aggressus sit. cur autem hoc vtile sit, ostendit: fieri enim (inquit) non potest, vt si ipse dignus, cui non credatur, sit, oratio postea ipsius fidem habeat. Hoc loco egregie vsus
» est Virgilius in Palaemone: iacto enim in ipsum maledicto Damoetas inquit. Parcius ista
» viris: tamen obijcienda memento. Nouimus & qui te. Quam rationem arripiens quoque
» statim Me..alcas, expressius ea vsus est. Tum credo, cum me arbustum videre Myconis,
» Atque mala vites incidere falce nouellas. Quod in excusis hic antea ἐκ τοῦ ἐναντίου διαβάλλειν erat, emendaui, secutus auctoritatem antiquissimi libri, in quo elegantius multo, ἐκ τοῦ ἀντιδιαβάλλειν, legitur.

Ἄλλος, εἰ γέγονε κρίσις, ὥσπερ Εὐριπίδης πρὸς Ὑγιαίνοντα ἐν τῇ ἀντιδόσει, κατηγοροῦντα ὡς ἀσεβής, ὅς γ' ἐποίησε, κελεύων ἐπιορκεῖν. Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ': ἡ δὲ φρὴν, ἀνώμοτος.

Alius, si de eo iudicium iam factum est, quemadmodum Euripides aduersus Hygiaenontem, in Antidosi, obijcientem ei, quod impius foret, qui in fabula sua, quasi auctor mortalibus foret, vt peierarent, cecinerat. Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Alia ratio crimen diluendi, si iudicium de ea re iam factum est: quae enim semel iudicata sunt, non debent iterum in iudicium vocari. Hoc pacto Euripides a se periculum depulit: cum enim in iudicio actioneue, quam ἀντίδοσιν Athenis vocabant, ab Hygiaenonte, vt impius insimularetur, quod, ad periurium cunctos nefarie impellens, hanc vocem ediderat. Lingua iurauit: mens vero iniurata permansit: respondit eum iniuste facere, e Liberi patris certaminibus iudicia in curiam comportantem: se enim iampridem illic, vbi debebat, rationem eius sententiae reddidisse, atque dare paratum esse, si nomen suum illic deferre voluerit. Versiculum autem illum in Hippolyto coronato esse, pronuntiarique a casto illo adolescente, minanti malum impurae feminae, nutrici Phaedrae: nec non in iij. libro de Officijs his verbis expressũ a Cicerone

cerone

» cerone esse, omnes (vt opinor) sciunt. Iuraui lingua: mentem iniuratam gero. A multis autem exagitabatur Euripides, quod tam nefariam sceleratamq; sententiam in fabula sua posuisset, vt ab Aristophane quoque βατράχοις: cum enim huiuscemodi illic ingenium diceret se Bacchus optare: quod foecundum foret, ac nouas inauditasq; sententias ederet, in Euripidem
» (semper ipsi infestus poëta) inuectus est. eumq; manifesto descripsit, hoc pacto. Aut mentem
» per deos sacraq; iurare nolentem: linguam vero, quae peieret seorsum, menteq; non assentiente. Quae actio foret ἀντιδόσεις erudite copioseq; declarauit Budaeus in commentarijs suis. Hygiaenon vero manifesto hic viri nomen est: testimonium quoq; Hyperidis ex oratione aduersus Hygiaenontem citat Harpocration, vbi explicat notionem verbi θέσθαι: nisi forte illic quoq; Εὐριπίδης legi debet, vt similitudo nominis librarium deceperit: explicantur tamen eo libro voces a decem Atticis oratoribus vsurpatae, & eorum auctoritates plerunq; adducuntur.

Ἔφη γὰρ αὐτὸν ἀδικεῖν, τὰς ἐκ τοῦ Διονυσιακοῦ ἀγῶνος κρίσεις εἰς τὰ δικαστήρια ἄγοντα: ἐκεῖ γὰρ αὐτὸν δεδωκέναι λόγον, ἢ δώσειν, εἰ βούλεται κατηγορεῖν.

Dixit enim eum iniuste facere, qui e certamine Liberi patris transferret existimationes rerum in forum: illic enim se rationem reddidisse, laturumque rursus esse, si accusare vult.

Eleganter refutauit Euripides improbitatem accusatoris: docuitque non debere se eorum, quae in fabulis scripsisset, rationem reddere in foro: neq; apud iudices illos, qui illic causas audirent: habere enim poëtas suos iudices: & qui, siquid praue ab ipsis dictum fuerit, possint ab eis iustas paenas sumere: iniuste autem transferri causam e certamine contentioneq;, quae inter poëtas in ludis Liberi patris habetur, ad contentionem, quae in foro inter aduersarios exercetur. fabulae autem hae in festis diebus Liberi patris Athenis docebantur. quod testimonio etiam lepidiss. eiusdem comici intelligitur: qui ob eam causam induxit Bacchum ad inferos descendere, vt inde tragicum poëtam abduceret, posteaquam illi, qui viuebant, non huiuscemodi erant, vt possent suis fabulis sibi dicatos ludos honestare. Isocrates quoque in Pa-
» nathenaico id his verbis ostendit. τίς γὰρ οὐκ οἶδεν, ἢ τίς οὐκ ἀκήκοε τῶν τραγῳδοδιδασκάλων ἐν Διονυσίοις
» τὰς Ἀδράστῳ γενομένας ἐν Θηβαίοις συμφοράς.

Ἄλλος. ἐκ τοῦ διαβολῆς κατηγορεῖν, ἡλίκον.

Alius inde sumptus, si criminationem accuset, quam magnum incommodum sit.

Alius locus est, inquit, disputare contra calumniam, & quasi ream illam agere, ostendereque quam ingens malum ipsa sit: quamuis enim calumniam eam esse, qua premitur, non demonstrarit, tamen longa, & accurata illa oratione, qua calumniam accusarit, ita infensos calumniae auditores faciet, vt eam, quae non est, calumniam esse arbitrentur: & de illa, vt de calumnia statuant. Contra calumniam autem subtiliter, copioseq; disseruit Isocrates in oratione περὶ τῆς ἀντιδόσεως: & quot incommoda ex ea prouenirent, docuit.

Καὶ τοῦτο, ὅτι ἄλλας κρίσεις ποιεῖ.

Atque hoc, quia iudicia alia, existimationesq; rerum facit.

Hunc sensum huius loci esse arbitror: in primisq;, quia ab eo, de quo quaeritur, discedit: & ad rem, cuius videndae causa coacti iudices non sunt, transit: vt in superiore exemplo. qui negotium facessebat Euripidi, quamuis aliter ille se defenderit, insimulari etiam poterat, quod immutaret iudicia: cum enim lis esset, an munera illa publica, quibus parem se ille esse negabat, posset sustinere Euripides, accusator eodem tempore in crimen eum vocabat, quod impius foret, & ad periurium vulgo homines hortaretur: tunc enim manifesto iudicium confundebat, & ex alia in aliam quaestionem transibat.

Κοινὸς δ' ἀμφοῖν ὁ τόπος, τὸ σύμβολα λέγειν.

Communis autem ambobus locus est, notas ostendere.

Notas & indicia, quaedam afferre, quibus ostendas, quod docere studes, communis locus ambobus est, inquit: idest accusatori, ac reo. Exemplis autem poëtarum hoc confirmat.

Οἷον ἐν τῷ Τεύκρῳ ὁ Ὀδυσσεύς: ὅτι οἰκεῖος τῷ Πριάμῳ: ἡ γὰρ Ἡσιόνη ἀδελφή.

Veluti in Teucro Vlysses, ipsum esse propinquum Priami: Hesione namq; soror eius.

In fabula Teucro inscripta, Vlysses a nota Teucrum criminatus est: ac fauere rebus Troianorum insimulauit, cum esset Teucer sanguine coniunctus Priamo: Hesione enim ipsius mater, Priami soror erat. Virgilius in viij. Aeneidos Hesiones huius mentionem fecit: ita enim induxit Euandrum loquentem: Nam memini, Hesiones visentem regna sororis, Laomedontiadem Priamum Salamina petentem. Teucer quoq; ipse apud Sophoclem in Aiace, respondens iurgijs Agamemnonis, stirpemq; suam extollens, dicit se matre natum Laomedontis filia. Quintilianus vero inquit in tragoedijs Teucrum reum facere Vlyssem fratris occisi. vt inter eum, & Vlyssem omnino hae contentiones videantur exortae.

Ὁ δὲ, ὅτι ὁ πατὴρ ἐχθρὸς τῷ Πριάμῳ, ὁ Τελαμών: καὶ ὅτι οὐ κατεῖπε τῶν κατασκόπων.

Hic vero, patrem hostem fuisse Priami, Telamonẽ, seq; non patefecisse speculatores.

Contra Teucer, se fidelem esse Graecis, nec Troianorum partes adiuuare, a notis & ipse confirmat. Telamon enim pater hostis Priami: nec non quod speculatores, Troiam missos, non indicauit. Telamonem bellum fecisse Priamo, & ab inuito illo sororem extorsisse, vel potius eam praemium recte factorum ab Hercule accepisse: cuius comes fuit in expugnatione Ilij, manifestum est.

Ἄλλος τῷ διαβάλλοντι, τῷ ἐπαινοῦντι μικρὸν, μακρῶς ψέξαι: μέγα, συντόμως.

Alius accommodatus criminanti, cum laudaris tenuiter, prolixe vituperare, amplum concise.

Hic communis ambobus non est, sed vtilis tantum criminanti: vt ipse ostendit. animaduertenda autem diligenter sententia ipsius: gignit enim obscuritatis non parum tanta verborum breuitas, qua expositus est. Qui quempiam laedere, atq; infamare vult, omnia facere, ne malus ipsius animus intelligatur, debet: vtile autem huic rei est: consiliumq; calumniatoris tegit, laudes vituperijs immiscere: atq; ita fidem criminationi suae acquirere: laudes tamen a vituperationibus vinci ac superari necesse est. Laudare igitur, quod pusillum est, prolixe oportet: quod vero magnum, breuiter: postea vituperando accusandoq; reo operam dare: neque enim minutae rei, copiosa laudatio: neq; amplae, exigua obesse criminandi voluntati poterit, cum pusillae res verbis etiam ornatae, negligantur: magnae autem modice laudatae, non valde recipiantur: eodemq; tempore auctoritatem fidemque reliquae, plenae falsorum criminum, orationi comparent.

Ἢ πολλὰ ἀγαθὰ προθέντα, ὃ εἰς τὸ πρᾶγμα προφέρῃ, ἓν ψέξαι.

Siue cum multa bona prius commemoraris, quod ad rem facit, vnum vituperare.

Callida alia ratio calumniandi: vt omnia potius facere velle videaris, quam criminari: cum scilicet antea multas alicuius dotes, ac praeclaras virtutes constitueris, id vnum, quod ad rem pertinet, vituperare. Horatius in Satyra iiij. primi libri eleganter hoc ingenioseq; tractauit: sic enim praui ingenij hominem, qui se in amicitiae officio non peccare videri volebat, cum grauius, quam inimici facerent, amicum vrgeret, accusans loquitur. mentio siqua De Capitolini furtis iniecta Petilli Te coram fuerit: defendas, vt tuus est mos: Me Capitolinus conuictore vsus, amicoq;, A puero est: causaq; mea permulta rogatus Fecit: & incolumis laetor quod viuit in vrbe: Sed tamen admiror], quo pacto iudicium illud Fugerit. hic nigrae sucus lolliginis, haec est Aerugo mera. Nullum magis accommodatum exemplum afferri potuit. De furtis agebatur, idq;, si verus amicus erat, purgare debebat: contra hic comitate eius laudata, nec se aliquid vnquam in familiaritate ipsius desiderasse ostendens, id vnum, quod ad rem, de qua tunc agebatur, faciebat, ac toto pectore defendi oportebat, accusauit. Appellat autem hoc Aristoteles προφέρειν εἰς τὸ πρᾶγμα. Quae igitur hic minime necesse erant, commendauit: quod subleuare debuit, ac tempus illud defendi acriter poscebat, vituperauit: causa enim Petillij, vt illa potius silerentur, & hoc enixe excusaretur, flagitabat. Cicero quoque pro L. Flacco vafra hac ratione vsus est: cum, eleuare volens testimonia Graecorum, qui valde premebant reum, atque omnem auctoritatem ipsis eripere, ne videretur hoc odio ductus facere, docuit se ab illo genere hominum voluntate non abhorrere: laudauitq; studia ipsorum, quae celebrata nihil causae nocebant: id autem vnum, quod ad rem erat, atrociter vituperauit. Verumtamen hoc dico de toto genere Graecorum. tribuo illis litteras. do multarum artium disciplinam. non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: deniq; etiam, siqua sibi alia sumunt, non repugno: testimoniorum religionem & fidem numquam ista natio coluit: totiusq; huius rei, quae sit vis, quae auctoritas, quod pondus, ignorant.

Τοιοῦτοι

Τοιοῦτοι δὲ οἱ τεχνικώτατοι καὶ ἀδικώτατοι: τοῖς ἀγαθοῖς γὰρ βλάπτειν πειρῶνται: μιγνύντες αὐτὰ τῷ κακῷ.

Tales autem sunt maxime dolosi, iniustissimiq; mortales: dant enim operam, vt operum bonarum obsint, permiscentes ipsas cum rebus malis.

HVIVSMODI autem sunt (inquit) criminatores callidissimi, & qui summum eius rei artificium tenent: ijdem autem maxime iniusti: cuius rei causam statim affert: student enim (ait) laedere rebus bonis: intelligit autem virtutes ac mores astute laudatos ab ipsis, quorum cum ea vis sit, vt prosint, nunc tamen contra ipsorum naturam, quod indignissimum est, vt obsint efficitur: obsunt autem, quia occulunt prauum animum criminatoris, & fidem illi acquirunt: non simplicibus tamen bonis illis vti dicit, sed malo: idest vitio aliquo, admixtis: bona enim seorsum numquam efficerent, quod optabat: miscent igitur illa re mala: atque ita corrumpunt naturam illorum: non pauca enim, quae sua vi bona sunt: ac sincera, iuuant: si malo temperentur, mala noxiaq; fiunt. Ἀγαθὰ res bonas videtur appellare, & quae a virtute proficiscuntur: quo sensu cepit, par huic, poëticum verbum, auctor versiculi, positi a Cicerone in epi-
» stola quadam ad Atticum. ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς, τὸν ἀπωθοῦντα ψόγον: idem enim paene ille valet, quod
» locus hic e primo libro de officijs. Magnis enim illi & diuinis bonis hanc licentiam assequebantur: sed etiam hoc ipsum, quod hic, Aristoteles in primo de arte poëtarum eodem intelle-
» ctu vsurpauit, vbi quibus rebus vincat, epopoeia tragoediam exponit: inquit enim. ὥστε τοῦτ'
» ἔχει τὸ ἀγαθὸν εἰς μεγαλοπρέπειαν. quapropter (inquit) habet illa commodum hoc, adminiculumq; ad granditatem, ac pondus ipsi comparandum. Vt autem philosophus hic iniquissimos appellauit, qui rebus bonis obesse conarentur: ita quoq; Isocrates in Panathenaico, accusare Lacedaemonios volens, communiter omnes illos pessimos mortales esse inquit, ac maxima animaduersione dignos, qui rebus, vt adiuuarent, inuentis, ad detrimenta importanda vterentur.

Κοινὸν δὲ τῷ διαβάλλοντι, καὶ τῷ ἀπολυομένῳ.

Commune autem hoc est criminanti, & illi, qui crimen dissoluit.

MENDOSE antea, ἀπολογουμένῳ in excusis legebatur: calamo exarati libri recte habent: erat enim illa verae vocis declaratio. Hoc autem verbo vti Aristotelem, cum de diluendo crimine loquitur, planum est: infra etiam. τῷ δ' ἀπολυομένῳ. Communis igitur, quem proferet, locus erit criminanti, & crimen disijcienti.

Ἐπειδὴ τὸ αὐτὸ ἐνδέχεται πλειόνων ἕνεκα πεπρᾶχθαι: τῷ μὲν διαβάλλοντι κακοηθιστέον, ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐκλαμβάνοντι: τῷ δὲ ἀπολυομένῳ, ἐπὶ τὸ βέλτιον.

Quia autem contingit, vt idem multorum causa geratur, debet is, qui criminatur, deprauare id factum, in peiorem partem accipiendo: qui autem dissoluit, ornare in meliorem.

HOC vt notum, solidumq; ponit, ex quo omnis locus pendet. Quia (inquit) fieri potest, vt eadem res pluribus de causis gesta sit, calumniator deprauare ipsam debet in deteriorem partem sumendo: contra qui criminationem depellit, in meliorem trahendo, ornare.

Οἷον ὅτι ὁ Διομήδης τὸν Ὀδυσσέα προείλετο: τῷ μὲν, ὅτι διὰ τὸ ἄριστον ὑπολαμβάνειν τὸν Ὀδυσσέα: τῷ δ', ὅτι οὔ, ἀλλὰ διὰ τὸ μόνον μὴ ἀνταγωνιστήν, ὡς φαῦλον.

Veluti Diomedes anteposuit Vlyssem: huic quidem, quod optimum omnium existimaret Vlyssem: huic vero minime, sed quod videbat eum solum delibaturum non esse quicquam suae laudis, vt ignauum.

EXEMPLVM satis clarum (ex Homeri enim libro decimo Iliadis sumptum est) totam rem illustrat. Diomedes, cum potestas ei facta esset, vt quem vellet ex omnibus copijs Graecorum eligeret, noctu, quid hostes facerent, exploraturus, Vlyssem socium sumpsit. Qui in meliorem partem rem trahit, aiebat potissimum eum cepisse, quia optimum omnium Vlyssem intelligebat: qui vero in deteriorem, minime hoc consilio illum fecisse affirmat: verum quia sciebat illum solum, vt ignauum nihil ex gloria sua decerpturum esse: nihil enim forte ab eo proficisci vmquam posse credebatur.

Καὶ περὶ

Καὶ περὶ μὲν διαβολῆς εἰρήσθω τοσαῦτα. Διήγησις δ' ἐν μὲν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς ἐστὶν οὐκ ἐφεξῆς, ἀλλὰ κατὰ μέρος.

Et de criminatione quidem tot dicta sint. Narratio autem in orationibus demonstratiuis non deinceps, perpetuaque esse debet, sed singillatim cuncta exponenda sunt.

POSTQVAM omnem rationem criminandi alterum, & oblatam criminationem depellendi docuit, narrationem aggreditur: quomodoq; illa in demonstrandi genere conformari debeat, exponit. non sunt igitur (inquit) omnia deinceps, vt facta sunt, narranda: sed singillatim vnum quodq;: idest minime continens perpetuaque narratio in hoc genere esse debet, sed interrupta, & in plures partes dissecta: id enim valere hic puto κατὰ μέρος: vt singula seorsum, quae laudas, ab eo facta sunt.

Δεῖ μὲν γὰρ τὰς πράξεις διελθεῖν, ἐξ ὧν ὁ λόγος.

Opus est enim res gestas persequi, ex quibus oratio conflatur.

REDDIT rationem, cur in demonstrandi genere interrupte sit narrandum: neque enim satis est, cum quempiam laudamus, dicere eum fortem, temperantem, sapientem esse, sed facta ipsius aliqua, quae hoc confirment, afferre oportet. non paruam autem partem ex his constat oratio, ex factis (inquam) ac rebus gestis ipsius.

Σύγκειται γὰρ ἔχων ὁ λόγος, τὸ μὲν, ἄτεχνον: οὐθὲν γὰρ αἴτιος ὁ λέγων τῶν πράξεων: τὸ δὲ, ἐκ τῆς τέχνης.

Composita enim est oratio, continens in se, hoc quidem expers artificij: neque enim qui dicit, vllam in partem causa est eorũ, quae facta sunt: hoc autem, ab arte profectum.

NON enim simplex quaedam natura oratio est (inquit) sed composita: alteram enim partem illa, artis expertem: alteram, compotem habet: inueniri autem eius partem, quae arte vacet docens, inquit: qui exponit enim facta ipsa non adiuuit: neque quae facta non sunt, vt facta sint, aut, vt magis hoc, quam illo ordine gesta sint, omni suo studio efficere potest. Caret igitur haec pars manifesto arte: alia vero particeps artis est.

Τοῦτο δ' ἐστιν, ἢ ὅτι ἐστι δεῖξαι, ἐὰν ᾖ ἄπιστον: ἢ ὅτι ποῖον, ἢ ὅτι πόσον, ἢ καὶ ἅπαντα.

Hoc autem est, siue ostendere rem esse, si fuerit incredibilis: siue qualem, siue quantam, siue omnia haec simul.

QVAE sit pars orationis, quae recipiat studium atque artem oratoris, docet: cum scilicet ipse aut probat rem factam esse, quod fieri debet, cum incredibilis illa est: aut qualem, aut quantam esse argumentatur: aut omnia simul haec. sunt autem illa, de quibus controuersiae nasci solent: qualem vero rem esse docere, idest bonam aut malam, ad laudem aut reprehensionem pertinet: quantam autem, magnam scilicet aut paruam, ad amplificationem, aut diminutionem.

Διὰ δὲ τοῦτ' ἐνίοτε οὐκ ἐφεξῆς δεῖ διηγεῖσθαι πάντα, ὅτι δυσμνημόνευτον τὸ δεικνύναι οὕτως.

Ob hoc autem interdum non decet narrare cuncta deinceps, ordineq; ipsorum seruato, quia aegre memoria retinentur, quae fuerint ita exposita.

QVOD supra non continuatam in hoc genere narrationem debere esse dixit, vt ex his verbis intelligere licet, perpetuum non fuit, sed certorum quorundam temporum: nunc, cur id facere non oporteat, ostendit. Cuncta enim (inquit) eodem ordine, quo facta sunt, exponere, hoc vitium in se habet, quod aegre memoriae mandatur, id quod ratione allata probatur ac confirmatur sic: idest in narratione continenti, & quae ordine temporum seruato fit. Cum igitur res confirmatione egent, non est vtile deinceps narrare, ac singulas res ita exponere, vt gestae sunt, quia probatio earum rerum, quae necessaria illic est, facit vt aegre postea ipsae memoria retineantur: quod si relinqui posset demonstratio, incommodi nihil, continens perpetuaque narratio secum ferret.

Ἐκ μὲν οὖν τούτων, ἀνδρεῖος: ἐκ δὲ τῶνδε, σοφὸς, ἢ δίκαιος.

Ex his

Ex his igitur fortis: ex his autem ſapiens, vel iuſtus.

HOC exemplum eſt narrationis continentis, & quae deinceps ſingulas res, vt geſtae ſunt, expoſuerit: cum autem confirmatione poſtea opus ſit, ſumuntur inde, quae ſimiles inter ſe atque vniuſmodi ſunt, atque ita copulantur: explicatis ſcilicet rebus, quae a fortitudine profectae videntur, dicere ex his fortis eſſe manifeſto intelligitur: alijs poſtea, quae aequitatem, aut ſapientiam declarant, narratis, adiungere: ex his autem aut ſapiens, aut iuſtus.

Καὶ ἁπλούστερος ὁ λόγος οὗτος.

Et ſimplicior eſt haec oratio.

AC ſimplicior (inquit) oratio haec eſt: cum res ſcilicet ante ordine narrantur: poſtea ſeorſum confirmantur: neque enim interrupta narratio eſt, interiectis rationibus earum rerum, argumentisq;, quibus probentur, ſed perpetua iugisq; apparet.

Ἐκεῖνος δὲ ποικίλος, καὶ οὐ λιτός.

Illa vero varia, & non exilis.

ILLA vero (inquit) oratio varia & non vniuſmodi, nec tenuis eſt, cum ſtatim, ſingulis rebus expoſitis, probatio earum adhibetur: quis enim non videt huiuſcemodi orationem eſſe multiformem, quae partim ex narratione: partim ex confirmatione rerum expoſitarum conſtat: narratio enim ac probatio, res diſſimiles ſunt. vt igitur illa plana ſimplexque, ita haec varia & non exilis.

Δεῖ δὲ τοὺς μὲν γνωρίμους, ἀναμιμνήσκειν. διὸ οἱ πολλοὶ οὐδὲν δέονται διηγήσεως.

Notos autem & claros viros in memoriam redigere oportet. vnde fit, vt multi narratione non egeant.

ADMONET nos, ne plurimum operae ſtudijq; ponamus in factis valde clarorum virorum, & qui omnibus noti ſint, accurate exponendis: ſatis enim eſſe affirmat illos ipſos in memoriam redigere ijs, apud quos verba facimus: ſtatim enim nomine ipſorum audito, virtutes eorum, praeclaraque facta apparebunt. quare addit extare non paucos, qui nulla egent narratione. γνωρίμους autem hos vocat, quaſi notos & celebres, vt Graeci elegantes ſcriptores loqui conſuerunt: & ſi enim τὰς γνωρίμους in antiquiſſimo exemplari ſcriptum eſt, conſenſus tamen reliquorum omnium, cum quibus etiam facit vetus tralatio, fecit, vt modo certiorem hanc lectionem iudicarem.

Οἷον εἰ θέλεις Ἀχιλλέα ἐπαινεῖν: ἴσασι γὰρ πάντες τὰς πράξεις, ἀλλὰ χρῆσθαι αὐταῖς δεῖ.

Exempli cauſa, ſi vis Achillem laudare: cuncti enim nouerunt res geſtas eius, ſed ipſis vti oportet.

CVM omnibus nota praeclara Achillis facta ſint, narratione ſuperſedere orator debet, & minuta accurataq; ipſorum explicatione: debet enim illis, vt planis certisq;, abſque vlla narratione, ad Achillem ornandum vti: omnis enim ille labor, qui in ipſis exponendis poneretur, inanis & ingratus foret. Exemplo igitur Achillis ipſe vtitur, cuius erant res geſtae valde celebres, & a ſummo poëta ſempiternae memoriae proditae. Huiuſcemodi etiam ſunt Epaminondas, Themiſtocles, Timoleon, alijq; non nulli, qui nullum laborem, periculumq; ſubterfugerunt, vt ciuibus ſuis ceterisq; mortalibus prodeſſent: in primisq; conſilio & animi magnitudine valuerunt.

Ἐὰν δὲ Κριτίαν, δεῖ: οὐ γὰρ πολλοὶ ἴσασιν.

Si vero Critiam, oportet: non enim multi nouerunt.

QVOD ſi probum (inquit) aliquem virum, cuius tamen recte facta ignota ſint, ornamus, quae laudi homini eſſe poſſunt, cuncta diligenter explicare debemus: rationem auté, cur id fieri oporteat, reddidit. dicens; neq; enim multi ſunt, qui cognita & explorata illa habeant. Multa vero hinc, quae paſſim & in alijs excuſis & in ſcriptis codicibus leguntur, ſuſtuli: totum enim eum locum, ijſdem verbis in primo libro tractatum eſſe conſtat: cum illic autem, quae potui pro declaratione eius attulerim, eundem laborem iterum ſuſcipere conſilium non fuit. Sed ne Ariſtotelem quidem ipſum puto id feciſſe, vt eandem rem, ijſdem verbis duobus locis expoſuerit:

fuerit: sed in alterum ex altero temere importatum ab imperito aliquo librario existimo: & vt, quod sentio, libere loquar, credo alterius illius loci proprium totum hoc esse: huic autem nullo modo conuenire: cur enim in media narratione exponenda tam accurate, copioseq; de laude, laudationeq; disputet? vereor sane ne hic aliqua desiderentur: quod enim sequitur, hac parte omni relicta, quam importune repetitam, atque ideo exturbandam hinc arbitror, ad iudicialis generis narrationem pertinet, cum praeteritus omnis sermo manifesto demonstratiuarum narrationum fuerit. quare cum inter se haec non valde cohaereant: neq; finis illius praeceptionis, nec initium huius appareat, fit, vt demonstratiuae narrationis extrema explicatio, & iudicialis prima, defecisse videatur: cum igitur aliqui fortasse locum hunc fractum mancumq; esse viderent, supplere volentes, quod hic aptum non erat, malo consilio vsi, iniecerunt.

Sed postquam, quod hic me pungit, aperui, sermoque ortus est de fortasse non omnino integra parte huius libri, commodum mihi est narrare, quod a doctissimis viris, & magna virtute dignitateq; praeditis accepi, Angelo Iustinianio episcopo, ac Ioanne Vincentio Pinellio, Michaelem Sophianum, Graecum hominem, amicum vtriusq; horum, & meum quoq; non paruum, nactum fuisse vetus exemplar Isocratis, in quo & quae diuulgatae sunt huius diserti scriptoris orationes leguntur: & praeterea fragmentum quoddam alius, quae adhuc in occulto latet: cuius, pusillae partis ipsius (vt aiunt) tres loci citati sunt ab Aristotele in hoc libro. Necesse igitur est sint aliqui e numero eorum exemplorum, quae significaui, doluiq; me omni meo studio diligentiaq; non potuisse indagare, vnde accepta sint: neq; auctorem earum vocum sententiarumque monstrare. factum autem est vndique male: nam & Michael mortuus est: & quae possidebat, in potestatem venere cognati ipsius, qui domicilium non habet in Italia: neq; apud aliquem hic viuit: raroq; huc aduentat, occupatus in continuis & longinquis nauigationibus. Hoc mihi visum est commemorare. Cum etiam mentio inciderit summi magistri dicendi, laudatique magnopere testimonijs maximorum scriptorum & Graecorũ & Latinorum: quiq; creditur excitasse Aristotelem ob ingentem gloriam, quam ipse inde consecutus erat, vt, adhibita plurima diligentia ac studio, absolueret atque ornaret hanc artem, libet exponere, quod olim in colloquio multorum eruditorum & nobilium virorum dixit homo doctus, magnusque amator & admirator huius perfecti operis, non putare se verum esse, quod litteris multis locis a M. Tullio proditum fuit de odio, quo flagraret noster princeps peripateticorum aduersus hunc magnum rhetorem: atque id, quia videbat eum, cum de lumine aliquo verborũ, aut concinnitate sententiarum, aliquid praeciperet, vti libenter auctoritate ipsius: atque inde plerunq; petere exempla, quibus id declararet. quod, cum manifesto multum valeat ad aliquem ornandum, laudisq; non parum ac dignitatis ei adportandum, non videbatur ille facturus fuisse, si alieno animo ab eo extitisset: inimicitiasq; cum ipso gessisset. respondi ego statim (nam antea mecum multum de hoc cogitaueram, notaueramque non pauca, quae ad scrupulum hunc, non tenuem, neq; futilem euellendum pertinebant) dubitari non posse de paruo aut nullo amore Aristotelis erga Isocratem, vel potius aemulatione quadam, & certamine honoris, cum ipse aliquo modo noto versu, quem in ore saepe habebat, hoc confessus sit. quo aiebat Turpe sibi esse tacere, & Isocratem pati dicere: hoc enim commemorauit M. Cicero. Nec tamen me fallit Laertium in vita, quam scripsit ipsius, tradidisse hoc Aristotelem de Xenocrate itidem eius aemulo pronuntiasse. sparsa autem haec a superioribus duobus, principibus harum familiarum, semina discordiae, manarunt etiam ad posteros. nam & Isocratei non cessarunt tueri dignitatem sui ducis ac magistri, & aduersari sedulo philosopho: & Hieronymus peripateticus, quacunque re potuit, studuit oppugnare Isocratem, gloriamq; eius conterere ac labefactare. Sed alij quoque hoc studiose fecerunt amici fautoresq; laudis, aut huius, aut illius: in quibus etiam fuit Cephisodorus Atheniensis, sodalis Isocratis, auditorq; ipsius, qui scripsit apologiam sui doctoris, vt ferunt, admirabilem, quae quattuor libris continebatur: purgauitq; existimationem eius suis illis in scriptis aduersus ea, quae obiecerat Isocrati Aristoteles. nam Aphareus etiam, quem sibi filium adoptauit Isocrates, idem fecerat: atque in hanc curam toto animo incubuerat. quae cuncta sunt prodita litteris, & certis testimonijs confirmata. Praeterea certum est Aristotelem loqui solitum de Isocrate, quasi de causidico quodam, & qui plurimum operae con sumpsisset in causis forensibus, si non dicendis, saltem componendis: scripsit enim ille alijs orationes quodam tempore, quibus in iudicijs vterentur: & si postea grauiora argumenta sumpsit, confecitque orationes ac libros mirifice probatos in duobus alijs generibus dicendi, quibus & incredibilem eloquentiam ornatumq; omnem orationis complexus est: atque Atticam iuuentutem ad virtutem colendam & patriam summo amore prosequendam, inflammauit: & cum periculo etiam capitis sui ciues, qui gubernaculum reip. tenebant, grandioremq; aetatem hortatus est, vt praesentem illum ciuitatis statum relinquerent, affinem vitijs non paruis, & ad veterem democratiam reuerterentur, quae florebat per vniuersam Graeciam, & mirificum sibi amorem reliquarum liberarum ciuitatum suis honestis praeclarisq; factis conciliarat. Sed,

cum haec plana & explorata ſint, comprobemus potius, quod teſtimonijs & auctoritatibus magis videtur egere, cum veſtigium paene ipſarum hodie nullum appareat, occupatum aliquando fuiſſe grauem hunc & ſeuerum ſcriptorem in iudicialibus cauſis tractandis: ſimulq; declarat libenter Iſocrati maledixiſſe Ariſtotelem: maculaeq; aliquid inurere ſplendori ipſius ſemper voluiſſe. teſtantur hoc verba philoſophi, quae leguntur apud Halicarnaſſeum in vita Iſocratis. illa autem hic ponam nulla re variata: inquit enim, cum ſe quaſi arbitrum feciſſet aequum huius litis, nihil ſe mouere, vt quae contra dicebantur, ita, quod ait Ariſtoteles δεσμὰς πάνυ πολλὰς δικανικῶν λόγων ἰσοκρατείων περιφέρεσθαι ὑπὸ τῶν βιβλιοπωλῶν: hae namq; plane indicant verum eſſe, quod de eo narraui, aduerſarium fuiſſe, & obtrectatorem laudis Iſocrateae Ariſtotelem: niſi enim ita ſe res habuiſſet, non tam aſpere in eum, & cum contumelia locutus fuiſſet: neque dixiſſet manipulos multos multosq; forenſium ipſius orationum circumferri ſolitos, vendique a librarijs. quare vt iuſtam cauſam habuiſſet quaerendi de hoc doctus ille vir, ſi ſciſſet, quod a me patefactum eſt, ingentem aemulationem contentionemq; fuiſſe honoris inter hos magnos, ſuo quemq; in genere ſcriptores, ita lapſus eſt, & peccauit valde, qui hoc falſo memoriae proditum fuiſſe a Cicerone exiſtimauit: neq; tamen cum atroces penitus inimicitiae inter eos non fuiſſent, abſtinere ſe debuit Ariſtoteles, quin elegantijs & feſtiuitatibus diſerti & politi ſcriptoris monimentum hoc ingenij ſui exornaret, praeſertim cũ vnde tam formoſos flores fructusq; decerperet, fortaſſe aliunde non haberet. Non fuerunt autem nouae, neq; inauditae in honeſtis admodum perſonis atque deditis optimis artibus, de honore ac gloria huiuſcemodi contentiones: notum enim eſt Platonem quoque & Xenophontem, ambos ciues Athenienſes, & ab eodem ſapientiſſimo viro graui ſanctaq; diſciplina imbutos, non bene animatos inter ſe fuiſſe, ſed, quamuis vtriq; plura de vita ac moribus ſcripſerint, virtutemq; omnib. ingenij viribus commendarint, vix tamen in tam longis operibus ſui mentionem vmquam feciſſe: alterumq; alterius nomen appellaſſe: atq; ita ſe geſſiſſe in alijs etiam non nullis rebus, vt non ſine cauſa haec ſuſpicio de illis in pectoribus eruditorum hominum commota ſit: & ſi modeſtius temperantiusq; hoc fecerunt, & mutuum animum, non nihil deprauatum, quantum potuere, texerunt.

Νῦν δὲ γελοίως τὴν διήγησιν φασὶ δεῖν εἶναι ταχεῖαν.

Nunc autem ridicule narrationem aiunt eſſe oportere celerem.

ISOCRATEM hic accuſat Ariſtoteles: quamuis nomen eius non ponat: indicio autem hoc Quintiliani cognoui, qui, hunc locum intelligens, totumque paene explicans, inquit. Eam » plerique ſcriptores, maxime qui ſunt ab Iſocrate, volunt eſſe lucidam, breuem, veriſimilem: » eadem nobis placet diuiſio: quamquam Ariſtoteles ab Iſocrate, parte in vna diſſenſerit, prae» ceptum breuitatis irridens: tamquam neceſſe ſit longam, aut breuem expoſitionem, nec liceat » ire per medium. Contemnere autem huius praecepti auctorem, atque irridere Ariſtotelem, nullo negotio intelligitur: ridicule enim eos facere affirmauit, quid id praeciperent: & ſimile id adduxit, quod magis rei, riſu explodendae, quam ſerio refellendae, aptum videtur. ſupra quoque, cum eorundem diuiſionem improbaret, eodem aduerbio vſus eſt, ac diuidere ipſos γελοίως affirmauit.

Καίτοι, ὥσπερ ὁ τῷ μάττοντι ἐρομένῳ πότερον σκληρὰν, ἢ μαλακὴν μάξῃ: τί δ᾽ ἔφη εὖ ἀδύνατον; καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως.

Atqui, quemadmodũ qui ſubigenti farinam interrogantiq;, vtrum duram an mollem ſubigeret, quid inquit fieri non poteſt, vt bene: & hic ſimiliter.

QVEMADMODVM (inquit) piſtori quidam ſubigenti farinam, percunctantiq; durum ne, an mollem ſubigeret? acute reſpondit. quid? bene omnino ſubigere non licet? ea vox etiam huc accommodari poteſt. Ratio autem id faciendi cum aperta ſit, id omiſit Ariſtoteles: quis enim non videat, ita praeceptum Iſocratis exagitari poſſe. breuem tu narrationem laudas, vt qui prolixam fugias, non autem extrema captanda ſunt, ſed medium retinendum: quod fieri oportere ipſe copioſe docet. μάττειν, frequens in Graeco ſermone verbum eſt, ac ſubigere ſignificat: de paneque dicitur, & placentis: vnde μάζα. quo nomine μεταφορικῶς vſus eſt Ariſtophanes in fabula, cuius index ἱππεῖς, ita inducens Demoſthenem loquentem, cum accuſaret Cleonem, καὶ πρῴην γ᾽ ἐμοῦ μᾶζαν μεμαχότος ἐν πύλῳ λακωνικὴν. & quae ſequuntur.

Δεῖ γὰρ μὴ μακρῶς διηγεῖσθαι, ὥσπερ οὐδὲ προοιμιάζεσθαι μακρῶς: οὐδὲ τὰς πίστεις λέγειν.

Opus eſt.n. non prolixe narrare, quemadmodũ neq; ordiri prolixe: neq; confirmare.

NON

NON ita oportet culpam aliquam fugere, vt in contrarium vitium incidas: assentior enim Isocrati, & qui eum sequuntur, narrationem prolixam esse non debere: vt neque principia etiam, nec alias partes orationis productas, & quasi extra fines suos excurrentes, probo: peccant enim quoque, qui probationes, argumentaq; prolixe dicunt.

Οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα ἐστὶ τὸ εὖ, ἢ τῷ ταχὺ, ἢ τῷ συντόμως, ἀλλὰ τῷ μετρίως.

Neque enim in hoc manet laus, si dixeris celeriter, vel concise, sed si mediocriter.

VIRTUS enim (inquit) orationis in hoc collocata non est, vt prolixe aliquis narret, aut ordiatur orationem, aut doceat aliquid: argumentisq; confirmet eodem pacto: quemadmodum etiam in contrario sita non est, vt celeri concisaque oratione in ijsdem vtatur: neque enim breuiter concisequе eadem fieri recte possunt, sed mediocritate quadam seruata. discrimen autem hoc esse videtur inter duo haec aduerbia, quamuis similis eorum intellectus sit: quae namque ταχὺ narrantur, breuiter sane exponuntur: cuncta tamen tanguntur. συντόμως vero conciseque dicuntur, quorum pars aliqua demitur atque amputatur, nec totae res illae commemorantur.

Τοῦτο δ᾽ ἐστὶ, τὸ λέγειν, ὅσα δηλώσει τὸ πρᾶγμα, ἢ ὅσα ποιήσει ὑπολαβεῖν γεγονέναι, ἢ βεβλαφέναι, ἢ ἠδικηκέναι, ἢ τηλικαῦτα, ἡλίκα βούλει.

Hoc autem valet dicere, quae rem declarent, siue quae efficiant, vt credant rem gestam esse, siue obfuisse, siue iniuste fecisse, siue tantam, quantam vis.

CUM, qui recte hoc gerere velit, medioctiter narrare debere ostenderit, quomodo mediocritas hac in re seruetur, docet: nihil aliud (inquit) hoc est, quam dicere, quae exponant rem, aut in animis eorum hanc opinionem gignant, quod facta illa sit: aut laesisse: aut iniuria laesisse, aut ea, quae facta esse constat, tanta esse, quanta videri tibi commodum est: tangit namque illa, de quibus supra controuersias oriri docuerat: cum enim qui sine reprehensione narrare voluerit, & non prolixe aut breuiter, quod vitiosum est, ostenderit, cuncta dicere debere, quae explanent ac significent rem: id enim manifesto valet δηλοῦν, rem incognitam tradere aliquibus & indicare, adiungit, aut quaecunq; excitent huiuscemodi opinionem, vt qui audiunt credant rem factam esse, ac detrimentum importasse facto illo suo, qui accusatur: & quae sequuntur. Cum vero haec ad confirmationem, fidemque pertinere videantur: argumentorum enim alius vsus non est, nisi docere, aut factam esse rem, quae dubia sit, aut damnum, qui reprehenditur attulisse, & admisisse aliquid contra leges, & ea non leuia, sed magna grauiaq; esse, aut contra, siquis defendat, animaduertenda sunt verba auctoris, qui inquit. ὅσα ποιήσει ὑπολαβεῖν, non quae illa confirment ac probent, sed quae praeparent animos auditorum ad consequentem partem: argumenta namque, quibus fides fit, ducuntur e narratione, & in ea sparsa cuncta ac disseminata sunt: est enim narratio (vt Cicero inquit) sedes ac fundamentum constituendae fidei.

Τῷ δὲ ἐναντίῳ τὰ ἐναντία.

Aduersario autem contraria.

CUM accusatorem aperte instruxerit, vnde etiam reus defensorque se ornare possit, ostendit se simul indicasse: contraria enim eorum, quae exposita sunt, ipsi accommodata erunt: in sua enim narratione edere ille debet, quae testentur se, cuius arguitur, non fecisse: aut non obfuisse. & reliqua, quae repugnant superioribus.

Παραδιηγεῖσθαι δὲ, ὅσα εἰς τὴν σὴν ἀρετὴν φέρει.

In narrando autem tangere, & breuiter commemorare, quae ad virtutē referuntur.

IN narratione autem, & dum rem exponis, non nulla inijcere debes, quae probitatem tuam declarent. Hunc sensum esse arbitror horum verborum: quod etiam exempla, quae ponit, confirmant. παραδιηγεῖσθαι autem, quod qui hoc facit, non manet in suo munere: adiungit enim, quae extra narrationem sunt. vt παραπρεσβεία ementita legatio vocatur, quod qui eius culpae reus est, officium legati migrarit: eaq;, quae non decebat, commiserit. Adiungere igitur oportet, quae ad virtutem tuam tendant, aut alterius, quem perstringere vis, vitium. Idem autem praecipere Cicero in Partitionibus voluit, cum inquit. Si probitas narrantis significabitur.

Οἷον. Ἐγὼ δ᾽ ἐνουθέτουν αἰεὶ, τὰ δίκαια λέγων, μὴ τὰ τέκνα ἐγκαταλείπειν: ἢ θατέρου κακίαν. Ὁ δὲ ἀπεκρίνατό μοι, ὅτι οὐ αὐτὸς ἔσται ἄλλα παιδία.

Veluti.

Veluti. Ego autem admonebam semper, iusta dicens, ne filios desererent: siue alterius culpam: Hic autem mihi respondit, fore, vt vbi ipse fuerit, non defuturi sint alij filij.

VNDE acceptum exemplum hoc sit, compertum non habeo: sensus ipsius planus est: quae vero interiecta verba sunt, ἢ δι᾽ ἀρετὴν ἢ κακίαν, auctoris manifesto sunt: repeti autem debet e superiore loco, ad illa explicanda necessaria, praepositio εἰς: communis namq; illa est ambarum partium: fortasse etiam ab Aristotele ita fictum conformatumq; exemplum est. Sententia autem posterioris partis, qua significat, debere etiam in narrando addi aliquid, quod ad improbitatem aduersarij indicandam faciat, prioris partis sententiae respondet. Quod si, vt eiusdem scriptoris accipiuntur, non aut probitatem narrantis tantum: quod hic traditur, aut improbitatem aduersarij significant, sed eodem tempore vtrunque declarant. commendat autem manifesto apud iudicem te, si dixeris. ipse sane numquam destiti admonere, quod aequum, iustumq; esse sentiebam, ne filios desereret. Criminatur autem aduersarium, si haec addideris. Hic vero non dubitauit mihi respondere: vbicunque terrarum ipse erit, alij filij erunt: quam enim improba haec vox sit, apparet.

Ο τοὺς ἀποστάντας Αἰγυπτίους ἀποκρίνασθαί φησιν ὁ Ἡρόδοτος.

Quod, cum defecissent a rege, Herodotus dixit respondisse Aegyptios.

MENDOSE antea in excusis Αἰγύπτου legebatur: in calamo scriptis melioribus recte Αἰγυπτίους. quare ita castigaui. Historia nota est, & ab Herodoto in Euterpe tradita: a Psammeticho enim, saeuo rege, Aegyptij defecerant, quos cum fugientes consecutus ille esset, vt redirent, rogabat: & ne patrios deos relinquerent, liberosq; & vxores, suadebat: e quorum numero quidam, genitali monstrato, quibuscunq; in terris id fuerit, filios etiam, vxoresq; ipsis fore, affirmauit. Deleui praeterea, quae prius ante haec verba constituta erat, particulam ὃ: abest namque illa ab antiquissimo libro: qui tamen hac in parte perturbatior est. sensus autem praecipue declarat superuacaneam eam esse: quod enim ab Herodoto in historia traditum est, nihil aliud est, quam, quod supra alijs verbis explicatum iam erat. Addidit igitur hoc, locum illum historiae indicans, vnde fortasse sententiam illam accepit, qui eo pacto ipsam explicauit.

Ἢ, ὅσα ἡδέα τοῖς δικασταῖς.

Siue, quae iucunda sunt iudicibus.

RESPONDET hoc superiori illi parti, qua docuit, oportere accusatorem in narrationem inserere, quae virtutem eius indicent: vt enim id recte vtiliterque fieri tradidit, ita etiam aspergi posse ea omnia, quae iudicibus iucunda sunt, inquit. cuius rei causa aperta.

Ἀπολογουμένῳ δὲ ἐλάττων ἡ διήγησις.

Illi, qui causam defendit, minor est narratio.

DEFENSORI (inquit) narratio minor est: cuius etiam praecepti ratio satis plana: cuncta enim antea ab accusatore sunt exposita. quod si aliquid ille astute omisit, quia tempori rationique suae, inutile id prodere cognorit, ipse explanabit: omniaq; denique, quae ab illo deprauata in narrando erunt, corriget: &, vt causa ipsius postulat, proferet.

Αἱ δ᾽ ἀμφισβητήσεις: ἢ μὴ γεγονέναι: ἢ μὴ βλαβερὸν εἶναι: ἢ μὴ ἄδικον: ἢ μὴ τηλικοῦτον.

Resistet autem hoc pacto: siue enim inficiabitur factum esse: siue affirmabit detrimentosum, quod fecit, non fuisse: siue non iniustum: siue non tantam magnitudinem in se continuisse.

RESISTET autem (inquit) accusationi, disceptabitq; de his rebus: aut enim inficiabitur factum, aut nihil detrimenti se attulisse affirmabit: aut iniquum id, iniustumq; non esse, quod fecerit, contendet: aut non tantum, quantum ab accusatore dicatur: complectitur autem hoc vtrunq;: & detrimenti namq; importati & facinoris magnitudo minui potest.

Ὥστε περὶ τὸ ὁμολογούμενον, οὐ διατριπτέον, ἐὰν μή τι εἰς ἐκεῖνο συντείνῃ, οἷον εἰ πέπρακται, ἀλλ᾽ οὐκ ἄδικον.

Quapropter in eo, quod omnium consensu probatur, non est commorandum, nisi ad illud referatur, veluti, si gestum est, at non iniustum fuit.

QVO fit (inquit) vt in rebus certis, concessisq; diu manere, ac tempus terere non oporteat, nisi ad aliquid eorum, quae tradita supra sunt, res tendat. vt si factum fateris, non iniustum id esse demonstrare possis. cum vero huius rei facultas tibi erepta est, nec aliqua ratione purgare factum potes, cito inde recedendum. & omnes hi loci sunt praeteruolandi oratione.

Ἔτι παραδιηγεῖσθαι δεῖ λέγειν, ὅσα μὴ πραττόμενα, ἢ οἶκτον, ἢ δείνωσιν φέρει.

Praeterea oportet dicere facta esse illa, quae minime, cum geruntur, vel misericordiam, vel indignationem mouent.

PRAETEREA reus, & qui in iudicio, quae obiecit aduersarius, diluit, confiteri debet: dicereq; a se facta, quaecunq; dum fiunt, non excitant in animis iudicum aut miserationem personarum illarum, contra quas facta sunt, aut indignationem in auctores: ipsa namq; omnino inficiari eum oportet, nec vmquam a se facta concedere: omnem enim caussam ipsius euerterent, nec medicinam vllam huic plagae postea adhibere posset. Hunc sensum huius loci esse puto: qui sane obscurior est, & quia paucis verbis expositus est, & quia, quae illum declarabant, exempla paene defecerunt: incommode enim factum est, quod cum exemplis maxime hanc rem illustrare voluerit Aristoteles (plura enim attulit) non omnia certa sunt: id autem iniuria superiorum temporum factum est: ij namq; scriptores, vnde duo accepit, absumpti: quo magis laborare cogimur. Nec tamen, siquis subtiliter animaduertat, intellectumq; huius loci, quem explicaui, consideret, mirari debet admonitum esse reum, vt supersedeat rebus illis confitendis, quae misericordiae excitandae accommodatae sunt: misericordia enim haec illi aduersa est: neque capit iudices misericordia ipsius, sed illorum, quai laesi ab ipso sunt: quod etiam de commotione altera dici potest: gignitur enim indignatio tunc in pectoribus iudicum aduersus ipsum, qui acerbe contra aliquem contumeliioseq; se gesserit. haec autem, ne dum ipse recte facere possit, summo studio ab accusatore geruntur: accusator namq; ipse, officio suo conuenire intelligens, id arripiet, atq; accurate tractabit: accusator enim quoq; vtitur misericordia & atrocitate hac: quod testatus etiam est Quintilianus, cum inquit. Summa tamen concitandi affectus accusatori in hoc est, vt id, quod obiecit, aut quam atrocissimum, aut etiam, si fieri potest, quam maxime miserabile esse videatur. vnde intelligitur, quod nunc praecipit Aristoteles, personae accusatoris non conuenire: praeterquam enim quod, vt ex ordine manifesto cognosci potest (cum namq; qui se defendit, ornat atq; instruit) hoc ad reum non pertinet.

Παράδειγμα, ὁ Ἀλκίνου ἀπόλογος.

Exemplum est, apologus Alcini.

ALCINI apologi mentionem fecit auctor ipse in libro etiam de arte poëtarum, cum de varijs generibus cognitionum illarum, quas ἀναγνωρίσεις vocant, dissereret. Plato quoq; in x. libro de rep. his verbis. ἀλλ' οὐ μέντοι σοι, ἦν δ' ἐγὼ, Ἀλκίνου γε ἀπόλογον ἐρῶ: & quae sequuntur. Pollux vero in vj. libro, vbi nomina, quibus vocaretur loquax collegit, hoc prouerbij vim quondam habuisse videtur indicare: diciq; solitum de garrulis, & qui prolixum sermonem haberent. Significare Aristotelem longum & accuratum sermonem, quem habuit Vlysses cũ Alcinoo rege Phaeacum initio ix. libri Odysseae, arbitror: cum illi omnes suas res, & quae in aduersa nauigatione perpessus fuerat, exponeret: partem autem hanc poëmatis ita quondam appellatam fuisse, veteres, & boni auctores narrant: diuersis enim nominibus diuersa & Iliadis, & Odysseae quasi membra vocabant. vt Aelianus quoq; in libro xiij. de varia historia copiose docet.

Ὃ τι πρὸς τὴν Πηνελόπην ἐν ἑξήκοντα ἔπεσι πεποίηται.

Qui ad Penelopem in lx. versibus habitus est.

IN excusis antea ὅτι legebatur, tamquam duas narrationes intelligeret: in ambabusque idem perspici posset: cum tamen res aliter se habeat, nisi fallor. consentientibus igitur omnibus scriptis libris, ὅ,τι emendaui: huncq; loci sensum esse puto: vt prolixam narrationem Vlyssis, quae quattuor integros libros absumpsit: sermonemque habitum cum Alcinoo, postea explicatum dicat, cum eadem illa vxori Penelope exposuit, paucis versibus. Id autem factum est, quia simpliciter res narrauit: remouitque cuncta, quae misericordiam excitare, aut atrocitatem in animo eius poterant, quam eo tempore conturbare nolebat. Restat tamen scrupulus non paruus in numero versuum: neque enim hi, quibus concise vxori, quae antea regi Phaeacum prolixe narrarat, exponit, sexaginta versus sunt: verum dimidio paene minor numerus: sunt namque triginta duo, si formis excusos libros sequimur: nam Eustathius vnum ex ea summa demit, qui triginta & vnum ipsos facit: suspicor igitur hic mendum esse, negligentiaq; librariorum, quod non conueniat numerus, factum: facilis autem lapsus est in notis ipsorum,

quibus

quibus plerunque haec scribere moris erat: nullo vero pacto posse hic locum habere video, quod in quibusdam codicibus legitur ἔτεσι, idest annis. Initium breuis huius narrationis, » quam intelligit, est. Ἤρξατο δ', ὡς πρῶτον Κίκονας δάμασε.

Καὶ ὡς Φάϋλλος τὸν κύκλον.

Et vt Phayllus circulum.

NON eodem pacto legitur in cunctis calamo exaratis etiam codicibus: sunt enim qui, vt in excusis erat, habeant κύκλωπα: plures tamen melioresq; κύκλον. quare in incerta admodū re, certiorem auctoritatem secutus sum. Sed siue hoc, siue illo modo legatur, perdifficilis & perobscura res est. κύκλον carmina quoq; quaedam vocata fuisse, ex Aristotelis verbis intelligi potest: in primo enim libro Analyticorum posteriorum hoc significat. Multa illic Philoponus, quae tamen, cum locum hunc, quantum ego perspicio, non adiuuent, & apud auctorem ipsum legi possint, huc a me non transferentur: tantum indicabo veriorem me arbitrari loci illius declarationem, cum inquit, extare poëma appellatum κύκλον, quod alij alijs tribuerent: quidam ab Homero scriptum affirmarent: epicum enim circulum appellatum legi apud Athenaeum in vj. libro δειπνοσοφιστῶν, quo narrat Sophoclem, optimum poëtam, ita delectatum fuisse, vt tragoedias totas conficeret, secutus commentum fabulae, quod eo in carmine continebatur. Sed in libro etiam sophisticorum elenchorum, vbi eiusdem fallaciae mentio fit, manifesto declaratur, ita Homeri poëma vocatum fuisse.

Καὶ ὁ ἐν τῷ Οἰνεῖ πρόλογος.

Et prologus in Oeneo.

OENEVM, Euripidis fabulam, vetustate absumptam, fuisse constat. Graecus interpres hoc » fuisse eius initium tradit. Ω γῆς πατρῴας χαῖρε φίλτατον πέδον Καλυδῶνος: ἐνθ' αἷμα συγγενὲς φυγὼν » Τυδεὺς. τόκος μὲν Οἰνέως, πατὴρ δ' ἐμός ᾤκησεν Ἄργος παῖδα δ' Ἀδράστου λαβὼν Σωῦτε γῆναι. Vt exempli vis, & quod voluit Aristoteles exquisite intelligeretur, totum prologum haberemus oporteret.

Ἠθικὴν δὲ δεῖ τὴν διήγησιν εἶναι: ἔσται δὲ τοῦτο, ἂν εἰδῶμεν τί ἦθος ποιεῖ.

Opus est autem moralem orationem esse. obtinebitur autem hoc, si scierimus, quid mores pariat.

MORATAM vero (inquit) narrationem esse oportet: hoc autem consequemur, si, quid mores efficit, perceperimus: licebit enim, cum commodum erit, nullo negotio hoc adipisci. Cicero quoque in Topicis narrationes moratas esse debere censuit: quem locum olim emendaui, auctoritatem veterum librorum, & rem ipsam secutus, cum antea corrupte moderatae legeretur, vt ex eius scriptoris editione nostra Veneta pespici potest.

Ἓν μὲν δὴ τὸ προαίρεσιν δηλοῦν.

Vnum eorum iam hoc est, indicare electionem.

CVM plura sint, quae mores aspergunt orationi: vnum (inquit) illorum erit ostendere, quo studio, quoq; consilio singulas res fecerimus: quid deniq; in illis gerendis secuti simus.

Ποῖον δὲ τὸ ἦθος, τῷ ποιὰν ταύτην.

Quales autem mores, si qualis haec fuerit.

MORES autem affecti sunt, &, vt verbum verbo reddam, quales, quia affecta, qualisq; est haec: electio inquam (vt vno nomine appellem) quae ipsa quoq; a fine affectum & qualitatē ducit.

Ἡ δὲ προαίρεσις ποιά, τῷ τέλει.

Electio autem qualis est, ex fine ipso.

VT melius res percipiatur, seriem, quae in his rebus est, explicabo. Ex fine, electio: ex electione vero, mores declarantur: neq; enim eligit quisquam, nisi prius proposito sibi aliquo fine: vt ille autem bonus malusue fuerit, ita quoq; electio bona malaue erit, quamuis ea finis ipsius non sit, sed eorum, quae ad finem referuntur. qualis vero electio fuerit, tales erunt & mores, qui in eo ab ipsa pendent. Vnde in libris de moribus ad Nicomachum ab Aristotele maxime affinis virtuti dicta est: magisq; mores declarare, quam facta ipsa faciant: rursusq; nos quales esse, quia bona aut mala in vita eligamus: vt mores itaq; exprimantur, aperiendus est finis.

Διὰ τοῦτο οὐκ ἔχουσιν οἱ μαθηματικοὶ λόγοι ἤθη, ὅτι οὐδὲ προαίρεσιν: τὸ γὰρ οὗ ἕνεκα οὐκ ἔχουσιν.

Atque hanc ob causam non continent in se disputationes mathematicae mores, quia neque electio in ipsis est: finem enim non habent.

In excusis antea. διὰ τί γὰρ οὐκ ἔχουσιν legitur: calamo autem exarati, quam probaui lectionem, retinent. Haec causa est (inquit) cur mathematici sermones mores non habeant, quod ab omni sunt electione vacui: neque enim finem vllum sibi proponunt: idest non vt hoc, aut illud fiat, instituuntur. In mathematicis autem disciplinis nulla suscipitur de fine cogitatio: neq; vllam partem auxilio ipsius causa probatur: finis namq; actus alicuius finis est: actus adiunctum semper habet motum. mathematicae vero circa res, quae non mouentur, versantur. cum igitur fine careant, neque electio vlla in his est: qua de causa mos in illis nullus exprimitur. vnde confirmat electionis declarationem indicio finis fieri: morum vero, electionis explicatione.

Ἀλλ' οἱ Σωκρατικοί: περὶ τοιούτων γὰρ λέγουσι.

Sed Socratici sermones: de huiuscemodi enim rebus habentur.

Socratici autem sermones mores habent: agunt enim de rebus, quae alicuius gratia fiunt. Quos vero Socraticos sermones appellarit, accurate videndum est: num ne, qui a Platone, Aeschine, Xenophonte, reliquisq; Socraticis viris, diuinissimis scriptis mandati fuere? an communiter qui de parte illa philosophiae, quae de vita & moribus agit, instituti sint: ab illo enim appellari potuerunt, quia Socrates auctor eius fuit: & alijs rebus relictis, omnem operam studiumque in ipsa consumpsit.

Ἄλλα ἠθικά, τὰ ἑπόμενα ἑκάστῳ ἤθει.

Alia moralia sunt, quae sequuntur mores singularum personarum.

Quae supra dixit ἦθος ποιεῖν, nunc (nisi fallor) ἠθικὰ appellat: non enim nunc haec (vt opinor) ἠθικὰ vocat, vt supra narrationem ἠθικὴν vocauit, sed ἠθικά, quae indicent, & aperiant hominum mores: quasi signa quaedam ac notae: hoc enim arbitror intelligi debere. Sunt igitur (inquit) ἠθικὰ alia quoq;: ea scilicet, quae vnicuiq; naturae atque ingenio comitantur, quae numquam deserunt huiuscemodi mores, atq; indolem. Exemplo Aristoteles rem declarat.

Οἷον, ὅτι ἅμα λέγων, ἐβάδιζε: δηλοῖ γὰρ θρασύτητα καὶ ἀγροικίαν ἤθους.

Ceu, simul dicens, ibat: declarat enim audaciam, & mores agrestes.

Ceu (inquit) dum haec diceret, incedebat: ac nihilominus institutum iter propere faciebat. Quae sequuntur verba auctoris sunt, declarantis ex ea re percipi mores illius, agresteq; ingenium: videre enim quempiam, dum incedit, verba facientem, significat audacem, contumacemq; naturam: audacis enim profecto est, despicientisq; eum, ad quem verba illa pertinent, non consistere quidem, dum quae coeperas, absoluas, sed inter eundum secum loqui: nam quin rusticum sit, dubitari non potest. Theophrastus (si ipsius liber est, quo naturae diuersorum hominum describuntur) cum quasi imaginem agrestis ingenij exprimeret (quam ἀγροικίαν & ipse appellat) inquit, καὶ μεγάλῃ τῇ φωνῇ λαλεῖν: vt autem, quod ipse docet, magna voce loqui, ita etiam in via, eripientem se subito alicui, verba facere, idem ingenium: agreste (inquam) redolet.

Καὶ μὴ ὡς ἀπὸ διανοίας λέγειν, ὥσπερ οἱ νῦν, ἀλλ' ὡς ἀπὸ προαιρέσεως.

Et minime, tamquam a sententia animoque dicere, quod faciunt huius aetatis oratores, sed tamquam ab electione.

Mores etiam in orationem inserit (hoc enim ἀπὸ κοινοῦ arbitror intelligi debere) non verba facere ἀπὸ διανοίας, sed ἀπὸ προαιρέσεως: & quae sequuntur. ἀπὸ διανοίας autem illi dicunt, qui, quae ratio suasit, exponunt: & acutis sententijs orationem, ad idq; quod volunt probandum appositis, ornant: ἀπὸ προαιρέσεως vero, qui simplicius loquuntur: ac quae res impulerint ipsos ad agendum, aperiunt: relicta subtili disputatione de illis rebus. Quod addidit ὥσπερ οἱ νῦν, eius temporis oratores intelligit, qui morem haberent dicere ἀπὸ διανοίας, quod orationi moratae faciendae nullo modo accommodatum erat: ita quoq; paulo supra locutus est, cum aetatis suae rhetoras irrideret, qui praeciperent, vt narratio breuis fieret. quare suspicari aliquis non sine causa posset, eosdem hic significari: Isocratem scilicet, vel potius qui ab eo artem acceperunt: neque enim ipse dicebat, sed scribebat domi orationes.

Ἐγὼ δὲ

Ἐγὼ δὲ ἐβουλόμην: καὶ προῃρούμην γὰρ τοῦτο, ἀλλ' εἰ μὴ ὠνάμην, βέλτιον.

Ego autem volebam: & statueram enim hoc, & si nihil emolumenti inde caperem, melius esse.

EXEMPLVM hoc est orationis, qua significetur electio dicentis: explaneturq; voluntas ac iudicium ipsius. nam quod inquit, se id voluisse, quod postea vsu venit, aptum verbum est ad illam adumbrandam: quamuis non omnino exprimat. Cicero quoq;, quam προαίρεσιν Graeci appellant, voluntatem plerunq; nominat: quod vero sequitur. προῃρούμην γὰρ τοῦτο, manifesto dictum ἀπὸ προαιρέσεως est: verbum enim ipsum id aperte declarat. sensus autem horum verborum hic videtur esse. Ipse sane volui &: statui enim hoc facere, relicta spretaq; vtilitate omni: & quamuis rem mihi conducere non posse intelligerem, tamen deterritus non sum, aequoq; animo res inde meas deteriores fieri patior, vt officio non desim. quis non perspicit, mores hanc orationem habere?

Τὸ μὲν γὰρ, φρονίμου: τὸ δὲ, ἀγαθοῦ.

Illud enim, prudentis est: hoc vero, probi viri.

ALTERVM (inquit) prudentis: alterum, probi viri est. ἀπὸ διανοίας dicere, prudentis: ἀπὸ προαιρέσεως, probi.

Φρονίμου μὲν γὰρ, ἐν τῷ τὸ ὠφέλιμον διώκειν: ἀγαθοῦ δὲ, ἐν τῷ τὸ καλόν.

Prudentis enim ratio manet in consectando vtili: probi vero viri in consectando honesto.

PRVDENTIS enim dictio, quae ἀπὸ διανοίας proficisci demonstrata est, in eo manet, vt sectetur vtilitatem: probi, vt dignitatem retineat, & honestatem semper spectet. Prudentia autem, vt in libris de moribus traditum est, id, quod conducit, propositum habet: probitas vero, quae honesta sunt, ac dignitatis plena, gerere.

Ἂν δὲ ἄπιστον ᾖ, τότε τὴν αἰτίαν ἐπιλέγειν.

Si vero incredibile fuerit, tunc causam adiungere.

ET hoc ad moratam orationem pertinet: contingit enim aliquando, vt quippiam proferamus, quod fide careat, idem tamen ad indicandos mores naturamque tuam valeat: res tum poscit (inquit) vt causam illius incredibilis vocis afferas: cur (inquam) id a te ita probatum iudicatumque sit.

Ὥσπερ Σοφοκλῆς ποιεῖ παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης, ὅτι μᾶλλον περὶ ἀδελφοῦ ἐκήδετο, ἢ ἀνδρὸς, ἢ τέκνων: τὰ μὲν γὰρ ἂν γενέσθαι, ἀπολομένα. Μητρὸς δ' ἐν ᾅδου καὶ πατρὸς βεβηκότοιν, Οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς, ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.

Quemadmodum Sophocles facit exemplum ex Antigona, cum dixisset, se magis sollicitam fuisse de fratre, quam de viro aut liberis: hos enim amissos refici posse: cum vero mater, paterq; mortui iam sint, non est vnde frater vllo pacto exoriri possit.

EX Antigona hoc Sophoclis sumptum est: reddens enim illa rationem incredibilis vocis, quam ediderat, quod quae pro fratre mortuo fecerat, pro coniuge ac liberis factura non fuerit, inquit, Demortuis enim illis, alios comparare possem: parentibus autem extinctis, nullam rationem esse rursus fratrem habendi. Id autem, quod non allata ratione explosum fuisset, explicatū, veri simile visum est ac creditū. Intaphernis Persae vxorem idem Dareo regi respondisse narrat Herodotus in Thalia, cū ipsa fratris vitam, coniugis ac filiorū vitae praeposuisset: admiratus enim rex, causamq; consilij illius requirens, idē hoc responsum tulit. mulieris huius Persidis eandem vocē Plutarchus quoq; in commentario περὶ φιλαδελφίας celebrauit. Conuenire autem calamo scriptis libris cum excusis in extremo verbo prioris versiculi vidi: quare nihil immutare volui. Apud poëtam tamen ipsum κεκευθότοιν legitur. Sed cū eodem verbo Sophocles in Oedipode tyranno vsus esset illo loco. » ὁ δὲ θανὼν κεῦθει κάτω γῆς, interpres, id declarans, inquit, ἀντὶ τοῦ κεῦθεται, κρύπτεται. &, vt sententiam suam confirmet, alterum hunc locū ex Antigona adducit: vt non culpa librarij κεκευθότοιν illic legi, credi debeat. sed magni saepe auctores aliter locos poëtarum, quam in libris eorū passim legantur, citant. Animaduertendū autem diligenter, ita ne interpungenda sit oratio, ac seiungi debeat hoc, παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης, a superiore sententia, siue connecti cū illis verbis: vt supra hunc locum accipi posse ostendi, tamquam vsus sit ratione illa loquendi,

quendi, quam docui vsurpasse Isocratem ac Demosthenem, quae est ποιεῖν παρέκδειγμα. nam si in-terpunctione dirimerentur, sententia fortasse deterior non esset, vt dixerit, hoc ipsum Sopho-clem facere, ac si vmquam edit aliquid, alienum a sensibus hominum atq; incredibile, statim ra-tionem eius afferre: id autem exemplo confirmare volens, addat, locum illum ex Antigona id testari: quemadmodum etiam non multo ante locutus est, cum inquit. παρέκδειγμα ὁ ἀλκίνε ἀπό-λογος. & sane non nihil asperitatis in eo sermone est, si eo modo locus accipitur. eadem au-tem ratio esse potest superioris illius, vt quo modo ipsorum alter accipiatur, eodem etiam alter accipi debere videatur. Intelligo autem cum inquit. ὅπερ πάντες ποιοῦσι παρέκδειγμα τὸ τῆς Ἰσοκρά-τους Ἑλένης προοίμιον: id enim quoque manifesto hoc sensu prolatum esse potest. Quod sane, vt copulent scilicet coniungantq;, id quod extra sumptum fuerit, cum re ipsa, cuncti, qui lauda-tionem alicuius aut vituperationem scribunt, faciunt. cuius rei exemplum est Isocratis Hele-nae prooemium.

Ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃς αἰτίαν, ἀλλ᾽ ὅτι οὐκ ἀγνοεῖς ἄπιστα λέγων, ἀλλὰ φύσει τοιοῦτος εἶ.

Quod si causam vllam adferre nequeas, tunc dicito, minime te ignorare, quod narras quae aliena sunt a fide: te tamen esse ingenio talem.

Si vero (inquit) incredibile quippiam narraueris, nec eius causam afferre potueris, dicito te intel-ligere, quod exponis, quae omnem fidem superant. verum ita natura factus es: quotiescunque occasio daretur, ita te gereres.

Ἀπιστοῦσι γὰρ ἄλλο τι πράττειν ἑκόντα, πλὴν τὸ συμφέρον.

Non facile enim credunt homines, quempiam sponte sua facere aliquid, quod prodesse non possit.

Nisi aliquid adderes, non facile crederet multitudo, te quippiam gessisse, non vtilitates tuas se-cutum: arduum enim illi persuadere quenquam aliquid aggredi, quod ipsi non conducat. quod si docueris tuos mores hos esse, & ingenium te huiuscemodi habere, vt quae recta esse sen-tias, & speciem aliquam habeant, sublata omni spe fructus, geras, & facilius fidem facies, & mo-rata omnis illa oratio erit.

Ἔτι ἐκ τῶν παθητικῶν λέγειν: διηγούμενον, καὶ τὰ ἑπόμενα, καὶ ἃ ἴσασι.

Praeterea verba facere, vtentem his, quae motus animorum excitant, exponentem, & quae sequi solent: nec non quae nouerunt.

In narratione praeterea admonet, oportere vti illis, quae animum perturbatum declarent: quae notae atque indicia sint animi, hoc aut illo modo affecti: id autem fieri (inquit) si narrationi aspergentur, quae huiuscemodi commotionibus comitantur: nec non ea, quae ijs, qui audiunt, nota sunt: aut quae ipsa plerunque, & suapte natura consequuntur. Non nihil hic varietatis inueni, quod tamen sententiam non variat: cum enim indefinito tempore λέγειν reliqui ha-beant: & accusandi casu, quod sequitur verbum, in antiquissimo libro, imperandi modo: ca-suque nominis illi respondente, λέγε διηγούμενος legitur: infra quoque eodem verbo vsus, ita praecipit, μὴ λέγε ἀδύνατα.

Καὶ τὰ ἴδια ἢ αὐτῷ ἢ ἐκείνῳ προσόντα.

Et quae priuatim vel sibi, vel illi insunt.

Nec non quae proprie (inquit) ac seorsum, ipsi qui dicit, aduersarioq; sunt. idest peculiaria eo-rum, & a natura ipsis tributa: quae tamen antea iudices ignorabant: nec huiuscemodi ipsos esse adhuc perspexerant: idem enim arbitror nunc his verbis Aristotelem intelligere, quod su-pra illis significauit. ἀλλὰ φύσει τοιοῦτος εἶ: inueniuntur enim, qui ab aliorū ingenijs aliqua in re discrepent, & seorsum aliquid habeant, quod a communi hominum natura abhorreat. Rece-ptam autem lectionem retinui: eamq; commodam esse arbitror, quamuis in pluribus ac melio-ribus libris ἴδια, vt nomen sit, non aduerbium, legatur, & vetus quoq; tralatio cum illis faciat.

Ὁ δ᾽ ᾤχετό με ὑποβλέψας.

Hic vero abijt conuersis oculis in me.

Exemplum hoc est rei, πάθος aliquid consequentis: dum enim incedis quempiam respectare, crebroque

crebroque ad eum oculos conuertere, significat animum tuum perturbatum. Intellexit autem hic eum sibi valde iratum, maleq; erga se affectum. Clarum exemplum est huius motus vehementioris, quod narrauit in senatu Cicero de Catilina, a se eiecto ex vrbe. Et retorquet oculos profecto saepe ad hanc vrbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget. illum autem tribuit quoq; Virgilius in iij. libro de rebus rusticis tauro, superato a riuali in acerrima pugna, cum relinqueret cum dolore magno loca, in quibus floruerat, & amica prius potiebatur. Et, stabula aspectans, regnis excessit auitis.

Καὶ ὡς περὶ Κρατύλου Αἰσχίνης, ὅτι διασίζων καὶ τοῖν χεροῖν διασείων.

Et veluti de Cratylo Aeschines, ipsum exsibilasse & manuum crepitu explosisse.

Qvem Aeschinem intelligat, affirmare non ausim: arbitror tamen sodalem auditoremq; Socratis, qui de sententijs ipsius disputationibusq; pulcherrimos & ipse sermones scripsit. Hic igitur de Cratylo illo (vt puto) loquens, cuius nomine Plato sermonem inscripsit, inquit, ipsum sibilo acclamationeq;, nec non manuũ percussione, in quempiã vsum: quae res animum ipsius valde commotũ, & petulantiae furorisq; plenũ, indicarunt: qui enim in eos, quos non probant, sibilo etiam & manuum explosione vtuntur, parum modeste se gerunt. Huic simile est illud, vt opinor, M. Tullij in vj. in Verrem. Nam cum spumas ageret in ore: arderent oculi, voce maxima vim me sibi afferre clamaret, & quae sequuntur. Σίζειν stridorem quendam edere significat: exprimendoq; sonori huic fictum verbum ac conformatum est. eo etiam Homerus elegantissime vsus. Διασείειν vero non tantum id, quod iam ostendi, sed etiam excutere significat: quo verbo μεταφορικῶς Plutarchus vsus est, cum de Socrate loqueretur: quem dicit, cum iter faceret, sedulo percunctatum esse Euthyphronem, & eum excussisse, vt videret quantum scientia valeret. In libro de daemonio Socratis haec leguntur. ἅμα τι διερωτῶν, καὶ διασείων τὸν Εὐθύφρονα μετὰ παιδιᾶς. Latinum etiam, par huic, verbum, Cicero saepe a rebus solidis ad res corpore carentes, transtulit, vt cum in epistola illa graui, & quae rationem tradit administrandarum prouinciarum, ad Q. fratrem inquit. Excutere vnum quemq, comitum.

Πιθανὰ γάρ, διότι σύμβολα γίνεται ταῦτα, ἃ ἴσασιν, ἐκείνων, ὧν οὐκ ἴσασιν.

Haec enim valent ad persuadendum: notae namque sunt haec, quae sentiunt, noueruntque, eorum, quae minime nouerant.

Magnam enim persuadendi vim (inquit) habent: rationem autem eius afferens, addit, quia haec ipsa, quae tenent, compertaq; habent, notae sunt rerũ abditarum, & quas ignorant: sciunt autem, quia viderunt, contumaciter inambulantem, sibiloque, ac strepitu honestos viros consectantem: nesciebant tamen antea superbum eum ac petulantem esse, qui ipsius animi motus ex notis & indicijs illis perspecti sunt.

Πλεῖστα δὲ τοιαῦτα λαβεῖν ἐξ Ὁμήρου ἐστίν. Ὣς ἄρ' ἔφη: γρηῢς δὲ κατέσχετο χερσὶ πρόσωπα: οἱ γὰρ δακρύειν ἀρχόμενοι, ἐπιλαμβάνονται τῶν ὀφθαλμῶν.

Plurima autem huiuscemodi sumere licet ab Homero. Sic locuta est: anus autem pressit manibus faciem: qui enim plorare incipiunt, attingunt oculos.

Qvi Homeri poëma diligenter legerit, huiuscemodi multa illic animaduertet: saepe enim Homerus ex ijs notis motus animorum eorum, quos inducit, intelligi voluit. vnum ipse exemplar posuit ex Odysseae libro xix. sumptum. Cum Vlyssis nutrix Euryclea, lauatura pedes eius, quem maxime similem esse Vlyssi Penelope affirmarat, lacrimas tenere non potuit: audito namque sermone erae suae anus illa, manus ilico ad os adposuit: haec enim sententia est Homerici versus: qua nota, indicioque cognosci potuit, ipsam ingentem maerorem suscepisse, cum miseriae Vlyssis repente ante oculos ei obuersatae essent, & desiderium ipsius videndi refricatum: qui enim (inquit Aristoteles) lugere incipiunt, manu oculos tangere consuerunt. Hoc autem Homerus ipse quoq; statim adiungit: sequitur enim. δάκρυα δ' ἔκβαλε θερμά.

Καὶ εὐθὺς εἰσάγαγε σεαυτὸν ποιόν τινα: ἵνα ὡς τοιοῦτον θεωρῶσι, καὶ τὸν ἀντίδικον.

Et ilico insinua te ipsum qualem, vt huiuscemodi hominem te spectent, & aduersarium.

Praeceptvm hoc aliud est: quod tamen & ipsum ad hanc morum affectionumq; explicationem pertinet: tradit enim initio narrationis esse studendum, vt te probum virum, fideque dignum

gnum iudices credant: aduersarium autem contra. Insinua te (inquit) ilico, & inijce in animos illorum, his aut illis moribus praeditum: nec non ita animo affectum. contra autem colloca in animis eorum, contrarijs moribus & affectibus praeditum aduersarium: vt te scilicet talem postea semper in cursu orationis, aduersariumque itidem talem spectent: multum enim tibi proderit haec in animos illorum a principio statim inserta opinio, ac propitij deinde iudices rebus tuis fautoresq; erunt: studijs autem aduersarij irati atq; infensi.

Λανθάνειν δὲ ποίει.

Da autem operam, vt fallas eos.

ADMONET id clam esse faciendum, magnamq; curam in hoc adhibendam: ne scilicet artificium cognoscatur: cognitum enim, nihil prodesset, vel potius omnem causam euerteret.

Οὐ δὲ ῥάδιον, ὁρᾶν δεῖ ἐκ τῶν ἀπαγγελλόντων· περὶ ὧν γὰρ μηθὲν ἴσμεν, ὅμως λαμβάνομεν ὑπόληψίν τινα.

Hoc vero non magni negotij esse, licet videre, spectatis ijs, qui aliquid nuntiant: de rebus namque illis, quas nullam in partem cognouimus, tamen suspicamur aliquid.

NON esse rem arduam facere, vt ij qui audiunt, aliquam de nobis concipiant animo opinionem, dicit: idq; simili quodam declarat: videmus enim (inquit) cum aliqui nobis rem quampiam renuntiatum veniunt, antequam aliquid ab ipsis prolatum sit, & de rebus omnino incognitis, nos tamen suspicari quid noui illi allaturi sint: excitariq; in animis nostris aliquam de ea re existimationem. Chori pars apud Sophoclem τραχινίαις, cernens ad se venire anum, e domo reginae prodeuntem, tristem obductoq; supercilio, cognouit inde ipsam aliquid noui incommodi nuntiaturam esse. quare admonuit reliquas, vt id expectarent.

Πολλαχοῦ δὲ δεῖ διηγεῖσθαι, καὶ ἐνίοτε οὐκ ἐν ἀρχῇ.

Multis autem in partibus narrare oportet, & aliquando minime in principio.

NON vnam tantum sedem habere narrationem docet: eamq; perpetuam ac certo loco constitutam, sed oportere pluribus locis narrari, vt aliquando etiam supersedendum illa sit, ea potissimum parte, quae legitima ipsius esse videtur, & vbi in primis collocari solita est. haec autem initium est orationis.

Ἐν δὲ δημηγορίᾳ ἥκιστα διήγησίς ἐστιν, ὅτι περὶ τῶν μελλόντων οὐδεὶς διηγεῖται.

In contione autem minime narratio est, quia de rebus futuris nemo narrat.

IN deliberationibus & cum verba fiunt ad multitudinem, siue in senatu, locum non habere narrationem, tradit: eiusq; rei causam statim affert: nemo enim (inquit) instituit narrationem de rebus futuris: sententias autem de ijs dici, apertum est. Halicarnasseus quoq; in libris de arte dicendi, vbi peccata multa malorum oratorum in omnibus orationis partibus corrigit, affirmat omnino genus hoc narratione non egere: cuius tamen rei longe aliam rationem reddit: quod scilicet, qui deliberent, cognitum, exploratumq; habeant, de quo quaerant: videreque cupiant, quid sibi gerendum, non de quo consilium capiendum sit.

Ἀλλ' ἐάν περ διήγησις ᾖ, τῶν γενομένων ἔσται· ἵν' ἀναμνησθέντες ἐκείνων, βέλτιον βουλεύσωνται περὶ τῶν ὕστερον.

Si tamen narratio fuerit, erit illa de rebus praeteritis factisq; vt illa recordati, melius deliberent de ijs, quae postea fieri debent.

QVOD si aliquando (inquit) narratio illic inuenietur, res praeteritae exponentur: eam scilicet ob causam, vt cum illi, qui audiunt, eas recordati fuerint, melius consilium de ijs, quae posterius fieri debent, capiant.

Ἢ διαβάλλοντες, ἢ ἐπαινοῦντες, ἀλλὰ τότε οὐ τὸ τοῦ συμβούλου ποιεῖ ἔργον.

Siue criminantes ipsa, siue laudantes, verum eo tempore, munus obeunt, quod non est proprium eius, qui consilium dat.

AVT cum (inquit) res illas criminantur, aut laudant: res enim factae iam, numquam in deliberationibus aliter versari debent. Hoc tamen (addit) animaduertendum, cum hoc fit, e suo pro-

prioque

prioque munere est, qui dicit, egredi: & alienam personam induere. Cum in excusis antea, multitudinis numero, ποιοῦσιν legeretur, ποιεῖ, vt in scriptis omnibus inueni, restitui: hanc etiam lectionem vetus tralatio exprimit. tantus igitur librorum consensus me mouit: fecitque, vt veram hanc lectionem putarem: crediderimque Aristotelem dixisse. verum qui hoc gerit, vt in sententia dicenda insimulet aliquos, aut laudet, non fungitur officio deliberantis, quamuis paulo ante διαβάλλοντες & ἐπαινοῦντες, multitudinis numero protulisset.

Ἂν δ' ᾖ ἄπιστον, ὑπισχνεῖσθαί τε, καὶ αἰτίαν λέγειν εὐθὺς, καὶ διατάττειν, οἷς βούλονται.

Si vero fuerit incredibile, polliceri etiam causam te adlaturum statim, & arbitrio eorum permissurum, quibus voluerint.

QVOD si (inquit) quod praedicas, incredibile fuerit, polliceri debes, & causam te ilico totius rei allaturum esse, & te etiam stare velle iudicio eorum, quorum ipsis visum fuerit: ipsorumq; arbitrio rem permissurum. Vt autem supra, cum de morata oratione facienda loqueretur, ad extremum praecepit, si quid prolatum a te fuerit, quod ad naturam ingeniumq; tuum exprimendum valeat: idq; incredibile videatur, reddendam esse rationem illius rei, ita & nunc videtur in suadendo idem seruandum esse praecipere, vt siquid fide careat, ratione, qua ipse docet, subleuetur: vt scilicet ostendas te paratum esse, & rationem tui consilij reddere: & quae sequuntur.

Οἷον ἡ Ἰοκάστη ἡ Καρκίνου ἐν τῷ Οἰδίποδι, ἀεὶ ὑπισχνεῖται, πυνθανομένου τοῦ ζητοῦντος τὸν υἱόν.

Veluti Iocasta Carcini in Oedipode semper pollicetur, percunctante ipsam, qui filium quaerit.

VT Iocasta (inquit) Carcini, tragici poëtae, facit in fabula, quam Oedipodem inscripsit: semper enim illa pollicetur, cum percunctaretur ipsam, qui filium quaerebat. Cum vero Oedipodes veteris huius poëtae interierit, vis huius exempli nulla est. Carcini quoq; huius testimonio e fabula Medea vsus est in ij. horum librorum, vbi locum monstrat, vnde duci argumenta possint a rebus, in quibus peccatum sit in re tractanda.

Καὶ ὁ Αἵμων ὁ Σοφοκλέους.

Et Haemon Sophoclis.

EX Antigona sumptum exemplum est. Aemon enim Creontis, Thebarum regis, filius, cum salutem vxoris Antigonae contra patrem enixe tueretur, tamen ostendebat, se in eius potestate fore, ac quidquid ei visum esset, facturum, cum tamen animo aliter sentiret: quod exitus postea declarauit: postquam enim eum a tam saeua sententia reuocare non potuit, mori & ipse statuit.

Τὰς δὲ πίστεις δεῖ ἀποδεικτικὰς εἶναι.

Probationes autem demonstrandi vim habere oportet.

PRAECEPTIS narrationis explicatis, tertiam partem orationis aggreditur: quae posita est in fide facienda, & qua ea, narrata sunt, argumentis confirmantur. Naturam autem huius rei in iudiciali nunc genere declarat: primoq; tradit probationes demonstratiuas esse oportere: aut quia, cum sint aliae probationes, quae argumentatione non vtuntur, illas nunc se non intelligere ostendat: aut ἀποδεικτικὰς vocauit, quae firmae sint, & multum ad fidem faciendam valeant.

Ἀποδεικνύναι δὲ χρὴ (ἐπεὶ περὶ τεττάρων ἡ ἀμφισβήτησις) περὶ τοῦ ἀμφισβητουμένου φέροντα τὴν ἀπόδειξιν.

Demonstrare autem oportet (quia de quattuor est controuersia) de illo, quod in controuersiam venit.

IN quo multum studij ponendum sit: quodque in primis probare argumentis oporteat, docet: cum enim multae partes saepe causarum sint, in ea potissimum, in qua tota causa vertitur, & de qua omnis controuersia est cum aduersario, laborandum affirmat. quod si, relicta illa, in parte alia confirmanda quis plurimam diligentiam poneret, quamuis id firmiter probaret, non valde causam adiuuaret. cum igitur peccari hac in re ab imperito actore magnopere posse videret,

deret, quid faciendum sit, aperit, hoc pacto. Aggredi autem hanc rem oportet, & argumentationes adhibere de eo maxime, quod in controuersiam venit: de quo is, qui dicit, cum aduersario contendit (quattuor enim quaestiones sunt) qui namq; in altero confirmando studium poneret, & non in eo, de quo tunc iudicium fit, erraret. Quod vero hunc numerum earum esse vult, supra idem hoc ipso in libro docuit, cum posteriorem locum de dissoluendo crimine traderet. Nam illic etiam quaestiones quattuor sunt, & si plures exponi videntur: partes enim reliquae illarum sunt, vt qui attente animaduertet, intelliget.

Οἷον, εἰ ὅτι οὐ γέγονεν, ἀμφισβητεῖ, ἐν τῇ κρίσει δεῖ τούτου μάλιστα τὴν ἀπόδειξιν φέρειν.

Veluti, si de facto quaestio est, in existimatione de hoc facienda opus est hoc praecipue argumentis comprobare.

Ceu (inquit) si in respectanda atque iudicanda, de facto controuersia est: reusq; potissimum in hoc incumbit accusatori respondens, vt non factum a se id ostendat, huius maxime rei argumentationem afferre oportet: qui enim totam operam suam poneret: cum de facto quaereretur, vt confirmaret id, aut non iniquum fuisse, aut non detrimentosum, frustra laboraret, & merito contemneretur.

Εἰ δ' ὅτι οὐκ ἔβλαψε, τούτου καὶ ὅτι οὐ τοσόνδε, ἢ ὅτι δικαίως.

Si autem de non importato detrimento, de hoc ipso, & non tantum esse: siue iure id gestum fuisse.

Si vero causa poscit, vt neminem laesisse probet, huius ipsius argumentationes afferre oportet: eadem ratio est reliquarum quaestionum, vt ipse accurate exponit. eodem enim pacto (ait) te gerere debes, si de magnitudine facti quaeritur: nam omnes argumentationes illuc dirigendae: ostendereq; necesse est, non tantum detrimentum illatum esse, quantum affirmat aduersarius: respondet enim quod nunc inquit, οὐ τοσόνδε, ei, quod supra, cum easdem quaestiones explicauit, οὐ τηλικοῦτον dixit: nec non si id non iniuste factum probari oportet: omnem enim diligentiam in eo ponere debes, vt probes id ex iure, & legibus fieri potuisse, & omnes confirmationes eodem conuertendae.

Ὡσαύτως καὶ εἰ περὶ τοῦ γενέσθαι τοῦτο ἡ ἀμφισβήτησις.

Non secus atque, si controuersia fuerit, factum ne hoc sit.

Non aliter (inquit) consequentes tres quaestiones tractandae sunt, ac si de facto quaereretur: quodq; in prima illa praecepimus, idem in reliquis seruandum est. Animaduertendum autem, cum supra in hoc tradendo, factiq; controuersia exponenda, negandi modo vsus sit, nunc ipsum in eadem significanda affirmandi vti. quod (nisi fallor) factum est, quia tunc de reo tantum loquebatur, qui, innocentiam suam probare volens, a se id commissum inficiatur: nunc vero complectitur ambos, & accusatorem & reum, addens. Vt quemadmodum, cum de facto controuersia in iudicio est.

Μὴ λανθανέτω δ', ὅτι ἀναγκαῖον ἐν ταύτῃ τῇ ἀμφισβητήσει μόνῃ τὸν ἕτερον εἶναι πονηρόν: οὐ γάρ ἐστιν ἄγνοια αἰτία. ὥσπερ ἂν εἴ τινες περὶ τοῦ δικαίου ἀμφισβητοῖεν.

Non opus est autem nos fallere, in hac sola controuersia necesse esse, vt alteruter sit prauus homo: non enim ignoratio causa esse potest, quemadmodum si quis de iusto controuersaretur.

Qvod ad controuersias has pertinet (inquit) libet hoc etiam admonere: in hac sola necessario alterutrum improbum esse: aut qui inficiatur, cum id se fecisse neget, quod a se factum esse optime sciat: aut accusatorem, qui falsum crimen obijciat. in alijs controuersijs non necesse est: nam si quis eum, qui non laeserit, detrimentum importasse arguat, potest extra culpam esse, si errore ductus, non fraude, illi negotium facessit. ille quoque, qui negat se damnum intulisse, cum intulerit, culpa potest vacare: imprudens enim alij incommodare potuit. Eadem ratio reliquarum duarum quaestionum est. Nam Aristoteles in disceptatione alia vtrunque posse non prauum esse declarauit: idest cum aequum id, an iniquum fuerit, disputatur. In tertia id quoq; verum esse apertum est. Idem vero, quod hic traditur, in v. quoq; libro de moribus ad Nicomachum dicitur, vbi de his, qui ira perciti aliquid peccant, disputant: docet enim ipsos

aliquo

aliquo modo posse excusari: nec esse necessarium illic, quod in pactionibus hominum est, cum an contractae res illae inter ipsos sint, lis est: vbi fieri non potest, quin earum alter, qui ita controuersantur, prauus sit, nisi forte obliuio intercessit. Exempli gratia. siquis quempiam in iudicium vocat, quod depositam pecuniam deneget, necessario aut accusator, aut reus improbus est: accusator, si pecuniam numquam apud eum deposuit, quam legibus repetit: reus, si depo-
» situm abnegat. verba, quibus in eadem sententia exponenda, illic vtitur, haec sunt. οὐ γὰρ ὥσπερ
» ἐν τοῖς συναλλάγμασι περὶ τοῦ γενέσθαι ἀμφισβητοῦσιν, ὧν ἀνάγκη τὸν ἕτερον εἶναι μοχθηρὸν, ἂν μὴ διὰ λήθην αὐτὸ
» δρῶσιν, ἀλλ᾽ ὁμολογοῦντες: & quae sequuntur.

Ὥς ἐν τούτῳ χρονιστέον: ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις οὔ.

Quapropter in hoc commorandum est: in alijs vero minime.

CVM igitur tanti momenti res sit, vt necessario aut ipse, aut aduersarius, improbus sis, omnia facere debes, vt crimen a te depellas, & in aduersarium reijcias: neque enim parua res agitur, sed praeter damnum, quod lis affert, iactura existimationis consequitur. quapropter (inquit) diu morari in hoc debemus, in quo summa totius negotij vertitur, & summo studio id purgare. in alijs, quamuis & ipsa non parum causam subleuent, tantum temporis non est terendum. Hunc sensum ex recepta lectione elicio, qua magnopere delector: in antiquissimo tamen libro χρηστέον, non χρονιστέον scriptum inueni: quam lectionem vetus quoq; tralatio sequitur: eam autem qui non omnino reijcit, ita explicare (vt opinor) poterit: vt cum docuerit in hac sola controuersia, qua quaeritur factum ne sit, necessario vsu venire, vt disceptantium alter improbus sit, affirmet nunc, quod planum esse poterat, licere, cum de eo in iudicio agatur, illud tangere: cum vero alia de re controuersia sit, ipso supersedendum, vt nullo pacto queas ita aduersarium premere, ac dicere, alterutrum ipsorum prauum hominem esse: potest enim fieri, vt iniuste tibi ille negotium facessat: nec tamen iniustus sit, quia existimet te flagitium admisisse, cui affinis non sis. ἐν τούτῳ igitur tunc intelligere oportebit, in hac disceptatione: cum lis omnis & controuersia de hac re est. ἐν ἄλλοις vero, cum quaeritur de alijs rebus.

Ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς τὸ πολὺ, ὅτι καλὰ καὶ ὠφέλιμα, ἡ αὔξησις ἔσται: τὰ γὰρ πράγματα δεῖ πιστεύεσθαι.

In orationibus autem demonstratiui generis bona & magna pars studij ponetur in rebus illis honestis, vtilibusque amplificandis: facta enim credi oportet.

IN demonstratiuo autem genere (inquit) omnis fere oratoris opera consumitur in rebus & honestis, & vtilibus: quas is, quem laudandum suscepit, egerit, amplificandis: industria enim oratoris ea maxime parte exerceri debet: in augendis (inquam) rebus: facta namque ipsa, quae extollit, credi oportet ab ijs, qui audiunt. quare in illis confirmandis occupatus esse non debet, sed in augendis & ornandis: hoc autem in primo quoq; libro testatus est. Quod in excusis vero antea hic erat καλὰ ἢ ὠφέλιμα, optimorum librorum fidem secutus, emendaui: & reiecta particula, quae dijungit ac separat, illam, quae copulat, restitui: eaedem enim saepe res & dignitatis plenae fuisse, & commoda magna alijs attulisse dicuntur.

Ὀλιγάκις γὰρ καὶ τούτων ἀποδείξεις φέρουσιν, ἐὰν ἄπιστα ᾖ, ἢ ἐὰν ἄλλος αἰτίαν ἔχῃ.

Raro namque horum quoque probationes adferunt, si forte vacua fuerint a fide: vel si quis alius auctor eorum putetur.

RARO enim (inquit) hoc in genere orator eo incumbit, vt res factas probet, quemadmodum semper summum studium ponit, vt illas & honestas, & vtiles valde fuisse doceat: id autem, quod raro fit, quando fiat, diligenter exponit: at tunc ipsum ostendit argumentis in ea re vti oportere, quando incredibiles illae videntur, aut alius quispiam eorum auctor existimatur: id enim significat, ἐὰν ἄλλος αἰτίαν ἔχῃ. Animaduertendum autem αἰτίαν ἔχειν aliquem dici etiam de rebus bonis: frequentius namq; qui in culpam vocatur alicuius flagitij, dicitur αἰτίαν illius ἔχειν.

Ἐν δὲ τοῖς δημηγορικοῖς, ἢ ὡς οὐκ ἔσται ἀμφισβητήσειεν ἄν τις: ἢ ὡς ἔσται μὲν, ἃ κελεύει, ἀλλ᾽ οὐ δίκαια: ἢ οὐκ ὠφέλιμα: ἢ οὐ τηλικαῦτα.

In ijs autem, quae sunt contionalis generis, siue illa futura non esse controuersaretur aliquis: siue futura sane esse, quae suadet, non tamen esse illa iusta, siue non vtilia: siue non tantae magnitudinis esse.

De quibus in sententijs dicendis controuersiae oriri soleant, ostendit: aut enim (inquit) aduersabitur quispiam, res illas, non ita, vt qui ante sententiam dixit, censuit, futuras esse: aut futuras ipsas concedet, sed non aequas ac iustas esse ostendet: aut non vtiles, aut non tantas in se habere vtilitates, quantas ille affirmarit. Hoc pacto consilium Themistoclis, quod Atheniensibus dabat, discussit Aristides: idest secunda, quae traditur hic, ratione, illi restitit: dixit enim in contione, cum populi iussu solus id a Themistocle accepisset, perutile esse consilium, quod Themistocles afferebat, sed minime honestum. Cum autem magistri quidam huius artis ad iudiciales tantũ materias pertinere status causarum putauerint, quos etiam reprehendit Quintilianus, contra illos sentire Aristotelem manifestum est: eosdem enim, quos paulo ante numerauit, status nunc repetit: & in quattuor his rebus posse, qui sententiam alicuius reprehendat, illi resistere, ac cum eo controuersari, docet: aut quod futura nullo modo res sit: aut, si fieri debeat, illam iniquam fore, aut inutilem: aut exigua commoda allatura, non quanta praedicarit sententiae eius auctor.

Δεῖ δὲ καὶ ὁρᾶν, εἴ τι ψεύδεται ἐκτὸς τοῦ πράγματος: τεκμήρια γὰρ ταῦτα φαίνεται καὶ τῶν ἄλλων, ὅτι ψεύδεται.

Videre autem oportet, si qua in re mentitur extra rem: notae namque hae, indiciaq; videntur, mentiri ipsum in alijs quoque.

Praeceptum hoc quoque eum, qui ab aliquo dissentit apud senatum, aut in contione, ornat. nam praeterquam quod sententiam eius, supra explicatis rationibus oppugnare potest, vtile etiam est videre, si quid falsi protulit: quamuis ad rem, de qua tunc deliberatur id mendacium non pertineat: nam argumenta haec esse creduntur, quod in alijs etiam mentitur, nec fide dignus est: si fidem autem suasori eripueris, omnia eripueris. Discedit hac quoque in parte a reliquis & excusis, & scriptis libris antiquissimus codex: cum autem nihil immutarim, varietatem lectionis indicare volui. quod eo libentius feci, quia vetus quoque tralatio ipsam exprimit: est enim haec ἐκ τοσούτου πράγματος. nec tamen non receptam probo: si quis tamen eam sequi vellet, hunc sensum (vt opinor) inde eliceret. *Si ex tanta illa re, quae exponitur, pars aliqua, quamuis exigua, falsi aliquid in se habet*: argumento namq; erit, quod reliquae res etiam fictae, falsoq; prolatae sint.

Ἔστι δὲ τὰ μὲν παραδείγματα, δημηγορικώτατα: τὰ δὲ ἐνθυμήματα, δικανικώτερα.

Exempla autem maxime accommodata sunt contionibus: argumenta vero magis conueniunt iudicijs ac foro.

Quae probationes, quibus dicendi generibus maxime accommodatae sint, docet: totum autem hunc locum in primo quoque horum librorum persecutus est, statim post explicatum genus demonstratiuum. Animaduertendum autem hic ipsum exempla maxime propria dicere generis deliberatiui, tertia collatione: enthymemata vero magis conuenire iudicijs, secunda: quod hac de causa ipsum fecisse arbitrari licet, & hoc significare voluisse. Exempla magis propria esse deliberatiui, quam enthymemata iudicialis: cetera enim genera magis his vtuntur, quam exemplis faciant.

Ἡ μὲν γὰρ περὶ τὸ μέλλον: ὥστ' ἐκ τῶν γενομένων ἀνάγκη παραδείγματα λέγειν.

Deliberatio enim respicit tempus futurum: quapropter ex rebus factis necesse est exempla ducere.

Nihil supra posuit, ad quod haec referri possint: cuncta enim neutro genere verba prolata sunt: hoc vero muliebri. videtur igitur intelligi debere δημηγορία vel συμβουλή: infra autem vbi, ἡ δὲ περὶ ὄντων inquit, δίκη: idem enim scrupulus illic quoque est: ambo autem haec, quae naturam significant, nomina, ducuntur, ex nominibus ab ipsis deriuatis, quibus antea vsus fuerat. Sententia vero haec est: deliberatio enim fit, consiliumq; cogitur de rebus futuris. quare ad eas confirmandas ex praeteritis, iamq; factis rebus, exempla ducere oportet.

Ἡ δὲ περὶ ὄντων, ἢ μὴ ὄντων, οὗ μᾶλλον ἀπόδειξίς ἐστι καὶ ἀνάγκη: ἔχει γὰρ τὸ γεγονὸς ἀνάγκην.

Iudicium autem de his, quae sunt, vel non sunt: cuius magis existit demonstratio ac necessitas: continet enim in se, quod factum iam est, necessitatem.

IVDICIVM vero fit (inquit) de ijs, quae sunt, aut non sunt: cuius rei magis demonstratio necessitasq; est: quod enim factum est, necessitatem in se iam habet. Cum autem antea semper in iudicijs agi dixerit de rebus factis, nunc vero praesenti tempore de ijs, quae sunt, ea hic esse videtur dicere, quorum natura ac status iam definitus est: id autem manifesto habent res praeteritae: eorum vero, quae aut facta aut non facta sunt demonstrationem esse: idest melius ipsas, quam res futuras, demonstrari posse: & hac de causa enthymemata, quae oratoriae demonstrationes sunt, magis quam futuras recipere, cum praesertim necessitas in ijs inueniatur: alterutrum enim necessario est: quod in futuris rebus, de quibus sententiae in consilio dicuntur, non contingit: quare ipsorum probationes necessario magis concludunt: quod sane enthymemata faciunt: enthymema namq; syllogismus.

Οὐ δεῖ δὲ ἐφεξῆς λέγειν τὰ ἐνθυμήματα, ἀλλ' ἀναμιγνύναι: εἰ δὲ μή, καταβλάπτει ἄλληλα.

Non opus est autem deinceps ordineque collocare argumenta, sed permiscere illa. sin autem, obsunt sibi ipsis.

ALIVD praecipit, quod ignoratum magnos errores crearet. Non sunt (inquit) deinceps, vt aliud, nulla re interposita, aliud sequatur, enthymemata in oratione ponenda, sed temperanda alijs probationibus: rebusq;, quibus corpus orationis conflatur, permiscenda: quod qui non seruabit, posterioribus argumentis vim priorum infringet: ita enim collocata argumenta mutuo se impediunt ac labefactant. Id autem fieri arbitror, vt ipse quoq; significare videtur, quia obruunt eos, qui audiunt: ingenia enim, quae bonis artibus exculta non sunt, nec tam subtilibus disputationibus assueta, vt eorum, qui res iudicant plerunq; sunt, defatigantur: antequam enim vnum perceperint, alterum & deinceps tertium superuenit: vt nullam ita prolata, vim habere videantur, nec quicquam efficiant.

Ἔστι γὰρ καὶ τοῦ ποσοῦ ὅρος. Ὦ φίλ' ἐπεὶ τόσα εἶπες: ὅσ' ἂν πεπνυμένος ἀνὴρ, ἀλλ' οὐ τοιαῦτα.

Est enim quantitatis quoque terminus. O care mihi, quia tot dixisti, quot vtiq; diceret prudens vir. sed non talia.

MODVM aliquem res cunctae requirunt: est enim (inquit) etiam terminus quidam, quem transilire non oportet, argumentorum multitudinis: quantitatem namq; intelligit, quam διωρισμένην appellant. Iudicium autem suum auctoritate Homeri confirmat, qui & ipse censuit habendam esse numeri ipsarum rationem, in optimis etiam sententijs proferendis: ita enim Menelaum in iiij. libro Odysseae, cum Pisistrato, Nestoris filio, loquentem inducit. O care mihi adolescens: amo enim te, quia tot dixisti, quot prudentia praeditus vir, & diceret, & faceret: quiq; te aetate etiam antecederet. Nam quod addit Aristoteles, non huiuscemodi taliaq; ipsum dixisse, significat, Homerum idem sensisse, quod ipse praecipit: neque enim τοιαῦτα dixit: sed πόσα, vt qui cognosceret, multitudine quoq; sententiarum peccari posse, nec tantum qualitate. ὅρον vero, quod finem terminumq; appellat, ita quoq; Demosthenes pro Ctesiphonte locutus est. « ἃ τοῖς πρότερον ἦλθον ὅροι τῶν ἀγαθῶν ἦσαν, καὶ κανόνες. Duorum autem horum verborum priore vsus est Longinus, cum idem ostendere vellet: inquit enim, « ὁ γὰρ Δημοσθένης ὅρος καὶ τῶν τοιούτων: posteriore vero Cicero in epistola quadam ad Tironem. Qui κανών esse meorum scriptorum soles.

Καὶ μὴ περὶ πάντων ἐνθυμήματα ζητεῖν: εἰ δὲ μή, ποιήσεις, ὅπερ ἔνιοι ποιοῦσι τῶν φιλοσοφούντων, οἳ συλλογίζονται τὰ γνωριμώτερα, καὶ πιστότερα, ἢ ἐξ ὧν λέγουσι.

Et minime de omnibus rebus quaerere argumenta: sin autem, efficies idem, quod non nulli ex ijs, qui incumbunt studijs sapientiae, faciunt: concludunt enim notiora & certiora, quam sint illa, quorum vi nituntur ea firmare.

ADMONET etiam, ne studeant res omnes argumentis confirmare: quae enim sua vi satis planae notaeq; sunt, tam firmam rationem non postulant: neq; enim, nisi ex ignotioribus probari possent: quo nihil absurdius in differendo committitur: qui autem hoc non seruabunt (inquit) in idem vitium incident, quo tenentur non nulli, studijs sapientiae dediti, sed imperiti ac rudes, qui syllogismos adhibent ad ea, quae notiora ac certiora sunt, quam illa, quae sumunt, quorumque praesidio ad ea illustranda vtuntur.

Καὶ ὅταν πάθος ποιῇς, μὴ λέγε ἐνθύμημα: ἢ γὰρ ἐκκρούσει τὸ πάθος, ἢ μάτην εἰρημένον ἔσται τὸ ἐνθύμημα.

Et quando motum animi excitaris, tempera tibi ab enthymemate: siue enim eijciet motum animi, siue frustra dictum erit enthymema.

MVLTA hic, vtiliaq; admodum praecepta tradit, quae studiosos dicendi seruare diligenter oportet: nam docet etiam, cum commouere ac perturbare animos iudicum orator vult, nullo modo ipsum tunc enthymema proferre, argumentoq; aliquid concludere debere: eiusq; rei causam statim affert: aut enim (inquit) eijciet, extrudetq; turbidum illum motum ex animo iudicis enthymema, aut frustra prolatum ipsum atque emissum erit: alterum namq; horum eueniat necesse est: neq; enim simul eorum, qui audiunt, animi commoueri, atque acuta subtiliq; ratione perdoceri possunt. Aut incoeptum igitur πάθος corrumpes, illincq;, vbi insedit iam, exturbabis: aut argumenti, quod suo loco positum multum prodesset, iacturam facies: enthymema autem irritum esse contingit, cum in animo eius, qui audit, viget affectus: atq; ita vehemens est, vt illuc penetrare non sinat enthymema. Πάθος ποιεῖν valet hic orationem formare, quae indicet commotum magnopere animo, cum, qui eam habet, & ad perturbandos auditores idonea sit, vt ἦθος ποιεῖν supra dixit, intelligens orationem conficere, quae mores exprimat dicentis.

Ἐκκρούουσι γὰρ αἱ κινήσεις ἀλλήλας, αἱ ἅμα.

Extrudunt enim semet ipsas motiones, quae simul.

COMMOTIONES enim (inquit) se mutuo exturbant, nec simul in eadem sede manere possunt, quae prior locum occupauit, a posteriore, superuenienteq;, extruditur: commouere autem animum non πάθη solum, sed enthymemata quoq; declarauit ipse in j. horum librorum, cum dixit orationes, quae enthymematibus constarent magis θορυβεῖσθαι: quamuis non eadem animi pars moueri illis videatur: argumentis namq;, rationis particeps: affectibus vero, expers excitatur. Accurate autem animaduertendum praeceptum: neque enim vetat in eadem oratione argumenta poni, & πάθη excitari: sed eodem in loco vtraque recte collocari non posse vult. & quod incommodum, si id factum fuerit, existat, ostendit.

Καὶ ἢ ἀφανίζουσιν, ἢ ἀσθενεῖς ποιοῦσιν.

Et siue delent, extinguuntq; se mutuo, siue imbecillas reddunt.

QVAE motiones eodem tempore excitantur, aut mutuo se delent: nec altera alterius vestigium relinquit: aut imbecillas reddunt. vt infirmae alterae factae paruam, aut nullam vtilitatem ipsis afferant: sua autem culpa frangere, aut labefactare, quae multum valent ad fidem faciendam, non parua culpa est oratoris.

Οὐδ᾽ ὅταν ἠθικὸν τὸν λόγον, οὐ δεῖ ἐνθύμημά τι ζητεῖν ἅμα: οὐ γὰρ ἔχει οὔτε ἦθος, οὔτε προαίρεσιν ἡ ἀπόδειξις.

Neque, quando mores adfigere orationi, oportet enthymema aliquod simul quaerere: neque enim continet in se mores, neque electionem demonstratio.

QVEMADMODVM, cum animi iudicum oratione ab ipso concitantur, temperare sibi ab enthymematibus orator debet, ita etiam cum oratione ille aut suos, aut alienos mores exprimit: neque enim ne tunc quidem expedit enthymemata indagare: rationem eius rei statim reddens ipse, inquit: demonstratio enim nec mores, nec electionem habet: enthymema autem demonstratio oratoria. quare inter medias has res locum habere non potest: nam quod hic particula negandi geminata est, frequens apud Atticos scriptores id atq; vsitatum est.

Γνώμαις δὲ χρηστέον καὶ ἐν διηγήσει, καὶ ἐν πίστει: ἠθικὸν γάρ.

Sententijs autem vtendum est & in narratione, & in confirmatione: adiuuat enim hoc mores: ipsosq; aspergit orationi.

VT autem enthymemata ab oratione morata remouenda sunt, ita sententiae, quae γνῶμαι a Graecis, quod indicia animi nostri sunt, vocantur, ab eadem oratione alienae non sunt: in primisq; vsurpare illas in narratione, & in confirmatione debemus. Rationem huius rei reddens, inquit; pertinet enim hoc quoq; ad mores, & ad naturam consuetudinemq; vitae exprimendam

accommodatum est. In ij. quoq; horum librorum, vbi vim omnem earum explicauit, orationes moratas ipsas efficere affirmauit: narratio autem praecipue morata laudatur: nam valere easdem ad fidem faciendam planum est, cum pars enthymematis sint: vnde nunc potissimum, postquam quid custodiendum esset in enthymematibus docuit, hoc praecipit.

Καὶ ἐγὼ δέδωκα, καὶ ταῦτ' εἰδὼς, ὡς οὐ δεῖ πιστεύειν.

Et ego tribui, & si praeclare intelligerem, non oportere fidem habere.

EXEMPLVM hoc est, quo confirmat, facere ad narrationem moratam, sententias: vox vero edita videtur ab eo, qui, cum fidei alicuius pecuniam commisisset, ea fraudatus est. Narrat igitur se dedisse illam, quamuis sciret nemini in vita haberi fidem oportere. sententia autem haec est, non esse temere credendum: id enim etiam Epicharmus Siculus nota voce, & a M. Q.q; Ciceronibus celebrata, pronuntiauit.

Ἐὰν δὲ παθητικῶς. καὶ οὐ μεταμέλει μοι, καίπερ ἠδικημένῳ: τούτῳ γὰρ περίεστι τὸ κέρδος: ἐμοὶ δὲ τὸ δίκαιον.

Si vero commoto animo. Nec vero me paenitet, & si iniuriam accepi: huic enim superest lucrum: mihi vero iuste factum.

IN oratione quoque, qua vehementes animi motus effinguntur, & cum orator concitate dicit, sententias vtiles esse, hoc exemplo confirmat: cuius vis plana est: ita autem redderem. Nec me paenitet ita fecisse, quamuis iniquitate istius magnum damnum fecerim: cum hoc enim, quaestus: mecum, ius atq; aequũ habitat. huic, quaestus ex eo facto: mihi superest aequitas.

Τὸ δὲ δημηγορεῖν χαλεπώτερον τοῦ δικάζεσθαι, εἰκότως: διότι περὶ τὸ μέλλον: ἐκεῖ δὲ περὶ τὸ γεγονός.

Magis autem arduum est in deliberandi genere cum laude versari, quam in iudiciali, quia de rebus futuri temporis in eo agitur: illic autem de praeteriti.

VERBA facere ad multitudinem, siue in senatu, in deliberatiuoq; demum genere versari, magis arduum est (inquit) quam causas defensitare, & iudicia tractare: atque id optimo iure, addit: de rebus enim illic futuris agitur: in iudiciali vero, de praeteritis ac factis: futurae autem res nullo modo sciri possunt: praeteritarum tantum ac factarum scientia est: nihil enim nisi factum, huiuscemodi cognitione percipitur. Quantopere autem dissentiat philosophus hac in re a Graecis Latinisq; rhetoribus, facile intelligi licet: qui maiorem operam studiumq; ponunt in iudiciali genere docendo: nisi forte illi vtilitatem sequebantur, & in eo, cuius crebrior vsus erat, tradendo, magis sibi laborandum putabant.

Ὃ ἐπιστητὸν ἤδη καὶ τοῖς μάντεσιν, ὡς ἔφη Ἐπιμενίδης ὁ Κρής: ἐκεῖνος γὰρ περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων μέν: ἀδήλων δέ.

Quod iam a vatibus sciri potest, vt inquit Epimenides Cres: ille namque de rebus futuris, non diuinabat, sed de factis quidem: obscuris autem.

ARISTOTELES sane affirmat nihil, nisi factum iam, scientia comprehendi posse: opinionem tamen iudiciumq; de hac re Epimenidis affert, qui existimabat illud etiam ab auguribus ac diuinis sciri posse. quare ipse huic diuinationi incumbebat: neque enim, vt ceteri vates, res futuras tenere se ac praedicere alijs posse prae se ferebat, sed factas iam: obscuras tamen, & quae laterent. Epimenidis huius & Cicero in ij. de legibus, & M. Varro in vij. de lingua Latina mentionem fecerunt: nec non Plutarchus in vita Solonis, & Athenaeus in xiij. libro, vbi de puerorum amoribus copiose disputat.

Καὶ ὁ νόμος ὑπόθεσις ἐν τοῖς δικανικοῖς: ἔχοντα δὲ ἀρχὴν, ῥᾷον εὑρεῖν ἀπόδειξιν.

Et lex solum ac fundamentum est in causis forensibus: illi autem, qui principium habet, facilius est inuenire demonstrationem.

ALTERVM argumentum, quo probat deliberandi genus difficilius esse, quam iudicandi: in iudicijs enim (inquit) praesidijs quibusdam non destituuntur oratores: habent enim legem,

quae est tamquam solum ac fundamentum argumentationum: ac principij deniq; vim in illis rebus obtinet: vt enim propositiones materia atq; initium sunt syllogismi, ita lex eorum, quae in eo genere conflantur, argumentorum. communiter autem docet, qui principia teneat, nullo negotio demonstrationem inuenire.

Καὶ οὐκ ἔχει πολλὰς διατριβάς. οἷον πρὸς ἀντίδικον, ἢ περὶ αὑτοῦ, ἢ παθητικὸν ποιεῖν, ἀλλ' ἥκιστα πάντων: ἐὰν μὴ ἐξίστηται.

Et non habet multa loca, in quibus morari queat. veluti in aduersarium, aut de semetipso, aut excitare motus in pectoribus eorum, qui audiunt, sed minime omnium, nisi a proposito abierit.

Hoc ad alterum genus pertinet: deliberatiuum scilicet, quod non multa habere diuerticula dicit, quibus abundat iudiciale. In foro contra aduersarium dici plura possunt, aut de se ipso, aut etiam perturbatione & quasi fluctibus, omnia permiscere: sed mirum in modum his rebus deliberatiuum orbatum est, nec ei licet quicquam huiuscemodi attingere, nisi e munere suo exierit, & alienas partes tractare voluerit: nisi a se ipso discesserit; hoc enim valere arbitror, ἐὰν μὴ ἐξίστηται. Quod vero inquit, παθητικὸν ποιεῖν, respicit personam auditoris: cum enim, quod erat aduersarij, atq; eius, qui sententiam dicit, tetigisset, eum etiam, qui audit, relinquere non debuit: ipse enim quoq;, vt possit, quod reip. conducit, videre, ac recte de rebus existimare, perturbari animo non debet: nisi quis putet λόγον intelligi debere: exprimere namque oratione affectus suos, ab hoc genere alienissimum est: suasor enim vacuum se ab omni huiuscemodi motu demonstrare debet, nisi omnem auctoritatem amittere vult: & toto animo tantum commoda eorum, quibus consilium dat, procurare.

Δεῖ οὖν ἀπορῶντα, τοῦτο ποιεῖν.

Opus est autem hoc facere, concediturq;, cum quis non habet, quod dicat.

Hoc nemo (inquit) nisi coactus facere debet, & cum alijs omnibus rebus destituitur: venia enim datur laboranti, si omnia vndiq;, vt aliquid dicere videatur, arripuerit. non dubitandum igitur est hoc tunc aggredi: & dum suades, in aliquem inuehi: ac de te ipso quippiam, quod te commendet, praedicare.

Ὅπερ οἱ Ἀθήνησι ῥήτορες ποιοῦσι, καὶ Ἰσοκράτης: καὶ γὰρ συμβουλεύων, κατηγορεῖ. οἷον Λακεδαιμονίων μὲν, ἐν τῷ πανηγυρικῷ: Χάρητος δὲ, ἐν τῷ συμμαχικῷ.

Quod sane Athenis oratores faciunt, atque Isocrates: etenim, dum suadet, accusat. veluti Lacedaemonios in Panegyrico: & Charetem in Sociali.

Quod quidem (inquit) Athenis oratores, & qui operam reip. dant: ad populumq; dicunt, faciunt: & Isocrates etiam, qui numquam in contione verba fecit, sed domi orationes scripsit: dum enim ille suadet, accusat, & aliam personam induit. vt in Panegyrico, quae suasio est, insimulat Lacedaemonios. Quamuis autem magna parte eius orationis ipsos perstringat, praecipue tamen arbitror philosophum locum illum intelligere, cum, expositis grauissimis malis, quae Graeci, Asiam incolentes, sustinebant, ob impotentem dominatum Persarum, totum id assignari debere Lacedaemonijs affirmat, qui veteres socios deseruerant, in seruitutemq; barbaris tradiderant: illic enim ita diligenter in ipsos inuehitur: tamq; acribus verbis accusat, vt ipse met existimarit locum correctione egere: quia quum sermonem instituisset de reconciliatione gratiae: simultatibusq; e Graecia extirpandis, tam aspere contra Lacedaemonios locutus sit: ad extremum enim accurate se purgat, atq; officium suum probare conatur: ostendens, quamuis laedat ea pars existimationem eorum, tamen quia a beneuolo animo proficiscitur, studioq; emendandi peccata illorum, admonitionem eam, non obiurgationem haberi debere. Incipit autem criminatio ab hoc loco. » ὦν τίνας ἄλλους αἰτίους χρὴ νομίζειν, ἢ Λακεδαιμονίους; In ea vero (addit) quam pro socijs scripsit, Charetem imperatorem accusat. συμμαχικὸν, posteriorem hanc orationem appellauit: περὶ εἰρήνης eam nunc inscribunt: hanc enim arbitror hic intelligi ab Aristotele.

Ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς δεῖ τὸν λόγον ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις.

In demonstratiuo autem genere oportet orationem dilatare laudibus.

Quia qui rem aliquam, hominemue laudandum susceperunt, saepe non multa, quae dicant, habent: neque plenam inde, grandemq; orationem facere possunt, docet quo modo huic rei

occurrere

occurrere debeant: oportet enim (inquit) in hoc genere orationem augere, laudes in aliquos adiungendo, vt poëtae episodijs ijs, quae appellant, fabulas suas grandiores, honestioresq; facere consuerunt. Valet autem ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, laudibus hinc & inde accersitis, orationem refercire: translatum autem a poëtis verbum est: ἐπεισόδια enim sunt, quae extra proprium fabulae corpus: rerumq; coagmentationem, quam σύστασιν appellant, poëmati adnectuntur.

Οἷον Ἰσοκράτης ποιεῖ· ἀεὶ γάρ τινα εἰσάγει.

Quale Isocrates facit: semper enim quempiam inducit.

Vt Isocrates (inquit) in primis facit: semper enim aliquem inducit, cuius laudes persequendo, dignitatem ac magnitudinem orationi adiungat: id autem ipsum seruare manifestum est: cum enim Busiridem ornandum suscepisset, digreditur in laudes regionis, in qua ille regnauit: ac loci naturam, vbertatemq; agrorum: nec non opportunitatem fluuij commendat: deinde instituta sacerdotum in caelum fert: sed etiam Pythagoram celebrat, qui inde philosophiam in Graeciam asportauit. Idem etiam facit in laudatione Helenae: explicat enim virtutes, & facta praeclara Thesei: ornat Paridem: de pulchritudine disserit, eamq; extollit.

Καὶ ὃ ἔλεγε Γοργίας, ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος, τοῦτό ἐστιν.

Et quod aiebat Gorgias, non defuturam sibi esse copiam dicendi, hoc est.

Vocem Gorgiae Leontini adducit, & qua re fretus tantum de se, ingenioq; suo polliceretur, exponit: aiebat enim ille, nullo modo sibi deesse posse orationē, quancunq; rem expolire aggressus esset. hoc autem (inquit Aristoteles) quod supra ostendimus, in animo habebat Gorgias, atq; hoc semper faciebat: si enim in Achillem dicit, eumq; perpetua oratione ornandum suscepit, Peleum patrem laudat, postea Aeacum auum, deinde Iouem: eodemq; pacto fortitudinem commendat, ac deniq; omnia vndiq; arripit. quod sane, si vere rem cogitamus, nihil aliud est, quam quod supra diximus, orationem episodijs amplificare. Non magna in re discrepat antiquissimus liber a reliquis: ταυτὸ enim habet, non τοῦτο: cum ipso etiam facit vetus tralatio.

Εἰ γὰρ Ἀχιλλέα λέγει, Πηλέα ἐπαινεῖ, εἶτα Αἰακόν, εἶτα τὸν θεόν.

Si enim Achillem dicit, Peleum laudat, dein Aeacum: dein deum.

Cvm in excusis ita legatur, nihil immutaui: in scriptis tamen omnibus inueni, λέγων: quam lectionem vetus quoque tralatio exprimit: tot igitur librorum consensus persuasit mihi, vt id admonerem, quamuis non parum scrupuli ipsa habere videatur. Significat vero (vt opinor) hic λέγειν, idem, quod Latinis poëtis dicere: idest celebrare, & laudibus extollere. Paulo post, vbi in excusis τὴν θεὸν muliebri genere, scripti virili habent, τὸν: vt intelligi debere non Thetis mater, sed Iuppiter videatur, quem auctorem suae stirpis Aeacidarum familia habebat.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἀνδρείαν.

Similiter autem & fortitudinem.

Qvomodo hic omnis locus accipi deberet, supra exposui. Nam, quod inquit, eodem modo fortitudinem, ad Achillem pertinere arbitror: cum enim Achilles plurimum hac virtute valuisset, nactus eam occasionem Gorgias, fortitudinem ipsam laudabat: nec tantum fortia facta Achillis, commendabat, sed seiunctam virtutem hanc ipsam, & bona, quae inde gignuntur, celebrabat.

Ἢ τὰ καὶ τὰ ποιεῖ· ὃ τοιόνδε ἐστιν.

Siue haec atque haec facit, quod huiuscemodi est.

Vt rationem magis doceat, quam tenere solebat Gorgias in rebus extrinsecus captandis: laudibusq;, quibus, quem volebat decoraret, vndiq; arripiendis, ita loquitur: nihil enim certum & definitum his verbis intelligit, sed quaecunq; pro natura earum rerum, quas ornabat, ab eo excogitari, & illuc commode transferri poterant, significat: valent enim. Aut haec aut illa tangit, prout res personaq;, quam hac ratione commendat, patitur: neq; enim id explanare, in re incerta, poterat. modus autem hic loquendi supra hoc ipso in libro a me, exemplis positis, explicatus est: addi tamen illis Demosthenis hoc quoq; testimonium potest, qui pro Ctesiphonte inquit. εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν ἄνθρωπος ὁ ποσί, οὐκ ἂν ἀπέθανεν: nihil enim certum exponit, & cuncta, quae accommodata illi tempori, a praepostero illo medico, dici possent, intelligit. Discrepat vero a reliquis antiquissimus liber hac parte, quod non ὃ τοιόνδε, vt illi, habet, sed ἢ τοιόνδε: eandem lectionem vetus tralatio exprimit: nihil tamen immutaui.

Ἔχοντα μὲν οὖν ἀποδείξεις, καὶ ἠθικῶς λεκτέον καὶ ἀποδεικτικῶς: ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃς ἐνθυμήματα, ἠθικῶς.

Si non deerunt igitur, quibus demonstres, argumenta, & morata oratione, & argumentis munita vti debes: si enthymematibus destitutus eris, totum te conferre ad mores oratione exprimendos.

Si quibus (inquit) confirmes, quod vis, argumentationes habueris, & mores aspergere orationi, & eam fulcire argumentis debes: quod si enthymematibus defeceris, totum te ad mores conferas oportet: neq; vllam partem orationis vacuam ab illis esse patiare. Non repugnat autem hoc superiori praecepto, quo docuit, non debere, qui moratam orationem habet, in perquirendis enthymematibus simul occupatum esse: vna enim: &, vt ipse loquitur, ἅμα, vtrunq; tractari oportere negat: diuersis partibus orationis, ac non eodem tempore & fieri solet id, & non modo sine reprehensione, verum etiam magna cum laude fieri.

Καὶ μᾶλλον τῷ ἐπιεικεῖ ἁρμόττει, χρηστὸν φαίνεσθαι, ἢ τὸν λόγον ἀκριβῆ.

Et magis profecto congruit moderato homini, vt ipse probus esse intelligatur, quam oratio ipsius exquisita.

Cum aequo ac bono viro magis congruat, probum eum videri, quam orationem ipsius exquisitam, illi quoq;, qui se talem effingere vult, magis in hoc laborandum: probum autem virum mores in oratione expressi declarant: orationem exquisitam facit copia enthymematum.

Τῶν δὲ ἐνθυμημάτων τὰ ἐλεγκτικὰ μᾶλλον εὐδοκιμεῖ τῶν δεικτικῶν.

Ex omni autem genere enthymematum, ea, quae arguendi vim habent, magis probantur, quam quae demonstrant.

In ij. horum librorum, antequam locos argumentorum traderet, duo enthymematum genera esse dixit: quorum alterum, δεικτικὸν: alterum, ἐλεγκτικὸν vocaretur: ac naturam vtriusq; illic expressit. nunc, quae refellendi vim habent, magis probari, quam quae directo aliquid confirmant, docet: atq; eius rei causam statim affert: sed hoc etiam in eodem libro post explicationem locorum, vnde vera enthymemata ducuntur, prope ijsdem verbis docuerat: quare omnis hic locus, ante ab auctore pertractatus, si quae duobus locis exposuit, in vnum conferas, quamuis in posteriore, quod nunc tradit, totum persecutus sit, parum immutatis verbis.

Ὅτι ὅσα ἔλεγχον ποιεῖ μᾶλλον δῆλον ὅτι συλλελόγισται: παράλληλα γὰρ μᾶλλον τἀναντία γνωρίζεται.

Quia, quae arguunt aliquid, magis declarant ratione conclusum esse: contraria namque, cum prope collocata fuerint, magis intelliguntur.

Argumenta illa dicuntur ἔλεγχον ποιεῖν, quae contrariũ eius, quod ab aliquo antea prolatum fuerit, concludunt: ea vero & in posteriore horum librorum, & in hoc maxime probari affirmat, quia opposita inter se iuxta collocata magis nota fiunt, meliusque ipsorum vis & natura perspicitur. quare cum maiore vi ἐλεγκτικὰ haec, quam quae directo aliquid demonstrant, quae huiuscemodi vim non habent, concludant, magis quoq; probantur. Μᾶλλον δῆλον ὅτι συλλελόγισται: maiore vi conclusa esse liquido intelligitur, cum & euidentiora sint. Duo, quae medium quattuor horum verborum tenent, idest δῆλον ὅτι, reposita a me sunt: cum ab omnibus excusis abessent. feci autem id approbantibus cunctis scriptis libris.

Τὰ δὲ πρὸς τὸν ἀντίδικον, οὐχ ἕτερόν τι εἶδος, ἀλλὰ τῶν πίστεών ἐστι.

Quae autem contra aduersarium dicuntur, non alia quaepiam species sunt, sed probationum partes.

Quae faciunt (inquit) contra aduersarium, argumentisq; ipsius conuellendis adhibentur, diuersa a reliquis argumentationibus, forma aliqua putanda non sunt: verum & ipsa e numero rerum sunt ad fidem faciendam sumptarum: intelligit autem quam Latini rhetores confutationem vocant: eam quoq; supra e numero probationum esse voluit: nec vllo modo, vt aliud genus, ab ijs separandam.

Τὰ μὲν, λύειν ἐνστάσει: τὰ δὲ, συλλογισμῷ.

Haec quidem soluere opus est, resistendo: haec vero, ratione concludendo.

NON vnam simplicemq; viam esse docet dissoluendi rationes aduersariorum: argumenta enim non nulla resistendo illis, atque omnem conatum eorum impediendo, dissolui debere affirmat: alia autem contraria conclusione labefactare. Quid vero ἔνστασις sit, quomodoue in aduersarium dirigenda, superiore libro copiose exposuit: συλλογισμὸν autem nunc vocat, quem illic ἀντισυλλογισμὸν appellauit: breuiter enim hic tangit cuncta, quae eo loco de solutionibus explicata fuere.

Δεῖ δὲ καὶ ἐν συμβουλῇ καὶ ἐν δίκῃ, ἀρχόμενον μὲν, λέγειν τὰς ἑαυτοῦ πίστεις πρότερον: ὕστερον δὲ, πρὸς τἀναντία ἀπαντᾶν, λύοντα καὶ προδιασύροντα.

Oportet autem & in suasione, & in forensi causa, eum, qui dicere incipit, prius probationes suas adferre. postea autem obuiam ire illis, quae aduersantur causae suae, dissoluentem ipsa, priusque despicientem.

COMMVNE praeceptum dat deliberationibus atque iudicijs: nam & qui sententiam dicit (inquit) & qui in forensi genere versatur, hoc diligenter seruare debet. Si ipse prior dicit, argumentationes suas prius explicare: posterius autem illis, quae aduersantur rationi ipsius ac causae, occurrere, dissoluens ea omnia: &, antequam id faciat, eleuans atque exagitans ipsa: neq; enim πρὸς τἀναντία ad ea, quae opposuit aduersarius, intelligi potest, cum auditus ille nondum sit. Animaduertendum autem aliter capere hic ipsum ἀπαντᾶν πρὸς, ac fecit in problematum segmento xix. vbi inquit cunctos bonos citharoedos frequenter πρὸς τὸν μέσον ἀπαντᾶν: quod si quando inde discesserint, cito illuc reuerti: significat enim illic, ad medium neruum crebro ipsos accedere, vt ad vtilem sibi, ac libenter ad eum se e vicinis locis conferre: hic vero longe alio consilio eo prodire valet: & aduersari denique ijs, quae faciunt contra se. Διασύρειν, extenuare verbis & eleuare significat: quo verbo saepe vsus est Demosthenes pro Ctesiphonte, cum Aeschinem significare vellet, aut incommoda, accepta in bello, astute minuere: aut merita ipsius erga remp. conterere, aut deniq; laudi & existimationi suae detrahere: inde διασυρμὸς figura dicitur, cum, artificio hoc vtentes oratores, res aliquas eleuant atque omni honore dignitateque spoliant.

Ἂν δὲ πολύχους ᾖ ἡ ἐναντίωσις, πρότερον τὰ ἐναντία.

Si vero luctatio cum aduersario varij generis fuerit, prius contraria sunt resellenda.

PERPETVVM tamen hoc non est, inquit: nam si longum sermonem in discutiendis illis, quae causae nocent, habiturus es: & si denique concertatio haec multiplex futura, quod quae rationi tuae aduersentur, multa variaq; fuerint, in primis illa ipsa diluenda confutandaq; sunt. Cur id facere oporteat non aperuit: id tamen obscurũ esse non potest: quia scilicet, cũ plura varijq; generis sint, quae contra te faciunt, tanti ponderis apud eos, qui audiunt, essent, vt auersis animis orationem tuam accepturi fuerint: quare illa disturbanda prius sunt. πολύχους multiformis est, & πολυειδὴς: crebro hoc verbo Aristoteles vsus est.

Οἷον ἐποίησε Καλλίστρατος ἐν τῇ Μεσσηνιακῇ ἐκκλησίᾳ: ἃ γὰρ ἐροῦσι προανελὼν, οὕτως τότε αὐτὸς εἶπεν.

Quod fecit Callistratus in contione Messeniaca: cum enim prius sustulisset, quae dicturi erant aduersarij, sic deinde ipse sua exprompsit.

QVAM rationem (inquit) Callistratus tenuit in Messeniaca contione: dissolutis enim, antequam verbum illi facerent, cunctis, quae dicturi, qui causae aduersabantur, erant, postea ipse argumenta sua explicauit. Historia mihi nota non est, qua de re in contione, quae habita est de Messenijs, actum sit. Cum vero excusi antea haberent προανελὼν ἔπος, vt in scriptis omnibus inueni, οὕτως τότε emendaui: vis autem huius sermonis, vsitati apud bonos auctores, plana est: eodemq; paene pacto ipse non multo post locutus est. οὕτω τὰ αὐτοῦ πιστὰ ποιητέον. hic igitur idem valet οὕτω, hac re peracta. Cum igitur sustulisset Callistratus quaecunq; aduersarij contra ipsius rationem dicturi erant, tunc ipse, quod causae suae prodesset, protulit.

Ὕστερον δὲ λέγοντα, πρῶτον τὰ πρὸς τὸν ἐναντίον λόγον λεκτέον: λύοντα καὶ ἀντισυλλογιζόμενον, καὶ μάλιστα ἂν εὐδοκιμηκότα ᾖ.

Posterius

Posterius autem dicenti, primum, quae contra aduersarium sunt, dicenda sunt, dissoluendo illa, & oppositis syllogismis pugnando: & praecipue si probata fuerint.

CONTRA (inquit) si posterior dixeris, primum exponenda tibi sunt, quae contra aduersarij orationem valent: cunctaq; illa dissoluenda, contrarijsq; argumentis argumenta illius confutanda. quod tunc maxime (addit) studiose faciendum est, cum probata illa ijs, qui audierunt, fuerint: cum vim & pondus habere ad confirmandum, quod volunt, existimata sint: tunc enim valde obesse causae possent. Antiquiss. liber sine praepositione illi adiuncta συλλογιζόμενον habet: eandem lectionem sequitur vetus tralatio.

Ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπον προδιαβεβλημένον οὐ δέχεται ἡ ψυχή, τὸν αὐτὸν τρόπον οὐδὲ λόγον: ἐὰν ὁ ἐναντίος εὖ δοκῇ εἰρηκέναι.

Quemadmodum enim hominem, respersum criminibus non recipit animus, eodem pacto neque orationem, si aduersarius existimatus fuerit bene dixisse.

SIMILI probat, argumenta aduersarij, quae visa sunt insedisse in animis iudicum, ante dissoluenda esse, quam quae pro causa sint, ab altero dicantur: vt enim hominem (inquit) in quem multa conjecta probra sint, quiq; flagret infamia, animus non recipit: sic neque orationem etiam, si aduersarius vere dixisse visus fuerit. Hoc autem se fecisse in P. Sylla defendendo ipsemet Cicero testatus est: prius enim quam vitam moresq; hominis commendaret, remotumq; eum esse natura doceret a grauibus culpis, ac sceleribus, quorum arguebatur, dissoluit crimina, quae ipsi obiecta fuerant: videbat enim, cum tanta illa & tam atrocia forent, omnem conatum eius irritum futurum fuisse, in laudando eius ingenio animique probitate. verba eius sunt.
» Iam enim faciam, criminibus omnibus fere dissolutis, contra atque in ceteris causis fieri solet,
» vt nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam. & quae sequuntur: consuetudo enim erat, & id magistri dicendi iubebant, vt in primis purgaretur vita rei: ita enim facta ipsius, cum mediocribus flagitijs obnoxia erant, purgabantur.

Δεῖ οὖν χώραν ποιεῖν ἐν τῷ ἀκροατῇ, τῷ μέλλοντι λόγῳ: ἔσται δέ, ἂν ἀνέλῃς.

Oportet igitur patefacere locum in animo auditoris orationi, quae haberi debet: obtinebitur autem hoc, si eieceris inde, quae impedirent.

OFFICIUM igitur nostrum est, patefacere locum, ac sedem praeparare in auditoris animo orationi, quae a nobis haberi debet: quod fieri nullo modo potest, nisi illinc eijciantur, quae totum eum occuparunt, dicta aduersarij: illis autem inde exturbatis, negotium confectum est: quo modo enim id effici possit docens, inquit: fiet hoc, obtinebiturq; a te, si sustuleris remouerisq; illa. nam quod ait, ποιεῖν χώραν, elegans sermo est, & totam rem aptissime exprimit: sic etiam locutus est in libro, quo vitia fallacium conclusionum docuit: ac sophistarum laqueos
» explicauit. χώραν γὰρ ἐγχειρήματος ἡ σκέψις ποιεῖ. haec animaduersio facultatem praebet inuadendi in aduersarium: locum nobis dat illum captandi.

Διὸ ἢ πρὸς πάντα, ἢ τὰ μέγιστα, ἢ τὰ εὐδοκιμοῦντα, ἢ εὐέλεγκτα μαχεσάμενον, οὕτω τὰ αὑτοῦ πιστὰ ποιητέον.

Quare opus est, siue expugnatis omnibus, siue eorum maximis, siue valde probatis, siue illis, quae nullo negotio refelli possunt, sic sua argumenta firma reddere.

QUARE (inquit) cum acriter proeliatus fueris, aut contra omnia aduersarij argumenta, ita, vt nullum eorum, quod non temptes refellereq; coneris, relinquas, aut maxime firma grauiaque, aut ea, quae valde probata sint: quamuis fortasse sine causa tantum illis ab ijs, qui audiunt, tribuatur, aut saltem, quae facile reprehendi ac confutari possunt, tunc tua argumentis confirmare, & vt multum valeant ad persuadendum, facere debes.

Ταῖς θεαῖσι πρῶτα σύμμαχος γενήσομαι: Ἐγὼ γὰρ Ἥραν.

Deabus primum opem feram: Ego namque Iunonem.

EX Euripidis Troadibus exemplum hoc sumptum: initiumq; est orationis, quam Hecuba apud Menelaum contra Helenam, quae prior dixerat, ac multis modis factum suum excusauerat, habuit: cum enim illa, non sponte sua secutam se Paridem ostendisset, sed voluntate atque imperio Veneris, ac multa verba fecisset de iudicio illo, ab omnibus poëtis decantato, cum tres deae

iudicem

iudicem spectandarum formarum suarum Paridem constituissent: ac non nulla alia quoq; validiora argumenta attulisset, Hecuba contra hoc, quod vim nullam habebat, & facile discuti poterat, copiose disseruit: docuitq; se primo patrocinium dearum suscepturam, ac famam illa-
» rum defensuram, quae longe ab his flagitijs absunt. inquit igitur. Ταῖς θεαῖσι πρῶτα σύμμαχος
» γενήσομαι, Καὶ τήν δε δείξω μὴ λέγουσαν δίκαια. Εγὼ γὰρ Ηραν, παρθένον τε Παλλάδα: & quae sequuntur. Secundum autem versum, vt saepe in exemplis facit, reliquit. Probat igitur hic valde artificium poëtae Aristoteles, qui vidit, quod ipse fieri vtiliter aliquando declarauit: & sane in primis peritus huius artis fuit Euripides: quod e fabulis ipsius manifesto percipitur, in magna parte quarum contrariae inter se orationes habentur.

Εν τούτοις, ἥψατο πρῶτον τοῦ εὐηθεστάτου.

In his enim attigit primum, quod leuissimum erat.

ITA loquitur, vt si totam hic Hecubae orationem posuisset: vel potius, si quae antea ab Helena dicta fuerant, recordaremur: in his enim (inquit) primum aggressa est, atque confutauit, quod insulsissimum erat, nec magnopere causam Helenae adiuuabat: respondet namq; parti illi, qua tradidit aliquando oportere πρὸς εὐέλεγκτα pugnare: quod autem hoc in veris quoque causis facere prosit, inde arbitror fieri, quod vnum alterumue argumentum euersum ac confutatum, reliqua quoque videtur infirmare, atq; hebetiora reddere.

Περὶ μὲν οὖν πίστεων, ταῦτα.

De probationibus igitur hactenus.

ANIMADVERTENDVM hic Aristotelem πίστεις argumentationes appellare, non communiter probationes, & omnem rationem faciendae fidei, vt primo in libro fecerat; cum enim, quae ad ipsas pertinebant, se iam absoluisse dicat, statim exequi aggreditur, quod ad mores facit.

Εἰς δὲ ἦθος, ἐπειδὴ ἔνια περὶ αὑτοῦ λέγειν, ἢ ἐπίφθονον, ἢ μακρολογίαν, ἢ ἀντιλογίαν ἔχει, καὶ περὶ ἄλλου, ἢ λοιδορίαν, ἢ ἀγροικίαν, ἕτερον χρὴ λέγοντα ποιεῖν.

Ad mores autem, quia non nulla de semetipso dicere, vel inuidiosum est, vel continet prolixam orationem, vel facile inuenit contentionem: de alio vero siue conuicium, siue asperitatem morum: alium oportet inducere dicentem.

EXPLICATIS iam his, quae ad argumentationes pertinebant, de eo, quod in morata oratione animaduerti debet, agemus: cum enim de se ipso aliquid saepe dicendum sit, quod laudem afferat, & contra alios, quod labem & dedecus illis importet, & vtrunq; vitia quaedam in se habeat, quod remedium huic rei adhibendum sit, docet. Quia (inquit) quaedam de se ipso dicere, aut inuidiosum, aut prolixum est, aut etiam aliud incommodum habet, quod obtrectatores facillime inuenit (valet enim ἀντιλογίαν ἔχειν, exposita esse huic malo, vt inueniant qui libenter reprehendant, atque illis sententijs aduersentur) nec non quaedam etiam de alio proferre, aut conuicium videtur, aut rusticitas ingenij, & agrestis natura, alium ea exponentem inducere oportet. haec est auctoris sententia, ad verbum expressa. Docuit igitur & quae pericula instarent, & quomodo illa declinarentur. Isocrates quoq; eadem paene vitia in hoc genere orationis, cum aliquis suas laudes praedicat, esse dicit in oratione περὶ ἀντιδόσεως.

Οπερ Ισοκράτης ποιεῖ ἐν τῷ Φιλίππῳ.

Quod Isocrates facit in libro ad Philippum.

ARBITROR locum illum intelligere, cum disertus scriptor loqui vellet de metu, qui multos occuparat, potentiae Philippi: suspectus namque ille erat Atheniensibus, reliquisq; liberis populis, ne opibus, quas sibi vndique comparabat, vteretur aliquando in ipsorum pernitiem: si enim vellet ex animo ipsius has cogitationes delere: docereq; ea aggredi turpe ipsi atque inutile esse, oportebat rem ipsam antea aperire. Veritus igitur ne apud eum, id agens, offenderet, finxit alios ea dicere: seq; solitum semper esse illis sedulo aduersari, atq; ipsorum argumenta refellere, declarauit. Cuncta vero illic paucis exponit: cum enim ostendisset conducere Philippo ea audire: debereq; se omnia libere exponere, inquit: Audio enim falsis criminibus te obrui ab improbis hominibus, qui de regno potestateque tua ita loquuntur: nullo modo ipsam pro salute Graeciae, sed contra commoda nostrae gentis augeri, teque magno temporis spatio nobis insidiari: nec non verbis multa te facturum dicere, quae tamen re, alia de causa a te gerantur: &, ne longior sim, partem hanc totam eius orationis significari puto: quae enim ita prolata

aequissimis

aequissimis auribus accipi a rege debuerunt, directo ac sine hoc artificio exposita, conuiciorum speciem habuissent.

Καὶ ἐν τῇ ἀντιδόσει.

Et in antidosi.

INTELLIGERE videtur orationem, quam nunc περὶ ἀντιδόσεως inscribunt: in exordio enim ipsius consilium suum aperit Isocrates, & vt haec mala, incommodaq; euitaret, quae fugere non possunt, qui sine causa necessaria se ac res suas laudant, coactusq; videretur non sponte, de se ipso tam multa praedicare, simulq; omnia complecti posset, fatetur se in ea finxisse cuncta illa sibi ab aduersario exprobrata. Quae cum diligenter diluat, res interim suas ornat, atq; id citra inuidiam facit, nec oratio longa videri potest: cui enim periculũ creatur, nihil relinquere debet, quod saluti sibi esse possit. Cum diligenter igitur totum librum legerim, nihil aliud videre illic potui, quod huic loco accommodatum sit: eiusque, quod nunc traditur, exemplum aliquo modo esse valeat: nullum tamen illic orator loquentem inducit: nec, quae ipse commode dicere non poterat, alium dicere facit: quod nunc fieri debere, exemplo videtur confirmare velle Aristotelem. suspicari aliquis fortasse posset, alteram ipsum eiusdem orationem intellexisse, quae eundem indicem haberet, si eam edidit: bis enim causam dixit Isocrates hoc nomine, vt Plutarchus in vita ipsius narrat: duoq; diuersis temporibus, in iudicium eum vocarunt, & Megaclides quidam, & Lysimachus. ea autem, quae nunc in manibus est, respondet Lysimacho: Megaclidi enim occurrit, cum ipse morbo impediretur, Apharei, adoptiui filij, ore, atq; ex eo iudicio victor discessit. In ea igitur, quae vetustate amissa est, aliquid fortasse huiuscemodi legebatur.

Καὶ ὡς Ἀρχίλοχος ψέγει: ποιεῖ γὰρ τὸν πατέρα λέγοντα περὶ τῆς θυγατρὸς ἐν τῷ ἰάμβῳ. Χρημάτων δ' ἄελπτον οὐδέν ἐστιν, οὐδ' ἀπώμοτον.

Et vt Archilochus vituperat: facit enim patrem dicentem de filia in iambo. Nulla res est, quam desperare possimus futuram, & quam itidem iure iurando negare exitum non habituram.

HOC etiam, vt ipse docet, Archilochus tenebat: qui cum Lycamben, cui grauiter iratus erat, vel potius filiam eius, quam acerbo item odio prosequebatur, omnibus probris, ac maledictis vexare vellet, non ipse in eos dixit, sed patrem de filia turpiter loquentem in iambo induxit. Non continentur autem hoc vno versiculo flagitia illius impurae domus, sed omni illo carmine, cuius hoc initium erat: nam octo quoq;, qui hunc ipsum sequuntur, apud Stoboeum capite περὶ ἐλπίδος, nihilominus illa non explanantur: sententia autem horum versuum, quos videre possumus, haec est. Id spectatum, ac factum esse quod, quia antea fieri non posse credebatur, quasi fidem facit, nihil esse, quod non sperari possit, ac debeat. quid autem id sit, non apparet. exordium huius rei exponendae, quod longum est, simile parque est Virgilianae illi sententiae.
» Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes? Iungentur iam gryphes equis, aeuoque se-
» quenti Cum canibus timidi venient ad pocula damae. Patrem autem Lycamben filiabus turpia quaedam ac nefaria apud Archilochum suasisse, inde etiam intelligi licet, quod ipsae ita illi respondere inducuntur, & ob consceleratum illum, ac foedum sermonem eum stultitiae insimulare. πάτερ Λυκάμβα ποῖον ἐφράσω μῦθον; τίς σὰς παρήειρε φρένας; Qui Archilochi locus ab Hephestione in Enchiridio adducitur, vbi de iambo versu praecipit: posterior vero versiculus a Demetrio quoq; Phalereo in commentario de elocutione. χρημάτων, in Archilochio versu, citato ab Aristotele, rerum, vt saepe, non pecuniarum significare, apertum est. ἀπώμοτον autem (quo verbo Sophocles in Antigona paucis versibus iterum vsus est: & Plato in vj. libro de legibus) quod aliquis possit iureiurando concepto, affirmare non futurum.

Καὶ τὸν Χάρωνα τὸν τέκτονα ἐν τῷ ἰάμβῳ, οὗ ἀρχή. Οὔ μοι τὰ Γύγεω.

Et Charonem fabrum in iambo, cuius initium. Despicio Gygis fortunas.

IDEMQVE Charonem fabrum inducit vituperantem (vt suspicor) aut Lycamben ipsum, aut filias, aut aliquem inimicum suum in iambo, cuius initium est, vt Aristoteles inquit. Οὔ μοι τὰ Γύ-
» γεω. Longius autem idem carmen contexuit Plutarchus in libro de securitate, Οὔ μοι τὰ Γύγεω
» τοῦ πολυχρύσου μέλει: nihil tamen ne illic quoque, quod ad Charonem pertineat, aut notam alicui inurat: significatur enim illo, ipsum flocci non facere diuitias Gygis, opulentissimi Lydiae regis. Idem paene principium habet suauissimum carmen, quod in iij. libro epigrammatum legitur: sed illud non ab Archilocho, sed ab Anacreonte Teio conditum existimatur. sententiae autem illius omnes molles ac delicatae.

Καὶ ὡς

Καὶ ὡς Σοφοκλῆς τὸν Αἵμονα ὑπὲρ τῆς Ἀντιγόνης πρὸς τὸν πατέρα, ὡς λεγόντων ἑτέρων.

Et vt Sophocles Aemonem super Antigona aduersus patrem, tamquam alij, quae sentit ipse, praedicarent.

REPETENDVM e superioribus verbis, & ἀπὸ κοινοῦ (vt veteres grammatici loquuntur) ποιῶ λέγοντα. Vt Sophocles Aemonem, Creontis filium, cum patre ipso inducit loquentem: non igitur aut sibi ipsi laudando, aut alij vituperando vtilis tantum haec ratio, sed alijs etiam quibusdam temporibus, vt manifesto hoc exemplo declaratur: neq; enim honeste poterat Aemon patrem insimulare, & iniquum esse dicere: quod generosae virgini ob rectum ac premio dignum facinus, exitium pararet. quare alios id clam loqui affirmauit, atque ita Creontem callide accusauit, ac studiosus existimationis paternae videri potuit. locus notus est.

Δεῖ δὲ καὶ μεταβάλλειν τὰ ἐνθυμήματα, καὶ γνώμας ποιεῖν ἐνίοτε.

Non est autem cunctandum commutare enthymemata, atque ex ipsis aliquando facere sententias.

PRAECEPTVM hoc eo spectat, vt cum orationi moratae, de qua sermo nunc est, parum congruant argumenta: sententiae vero vehementer ei generi dictionis accommodatae sint, ab enthymematibus quidem ipsis: quibus sententiae contineantur, nos abstineamus: nec tamen bono illo, quod in se habent, careamus: viam enim docet, qua incommodum vitari: & commodum sine vllo periculo vsurpari possit: oportere autem inquit, illa in simplices sententias conformare.

Οἷον Χρὴ δὲ τὰς διαλλαγὰς ποιεῖν τοὺς νοῦν ἔχοντας, εὐτυχοῦντας: οὕτω γὰρ ἂν μέγιστα πλεονεκτοῖεν.

Quemadmodum Tunc oportet foedera ferire cum hostibus, prudentes viros, cum eorum res secundae sunt: sic enim meliores ipsorum condiciones erunt.

EXEMPLVM hoc est sententiae, ex enthymemate dissoluto confectae: quae tamen adhuc multum retineat prioris naturae: in ea namq; ratio dicti redditur. eiusmodi vero sententias in superiore libro, non sententias, sed enthymemata vocat. appellauit autem illic (vt opinor) enthymemata, quae enthymematum vim & naturam haberent: non tamen perfectam exquisitamq; formam, vt illud est, quod infra hic adducit. Quid autem praecipiatur his verbis, satis planum est: suadet enim sententiae auctor bellum gerentibus, vt dum ipsorum res bonae sunt, foedus cum hostibus feriant: ita namq; affirmat ipsos in condicionibus ferendis superiores futuros. Eandem paene sententiam affinxit Isocrates Archidamo Spartano, cui orationem scripsit: quam haberet in rebus aduersis suae ciuitatis: admonet enim ille oportere foedus omnes icere, cum, aut hostes superarint, aut ipsis viribus ac fortuna non cedant. Asdrubal quoque apud T. Liuium, ille Haeduus vocatus, vnus legatorum, quos miserunt Carthaginienses Romam ad pacem petendam, cum moneret P.C. vt rebus secundis moderate vterentur, dixit, Si se atq; Hannonem audissent ciues sui: & ipsi tempore vti voluissent, daturos fuisse pacis condiciones, quas tunc victi peterent.

Ἐνθυμηματικῶς δέ: Εἰ γὰρ δεῖ, ὅταν ὠφελιμώταται ὦσι καὶ πλεονεκτικώταται αἱ καταλλαγαὶ, τότε καταλλάττεσθαι, εὐτυχοῦντας δεῖ καταλλάττεσθαι.

More autem enthymematis, ita: Si namque oportet, cum maxime vtilia foedera fuerint condicionesque eorum meliores, tunc maxime ipsa ferire, cum prospera fortuna vtuntur, opus est ferire.

HIC locus in cunctis excusis, & non paucis scriptis libris, lacer ac mancus erat: defecerat enim enthymematis conclusio: quae namq; hic antea legebantur, propositionem tantum conficiebant: illa autem maior est syllogismi, vt appellant. Quiuis vero, accuratus & eruditus lector, desiderari hic, quod ostendi, videre poterat: exemplum enim esse inquit eius sententiae, enthymemate inclusae. ipse auxilio antiquiss. libri, quod desiderabatur, restitui: id praeterea expressum esse a vetere tralatione animaduerti. Totus igitur nunc locus integer, & sensus verborum apertus est: si enim oportet, cum maxime vtilia foedera sunt, ac valde superiores condiciones eorum reddunt, tunc omnes illa icere, secundis rebus vtentes, oportet ipsos foedera icere.

Περὶ δὲ ἐρωτήσεως, εὔκαιρόν ἐστι ποιεῖσθαι μάλιστα μὲν, ὅταν τὸ ἕτερον εἰρηκὼς ᾖ, ὥστε, ἑνὸς προσερωτηθέντος συμβαίνει τὸ ἄτοπον.

De interrogatione autem, tempestiuum est, tunc maxime ipsa vti, cum alterum iam dixerit, ita vt vno praeterea quaesito, contingat absurdum.

QVIA interrogare aduersarium, ab imprudenteq; illo non nulla callide elicere, multum prodest in iudicijs concertationibusq; cunctis, quae disputando fiunt, quo pacto, & quo tempore hoc fieri debeat, ostendit. Nam quod ad interrogationem (inquit) pertinet, maxime tempestiuum est interrogare, cum alteram propositionem, partemue eius absurdi, quod concludi aduersus eum debet, sponte sua iam aduersarius pronuntiarit: vt si ab eo interrogato vna solum expressa fuerit, statim efficiatur, quo perducere eum quaerebamus, incommodum: neque enim licet, obscuritatis fugiendae causa, plura interrogare: verum vna tantum re interrogata concessaque, ilico, illa vtentem, oportet concludere. quare tempus hoc erit accommodatum: syllogismus namque duabus eget propositionibus. Hac in parte antea excusi libri, ὅταν τὸ ἕτερον ἐρωτηκὼς ᾖ habebant: quod quam mendosum sit, patet: ipse, vt in calamo scriptis omnibus legi, εἰρηκὼς ᾖ, castigaui.

Οἷον Περικλῆς Λάμπωνα ἐπήρετο περὶ τῆς τελετῆς τῶν τῆς σωτείρας ἱερῶν: εἰπόντος δὲ, ὅτι οὐχ οἷόν τε ἀτέλεστον ἀκούειν, ἤρετο εἰ οἶδεν αὐτός: φάσκοντος δὲ, καὶ πῶς ἀτέλεστος ὤν;

Veluti Pericles Lamponem interrogauit de initijs sacrorum deae salutaris, cum dixisset ille, nefas esse ea auscultare, qui initiatus non foret, interrogauit an nosset ipse: affirmante autem, addidit, & quomodo, cum initiatus non esses?

QVOD exemplum hoc aperiat, praeter ea, quae traduntur ab Aristotele, non habemus. Percunctatus est Pericles, summus ille Athenis vir, ac maximus orator, Lamponem, vnum e genere eorum quos Graeci, vt diuinos auguresq;, μάντεις vocabant, de initijs sacrorum deae, quae quod salutem daret, Graeco cognomine σώτειρα appellabatur: cum Lampon dixisset, ipsum, qui initiatus non erat, audire non posse, interrogauit num ipse nouisset. cum affirmaret, quomodo (inquit) tu, minime initiatus? Lamponis autem huius meminit Plutarchus in vita Periclis: eumque narrat, summa omnium admiratione, quid portenderet monstrum, in agro Periclis natum, multo ante edidisse: cum Anaxagoras ille Clazomenius, qui naturalem ortum rem eam habere affirmasset: idq; statim omnibus certo demonstrasset, magnam & ipse laudem inde consecutus esset. Aristophanes quoq; in Auibus eiusdem: vnaq; Diopithis, de quo in ij. horum librorum egi, mentionem fecit. Cum vero in excusis antea mendose σωτηρίας foret, secutus fidem antiquissimi libri, σωτείρας correxi: quam veram lectionem esse vetus quoq; tralatio testatur: cognomen autem hoc deae alicuius fuisse, seruatricis habitae, plane intelligitur. Idem co-
» micus in Ranis ita Cererem vocasse videtur: cum enim altera pars chori ita cecinisset, ἀλλ' ἔμβα
» χ' ὅπως ἀρεῖς τὴν σώτειραν γενναίως, altera huius deae merita, ac laudes verbis extollere statim coepit. Dianam quoq; cognomen hoc habuisse, apud Pausaniam in Atticis legi.

Δεύτερον δὲ. ὅταν τὸ μὲν, φανερὸν ᾖ: τὸ δὲ, ἐρωτήσαντι δῆλον ᾖ, ὅτι δώσει.

Secundo autem, quando vnum eorum perspicuum fuerit: alterum autem, non dubium, quin aduersarius daturus sit, si fuerit ex eo quaesitum.

SECVNDO tempestiuum est interrogare, cum alterum perspicuum fuerit: alterum autem, quin concessurus sit, siquis interrogarit, dubium non videatur. Qua vero in re discrepet haec a superiore ratione, planum est: prima enim illa vocem sententiamq; aliquam ab aduersario prolatam arripiebat, atque ipsa, vt concessa probataq;, vtebatur: secunda autem haec ex perspicua re ac certa proficiscitur, atque inde propositionem conficit: percunctaturq;, quod necessarium restabat ad concludendum: ac liquido intelligit ab aduersario datum concessumq; iri.

Πυθόμενον γὰρ δεῖ τὴν μίαν πρότασιν, μὴ προσερωτᾶν τὸ φανερὸν, ἀλλὰ τὸ συμπέρασμα εἰπεῖν.

Cum enim aliquis interrogarit vnam propositionem, non debet praeterea interrogare, quod manifestum est, sed conclusionem adferre,

MODVM

MODVM nunc viamq; docet, quam tenere illum oportet, qui haec iam habeat, vt aduersarium eo, quo vult, adducat: cum enim (inquit) vnam tantum propositionem interrogaueris, non debes rursus interrogare, quod perspicuum est, sed statim concludere. Planum igitur est posteriore hac percunctandi ratione concludi ἐνθυμηματικῶς: vna enim tantum propositio, cum altera nota sit, negotium conficit: priore vero illa συλλογιστικῶς: ambae enim sumuntur.

Οἷον Σωκράτης Μελίτου οὐ φάσκοντος αὐτὸν θεοὺς νομίζειν, εἴρηκεν, εἰ δαιμόνιόν τι λέγοι. ὁμολογήσαντος δὲ, ἤρετο εἰ οὐχ οἱ δαίμονες, ἤτοι θεῶν παῖδες εἶεν, ἢ θεῖόν τι: φήσαντος δὲ. ἔστιν οὖν ἔφη, ὅστις θεῶν μὲν παῖδας οἴεται εἶναι: θεοὺς δὲ, οὔ.

Veluti Socrates, cum Melitus negaret ipsum deos esse putare, dixit an daemonium aliquid esse diceret. assentiente autem illo, interrogauit num daemones, siue deorum filij essent, siue aliquod diuinum: affirmante eodem. est igitur inquit, qui filios deorum esse putat: deos autem minime.

EXEMPLVM apertum est: quo etiam in primo horum librorum vsus sit: notum enim, quis Melitus fuerit, & cuius criminis falso Socratem insimularit: totus autem hic locus ex apologia, quam Plato scripsit, sumptus videtur: longa enim inductione illic Socrates docuit, stultum admodum esse dicere, diuinas res esse, deos autem non esse: in extrema vero argumentatione haec verba sunt. ἀλλὰ τί τῷ τούτῳ ἀπόκριναι, ἔσθ' ὅστις δαιμόνια μὲν νομίζει πράγματα εἶναι: δαίμονας δὲ οὐ νομίζει. valde autem accommodatum exemplum est praecepto huic explicando: sic enim Socrates cum Melito egit. Num in sermone ipse crebro daemonij cuiusdam, quod valde sequeretur, mentionem faceret: cum concessisset id Melitus, interrogauit, non ne daemones, siue deorum filij essent, siue res aliqua diuina. quod inficiari ipsum non posse intelligebat: neque enim alia vlla de illis notio in animis mortalium erat: omisit autem, vt perspicuum: qui concedit filios esse, & patres quoque necessario concedit. atq; ex priore illa prolata, posteriore vero intellecta, ἐνθυμηματικῶς conclusit, & quasi illum dementiae condemnauit. Varietas haec est in antiquiss. libro hac parte, cũ quo etiam facit vetus tralatio. εἴρηκεν ὡς ἂν δαιμόνιον τι λέγοι ἤρετο, εἰ οὐχ οἱ δαίμονες, & quae sequuntur. cũ receptam igitur lectionem retinuerim, hanc tamen notam esse volui.

Ἔτι ὅταν μέλλῃ, ἢ ἐναντία λέγοντα δείξειν, ἢ παράδοξον.

Praeterea, quando viderit sibi potestatem futuram, vt ostendat ipsum, siue contraria sibi dicturum, siue quod repugnet opinionibus.

PRAETEREA (inquit) vtile est aduersarium interrogare, cum interrogando ostendere debet, eum aut contraria sibi ipsi dicere, aut quod repugnet opinionibus reliquorum: παράδοξον enim hic (vt supra) vocat, quod contra hominum existimationem sit. Tertium autem hoc tempus est, cum interrogatione captari aduersarius potest.

Τέταρτον δὲ, ὅταν μὴ ἐνῇ, ἀλλ' ἢ σοφιστικῶς ἀποκρινάμενον, λῦσαι.

Quarto, cum non licuerit illi, aliter quam more sophistarum soluere.

QVARTO autem (inquit) oportunum est interrogare, nec tam idoneum tempus, ita vrgendi aduersarium, amittendum est, cum facultatem non habuerit, qui interrogatur, nisi sophistice respondendi: ita enim apud iudices, eosq; omnes, qui audiunt, offendere illum faciemus, qui spinosas has, contortasq; rationes non intelligunt, ac valde suspectas habent. σοφιστικῶς autem, idest vitiata in subtilioribus captiosisq; disputationibus ratione: in concertationibus namque sophistarum, in quibus verba, quae duplicem notionem habeant, dominantur, distinguendo in primis fallacibus ipsorum argumentis resisti solet. Omnem autem exquisitam disputationem ac subtilem, & quae valde remota sit a consuetudine idiotarum, homines imperitos sophisticam appellare solitos notum est, sed Plutarchus etiam ita est locutus in principio iiij. libri συμποσιακῶν, cum de nota voce Polybij disputaret, qui suaserat Scipioni, ne prius e foro discederet, quam amicum sibi quempiam officio suo aliquo reddidisset: inquit enim. φίλον δὲ δεῖ μὴ πικρῶς μηδὲ σοφιστικῶς ἀκούειν, ἐκεῖνον, τὸν ἀμετάβολον καὶ βέβαιον, ἀλλὰ κοινῶς τὸν εὔνουν.

Ἐὰν γὰρ οὕτως ἀποκρίνηται: ὅτι ἔστι μὲν: ἔστι δ' οὔ: ἢ τὰ μέν: τὰ δ' οὔ: ἢ πῆ μέν: πῆ δ' οὔ, θορυβοῦσιν, ὡς ἀποροῦντες.

Si namque sic responderit. est, & non est. vel partim quidem: partim autem non: vel aliquo loco est, aliquo non est, confunduntur animo, vt qui non satis intelligunt.

Si enim (inquit) aduersarius ita responderit: est sane, & non est: siue partim est, partim non est: siue aliqua parte est, aliqua non est, perturbabuntur qui audiunt, vt qui assueti non sunt acutis his, captiosisq; rationibus. Vt autem exemplis haec illustrem, primo modo explanando hoc videtur accommodatum esse. Siquis enim interroget, veratrum pestifer ne cibus sit, & esse eum, & non esse responderi potest: nobis namq; nocens est, ac praesens venenum: capris vero ac cothurnicibus, quae pinguiores inde fiunt, non est. secundus hoc pacto declarabitur: si quis enim interroget, vtrum animus hominis mortalis sit, occurret aliquis huic sine periculo hoc pacto. partem eius, mortalem esse: partem immortalem: quod enim ipsius sine adminiculo corporis munera sua obire non potest, mortale est: quod vero seiuncta munia habet a corpore, ac fungitur officio suo sine opera illius, immortale & aeternum est. si vero quaerat quispiam vtrum Aethiops sit albus: aliquo modo album: aliquo non esse respondendum est. si dentes namq; spectes, albus erit: si reliquum corpus respicias, non erit. Vis huius verbi θορυβῶσιν, hic (nisi fallor) haec est, vt θορυβεῖν positum hic sit: quemadmodum turbare (quod intellectu quoq; illi respondet) apud Latinos quandoq; scriptores: idest valeat trepidare: in magna perturbatione, & quasi stupore illius rei existere. sensus igitur huius loci hic erit. iudices ipsi, & qui audiunt, mente commouentur, & quasi tumultus quidam in animis ipsorum gignuntur, vt qui tamquam in salebra haerent: nec videre possunt, quid sequi, & probare debeant in tam subtilibus, & spinosis rationibus. M. autem Cicero in L. Pisonem verum hoc esse illustri exemplo declarauit, cui Pisoni, cum Epicureius, quem domi alebat, in ratione ea tradenda dixisset, finem esse rerum bonarum voluptatem: aggrederetur que, vt philosophi solent, docere, quam sapiens ille voluptatem intelligeret, narrat eum spreuisse tam exquisitam diligentiam. verba M. Tullij haec sunt. Graecus primo distinguere atq; diuidere, quemadmodum illa dicerentur: & quae sequuntur. & non minus apte idem obiecit M. Antonio, cum ipsum itidem ignarum esse litterarum, & omnis elegantioris doctrinae ostendere vellet. Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quae distinctius dicuntur, intelligis.

Ἄλλως δὲ, μὴ ἐγχειρεῖν.

Aliter autem, minime attingere.

Aliter (inquit) rem non temptare, neq; aggredi interrogationem oportet: noceret enim causae id facere, vt ipse infra ostendit: aliter autem, nisi vno aliquo horum quattuor temporum: docuit enim quando proposita aliqua vtilitate hoc tractari commode potest.

Ἐὰν γὰρ ἀντιστῇ, κεκρατῆσθαι δοκεῖ.

Si namque restiterit, qui interrogauit victus putatur.

Quantum periculum res habeat, nisi tempore tractetur, exponit, & quam considerate interrogare aduersarium oporteat: si enim (inquit) ille restiterit, apteq; interrogationi occurrerit, is ipse, qui interrogauit, victus esse existimatur: nec paruam plagam causa ipsius accepit. praestat igitur non interrogare, quam cum tanto periculo id moliri.

Οὐ γὰρ οἷόν τε πολλὰ ἐρωτᾶν, διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῦ ἀκροατοῦ.

Neque enim licet ei multa interrogare, propter imbecillitatem auditoris.

Dissolvit nunc id, quod aliquis opponere potuisset: qui omnino vellet, semper vtile esse, interrogationibus vrgere aduersarium, hoc iudicio vsus. quasi (inquit) non possit, si statim res non cessit bene, nec interrogatione prima ille captatus sit, rursus interrogari, secundaeq;, aut tertiae interrogationis laqueis irretiri. Hoc fieri non posse docet optimus magister propter infirmitatem auditoris. imbecillitatem autem mentis, non corporis intelligit: quod enim multa oratori interrogare dicit non licere, indicat morem dialecticorum, quibus crebrae interrogationes familiares sunt: contra tamen in hoc studio se rem habere tradit. Cum igitur, ne obscuriora ei, qui audit, non imbuto subtilioribus artibus, argumenta sint, pluribus ad concludendum interrogationibus vti non possimus: tunc enim non multum referret aliquam ex ijs refelli, caute admodum est interrogandum.

Διὸ καὶ τὰ ἐνθυμήματα, ὅτι μάλιστα συστρέφειν δεῖ.

Quae causa est, vt enthymemata maxime oporteat contrahere.

Quare (inquit) hoc vitium vt vitent, & ne longitudine fatigent animos auditorum oratores, enthymemata contrahere etiam debent. συστρέφειν autem contrahere hic significat: de breuitate enim & compendio orationis agit. eodem intellectu cepit Demetrius, non tamen de eadem re differens, in libro de elocutione: ipse namque concisa debere esse orationis membra censet, & quasi in orbem circumacta: tuncq; maiorem vim habere putat. Verba ipsius haec sunt.

" sunt. ὥσπερ τὰ θηρία, συστρέψαντα ἑαυτά, μάχεται, τοιαύτη τις ἂν συστροφὴ καὶ λόγου. Halicarnasseus quoq; ita locutus est, cum Lysiam oratorem hac in re maxime probaret, quod rotundam orationem
" efficere potuisset, & in orbem cunctas sententias redigere. ἐν ᾧ συστρέφει τὰ νοήματα, καὶ στρογγύλως
" ἐκφέρει, ὡς πρὸς ἀληθινοὺς ἀγῶνας, Λυσίαν ἀποδέχομαι. in vita autem, quam scripsit Isocratis, haec verba sunt.

Ἀποκρίνασθαι δὲ δεῖ, πρὸς μὲν τὰ ἀμφίβολα, διαιροῦντα, λόγῳ καὶ μὴ συντόμως.

Respondere autem oportet aduersum voces ambiguas, diuidentem, atque id oratione, & minime concise.

QVOMODO nunc interrogationibus responderi deceat, ostendit: nam cum diuersae sint interrogationes, diuersas quoq; esse respondendi rationes affirmat: ad ambigua igitur respondere oportet, distinguentem illa prolixe, non concise: id enim valere puto, λόγῳ, idest pluribus verbis. pertinet autem hoc eo, quod supra ad sophisticas contortasq; responsiones trahendum aduersarium docuerat: cũ enim ita distinctus sermo obscuritatẽ haesitantiamq; ijs, qui audiunt, pariat, longiore oratione, vt hoc incommodum declinetur, & illi, melius rem percipientes, hac mentis confusione molestiaq; liberentur, sunt diuisiones, distinctionesq; illae explicandae.

Πρὸς δὲ τὰ δοκοῦντα ἐναντία, τὴν λύσιν φέροντα εὐθὺς τῇ ἀποκρίσει· πρὶν ἐπερωτῆσαι τὸ ἑπόμενον, ἢ συλλογίσασθαι.

Aduersum autem ea, quae videntur contraria, solutionem adferentem, ilico post responsionẽ, antequam rursus interroget, quod sequebatur, siue cogat rationeq; concludat.

AD ea vero (inquit) quae contraria videntur, respondere scilicet oportet, dissolutione vtentem ilico in responsione ipsa, antequam, qui primum interrogauit, rursus quod reliquum est, interrogare, aut concludere possit: id autem faciendum esse, quod supra praecepit, longiore oratione, non angusta & concisa, memoria tenere debemus.

Οὐ γὰρ χαλεπὸν προορᾶν ἐν τίνι ὁ λόγος.

Neque enim arduum est prouidere, in quo manet ratio.

HOC autem praestare peritus quiuis, & in disputando exercitatus poterit: neq; enim (inquit) magnum negotium est, prouidere, qua nam in re ratio manet: λόγον autem dicens, intelligit vim conclusionis, quae quamuis non dum explicata, & patefacta sit, latere tamen non potest: non dum autẽ explicata, quia aduersarius secunda adhuc interrogatione vsus non fuerat: nec quod ad primam adiungere cogitarat, ad illamq; applicabatur, protulerat: id enim significare videtur τὸ ἐπιόν: aut etiã rursus interrogarit, atq; vlterius in ratione sua processerit, antequam concludat.

Φανερὸν δ' ἡμῖν ἔστω ἐκ τῶν τοπικῶν καὶ τοῦτο καὶ αἱ λύσεις.

Sit autem nobis hoc exploratum e Topicis, iidemque solutiones.

TEMPVS non est nunc (inquit) haec exquisitius exponendi, cum alijs in libris copiose tradita sint. quare illinc ea peti iubet: omnemq; huius rei rationem e Topicis sumi vult. Videtur autem significare id, quod illic παρὰ ὃ λόγος vocauit: vnde scilicet apta est argumenti conclusio. nam quod inde etiam peti dissolutiones debere dicit, notum est, quomodo aduersariorum argumenta dissoluantur, illic quoq; doceri: idest in viij. libro Topicorum, quamuis non omnino haec ibi explicentur (quae namq; ad disserendi rationem, non quae ad dicendi artem pertinent, illic exponuntur) sed ea, quorum imago tantum haec sunt: illis tamen cognitis haec multum adiuuari constat: nisi forte, vt supra saepe fecit, τοπικὰ, non libros illos viij. Topicorum, quos habemus, sed facultatem ipsam aliosue quospiam, qui vetustate interierint, appellat.

Καὶ συμπεραινόμενον, ἐὰν ἐρώτημα ποιῇ τὸ συμπέρασμα, τὴν αἰτίαν εἰπεῖν.

Et concludentem, si concluserit interrogando, causam exponere.

VIAM monstrat nunc respondenti, qua possit eludere impetum aduersarij, & e laqueo, quo paene iam irretitus teneatur, se expedire. Contingit autem hoc cum parum prudenter, qui interrogat, interrogando etiam conclusionem facit: ita enim ansam praebet ei, quem interrogat, defendendi se, ac plagam vitandi: si enim causam subito attulerit ac rationem sui consilij reddiderit, omne malum declinarit, atque integer inde exibit: oportet igitur (inquit) concludente aliquo, si conclusionem interrogarit, causam edere facti: nam praepositionem, quae in excusos quosdam irrepserat, sustuli: πρὸς συμπεραινόμενον namque in illis legebatur: ab Aldi enim exemplari & omnibus scriptis libris abesse illam vidi: sed nec vetus tralatio eam exprimit.

Οἷον Σοφοκλῆς ἐρωτώμενος ὑπὸ Πεισάνδρου, εἰ ἔδοξεν αὐτῷ, ὥσπερ καὶ τοῖς ἄλλοις προβούλοις, καταστῆσαι τοὺς τετρακοσίους, ἔφη. τί δέ, οὐ πονηρά σοι ταῦτα ἐδόκει εἶν; ἔφη. οὐκοῦν σὺ ταῦτα ἔπραξας τὰ πονηρά; ναὶ ἔφη: οὐ γὰρ ἦν ἄλλα βελτίω.

Veluti Sophocles, cum quaesitum fuisset ex eo a Pisandro, an visum fuerit ipsi, quemadmodũ ceteris collegis ipsius, vocatis probulis, constituere quadringentos, affirmauit id a se factũ. quid autẽ haec non improba facta tibi videbantur? videbantur inquit. tu igitur haec improba facta administrasti? profecto ait: neq; enim alia meliora erant.

EXEMPLO nunc rem aperit: indicatq; qui propinquam iam certamq; pestem, ita euitarit, vt Sophocles fecit, fortasse non poëta, sed alter in rep. multum versatus, & si ille quoque nobilis & honoratus fuit, reiq; publicae operam dedit, & domi & in bello cum dignitate: interrogatus enim a Pisandro, an ipse quoq;, vt collegae ipsius fecerunt, sententia sua confirmasset auctoritatem quadringentorum ciuium: paucis enim post male rem gestam, & attritas fortunas Atheniensium, summa potestas data est, vt de statu reip. cogitarent, & ea, quae viderentur remedia adhiberent: qui quadringentos crearunt, atq; ijs arbitrium omnium rerum permiserunt. πρόβουλοι autem pauci illi appellabantur, qui postea recuperata rep. multum exagitati sunt. vnus igitur ex illis Sophocles, quod supra exposui, interrogatus, affirmauit, se in eadem sententia fuisse. Rursusq; interrogatus, non ne ipsi res illae improbae ac consceleratae viderentur, id quoq; affirmauit Sophocles: nec cessauit aduersarius, aut modum interrogationi imposuit, sed concludendo inquit. Non ne tu igitur, & ipse haec nefaria gessisti? sane inquit ille: nec enim alia meliora erant: atque hac ratione conclusionem illius elusit: causam enim attulit, quod fieri tali tempore debere, supra ostendit doctor singularis. Horũ autem virorum, qui tunc eum magistratum adepti, vt ante viderent ac perpenderent, quae in curia Athenis tractari debebant, sententia sua totam remp. quadringentis viris permiserant, mentionem fecit Isocrates in oratione περὶ ζεύγους: inquit enim. Οἱ γὰρ πρότερον ἐπιβουλεύσαντες τῷ δήμῳ, καὶ καταστήσαντες τετρακοσίους: & quae sequuntur.

Καὶ ὡς ὁ Λάκων, εὐθυνόμενος τῆς ἐφορείας, ἐρωτώμενος, εἰ δοκοῦσιν αὐτῷ δικαίως ἀπολωλέναι ἅτεροι, ἔφη: ὁ δέ, οὐκοῦν σὺ τούτοις ταὐτὰ ἔθου, καὶ ὃς ἔφη: οὐκοῦν δικαίως ἂν ἔφη, καὶ σὺ ἀπόλοιο, οὐ δῆτα ἔφη: οἱ μὲν γάρ, χρήματα λαβόντες, ταῦτα ἔπραξαν: ἐγὼ δέ, οὔ: ἀλλὰ γνώμῃ.

Et vt Lacon ille, qui cum ephorus fuisset, rationem reddebat rerum a se gestarum in eo magistratu: cum enim quaesitum esset ex eo, an viderentur ipsi merito interempti esse ceteri ephori, confessus est. tu igitur eadem, quae ipsi probasti. id quoque concessit. iure igitur & tu interimi debes? nullo modo ait ille: hi namque pecunia accepta haec gesserunt: ego autẽm minime, sed sententiam meam sequutus sum.

SPARTIATES etiam quidam, qui ephorus fuerat, rerumq; in eo magistratu administratarum rationem reddebat, interrogatus an collegae ipsius iure supplicio affecti viderentur, inficiatus non est: rursusq; ita interrogatus, non ne tu eadem, quae hi, probasti? id quoq; affirmauit. Non ne igitur & tu quoq; (inquit aduersarius) iure paena afficiere? minime inquit ille: collegae namque mei, mercede empti, haec gesserunt: ego pecunia captus non fui, sed sententiam meam consiliumq; secutus sum, & quae recta putabam, decreui. Ἔφοροι vocabantur Lacedaemone, qui magistratum gerebant oppositum regibus: eum ἐφορείαν nunc appellat: ipsorum Cicero quoq; pluribus locis meminit. Εὐθυνόμενος τῆς ἐφορείας valet, cum gesti illius magistratus ratio ab eo posceretur: nomen autem viri non edidit, qui causam afferendo sui facti e periculo iudicij euasit, sed gentis nomine illum significauit: vt Cicero in prima Tusculana fecit. Hanc sententiam significare videtur Laconis illa vox. & quae sequuntur: sed etiam in v.

Διὸ οὔτε ἐπερωτᾶν δεῖ μετὰ τὸ συμπέρασμα, οὔτε τὸ συμπέρασμα ἐπερωτᾶν: ἐὰν μὴ τὸ πολὺ περιῇ τοῦ ἀληθοῦς.

Quapropter neque post interrogationem amplius aliquid interrogare opus est, neq; in concludendo vti interrogatione, nisi multum superfuerit tibi veritatis.

VT igitur haec pericula declinemus (res enim lubrica admodum est) post conclusionem aliquid interrogare non debemus: neque etiam conclusionem ipsam interrogare: nisi cum adeo firmam causam habemus, vt labefactari illam nullo pacto posse sciamus: ac multum denique, multumque

multumq; superesse nobis veritatis. In viij. quoq; libro Topicorum hoc accurate praecepit. Non oportet vllo modo (inquit) quod concludere debes, interrogare: si vero hoc non seruaris, & in hanc culpam incideris, vide in quam iniquum locum subieris: si namque aduersarius tantum abnuerit, nec ita se rem habere significarit, operam perdideris: neque enim videbitur conflatus syllogismus. ne quis autem (addidit) de hoc dubitare possit, saepenumero etiam, quamuis aliquis non interrogarit, verum id, vt quod e propositionibus conficiatur, protulerit, tamen negant aduersarij: cumq; hoc astute faciunt, non existimantur conuicti ab illis, qui non acumine ingenij, & harum rerum scientia, id ex concessis effici vident. Cum igitur, ne effici quidem id dicens, interrogarit: ille vero studio concertandi negarit, omnino penitusq; syllogismus conflatus etiam peritioribus non videbitur: ipse enim met tuo vitio occasionem illis dedisti male sentiendi. Haec, quae vberius eo loco exposita sunt, non alienum duxi hic paucioribus verbis indicare.

Περὶ δὲ τῶν γελοίων: ἐπειδή τινα δοκεῖ χρῆσιν ἔχειν ἐν τοῖς ἀγῶσι.

De ridiculis autē, quia fructū aliquem ferre videntur in contentionibus forensibus.

POSCERE locum hunc intelligit, vt de iocis ridiculisq; disseratur: est enim res, quae magnos saepe fructus oratori fert: cum tamen, vt ipse testatur, alibi copiose, accurateq; de hoc disputarit, eundem laborem rursus capere superuacaneum putat: locumque tantum monstrat, vbi hanc rem persecutus est. Quemadmodum autem suspicari possumus, copiose hanc partem, exquisiteq; illic explicarat, postquam vndique lectorem eo reicit. nam in primo etiam horum librorum idem fecit: nec tamen quo in libro id praestiterit, ostendit: tres enim scripsit de studio, & arte poëtarum, quamuis iniquitate temporum vnum solum habeamus. nam quae in primo de ridiculis illic tetigit, non esse locum arbitramur, qui nunc ab ipso significatur: pauca namq; illic, & definitionem tantum posuit. Male igitur factum est multis de causis, quod libros illos amisimus, non minimum, quod huius partis, quae valde elegans, & vtilis fuerit necesse est, iacturam fecimus.

Καὶ δεῖν ἔφη Γοργίας τὴν μὲν σπουδὴν διαφθείρειν τῶν ἐναντίων, γέλωτι: τὸν δὲ γέλωτα, σπουδῇ, ὀρθῶς λέγων, εἴρηται πόσα εἴδη γελοίων ἐστὶν ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς.

Et Gorgias ait res graues, sedulitatemque aduersariorum oportere risu corrumpi discutiq;: risum autem grauitate, recte praecipiens, dictum est quot species essent ridiculorum in his, quae de poëtica scripta a nobis sunt.

QVI multum tribuit iocis Gorgias Leontinus, praecepit etiam, quando ijs vti oporteret: res enim serias, risu discuti debere dixit: contraq; risum, rebus serijs. quam sententiam ipsius mirifice probat Aristoteles, vereque eum dixisse narrat. Nam Ciceroni facetias in reis defendendis maximos tulisse fructus veteres auctores tradunt. quam lepide autem seueritatem Catonis, quae magnopere causae L. Muraenae, nocebat, in foro eluserit, notum est. Eodemq; pacto, vt contempserit irriseritq; scientiam legum ac iuris ciuilis. Quin etiam, vt opinor eandem vim habent loci quidam leuiter tacti in alijs orationibus, vt duo pro L. Flacco, quorum vnus est, qui alio nomine non multo supra a me citatus est, de fiscina ficorum, quam Laelius accusator testi illi Phrygi parum considerate apposuerat: alter autem prope perorationem, vbi Falcidianum crimen refellit, docetq; eundem si aliquid firmamenti in illius testimonio positum esse
» putasset, ei, vt Romam veniret, denuntiaturum fuisse. Sed hominem (inquit) a negotio abdu-
» cere noluisti, magnum erat ei certamen propositum, magna cum Graecis contentio, qui tamen,
» vt opinor, iacent victi: nam iste vnus totam Asiam magnitudine poculorū bibendoq; superauit:
hoc enim manifesto & ipsum mouet risum, non solum auctoritatem fidemque testi illi eripuit.
» Sed prius etiam eadem ratione ipsum spreuerat, & non sine ioco. At qui vir, quam non ami-
» cus suis ciuibus, qui patrimonium satis lautum, quod hic nobiscum conficere potuit, Graeco-
» rum conuiuijs maluit dissipare. Praecepti autem huius Gorgiae mentionem fecit Olympiodorus, cum Platonis sermonem, nomine ipsius sophistae inscriptum, declararet: potissimumq;
» locum illum, cum Socratem Plato induxit ita cum Polo agentem. τί τοῦτο ὦ Πῶλε, γελᾷς; ἄλλο αὖ
» τοῦτο εἶδος ἐλέγχου ἐστίν: ἐπειδάν τις τι εἴπῃ, καταγελᾶν: ἐλέγχειν, μή. inquit enim fuisse Gorgiae praeceptum huiuscemodi: cum aduersarius seria diceret, ridere: atque ita illum explodere: quod si ille ridet, cum tu serio agas, partes tuae sunt risum intendere atque augere, ne risus ipsius appareat. quare (inquit) discipulus auditorq; eius Polus hoc seruabat. Fortasse autem ex hoc loco rationem illam Gorgiae sumpsit Olympiodorus, nescio tamen an illic recte accommodarit: parum certe fideliter explicauit: vereor enim ne aliud Plato significare voluerit: neque enim

Polus illic sale aut facetijs vllis vsus est, sed tantum risit, tamquam rem absurdam Socrates protulisset: quem contemnens sapientiss. vir, cum intelligeret eam rem nullam vim habere ad refellendum, vt solebat, lusit. nam quod hic Aristoteles ait, risu discutere solitum Gorgiam res seueras & graues, non arbitror ipsum intelligere risum, qualem tunc effudit Polus, sed iocum ac leporem. risu autem, quia lepidae ac venustae voces gignunt risum, exhilarantque animos eorum, qui audiunt: quod vero, amplificato risu aduersatiorum, risum oportere extingui tradit, non respondet praecepto Gorgiae, quod hic refertur, & satis leue praeceptum, ac nugatorium videtur.

Ὧν τὸ μὲν, ἁρμόττει ἐλευθέρῳ: τὸ δὲ, οὔ. ὅπως οὖν τὸ ἁρμόττον αὐτῷ λήψεται.

Quorum vnum congruit libero homini: alterum autem nullo pacto. sumet igitur orator, quod sibi congruit.

HANC diuisionem quicunq; de ridiculis scripserunt, secuti sunt, vt alterum genus ipsorum libero homini conueniat: alterum seruorum proprium ac scurrarum sit: ingenuo autem viro nullo modo congruat. videndum igitur (inquit) cum omnes facetiae non eandem personam deceant, vt sibi aptis, accommodatisq; quisque vtatur.

Ἔστι δὲ ἡ εἰρωνεία τῆς βωμολοχίας ἐλευθεριώτερον.

Est autem dissimulatio studium, magis libero homine dignum, quam scurrilitas.

NON valde probat, quemadmodum suspicari possumus, Aristoteles dissimulationem, quam Graeci εἰρωνείαν appellabant, quamuis scurrilitati eam praeponat: si enim honesta omnino res est, quid eam cum tam spurca, ac flagitiosa conferre oportebat: facetam tamen illam, & elegantem Cicero putauit: idq; in Bruto affirmat.

Ὁ μὲν γὰρ, αὑτοῦ ἕνεκα ποιεῖ τὸ γελοῖον: ὁ δὲ βωμολόχος, ἑτέρου.

Vnus enim horum sui ipsius causa mouet risum: scurra vero alterius.

RATIONEM, cur magis liberi hominis ironia, quam scurrilitas sit, reddit: iron enim (inquit) sui ipsius gratia risum mouet: scurra, alterius: quae verba hoc significare arbitror: Qui vtitur dissimulatione, sibiq; semper in sermone detrahit, atq; alijs, plusquam vere concedi possit, tribuit, vt ipse oblectetur, voluptatemq; ex aliorum stultitia capiat, hoc facit. quare sibi seruit: contra scurra ridiculus est, & iocus vndique captat, vt alij voluptatem gignat, quod illiberale ac sordidum est, omnia facere, vt alij turpiter inseruias.

Ὁ δ' ἐπίλογος σύγκειται ἐκ τεττάρων.

Peroratio autem constat e quattuor rebus.

NON defuerunt, Graeci huius artis magistri, qui affirmarent perorationum naturam similem admodum esse prooemijs: e regioneq; has omnino illis respondere. nec tamen non fatebantur quibusdam rebus inter se discrepare, magnitudineq; in primis, cum existiment licere oratori, in extrema oratione plura & vberiora dicere, quae respiciant auditores, quam initio dicendi: in primisq; officium ipsius esse in principio profiteri se omnia demonstraturum esse, & partiri diuidereq; causam: cum horum nihil in perorando fiat, sed fere augeantur & enumerentur, quae iam exposita sunt: Halicarnasseus, vbi peccata, quae ab imperitis in hac parte admitterentur, ostendit, sententiam non nullorum dicendi doctorum refutat, qui arbitrarentur perorationem similem esse bellarijs: atque ijs, quae in secunda mensa adponuntur. Quintilianus in vj. libro perorationem a quibusdam cumulum, ab alijs conclusionem vocatam tradit. Animaduertendum autem, cum Cicero in Partitionibus diuisam in duas partes perorationem tradat, hunc nostrum in quattuor illam partiri.

Ἔκ τε τοῦ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάσαι εὖ τὸν ἀκροατὴν, καὶ τὸν ἐναντίον, φαύλως.

Ex eo, quod erga se bene componit animũ eius, qui audit: erga aduersariũ autẽ, male.

CVM quattuor perorationis partes esse dixerit, eas enumerat: primam autem esse inquit, efficere vt bene erga te animatus sit is, qui audit, & erga aduersarium male: φαύλως enim omnino videtur legendum. id etiam libri calamo exarati, & vetus tralatio confirmant. & ita superiori sermoni melius respondet. intelligi autem praepositio πρὸς, traduciq; etiam huc e superiore loco ἀπὸ κοινοῦ debet. vt sit πρὸς τὸν ἐναντίον. quod qui non animaduerterant, lectionem hanc (vt opinor) deprauarant: antea enim in excusis legebatur, φαῦλον.

Καὶ ἐκ τοῦ αὐξῆσαι καὶ ταπεινῶσαι.

Et ex amplificatione & extenuatione.

SECVNDA haec pars est, quae constituit perorationem, amplificatio, & deminutio. Cicero, qui duas tantum perorationis partes esse voluit, hanc retinuit: quamuis amplificationem tantum » appellet. Facilior (inquit) est explicatio perorationis: nam est diuisa in duas partes, amplifi- » cationem, & enumerationem: enumerationem autem vocat, quam noster hic, ἀνάμνησιν. Contrarias vero duas has, vt vnum genus ponit: quia scilicet eodem genere continentur, quod est quantitatis magnitudinisq; alicuius variatio: qui enim noui illuc aliquid apportat, auget: qui autem inde demit, minuit.

Καὶ ἐκ τοῦ εἰς τὰ πάθη τὸν ἀκροατὴν καταστῆσαι.

Et ex eo, quod perducit auditorem ad motus animi turbidos.

TERTIA pars est, excitare turbidos motus in animo auditoris, ac totos deniq; illos perturbare.

Καὶ ἐξ ἀναμνήσεως.

Et ex opera, quam ponit redigendi, quae fuse dicta sunt, in memoriam auditoris.

VLTIMA pars, reuocare in animos iudicum breui, quae antea prolixe dicta sint.

Πέφυκε γὰρ, μετὰ τὸ ἀποδεῖξαι αὐτὸν μὲν, ἀληθῆ: τὸν δὲ ἐναντίον, ψευδῆ: οὕτω τὸ ἐπαινεῖν, καὶ ψέγειν.

Natura enim hoc fit, vt postquam aliquis te vera locutum ostenderit, aduersarium autem falsa, tunc laudet, & vituperet.

HOC primae parti respondet, quae posita est in conciliando sibi auditore: & auertendo a commodis aduersarij: natura enim (inquit) hoc fert, vt postquam se ipsum quispiam argumentando, veracem: aduersarium vero, mendacem esse demonstrarit, tunc & se laudet, & illum vituperet: idest cum res suas argumentis probarit: rationesq; aduersarij confutarit, hoc aggredi tempus est: antea enim id commode fieri non potuit: quomodo enim res nostras laudare poteramus, antequam illas argumentis constituissemus? aut inuehi in aduersarium, nisi prius simulatis falsisq; rationibus, eum in iudicium venisse demonstrassemus? id autem factum supra est diligenter.

Καὶ ἐπιχαλκεύειν.

Nec non etiam tundendo quasi perpoliat.

IN hoc verbum, apud vllum veterem scriptorem, ita vsurpatum, numquam incidi: valet autem hic μεταφορικῶς (vt opinor) expolire, & quod factum iam est, cursim festinanterq;, eo consilio vt concinnes, iterare ac repetere. sumptum vero videtur a fabris ferrarijs, qui χαλκεῖς a Graecis appellantur: vt χαλκεύειν opus ipsorum obire. quod Pollux etiam xxiiij. capite libri septimi testatur.

Δυοῖν δὲ θατέρου δεῖ στοχάζεσθαι, ἢ ὅτι τούτοις ἀγαθὸς, ἢ ὅτι ἁπλῶς: ὁ δ᾽ ὅτι κακὸς τούτοις, ἢ ὅτι ἁπλῶς.

Alterum autem duorum proponere sibi oportet, siue fuisse se bonum his: siue simpliciter partes aduersarij erunt fuisse malum his, siue simpliciter.

QVI animos autem (inquit) iudicum sibi conciliare cupit, alterum ex his duobus efficiat, necesse est: aut ostendat, se bonũ his atq; vtilem fuisse, aut absolute indefiniteq; bonum: nam & eos, qui in commodis ipsorum virtutem exercent, & qui natura benefici erga omnes sunt, diligunt homines: eodemq; modo qui alienare animos eorundem ab aliquo vult, aut malum ipsis, aut simpliciter malum ostendere illum debet: ambos enim quoq; hos oderunt.

Ἐξ ὧν δὲ δὴ τοιούτους κατασκευάζειν δεῖ, εἴρηνται οἱ τόποι, πόθεν σπουδαίους δεῖ κατασκευάζειν καὶ φαύλους.

Ope autem quarum rerum oportet tales moliri, monstrati sunt a nobis loci, vnde studiosos virtutis, & nequam homines fingere ipsos opus est.

QVOMODO

QVOMODO autem (inquit) aut bonos quospiam, aut malos conformare debeamus, quibusque propositionibus, ad id probandum idoneis, vsi, disputare nunc minime necesse est: antea enim explicati sunt loci, vnde honestos aliquos, ac studiosos virtutis, contraq; turpes, atq; improbos fingere possimus: intelligit enim, qui in primo horũ librorum traditi sunt. Videtur autẽ quod iam, breui tamen obscureq; tradiderat, pluribus statim explanare voluisse: quae enim sequuntur verba, absoluta sententia, declaratio quaedam videntur antecedentis illius: nihil namque noui nunc tradit, sed quod antea dictum fuit, alijs verbis, & quae priora illa quasi interpretentur, repetit: quod enim inquit πόθεν, idem valet, quod ἐξ ὧν, vt supra locutus est. quod vero σπουδαίους καὶ φαύλους, manifesto est declaratio illius τοιούτους. infra tamen, in fine consequentium duarum partium perorationis, vbi locos itidem earum rerum tractandarum se indicasse iam ostendit, nihil, quod explicationis vim haberet, addidit.

Τὸ δὲ μετὰ τοῦτο δεδειγμένων ἤδη, αὔξειν ἐστὶ κατὰ φύσιν ἢ ταπεινοῦν.

Post autem demonstratis iam his, sequitur ordine naturae, vt amplificentur, siue extenuentur.

SEQVITVR autem inquit, superiorum rerum naturam posterior pars perorationis: cum enim res illae iam confirmatae fuerint: nec vis tantum ipsarum, sed quantitas etiam comprobata: idest postquam & verae & probae tuae: falsae autem improbaeq; aduersarij demonstratae sunt esse: eaedemq; aut magnitudinem, aut exiguitatem habere, ratio postulat, vt auctioni & diminutioni earum opera detur, quae pars recte antea tangi nullo modo poterat. Id autem, naturae ipsius ratione ordineq; exposito, declarat: imitatur namque (ait) amplificatio haec oratoria, naturalem corporum auctionem: vt enim natura corporibus, quae actu iam sunt, quantitatem adiungit, ita & orator confirmatis iam & constitutis rebus, magnitudinem applicat. in naturalibus autem rebus, quae adhuc non sunt, sed tunc ipsum fiunt, non augeri, sed generari dicuntur. Cum in excusis vero prius accusandi casu, numero multitudinis δεδειγμένα legeretur, emendaui δεδειγμένων patrio casu multitudinis: ita namq; inueni in antiquissimo libro: auctor praeterea ipse, cum ita infra eodem casu loquatur, manifesto perspicitur hanc veram esse lectionem. μετὰ δὲ ταῦτα δήλων ὄντων.

Δεῖ γὰρ τὰ πεπραγμένα ὁμολογεῖσθαι, εἰ μέλλει τὸ ποσὸν ἐρεῖν: καὶ γὰρ ἡ τῶν σωμάτων αὔξησις ἐκ προϋπαρχόντων ἐστίν.

Opus est enim de factis ipsis nihil dubij restare, siquis velit quantitatem exponere: auctio enim corporum fit existentibus prius aliquibus, quibus illa accedunt.

AFFERT rationem, qua ita se rem habere probet, ac simili ad id confirmandum vtitur. Oportet enim (inquit) res, quas amplificare vis, certas iam ac concessas esse, si quantae illae sint, ac de magnitudine ipsarum recte disputare vis. nam corporum etiam auctio aliter non fit: nec, nisi aliquid iam sit, cui quod adponitur, adhaerescere possit; & ea quoq; ipsa, quae adiungi debent, prius maneant, cumulus aliquis vmquam efficietur.

Ὅθεν δὲ δεῖ αὔξειν καὶ ταπεινοῦν, ἔκκεινται οἱ τόποι πρότερον.

Unde autem oportet amplificare, & extenuare, loci antea monstrati sunt.

LOCI autem, qui aut amplificandae, aut conterendae alicui rei auxilio esse possunt, expositi (inquit) iam sunt: in primo autem horum librorum id accurate ab eo factum est.

Μετὰ δὲ ταῦτα, δήλων ὄντων καὶ οἷα καὶ ἡλίκα, εἰς τὰ πάθη ἄγειν τὸν ἀκροατήν.

Post haec autem, cum plana erunt, & qualia & quanta, decet perducere ad motus animorum auditorem.

DEINCEPS (inquit) cum res iam confirmatae & explanatae sint: eaedemque aut amplificatae aut deminutae, cum scilicet cuiusmodi illae sint, & quam magnitudinem habeant, perspicuum iam factum fuerit, ordo postulat & ratio huius artis requirit, vt excitentur affectus, accommodati causae, in animis auditorum: videtur enim repetendum esse, quo supra vsus fuerat, ἐστὶ κατὰ φύσιν: ornatis enim amplificatisq; rebus nostris: deformatis autem imminutisq; aduersarij, commode poterimus traducere ac rapere ad hos turbidos motus auditores: ad eum quoq; locum explicandum videtur ἀπὸ κοινοῦ repeti debere, τὰ πεπραγμένα: quo item verbo supra vsus est, vbi de augendis rebus differebat. οἷα autem, qualitatem referre: ἡλίκα vero, quantitatem

planum

planum est. ἄγειν vero, vt in cunctis scriptis inueni, cum antea instantis temporis tertia persona, ἄγει legeretur, emendaui: intelligi autem more Attico χρὴ debere, planum est. cum paene idem paulo supra intelligeret, quod hic ἄγειν ait, κατασκευάσαι εἰς τὰ πάθη dixit.

Ταῦτα δ' ἐστὶν: ἔλεος, καὶ δείνωσις, καὶ ὀργή, καὶ μῖσος, καὶ φθόνος, καὶ ζῆλος, καὶ ἔρις.

Hi vero sunt, misericordia, exacerbatio, & ira, & odium, & inuidia, & aemulatio, & concertatio.

QVAE sint πάθη exponit, quae introduci in animos iudicum maxime in peroratione debeant. breuiter tamen rem percurrit: supra enim in secundo libro de ijs accurate disseruit. appellat igitur tantum misericordiam, exacerbationem, iram, odium, inuidiam, aemulationem, & simultatem.

Εἴρηνται δὲ καὶ τούτων οἱ τόποι πρότερον.

Expositi autem sunt loci quoque horum prius.

SE antea locos tradidisse commemorat, vnde rationes ad animos hominum varijs modis commouendos aptae, duci possint: primam autem partem secundi libri eum intelligere apertum est, vbi copiose hoc fecit: duos tamen hic appellat affectus, de quibus illic mentio nulla. δείνωσιν scilicet & ἔριν: neq; enim omnes motus ibi, sed frequentiores communioresq; explicauit, & quibus crebrius vteretur orator: ratio autem reliquorum, quos reticuit, tractandorum, ex diligenti animaduersione illorum erui commode & cognosci potest.

Ὥστε λοιπὸν ἀναμνῆσαι τὰ προειρημένα: τοῦτο δὲ ἁρμόττει ποιεῖν οὕτως, ὥσπερ φασὶν ἐν τοῖς προοιμίοις, οὐκ ὀρθῶς λέγοντες.

Quapropter reliquum est redigere in memoriam, quae prius dicta sunt. hoc autem congruit ita facere, quemadmodum aiunt in prooemijs, non recte praecipientes.

RESTAT igitur solum (inquit) ceteris iam partibus, proprijs perorationis absolutis, enumerare, quae antea exposita sunt, quae quarta & extrema ipsius pars est: ordine autem, quo attingere illas oportet, ipsas explicauit: id etiam ipsum ratione quadam certa tractari debere docet: commodum enim maxime esse dicit, id hoc loco facere, quod quidam in exordijs fieri debere praecipiunt, qui tamen falluntur: quod enim in extrema oratione vtile est, principio esse accommodatum putant: id autem est saepe dicere ac repetere: modum enim quoque, quo hoc tractari debeat, praecipere videtur, cum ita loquatur. τοῦτο δὲ ἁρμόττει ποιεῖν οὕτως. hoc autem, redigere inquam in memoriam eorum, qui audiunt, hoc pacto commode congruenterq; fiet, si hic seruetur, quod in prooemijs quidam falso tractandum iubent.

Ἵνα γὰρ εὐμαθῆ ᾖ, κελεύουσι πολλάκις εἰπεῖν.

Vt enim facile percipiantur, iubent ea saepe dicere.

SINISTRI namque illi dicendi magistri, vt res tota facilius intelligatur: meliusq; percipiatur, auctores sunt ijs, quibus artem tradunt, vt crebro ea dicant, ac repetant demum easdem in principijs sententias: quod verum non est, neq; vllo pacto fieri debet: aliud enim est munus exordij, vt noster hic consequentibus verbis docet. εὐμαθῆ igitur (si ita legi debet) numero multitudinis, neutro genere appellauit, quae bene intelligantur, quae nullo negotio ab ijs, qui audiunt, accipiantur: hoc enim quoq; valet id verbum, vt Aeschines etiam contra Ctesiphontem illo vsus est. ἁπλῶς δὴ παντάπασιν ὁ μετὰ ταῦτα ἡμῖν λόγος γίνεται, καὶ ὑμῖν ἀκούσασι κρῖναι εὐμαθής. Antiquissimus tamen liber, discrepans a reliquis omnibus, virili genere, vnitatis numero, habet εὐμαθῆ: eam quoq; lectionem vetus tralatio sequitur. quod si vera illa est, intelligetur ἀκροατής: auditorem enim docilem esse faciendum initio orationis praecipere huius artis magistros, notum est: curareque in primis debere oratorem, vt εὐμάθειαν consequatur, idest vt intelligenter audiatur. nisi siquis λόγος potius, hanc scripturam probans, intelligere velit: vt oratio scilicet facile intelligatur.

Ἐκεῖ μὲν οὖν δεῖ τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν, ἵνα μὴ λανθάνῃ περὶ οὗ ἡ κρίσις: ἐνταῦθα δέ, δι' ὧν δέδεικται, κεφαλαιωδῶς.

Illic igitur rem exponere opus est, ne clam sit ijs, qui audiunt, de quo existimatio fieri debet: hic autem illa, quorum vi demonstratum est, summatim sunt repetenda.

Illic (inquit) idest in principijs, res exponi debet, ne ignoret is, qui audit, de quo iudicium existimationemq; facturus est: si namq; id ipsum falleret, incertus erraret, nec bene rem perciperet. Hic vero, in peroratione inquam, postremaq; ipsius parte, repetenda sunt argumenta, eaque omnia, quorum praesidio rem confirmauimus, atque id breuiter, expositisq; tantum capitibus rerum, faciendum est. in Partitionibus Cicero, cum de peroratione dissereret, inquit.
» Aut frequentatis firmamentis orationis, & breuiter expositis, vim est habitura causa maiorem. quod eandem sententiam habet, quam hic noster probat. Cum κεφαλαιωδῶς vero hic dixerit Aristoteles, capita tantum earum rerum tangenda significans, inde multi scriptores artis, partem hanc perorationis ἀνακεφαλαίωσιν appellarunt. quod verbum Quintilianus (vt arbitror) ex-
» primere voluit, cum de peroratione & ipse agens, inquit. In hac, quae repetemus, quam bre-
» uissime dicenda sunt, & quod Graeco verbo patet, decurrendum per capita.

Ἀρχὴ δὲ, διότι ἃ ὑπέσχετο, ἀπέδωκεν. ὥστε ἅτε καὶ δι' ὃ λεκτέον.

Initium autem erit, quo tradet se, quae pollicitus fuit, praestitisse, quapropter debere se, & quae fuerint illa, & quorum vi confecerit, ostendere.

Initium (inquit) enumerationis, & quasi aditus ingressioq; ipsius, erit: quod quae pollicitus est, praestitit, & quasi ipsius fides soluta iam est. Quare (addit) & quae exposueris, breui repetere oportet: & quare, id est quibus argumentis vsus, ita esse censueris, docere: neque enim si, aut alterum ipsorum, aut ambo omiseris, promissa effeceris: & narraturum enim, & confirmaturum, quae narraueris, te esse ostenderas.

Λέγεται δὲ ἐξ ἀντιπαραβολῆς τοῦ ἐναντίου: παραβάλλειν δὲ, ἢ ὅσα περὶ τὸ αὐτὸ ἄμφω εἶπον.

Ducuntur autem ex collatione aduersarij: conferre autem oportet, siue vt, quae de eadem re ambo dixerunt, e regione collocentur.

Dicuntur autem, quae in peroratione repetuntur (modos namq; nunc tradit, quibus res repetendae & in enumeratione exponendae sint) dicuntur inquam ex aduersa collatione aduersarij, idest conferendo suas sententias cum sententijs aduersariorum, & quasi illas committendo. quae res etiam simplex non est: collatio namq; haec ita fieri potest, vt res argumentaq; contraria e regione collocentur: aut non e regione contraq; ponantur, sed tantum, quamuis in diuersis enumerationis locis, repetantur, & quae a te & quae ab aduersario de eadem re dicta sint, vt argumenta etiam rationesq;, quibus ab vtroq; confirmata. Frequens autem verbum est ἀντιπαραβολή: nec a magistris tantum dicendi, in hac re exponenda, vsurpatum. Athenaeus in iiij. δειπνοσοφιστῶν, cum de conuiuijs, quae diuersorum generum finxit Homerus, loqueretur,
» inquit. πάλιν γὰρ ἐξ ἀντιπαραβολῆς ὁρᾶται μᾶλλον. affirmat enim, si illa collata inter se fuerint, & quasi e regione posita, melius cerni & intelligi posse.

Ἢ μὴ κατ' ἀντικρύ.

Siue non e regione.

Antea in excusis, εἰ κατ' ἀντικρὺ erat: calamo scripti quidam ἢ μὴ κατ' ἀντικρὺ habent: quam lectionem veram puto, vt superiori sermoni respondeat: dixerat enim, ἢ ὅσα, & quae sequuntur: sunt tamen alij libri, in quibus, prima voce variata, particula tamen negandi retenta, legatur. ἢ μὴ κατ' ἀντικρὺ: eam autem scripturam sequitur quoq; vetus tralatio: sententia huius loci, si ita legatur, haec erit. Explicatur autem enumeratio, conferendo sua dicta cum dictis aduersariorum. quod fit duobus modis: aut enim expositis sententijs illorum, statim quid ipse de eadem re senseris, ostendes: aut minime contra, ex alteraq; parte diuersas sententias pones, satisq; habebis, si extrema illa in parte contineantur: vt si simul quidquid ab aduersario multis de rebus traditum sit, repetas: eodemq; pacto postea simul exponas, coniungasq; tuas, oppositas superioribus illis, sententias. posteriorem igitur hunc modũ auctor ipse significans, inquit. ἢ μὴ κατ' ἀντικρύ. aut cũ scilicet diuersae, de ijsdem rebus, sententiae, non e regione collocantur.

Ἀλλ' οὗτος μὲν, τάδε περὶ τούτου: ἐγὼ δὲ, ταδὶ καὶ διὰ ταῦτα.

Sed hic quidem haec de hoc: ego vero haec ipsa, atque horum vi, opeque.

Tradit nunc modos, quibus collatio tractari debeat, & exemplis ipsos illustrat: plures enim ac varias formas eam habere docet. primus autem simplex quidam est: consequentes vero duo figurati, & artificio quodam tractati. exemplum autem hoc est collationis oppositae: patet enim

enim diuersas sententias de eadem re statim inter se conferri, nec aliud in medio narrari: hic enim (inquit) haec protulit de hoc negotio: ego vero haec ipsa, & hac sane de causa: nam supra etiam rationem esse reddendam, & argumenta breui repetenda, dixerat. Discrepat autem a reliquis & excusis & scriptis codicibus antiquissimus liber extrema parte huius sententiae: sic enim habet. καὶ ἄδε καὶ ταῦτα: rem indicasse contentus, nihil immutaui.

Η ἐξ εἰρωνείας οἷον, οὗτος γὰρ τάδ᾽ εἶπεν: ἐγὼ δὲ τάδε. καὶ. Τί ἂν ἐποίει, εἰ τάδε ἔδειξεν, ἀλλὰ μὴ τάδε.

Siue per ironiam: hic enim haec dixit: ego vero haec. &. Quid vtique fecisset, si haec demonstrasset, & non haec.

Avt ex dissimulatione (inquit) quam εἰρωνείαν vocant, ducuntur: quod exemplo item demonstrat, siue potius exemplis: duo enim sunt: distinguntur autem illa copulandi particula καί. Prioris exempli vis plana admodum est. Hic namq; haec commemorauit: ego vero haec. contraria tamen intelligi debet ipsum dixisse eorum, quae accipi volebat. in posteriore vero dissimulatio erit, si ita illud accipiemus. Quid nam fecisset, si haec argumentis, non haec ostendisset: quasi dicat nihil, non tamen vt sentit: sed εἰρωνικῶς, & cum contemptu quodam: in his enim nihil est ponderis: nec momenti aliquid ipsa ad probandum habent: nunc contra, cum ea demonstrarit, aliter se res habet: habent enim illa robur.

Η ἐξ ἐρωτήσεως. τί οὐ δέδεικται; ἢ οὗτος τί ἔδειξεν.

Siue per interrogationẽ. Quid non a me demonstratũ est? vel hic quid demonstrauit.

Avt ex interrogatione (inquit) aduersarij res cum suis rebus conferendae sunt, hoc pacto. Quid non a me comprobatum est eorum, quae probanda suscepi? aut hic, aduersarius meus, quid confirmare potuit eorum, quae se facillime explicaturum aiebat? In hoc enim omni sermone interrogationem inesse, planum est: posterius autem membrum purgaui, quod valde maculosum erat: ita enim antea in excusis legebatur. ἢ δὴ ὅπως, τί ἔδειξεν. mecum autem habeo calamo scriptos libros. Quintilianus quoq; rationis huius mentionem fecit: qui indicauit etiam quando tuto hoc, vtiliterq; fieri possit: & quando sibi temperandum ab interrogatione putet, quod nimis periculosum sit, ita excitare aduersarium in vj. libro, vbi de epilogo disserit. Nec » referenda modo nostra, sed postulandum est etiam ab aduersarijs, vt ad quaedam respondeant: » id autem si & actionis supererit locus, & proposuerimus, quae refelli non possunt: nam prouo» care, quae inde sint fortia, non arguentis est, sed monentis.

Η δὴ οὕτως: ἢ ἐκ παραβολῆς.

Siue igitur hoc pacto: siue ex collatione.

Cvm, quo modo enumerari res possint ex collatione, & ea quidem propinqua, & quae facta tua cum aduersarij factis, quasi pede collato, compararet, demonstrarit, quomodo eaedem res exponi possint, & sane non sine collatione, quae tamen collatio aduersas partes inter se, vt superior, non committat: neq; ex propinquo pugnare inter se faciat, ostendit. ante tamen quã posteriorem hanc rationem exponat, diuisionem, quã supra obscure protulit, repetit, eiusq; alteram partem sequendam esse, vt a se exemplis explicata est, affirmat. Aut igitur hoc pacto, res scilicet gerenda est: ex collatione inquã: quo modo enim ex collatione breuiter res suae, & aduersarij enumerari possent, supra declarauit. Interpres Graecus particulã ἢ abundare censet: quae sane hic molesta est, & non paruum scrupulũ inijcit: locus autem sine illa dilucidior esset. Non insulse quoq; fortasse faceret, qui putaret totũ hoc, ἢ ἐκ παραβολῆς vacare, ac scholion quondã fuisse: praesertim, cum posterior quoq; ratio ἐκ παραβολῆς esse, ac collatione fieri videatur, quamuis sententiae inter se de propinquo quasi commissae non sint, nec contra se repugnantes constituantur: siue pro ἢ legi debere ἤγουν: nihil enim, quod sententiã huius loci adiuuare queat, omittere decreui: lectione tamen nulla re contaminata, sed vt inueni in excusis, & scriptis codicibus relicta. Suspicari etiã aliquis posset valere, quod sequitur, ex natura, absq; vllo collationis artificio ac simpliciter, vt in altero etiã illo modo collationis, qui fit non e regione positis rebus contrarijs, aperte ostendi debeat sententiam tuam repugnare sententiae aduersarij: hic vero nulla mentio eius rei fiat: tantumq; ordine res tuae, vt factae sunt, exponantur: quam huius loci explicationem, adiuuat etiã, quod huius rei, ita tangendae, arbitrum facit oratorem, dicens. Si voluerit: neq; enim vllo modo collatio esse potest, nisi ipsius quoq; rationes repetantur: esse namq; oportet res, cum quibus tuae conferantur, vt collatio appellari possit. Si ita igitur hoc accipiatur, valebit illud, quod antecedit, idest ex collatione: significabitq; vtrunque ipsius genus.

Η κατὰ

Η κατὰ φύσιν, ὡς ἐλέχθη, οὕτω.

Siue vt natura fert, quemadmodum dicta sunt, ita.

Avt (inquit) ordine rerum earũ non immutato: nec e locis, in quibus expositae sunt, ipsis alio translatis, vt inquã dictae illae, ac prolatae sunt, hoc pacto. intelligit autẽ, vt ipse statim narrat.

Τὰ αὐτοῦ καὶ πάλιν, ἐὰν βούλῃ, χωρὶς τὰ τοῦ ἐναντίου λόγου.

Res tuas: rursusq; si tibi commodũ erit, seorsum quae sunt disputationis aduersary.

Avt naturae scilicet ordinem sequendo, modum hunc rationemque tenere potes: res scilicet tuas enumerare, & quae antea a te, longa oratione, exposita sint, breuiter repetere: posteaq; alio, quasi initio facto, seorsum quaecunq; aduersarij oratione continebantur, si tibi commodum fuerit, enumerare: neq; enim necessario hoc seruari debere ostendit, vt quae ab aduersario dicta sunt, non possint sine culpa nostra, damnoq; praetermitti: sed tantum cum opus fuerit, illa repetenda dicit. nostriq; demum arbitrij ac iudicij rem esse vult.

Τελευτὴ δὲ τῆς λέξεως ἁρμόττει ἡ ἀσύνδετος.

Exitus autẽ terminusque, quod ad locutionem facit, dissoluta & sine copulis oratio.

De extremo perorationis nunc praecipit: docetq; quod genus locutionis postulet, cum plura ipsius genera sint. dissolutam autem & nullis copulis vinctam ipsi accommodatam esse tradit. cuius rei statim rationem reddit: idemq; exemplo confirmat. nominandi autem casu hic inquit τελευτὴ. vt supra cum de principio ipsius dissereret: eodem enim pacto locutus est. ἀρχὴ δὲ. Videtur tamen aliquid asperitatis in se habere is sermo: casusq; hic efficere verborum structuram duriorem, vt non sine causa aliquis existimare possit, dandi potius casu τελευτῇ legi debere, hoc sensu. Fini perorationis quadrat atque apta est locutio dissoluta, & quae coniunctionibus careat: nihil tamen, quod a communi lectione discrepet, in scriptis libris inueni. nam quod sequitur. τῆς λέξεως ἡ ἀσύνδετος, vsitatus & elegans modus est loquendi, vt cum supra, de alio genere locutionis disserens, inquit. ἡ μὲν οὖν εἰρομένη τῆς λέξεώς ἐστιν ἥδε, quamuis interiectum praeterea verbum ἁρμόττει, aliquem & ipsum hunc scrupulum injciat.

Ὅπως ἐπίλογος, ἀλλὰ μὴ λόγος ᾖ.

Vt peroratio, & non oratio sit.

Cavsa huins rei, quod dissolutus scilicet exitus perorationis esse debeat, haec est inquit: vt indicet ille naturam suam, ac significet quid sit. quod si copulis illigatas suas partes haberet, oratio videretur. a vi autem nominis argumentatur: vrbaneq; hoc loco ludit, tamquam dixerit, vt peroratio, non oratio illa sit. ἐπιλέγειν autem, cum alia quaedam significet, valet etiam, re omni iam exposita, quippiam addere, & quasi quae plenius antea dicta sunt, breui complecti ac commemorare: hoc vero proprium munus est postremae huius partis, quae totum epilogum claudit. vnde conueniri illi solutam locutionem tradit. oratio namq; requirit, vt copulis iuncta sit, verbaq; ita inter se nexa & coniuncta habeat. quare si enumeratio haec coniunctionibus carebit, distingui facile ab ipsa poterit, & haec satis certa nota erit, quod finis iam aduenerit.

Εἴρηκα, ἀκηκόατε, ἔχετε, κρίνατε.

Dixi, audistis, tenetis omnia, existimate.

Cvivs oratoris verba haec sint, indicare non possum. Lysias certe orationi conrra Eratosthenem huiuscemodi extremum adfixit: epilogumq; dissolutis verbis clausit, quae & eandem vim habent, & eodem modo temporeq; prolata fuere. sed eorum etiam duo eadem quae haec sunt. Cum autem vno illa verbo haec superent, maior adhuc ibi dissolutio: ait enim. ἀκηκόατε, ἑωράκατε, πεπόνθατε, ἔχετε, δικάζετε. Sententiam & exempli Aristotelis, & huius a me positi, plana est: oratoris enim verba sunt, se munere suo functum esse, ac cuncta quae ab ipso expectari potuere, dixisse ostendentis: docentisque partes nunc iudicum esse, cum omnia acceperint, existimandi, ac quid de illis rebus sentiant iudicandi.



LIBET HIC ADDERE NON NVLLA, QVAE SIVE DVM LIber excuderetur, nescio quomodo omissa sunt, siue postea animaduersa.

Prior numerus paginam indicat: posterior versum, vbi collocari debent.

127. 9. *praeclara, rara.* Vere autem dixit optimus existimator rerum, minores fructus ferre aurum, quam ferrum. Vnde Rutilius Gallus in nauigatione illa sua, quam versibus scripsit, cum, Roma capta, in Galliam mari reuerteretur, ante oculosq; haberet Iluam non magnam sane insulam, sed merito praedicatam, vt fertilem ferri, ornare ipsam volens, laudauit eam, commendans ferrum & accusans aurum, quo saepe mortales vtuntur in castitate feminarum expugnanda: & fide virorum labefactanda: illo autem agri colantur, & victus hominibus paretur.

213. 21. *saepe locutus est.* Declarauit suaue esse homini, haberi eum sapientem Demosthenes, audita voce mulieris, quae monstrans illum alteri, insusurrauit ei, Hic est Demosthenes. qua voce, cum se delectatũ esse narrasset, vt leuiculus insimulatus est a M. Cicerone, qui tamen fortasse non tantopere eum accusare debuit, cum voluptas haec naturalis sit, sed peccauit magnus ille orator, quia postea id narrauit & gloriae sibi futurum duxit.

496. 31. ἵνα μὴ μαχώμεθα. Huius generis enthymemata plura sunt & valde acria, in orationibus Ciceronis: veluti hoc pro domo sua. Si timuisse eos facis, qui discesserunt: concede non timuisse, qui remanserunt. & pro Cn. Plancio. Nec si a populo praeteritus est, quem non oportuit: a iudicibus condemnandus est, qui praeteritus non est: non enim alienum fuit exempla quoque Latina ponere, cum aliter plerunque philosophi hoc enthymematis nomen capiant.

648. 5. *manifestum est.* Similem huic vrbanam vocem edidit Alexander, ille Magnus, in qua vsurpauit idem, quod Iphicrates nomen μεταφορικῶς: vocauit enim Homeri Iliada, quam poesin valde amabat, secumq; semper portabat, bellicae virtutis ἐφόδιον.

654. 35. *lumen est eloquentia.* Contigit amice lector, vt ego, his forte diebus, cum legerem Timaeum, inciderim in locum valde similem huic, quem exemplum auctor esse voluit, eius, quod docebat: quippe cum, praeter sententiam ipsam, parem: & in qua, vt videtur, eadem translatio est, tria verba penitus eadem sunt: quare admonere hoc volui: his enim de causis suspicari licet exemplum hoc ab eodem polito, non solum graui scriptore sumptum esse. tempus autem non habui tam ingens volumen exiguo spatio legendi. locus, quem intelligo Platonis est hic. φῶς ὁ θεὸς ἀνῆψεν ἐν τῇ πρὸς γῆν δευτέρᾳ τῶν περιόδων: ὃ δὴ νῦν κεκλήκαμεν ἥλιον.

664. 38. *vsitatum ac frequens.* Quia autem nulla tanta cura diligentiaq; est, quae reprehendi debeat in loco obscuro praeceptoq; vtili illustrando: exempla vero optimorum auctorum praecipue hoc praestare possunt, quae caligini discutiendae inuenta sunt, indicabo vsum fuisse, vt opinor, M. Ciceronem pro M. Caelio hac ratione, cum Clodiae, impudicae mulieri, maledicens: obscureque tangens veterem fabulam: & maculam, quae ipsi inusta erat, inquit. Nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in ipsam quadrare apte viderentur. Satis autem notum erat ipsam Quadrantariam vocatam, quia callidus amator, & qui paruo libidinem suam explere quaerebat: simulque auaritiae illius illudere studebat, pro aureis nummis, inauratos ei quadrantes, mercedem stupri dederat. Plutarchus in vita Ciceronis totam rem diligenter narrat.

673. 26. *collatione rationis.* Vsus autem est Sophocles apte hac translatione τραχινίαις, ea parte fabulae, qua induxit Herculem deplorantem graue saeuumq; malum, quod acceperat a tunica, sibi missa a Deianira: cum enim prius commemorasset firmitatem, roburq; sui corporis ac fortia facta, quae in acta vita fecisset, ostendit omnia illa immutata esse: seque pro valido & robusto, imbecillum ac mancum factum esse, verba eius sunt: νῦν δ', ὧδ' ἄναρθρος καὶ κατερρακωμένος, τυφλῆς ὑπ' ἄτης ἐκπεπόρθημαι τάλας. Soluta igitur membra sua, sineque neruis atque artubus relicta esse dicit: seque totum fractum & dilaceratum redditum, a vi illa obscura, quae fefellit ipsum, atrocis eius pestis, tamquam vestem tunicamq; aliquam, quae scissa diuulsaque sit ferro, siue longo vsu.

Emenda locum hunc in verbis auctoris οἷον ἀναμάχεσθαι. 220. 39. videtur enim pro οἷον legi debere οἷοι, vt dixerit, οἷοι ἀναμάχεσθαι. vt alibi idem οἷος διώκειν. οἷος εὖ ποιεῖν. οἷος κεκτῆσθαι, & infinita alia huiuscemodi.

Dele praeterea in alterius huius expositione, 505. 30. *verba haec*. Hac ipsa fabula adducit Sudas in ἀράβιον: erratum enim fuit memoriae: Cantharus namq; illic citatur, non Carcinus: poneq; pro illic eiectis, fabula Alope adducit Aristoteles in vij. libro de moribus ad Nicomachum.



CORRIGITO SIC ERRATA IMPRESSORVM.

Pagina	220.	*e magni iudicior.*	*e magnis*
	312.	*veraetur*	*vereatur*
	408.	*discriminat*	*discriminant*
	485.	*Thessalici*	*Thessalisci*
	579.	παρακινδυνεῦται	παρακινδυνευτικώτερον λέξαι
	641.	*illic, quoque*	*illic quoque.*



LOCI VETERVM AVCTORVM AB ARISTOTELE IN HOC OPERE CITATI.

AEsionis. 650
Alcaei. 159
Alcidamantis in Messeniaca oratione. 471. eiusdem. 485. 571. 574. 575. 576. 580
Anaxandridae. 649. 668
Androtionis in Hidriea. 583
Antimachi in primo Thebaidos. 600
Antiphontis in Meleagro. 497
Antisthenis. 587
Archilochi. 742
Aristophanis in Babylonijs. 569
Autoclis. 488
Carcini in Medea. 505
Cephisodoti. 647. 650. 651
Chaeremonis. 507
Chaerili. 697
Cydiae. 348
Demadis in Demosthenem. 521
Democrati Chij. 631
Democratis. 587
Diogenis cynici. 650
Dionysij χαλκᾶ. 563
Empedoclis. 231
Epicharmi. 639
Eueni. 194
Euripidis. 198. in Oreste. 207. 213. in Medea. 445. & 448. in Stenebaea. 446. in Hecuba. 446. in Troadibus. 446. in Hippolyto. 460. in Troad. 507. in Oreste. 568. in Iphig. in Tauris. 598. in Meleagro. 628. in Iphig. Aulide. 657. Iphig. in Tauris. 706. in Hippolyto. 712. in Troadibus. 740
Gorgiae loci plures. 571. 579. in Olymp. 695. in laudatione Eliensium. 708
Heracliti Ephesii. 595
Herodoti. 624. in Euterpe. 721
Hesiodi. 382
Homeri in primo Iliad. 110. in ij. 111. in ix. 136. in iij. 23. Ὀδυσ. 139. in xv. Ὀδυσ. 198. ex ἰλ. 199. in xxiij. ἰλ. 202. 254. 279. ex pri. 282. ex j. & ij. 284. ex ix. 302. 303. ex xi. 376. ex xij. 452. ex xvij. 452. ex xi. & xx. 583. ex ix. 637. 658. ex xiy. 659. ex ix. 677. 683. de Nireo. 698. ex xiiij. Ὀδυσ. 707. ex xix. 727. ex iiij. 733.
Incerti auctoris. 138. 167. 447. 448. 457. 471. 477. 480. 497. 501. 502. 564. 599. 621. 635. 637. 638. 653. 654. 666. 667. 674. 675. 698. 699.
Iphicratis. 138. 168. contra Harmodium. 478. 482. in Calliam. 559. 648. 652. contra Nausicratē. 710
Isocratis in Euagora. 172. in Helena. 489. in Euago. 489. in Panegyr. 608. & 632. & 633. & 634. ibid. ad Philipp. 644. & 651. in Panegyr. 654. ibid. ad Philipp. 656. & 657. te 666. ad Philipp. περὶ ἀντιδόσεως. 742
Leodamantis. 503
Leptinis. 646
Lycoleontis pro Chabria. 653
Lysiae. 496. in Epitaphio. 652
Moeroclis. 649
Oraculum de Craeso. 592
Periclis ex Epitaph. 139. in Samios & Beotios. 586. 646. 648
Pindari. 512
Pitholai. 648
Platonis in Menex. 166. in v. πολιτ. 584. in vi. πολιτ. 585. in x. πολ. 585. in Epitaph. 707. in apolog. 745
Polyeucti Sphettij. 649
Sapphus. 159. 488
Satyri. 645
Simonidis carmen de Corinth. 113. in Archedicē. 168. in mulas. 568. 656
Solonis. 255
Sophoclis Antigone. 231. & 251. & 706. & 725. in Oedipo tyr. 699. in Sidero. 506
Theodectis in nomo. 485. in Socrate. 490. in nomo. 494. in Aiace. 497. & 502. in Oreste. 514
Theodori in Niconem citharaedum. 664
Xenophanis. 494

LOCI AVCTORVM, QVI IN his commentarijs aut emendantur aut explicantur.

Alexandri Aphrodisiensis locus emendatus. 192
Alexandri Aphrod. loci ex commentarijs in Topica Arist. versi. 123. 132. 133. 140. 141. 143
Apollonij Rhodij locus. 342
Aristophanis locus. 321
Aristophanis locus versus. 330
Aristoph. l. in Ranis explicatus. 586. alter in Equitibus explicatus. 587
L. in ἐκκλησ. declaratus. 58
L. in Vespis explicatus. 664
L. in Ranis versus. 713
Aristotelis loci emendati in iiij. de ortu animantium. 81. in primo de moribus ad Eudemum duo. 37
L. in ij. magnor. moral. duo. 120
L. in iij. Topicorum. 123
L. in ij. ad Eudemum duo. 130. alter. 188
L. in primo magnor. moral. 188
L. in iij. ad Nicomachum. 299
L. in Praedicamentis. 358
L. in Poetica. 665
L. in Problem. 669
Aristotelis l. in primo ad Eud. versus. 19
L. in Metaphys. versus. 19
L. in primo ad Eud. ab Alexandro explic. 36
L. in iij. Metaphys. versus. 37
L. in xviij. segm. problem. explicatus. 42
L. in primo Topicor. versus. 45

L. in primo τῶν μετεώρ. versus. 46
L. in Elenchis versus. 48
L. in ij. Prior. versus. 51
L. in primo περὶ ἑρμ. versus. 52
L. in ij. Prior. versus. 56
L. in v. de Rep. versus. 61
L. in primo Topic. versus. 62
L. in primo segm. probl. 86
L. in primo ad Nicomachum versus. 86
L. in Top. animaduertendus. 104
L. in ij. magnor. mor. versus. 115
L. in iij. ad Nicom. explic. 131
L. in v. ad Nicom. versus. 156
L. in iij. ad Nicom. explic. 170
L. in primo. 171
L. in primo de moribus ad Nicomachum explicatus ex Alexandri sententia. 120
L. in ij. Physic. explic. ex optimor. Graecor. sententia. 210
L. in iij. ad Nicom. explic. contra Graecũ interpr. 319
L. in ix. ad Nicom. versus. 197
L. in viij. ad Nicom. versus. 204
L. in viij. ad Nicom. versus. 205
L. in vij. Polit. versus. 322
L. in iii. ad Nicom. explic. 364
L. in iij. ad Nicom. versus. ibid.
L. in Poet. explicatus. 365
L. in iiij. ad Nicom. versus. 379
L. in probl. de Atra bile. 402
L. in v. Politicor. explic. 412
L. in v. ad Nicom. declar. 481
L. in xxx. segm. probl. explic. 429
L. in primo ad Eudem. versus. 456
L. in primo ad Nicom. explic. 465
L. in iij. in Elenchis versi. 509. 511. 519
L. in iij. ad Nicom. declar. 558
L. in viij. Topic. versus. 583
L. in viij. de historia animant. 586
L. de partibus versus. 597
L. in vj. segm. probl. versus. 630
L. in primo ad Nicom. declar. 656
L. in xviij. segm. probl. versus. 662
L. in ij. ad Eudem. declar. 669
L. in iiij. de ortu anim. versus. 672
L. in Poet. versus. 715
L. in v. ad Nicom. explic. 730
L. in xix. segm. probl. versus. 739
L. in Elenchis versus. 740
L. in viij. Topicor. 749
Athenaei locus in iij. δειπνοσοφ. versus. 90
L. in x. δειπν. versus. 103
L. animaduertendus. 232
L. in v. δειπν. emendatus. 577
L. in eodem emendatus. 561
L. in eodem explicatus. 577
L. in iiij. δειπν. versus. 754
Auctoris rhetorices ad Alexandrum l. vers. 58
L. alius. ibid.
L. alius. 137
Caesaris locus in comment. de bello Gallico ab antiquissimo poeta acceptus. 497
Catulli locus, & Plinij. 372
L. alius. 451
Celsi locus ab Hippocrate sumptus. 580

CICERONIS LOCI AB ARISTOTELE ACCEPTI, DE HIS LIBRIS ARTIS RHET.

Ex primo.

L. in ij. de Orat. versi duo, alius 29. alius 30. alius. 176
L. in Inuentione. 88
L. in Topic. 120
L. in Partitionibus. 165. 170. 177. 215. 219

Ex Secundo.

L. in ij. de Inuentione. 304
L. in iij. Tuscul. 334
L. in ij. de Orat. 526

Ex Tertio.

L. in Oratore. 615. alius. 616. 617. duo. 618. 622
L. duo in iij. de Orat. 616. 621
L. in ij. de Orat. 704. 709
L. quattuor. 619. 620

LOCI CICERONIS EMENDATI aut explicati.

L. in primo de Orat. explic. 66
L. ad Attic. contra nouã emendationẽ defensus. 141
L. ex Platone versus. 110
L. in Corneliana, ab Euripide acceptus. 117
L. in epist. ad Atticum explic. 364
L. in ij. de Orat. diligenter animaduertendus. 640
L. in prima contione ad Quirites declar. 483
L. in Ligariana declar. 494
L. duo pro M. Caelio declar. 516
L. in Verr. animaduertendus. 576
L. in epist. ad Q. Fratrem animaduer. 570
Cicer. carmen ex Euripide versus. 198
L. ex epist. Caelij explicatus. 217
L. in Orat. pro Flacco declar. 244
L. in xj. ad Att. explicatus. 286
L. ad Att. explicatus. 299
L. in Tuscul. animaduert. 303
L. in prima Philipp. declar. 310
L. in primo de finibus ex Epicuro versus. 329
L. in iiij. Tuscul. a Zenone sumptus. 356
L. duo ad Att. explicati. 366. 369
L. in iiij. Tuscul. emendatus & expositus. 372
L. in ij. de Orat. declaratus. 389
L. a Platone acceptus. 404
L. ab Arist. in probl. de Atra bile expressus. 412
L. ex Zenone versus. 416
L. pro C. Rabirio ex incerto auctore versus. 448
L. in Catone, ab Homero sumptus. 452
L. in xvj. ad Att. explic. 509
L. in ij. Philipp. 519
L. in iij. de Orat. in quo ab Aristotele dissentire videtur, declar. 565
L. in eodem libro animaduertendus. ibid.
L. in ix. ad Att. explic. 569
L. in Oratore animaduert. in quo lapsus videtur in referenda Aristotelis sententia. 616

L. ex

L. ex Poetica Arist. versus. 617
L. in ij. de finib. ex Paneg. Isocr. 634
L. in primo ad Att. declar. 675
L. in ij. de oratore animaduert. de prooemio. 693
L. in iij. de offic. sumptus ex Hippolyto Coron. Euripidis. 713
Clearchi locus de exitu Dionysij ex Athenaeo versus. 560
Clementis Alexandrini loci duo. 559.560
Demetrij Phalerei loci duo ex libro de elocutione versi. 554
L. versus. 570
L. animaduertendus. 629
L. explicatus. 581
L. versi. 613.614.659
L. explicatus. 679
L. versus. 680
Democriti Abderit. l. versus. 546
Demosthenis l. de ementita legatione versus. 43
L. pro Ctesiphonte vers. 86.114.156.163
L. pro Rhodijs declaratus. 338
L. in oratione de falsa legatione emendatus. 649
L. pro Ctesiph. explicatus. 297
L. aduersus Aristocr. versus. 522
L. aduersus Calliclem declaratus & versus. 457
L. duo pro Ctesiph. declar. 461.480
L. contra Aeschin. versus. 645
L. pro Ctesiph. versus. 739
Diodori Siculi l. duo versi. 421
Dionysii Halicarnassei l. in vita Lysiae vers. 31
L. in vita Lysiae explic. 57
L. in vita Lysiae versus. 72
L. in vita Lysiae explic. 478
L. versus. 563
L. in vita Lysiae emend. 551
L. in vita Lysiae expos. 585
L. in vita Lysiae versus. 604
L. duo explicati. 616.627
L. ex Platone accept. versus. 679
Sex. Empirici locus de Heraclito. 595
Epicharmi locus. 137
Euripidis locus Iphig. explic. 89
L. ex fabula amissa. 117
L. in Hecuba explic. 348
L. in Iphig. explic. 396
L. in Troadib. explic. 398
L. in Hecuba expositus. 451
L. in Phaenissis a Quintiliano vexatus. 506
L. versus. 562
L. in Ione explic. 657
L. in Oeneo, quae fabula periit. 723
L. in Phaenissis explic. 492

FABII QVINTILIANI LOCI ab Arist. accepti. Ex primo.

L. in v. 29.39 60
L. in ij. 37
L. in viij. 136
L. in iij. 150.157.163.166
L. in ij. 167
L. in iij. 173.174.235
L. in v. 268

Ex Secundo.

Locus. 445


Ex Tertio.

L. in viij. 582
L. in ix. 615
L. in v. 685
L. in iij. 690.694
L. in iiij. & in xij. 703
L. in iij. 708
L. in iiij. 719
Fabij Quintiliani l. corruptus animaduertendus. 28
L. in v. emendatus. 28
L. emendatus. 235
L. animaduertendus. 700
Gorgiae locus de Cimone. 639
Herodoti l. in Thalia versus. 725
Hieronymi peripatetici locus ex vita Isocr. a Dionysio scripta. 686
Homeri loci ex Iliade declarati. 136
L. emendatus. 198
L. in ix. Odyss. declar. 326
L. animaduertendus. 376
L. explicatus. 559
L. in xiij. Iliad. explic. 586
Locus. 589
L. in xiij. Odyss. 642
Horatij locus. 164
L. declaratus. 181
L. plures in poetica, accepti ab Arist. in explic. aetatum. 393
L. declaratus. ibid.
L. leuiter reprehensus. 563. in quo tamen animaduertendum est, Celsum quoque non malum Latini sermonis auctorem, eodem verbo iucundum sonum videri appellare: in iij. namque libro inquit, Quorundam discutiendae tristes cogitationes, ad quod symphoniae & cymbala strepitusq; proficiunt.
L. declaratus. 714
Isocratis locus in oratione ad Philipp. emendatus. 583. alius. 644
L. in Panegyr. emendatus. 608
L. in Panegyr. versus. 52.& 72
L. ad Philipp. versus. 75
L. in Helena versus. 166
L. in Panathen. versus. 175
L. ad Demon. versus. 346
L. in Paneg. declar. 357
L. in Paneg. versi. 369.377
L. contra sophistas explic. 461
L. ad Philipp. declar. 681
Martialis l. expositus. 312
Laertij l. emendatus. 385
L. in Arist. emendatus. 636
Lucretij loci explic. 603.606
Lysiae locus contra Agoratum versus. 126
Lysiae locus explic. 519
Pauli medici περὶ συγκλάσεως versus. 564

Philoponi sententia de signis versa. 52, l. alius. 723
Platonis in sympos. vers. 72
L. in iij. de rep. versus. 395
L. in eodem explic. 401
L. in Cratylo explic. 578
L. alter Platonis. 637
L. in Protagora. 656
L. in iiij. de leg. versus. 693. 709
L. in Gorgia explic. 750
Plinij ex viij. de stirpibus Theophrasti expressus. 312
L. ab Arist. e vi. lib. histor. animantium acceptus. 407
Plutarchi l. in Alcibiade versus. 22
L. in ςωϊκ. ἐναντ. versus. 24
L. in ἀποφθ. explic. 93
L. in Artoxerxe explic. 95
L. in Dione versus. 163
L. in ij. sympos. emendatus. 198
L. in Alexandro versus. 301
L. in Cleomene illustratus & versus. 322. & 352
L. in M. Bruto celebratus. 367
L. in Cleomene declaratus. 352
L. in vita Homeri versus. 385
L. in Bruto versus. 393
L. in Dione explic. 439
L. in πολιτ. παραγγέλμ. versus. 480
L. in viij. sympos. versus. 553
L. in iiij. sympos. explic. ibid.
L. in πολιτ. παραγγέλμ. explic. 587
L. in Lysandro versus. 657
L. in sympos. explic. 658
L. in Philopaemene versus. 665
L. in sermone πῶς δεῖ τὸν νέον, &c. 665
L. de Daemonio Socrat. explic. 727
Sophoclis l. duo in Oedipo expositi. 360
L. in Oedipo declar. 406
L. in Trachin. explic. 454
L. in Electra expl. & versus. 571
L. in Trachin. emendat. 580
L. in Oedipo tyr. expl. 599
L. in Antig. expl. 705
Terentij l. declar. 226
Terentij l. decl. 454
L. ex Appollonio acceptus. 243
L. alter ex Apollodoro. 514
Theognis veteris poetae l. 225
Theophrasti l. τῶν φυτῶν αἰτ. versus. 45
L. in v. de hist. stirp. versus. 411
L. ex lib. de elocutione. 632
Thucydidis l. versus. 498
Varronis l. e Theophrasto versus. 626
Virgilij l. in Georg. declar. 124
L. duo Aeneid. explic. 221
L. in ij. Georg. declar. 287
L. in iiij. declar. 327
L. in iij. Georg. declar. 417
L. in xi. Aeneid. declar. 424
L. in Georg. vitio obscuritatis laborans. 596
L. in Georg. ab Arist. in meteor. acceptus. 642
L. in ij. Georg. declar. 706
Xenophontis l. in v. ἀναβάς. versus. 583
L. versus. 637
L. in viij. παιδ. explic. 637



INDEX EORVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.




Accius poëta laudatus a Cicerone, cum potius reprehendendus foret pag. 303
Acer ὀξὺς Cicero 404
Achillis laudes, tam propriae, quam communes. 467
Actio in quibus rebus maneat. 542
Actio maximam vim habet. 543
Actionis praecepta Arist. aetate nondũ extabant. ibid.
Actio ab elocutione diuersa. 545
Actio saepe natura: elocutio arte paratur. ibid.
Actio ἀντιδόσεως. 713
Adiuncta pro consequentibus quandoq; a Quintiliano appellata. 105
Adolescentes verecundi 396
Adolescentes & magnanimi se magni faciunt 386
Adolescentiae explicatio, natura, & loci 392
Adolescentes natura contumeliosi 282
Ad opinionem 141. 313
Adpositum ἐπίθετον Quintilianus appellat 558
Adulatores Dionysij tyranni improbissimi ac spurcissimi 587
Aduerbia, πτώσεις 134
Aduersas res nuntiantes odiosi 292
Aduersis improborum gaudere, bonae indolis 368. 378
Aeantes Hippocli f. Lampsacenorum rex 168
Aegina Piraeei labes 648
Aeginetis infestissimi Athenienses 463
Aegritudines valde odiosae senectuti 99
Aegritudo quid sit 193
Aegyptiorum responsio ad Psammeticum regem 721
Aelianus non inelegans scriptor 282
Aeluri, dum coeunt, clamitant 586
Aemulatio ζῆλος quid sit 385
Aemulatio in quo distet ab inuidia ibid.
Aemulationi qui maxime affines sint, & quas ob causas 388
Quos maxime aemulemur 387
Aenesidemus Leontinor. tyrann. 228
Aenigma celebre de cucurbitulae applicatione 564
Aenigmata quomodo gignantur 565
Aequale & simile saepe confunduntur 637
Aequum & bonum ἐπιεικὲς 239
Aequum & bonum ex defectu legum scriptarum oritur ibid.
Aequi & boni natura & loci 240
Aesion orator 650
Aeschylus in iungendis & transferendis nominibus durior 554
Aestimatio τιμὴ 283
Aeschines Socraticus 727
Aesopi fabula de vulpe 440
Aetatum explicatio 392
Affectio animi, nemesi cõtraria ἀνώνυμος 368. 378
Affectiones animi iudicia vehementer variant 272
Afflicta virtus 367
Agatho auditor Platonis, optimus poëta 430
Agathoclis, Siculorum tyranni, Ithacensibus Lepidum responsum 225
Agesilai consilium, Phaebidae Laconi datum 71
Agesipolis astuta ratio interrogandi Delphicum Apollinem 489
Agrarij agripetae κληροῦχοι 348
Alcibiadis posteri indolis insanioris 412
Alcidamantis patria 232
Alcidamas, orator magni nominis, Gorgiae discipulus ibid.
Alcidamas frigidus, in nominibus iungendis 572
Alcidamas nimius in epithetis 574. 575. 576
Alcidamas ineptus in metaphoris 580
Alcini apologus 722
Alexander Phereus ab vxore occisus 635
Alexander cur appellatus 477
Alexander oratio 482. 616
Alexandro Aphrodisiensi falso attributi commentarij περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων 4
Alienare 92
Alioqui εἰ δὲ μὴ 312
Aloisius Alamannius, probus nobilisq; adolescens 297
Alphesibaea 474
Althea Meleagri mater 477
Amari quid sit 206
Amarus 181
Amarum esse & facile irasci plurimum interesse putat Arist. ibid.
Amasidis historia 364
Amat quisque res suas 212
Amatores delicijs suis cari ibid.
Ambiguam orationem fugiendam 591
Amicitiae definitio & tractatio 304
Amicitia similitudo dicta 312
Amicitiae partes formaeq; 315
Amicitiae efficientia ibid.
amicitiae sempiternae, inimicitiae mortales 448
amici qui sint, & qui amentur 304
amico amicus apud Terent. 314
amoris incipientis notae ac signa 201
amor an ciuitatibus prosit 516
amor an bonum sit 528
amplificatio maxime orationi demonstratiuae accommodata 176. 425
amplificatio & extenuatio ad enthymemata non pertinent 535
amplificandi & extenuandi locus oportunus 751
Anacreontis Teij sententiae molles 742
anapaestum heroi nomine contineri putauit Cic. 616
Anaxagoras physicus a Lampsacenis magno honore sepultus 486
Anaxandridis fabulae γεροντομανία, & δυσεβεῖς 681
Anaxandrides comicus natura difficilis 181
Anaxandrides poëta elegans. 668
Anaxilas Messenius Olympios ludos mulis vicit 568
Anaximenes Milesius studuit eximius & perfectus esse in cunctis scriptor. generibus 656
Andocidis pessimum ingeniũ, amicos omnes incommodantis 225
Androcles Pittheus orator 500
Andromachae nomen 507
Angelus Iustinianus, episcopus magna virtute dignitateque praeditus 718
angusti animi vitium, magnitudini animi contrarium, & magnificentiae 154
angusti animi signa 337

Anima

Anima 87
animi affectiones voluptatum magnarum plenae 200
animi robur ad annum xlix. 409
animus 286. 393
animus noster quaedam sua vi accipit, non vtens corpore impulsore: quaedam contra 196
annonae ratio ducenda, consultori & loci 81
Antigoni regis dictum, de tributorum acerbitate 642
Antigoni regis vox in oratorem ineptum 578
Antimachus poëta inflatus & tumidus 599
Antimachi ratio commoda ad res exornandas ibid.
ante oculos ponere res, quid sit 656
antitheseos tria genera 632
Antiphanes comicus 639
Antiphontis vox celebris de optimo aere 174 350
Antiphontis fabulae vetustate amissae 292
Antipho poëta & orator a Dionysio occisus 350
Antipho cur apud Dionysium offenderit ibid.
Antiphontis dictum acutum, cum ad supplicium duceretur ibid.
anulis ferreis, veteres vsi, 240
Aphareus, quem sibi filium adoptarat Isocrates, scripsit apologiam ipsius 718
Aphrodite Venus cur appellata 623
Aphrodisiensis verecundiã virtutem putauit contra doctoris opinionem 333
Aphrodisiensis primum locum, sententia fere omnium, in declaratoribus tenet 3
Aphthonij sophistae definitio ἐπαίνου, καὶ ἐγκωμίου. 169
Apollo ἕκατος 621
Apollo Sminthius 518
Apologus, λόγος 438
apologi apti contionibus 441
appropinquatio malorum non finit laetitiam capere e secundis rebus 364
Apsinus rhetor. 1
appetitiones, quibus non haereat aegritudo, quae sint 352
aquam & terram Persarum reges petebant 495
aquila de figuris orationis scripsit 623. 680
arbitrij ac iudicij discrimen 243
arbitror 400
Arbitri διαιτηταὶ 660
Archedice filia, coniunx, soror, mater regum 168
Archidemus scriptor 639
Archibius a Platone reprehensus 257
Archilochus a Parijs honoratus 486
Argumenta, aut argumentis, aut ἐνστάσει refelluntur 526. 739
argumenta redarguentia potiora demonstrantibus. 508. 738
argumenta e signis quomodo vere & falso colligantur 54
Argumentum ἐκ τοῦ πρὸς ἄλληλα Cic. & Quint. quomodo appellent 429
argumentorum collatio quando necessaria 690
argumentorum collatio probationis pars 691
Ariadna Theseum, vt ingratum accusat apud Catullum 368
Aristides qua ratione consilium Themistoclis discusserit 732
Aristippi pulchra responsio de diuitibus & sapientibus 415
Aristippi dictum in Platonem 488
Aristogiton, & Harmodius primi statuis publice honestati 174
Aristogitonis & Harmodij amor 517
Aristophon in dicendo Iphicratis superior 480
Aristophanes multus in nominibus minuendis 569
Aristoteles a Vict. defensus 7
Aristotelis scripta, aetate M. Ciceronis parum cognita fuisse, intelligitur ex ipsius epistola ad C. Trebatiũ, qua misit illi Topica 3
Aristoteles vocibus & decretis aliorum in suis confirmandis libenter vtitur 55
Arist. in locis non suis, de rebus non admodum exquisite agit 145
Arist. Isocrati parum aequus 175. 695
Arist. dictum acerbum in Isocratem ibid.
Arist. in his libris de multis rebus non admodum exquisite agit 192
Arist. in scribendo verecundiam mirifice seruat 334
Arist. memoria lapsus videri potest in historia Amasidis 364
Arist. modestia 424
Arist. res suas inductione, postea syllogismis constituere solet 465
Arist. odium erga Isocratem 718. 719
Arist. Atticae elegantiae peristudiosus 605
Arist. musicae peritissimus de ea scripsit 612
Arist. rhetorica ad Theodectem quae sit 639
aristocratia .i. optimorum status quid 146
aristocratia cur ita appellata ibid.
Artium praecepta communia 44
artis definitio incerti auctoris a Cic. & Quint. expressa 62
artium nomine opera earum significat Aristoteles 209
artis ostentatio fidem dicenti derogat 552
articulos a coniunctionibus primi stoici separarũt 591
artificium oratoris qua ratione tegi possit 606
artis ostentatio fugienda ibid.
artium duae partes, quaestiones & demonstrationes 586
Asconius purgat Ciceronem 576
Assensio πίστις, συγκατάθεσις 17
assentationis signa 336
Astricte ἀκριβῶς 615
Athenienses ob κληρουχίαν exagitati 348
Athenienses voluptati tragaediarum & comaediarum dediti erant 79
Athenienses quibus in rebus laudati, & quibus vituperati 462. 463
Athenienses Herculis posteros defenderunt 462
Athenienses frumento importato vtebantur 648
Atheniensium expeditio in Siciliam 650
Athenienses Athenis laudare facile 707
athletar, vsus frequens apud Graecos 709
attentum reddere cuius partis proprium munus 703
attentos auditores reddendi ratio 704
Auaritiam Cicero reddit φιλοχρηματίαν 394
auctor rhetorices ad Alexandrum non est Arist. 58. & in proleg.
auctoritatem fidemq; dicenti, quae acquirant 274
Audacia θρασύτης 408
auscultator 67
Augustinus Suessanus Pisis magnae existimationis erat 702
Autocles orator Atticus: narrat autem Xenophon in vj. libro ἑλληνικῶν Autoclem hunc ab aetatis suae hominibus habitum esse oratorem, vt opinor, valde suauem: ita enim de ipso locutus est. μάλα δοκῶν ἐπιστρεφὴς εἶναι ῥήτωρ. Vsus vero est hoc ipso nomine Aristoteles in ix. libro de historia animantium, vbi de cantu luseiniolae loquitur, qui cantus magnopere variatur, variatis anni temporibus. vocem igitur ipsius exacta aestate tradit esse: verba enim ipsius ponam. οὐ ταχεῖαν καὶ ἐπιστρεφῆ, ἀλλ' ἁπλῆν, quae vertens Theodorus, inquit. non celerem modulatamque, sed simplicem.

Index.

B

BAbylonij fabula Aristophanis 569
Baccius Valorius, iuris ciuilis peritissimus 640
Beatitudinis definitio 83. 86
Beatitudinis partes 87
Beatitudo maius quiddam est, quam laus 171
Beatitudo virtutem ac propterea laudem & laudationem complectitur 171
Belli ac pacis ratio, quae sententiam dicturis cognita esse debet 79
Beneficia non compensare iniuriae genus 483
Beneficium multis modis amplificatur 353
Beneficium e quibus locis extenuari possit 354
Beneuolentia maximam dicendi fidem conciliat. 274. 275
Beneuoli vnde reddantur auditores 706
Biantis dictum a Cicerone & alijs reprehensum. 401. 455
Biblis Caunum fratrem adamauit 528
Bollanus oxycholus 324
Bona quae sint 106
Bona externa cur a stoicis in bonis non numerentur 24
Bona quae a fortuna sint 101
Boni .i. τὰ ἀγαθὰ loci 104
Boni definitiones plures 103. 104
Bonorum corporis explicatio 96
Bonum hoc, ἀγαθὸν τοῦτο 40. 441
Bonorum quidam falso ex Aristotele in animi, corporis, & fortunae diuisione fecerunt 101
Bona quae in dubium vocantur ex quibus locis confirmari possint 110
Bonorum inter se collatio, ac maioris & minoris boni loci 118
Bonorum genera plura 341
Bryso sophista primus negauit quicquam in verbis turpe esse 566
Busiridem ab Hercule falso putant necatum fuisse 478

C

CAecilius comicus in argumentis palmam poscit 679
Callias Hipponici f. δᾳδοῦχος appellatus, ventosus 560
Callippi ars quibus constaret 491. 499
Callippus vir nefarius, interfector Dionis amici sui. 227. 349
Callisthenes Atheniensium dux damnatus, quod primus causam dixerit 301
Callisthenis obitus causa 95
Callistratus Aphidnaeus ὑμνηγόρος vocatus 126
Callistratis oratio Messeniaca 739
Calumnia, διαβολὴ 709
calumniae natura 300
calumniae loci, vide criminationis locos
Campani superbi 413. 416
canes prostratos non mordent 297
Cantharus comicus 729
capillos sibi tondere in luctu solebant Graeci 652
capitis obtegendi mos in morte 350
Carcinus poëta tragicus 505. 729
casus qui sunt Aristoteli 472
Casus diuersor. nominum ὁμοιόπτωτον Arist. in παρομοίοις non numerat 637
Catonis locus Aristotelis loco simillimus 307
causae humanarum actionum quae sint. 183. 191
Cephisodorus Atheniensis Isocratis discipulus, magistrum contra Aristot. defendit 175. 718
Cephisodotus orator 588
cerebri felix apud Hor. 324
cerebrosi ibid.
Ceres Sotira
Chabria 744
Chameleon Heracleotes 126
Chaeremon vetus poëta 181
Chilo in senatum a Lacedaemonijs cooptatus 507
Chilonis dictum 586
Chaerilus malus poëta 398
cicadas humi canere quid signum 697
cicero ab Arist. in pedibus orationis dissentit 450. 662
cicero reprehensus a quibusdam de numeris oratorijs 612
611
Cic. in explicatione verbi ἀντίστροφος ab Aphrodisiensi dissentit 1
cic. non paucis in locis Arist. deceptus est 3
cic. in generibus probationum artificiosarũ ab Arist. leuiter dissentit 30
cic. opinio de fine generis deliberatiui 70
cic. locus in corneliana ab Euripide sumptus 117
cic mortem Hortensij aegre tulit 312
cic. defensus contra Quintilianum 612
Cic. vt Asiaticus reprehensus 612
Ciceronis ἁμαρτήματα 616
cic. an quaedam Arist. verba recte reddiderit 619
Cic. sales περὶ γράμματα 663
cimonis, clari viri, filij stolidiores 413
circunstantiae res praeclaras exornant, si solus, si primus &c. 173
ciuitas 145
ciuis non est, qui publicis muneribus orbatus est 283
ciuilis potentiae natura & mores 416
ciuiles contentiones quas intelligat Arist. 543
clamitare 586
clari viri carminibus & orationibus celebrari soliti 94
clemens Alexandrinus eruditissimus 595
Clementis Alexandrini definitio παραβολῆς, ab Arist. dissentiens 437
cleomenis contumeliosum dictum in Aegyptium regem 322
cleomenis vox arguta de Argiuis bellum instaurantibus 220
cleon turbulentus ac perditus ciuis 587
cleon pudentibus ac verecundis viris negotium exhibebat 223
cleophon magnus vir Atheniensis 255
cleophon orator improbus ac turbulentus ibid.
cleophon poëta 601
cleophontis oratio contra critiam ibid.
clisophus assentator Philippi regis 337
clypeus patera Martis 671. 672
Cn. Pompeij magni f. saeuum ingenium 289
collatio 436
collatio quomodo tractari debeat 755
columnae in Graecia inscribebantur nomina scelestor. ciuium, sed etiam bene meritorum 503
comaediae nouae initium 699
commune Siciliae 90
communia argumenta 466
comparatio & collatio aliorum copiam argumentorum laudantibus praebent 175
comparatione laudatorum, & praestantium virorum praecipue vtendum, sed etiam aliorum 175
componere artes 7
Concertatio Atheniensium & Philippi super δοῦναι, vel ἀποδοῦναι Halonnesum 355
Concoctionem, quam Graeci πέπανσιν, dixerunt Latini 563
coniunctiones crebriores orationem asperam efficiunt 594
coniunctionum nomine articuli, & praepositiones continentur 591
coniunctiones, suo loco positae, orationem puram & rectam

rectam reddunt ibid.
Conficiens τὸ ποιητικὸν, & efficiens a Cic. redditur 104
Conon Atheniensis ad Euagoram fugit 489. 506
consequentia tractantur 104. 105
consequentia naturas & habitus animi, praua, & recta esse possunt 164
consequentium definitio, alia in Topicis, alia in Rhetoricis ab Arist. affertur 104
consequi aliquid duobus modis dicitur ibid.
consilio & ratione quae fiant 189
consilium sceleratis rhetoris Ptolemaeo datum de Cn. Magno tollendo 453
consilium de quibus rebus sit 46
consuetudo veterum in vtramque partem argumentandi 22
consuetudinem a natura seiungit Arist. cũ alioqui paene eadem sit 184. 193
consuetudine quae fieri dicantur 189
consuetudinis vis 190
consuetudo suauis 193
consuetudo Arist. in citandis testimonijs 651
contio 441
contionalis 13. 441
contiones Athenis sedatae, & turbulentae quomodo vocatae 651
Contractum vltro citroq; συνάλλαγμα 262
contraria in oratione suauitatem gignunt 639
controuersari 110
controuersiar. genera, in iudiciali quot sint 234
controuersia, quae rem factam concedit, sed non illã, quid sit appellatur 235
contumelia apud Euripidem quae 483
contumelia afficere, & damnum inferre, plurimum differunt 282
contumelia ab inferioribus illata longe maxima 283
Contumelia ὕβρις 280
conuictores suaues qui 398
conuictus 398
conuictio ibid.
conuictor ibid.
copulae vis 683
cordax 618
Coracis ars 525
Corinthus Graeciae lumen 647
Cornificius auctor rhetorices ad Herenniũ 190. 444
Corpus μεταφορικῶς 8
corpus quo tempore maxime vigeat 409
Cremaste Larissa vrbs 661
criminationis dissoluendae loci 710. 711
criminandi alios loci 712. 713
Criminatio an πάθος sit Aristoteli 8. 9
criminatio quo pacto ad iudicem referri possit 9
Critia e xxx. tyrannis vnus, magnus orator, nec malus poëta 255
Cruditatem, quam Graeci ὠμότητα, dixerunt Latini 563
Cruenta pecunia μεταφορικῶς 579
cucurbitulae ex aere a veteribus 564
cupiditates verae causae peccatorum, non status & fortunae hominum 184
cupiditate quae fiant 190
cupiditatum duo genera 195
cupiditas quid sit ibid.
cupiditas a proaeresi differt 299
curae omnes molestae non assuetis 194
curiositas a bonis viris abesse debet 310
Cyclopis amores a Philoxeno scripti 665
Cydias orator 348
Cygnus ab Achille necatus 467
Cyri minoris propetia 691
Cyriaci Strozzij de Hyppolochi nomine cõiectura 174

D

Dantis ciuitati suae inussit semper turpes maculas 486
Dantes apposite in suo poëmate hominẽ tetragonum dixit, quaemadmodum Graeci τετράγωνον, 656
Dantis ossa Florentini a Rauennatibus impetrare non potuerunt 486
Daphnaeus aduersarius Dionysij tyranni 61
dare iusiurandum 266
declarationis nota, saepe a bonis auctoribus omissa 65
decreta ciuitatum variantur variatis statibus earũ 145
defectus legum vnde oriatur 230
defensor potior accusatore cum verisimilibus certatur 531
deferre iusiurandum 266
definitio rhetorices qua in re sit eadem cum definitione medicinae, & in qua discrepet 7
definitiuus status 235
deflorescere 586
deliberatiui generis partes suasio, & dissuasio 68
finis 71
deliberationum materies maioris ponderis 78
deliberatiuum genus iudiciali difficilius 735
Demarata Gelonis f. Theronis vxor 228
Demetr. Phalereus Dionysio adscribit, quod Aristot. Stesichoro 450
Demetr. Phalereus ab Arist. dissentire videtur de vsu imaginum 583
Democratia quid sit 146
Democrates orator 587
Democritus Abderites pentathlus appellatus 97
Democriti sententiã de nominibus 546
Demosthenes orator natura acerbus 181
Demosthenes alter a summo illo oratore Atheniensi 474. 587
Demosthenem Midiae placari potuisse Plutarchus nõ credit 181
Demosthenes exagitatus in ἀποδοῦναι 355
Demosthenis damnationis causa 300
Demosthenis fabula de lupis & canibus 440
Demosthenis παραβολὴ perelegans ibid.
demonstratiui generis partes laus & vituperatio 69
finis 70
demonstratiui generis loci 149
demonstratiui generis dignitas ac necessitas 150
demonstratiuum & deliberatiuum genus honestatem communem habent 171
demonstratiuum genus saepe ab Arist. relictum 272
Deos propitios aut iratos, veteres multis modis cognoscebant 332
depulsio malorum in bonis ponitur 191
desipientes oleo ac sale vngebantur 492
desperati minime omnium timidi 327
Despicientia, καταφρόνησις 280
despicientia quid 389
Qui maxime alios despiciãt, & qui despiciantur ibid.
detrimentum quid 234
dextrae concordiae signum erant 247
Diana σώτειρα 744
dialectice a Cicer. quomodo vocetur 3
dialectice quae vocetur ab Arist. 18
dialecticam facultatem ipsam disserendi intelligit Aristot. 484. 523. 537
dialectici officia 5
dicendi genera diuersa 678
dicendi genera quae quibus conueniant 678. 679. 680
dictio scriptioni apta exquisitiss. 678
dictio iudicijs apta, quae actionis plena est ibid.
dictionis hypocriticae duo genera ibid.
dictionis contionalis natura 684

dictio forensis contionali exquisitior esse debet 684
dictio demonstratiua exquisitissima 685
dictionum diuisio superuacanea 786
differentiae non omnes vim habent aliquid diuersum reddendi, 187
Diodori poëtae locus ex epiclero 81
Diogenes esuriens Melitaeus canis: satur vero Molosseus 299
Diogenes Apolloniates, cur Aphroditem Venerem dictam putet 507
Dion Prusiensis sophistes 436
Dionysij f. insanior. 412
Dionysij poëtae, qui χαλκοῦς appellatus est, erratum 563
Dionysius Longinus grauis scriptor, & magni ingenij vir 614
Diopithes vates 363. 744
Diopithes magna munera consequutus a rege post obitum ibid.
Directo κατ' εὐθυωρίαν 285
discrimen inter vrbanas, & graues voces, & ridicula 640
discrimen inter vrbanas voces & ridicula viderunt, qui nostra aetate Latino & Etrusco sermone de illis scripsere ibid.
dispositio 288
dissimulatores ac sedati maxime metuendi 324
dissuasio 68
dissoluendor. argumentorum rationes duae 526
Dissoluta .i. ἀσύνδετα quam vim habent 683
Distrahi διασπᾶσθαι 362
Diuelli διασπᾶσθαι ibid.
Diuini auxilij opinio hominibus spem maximam affert 332
diuitiarum partes 91
diuitiae vsu magis, quam possessu spectantur 93
diuites natura contumeliosi 282. 327
diuitiarum natura & diuitum mores 413
diuites repente effecti, importuniores 415
Diues, insipiens fortunatus 414
Docilitas εὐμάθεια 109. 702
Docilem quae iudicem faciant 702
Dodonis mater Thessalisci 485
Draconis leges draconis appellatae 507
Durior ad studia 485
Duris Elaites historiographus 232
Durum 606

E

EBrijs paena a Pittaco constituta 529
Efficiētia boni alicuius, tribus modis dicuntur 105
Electio 149
Elementa & loci enthymematum 468
Elenchus ratiocinatio μετ' ἀντιφάσεως 636
elocutionis praecepta sero in lucem venerunt 543
elocutionis vtilitas 544
Elocutionis ὄγκον & verborum 597
elocutionis duo genera 623
eloquens 42
Eminentia & prompta τὰ ἐπιπολῆς appellat Cicero 262
Empedocles peregrinis & obscuris vocibus vsus 232
Empedocles dedita opera obscurus 592
Ennius poëta in etymo lapsus 507
Enstasis non est enthymema 537
enthymematum materies & forma 461
enthymema sententia ex contrarijs conclusa 496
enthymemata corpus ac fundamentum fidei faciendae 8
enthymema cur vna tantum propositionem contentum, 41
enthymemata aptissima ad permouendum 42
enthymema cuius generis propositionibus constare debeat 46. 47. 50
enthymematis altera propositio cur ab oratoribus omittatur 48
enthymematum multa genera 61
enthymemata aptissima sunt rebus forēsibus 177. 732
enthymematum accurata tractatio 459. 461. &c.
Ratio & modus indagandi enthymemata 461
enthymematum duo genera confirmandi, & refellendi 468
Enthymema δεικτικὸν syllogismo respondet. 468
Enthymema ἐλεγκτικὸν elencho respōdet 469
enthymemata in oratione permisceri debent ceteris probationibus 733
enthymemata ad perturbationes commouendas, & mores exprimendos inutilia 733. 734
enthymemata redarguentia potiora demonstrantibus 738
enthymemata in sententias aliquando commutanda 743

ENTHYMEMATVM LOCI vniuersales.

i. a contrarijs 470
ij. a similibus casibus 471
iij. ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα 472
iiij. ex maiore, ex minore, ex pari 476
v. a temporis obseruatione 478
vj. ἀνώνυμος 480
vij. a definitione 481
viij. ἐκ τοῦ ποσαχῶς &c. 484
ix. ex partitione ibid.
x. ex inductione ibid.
xi. a rebus iudicatis 487
xij. ab enumeratione partium 490
xiij. a consequentibus res bonas & malas ibid.
xiiij. a consequentib. contrarijs 491
xv. ἀνώνυμος 493
xvi. a proportione ibid.
xvij. ἀνώνυμος 494
xviij. ἀνώνυμος 496
xix. ἀνώνυμος ibid.
xx. ex caussis 498
xxi. ἀνώνυμος 499
xxij. a repugnantibus 501
xxiij. ἀνώνυμος 502
xxiiij. ἀνώνυμος 503
xxv. ἀνώνυμος ibid.
xxvi. ἀνώνυμος 504
xxvij. ἀνώνυμος 505
xxviij. a nomine 506
Enthymematum sophisticorum loci in locutione quattuor 509

Enthymematum sophisticorum loci extra locutionem.

i. δεινώσει κατασκευάζειν 515
ij. a signo 517
iij. διὰ τὸ συμβεβηκὸς 518
iiij. παρ' ἑπόμενον 519
v. παρὰ τὸ ἀναίτιον ὡς αἴτιον 521
vi. παρὰ τὴν ἔλλειψιν 522
vij. παρὰ τὸ μὲν ἁπλῶς 523

Enthyme-

Enthymemata ex quatuor ducuntur.

i. ex verisimilibus 529
ij. ex exemplis ibid.
iij. ex certis notis 530
iiij. ex signis ibid,

Enstasis quattuor modis efficitur.

i. a re ipsa duobus modis 527
ij. a contrario 528
iij. a simili ibid.
iiij. a iudicijs & auctoritatibus 529

Epaminondas opinione inertiae tyrannos euasit 308
Epanodus perorationis pars, quando in deliberationibus necessaria 689
Epidaurum oppidum 648
Epimenides vates 735
epithetorum vsus 558
epitheta a rebus pulchris honestisque ducenda 568
epithetorum vsus & natura explicatur 568
epitheta quae frigus gignant 573
epithetorum vtilitas 574
epithetis vt condimentis, non vt cibis vtendum 574
Ergophilus Atheniensium dux absolutus, populo alterius supplicio exsanatus 301
Ethica ad Nicomachum ab ipso Nicomacho scriptam fuisse putarunt quidam 639
Eubuli poëtae locus ex Oedipode 81
Eubulus orator 257
Euclidis nouus interpres in voce λῆμμα lapsus 239
Eudoxus astronomus γῆς περίοδος scripsit 84
Euenus poëta 194
Euertere nauim ἀνατρέψαι 485
Eumenidae cur appellatae 488
Euphron, peregrinus homo, Thebis, magnam potestatem adeptus est 475
Euripides suae locutioni amplitudinem attulit delectu verborum 549
Euripidis Oeneus fabula, vetustate amissa 723
Euripidis oratio e consueto sermone confecta 554
Euripidis fabulae apud Syracusanos in maximo pretio 345
Euripides argumenta saepe a nominibus duxit 507
Euripidis vita a Thoma grammatico scripta 699
Eustathij lapsus 507
Euthydemi sophistae fallacia 513
Eutrapelia in verbis & rebus posita est 399
ex altera parte apud Cic. 2
examen vuarum apes appellauit poëta vetus 589
Excandescentia θυμός 190. 393
exempla quomodo refellantur 533
exemplorum species duae 436
exemplorum accurata tractatio 437
exemplorum vsus 441
exempla apta ad persuadendum 42. 732
exempli, inductionisq; similitudo veteres nonnullos decepit 60
exempli definitio Aphrodisiensis 61
exempla praecipue deliberatiuo generi apta 177
exemplum inductio est rhetorica, & cuius generis 59
existimator 67. 421
Existimare κρίνειν 421
existimator in genere deliberatiuo & iudiciali proprie appellatur ibid.
exornatio 149
Exquisite ἀκριβῶς 615
externa admirationem mouent 551

F

Fabius Beneuolentius, doctus vir in historia amice Victorio succurrit 475
Fabulae apud Graecos festis diebus Liberi patris recitabantur 713
Fabula λόγος 438
Fabulae Lybicae, Caricae, Aegyptiae &c. 436
Faciles nymphas appellat Virg. 343
Facta claror. virorum consilio & electione, non fortuna euenisse, qui laudant, ostendere debent 169
Facta hominum quomodo ab Aristotele distinguantur 183
Facta enthymematibus probantur 425
Eorum, quae fieri & non fieri possunt loci 425
Factar. rerum & non factarum loci 431
Facultas dicendi apud Cic. 109
Fames mala suada a Virg. appellata 222
Familiae acuti ingenij in mores insaniores solidi vero in stolidiores degenerant 412
Felicitatis natura: & fortunatorum mores 418
Fidentia .i. θάρσος, quando πάθος 359
Fidentia quid 329
Fidentibus qua ratione timor incutiatur 328
Fidentes quae homines reddant 329
Fidentes qui maxime sint 330
Fides non omnino voci Graecae πίστις respondet 17
Fides quot modis fiat 539
Filiorum amor vnde nascatur 212
Finis in singulis partibus rhetoricae alius atque alius 70
Finis cuiusq; status ciuitatum qui 147
Finis oratoris 272
Finis orationis numeris cognosci debet, non nota librarij 622
Finitionem quandoq; reliquit Aristoteles 235
Finis orationis qualis esse debeat 756
Fiscina πάλαρος 675
Formae dicendi quae σφοδρότης appellatur, figurae propriae 681
Formidolosus φοβερός 315
fortitudo simulata 330
Fortitudinis definitio 153
Fortitudinis radices 396
Fortuitu quae prouenire dicuntur 188
Fortuna & ars valde coniunctae 101
Fortuna causa multar. rerum, quae a natura & arte etiam proueniunt ibid.
Fortunae multum tribuit Arist. in his libris 88
Fortunae 392
Fortuna παράλογος appellata 101
Franc. Petrarcha, vir optimus, & summus suo in genere poëta 692
Franc. Petrarchae studium & diligentia in describendis sua manu epistolis M. Tullij ibid.
Francisci Medices laus 665
Frigus quid ex Theophrasto 570
Frigus iiij. modis efficitur ibid.
Fructuosa praedia 92
Fures res ablatas mutant, ne cognosci queant 229
Furtum Veneris lusum appellauit Terentius 203
Futura exemplis probantur 425
Futurorum & non futurorum loci 435

G

Gellius cur tenuis vocetur a Catullo 587
Gelonis vox de exercitu suo 646
Genera rerumpublicarum iiij. 145
Genera rerumpub. & mores & statuta ipsarum cognita esse de-

esse debent sententiam dicentibus 144
Generosum 410
Generosus maxime est, qui optimus 482
Genus iudiciale collatione plurimum vtitur 175
Generalia & indefinita respondentes minus falluntur 592
Genera recte seruata, orationem claram emendatamque reddunt 594
Gladiatores sero a Graecis recepti 709
Glauco Teius de arte poëtica scripsit 541
Gloriosus 37. 338
Gloriosi animi signa 338
Gorgias Leontinus vim rhetorices in amplificatione & extenuatione posuit 424
Gorgias Leontinus insimulatus a Longino 572
Gorgias poëticam locutionem sectatus 547
Gorgias subfrigidus in nominibus iungendis 571
Gorgias ineptus in methaphoris 579
Gorgiae dictum in hirundinem 581
Gorgias εἰρωνεύων vsus aliquando peregrinis verbis 609
Gorgias tumido stylo delectatus 679
Gorgiae olympica oratio celebris 695
Gorgias aiebat sibi orationem deesse non posse 737
Graecus interpres Arist. librorum de moribus ad Nicomachum lapsus 319
Graeci interpretis rhetoricae audacia 625. 630
Grandis σεμνὸς 165
Granditas ἡ σεμνότης 417
Gratiae definitio & loci 351

H

Habitus misericordiam implorantium 297. 653
Habitus qui 391
Halicarnassei liber de componendis verbis elegantissimus 610
Halicarnasseus de numerosa oratione Ciceroni consentiens ibid.
Halicarnassei locus in epistola ad Hammeum animaduertendus 473
Harmodius quidam Iphicrati infestissimus 482
Hebdomadis vis, elegia Solonis expressa 409
Hegesippi historia 489
Hegisandri Delphi commentarij 228
Helenae nuptiarum optio a patre data 522
Henricus Stephanus doctus vir, & egregius typographus 437
Heracliti Ephesij scripta, interpunctionibus vix distingui possunt 595
Hercules alexicacus 477
Hermogenes an recte παρομοίωσιν acceperit 636
Herodicus Selymbrianus infirmissima valetudine. 96. 100.
Herodotus a quibusdam Thurius, a quibusdam Halicarnasseus vocatur 624
Herodoti scripta cuius generis sint ibid.
Heroi pedes cur orationi non apti sint 616
Heroi pedes 615
Hesiodi locus a Democrito Chio leuiter immutatus. 631.
Hesione mater Teucri, Priami soror 714
Hidrieus Mausoli frater, Cariae regulus 583
Hieronymus Magius coniecturam Cyriaci Strozzae litteris prodidit 174
Hieronymus Mercurialis, summus medicus 647
Hipparchus tyrannus ab Harmodio & Aristogitone necatus 517
Hipparinus Dionysij collega 439
Hippias Athenarum rex 168
Hippolochus primus publice laudatus 174
Hippomachi nobilis aliptae arguta responsio de homine praelongo 98
Hippocratis filij hebetiores 413
Historicus 79
Histriones priscis temporibus non erant 541
Histriones plusquam poëtae ipsi valent 543
Hoc & hoc 597
Homerus summus in translationibus & imaginibus. 658. 659.
Homeri carmen κύκλος appellatum 723
Homeri poëmatis partes varijs nominibus appellatae 722
Homerus a Chijs honoratus 486
Homerus Sophocles epicus appellatus a Polemone. 584
Homines quibus in rebus iniuriosi 180
Homines in ijs rebus iniuriosi esse solent, ad quas aut naturae, aut consuetudinis vitio propensi sunt 180
Homines qui maiorē fidem & auctoritatē habent 205
Honestamenta, cicatrices 156
Honesti ac pulchri .i. τοῦ καλοῦ definitio 151
Honesti .i. τοῦ καλοῦ loci 157. &c.
Honestae res & honore dignae an eaedem omnino sint 167
Honestum & honorandum in quo differant ibid.
Honoris ac gloriae loci 93
Honorum genera 94
Horatius adstructione exaggerationeque & ipse vsus est 137
Horatij locus ab Aristotele sumptus 168
Horribilis φοβερός 315
Horribilium inter se comparatio 325
Humanum 242
Humida vina cur appellet Virgilius 575
Hygiaenon 713
Hypallage figura 581
Hypallagen, & abusionem Aristot. translationi subdit 651. 653
Hyperbolae ingeniosiores, metaphorae sunt 675
Hyperbole nomē Latinum nō habet apud Cic. ibid.
Hyperbolae quibus praecipue conueniant 677

I

Iambici orationi solutae simillimi 548. 617
Iambus nimis e vulgari sermone 617
Iasonis Thessali celebris sententia iniuste aliquid agendum, &c. 228
illiberalis animi signa 336
imaginum tractatio 581
imaginum cum metaphora similitudo & differentia. 582. 642. 671.
imagines in soluta oratione quae vtiles, & quae vitandae 582
imagines quae vrbanitatem afferunt 672
imagines hyperbolae sunt, locutionis forma differentes, 676
imitatio rerum molestarum non molesta 209
imperiti vulgo eruditiores habentur 460
impij a veteribus multi vocati 504
Incommodatio ἐπηρεασμὸς 280
Indigentia .i. δέησις quae 352
indignatio vim nemeseos non exprimit 372
indignatio liberrima ibid.
inductio quid sit, & quomodo conficiatur 40
inductio rhetoribus non valde apta 442
ingeniosi 412
inhumanum & immisericors dictum 607
inimicitiae tractatio 315
inimicitiae efficientia 316
iniuriarum genera 230. 232. 233
iniurijs qui maxime expositi sint, & loci 223
iniuriosi qui facile sint, & loci 214

Iniuste aliquid agendum, ei, qui magna quaedam iuste agere velit 228
iniustus qui vocetur 320
Insania ἀνώδυνον κακὸν 317
Insolubile vox Quintiliani ἄλυτον 55
instrumenta rhetorices enthymema & exemplum 38
interpres Graecus horum librorum audax in historijs confingendis 345
interrogationis vsus ac loci 744
interrogationes quo pacto eludere posimus 347
inuerecundia quid 334
inuidia misericordiae aduersatur 368
inuidiae definitio &c. 368.378
inuidentiam potius quam inuidiam appellat Cicero τὸν φθόνον 378
inuidiae loci .i. qui inuideant, & quibus & quas ob res ibidem.
inuidi laetantur aduersis rebus aliorum 384
inuitum aliquid agere, & non sponte, plurimum differt 191
inuite aliquid factum quomodo dicatur 296
inuitum etiam quaedam pati turpe 340
Iocus παρὰ προσδοκίαν 664
ioci vtiles 749
iocis multum tribuit Gorgias ibid.
iocorum explicatio & diuisio ibid.
Iphicratis oratio in Harmodium ab ipso, non a Lysia scripta 478
Iphicrates proditionis reus, quo pacto Aristophontem reppulerit 480
Iphicrates ignobilis fuit 138.168.482
Iphicratis fabula potior, Aristophontis histrio melior 480
ira quae fiant 189
iracundi simplicis ingenij sunt 164
irasci cur iucundum 199
iratum facere 277
irae definitio ibid.
irascimur singulis hominibus nō vniuerso generi 278
irae voluptas quaedam comitatur ibid.
iram tempestates, tempora, affectiones &c. facile excitant 287.288
irasci ijs, quos timemus, non possumus 298
ira quid ab odio differat 316
ira malis sedatur 317
ira animum addit 333.359
Qui facile irascantur, & quas ob causas 285
Quibus facile homines irascantur 289
ironia a Cicerone celebrata 750
Ismenias Thessalisci pater 485
Isocratis dictum de Euthyno 430
Isocrates scripsit orationes in genere iudiciali, sed non egit 175.176
Isocrates laudatorem Busiridis carpit 425
Isocrates ab Arist. reprehensus 605.719
Isocrates defensus contra Hieronymum peripateticum 686
Isocrati semper maledicebat Aristoteles 718
Isocrates in Antisthenem inuehitur in Helenae proaemio 694
Isocrates accurate contra calumniam disputauit 713
Isocrates in suasorijs orationibus etiam accusat 736
Isocr. oratio περὶ εἰρήνης, quondam συμμαχικὸς appellata 736
Isocr. oratio altera περὶ ἀντιδόσεως tempore amissa 742
Isthmia 575
Isthmos ibid.
iudices perfacile perturbationib. moueri solent. 12.13
iudices .i. existimatores apud Cic. 12
iudicialis generis partes accusatio & defēsio. 69. finis 79
Iudicium αἰκίας 361
Iudicium κακώσεως, vel κακίας 361
Iuncta verba Cic. διπλᾶ ὀνόματα appellat 570
iusiurandi loci 265
iuris ciuilis legumq; cognitio oratori necessaria 82
iuris non scripti partes duae 238
ius commune quid sit 231
iusiurandum dare 266
iusiurandum deferre ibid.
iusiurandum quid sit 265
iuste aliquid perpeti, turpe 156
iustitiae definitio 153
iustum esse an videri praestet 141

L

LAcaenae mulieres impudicae 91
Lacedaemon, alter Graeciae oculus 646
Laconicae calciamenti genus 664
Laedentes non ignoscunt 323
Lampo augur 745
Latere qui maxime possunt, & quibus in rebus 217
Latini paucorum numerum non distinguunt a multorum 534
Laudabilia Cic. ἐπαινετὰ 602
Laus ἔπαινος 169
Laudatio ἐγκώμιον ibid.
Laudatio rer. gestarum est 170
Laudandi ratio 737
Laudare se ipsum citra inuidiam qua ratione quis possit 742
Legum laus 82
Legum iudicia multo rectiora atq; incorruptiora 11.13
Legum duo genera 178.231
Contra leges loci 250
Pro leges scripta loci 251
Lenitas affectio, irae contraria, & eius explicatio 295
Lenes qui maxime sint, & quibus ibid.
Leodamas orator Aeschini magister 126
Leodamas reus factus a Thrasybulo 503
Leonum clementia 297
Leosthenes multa de se apud Athenienses gloriose praedicabat 587
Leucothea, matuta 505
Leuctrica calamitas Lacedaemonijs multis ostentis praedicta 352
Lex Locrensium de his, qui alterum tantum oculum habentem excaecassent 144
Lex lege indiget 500
Liberalitatis definitio 154
Liberales & fortes prae ceteris honorantur 307
Liberi patris ludos, Διονυσοκόλακες adornabant 469
Libertas quid sit 416
Libri x. de moribus ad Nicomachum, & x. de optimo statu reip. vno nomine πολιτικὰ ab Aristot. appellati 36
Lites & contentiosae disputationes quibusdam iucundae 204
Loci & elementa idem 535
Locrensium leges optimae 144
Locutionis fundamentū, pure & emendate loqui 589
Locutionis omnis sūma virtus, vt plana & aperta sit. 550
Locutio emendata & recta quib. in reb. posita sit 589
Logica facultas quae dicatur, & partes eius 19
Longinus magister dicendi nobilis 611
Luctus ac lamentatio delectationē quandā affert 201
Ludorum genera 203
Lumina plura in eadem sententia 636
Lunati calcei apud Romanos signum ingenuorū 162
Luxuriosus 165

Lycimnius sophista 566. idem poëta 679
Lycimnius nomina multa in rhetoricis finxit non necessaria 692
Lycophronis in verbis iunctis vitia 570
Lycurgus cur Lacedaemonios comā alere voluit 162
Lycurgus acerbissimus accusator 635
Lysias Attici sermonis norma 519

M

Macarismus & eudaemonismus idem 171
Magnificentia quid, & contrarium eius 154
Magnitudo corporis quae expetenda 98
Magnitudo animi quid 154
Magnitudinem animi non vno modo informat Arist. in libris de moribus, ac rhetorices ibid.
Magnitudinis & exiguitatis rerum loci 435
Maioragius fallitur in historia 256
Maioragius doctiss. viris maledicit 560
Maioragij error 573
Maioragius insolenter de se loquitur 645
Maiorum ἀδικημάτων loci 243
Mala quaedam cum laedunt, dolorem nō inurunt 317
Mala, quae cruciatum, & interitum afferunt, quae sint 361
Marathonia pugna Athen. 462
Marini Neapolitani Proclus liber 560
Mars communis 453
M. Bruti constantia in extremo vitae adhibita 367
M. Marcelli vox, ab Hannibale priore die victi 221
Mediae aetatis explicatio, & loci 407
Mediocritas in narrando, quae seruanda 720
Meleager fabula 497
Meleagri historia 292
Meleager fortissimus Graeciae 477
Melior .i. firmior & potentior apud Ciceronem 323
Melitus Socratis accusator 745
Memoria rer. praeteritarum 404
Membrum quid sit in periodo 629
Membra, versus aliquando appellat Cic. ibid.
Membra παρόμοια, quae sint, & quot modis effici possunt 637
Menalopus orator, a Callistrato reus factus, ob tres dimidiatos obolos Deo dicatos 244
Menander rhetor laudem & laudationem definiuit 169
Menandri scripta, in scena magis probata, quam domi, 680
Mercurius κοινός 512
Metaphora aptiss. oratori 555
Metaphorae laus 558
Methaphorae non longius transferendae 563
Metaphorae a rebus honestis ducendae 565
Metaphorae in iambicis aptissimus vsus 579
Metaphorae ineptae frigus gignunt ibid.
Metaphorae quib. rebus ineptae 579
Metaphorae quae vitandae 579
Metaphoram vocat Arist. & verborū immutationem, & abusionem 581
Metaphorae quo pacto in imagines vertantur 588. 643
Metaphorae quattuor genera 646
Metaph. a quib. rebus duci debeant 660
Metus φόβος 318
Metuere quae homines soleant, & terribilium loci 319
Metuentes qui sint 321
Metus a frigore proficiscitur 402
Metricum a rhythmico in quo discrepat ex Porphyrij sententia 611
Metrum a numero differt ibid.
Metrum quid sit ibid.
Metrum ab oratoribus repudiatum 611. 614. 615
Michaëlis Ephesij error 620
Michaël Sophianus summus Victorij amicus 718
Milciadis plebiscitum 647
Ministri magnae matris stipem cogebant 559
Minuendi bona & mala ratio, quae ὑποκορισμός dicitur 569
miserrimum spectatores habere miseriarum, qui fuerunt felicitatis 348
misericordia qui maxime moueantur 357
misericordia quibus rebus, & casibus maxime excitetur, 361
misericordia quorum nos maxime capiat 363
misericordia a peripateticis laudata 368
misericordiae definitio & loci 356
Merocles fur 649
mollis 417
mollitudo 337
mollitudinis signa ibid.
monarchia quid 146
monarchiae genera duo, regnum & tyrannis 147
monstra natura ne, an vero casu fiant 188
mores & natura dicentis, non oratio, persuadet, ex Menandro 33
mores ciuitatum, in quibus dicit repraesentare debet orator 147. 148
mores ex cognitione naturae vitiorum, ac virtutum comparantur 150
morum accurata explicatio 390
mores cogniti argumenta suppeditant, & cuius generis. ibidem.
morata oratione fides comparatur ibid.
mores Halicarnasseus quomodo diuidat ibid.
morosus 181
mors malorum extremum 303
mortalia mortalibus curanda an recte dictum 449
mos doctor. virorum, cum de re obscura ac difficili contendunt inter se 704
mos iudicum Athenis 250
motionum violentar. genera 98
mulae a Simonide carmine celebratae 569
mulas equarum filias appellauit Simonides, omissa asinorum mentione ibid.
munera vtilitatem & honestatem afferunt 95
mures a Polycrate Sophista laudati 511. 518
mures Aegyptijs opem tulerunt contra Arabas 518
Museum 576
mutare 276
mutatio an suauis sit 207
mysteria vnde appellata 511
Mysteria oratorum τὰ ῥητορικὰ 684

N

Nactus in malam partem apud Terentium 371
Narratio an omni generi conueniat 689
Narratio in deliberationibus fere non habet locum. 728.
Narratio defendentis, & rei qualis 721
Narratio morata esse debet 720
Et παθητική 726
Narrationis explicatio & loci 716
Narrationis locus 728
Natura quat. rerum causa 101
Natura quae fieri dicantur 188
Naturales res, in se causam inclusam habent contra atque ea, quae ab arte fiunt ibid.
Naturam rerum, & nominum significationem tenere debet orator 234. 236
Nausicrates orator 710
Necessitas odiosa & molesta 194
Nemesis misericordiae maxime aduersatur 367

Nemesis quid sit & loci eius 368
Nemesis bonae indolis est ibid.
Nemesis & inuidia in quo discrepent 369
Nemesis Latinum nomen non habet 372
Nemesis quibus rebus excitetur ibid.
Nemeseos loci, qui indignentur & quibus 374
Nemesis ad quos non pertingat 377
Nequid nimis 454
Nerui sapientiae qui sint Epicharmo Siculo 395
Nestor ἀγορητής appellatus ab Homero 78
Nicanor Macedo a Cassandro dolo necatus 474
Nicoratus poëta 673
Nihil dicere 603
Nicias orator 22
Niciae ingenium grauitatis & lenitatis plenum 417
Nireus, vno Homeri loco notissimus 683
Nobile 410
Nobilitatis loci 89
Nobilitatis natura, & nobilium mores 410
Nobile & generosum in quo differant ibid.
Nocere quid sit 178
Nominum pulchritudo, ac turpitudo quibus in rebus inueniatur 566.567
Nomina quaedam honestiora, quaedã turpiora ibid.
Nomina durius iuncta frigida sunt 570
Nomen facti aliquando negatur: aliquando res, quae illo nomine significatur 235
Nomina quaedam electionem: animiq; iudicium secũ ferunt 237
Nomina simulacra rerum 546
Nomina translata, iuncta, peregrina, orationem excolunt 550
Nomina externa quando frigus efficiant 572
Nominibus coniunctis vtendum duabus de causis 578
Nomina quae orationem perspicuam reddunt 591
Nominum genera tria 593
Nomina iuncta, externa, adposita quando orationi conueniant 607
Nomina similia quae appellet Arist. 637
Non virtus, non vitium 128
Nosce te ipsum 454
Nota propria certaq; τεκμήριον 56
Notae apud Cic. σημεῖα 332
Numeri sibi apte respondentes claram orationem reddunt 610
Numerosae orationis, accurata tractatio ibid.
Numerosum in oratione quibus rebus effici putauerit Cic. ibidem.
Numerus oratorius quid 610.611
Nutrimentum Cic. ψωμὸν 587

O

OBiectum ὑποκείμενον 182
Obscuram orationem quae reddant 596
Odium quod sit & quantum absit ab ira 317
Odium finiri ne aut migrari possit 316
Oedipus Carcini fabula 729
Oeneus Meleagri pater 477
Oligarchia .i. status paucorum quid 146
Oligoria & species eius 280
Olympiodorus Platonis interpres 546
Olympiodorus an recte locũ Platonis intellexerit 749
Onomarchus Phocensium imperator a Philippo victus 635
opinio de probitate dicentis 272
opinio de probitate dicentis, ipsa ne oratione paranda sit, an vero praecedere debeat in animis audientium 33
opinionibus omnia teneri putauit Democritus 347
Oppida Athenis δῆμοι appellabantur 500
oratio pro Nicia vitiosa 632
oratio morata, & eius vtilitas 31
orationis excultae vis 546
oratio qualis esse debeat 550
oratio clara quibus nominibus efficiatur ibid.
oratio quibus nominibus ornetur ibid.
orationis decorum quib. in rebus spectetur 552.601
oratio qua ratione fallere audientes possit 554
orationis partes apud veteres tantum tres 590
orationem grandem quae efficiant 597
oratio breuis concisaq; quomodo conficiatur 597
Oratio παθητική quae sit & quibus rebus efficiatur 602
orationis concitatae vis 603
Oratio ἠθική quae sit, & quibus efficiatur 604
oratio numerosa qualis esse debeat 610
orationis certis mensuris alligatae vitia 613
orationis nullis numeris distinctae vitia 614
Orationis connexae .i. εἰρομένης natura 624.625
orationis, quae ex membris constat duo genera 632
Orationis, quae periodis constat .i. κατεστραμμένης natura 625
oratio pro Nicia, ab ipso scripta, non a Lysia 632
orationes forenses ineptae cum leguntur 679
orationes domi scriptae, humiles, cum recitantur in foro. ibid.
orationes, quae vim in actione habent, insulsae videntur, cum leguntur 680
orationes demonstratiuae scribuntur, vt legantur 686
Oratio μεγαλοπρεπής aliter a Demetrio capitur quam ab Aristotele ibid.
orationis partium ordo tractatur 687
orationis partes duae propriae, propositio & fides 688
orationis partiũ diuisio Aristotelis ab alijs diuersa 689
orationis partes cum plures sunt quattuor 691
orationi tria maxime vrbanitatem afferunt 646
orator etiam syllogismo vti potest 48
oratoris officia 5
ornatus verborum poëtarum proprius 552
ornandi & infirmandi ratio 600

P

PActa & conuenta, συνθῆκαι 261
Pactor. & conuentorum loci 262
Contra pacta & conuenta loci ibid.
paeanes maxime ab Arist. probati 612
paeanis natura 619
paean a Trasymacho primum in orationem immixtus. ibid.
paeanis natura ab antiquis non intellecta ibid.
paeanum duo genera, & vsus eorum 621
paeanum vsus in canendis laudibus Apollinis 622
Pamphili ars quibus constabat 499
Pan canis appellatus a Dijs 512
Pan Tegeaeus 138
Pancratiastes qualis 99
Paralus nauis 648
Parhalus heros quidam ibid.
Par impar ludere 593
Pares similesq; qui sint 338.365
Parietinae ἐρείπια 673
Patis oratio 519
parentum scelera, filijs pudorem afferunt 349
paruipensio 279
paruipensionis .i. oligoriae species tres 280
Parodiae ad iocandum perutiles 631
Patera clipeus Liberi patris 671.672
paucorum numerum vocat Arist. quem posteriores δυϊκὸν 594

Peccata aliorũ qui maxime cõmemorare soleant 344
pecuniae publicae parandae rationes ac loci 79
pedes alij ab Arist. alij ab Cic. probati 612. 613
pedum omniũ natura ab Halicarnasseo diligenter declarata 613
pedes abiectiores, quo pacto emendari possint ibid.
pedes simplices xij. 616
pedes qui repudiandi, & qui retinendi 620
Pelopidas Thebanus minime ad rem attentus 402
Pentathlos 97
Penthei nomen 507
Peparethus insula 484
Periandri poëma, Tenedijs cõtra Sigienses vsui fuit 255
periculum quid sit 320
Periclis filij hebetes ingenij 413
Periclis vox de Samijs 586
Periclis vox de iuuenibus in bello occisis 646
Periodus quomodo a veteribus Latinis appelletur 625
Periodus quid ibid.
Periodum duo genera 628
Periodum appellat Arist. etiam, quae vno membro constat 629
periurium quid 269
peroratio demonstratiuo generi non conuenit 689
perorationis vsus in iudiciali genere 690
perorationes in Ariopago Atheniensium plebiscito prohibebantur 10
perorationis partes 750
perorationem quomodo vocet Quintilianus ibid.
Persarum humilis institutio 550
Persae Timothei poëma 665
persuadibile 26. 43
personas expendere, apud quas orator dicit, plurimum refert 166
Perturbationum .i. τῶν παθῶν definitio 276
perturbationes appetitionis sunt 277
In perturbationibus tria consideranda ibid.
Phaeaces orator Alcibiadis aemulus 22
Phereus Iason fortunae beneficio sanatus 101
phantasia 279
phantasia, an sensus 197
Philammon athleta 674
Philemon nobilis comicus 681
Philemon histrio ibid.
Philetas Cous elegorum poëta 587
Philippi regis Macedonũ patrum Persei saeuitia 256
Philippides homo pertenuis 587
Philoctetis historia 685
Philocrates prudenter causam dicere apud populum iratum noluit 300
Philomelus concitator sacri belli 254
Philomela in hirundinem mutatam putant quidam, Prognem in Lusciniam 581
Philoponi error 52
Philostratus ὀλυμπικὸν λόγον Gorgiae in vita ipsius magnopere laudat 695
Phocenses Delphici oraculi praesides auctore Homero 254
Phocicum bellum sacrum appellatum 470
Phocionis vox grauis & prudens in Athenienses 646
Phocionis vox elegans aduersus Leosthenem 587
Phormionis parasiti nomen 353
Phormos ibid.
Phryne meretrix calliditate Hiperidis absoluta 10
Physiognomica scripsit Arist. quae tamen in his libris contemnit 187
Pisistratus qua ratione ad dominationẽ peruenerit 60
Pitholai, Lycophronis, Tisiphonis fratrum Thebes vxoris Alexandri Pherei historia 635
Pittaci voces quaedam 394
Pittacus legum lator in primis nobilis 529
Plato a quibusdam reprehensus, quod nimis grandem locutionem secutus fuerit 575
Plato etiam viuens magna auctoritate fuit 257
Platoni vitio datum, Callippum in eius auditoribus fuisse 349
Plato an vitiose, leges, πόλεως βασιλεῖς νόμους, appellarit 575
Plato ab Athenaeo reprehensus in Charmide 577
Plautus in sermone excellit 679
Plexippus & Toxeus fratres Meleagri auunculi ab ipso necati 292
Plutarchus non conuenit cum Cicerone de nomine eius, qui rationem reddidit, cur templum Dianae Ephesiae deflagrasset 570
Plutarchus in Alexandro dicit frigus oriri e sententijs ineptis & incredibilibus 570
poësis res diuina 609
poëtae anagnostici qui 679
poëtar. proaemia 698
poëtae liberiores in epithetorum vsu 573
poëtica locutio priscis oratoribus in vsu 547
poëtarum figmenta flosculis spoliata, inepta & insulsa, ibid.
poëtae tragici priscis temporibus tetrametris maxime vsi 548
poëtica locutio ab oratione longe seiuncta 547
poëta, Homerus intelligitur 139
poëtae ipsi priscis tẽporib. suas fabulas recitabant 541
poëtica locutio in oratione & frigus & obscuritatem gignit 577
polus, polus ab Herodico dictus 506
polus tumido stylo delectatus 679
Polybij Megalopolitani disputatio περὶ διαιρέσεων 487
Polycrates sophista Busiridis laudationem & Socratis vituperationem confecit 177
Polycrates sophista argumẽta infamia sectari solitus 511
Polycratis laudatio in Thrasybulum 514
Polyeuenus Sphettius Atheniis orator 649
ponere in laude 72
Porphyrius contra sententiam Aristotelis non putat vocari translationẽ, cum res aliqua, nomine carens, alieno vocatur, sed ὁμωνυμικῶς 564
Porphyrius a calumnia defensus 50
postrema syllaba longa an breuis sit, quãti referat 612
Pratys poëta ῥαψῳδός 673
praeceptiones in laudationes facile conuerti possunt, & contra 172
Praecise ἐλλειπτικῶς 515
Praetelli dictum acutũ in Boeotiorum ingluuiem 103
Pretium τιμή 283
primus syllogismus 48
Probatio, πίστις 17
Probationes ab Arist. primum diuisae in ἐντέχνους, & ἀτέχνους 29
probationum artificiosarum tria genera 30
probationes artis expertes v. numero 249
probationes dicuntur, & quae confirmant, & quae refellunt 691
probatio orationis pars tractatur 730
probationes iudicialis generis ibid.
probationes demonstratiui generis 731
probationes deliberatiui generis ibid.
probationes quãdo praecedere debent cõfutationẽ 739
probitas dicenti fidem conciliat 274. 275
Prochles Phliasius suasit pacem inter Lacedaem. & Atheniens. 588
Prodici vox ad discipulos parum attentos 705
prologus qui in comaedijs & tragaedijs 699
Prometheus tyrannus fortunae beneficio sanatus 101
pronuntiari commodissime possunt quae, & legi 594

Proaemij vsus 690
proaemij tractatio 693
proaemia quae demonstratiuo generi aptissima ibid.
proaemium Isocratis in Helena 694
proaemia in demonstratiuo genere vnde ducatur 695
proaemia generis iudicialis 697
proaemio quando supersederi potest 700
proaemia in iudicialibus a quib. rebus ducantur ibid.
proaemium apud bonos iudices necessarium 703
proaemij, an sit attentum reddere auditorem ibid.
proaem: deliberatiui generis 707
propinquus qui 482
Propositiones & proposita προτάσεις 64
Proportio .i. ἀνάλογον in translatione 588
Propria certaq; nota τεκμήριον 52.56
propria argumenta 467
Protagoras Abderites primus genera nominum distinxit 593
Protagoras auctor arrogantis vocis 526
Prouentus poëtarum μεταφορικῶς 411
prouerbiorum & sententiarum similitudo & dissimilitudo 453
prouerbia translationes sunt & cuius generis 674
prudentes qui maxime sint 342
prudentiae definitio 155
prudentia, magnam fidem dicenti conciliat 274.275
Psammenitus historia ex Herodoto 364
pueros cũ beluis saepe coniungit Aristoteles 205.347
pulchrum 151
pulchritudinis definitio per omnes aetates 96
pulchritudinis vis 342
Pythagorae de consuetudine sententia celebris 190
Pythea scriptor τῆς περιόδων 84

PROVERBIA, ET SENTENTIAE, quae vim prouerbiorum obtinuere.

Τὰ κακὰ συνάγει τοὺς ἀνθρώπους 111
Επὶ θύραις τὴν ὑδρίαν ibid.
Aqua & ignis &c. 127
Πάντα περὶ πάντων 152
Τὸ συγγενές σοι καὶ φθονεῖν ἐπίσταται 210.381
Ηλιξ ἥλικα τέρπει 210
Αεὶ τὸ ὅμοιον 211
Εγνώκει θὴρ θῆρα ibid.
Αεὶ κολοιὸς παρὰ κολοιὸν ibid.
Εγνω δὲ φὼρ τε φῶρα, καὶ λύκος λύκον ibid.
Οργὴ δὲ φίλων μικρὸν ἰσχύσει χρόνον 216
Μυσῶν λεία 224
Προφάσεως δέεται μόνον ἡ πονηρία 225
Μήποτ' οὖ ἕρδειν γέροντα 256
Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλίποι. 256.453.
Κεραμεὺς κεραμεῖ 311.382
Γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος 330
Κἂν ἀπὸ νεκροῦ φέρειν 335
Εν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ 342
Cum mortuis non nisi laruas luctari 381
Ανδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα 411
Ξυνὸς ἐνυάλιος 452
Αττικὸς πάροικος 453
Τὸ ἔλος πρίασθαι καὶ τοὺς ἅλας 492
Κοινὸς ἑρμῆς 512
Καύνιος ἔρως 528
Προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ 606
Ο καρπάθιος τὸν λαγώ 674
Ο τὴν δοκὸν φέρων 682
Εκ χειρὸς εἰς χεῖρα 698
Ο Αλκίνου ἀπόλογος. 722

Q

QVaestiones βάσανοι 264
Quaestionum loci ibid.
Quieti ac cessationi Hieronymus & Epicurus nimium tribuerunt 195
Quinquertium 99
Quintiliani locus animaduertendus de officio ac fine rhetorices 25
Quintiliani lapsus de officio ac fine medici 26
Quint. falso Aristotelis definitionem criminatus 28
Quint. signa pro εἰκότα non recte accipere videtur 56
Quint. non recte argumentationem a coniugatis contempsit 138
Quint. an recte putarit Arist. genus demonstratiuum a negotiali remouisse 149
Quint. an recte diuisionem librorum Arist. protulerit 235
Quint. non recte partem de moribus & naturis cognoscendis contempsit 390
Quint. causam cur de moribus in his libris tractet Aristot. non assecutus. ibid.
Quint. affirmat Arist. vberius locum de morib. tractasse, quam nunc in his libris legatur 419
Quint. argumenta a nomine contemnit 506
Quint. praeceptum de numeris mutandis an consentiat Arist. 598
Quint. contra Cic. de pedib. copiose disputauit 612
Quint. non recte accipit praeceptum Arist. de dictione demonstratiua 685
Quint. imperite Arist. sententiam de refutatione reprehendit 691
Quint. an recte contra Arist. locum disputauerit 701
Quint. an recte vocem Prodici acceperit 705
Quint. ab Arist. dissentit ibid.

R

RAtio 152
Ratio dicendi & disserendi cur δυνάμεις a Graecis appellatae 28
Ratio excitandi auditores 605
Recordatio & spes voluptatem gignunt 197
Recordatio praeteritar. rerum est 197
Referre gratiam μεταφορικῶς apud Terent. 318
Reformidatio ibid.
Refutatio τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον 689
Refutatio, probationis pars 691.738
Regnare μεταφορικῶς 213
Relatio ad res augendas plurimum valet 683
Relatio ἐπαναφορά 682
Relaxatio 195
Reliqua ἐλλείμματα 239
Reliquiae cibi, περιπήματα a Cic. vocatur 581
Remedia audacium translationum μειλίγματα appellat Arist. & Theophr. 579
Remedium hostilis irae, mortisq; vitandae 297
Remittere 405
Repraesentatio rerum acerbarum ad misericordiam excitandam qualis 365
Res honore dignae ad honestas transferendae sunt laudantibus 166
Respublicae quomodo corrumpantur 83

Rerump. natura oratori cognita esse debet ibid.
Respondere quomodo oporteat 747
Rhadamantys & Palamedes facetiar. inuentores 682
Rhetorice quomodo vocatur a Cic. 3
Rhetor. 42
Rhetorices officium, & finis 25
Rhetorice quid sit Aristoteli 28
Rhetorices similitudo cum dialectica & politica 35.77
Rhetorices & dialecticae materia quae sit 45
Rhetoricae partes tres a generibus auditorum sumptae 67.68
Rhetoricae lib ij. an lacer fractusq; sit 419
Rhetoricae partes 540
Rhetorica ad Theodectem cuius sit 639
Rhythmi ad singulas animi commotiones, alij adhibendi 542
Rhythmorum vis in animis perturbandis & sedandis. ibidem.
Rhythmus ab oratoribus receptus & quomodo 611.615
Ricini 440
Ridicula iucunda 214
Rolandi ensis in manu Terigis 702
Rumor ac fama, ἀκοή 257
Rustici facile sententias pronuntiant 451
Rusticis vrbanae res inutiles 226
Rusticorum laus 307

S

SAlacones 414
Salaminia pugna naualis Atheniensium 462
Sales παρὰ γράμμα 663. 664
saluum e magnis iudiciorum periculis euasisse animũ dat ad noua scelera molienda 220
Samiorum agros Athenienses suis ciuibus diuiserunt 348
sanitas quae in bonis ducenda 96
sapientibus cur nulla praemia statuta, quemadmodũ victoribus 695
sapientiae vulgaris definitio 213
Sappho in poëmatibus clarissima 486
Satyrus Graecus auctor 337
Satyrus comicus 645
Scientia .i. ἐπιστήμη 38
sciron latro 572
scopae Thessali de rebus superuacaneis vox celebris 115
scripta maior. poëtarum thuri destinabantur 181
Scriptio πραγματεία 15
scripti & sententiae controuersia ex aequo bonoq; nascitur 242
scurrilitas libero homine indigna 750
semen vsurpatum a M. Cicerone pro initio, quemadmodum σπέρμα a Graecis 125
senectus commoda & bona quae appelletur 99
sensus praesentium est 197
sensus & opiniones auditorum indagare debent oratores 458
sententia Plauti a Christiano scriptore exagitata 448
sententiarum vsus & tractatio 444
sententiae definitio ex Arist. & Cornificio ibid.
sententiarum duo genera: species quattuor. 444 446. 447.
sententiae quibus rebus & locis, & hominibus aptae sint 444
sententiarum communium vsus 452
sententiae peruulgatae quandoq; impugnandae 454
sententiarum vtilitas 459
sententiae quando vtiliter adhibentur 734
senum natura & mores 400
seruire pecuniae, numeris, voluptati 405
sestus arca Piraeei 648
Sexti Empyrici locus 7
Sidero, saeuissima mulier 506
Signa apud Cic. σημεῖα 332
Signatores, ἐπιγεγραμμένοι 261
signorum duo genera 51
Signum necessarium τεκμήριον 52
Signum non necessarium ἀνώνυμον ibid.
Signum, quod mediam sedẽ tenet, τεκμήριον 55
signorum omnis generis accurata tractatio 56
signa etiam rerum, quae sensu non percipiuntur, nec non rerum futurarum 57
A signis affirmando & negando argumẽta ducuntur 58
signorum callida interpretatio 497
signa quomodo dissoluantur 533
Simonides melicus magni ingenij poëta 568
Simonides auarus ibid.
Simonidis carmen in Harmodium & Aristogitonem, ex Ephestione 174
Simonidis dictum de sapientibus & diuitibus 415
Simplicius auctor putatur commentariorum in librũ Arist. de animo 167
Sin. & si non εἰ δὲ μή 312
sinnis latro 572
socrates in disputationibus suis inductione plurimum vsus 42
socratis sententia, perpeti quam facere iniuriam praestat 132
socrates omnem virtutem in ratione esse dixerat, contra atq; Arist. 188
socrati vitio datum, quod Alcibiadem auditorem habuisset 349
socrates filij stolidi, & hebetes 413
socrates reges quosdam contempsit 483
socratis oratio in Phaedro elatior. 609
socratis sermones qui sint ibid.
Sodales ἑταῖροι 315
sodales qui eiusdem familiae erant 489
sollertia 109
solaecismum quae faciant 596
solon ab alio quippiam sumere, cum pauper esset, non passus est 337
solon legislator, & poëta 409
solon versum in Homerum inculcasse putatus est 254
solon & Anacreon celebrarunt carminibus suis Critiae stirpem 255
sophista 27
sophistae inferiorẽ causam superiorem se efficere posse profitebantur 525
sophistae in suis laudationibus rerum absurdar. argumentis vtebantur 520
sophistarum verisimile Halicarnasseus pessimum omnium ac malitiae plenissimum vocat ibid.
sophocles poëta lasciuiusculus 405
sophocles Homerus tragicus 584
sophoclis dictum de sua aetate 711
sophocles alter a poëta, nobilis Atheniensis 748
sordidi animi notae 335
spes rerum futurarum est 197.404
sponte aliquid facere, & cum electione non idem est. ibidem.
speusippus physicus 556
stasinus poëta 453
statua regis Aegyptiorum murem manu gestans 518
status causarum non ad iudiciales tantum materias pertinent 732
stesichori apologus de equo & ceruo 438
sthelenus poëta 601
stilbo Thessalisci pater 485
stoici misericordiam a sapiente remouẽt 362
Stoici in notione βουλήσεως peripateticis consentiunt 184

Stoicorum monimenta aetate Simplicij amissa 557
Stratoclis assentatio flagitiosa 67
Studia oratorum, τὰ ῥητορικὰ appellat Cic. 684
suasio 68
Sudas lapsus in expositione prouerbi μυσῶν λεία 224
Sugillatum ὑπώπιον 675
sumptio minoris mali, maiore reiecto, in bonis ponitur 191
Superiectio ὑπερβολὴ apud Quint. 675
supplicio sceleftorum misericordia commoueri non debemus 370
surdum caput apud Platonem 303
sustinere quaestionem 5
Sylla dictator morũ, farina respersum, appellatus 675
syllabae longae maiores & minores longae appellatae a rhythmicis 622
syllogismi definitio alia ab Aristot. alijs locis allata est 41
syllogismus politicus, oratorius 461
syllogismi primae figurae necessarij: aliar. figurarum infirmi 53
synonyma quae appellet Arist. 556

T

TAlis .i. astragalis veteres ludere solebant 203
Tantillus 451
Tecmeria quomodo dissolui possint 534
Tecmerium a veteribus non paucis scriptoribus saepe capitur pro omni nota, & non pro certa tantum veraq; 53
Tegea oppidum Arcadiae 138
Temperantia quid 153
Tempora alia alij parti rhetorices magis apta 69. 70
Tempora & occasiones res claras clariores reddunt, & contra 173
Tempus quid 610
Terentius mores egregie exprimit 679
Terentij nomine, ipsius fabulas intelligimus ibid.
Terentius insimulatus a criticis ob sententiam positam in ore serui 454
Terribilis φοβερός 315
Testium genera 254
Pro testibus loci ibid.
Testes alicuius atrocis facinoris metuuntur, & causa, 321
Tetrametra paene currunt 618
Teumessus collis agri Boeotij ab Antimacho celebratus 600
Teucer fabula 714
Theagenes qua ratione apud Megarenses dominatum arripuerit 61
Thebani contra Phocenses adiuti a Philippo 479
Thebanorum gloria cum Epaminonda & Pelopida floruit & obijt 487
Themistocles oraculi testimonio vsus, cum ad naues ciues suos confugere hortaretur 256
Themistoclis de malo vicino iudicium 457
Themistoclis consilium de classe Lacedaemoniorum incendenda 71
Themistoclis acutum dictum in ciues suos 586
Theognis vetus poëta 671
Theognis sententiam egregiam de necessitate ab Eueno mutuatus 194
Theodectes Phaselites Aristot. sodalis orator, & poëta, 474
Theodectes oratorem pro Socrate scripsit 490
Theodectis Orestes 514
Theodectes scripsit de arte dicendi 639
Theodamantis dictum in Archidamum 584
Theodori histrionis vox 553
Theodorus Byzantius, nimis multas partes orationis faciebat 691
Theodori ars oratoria inchoata 506
Theon rhetor. 436
Theophrasto attributus commentarius, quo natura & mores hominum describuntur 244. 618. 724
Theophrastus tria genera anthites. ponit. Arist. duo 632
Theron Aenesidemi f. Geloni gener. 228
Thespis inuentor Tragaediae 541
Thestij filij a Meleagro occisi 477
Thrasybulus xxx. tyrannos Athenis exegit 503. 514
Thrasybulus a Conone thrasybulus appellatus 506
Thrasymachus Eleus iustitiam malam esse probare conatus est 464
Thrasymachum Herodicus thrasymachum appellare solitus 506
Trasymachus Chalcedonius quaedam de actione praecipit ibid.
Thratta mulier 664
Thucydidis locutio reprehensa 574. 598
Timidi qui maxime sint 325
Timor homines accuratos in consilijs capiendis facit 328
Timon μισάνθρωπος 360
Topica vtilis πρὸς γυμναστικήν 22
Topica, facultatem ipsam locos inueniendi appellat Arist. 484. 523. 537. 747
Tormenta βάσανοι 264
Tragicum 579
Tragicus orator 579
Translatio in omni oratione frequentissima 556
Translationum remedia inquit Longinus ab Arist. & Theophr. vocari μειλίγματα 579
Translationum origo 563
Translationes ab omnibus sensibus ducuntur 567
Translationes & imagines vrbanitatem praecipue efficiunt 642. 643. 661
Translationes optimae apud Virgilium 659
Translator. verborum vsus ad ornandum & extenuandum 559
In translationibus quo pacto peccari soleat 562
Trapezuntius an recte interpretatus definitionem periodi 625
Trochaeus nimis incitatus ac tener. 618
Tuendorum finium cognitio necessaria consultãti 81
Turbare 745
Turpia ad opinionem & ad veritatem 312
Tympana gestabant ministri magnae matris 560
Tyndaridae Leucippi filias rapuerunt 477

V

VEnire μεταφορικῶς 613
Venti καθαροί 711
Ventus, & ventosus 37
Verba antiquorum in foederibus faciendis 369
Verba inusitata quae appellauerit Cicero 555
Verba iuncta, etiam ex propositionibus & verbis appellantur 571
Verba coniuncta dithyrambicis aptissima 579
Verecundiam Aristot. inter animi perturbationes ponit 334
Verecundia quibus rebus excitetur 334
Verecundiae definitio ibid.
Quor. nos maxime pudeat 340. 347
Quos maxime aestimemus 341
Verecundia qui maxime teneantur 347
Verecundiae in oratione seruandae ratio 597
Verisimile .i. εἰκός quid sit 50
Verisimile a signo quid differat 56. 57

Verisimilia maiorem vim ad probandum habent, quã signa ἀνάγκαια 58
Verisimilia, reb. confirmandis & refellendis apta ibid.
Verisimilia quomodo refellantur 531
Vestimenta Caesaris populum R. in furorẽ egere 367
Veteris comaediae poëtae 344
Vi, quae fieri dicantur 189
Vicinum malum nos perturbat 364
Vicinum probis hominibus malum misericordiam excitat ibid.
Victorius studet gratum facere studiosis 587
Victorius non omnino assentitur opinioni Halicarnassei 475
Victorius semper pepercit honori summor. virorũ 560
Vinacia 500
Vinum nouum contumeliosum ab Aeliano eleganter appellatum 282
Vinum audaces facit 395
Vinum mixtum suspectum potoribus 553
Vir tetragonus 656
Vires corporis quibus in rebus perspiciantur 98
Virgilius εὐδαίμονα felicem reddidit, nomine non satis apto illi Graeco, Latine exprimendo 100
Virtus 274
Virtutis definitio 152
Virtutis partes aut species ibid.
Virtutes ἠθικαὶ ibid.
Virtutes διανοητικαὶ, ἢ λογικαὶ ibid.
Virtutis operam 637
Virtutis notae ac signa 156
Virtutem laudatam crescere, a Graeco poëta sumptum 151
Virtus & laudari & praecipi potest 171
Virtus contumelia affecta terribilis 321
Visio φαντασία 279
Visio optabilior olfactu 229
Vitia honestari, & virtutes inquinari qua ratione possint 163. 164
Vitia corporis amatoribus saepe grata 163
Vitia, quae virtutem videntur imitari, diligenter cauenda 164
Vitium & incontinentia impellunt homines ad iniuriam faciendam 180
Vituperare alium citra reprehensionem quo pacto possimus 742
Vno contentum esse, ἑνὸς ἀγαπᾶν 483
Vocis magnitudo & exiguitas quae spectanda 542
Vocis tonus .i. harmonia 543
Voces quae ab oratoribus captari & quae vitari debeant 554
Voces propriae aptissimae oratori 555
Voces ambiguae sophistis maxime vsui 556
Voces synonymae poëtis sectandae ibid.
Voces externae epicis poëtis aptissimae 578
Volumnij eutrapeli faceta ratio laedendi 399. 497
Voluntas βούλησις 184
Voluntas προαίρεσις a Cic. saepe dicitur 725
Voluptas aliud est Aristoteli, aliud indolentia contra Epicurum 142
Voluptas quid sit 192
Voluptates honestae temperantium magnae atque sincerae 186
Voluptatis & iucundi .i. τοῦ ἡδέος loci 193
Vox maxime ad imitationem adposita 547
Vox improbi rhetoris, a Ptolemaeo adhibiti in consilium de tollendo Cn. Magno 453
Vrbanitas 640
Vrbanitatis loci & tractatio 641
Vti 9
Vtilitas rhetorices 21

X

Xenophanis dictum de iure iurando 167
Xenophanis consilium Elaeatis datum de Leucothea 504



INDEX GRAECORVM VERBORVM.

Ἀγαθὰ 715
Ἀγαθὸν τοῦτο 40.441
Ἄγαν 398
Ἀγαπητὸν 143
Ἀγκὼν 709
Ἄγνοια 36
Ἀγροικεῖν 78
Ἀγροίτης ibid.
Ἀγύρται 559
Ἀγχίνοια 109
Ἀγχιστεία 349
Ἀγῶνες 421.679
Ἀγωνία 159
Ἀγωνιᾶν ibid.
Ἀγωνίζεσθαι 544
Ἀγωνιστικὴ locutio 678
Ἀδιάφορα 229
Ἀδικεῖσθαι quid 233
Ἀδίκημα 241
Ἀδολεσχία 577
Ἀδοξοῦντες 260
Ἄθυρμα 572
Ἄθυτα ἱερὰ 452
Αἰκία 226
Αἱρεῖν 98
Αἰδεῖσθαι 317
Αἰσυμνῆται 60
Αἰσχυντηλὰ 338
Αἰτίαν ἔχειν 516.731
Ἀκμὴ 407.585
Ἀκοὴ rumor ac fama 257
Ἀκρατεῖς vnde appellati 221
Ἄκρατον 573
Ἀκριβεῖς τέχναι 615
Ἀκριβῶς ibid.
Ἀκρόχολος 324
Ἀλαζὼν 27.338.410
Ἀλγηδὼν 319
Ἀληθὲς 13.375.669
Ἀλλότριον ὄνομα 555
Ἀλόγιστος 358
Ἄλυτον 55
Ἀλφάνειν 445
Ἁμάρτημα 241.711
Ἀμέλεια 195
Ἀμφισβητεῖν 110
Ἀμφισβητήσιμα ibid.
Ἀμφισβητήσεις 11
Ἀμφισβητούμενον 447
Ἂν bis in eodem membro apud Atticos 605
Ἀναβολὴ 623.631
Ἀναγνωστικοὶ poëtae 679
Ἀναδίδωμι 411
Ἀναιρετικὰ καὶ φθαρτικὰ quid differant 361
Ἀνακινῆσαι 709
Ἀνακεφαλαίωσις 754
Ἀναλγησία 164
Ἀνάλογον in translationibus 588
Ἀναμάχεσθαι 220
Ἀνάσχετος 667
Ἀνατρέψαι 485
Ἀνδραποδώδεις 377
Ἀνδρῶν πρῶτοι 412
Ἀνείκασι 405
Ἀνέος 586
Ἀνθρώπινον 202
Ἀνοίγειν μεταφορικῶς 626
Ἀνομολογούμενα 469
Ἀνομολογούμενα συνάγειν ibid.
Ἀνταπόδοσις 588
Ἀντιδρᾶν 282
Ἀντίκρουσις 630
Ἀντιλογίαν ἔχειν 741
Ἀντίμιμον 577
Ἀντιλυπῆσαι 318
Ἀντιποιεῖν 282
Ἀντιπαραβολὴ 689.754
Ἀντιστροφὴ 123
Ἀντίστροφος 1.2
Ἀντὶ & composita 2.527
Ἀντιστρέφειν τὴν ἀκολούθησιν 56
Ἀντισυλλογίσασθαι 526
Ἀντιφατικὰ opposita, Cic. negantia 113
Ἀνώνυμα 564
Ἀξιόπιστος 31
Ἀξιόπιστον ἦθος ibid.
Ἀπάθεια 273
Ἀπαθὴς 330.334
Ἀπαιδευσία 37
Ἀπαλλαγὴ 191
Ἀπαλλοτριῶσαι 92
Ἀπανθίσαι 586
Ἀπαντᾶν 739
Ἀπατᾶσθαι 181
Ἀπειρῆσθαι 231
Ἀπεψυγμένοι 327
Ἁπλοῦς 47
Ἁπλῶς ibid. 131.426.523
Ἀπὸ ταὐτομάτου 6.7
Ἀποβαίνοντα Cic. euenta 128
Ἀπόδειξις 689
Ἀποδοῦναι 355
Ἀποκόπτεσθαι 622
Ἀπολαυστικὰ 92.223
Ἀπόλαυσις, & πρὸς ἀπόλαυσιν. 97. 223.633
Ἀπόνια 195
Ἀπόπατος 581
Ἀποτροπὴ 68
Ἀποτυμπανίζεσθαι 327
Ἀπὸ τύχης 169
Ἀπάμοτον 742
Ἀργυρογνώμων 251
Ἀργὸς 637
Ἀρετὴ λέξεως, ἀποδείξεως μεταφορικῶς 550
Ἀριθμὸς 614
Ἀρίστη γνώμη κρίνειν quid sit. 250. 252.532
Ἀρτιάζειν 593
Ἄρχειν χειρῶν ἀδίκων 522
Ἀρχὴ 667
Ἀσεβεῖν εἰς ἱερὸν 490
Ἀσελγὴς 255
Ἀσιλλα 138
Ἀστεῖα 640
Ἀσχγάλισις 203
Ἀσφαλῆ praedia 91
Ἄσωτος 165
Ἀταθαλία 572
Ἀτίμητον 283
Ἀτιμῶσαι 283
Ἀτύχημα 241.711
Αὐγὴ 232
Αὐτάρκεια 86
Αὐταρκεῖς 104
Αὐθάδης 578
Αὐτοδίδακτος 139
Αὐτοκάβδαλα 601.708
Αὐτοκράτορες 438
Αὐτουργὸς 226
Αὐτοφυὲς κάλλος 139
Αὐτόχθονες 89
Ἄφετος 657
Ἀφροδίτη 507
Ἀφροσύνη ibid.
Ἀφρὸς ibid.
Ἀχαριστεῖν 355
Ἀχάριστος 354.356
Ἀχαρίστους ποιεῖν 354
Αψίκορος 393

B

Βάναυσοι τέχναι 162
Βάρος 417
Βαρὺς ibid.
Βαρύτης ibid.
Βασανίζειν 264
Βαστάσαι 679
Βδελυρία 512
Βλαισοὶ 493

Βλαίσωσις

Βλαίσωσις 493
Βουθεῖν 72
Βοτρυδὸν 589
Βουλεύεσθαι 76
Βουλευτὰ quae sint ibid.
Βούλησις 184
Βούλομαι 481

Γ

Γὰρ positum pro δὲ 150
Γὰρ 37.386
Γελοῖον 407
Γένος 25.29.60.61.66
Γενέσθαι futuri temporis 75
Γενναῖον 410
Γέρα 94
Γέροντες 486
Γερουσία ibid.
Γῆς περίοδοι 84
Γλῶττα 429.572
Γνώμη 532
Γνωμοτύποι 451
Γνωρίζειν, πάθος quandoq; significat apud Atticos 4
Γραφεὺς 622
Γραφικὴ locutio 678
Γρυπότης 83

Δ

Δᾳδοῦχος 559
Δαπάνη 81
Δὲ 18.74.214.280
Δεήσεις 352
Δεῖ λόγου 420
Δεῖται λόγου ibid.
Δεινὰ 329
Δεινὸς 225
Δεινὸς εἰπεῖν, ἢ πρᾶξαι ibid.
Δέλτος 598
Δέομαι 225
Δημαγωγὸς 438
Δημηγορία 441
Δημηγορικὸν γένος ibid.
Διὰ passim ab Atticis scriptoribus omittitur 370
Διαβάλλεσθαι 553
Διαβολὴ 8.709
Διάθεσις 218.288
Δίαιτα 243
Διαιτητὰ 661
Διαιρέσεις Arist. comment. 40
Διάνοια 152
Διὰ πολλῶν 46
Διὰ πυλῶν 350
Διαπτυχαὶ πολύθυροι 598
Διασείειν 727
Διαστρέφειν 10
Διαστροφὴ ibid.
Διασύρειν 739
Διασυρμός ibid.
Διαφερόντως 379
Διαφθοραὶ κριτῶν 219
Διαφορὰ 692
Διάχυσις 192
Διαχωρῆσαι 227
Διαψεύδεσθαι 274
Διεσπάσθαι 362
Δὶ ἰῶ 153
Διιέναι 480
Διισχυρίζεσθαι 398
Δίκη ibid.
Δικολογεῖν 176
Διὸ 483
Διονυσοκόλακες 561
Διόνυσος ibid.
Διορίζειν 14
Δίωσις δίκης 219
Δοκεῖ 152
Δοκιμαστὴς 251
Δολιχοδρόμοι 647
Δόξα 93.186.271
Δοῦναι 355
Δοῦναι ὅρκον 266
Δοῦναι δίκην 488
Δοῦναι εὐθύνας 655
Δράματα 697
Δύναμις, facultas ingenij 19
Δύναμις, quomodo a Latinis exprimatur 28
Δυνάμεις, cur appellentur dicendi & disserendi ratio ibid.
Δύναμις τοῦ λέγειν, τοῦ πράττειν. 109
Δυνατὰ duobus modis accipiuntur 114
Δὺς 392
Δύσκολος 181.309
Δυστυχία 392
Δυσχεραίνειν 273
Δωριεὺς Olympionices 49

E

Ἐὰν & περιιδεῖν idē valent. 647
Ἐγκαλύπτομαι 350
Ἐγκαταλιπεῖν 322
Ἔγκλημα 234
Ἐγκωμιαστικὸν genus 149
Ἐγκώμιον cur ita vocetur 169
Ἐγχειρεῖν 218
Ἔδεσμα 574
Ἐθιστὸν 196
Εἰ δὲ μὴ 312
Εἴδη 66.85
Εἴδη ἀντὶ τοῦ γένη 67
Εἶδος 536.692
Εἰκάζειν 672
Εἰκῆ 6.37
Εἰκὸς quid 50
Εἰπέμεναι 255
Ἑκατος Ἀπόλλων 621
Ἐκ πολλοῦ χρόνου 12
Ἐκ παλαιοῦ ibid.
Ἐκλογὴ 149
Ἐκκλησιαστὴς 67
Ἐκκρουστικὸν 364
Ἐκπεπληγμένοι 360
Ἐκπίπτειν 673
Ἐκ προαιρέσεως 592
Ἐκ προνοίας 247
Ἐκστάσις 95
Ἔκτισις 219
Ἐκτοπίζειν
Ἑλεῖν 301
Ἐλευθέρια praedia 92
Ἕλκειν 98
Ἔλλειμμα 239
Ἐλλειπτικῶς 515
Ἑλληνίζειν 589
Ἕλος 492
Ἐλπίζειν de rebus malis 360
Ἐλπίδες ibid.
Ἐμμελῶς 309
Ἐμφανίζειν τὸ δίκαιον 236
Ἔμφρων 65.77
Ἐμφρονέστερος ibid.
Ἔναγχος 255
Ἐνάργεια, & ἐνέργεια, valde similia inter se vocabula, in errorem quosdam traxerunt, cū tamen longe aliud valeant. 645
Ἔνδοξα 1.20
Ἐνδόσιμον 694
Ἐνθουσιασμὸς 609
Τὰ ἐνόντα 461
Ἑνὸς ἀγαπᾶν 483
Ἔνοχος 295
Ἐν παισὶ 308
Ἐν πληρώσει 299
Ἐν προαιρέσει 592
Ἔνστασις 470.526
Ἐνστῆναι 526
Ἔντευξις 22
Ἐντευκτικὸς ibid.
Ἐντὸς στηλῶν 382
Ἐξαγκωνίζειν 709
Ἐξαλείφειν 336
Ἐξαπατᾶν 262
Ἐξέδροι 577
Ἐξετάζειν 5
Ἐξεταστική, ἡ τοπική 5
Ἐξ εὐθείας 286
Ἐξιέναι 647
Ἐξίσου 338
Ἐξίστημι 613
Ἐξουσία 416
Ἐξ ὑπαρχῆς 27
Ἔξω στηλῶν 382

Επαγγέλλεσθαι 526
Επάγγελμα 489.526
Επαγωγή 40
Επαίειν 82
Επαινετά 112.602
Επαινος 169.176
Επακολουθεῖν 47
Επαναφορὰ 682
Επάνοδον 689
Επεὶ, quomodo ab Arist. vsurpetur 17
Επεισόδια 737
Επεξελθεῖν 216.223
Επεξιέναι 225
Επεμβάλλειν 578
Επὶ 697
Επηρεασμὸς 280.281.316
Επήρεια 281
Επιβλέπειν 447
Επιβουλεύειν 127
Επιγεγραμμένοι 261
Επίγραμμα 235
Επιδεικτικὸν γένος 149
Επιδέξιος 300
Επιδεξιότης ibid.
Επίδοξος 80
Επιεικῆς 274
Επιεικὲς 239.274
Επιζευγνύναι 596
Επιζήμιον 498
Επίθετον 559
Επικαιρότατον 465
Επιλέγειν 455
Επιλέγειν αἰτίαν ibid.
Επίλογος 442
Επιμέλεια 195.430
Επὶ μικρὸν 46
Επιπλήττειν 606
Επίπλον 90
Επιπολῆς, τὰ ἐπιπολῆς 262
Επιπόλαια 643
Επισκευάζειν 78
Επιστήμη 27.37.38
Επιτυγχάνειν 456
Επιτυχεῖν τῶν δοξῶν ibid.
Επιχαιρεκακία 371
Επιχαιρέκακος ibid.
Επιχαλκεύειν 751
Επῶν 693
Εργα 212.236.349
Εργα etiam πράξεις complectitur 170
Εργαζομένη γῆ 236
Εργον 686
Ερείπια 673
Ερμαια 512
Ερρυθμος 617
Ερώμενον 200
Εταῖροι 315.489
Εὖ 100.392
Εὐαλλαξόντα 410
Εὐγενὲς ibid.
Εὐγηρία 99
Εὐγήρως ibid.
Εὐδαιμονίζειν 171
Εὐδαίμων 415
Εὐδιάκειται 104
Εὐδοξία 93
Εὐδοκιμοῦντες 260
Εὖ ζῆν 142
Εὐήθης 395.547
Εὐήθεια 395
Εὐημερία 299
Εὐθεώρητα 262
Εὐθύνεσθαι 87
Εὐθύνας δοῦναι 655
Εὐθυνόμενος τῆς ἐφορείας 748
Εὔκολος 308
Εὐλόγιστος 358
Εὐμάθεια 109.714
Εὐμαθὴς ibid.
Εὐπορῆσαι 175
Εὐπορία ibid.
Εὔρυθμος 617
Εὐσέβεια 86
Εὐσεβεῖν 87
Εὐσύνοπτος 626
Εὐσχήμων 417
Εὐτεκνία 90
Εὐτεκνίας, καὶ πολυτεκνίας loci. ibi.
Εὐτραπελία 399
Εὐτράπελος 309.399
Εὐτυχὴς 415
Εὐτυχία 392
Εὐφυὴς 412.641
Εὐφυΐα 109
Εὐχαὶ 559
Εὔχεσθαι ibid.
Εὔψυχος 161
Εφεσις 317
Εφοροι 748
Εφορία ibid.
Εχειν βούλευμα 456
Εχόμενος 619
Ο ἔχων 351.414

Z

Ζῆλος 385
Ζηλοῦν 89
Ζημία 136
Ζῆν πρός τινα 227
Ζυγομαχεῖν 674
Ζωὴ 86

H

H 690
Ηδυσμα 574
Ηθος quid sit, & quomodo paretur 31.32.390
Ηθος 24.391
Ηθοποιεῖν 32
Ηθος ποιεῖν 734
Ηκιστα φιλόλογος 486
Ηλίθιος 164
Ημίονος 569
Ηνεκὲς 232
Ηρεμία 295
Ηρέμησις ibid.
Ηττω κερδαίνειν, & κέρδους 321

Θ

Θαρρεῖν 329
Θάρρος 359
Θεωρὸς 67
Θεωρὶς ibid.
Θήγειν 573
Θὴρ 497
Θηρεύειν 457
Θηριότης 246
Θορυβεῖν 746
Θορυβεῖσθαι 42
Θρασύτης 408
Θρέπτειν 664
Θυμὸς 190.393
Θυμικὸς 393
Θύρες 598
Θύσασθαι 452
Θυσίαι ἐτήσιοι 94

I

Ιδια 644
Ικανῶς 20
Ικετηρία 653
Ιματιδάριον 570
Ισοδυναμοῦντα 663
Ισον καὶ ὅμοιον 369
Ισορικὸς 79
Ισως saepe addit Arist. etiam rebus certissimis 550
Ιταλοὶ 486
Ιταλιῶται ibid.

K

Καθαροὶ 711
Καθαρὸν 43
Καθεστῶσα ἕξις καὶ καθεστηκυῖα. 207
Καθίζοντες 297
Καθόλου 60.61
Καὶ νῦν 78
Καιρὸς 137
Καιροφυλακεῖν 322
Καιρὸν τηρεῖν ibid.
Κακοήθεια 400
Καλάμη 642
Καλαμᾶσθαι ibid.

Καλλιεπεῖσθαι 552
Καλόν 107.133.151
Καμπτῆρες 625
Κτῆμα praedia 92
Κατὰ δόξαν 379
Κατάληψις 62
Κατάπληξις 603
Καταισιωπᾶν 678
Κατασκευάζειν λόγῳ 32
Κατάστασις 295
Κατὰ τὰ ὑπάρχοντα 379
Κατὰ τρόπον 63
Κατειπεῖν 322
Κατ' ἔλλειψιν 515
Κατ' συνορίαν 285
Κατ' ἕξιν 379
Κατορθοῦν 286
Κατορθῶσαι 330
Κατορθώματα ibid.
Καχύποπτος 401
Κεῖσθαι μεταφορικῶς 652
Κελεύειν 130
Κενολογεῖν 435
Κεραμεῖς inuidi a magnis au-ctoribus appellati 210
Κεφάλαια ἔργων 511
Κεφάλαια συλλογισμῶν ibid.
Κεφαλαιωδῶς 754
Κεχαρισμένοι 356
Κινδυνευτικός 166
Κινεῖν 546
Κλέπτεσθαι 554
Κληροῦχοι 348
Κληρουχία ibid.
Κοινότερον 16
Κοινόν 90
Κοινὸν Θετταλῶν, Ἀχαιῶν ibid.
Κοινός 512
Κοινὸς Ἑρμῆς ibid.
Κοινωνικός ibid.
Κόλασις 189
Κόλλυσις 564
Κολοβόν 622
Κορδακισμός 618
Κόσμιος 483
Κόπαβος 203.228
Κοπαβίζειν 203.228
Κοπαβίδιον ibid.
Κοπάβια ibid.
Κράζειν 586
Κρατιστοι 131
Κραυγή 562
Κριμαέρα 661
Κρίμασρα ibid.
Κρίνειν 12.49.114 421
Κρίσεις 49
Κρίσις 273
Κριτής 16.68.384 421
Κτήματα 86
Κτῆσις 633
Κυάνεον 571
Κυανόχρουν 572
Κυβεία 203
Κύκλος
Κύκλῳ 170
Τὰ κύκλῳ 706
Κυνοραϊσταί 440
Κύριον 145
Κύριον ὄνομα 555
Κυριώτατον 18
Κωφή 303

Λ

Λαβεῖν δίκην 488
Λαβεῖν 88
Λάθε βιώσας 65
Λεπτοί 587
Λέγειν 737
Λεκτικός 617
Λέξις 540
Λεχθὲν τὸ 53
Λήμη 648
Λῆμμα 219
Λῆσον ποιήσας 65.77
Λησταί 561
Λόγια 332
Λόγου δεόμενα 45
Λογογράφος 388
Λόγου ἄξιον 513
Λόγος 438.465.747
Λοιδορημάτιον 570
Λύεσθαι 501
Λύπη 319.361
Λυπηρόν 193
Λυτόν 54
Λύσιμον ibid.
Λύσις 470

M

Μᾶζα 719
Μακαρίζειν 171
Μαλακία 337
Μᾶλλον, secundae collationis nominibus adiungitur. 129. 358
Μανθάνειν 641
Μανικός 164
Μαντεύεσθαι 231
Μάττειν 719
Μαχητικός 311
Μεγαλοπρέπεια 155
Μεγαλοψυχία 154
Μεθοδικά, commentar. Arist. 40
Μειλίγματα 579
Μείρος 629
Μέλλειν 158
Μένειν 496
Μεταβάλλειν 276
Μεταβολή 681
Μετάληψις 191
Μεταμέλεια 296
Μεταφορικὸν ὄνομα 555
Μετρικός 620
Μὴ ἀρετή, μὴ κακία 128
Μηδὲν λέγειν 603
Μισεῖν 176
Μητραγύρται 559
Μητρῷαι ἡμέραι 560
Μικροπρέπεια 155
Μικροψυχία 154
Μικρόψυχος 380
Μνημονεύματα 161
Μνημονευτὰ ibid.
Μνημόσυνον 654
Μνησικακῆσαι 310
Μοὶ 255
Μοχθηρία 274.544
Μῦθος 438
Μύλωνες 650
Μυριοστὸν ἔτος 366
Μύωψ 672

N

Νέμεσις 367.372
Νεόπλουτοι 416
Νήπιος 256
Νόμος 178.347
Νόμους ἀγορεύειν 9
Νόμους λέγειν ibid.
Νοσημάτιον 570
Νοῦν 77
Νυστάζειν 705

O

O 350
Ὁδὸν ποιεῖν 6.693
Ὅλος 6
Ὀλώη 361
Οἱ ἐν τοῖς πυρετοῖς 200
Οἰκεῖοι 315
Οἰκεῖον ὄνομα 555
Οἶμαι 400
Οἷον 68.71
Ὀλιγωρία 280
Ὀλιγωρίας tres species ibid.
Ὅλως 286
Ὁμαλότης 661
Ὁμιλία 290
Ὁμιλεῖν ibid.
Ὅμοια 229
Ὁμοιοτέλευτα quae sint 638
Ὁμοίωμα 37
Ὄν 523
Ὄνειδος 178
Ὀξύς 404
Ὀξύνωμος 324 393

Ὀξύχολος

Ὀξύχολος 324
Ὀργὴν ἐμποιεῖν 276
Ὀργίλος 181
Ὀργῆς 569
Ὅτι καὶ ἄξιον 92
Οὗ ἕνεκα finis 120
Οὕτω ab Arist. quandoq; omittitur 543
Ὄχλος. 684. διὸ ὄχλου ibid.

Π

ΠΑθη 156.365
Πάθη καθ' αὑτὰ, πάθη συμβεβηκότα 29
Πάθος 29.564
Πάθος ποιεῖν 734
Παίγνιον 572
Παῖδα ἀποδεῖξαι 256
Παιδεία 36
Παιδιαὶ μαχητικαὶ, αὐλητικαὶ, ἐριστικαὶ, ἐρωτικαὶ 203
Παίζειν 309
Πανηγυρίζων 67
Πανηγυρικὸν γένος 149
Πάντα. i. κατὰ πάντα Attico more 237
Παραβολὴ 436
Παράγραμμα, Cic. aliquando παρονομασίαν vocat 663
Παραδιηγεῖσθαι 720
Παράδοξον 447.502
Παρακολουθοῦντα 164
Πάραλος 648
Παρὰ μικρὸν 210
Παραπεποιημένα 663
Παραπρεσβεία 720
Παράσημα 470
Παρασημαινόμενοι ibid.
Παράσιτοι 95
παρασοφίζεσθαι 253
παρὰ τὰς χρείας 139
παρὰ τὸ προσῆκον 167
παρὰ τὴν ἱστορίαν 509
παρὰ τὴν ἔλλειψιν ibid.
παρὰ τοῦτο ibid.
παρὰ τὴν λέξιν ibid.
παραγραφὴ 622
παρεμβάλλειν 705
παρίσωσις figura, quam alij ἰσόκωλον vocant 636
παρομοίωσις figura ibid.
παρομοίωσις complectitur ὁμοιοτέλευτα, & ὁμοιόπτωτα 637
πάσχειν 645
πειράσαι 432
Οἱ πέλας 387
πελώριον 606
πέλωρος 572
πένταθλος 97
πεντασύριγγον 649
πεντηκοντάδραχμος ἐπίδειξις. 705
πέρας 53
περιέχοντα 591
περιήγησις 84
περιμάχητον 112
περιπέτεια 209
περίπλους 115
περιττὰ 84
περιττὸς 412.656
περίττωμα 581
πεσεῖν εἰς ὀργὴν 471
πεττεία 203
πεφιλιππίσθαι 587
πιθανὰ duplicia sunt 43
πιθανὸς 26.43
πικρὸς 181
πίστεις 7.274
πιστεύειν 17.148
πιστὸς 274
πιτθεὺς 500
πλαστὸν ἐπιχείρημα 479
Οἱ πλησίον 387
ποῖα 80
ποιεῖν παθητικῶς 434
ποιεῖν ἀχαρίστους 354
ποιεῖν 200.641
ποιεῖν μάθησιν 641
ποιεῖν παράδειγμα 694.726
ποιεῖν χώραν 740
ποιῆσαι 7
ποιητικὸν 104.107
ποῖός τις 15.148
πόλις 145
πολιτικοὶ ἀγῶνες 421
πολιτικὸς λόγος 461
πολυθρύλλητον 61
πολυτεκνία 90
πολύφιλοι 216
πολυώνυμα 556
πολυωρεῖν 283
πορισαὶ 561
πορίσασθαι 29.561
πόρος 79
πόση 80
πράγματα 130.349
πραγματεύεσθαι 8
πραγματεῖαι 8.15
πρᾶξαι 432
πρᾳότης 295
πράττειν 107
πρακτικὸν ibid.
πράϋνσις 295
προάγειν εἰς ὀργὴν, εἰς πάθος, εἰς γέλωτα 34
προαιρεῖσθαι 114
προαίρεσις 149.725
προαύλιον 693
πρόβουλοι 748
προδιαχωρῆσαι 227
προδιδόναι 236
προεδρία 94
προεῖτο 480
προεξειργασμένον 7
προεκπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ 606
προετικὸν 153.166
προϊέντες 71.153
πρόκλησις 267
προκρίνειν 114
προσδοποιεῖν 402
προπέτεια 631
προπετῶς ibid.
πρὸς 478
πρὸς ἀκροατὴν 545
πρὸς ἄλληλα 472
πρὸς ἄλλον ζῆν 163
πρὸς δόξαν 141.347
προσθήκη 8
πρὸς νόμον 347
πρὸς ὑπόθεσιν 421
προσκυνήσεις 95
προσσημαίνειν 237
πρόσχημα 429
πρόσχισμα ibid.
προτάσεις 64.67.271
προτροπὴ 68
προϋπάρχειν 29
προϋπηργμένα 167
πρόφασις 225
πτώσεις casus & aduerbia 134
πτωχεύειν 559
πυκτικὸς 99
πυρρότριχες 255
πῶς 39
πῶς ἔχει 38

Ρ

ΡΑθυμία 195
Ῥάκος 673
Ῥητορεῖαι 42
Τὰ ῥητορικὰ 442
Ῥητορικοὶ 284.442
Ῥοδοδάκτυλος 568

Σ

ΣΑλάκωνες 414
Σάλπιγξ 601
Σεμνὸς 165.417
Σεμνότης 417
Σημαίνειν 641
Σημαινόμενον 566
Σημεῖα 332
Σημεῖον 52
Σίαλος 587
Σίζειν 727
Σικελοὶ 486
Σικελιῶται ibid.
Σίγγις 572

Σκέψις

Σκέψις 49
Σκιαγραφία 684
Σμίνθοι 518
Σόλοικοι 414
Σπεύσασθαι 648
Σπουδαίως ἔχειν 311
Στάσεις 11.295
Στάσιμον 412
Στάσιμον ἦθος & γένος ibid.
Στέμφυλα 500
Στερήσεις 600
Στεφανίτης ἀγὼν 49
Στηλῖται 503
Στοιχεῖα 66
Στοχαστικαὶ artes 25
Στρέφειν 252
Στρογγυλώτατα 450
Συγγνωμονικὸν 343
Συγγνώμων ibid.
Συγγενέσθαι 334
Συγγενεῖς 315
Συγκατάθεσις 17
Συζῆν 398
Συκάμινα 675
Συμβάλλεσθαι 33
Συμβιοῦν 398
Συμβίωσις ibid.
Συμβιωτὴς ibid.
Συμβουλεύειν 126
Συμβουλεύεσθαι 76
Συμβολὴ 81
Σύμβολον 82
Σύμπτωμα 169
Συναλείφειν 336
Συνάλλαγμα 262
Συναπεργάζεσθαι 366
Συναριθμεῖσθαι 121
Συναριθμούμενον 120
Σύνδειπνοι Sophoclis fabula. 518
Συνδρομὴ 651
Συνεθίζω 190
Συνημερεύειν 308
Συνήθεις 190
Συνήθη ποιεῖν ibid.
Συνθῆκαι 261
Συνθλίβειν 98
Συνεστία 22
Συντιθέντες τέχνας 7
Συντόμως 720
Συντονία 194
Συνώνυμα 556
Συνωνυμία ibid.
Σύστασις 737
Σύστοιχα 134
Συστρέφειν 746
Σφαίρισις 203
Σχῆμα λέξεως apud Arist. 609
Σχήματα λέξεως, Cic. lumina orationis vocat ibid.
σχολῇ 476
σῶμα μεταφορικῶς 87
σώματα 87.331
σωφρονικὸς 405
σωφροσύνη, cur ita vocetur. 154

T

ΤΑ καὶ τὰ 676
Τάδε καὶ τάδε 597
Ταριχευόμενα 421
Τάλαρος 675
Ταχὺ 720
Τείνειν πρὸς ἀλήθειαν 143
Τέκμαρ 54
Τεκμήριον 52.56
Τεκμηριῶδες 52
Τελεσφόρον 571
Τελεσφορεῖσθαι ibid.
Τέλη 473
Τέλος 140
Τελῶναι 473
Τεμένη 94
Τετράγωνος ἀνὴρ 656
Τειχολογεῖν 33
Τηλία 648
Τηλικαῦτα 217
Τηλικοῦτον 451
Τί 131
Τίθημι 41
Τίθεσθαι ἐν ἐπαίνῳ, ἐν αἰσχρῷ. 72
Τιμὴ 283
Τιμωρία 189
Τὸν καὶ τὸν 597
Τὸ καὶ τὸ 510.597.676
Τοιαῦτα 217
Τοιόνδε 44
Τοιοῦτοι 118.295
Τοιοῦτον 541
Τρόπον τινὰ 4
Τρόπος 218
Τυγχάνειν in malam partem. 371
Τύραννος 60
Τυχεῖν παθητικῶς 199
Τυχεῖν ἐπιεικείας 227
Τυχεῖν τιμωρίας 199

Y

ΥΒρις 288
Υγιᾶ Attico more 26
Υγιαίνειν 106
Υπανίστασθαι 95
Υπάρχον 166
Υπάρχοντα 167.461
Υπεραλγεῖν 336
Υπερβολὴ 166.606
Υπερέχειν 208
Υπερέχον, Cic. praestans 118
Υπερεχόμενον, Cic. superatum. ibid.
Υπερήμεροι 649
Υπεριδεῖν ὁμιλίαν 519
Υπεροχὴ 166.223
Υπέχειν λόγον 5
Υπηρετεῖν 340
Υπόγυον 12
Υπόδικος 259
Υποθέσθαι 172
Υποθῆκαι 255
Υποθήκη 401
Υποθῆκαι, liber falso Hesiodo attributus 401
Υποκείμενον 28.66.182
Υποκορίζειν 569
Υποκορισμὸς ibid.
Υπολαμβάνειν 665
Υπόμνημα 654
Υπομνήματα Arist. comment. 40
Υπώπιον 675
Υπωπιασμένος ibid.
Υστερίζειν 509.643

Φ

ΦΑίνεται 45
Φαντασία 279
Φαντασία ἐστὶν 545
Φαῦλα 504
Φέρειν τεκμήριον, συλλογισμὸν, παράδειγμα, &c. 53.423
Φέρειν ἐνθύμημα 470.583
Φερώνυμα 506
Φθαρτικὸν 319
Φθορὰ ibid.
Φιλαίτιος 403
Φίλαυτοι καὶ φιλαυτία 211
Φιλεργία 91
Φιλογέλοιος 407
Φιλόδικος 501
Φίλοινος 206
Φιλοτοιοῦτοι 118
Φιλόφιλος 314
Φιλοχρηματία 394
Φοβερὸς 315
Φόβος 318
Φονικοὶ νόμοι 247
Φορὰ 411
Φορμὸς 353
Φορτικότης 456
Φόρτος ibid.
Φρόνησις 65
Φρόνιμον 342

X

ΧΑλεπὸς 583
Χαλκεύεσθαι 638
Χαλκὸς ibid.
Χαλκοῦς 751
Χαλκεύειν ibid.

Χαρίζεσθαι


Χαρίζεσθαι 355
Χάρις 316.354
Χείρων 521
Χίμετλα 663
Χλόη
Χλευάζω
Χλευασία
Χλευασμὸν 289
Χλωρὰ 580
Χρεία 139
Χρήματα 742
Χρηματιστικὴ ratio diuitiarũ parandarum 86
Χρήσιμα praedia 92
Χρῆσις 458
Χρόνος 137
Χρονοτριβεῖν 578
Χρῶνται 9
Χύδην 627

Ψ

Ψακάδες 672
Ψεκάδες ibid.
Ψιλοὶ λόγοι 552
Ψώμισμα 587
Ψωμὸς 587

Ω

Ὠθεῖν 98
Ὡμαλίσθαι 661
Ὥρα 585
Ὡραῖος ibid.
Ὡς 483
Ὡς aliquando omissum ab Aristotele 574



CHARTARVM SERIES.

* ** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt.

Omnes ſunt Terniones praeter ** Duerniones, & Ttt Quaterniones.





Florentiae Apud Iuntas, CIↃ IↃ LXXIX.